





# THESAURUS ROMANARUM ANTIQUITATUM.

VOLUMEN VIII.

# THESAURUS
# ANTIQUITATUM
# ROMANARUM

*CONGESTUS*

a

## JOANNE GEORGIO GRÆVIO.

*ACCESSERUNT*

Variæ & accuratæ tabulæ æneæ.

## TOMUS OCTAVUS.



*I: Camerata in:* *P: Monaco sc.*

VENETIS,

Typis Jo: Baptistæ Pasquali.

M. DCC. XXXV.

*SUPERIORUM PERMISSU.*

# L E C T O R I

## D. S.

## JOANNES GEORGIUS GRÆVIUS.



N tibi, Lector, octavum volumen, in quo habes antiqua Romanorum Kalendaria, & primum quidem urbanum Augusti temporibus marmori incisum, quod in ædibus Maffæorum ad Agrippinam Romæ videbatur, in quod extant notæ Ariæ Montani, & Petri Ciaconii, Toletani, Viri eruditissimi, quem Arias Thscaconium nominat. Dein Kalendarium Rusticum, quod itidem ex Romæ ruderibus erutum extabat in bibliotheca Farnesiana. Id notis illustravit Fulvius Ursinus. Sequitur Kalendarii veteris fragmentum marmoreum, quod visebatur in ædibus Capranicorum, & aliud frustum quod possidebat Fulvius Ursinus. Tum videbis Sibrandi Siccamæ in fastos Kalendares Romanorum Commentarium, cujus dissertatio de judicio centumvirali in tomo secundo hujus Thesauri legitur. In mense Julio hæc verba KAL. JUN. MART. CAR. MONET. explicat Marti, Carnæ Deæ, Monetæ. Non improbo. Nam & apud Ovid. VI. Fastorum legitur.

*Prima dies tibi Carna datur: Dea Cardinis hæc est.*

Sed ibi legendum censent nonnulli *Carda*, non *Carna*, quia nomen invenit a cardinibus, ipso testante Ovidio. Sic sane laudat Grapaldus lib. I. de partibus ædium. Quamvis sint qui censeant *Cardineam* appellatam eam divam fuisse, aut *Cardeam*, quod aliis magis arridet. Sed *Carna*, quod omnes libri præ se ferunt, non est interpolandum, sive sic dicta sit per syncopem pro *Cardina*, ut nonnullis visum est, sive a carne, quia præesse vitalibus credebatur. Id sane innuit Macrob. I. Saturn. 12. quem vide. quamvis & aliam hujus vocis Carnæ originem afferat Ovidius, nimirum a *Carne Nympha*, quam compressit Janus. Sic enim melius legitur in quibusdam Libris antiquis, quam in Vulgatis *Gramen*. Sequitur Kalendarium, quod in libris antiquis Fastis Ovidii præfigitur. In meo MS. multa leguntur aliter, quam in Vulgatis. Sic statim in principio: *A. Kal. Janus. Festum Jani. Consecratio templorum. Jovis & Æsculapii*. In editionibus est: *A. Kal. Januarii. Jani festum, Junonis, Jovis & Æsculapii.* Post: *C. III. Non Cancer occidit Cosmice*. Ultima vox non legitur in MS. Pro vulgatis *E. Non. Lyra oritur*, MS. *Lyra incipit oriri*. Mox pro *A. VI. Id. Festa Jani Agonalia. Delphin oritur. B. V. Id. Medietas hyemis. C. IV. Id. D. III. Id. Festa Carmentis & Juturnæ. F. Idibus. Festum Jovis. Redditæ sunt populo provinciæ*. rectius MS. *B. V. Id. Agonalis Dies Jani. C. IIII. Id. Delphin*

*oritur. D.* III. *Id. Media hyems. E.* II. *Id. Festum Carmentis & Receptio Juturnæ in templo Vestæ. F. Idus. Festum Jovis. Augusti denominatio.*

Quæ sequuntur in Membranis sic leguntur:

*G.* XIX. *Kl. Februarii. A.* XVIII. *Kl. Festum Carmentis. Festum Porrumæ & Postutæ. B.* XVII. Kl. *Consecratio templi Concordiæ. C.* XVI. *Kl. Festum Concordiæ. D.* XV. *Kl. Sol in aquarium.* Paullo post in vulgatis est: *C.* IX. *Kl. Lyra occidit.* In MS. vero: *C.* IX. *Kl. Lyra occidit Cosmice.* sed supra *occidit* scriptum erat: *Tota apparet.* Et in sequente die sic MS. *Stella occidit in pectore Leonis posita: Cosmice.* Idem liber non in VI. Kl. festum Castoris & Pollucis collocat, sed in VII. Tum pro *B.* III. *Kl. Festum Pacis* scribitur: *B.* III. *Kl Festivitas Pacis.* His subjecta erant inferius hæc verba: *Aquario oriente oritur Equi caput & pedes anteriores Cassiopeaque simul. occidente* aut *occidunt Centauri posteriora. Hylidris autem & Urceus usque ad Corvum, simulque Urceum.* In Februario non minor est scripturæ diversitas. In editis est: *D. Kl. Febr. Templum factum est Carmenti. Celebratur Asylum* At in MS.*D. Kl. Feb. Consecratio Templorum Sospitæ Deæ & Junonis. processio ad Lucum Avernum.* Sequentem diem sic MS. deformat: *E.* IV. *Non. Lyra penitus occidit, & leo Cosmice. F.* III. *Non. Delphin. occidere incipit.* dein: *A. Non. Festum Augusti denominatio sua, quando dictus est Pater Patriæ Et Ganimedes oritur, qui & Aquarius dicitur.* Mox in edd. *C.* VII. *Id. Primus dies Feralium.* Hæc tria verba non habentur in MS. pro vulgatis *E.* v. *Id. Ver incipit* in MS. est: *E.* v. *Id. Veris initium.* Hoc male in editis apponitur sequenti IV. *Iduum.* Non enim duplex est initium veris *G.* III. *Id. Arcton oritur.* I. *Bootes.* Sic MS. In edd. legis: *Bootes oritur. & est festum Fauni.* Melius etiam in MS. *B. Idus. Festum Jovis & Fauni, & obitus Fabiorum. Dies nefastus.* Mox vulgati: *D.* XV. *Kl. Sol intrat in Pisces Iterum Fauni.* MS autem: *D.* XV *Kl. Sacra bicornis Fauni Luperci. Festum Lucinæ. Sol in Piscibus.* Deinde idem: *F.* XIII. *Kl. Raptus Romuli.* I. *Quirini in cœlum. Festum stultorum & Mutæ Feraliti, & initium Parentalium Deorum.* pro quibus in editis est: *Festum Quirini. Festum Stultorum & Fornacis.* Tum MS. *G.* XII. *Kl. Festum Larium.* Vulgati: *G.* XII. *Kl. Feralia.* Sequitur in editis: *A* XI. *Kl. Caristia virorum*, sed MS. *Karistia vinorum.* In die sequente vox *Termini* non habetur in MS. In *D.* VIII. Kl. verba hæc, quæ in vulgatis his attexuntur: *Fuga Tarquinii Superbi. Veris initium* non comparent in MS. Sed in die, qui hunc excipit, idem MS. hæc addit: *E.* VII. Kl. *Festum Termini, & Expulsio Tarquinii & fuga.* Inferius: *B.* III. Kl. pro *Equiria in campo Martio*, scribitur in MS. *Equiria Martis.*

Fini hujus mensis attexitur hæc annotatio de motu syderum: *Piscibus orientibus oritur Favonius, piscis non totus. Andromedae dextra pars. Occidit autem Centaurus totus. Hylidris, Urceus, Corvus & Serpens.*

In Martii Kalendis in MS. non extat, *Ancilia feruntur. F.* IV. *Non. Alter de Piscibus occidit.* Sic MS. sed editi ad v. Nonas hæc referunt. Sic enim hi: F v. Non. *alter piscium conditur. oritur vindemitor.* Sed MS. reiicit de his ultima in sequentem. Sic enim in illo habetur: *G.* III. *Non Arcophilax oritur. Oritur vindemitor.* Quæ ad IV. Non. & III. Non.

de festo Vestæ leguntur, in vulgatis non extant in MS., in quo ad II. Nonarum hæc vides: *B. II. Non. Cathedra Julii in templo Vestæ.* Sed quæ ad hunc diem notantur in vulgato Kalendario, *Festum Vejovis* non est in veteribus membranis, nec *Heliace*, sed tantum *Pegasus oritur*, quod tamen refertur ad ipsas Nonas. *C. NON. Pegasus oritur. B. III. Id. Altera Equiria.* Hæc MS. Vulgati addunt: *fiunt juxta Tiberim.* mox idem MS. *D Id. Festum Jovis & Anne Perbenne, & interfectio Anniversarium Jul. C. in Capitolio.* corrupte pro *Annæ Perennæ & interfectio Jul. C. Anniversarium*, scilicet festum *in Capitolio*. Vides hic, quomodo discrepet a vulgatis, in quibus non habetur *Festum Jovis*. Sed ad sequeute die Mſ. addit, *Cosmice. Scorpius oritur Cosmice.* Sed ad sequentem diem hæc tantum in Mſ. *F. XVI. Kl. April. Festum Bacchi. Processio ad Argeos Deos*. Rectius quam in vulgatis: *Festum est Ledæorum, qui fuerunt Argivi, vel Larium.* Nam *Argeos* legendum esse docet Ovid. III. Fast.

*Itur ad Argeos, qui sint sua pagina dicet,*
*Hac, si commemini, præteritaque die.*

Alia quoque vulgati adjiciunt, quæ ignorat MS. De hinc MS. *A* XIIII. Kl. *Sacra Minervæ Captæ.* Edd. *Quinquatria Palladis Captæ.* Postea idem codex antiquus ad XII. Kl. apponit æquinoctium. Sic enim in illo legitur: *C.* XII. Kl. *Æquinoctium Vernale.* In editis collocatur ad VIII. Kl.

Ad IX. Kl. hæc MS. *F.* IX. Kl. *Commemoratio Iani, Concordiæ, Salutis & Pacis*, cum in editis hanc festivitatem attribuant V. Kl. Ad. II. Kl. notatur tantum in MS. *Festum Lunæ*, sine illo syrmate, quod editiones ostentant.

His subnectitur in MS. *Ariete oriente oritur caput & humerus Persei. Andromede sinistra, pars Delteton simulque. Occidit autem simul sacrarium, & Arcturi custos.*

In Aprile MS. *G.* Kl. *April. Festum Junonis & Veneris. Placatur Fortuna.* Edd. *Festum Veneris & Virilis Fortunæ.* In IIII. Non. MS. *A. III. N. Pleiades Oriuntur. Festum Jovis.* Hoc ultimum non est in edd. Quæ in his notantur ad III. & II. Non. non agnoscit MS. Sed ad Nonas hæc videmus: *D. Non. Festum Cibeles, seu Reæ matris Deorum.* In edd. pro his legas *Festum Publicæ Fortunæ*, cum id MS. assignet sequenti diei, VIII. Id. Sed a MS. absunt illa editionum. *Orion. occidit chronice.* Ad VII. Idus nihil inveni notatum in MS. sed ad VI. hæc habet: *G.* VI. *Id. Festum Cæsaris Juba devicto. Et libra oritur. Fiunt ludi. Occidit Orion.* tum *G.* V. *Id. Pompa in Circo. Raptus Proserpinæ. Imagines Antecessorum. B.* III. *Id. Ludi Cereris. Tacito Raptoris Proserpinæ.* Quæ frustra requiras in editis, nisi quod in illis, festum Cerealium ludorum referatur ad VII. Iduum. Ad Idus rectius MS. *E. Idus. Festum Jovis & Libertatis. Dedicatio Templi ejus.* & F. XVIII. Kl. *Occidunt Pleiades, & victoria de Bruto & Cassio apud Mutinam.* & *G.* XVII. Kl. *Sacrificium Telluris cum bove fœda. F. Pales Deæ.* lege *Corda.* Sic editi: *Corda litatur Telluri.* Errat vero, cum in Mutinensi prœlio cæ-

ſos ſcribit Caſſium & Brutum : ſed æque peccant editi, cum Mutinenſes tradunt fuſos fuiſſe, cum M. Antonius ibi fuerit profligatus. Ad ſequentem diem MS. *A.* XVI. *Kl. Victoria Auguſti.* ſuper *Victoria* ſcriptum erat *Imperium* tanquam varia lectio. Dein MS. *C.* XIIII. *Kl. Curſus equorum in Circo. Vulpes comburuntur. D.* XIII. *Kl.* SOL IN TAURO *E.* XII. *Kl. Feſtum Pales i. Palilia Vinalia Jovis. F. Veneris. F. Kl. Natalis Romæ. G.* X. *Kl. Vinalia Jovis.* Verum horum trium dierum ratio in MS. eſt turbata. Nam natalis Romæ pertinet ad Palilia, inter quæ & Vinalia dies eſt interpoſitus, quem Vinalia ſequuntur. Ovid.

*Dicta Pales nobis: idem Vinalia dicam,*
*Una tamen media eſt inter utrumque dies.*

Sed hæc Vinalia ſacra erant Jovi, quamvis feſtus dies erat Veneri dicatus, ut ibidem docet & cauſas Poeta. Mox MS. *B.* VIII. *Kl. Veneris Vitalia. Dies Jovis.* Sed hæc quoque perperam. legendum *Vinalia Veneris*, & pertinet ad præcedentem IX. Kl. At ad VII. Kl. MS. *C.* VII. *Kl. Medietas Veris. Occaſus Arietis. Ortus Canis. D.* VI. *Kl. Tempus pluvioſum. Feſtum Rubiginis. D.* V. *Kl. Feſtum Floræ & Receptio Veſtæ in Templo. C. & Phœbi & C.* Hæc ultima rectius MS. quam editi: IV. *Kl. Feſtum Floræ & Veſtæ.* vide Ovidium in fine libri IV. In MS. ſubjunguntur iſta: *Tauro oriente, oritur Perſeus Totus. Agitatoris pedis ſiniſtri ſumma pars. Siniſtra manus, in qua ſex hædos portat. Ceti femora & cauda. Occidit autem Arcturi cuſtos cum prima ſua portione.*

In Majo MS. *B. Kl. Maj. Feſtum Larium vel Salium. Amaltea capra oritur Coſmice. Victoria Aug. de Antonio & Cleopatra. C.* VI. *N. Finis Floræ. Hyades oriuntur. D.* V. *N. Sacrificia fiunt Ariſtis.* Longe aliter in vulgatis, quos conſules: mox idem MS. *F.* III. *N. Chiron oritur Coſmice: Stellificatio lyræ Chironis.* In edd. Chironis ortus Chronici adſcribitur V. Nonarum dein: *B.* VIII. *Id. Lemuria. Orion occidit eliace.* edd. *Lemuria celebrantur. Non eſt bonum nubere.* In iiſdem Orionis occaſus tribuitur VII. Id *D.* VI. *Id. Ultoris Martis. Coſmicus occaſus Orionis.* In edd. eſt *Martis Biſultoris.* Poſt MS. Plejadum ortum apponit Idibus, cum vulgati illum apponant II. Iduum. Sic MS. Feſtum Mercurii, Tauri ortum, & ſcirpea ſimulacra tribuit XVII. Kl. Junii: *E.* XV. *Kl. Junii. Agonia.* SOL IN GEMINIS. In vulgatis eſt: *Agonia Junii fiunt.* MS. *G.* XIII. *Kl. Canis oritur Erigonius. A.* XII. *Kl. Luſtra Vulcani.* Hæc in editis adſignantur XIV. & XIII. Kl. Junii. dein MS. *F.* VII. *Kl. Feſtum Fortunæ Publicæ. G.* VI. Kl. *Occid. Bootes. Fit ſacrificium pro fuga Tarquinii. A.* V. Kl. *Sydus Hyadis apparet Eliace. B.* IIII. Kl. *Aquila oritur.* Vide quam hæc abeant ab edito Kalendario.

His annectebantur iſta: *Geminis orientibus oritur Fluvius. Cetus. Orion. occidit autem Serpentarius uſque ad genicula.*

In Junio MS. *E.* Kl. *Junii Feſtum Carinæ* (perperam pro *Carnæ*) *& Conſecratio Templi JUN. Monetæ in Capitolio. F.* IIII. *N. Hyades videntur. Tempus pluvioſum & Feſtum Martis & Tempeſtatis Deæ.* Hæc Kalendis tribuunt editi, ut contra MS. II. *Non Feſtum Bellonæ*, at edi-

ti

ti III. *Non* de ipsis Nonis MS. *B. NON. Festum Fidii & Semipatris vel Sancti. C.* VIII. *Id. Malum est nubere. D.* VII. *Id. Feestum Mentis & Vestæ. & Asinorum, & Pistorum & Mularum. Arctophilax occidit.* I. *Bootes occulitur.* in vulgatis hæc pertinent ad VI. Id. qui & alia his addunt. Rursus MS. *G.* IIII. *Id. Festum Matrale & Fortunæ & Concordiæ. Lucifer oritur.* Editi: IV. *Id Matralia fiunt. Rutilius & Didius occiduntur. Templum Fortunæ Servius, Concordiæ Livia dedicavit.* MS. *C.* IDUS. *Festum Jovis Invicti & Minervæ & Quinquatria.* Non longe abeunt editi ab his. *D.* XVIII. *Kl. Thitone una Hyadum oritur. Festum Julii.* Sic MS. in editis ad hanc diem nihil notatur; sicut in MS. nihil ad XVII. Kl. cum in editis sit *Dione orta est Heliace in fronte Tauri*, sed hoc transfert ad XVI. Kal. in quo. F. XVI. Kal. *Dione apparet & Rapt.* XV. Kl. in MS. nihil additum habet. sed editi: Sol *in Cancrum. Pallas colitur in Aventina arce.* MS. *A.* XIV. *Kal. Orion oritur Chronice, & totus Delphin videtur.* In editis: *Secundus ventus. Orion oritur Heliace.* MS. *B.* XIII. *Kl.* SOL CANCRUM INGREDITUR. Editi tradunt hoc die Delphinum oriri chronice, & Æquos & Volscos fuisse victos, & solem ingredi Cancrum, quem solis in Cancrum ingressum jam ante illum notaverant ad XV. Kl. MS. *C.* XII. *Kl. Festum Summani Jovis.* Dein: *E.* X. *Kl. Flaminius victus fuit. Non est bonum bellare.* hoc IX. Kl. adscribunt editi. MS. *F.* IX. *Kl. Massinissa superavit Syphacem.* Id præcedenti diei IX. Kl. adponunt editiones. MS. *A.* VII. *Kl. Festum Fortis Fortunæ. Zona oritur.* Id in edd. VIII. Kl. celebratum esse scribitur. B. VI. Kl. nihil addit MS. Sed illo die in edd. dicitur Orion apparere inferius & Solstitium esse. MS. *C.* V. *Kl. Orion adspicitur. Solstitium. Templa facta sunt Laribus. Et Festum Jovis Statoris.* Hæc duo editi assignant VII. Kl. Sed ad V. *Kl.* nil addunt nisi *Laurum.* In MS. ad. IIII. Kl. nihil annotatur, sed in editis legis, *templum Quirino factum*, quod sequenti diei tribuit MS. *E.* III. *Kl. Templa constituta sunt Romulo. Natale Herculis. F.* II. *Kal. Natale Julii.* sed editi: *F.* II. *Kl. Festum Pieridum.* His supponitur in MS. *Cancro Oriente, oritur totus Orion & Lepus, & Fluvius. Occidit autem Corona. Piscis medius usque ad spinam. Serpentarius usque ad humeros. Serpens usque ad collum. Septentrionis custos* I. *Arctophylex absque modicum.* forte *usque ad umbilicum.* Hanc varietatem scripturæ, quam ex MS. excerpsi, quamvis vitiose alicubi scripto, nec ingratam futuram spero studiosis harum artium, nec inutilem Ovidio. Reliqui sex menses ut in Ovidio, sic & in hoc libro desiderantur.

Hoc Kalendarium sex mensium, quod ex Ovidianis Fastis fuit adornatum a non peritissimis hujus artis hominibus, unde multis scatet erroribus, sequitur vetus Kalendarium Romanum, circa tempora Constantii Imperatoris, Constantini Magni filii scriptum. Hoc primus edidit Ægidius Bucherius Atrebas, Vir Doctissimus in Commentario ad Victorini Aquitani Canonem Paschalem, ex schedis Heriberti Rosweeydi, quas ex vetustissima membrana descripserat. Eas Joannes Bollandus cum Bucherio communicarat. Membranaceus vero codex fuit Joannis Brenneri, qui Regio Senatui Luxemburgensi fuerat olim a secretis & actis, quem donaverat Affonvillio Regi Hispaniarum a privatis consiliis. Ei præfigebantur imagines mensium cum tetrastichis Ausonii. Sed in illo desiderabantur quinque menses, Januarius, Aprilis, Majus,

Junius, Julius. Sic & in ipſo Kalendario deerant quatuor menſes, Martius, Aprilis, Majus, Junius. Quæ omnia ex antiquiſſimo codice Bibliothecæ Cæſareæ ſupplevit Vir Clariſſimus, & mihi peramicus cum in vivis eſſet, Petrus Lambecius in Bibliotheca Cæſarea. Ex qua hæc excerpſimus cum Lambecii notis. In iis vir eruditiſſimus ait, dies Ægyptiaci qui paſſim occurrunt in hoc Kalendario, qui ſint, ſibi non liquere. Erant dies Ægyptiaci infauſti, in quibus nihil rei ſeriæ ſuſcipiebant ſuperſtitioſi homines, metu infelicis ſucceſſus: Latinis dicebantur Allienſes, Græcis ἀποφράδες. Id docet nos Auguſtinus in commentario in epiſtolas ad Galatas, ubi conqueritur de illa ſuperſtitione: *Jam vero ne aliquid inchoetur aut ædificiorum, aut ejuſmodi quorumlibet operum diebus, quos Ægyptiacos vocant, ſæpe etiam nos monere non dubitant.* Credibile eſt hoc nomen dies hos accepiſſe ab Ægyptiis, qui earum ſuperſtitionum, ut plurimarum aliarum fuerunt auctores. Hoc Kalendarium publicarat ante Bucherium, ſed ſine menſium imaginibus Joannes Georgius Herwart ab Hochenburg, Sereniſſimi Electoris Bavarici Cancellarius, aliis quoque ſcriptis celebris, quod & ſuo Uranologio inſeruit Dionyſius Petavius. Id non vidiſſe Bucherium miror, ſed ſuum mutilum pro inedito venditaſſe.

In menſe Julio ad prid. Non. legitur *Ludi in Mincia*. notat Lambecius in Joannis Raſſi Kalendario legi *in Numicia*, fateturque ſibi nondum liquere de hujus loci lectione. Mihi dubium eſt nullum legendum eſſe *in Minutia*. Sic dicebatur locus in IX. regione Urbis, in quo frumentum dividebatur populo, ut conſtat ex Sexto Ruſo, Victore, Lampridio, & aliis. Non magis autem mirum eſt, ludos in Minutia editos, quam editos eſſe ab Auguſto in Septis, in Comitio, & in ſingulis vicis, ut notum eſt ex Suetonio. Ultimum tetraſtichon Decembris valde vitioſum eſt, quamvis & in aliorum menſium elogiis menda non una deprehendatur. Legitur enim in Lambeciano libro:

*Annua ſulcatæ conjecta & ſemina terræ*
*Paſcit hyems.*

Quid notat ibi copula &? quid connectit? Intruſum eſt metri cauſſa. In catalectis veterum poetarum Scaligeri, ut & Petri Pithoei ſcribitur:

*Annua ſulcatæ conjecti ſemina terræ*
*Paſcit hyems*

In margine Pithœanæ editionis pro varia lectione apponitur, *cum jecit*: ſed utrumque caret ſententia commoda. Conjiciebam ego:

*Annua ſulcatæ concredita ſemina terræ*
*Paſcit hyems.*

Senſu quidem optimo, ſed non auſim tamen in me recipere horum tetraſtichorum auctorem uſum eſſe hac voce, quicunque is ſit. Vul-

gata nullius eſt rei. Incertum autem eſſe horum epigrammatum auctorem, Auſonius ne ſit, an quis alius, merito viri docti cenſuerunt. In catalectis tam Scaligeri, quam Pithœi leguntur ſine auctoris nomine. Itaque Scaliger in editione Auſonii, quam publicavit cum lectionibus Auſonianis, illa omiſit plane, quamvis habeantur in editione Vineti. Sed cujuſcunque ſint, elegantes ſane ſunt & Auſonio non indigni. In alio carmine in catalectis, ubi ſingulorum menſium pictura deſcribitur uno diſticho, de Aprili legimus:

*Sacra Dioneæ referens ſolennia matri*
*Laſcivus crotalis plaudit Aprilis ovans.*

Jam in pictura hujus menſis vides crotalorum quæ fuerit forma hactenus ignota, quamvis quem ediderint ſonum ex ciconia crotaliſtria, ut a Petronio dicitur, non erat obſcurum. De menſe Auguſto idem carmen, quod & ipſum Auſoniis poematibus inſeruit Vinetus:

*Auguſtum penitus torret Phætontius ardor*
*Quem recreat feſſum gello, ſaula, melo.*

Catalecta Scaligeri & Pithœi:

*Quem recreat feſſum gello, fabella, melo.*

Sed omnino legendum, ut ad Iſidori gloſſarium oſtendi:

*Quem recreat feſſum gillo, tabella, melo.*

*Tabella* eſt flabellum ad ventum faciendum, ut apud Ovidium. *Gillo* eſt vas, unde bibitur. Omnia tria vides in imagine menſis. Nam flabellum oſtendit cauda Pavonis, gillonem vas illud unde bibit, melones vides adjacentes. Sed in præcedente verſu etiam eluere maculam hac occaſione quæ invidia?

*Quintilis menſis Cereali germine gaudens*
*Julius a magno Cæſare nomen habet.*

*Menſis* hic valde friget. In antiquioribus libris procul dubio fuit *meſis*, quod ſcribæ & correctores exiſtimarunt ſcriptum eſſe pro *menſis*, ſicut in Kalendario antiquo, ſuperius ſcriptum vides: ſed hic decepti ſint depravata ſcriptura. Omiſerant oſcitantes ſcribæ alteram litteram ſibilantem. Scripſit enim auctor carminis:

*Quintilis meſſis Cereali germine gaudens.*

*Meſſis Cereale Germen* fruges ſunt maturæ ad meſſem. Si codices annuerent, mallem *Cereali munere*. Sed nihil tamen muto. Hæc antiqua Kalendaria duo recentiora excipiunt a noſtrorum temporum hominibus concinnata, Thoma Demſtero, & Dionyſio Petavio. Vides po-

ſtea Petri Gaſſendi expoſitionem Romani Kalendarii, quem excipit libellus rariſſimus & elegantiſſimus Petri Violæ de veteri novaque temporum ratione, qui prodierat Venetiis cIↄ.Iↄ. XXXVI. Sane hunc libellum ignoravit Geſnerus, Philippus Labbeus ut ex indicibus bibliothecæ antiquariæ conſtat, & Nicolaus Heinſius, qui in hujus inprimis notæ libris conquirendis multum ſtudii & magnos ſumtus in omni Europa peragranda impenderat Poſt hunc videbis Hadriani Junii pereruditum commentarium de annis & menſibus, & ſcriptores aliquot de anno Romano, ut Lalamantium, Jacobum Chriſtmannum, Joſephum Scaligerum, Dionyſium Petavium, Samuelem Petitum, Wilhelmum Langium. Qui omnes in vera Romani anni ratione indaganda deſudarunt. In explicando loco Livii, qui eſt lib. I. cap. 20. de anno Numæ, quomodo ſe fatigarint viri docti, ex diſſertationibus Scaligeri, Petavii, & Petiti cognoſces. Sed recte vidit Vir magnus, Joannes Fridericus Gronovius, Obſervat. II. 18. Numam imitatione Græcorum triplicem octaeterida, ſive orbem viginti quatuor annorum conjunxiſſe. Ut enim curſui Solis reſponderet Lunaris CCCLIV. dierum, addebantur Lunari intra octennium dies LXXX. Illi deſcribebantur in quatuor menſes mercedonios, ſive intercalares, quorum duo erant binum, duo ternum & viginti dierum; idque fiebat poſt quodque biennium, ut modo paris, modo imparis numeri menſes interponerentur. Quia vero propter acceſſionem diei unius, & numerum cujuſque anni imparem, quot octo annis octo dies ipſi erant ſuperflui, tertia quaque octaeteride non nonaginta, ſed ſex & ſexaginta intercalari inſtituit Numa, ut adhiberet illos quatuor & viginti dies, qui tribus octenniis, ſeu quatuor & 20. annis ſupra cujuſque octennii nonaginta dies provenerant. Annus igitur quartus demum & viceſimus, vel cyclus quatuor & viginti annorum poſt perpetuas intercalationes dierum ad juſtum modum menſis intercalaris, ſolem & lunam reduces habebat ad eandem metam, ad eoſdem carceres, & ſic ſolarem & lunarem annum æquantes novum auſpicabantur. Hæc eſt ſententia doctoris mei, nunquam ſine laude commemorandi, quam pluribus exequitur in loco laudato, rejectis commentis Scaligeri, Petiti & aliorum, quibus ſibi & aliis impoſuerunt. Habes autem, mi lector, poſt hos, qui de Romano anno ſcripſerunt, etiam Erycii Puteani de Biſſexto librum, quem novam temporis Faculam inſcripſit. Dein tibi occurret Petri Taffini Audomarenſis de veterum Romanorum anno ſeculari non indocta lucubratio, & poſt hunc ejuſdem Puteani de nundinis Romanis commentario, quam novam Faſtorum faculam inſcripſit. Illi ſubtexitur de eodem argumento Gregorii Toloſani ſyntagma. Quod excipit Joannis Baptiſtæ Belli Diatribe perrara de Pharſalici conflictus menſe & die. Sequuntur tum, qui hos omnes libros, quos poſt Wilhelmum Langium recenſui, debebant antecedere, Petri Moreſtelli de triplici anno Romanorum, menſibus, eorumque partibus, deque die civili & diverſitate dierum libri quinque; quibus accedit de feriis Romanorum liber, qui & ipſi libri non in multorum manibus verſati ſunt ad hunc uſque diem. Hi ſunt, qui de faſtis, anno & feriis Romanorum aliquid memoriæ prodiderunt, quos huic Theſauro cenſuimus intexendos.

Sequun-

# PRÆFATIO.

Sequuntur nunc alius argumenti dissertationes. Prima est Bulengeri, de tributis & vectigalibus Populi Romani; altera Vincentii Contareni, qui Patavii politioris litteraturæ doctorem egit in initio fere hujus seculi, cujus etiam habemus variarum lectionum libellum, de frumentaria largitione, tertia Joannis Schefferi de novis tabulis dissertatio. His subjiciuntur Barnabæ Brissonii de jure connubiorum, Francisci Hottomanni de sponsalibus, & veteri ritu nuptiarum, ut & jure matrimoniorum ac de spuriis & legitimatione lucubrationes. Ultimi qui hunc tomum claudunt, sunt Joannes Meursius & Stanislaus Kobierzyckius de luxu Romanorum, qui primo illorum rempublicam, postea imperium corrupit & perdidit, ut & Joannis Maderi de coronis sacris & profanis libellus. Vale Lector Benevole.



# Series Scriptorum

## Quæ in octavo Tomo Thesauri Antiquitatum Romanarum inveniuntur.


*Vetus Kalendarium Romanum, e marmore descriptum in Ædibus Maffeorum ad Agrippinam, in tabula marmorea, superne fracta.* pag. 1
Petri Ciaconii Toletani *notæ in Vetus Romanorum Kalendarium.* 15
Fulvii Ursini *notæ ad Kalendarium Rusticum Farnesianum.* 21
*Kalendarii fragmentum, quod visitur in Ædibus Capranicorum.* 29
Sibrandi Siccamæ *Commentarius in Fastos Kalendares Romanorum.* 33
*Aliud vetus Kalendarium, quod in libris antiquis præfigitur Fastis Ovidii.* 89
Kalendarium *Romanum sub Imp. Constantio, Imp. Constantini Magni filio, circa annum Christi* CCCLIV. *compositum, & Valentino cuidam dedicatum.* 97
Lambecii *notæ in Kalendarium vetus.* 103
Thomæ Demsteri *Kalendarium Romanum.* 115
Dionysii Petavii *Kalendarium vetus Romanum, cum ortu occasuque stellarum.* 125
Petri Gassendi *Kalendarium Romanum compendiose expositum.* 139
Petri Violæ Vicetini *de Veterum novaque Romanorum temporum ratione libellus.* 165
Hadrianus Junius *de Annis & Mensibus.* 199
Hadriani Junii *Fastorum Liber.* 229
Joannes Lalamantius *de Anno Romano.* 259
M. Jacobus Christmannus *de Kalendario Romano.* 285
Franciscus Robortellus *Utinensis de Mensium appellatione ex nominibus Impp.* 305
Josephus Scaliger *de Veteri anno Romanorum.* 307
Dionysius Petavius *de veteri anno Romanorum.* 325
Samuelis Petiti *Eclogæ Chronologicæ de Anno & Periodo veterum Romanorum.* 371
Wilhelmus Langius *de vetere Anno Romanorum.* 397
Erycii Puteani *de Bissexto liber, nova temporis Facula, qua intercalandi arcana, hactenus obscura, illustrantur.* 419
Petrus Taffinus *de veterum Romanorum Anno seculari, ejusque potissimum per ludos Seculares celebritate, eorumque Chronologia.* 466
Erycii Puteani *de Nundinis Romanis liber, nova Fastorum velut Facula.* 641
E Georgii Tholosani *Syntagmate Juris, de Nundinis & Mercatibus.* 697
Joannis Baptistæ Belli *Diatriba de Pharsalici conflictus Mense & Die.* 705
Petri Morestelli *Philomusus, sive de triplici anno Romanorum, Mensibus eorumque partibus, deque Die civili & diversitate dierum, libri quinque.* 632
——— *Alypius, sive de Priscorum Romanorum Feriis liber.* 789
Julius Cæsar Bulengerus *de Tributis ac Vectigalibus Populi Romani.* 819
Vincentii Contareni *de Frumentaria Romanorum Largitione liber.* 923

Joannis Schefferi *Agrippa liberator, sive Dissertatio de novis Tabulis*. 975
Barnabas Brissonius *de Ritu Nuptiarum & jure Connubiorum*. 1007
Antonii Hotmani, J. C. *de Veteri Ritu Nuptiarum observatio*. 1107
——— *de Sponsalibus, de Veteri Ritu Nuptiarum, & jure Matrimoniorum, item de Spuriis & Legitimatione*. 1145
Joannes Meursius *de Luxu Romanorum*. 1215
Stanislai Kobierzykii *de Luxu Romanorum commentarius*. 1251
Joachimi Joannis Maderi *de Coronis, Nuptiarum præsertim, sacris & profanis libellus*. 1403



# VETUS
# KALENDARIUM
# ROMANUM,
## E MARMORE DESCRIPTUM
## IN
## ÆDIBUS MAFFÆIORUM
## AD
## AGRIPPINAM

In tabula marmorea, ſuperne fracta.

# VETUS KALENDARIUM ROMANUM,
## E MARMORE DESCRIPTUM
## IN
## ÆDIBUS MAFFÆIORUM
## AD
## AGRIPPINAM

In tabula marmorea, ſuperne fracta.

A. K. IAN. F
B F
C C
D C
E NON. F
F F
G C
H C
A AGON
B EN
C CAR. NP
D C
E EID. NP
F EN DIES. VITIOS. EX. S. C.
G CAR
H C
A C
B C
C C
D C
E C
F C
G C
H C
A C
B C
C C
D C
E F
F N
G C
XXXI

H. K. FEB. N
A N
B N
C N
D NON
E N
F N
G N
H N
A N
B N
C N
D EID. NP
E N
F LVPER. NP
G E N

H QVIR. NP
A C
C
B C
C C
D FERAL. F
E C
F TER. NP
G REGIF. N
H C
A E N
B E Q. NP
C C
XXIIX
D

D. K. MAR. NP
E F
F C
G C
H C
A NP HOC. DIE. CAESAR. PONTIF. MAX. FACT. EST.
B NON. F
C F
D C
E C
F C
E
G C
H EN
A EQ. NP
B EID. NP
C F
D LIB. NP
E C
F QVIN. N
G C
H C
A N
B TVBIL. NP
C Q. REX. C. F
F
D C
E C
F NP HOC. DIE. CAESAR. ALEXAND. RECEPIT
G C
H C
A C
B C
XXXI

C. K. APR. N
D C
E C
F C LVDI MATRI. MAG.
G NON. LVD
H NP LVDI
A N LVDI
B N LVDI
C N LVDI
D N LVD. IN. CIRC
E N
F N LVDI. CERERI
G EID. NP LVDI
H N
A FORD. NP LVDI
B N LVDI
C N LVDI
D N LVDI
E CER. N. LVDI. IN CIRCO
F N
G PAR. NP
H N
A VIN
B C
C ROB. NP
D F
E C
F NP LVD. FLOR
G C LVDI
H C LVDI
XXX

A. K. MAI. N
B F COMP
C C
D C
E C
F C
G NON N
H F
A LEM. N
B C
C LEM. N
D NP LVD. MART. IN. CIRC
E LEM. N
F C
G EID. NP
H F
A C
B C
C C
D C
E AGON NP
F N
G TVB NP
H Q. REX. C. F
A C
B C
C C
D C
E C
F C
G C
XXXI

H. K. IUN. N
A F MART. CAR. MONET
B C
C C
D NON
E N
F N
G N MENTI. IN. CAPIT

A H VEST. NF PR.
A N T
B MAR. N
C N
D EID. N
E N
F Q. ST. D F
G C
H C
A C
B C
C C
D C
B E C
F C
G C
H C
A C
B C
C C
D F
E C
XXX

F. K. IVL. N
C G N
H N
A NP
B POPLIF. NP
C N LVDI. APOLLIN.
D NON. N LVDI
E N LVDI
F N LVDI
G C LVDI
H C LVDI
A NP LVDI
B C LVD IN. CIR.
C C MERK.
D D EID. NP MERK.
E F MERK.
F C MERK.
G C MERK.
H LVCAR. NP MERK.
A C LVD. VICT. CAESAR.
B LVCAR. LVD
C C LVDI
D NEPT. LVDI
E N LVDI
F FVRR. NP LVDI
G C LVDI
E H C IN CIRC.
A C IN CIRC.
B C IN CIRC.
C C IN CIRC.
D C
XXXI

E. K. AVG. N
F C FER. HOC. DIE. C. CAESAR. VICIT. HISP.
G C
H C
A NON. F
F B F
C C
D C
E NP HOC. DIE. CAESAR. HISPALIM. VIC.
F C
G C
H C
A EID. NP
B F
C C
D C

E PORT. NP
F C
G VIN. F. P.
H C
A CONS. NP
B EN
C VOLC. NP
D C
E OPIC. NP
F C
G VOLT. NP
H NP H. D. ARA. VICTORIAE. IN. CVRIA. DE-
A F DIC. EST.
B F
C C
XXX

D. K. SEPT. N. HOC. DIE. FER. NEP.
E N
F NP
G C LVDI. ROMANI
H NON. F. LVDI
A F LVDI
B C LVDI
C C LVDI
D C LVDI
E C LVDI
F C LVDI
G N LVDI
H EID. NP
A F. F. EQVOR. PROB.
B LVD. ROM. IN. CIRC.
C C IN CIRC.
D C IN CIRC.
E C IN CIRC.
F C IN CIRC.
G C MERK.
H C MERK
A C MERK.
B NP MER
C C H. D. AVGVSTI. NATALIS. LVD. CIRC.
D C
E C
F C
G C
H F
A C
XXX

B. K. OCT. N
C F
D C
E C
F C
G C
H NON. F
A F
B C
C C T
D MEDIR.
E AVGVST. NP
F FONT. NP
G EN
H EID. NP
A F
B C
C C
D ARM. NP
E C
F C
G C
H C
A C

A | B C
C C
D C LVD. VICT.
E C LVDI
F C LVDI
G C LVDI
H C
XXXI

A. K. NOVEM. N
B
C
D
B | E NON. F
F F LVDI
G C LVDI
H C LVDI
A C LVDI
B C LVDI
C C LVDI
D C LVDI
E EID. NP. EPVL. INDICT.
F F EQVOR. PROB.
G C LVD. PLEB. IN. CIRC.
H C IN. CIRC.
A C IN. CIRC.
C | B C MERK.
C C MERK
D C MERK.
E C
F C
G C
H C
A C
B C
C C
D C
E F
D | F C
XXX

G. K. DEC. N
H
A
B
C NON. F.
D
E C
F C
G C
H C
A AGON. NP
B EN
E | C EID. NP
D F
E CONS. NP.
F C
G SAT. FERIAE. SATVRN.
H C
A OPAL. NP
B C
C DIV. NP
D C
E LAR. NP
F C
F | G C
H C
A C
B C
C F
D F
E C
XXXI

# KALENDARII ROMANI
# EXPLICATIO.

F. *Fastus dies.*
C. *Comitialis.*
N. *Nefastus.* NP

## JAN.

NON. *Nonæ.*
AGON. *Agonalia.* Ovidius.
EN. *Endotercisus, pro Intercisus.*
CAR. *Carmentalia: quod sacra tum & feriæ Carmentis.* Varro.
EID. *Idus.*

## FEBR.

LVPER. *Lupercalia: quod in Lupercali Luperci sacra faciunt.* Varro.
QVIR. *Quirinalia: a Quirino, quod huic deo feriæ.*
FERAL. *Feralia: ab Inferis, & Ferendo, quod ferunt tum epulas ad sepulcrum, quibus jus ibi parentare.*
TER. *Terminalia: quod is dies anni extremus constitutus. duodecimus enim mensis fuit Februarius.*
REGIF. *Regifugium.* Ovidius. *Quamquam est inter Ovidium & Kalendarium, de Die Regifugii controversia. ille enim assignat ei Februarii diem* XXIII. *in Kalendario autem video ad* XXIV. *esse appositum. Nec sane, si modo Regifugii dies* N *fuit, videtur esse potuisse die* XXIII. *hoc est, Terminalibus, qui* NP *dies fuit. alioqui dies idem &* NP *&* N *fuisset.*
EQ. *Equiria.* Varro, Festus, Ovidius.

## MART.

LIB. *Liberalia.* Varro.
QVIN. *Quinquatrus.* Varro.
TVBIL. *Tubilustrum: quod eo die in Atrio sutorio sacrorum Tubæ lustrantur.* Varro lib. v. Ovidius lib. 3. & v. Fast. & Festus.
E Q. REX. C. F. *Quando Rex Comitiavit, Fas.* Varro, Festus, Scaliger in Festi castigationibus.

*In Fastis marmoreis, qui exstant Romæ, invenio bis notatum hunc diem,* IX. *Kal. April. item* IX. *Kal. Junii. Nemo, quod sciam, explicavit, quis esset mos hujus diei, qui ritus, quæ antiquitas. Sciendum, Regi sacrorum neque magistratum gerere, neque verba ad populum habere fas fuisse. Propterea in Comitium ire illi non licebat, nisi hoc die, qui notatus est in Fastis. Ibat enim in Comitium sacrificii caussa; quo properanter patrato protinus fuga se e Comitio proripiebat. Plutarchus:* Εςι γᾶρ τις ἐν ἀγορᾷ θυσία ἐν τῷ λεγομένῳ Κομιτίῳ πάτριος, ἣν θύσας ὁ βασιλεὺς κατὰ τάχος ἄπεισι φεύγων ἐξ ἀγορᾶς. Fit in Foro, in Comitio, quod dicitur, sacrificium secundum morem patrium: quod cum fecit Rex, celeriter aufugit ex Foro. Varro: Dies, qui vocatur sic, *Quando Rex Comitiavit, Fas,* dictus ab eo, quod eo die Rex sacrificulus dicat ad Comitium. *Si a docto viro quæram, quid sit,* dicere ad Comitium, *sane non agnoscet Latinum hoc genus loquendi. Et profecto ineptum est. Legendum enim,* Itat ad Comitium. *Ita loquitur alibi:* Milites appellant, quod itent, uti milites, cum ferro. *Quare ob id aliter notas, quæ legebantur in Fastis, interpretabantur:* Q. R. C. F. Quando Rex Comitio Fugit. *Quod Ovidius manifesto nos docet:*

B

> Quattuor inde notis locus est: quibus ordine lectis,
> Vel mos sacrorum, vel fuga Regis inest.

*Utrumque enim complexus est:* Quando Rex Comitiavit, Fas. *hic enim est mos sacri, quod faciebat in Comitio.* & Quando Rex Comitio Fugit. *Tangit enim fugam Regis e Comitio.* Plutarchus: ἄπεισι φεύγων ἐξ ἀγορᾶς. *Quid certius hoc testimonio? At Paulus: Quando rex sacrificulus divinis rebus perfectis in Comitium venit. Immo, quando rebus divinis perfectis abit e Comitio. Quare ejus commenticiæ* C *caussæ in ruderibus Festi ne vestigium quidem apparet. At quid ajunt dicti viri, Ovidium ignorasse, quid sibi vellent illæ litteræ singulares? Quasi fas sit doctissimum poetam ignorare, quod formularios, legulejos, litigantes, ac minimos quosque de fæce Numæ scire oportuit. Nam de Regifugio ipsum non intellexisse testis erat ipsemet, qui de eo in mense Februario ante tractaverat.*

## APR.

CIRC. *Circenses.*
D FORD. *Fordicidia: a Fordis bubus. Bos forda, quæ fert in ventre, quod ea die publice immolantur boves prægnantes in Curiis complures. a Fordis cædendis Fordicidia dicta.* Varro l. v. Ovid. l. 4.
CER. *Cerealia.* Varro.
PAR. *Parilia: a Pariendo, ut ait Victorinus Afer. Alii, Palilia, a Pale, quod eo die Feriæ ei deæ fiunt.* Varro lib. v. Ovidius lib. IV. Fast. Festus in verbo *Pales* & *Parilibus.* Tibullus El. 6. lib. 2. Propertius.
VIN. *Vinalia: a Vino.* Varro.
ROB. *Robigalia. dicta ab Robigo. secundum segetes huic Deo sacrificatur, ne rubigo occupet segetes.* E Varro.
FLOR. *Floralia.* Ovidius, Plinius.

## MAJ.

COMP. *Compitalia.*
LEM. *Lemuria.* Varro, Ovidius.
LVD. MART. IN CIRC. *Ludi Marti In Circo.* Ovidius.

## JUN.

MART. CAR. MONET. *Marti, Carnæ Deæ, Monetæ Junoni.* Macrobius, Ovidius.
F IN. CAP. *In Capitolio.*
VEST. NF. PR. *Vestæ, Nefas Prætori.*
MAR. *Matri Matutæ.* Ovidius.
Q. ST. D. *Quando Stercus Defertur.* Varro, Festus, Ovidius.

## JUL.

POPLIF. *Poplifugium, pro Populifugium.*

APOLLIN. *Apollinares*.
MERK. *Merkatus*.
VICT. CAESAR. *Victoria Cæsaris*.
NEPT. *Neptunalia*.
FVRR. *Furinalia*.

A U G.

FER. *Feralia*.
HISP. VIC. *Hispaniam vicit*.
PORT. *Portumnalia*.
VIN. F. P. *Vinalia*. *Fas Prætori*. Varro, Plinius.
CONS. *Consualia*. Plutarchus.
VOLC. *Volcanalia*. Varro.
OPIC. *Opiconsiva*. Varro.
VOLT. *Volturnalia*. Varro.
H. D. ARA. VICTORIAE. IN. CVRIA. DEDIC. EST. *Hoc Die Ara Victoriæ In Curia Dedicata Est*.

S E P T.

FER. NEP. *Feriæ Neptuno*.
F. EQVOR. PROB. *Feriæ Equorum Probandorum*. Valerius Max. lib. II.
LVD. CIR. *Ludi Circenses, in Augusti die natali*. Suetonius, Dio.

A

B

O C T.

T

MEDIR. *Meditrinalia; a Meditrina Dea*. Varro.
AVGVST. *Augustalia*.
FONT. *Fontinalia*. Varro.
ARM. *Armilustrum*. Varro.

N O V.

EPVL. INDICT. *Epulum Indictum*.
LVD. PLEB. IN. CIRC. *Ludi Plebeii In Circo*. Suetonius.

D E C.

AGO. *Agonalia*.
SAT. *Saturnalia*. Macrobius.
OPAL. *Opalia*. Varro, Macrobius.
DIV. *Divalia*. *Divæ Angeronæ dies festus*. *Is dies a* Varrone lib. 5. de ling. Lat. *appellatur* Angeronalia, ab Angerona, cui sacrificium fit in curia. Macrob. Saturn. I. XII. Kalend. Jan. feriæ sunt divæ Angeroniæ, cui Pontifices in sacello Volupiæ sacrum faciunt.
LAR. *Larentinalia*. Varro, Ovidius, Plutarchus.


F I N I S.



# ANTIQUARUM RERUM STUDIOSIS OMNIBUS BENEDICT. ARIAS MONTANUS S.



Uperiori anno mihi Romæ agenti Petrus Thſaconius Toletanus inter alios amicos contigit, inſigni pietate ac probitate vir, & omni diſciplinarum genere ad miraculum uſque inſtructus, Græcæ atque Latinæ linguæ, ut ſi quis maxime mortalium peritus; cujus ego tum diuturna ac veteri amicitia uſus, tum ſuaviſſima conſuetudine in omni ſtudiorum meorum parte adjutus antea ſæpe fueram. Is mihi Romanæ illius amplitudinis veſtigia fere innumera viſere cupienti dux & index certiſſimus atque interpres doctiſſimus perpetuo fuit. Inter alia vero, quæ conſpectu cognituque gratiſſima obtigere, una Romanorum Faſtorum marmorea tabella me ſummopere oblectavit, Romanis literis inciſis exarata; quam ex multis fragmentis, quæ inveniri forte potuerant, S. P. Q. R. in Capitolii recens reſtituti muro fere totam concinnandam, affigendamque curavit: tantæ, ut mihi quidem videtur, ad illud ſtudii genus utilitatis, ut affirmare auſim in humanioribus litteris majus tum eruditionis, tum variæ hiſtoricæ ac poeticæ lectionis compendium, a me nuſquam fuiſſe repertum. Quam ob rem Thſaconium meum orare atque obſecrare cœpi, ut tabulam illam ad ſtudioſorum uſum inſtituta commentatione idem ipſe explicaret, utpote qui propter ſummam antiquitatis cognitionem, & ſapienter de dubiis rebus diſſerendi ac judicandi facilitatem id egregie præſtare valeret: ſed quia idem majore modeſtia, & ſua ipſius contemptione præditus eſt quam eruditione; quæ tamen ſumma in illo cognoſcitur, id omnino negavit ſeſe ſuſcepturum, tantumque poſtulanti mihi pollicitus eſt brevem notarum interpretationem a ſe memoriæ meæ juvandæ cauſa deſcribendam: quam etiam poſt multos menſes importune efflagitatus, tandem ad nos his proximis diebus miſit. Eam ego quum primum accepi, ſtudioſorum omnium promotori Plantino oſtendi; qui cum ſummopere laudaret; & ex unguibus, quod ajunt, leonem, hoc eſt, ex hac brevi expoſitione Thſaconii ingenium, eruditionem & judicium cognoſceret, æneis typis excudere conſtituit, ut hoc in ſpeciem quidem exiguo, virtute autem permagno munere, humaniora ſtudia juvaret; ſimul etiam ut hac, ut ipſe ajebat, improbitate noſtra Thſaconium provocaret, ac veluti cogeret, vel invitum, ad plura, atque majora hujus totius argumenti explicandi cauſa ſcribendum, utpote quem non paſſurum eſſe arbitraretur, adeo exiguo apparatu ſub ipſius nomine expoſito, inſignem hanc & præclaram Faſtorum ſtructuram exornatam prodire, quin idem ipſe illuſtri commentatione, & varia veterum lectione, atque plurimarum ſcituque digniſſimarum rerum, quibus ipſe abundat, copia ditaret. Ego vero, tantum abeſt, ut Plantino de hac re averſarer, ut etiam ultro ſtudioſorum cauſa conceſſerim, dummodo vel ab ipſo, vel a me conſcripta præfatione conſtaret, opus hoc non ſolum invito, verum etiam inſcio prorſus Petro Thſacone in lucem prodiiſſe. Quod ſi quid in hac parte peccatum eſſe videatur, id tua, Lector, cauſa a nobis eſt admiſſum: quod ut vel hoc ipſo nomine boni conſulas, te oro atque obſecro. Antverpiæ 14. Cal. April. Anno 1574.


COL
VALERI RIMAV ILII
EXPOLIENDVM ETPINGENDVM NTO
TABVLIS PICTIS ETM IAST LIBERT
COM

# PETRI THSACONII TOLETANI
## *NOTÆ*
## IN VETUS
# ROMANORUM KALENDARIUM



IN hoc Kalendario, quod Augusti tempore incisum fuit, Fasti præcipue dies & Nefasti Festique notati sunt. His accesserunt minutioribus litteris Ludorum dies, aliæque Feriæ in C. Cæsaris & Augusti honorem institutæ. Fasti vero & Nefasti dies, hoc est, quibus fas erat vel non erat Prætori fari tria illa verba solemnia, *Do*, *Dico*, *Addico*, aut erant Fasti toti, aut Nefasti toti, aut Fasti prima, media, vel postrema parte diei, reliqui vero Nefasti. Nefasti toti N. littera notantur: Fasti toti F. Fasti prima parte F. P. quæ C notæ Fastos prima parte designant. Fasti media parte EN, quibus significatur *Entercisi* (sic enim antiqui scribebant pro *Intercisi*) dictique inde sunt, quod esset intercisum nefas, ut scribit Varro lib. de ling. Latin. 5. Fasti vero posteriore parte his litteris notantur NP, hisque significantur Nefasti prima parte; nam iidem erat Fasti postrema. Horum trium posteriorum sic meminit Servius lib. 6. Æneid. *Item lectum est, Deos aliquoties tantum Kalendis,* B *aliquoties Idibus vaticinari: nonnunquam diei vel prima, vel media, vel postrema parte: unde est in jure fissus dies, id est, non totus religiosus.* Fit item mentio eorum licet obscurior in tribus Festi fragmentis in *Nefastus*, in *Regifugium*, in *Quando Rex Comitiavit, Fas*. Ovid. lib. 1. Fast.

*Nec toto perstare die sua jura putaris,*
*Qui jam Fastus erit, mane Nefastus erat.*

Litteræ A, B, C, D, E, F, G, H, quarum serie totum conteritur Kalendarium, dies Nundinarum demonstrabant, & præter hæc inter Fastos ideo referebantur, quod lege Hortensia omnes Nundinæ Fastæ erant, ut ex Granio Liciniano refert Macrobius. C vero littera Comitiales dies notantur, per quos solum Comitia haberi licebat. Ea vero ratione hi dies inter Fastos connumerantur, quod cum Comitia non haberentur, Fasti essent. de his duobus ita in Ovid. lib. 1. Fast.

*Est quoque quo populum fas est includere septis;*
*Est quoque qui novo semper ab orbe redit.*

---

### JANVAR.

K. JAN. F. *Kalendæ Januarii, Fastus*. Ovidius.
NON. F. *Nonæ, Fastus*.
AGON. *Agonalia*. Varro lib. 5. Ovid. 1. Fast. Festus Pomp.
EN. *Entercisus, hoc est, intercisus*. Varro lib. 5.
CAR. NP *Carmentalia, Nefastus prima parte*. Varro lib. 5. 5.
EID. NP *Idus, Nefastus prima parte*.
DIES VITIOS. EX. S. C. *Dies Vitiosus Ex Senatusconsulto*.

### FEBRVAR.

D. FEB. N. *Kalendæ Februarii, Nefastus*.
LVPER. *Lupercalia*. Varro lib. 5. Ovidius 2. Servius.
QVIR. *Quirinalia*. Varro lib. 5. Ovid. 2.
FERAL. *Feralia*. Varro lib. 5. Ovid. 2. Macrobius.
TER. *Terminalia*. Varro lib. 5. Ovid. 2. Macrob.
REGIF. *Regifugium*. Festus, Ovid. 2.
EQ. *Equiria*. Varro, Festus, Ovid. sunt & mense Mart.

### MARTIVS.

HOC. DIE. CÆSAR. PONTIF. MAXIM. FACT. EST. *Hoc Die Cæsar Pontifex Max. Factus est*. Ovid. 3.
LIB. *Liberalia*. Varr. 5. Ovid. 3. Festus.
QVIN. *Quinquatrus*. Varro 5. Ovid. 3. Festus.
TVBIL. *Tubilustrium*. Varro 5. Ovid. Fest. est & mense April.
Q. R. C. F. *Quando Rex Comitiavit, Fas*. Varro 5. Fest. est & April.

### APRILIS.

LVDI. MATR. MAG. *Ludi Matris Magnæ, hoc* E *est, Megalesia*. Ovid. 4. Cicero, Livius, Festus.
LVD. IN. CIR. *Ludi In Circo, hoc est, Ludi Circenses*.
FORD. *Fordicidia*. Varro 5. Ovid. 4. Festus.
CER. *Cerealia*. Varro. 5. Ovid. 4.
PAR. *Parilia, quæ & Palilia*. Varr. Ovid. Festus.
VIN. *Vinalia*. Varro, Ovid. Fest. sunt & mense Augusti.
ROB. *Robigalia*. Varro, Ovid. Plinius, Festus.
LVD. FLOR. *Ludi Florales*. Varro, Ovid. Plinius. F

### MAJVS.

LEM. *Lemuria*. Ovid. 5. Porphyrius in Horatium.
LVD. MAR. IN. CIR. *Ludi Martiales in Circo*. Suet. in Claudio, Dio lib. 56.

### JVNIVS.

MENTI. IN. CAP. *Menti in Capitolio sacrificium fit*. Livius lib. 22. & 23.

VEST. N. FER. *Vestalia, Nefastus. Feriæ Vestæ*, Varro, Ovid. Festus. A

T

MAR. *Matralia*. Varro lib. 4. Ovid. 5. Festus.

Q. ST. D. F. *Quando Stercus Delatum, Fas*. Varro, Festus.

POPLIF. *Poplifugium*. Varro 5. Plutarch. in Romulo, Macrob.

JULIUS.

LUD. APOLLIN. *Ludi Apollinares*. Livius lib.

MERK. *Mercatus*.

LUCAR. *Lucaria*. Fest. Macrob.

LUDI. VICT. CAES. *Ludi Victoriæ Cæsaris*. Sueton. in Augusto. B

NEPT. *Neptunalia*. Varro 5.

FURR. *Furrinalia, sive Furinalia*. Varro, Festus.

AUGUSTUS.

HOC. DIE. *In fragmento alterius Kalendarii est:* Feriæ, quod hoc die Imperator Cæsar Hispaniam

CIT.

citeriorem vicit. *quæ etiam hic scripta erant, cum sit*, CIT. VICIT.

HOC DIE. *Hoc die Cæsar Hispalim Vicit*. Hirtius. Sueton. Dion. C

PORT. *Portumnalia*. Varro. 5.

VIN. F. P. *Vinalia, Fastus prima parte*.

CONS. *Consualia*. Varro, Festus. sunt & mense Decemb.

VOLC. *Volcanalia*. Varro, Festus, Columella.

OPIC. *Opiconsiva*. Varro, Fest. Macrobius.

VOLT. *Volturnalia*. Varro, Fest. Plinius.

HOC DIE ARA. *De hac ara Victoriæ dedicata* Dio lib. 51. Herod. 7.

SEPTEMBER.

LUDI ROMANI. *De his Livius lib.* 1.

EQUOR. PROB. *Equorum Probatio. meminit hujus diei* Valerius Max. lib. 11. cap. IX. est & mens. Oct.

AUGUSTI. NATA. *Augusti Natali*. Dio lib. 54. Suet. August.

OCTOBER.

T

MEDIR. *Meditrinalia*. Varro 5. Festus.

AUGUST. *Augustalia. dies reditus Augusti*. Dio lib. 56. & 58.

FON. *Fontinalia*. Varro 5. Festus.

ARM. *Armilustrium*. Varro 5. Festus.

LUDI. VICT. *Ludi Victoriæ. hi a Sylla fuerunt instituti bello civili*. Asconius Verrin. 2. Valer. Max. lib. 2.

NOVEMBER.

EPUL. INDICT. *Epulum Indictum*. de Epulo locus in Capitol. Livius lib. 5. Lampridius in Alex.

LUDI. PLEB. IN. CIR. *Ludi Plebeii In Circo*. Asconius Verrin. 1.

DECEMBER.

SAT. FE. *Saturnalia, Feriæ Saturno*. Varro, Festus, Macrobius.

OPAL. *Opalia*. Varro 5. Festus.

DIV. *Divalia*. *Divæ Angeroniæ festa*. Festus, Macrobius.

LAR. *Larentinalia*. Varro, Festus, Plutarchus.

# FINIS.

# KALENDARIUM RUSTICUM

*IN*

BIBLIOTHECA FARNESIANA.

*ET*

FULVII URSINI NOTÆ

*AD*

KALEND. RUSTICUM FARNESIANUM.

I. MENSIS I. MENSIS I. MENSIS
IANVAR FEBRVAR MARTIVS
DIES. XXXI. DIES XXXIII DIES. XXXI
NON. QVINT NON QVINT. NON. SEPTIMAN
DIES HOR. VIIIIS DIES HOR. XS DIES HOR. XII
NOX HOR. XIIII NOX HOR XIII NOX HOR. XII
SOL SOL. AQVARIO AEQVINOCTIVM
CAPRICORNO TVTEL. NEPTVNI VIII. KAL. APR
TVTELA SEGETES SOL PISCIBVS
IVNONIS SARIVNTVR TVTEL. MINERVAE
PALVS VINEARVM 2 VINEAE PEDAMEN
AQVITVR 2 SVPERFIC COLIT IN PASTINO
SALIX HARVNDINES PVTANTVR
HARVNDO INCENDVNT TRIMESTR SERITVR
CAEDITVR PARENTALIA 3 ISIDA AVIGIVM
SACRIFICANT LVPERCALIA SACR MAMVRIO
DIS CARA. COGNATO LIBERAL QVINQVA
PENATIBVS TERMINALIA TRIAt LVAMIO
*LAVATIO. Vrsin

I. MENSIS I. MENSIS I. MENSIS
APRILIS MAIVS IVNIVS
DIES XXX DIES. XXXI DIES XXX
NONAE NON. SEPTI NON. QVINT
QVINTAN DIES HOR. XIIIIS DIES HOR. XV
DIES NOX. HOR. XIIIS. NOX HOR. VIIII
HOR. XIIIS SOL. TAVRO 2 SOLIS. INSTITIVM
NOX TVTEL. APOLLIN VIII. KAL. IVL
HOR. XS 2 SEGET RVNCANT SOL GEMINIS
SOL ARIETE OVES. TVNDVNT TVTELA
TVTELA LANA. LAVATVR 3 MERCVRI
VENERIS 3 IVVENCI. DOMANT FAENISICIVM
OVES VICEA. PABVLAR VINIAE
LVSTRANTVR SECATVR OCCANTVR
SACRVM SEGETES SACRVM
PHARIAE LVSTRANTVR HERCVLI
ITEM SACRVM MERCVR SACRVM
SARAPIA ET FLORAE FORTIS FORTVNAE

I. MENSIS I. MENSIS I. MENSIS
IVLIVS AVGVST SEPTEMBER
DIES XXXI DIES XXXI DIES. XXX
NONAE NON. QVINT NON. QVINT
SEPTIMAN DIES. HOR. XIII DIES. HOR. XII
DIES NOX. HOR. XI NOX HOR XII
HORARVM SOL. LEONE AEQVINOCT
XIIII TVTEL. CERER VIII. KAL. OCT
NOX. HOR PALVS. 2 PARAT SOL VIRGINE
VIIIIS MESSES TVTELA
SOL CANCR FRVMENTAR VOLCANI
TVTELA ITEM DOLEA
IOVIS TRITICAR PICANTVR
MESSES 3 STVPVLAE POMA. 2 LEGVNT
HORDIAR INCENDVNT ARBORVM
ET 2 FABAR SACRVM. SPEI 3 OBLAQVIATIO
APOLLINAR SALVTI DEANAE EPVLVM
NEPTVNAL 4 VOLCANALIA MINERVAE

I. MENSIS I. MENSIS I. MENSIS
OCTOBER NOVEMBER DECEMB.
DIES. XXXI DIES. XXX DIES. XXXI
NONAE NON. QVINT NON. QVINT
SEPTIMAN DIES. HOR. VIIIIS DIES. HOR. VIIII
DIES NOX. HOR. XIIIIS NOX. HOR. XV
HOR. XS SOL SOL. SAGITT
NOX SCORPIONE TVTEL. VESTAE
HOR XIIIS TVTELA 2 HIEMPS INITIVM
SOL DEANAE 3 SIVE TROPAE
LIBRAE SEMENTES TRITICAR CHIMERIN
TVTELA ET HORDIAR VINEAS. STERC
MARTIS SCROBATIO 4 FABA SERENTES
VINDEMIAE ARBORVM MATERIAS
SACRVM IOVIS 5 DECIENTES
LIBERO EPVLVM OLIVA LEGENT
HEVRESIS ITEM. VENANT
SATVRNALIA

1. MES. IAN.
SACRIFIC DIS

1. MES. FEBR.
2. SVPERFICIVM COLITVR
HARVNDO INCENDIT.
LVPERCALIA
PARENTALIA
CARA. COGNAT

1. MES. MAR.
2. VINEAE. ET PEDAMINA
3. ISIDIS. NAVIGIVM
SACRVM MAMVRIO

1. MES. APR.

In ædibus Bernardini della Valle,
*alterum huiusmodi Kalendarum extat, eiusdem quidem exemplaris: sed tribus tantum lateribus inscriptum. Singularis latera, quatuor menses continent. Scriptura autem in paucis differt, quorum præcipua hic subeci.*

1. MES. MAI.
2. SEGETES RVNCANTVR
3. IVVENCI DOMANTVR

1. MES. IVN.
2. SOLSTITIVM
3. FAENISIC

1. MES. IVL.
2. FABARIAE

1. MES. AVG.
2. PARATVR
3. STVPLAE
4. VOLCAND

1. MES. SEPT.
2. LEGVNTVR
3. OBLAQVIATIO

1. MES. OCT.

1. MES. NOV.

1. MES. DEC
2. HIEMIS. INIT
3. TROPAEAE CHIMER. VINEAE STERCORANTVR
4. SERITVR
5. DECIENTES

Vtrumq Kalendarium plus centies vidit Smetius, hæcque ita describebat.

# FVLVII URSINI NOTÆ AD KALEND. RUSTICUM FARNESIANUM.

## MENSIS JANUARIUS.


ENSIS IANUAR. ) in Kalendario Vallenſi MES. IANUAR. & ſic deinceps exaratum eſt ea ſcribendi ratione qua *Horteſius* antiqui dicebant, pro *Hortenſius*, Græcos imitati, qui ὁρτήσιος, & multa hujuſmodi ſine N litera ſcribebant. Velius Longus: *Sicut Cicero, qui Foreſia & Megaleſia, & Horteſia ſine n litera libenter dicebat.*

NON QUINCT. ) Nonæ *Quinctanæ* dicebantur, quod quincto menſis die eſſent: *Septimanæ* vero, quod ſeptimo. Videndus Macrobius lib. 1. Saturn. M. Varro: *Primi dies menſium nominati Kalendæ ab eo quod his diebus kalentur ejus menſis Nonæ Pontificibus, quintanæ ne, an ſeptimanæ futuræ, in Capitolio, in curia Calabra, ſic: Dies te quinque kalo Juno novella, Septem dies te kalo Juno novella.* Sic enim ex v. c. legendum, & *covella*, non *novella*, hoc eſt, *cæleſtis*, *a cavo*, *id eſt*, *cælo*.

PALUS AQUITUR. ) Colum. lib. 11. cap. 2. *Palos una opera cædere, & exputatos acuere centum numero poteſt.* & infra: *Sive enim vineas poſſidemus, pali & ridicæ poſſunt dolari, exacuique, &c.* AQUITUR autem poſitum eſt pro ACUITUR, ἀρχαικῶς. ACUAM tamen Antiqui dicebant, non AQUAM, ne viderentur nomen, & ipſum triſyllabum ſignificare, ut ait Velius Longus. Item QUI, vel QUOI, (o littera inſerta, quo pinguior eſſet enunciatio) pro CUI: COQUUS pro COCUS: QUOTIDIE pro COTIDIE: Item pro DELICUERIT apud Plautum in Caſina in vv. cc. eſt DELIQUERIT, & ita Nonius legit.

SALIX HARUNDO CAEDITUR. ) Cato tit. 7. *Salicem Græcam circum arundinetum ſerito, uti ſiet, qui vineam alliges.* Varro lib. 1. c. 30. *Salicem cædi, prata defendi.* Colum lib. 11. c. 2. *Arundineta nunc ponere, vel etiam priſtina colere. Salicta facere, vel deputare, runcare, ac fodere.* & infra: *Poſſit etiam ſalix deciſa pridie ad lucubrationem expurgari.* & in lib. de arboribus. *Placet autem omnibus annis ſimul ac arundinem cecideris &c.* Colum. lib. 4. c. 32. de arundine. *Cæditur*, inquit, *deinde poſt brumam. nam uſque ad id tempus incrementum capit.*

SACRIFICANT DIS PENATIBUS. ) In Kalendario Vallenſi eſt; SACRIFIC. DIIS PENATIBUS.

## MENSIS FEBRUARIUS.

SEGETES SARIUNTUR. ) Colum. lib. 11. cap. 2. *Eodemque menſe ante Kal. Febr. ſarriendæ ſegetes autumnales &c.* Palladius in menſe Jan. tit. 9. *Sed triticum, & far ſarritur quattuor foliorum, ordeum quinque &c.* SARIUNTUR unico R, quod antiqui mutas & ſemivocales non geminabant.

VINEARUM SUPERFI. COLIT. ) In Kalendario Vallenſi eſt: UINEARUM. SUPERFICIUM COLITUR. Colum. lib. 11. c. 2. *Item vinearum foſſio hiſdem locis peragenda &c.* Palladius in menſe Febr. tit. 20. *Nunc locis maritimis & calidis fodiendæ ſunt vites.*
C
*vel (ſi hæc provinciæ conſuetudo eſt) exarandæ, & in eiſdem locis palandæ, aut ligandæ ſunt vineæ prius, quam gemma procedat &c*

HARUNDINES INCENDUNT. ) In Kal. Vallenſi HARUNDO INCENDIT, pro INCENDUNTUR, & INCENDITUR. Colum. lib. 4. c. 32. *Sed & macies ejus, cinere vel alio ſtercore juvanda eſt, propter quod cæſum plerique incendunt arundinetum.*

PARENTALIA LUPERCALIA CARA. COGNATO. ) In Kal. Vallenſi: LUPERCALIA PARENTALIA CARA. COGNAT. Hæc in Faſtis *Chariſtia* dicuntur, de quibus ita Ovidius cecinit in libris Faſtorum:

*Proxima cognati dixere Chariſtia patres,*
*Et venit ad ſocios turba propinqua deos.*

D
Val. Max. lib. 2. *Convivium ſolemne majores noſtri inſtituerunt, idque Chariſtia appellaverunt. Præter cognatos & affines nemo interponebatur &c.*

## MENSIS MARTIUS.

VINEAE. PEDAMIN. IN. PASTINO PUTANTUR. ) In Kal Vallenſi: VINEAE ET PEDAMINA &c. Varro lib. 1. c. 8. de ruſt. *Quibus ſtat recta vinea, pedamenta dicuntur.* Colum. lib. 4. c. 26. *Tamen in his*
E
*hæc, eorumque ſimilia pedamenta poſt putationem retractanda ſunt, parteſque eorum putres dedolandæ &c.* Idem cap. 15. *Nam plurimum intereſt, adhuc nova conſitione pedamen omne veſtiri.* & lib. 11. c. 2. *Igitur a Kalendis Martii eximia eſt vitium putatio uſque in decimum Kalendarum Aprilium, ſi tamen ſe gemmæ nondum moveant.* Pallad. in menſe Martio tit. 1. *Martio menſe locis frigidis putatio vinearum celebratur &c.*

TRIMESTR. SERITUR. ) Colum. lib. 2. c. 9. *Atque adhuc de ſatione autumnali loquimur: hanc enim potiſſimam ducimus. Sed & eſt altera, cum cogit neceſſitas. trimeſtrem vocant agricolæ.* Pallad. lib. 3. tit. 3. de ſatione trimeſtri, *Hoc menſe*, inquit, *ſerendum omne trimeſtrium genus.* Cato tit. 25. *Trime-*
F
*ſtrem quo in loco ſementim maturam facere non poteris & qui locus reſtibilis craſſitudine fieri poterit, ſiri oportet.* Pallad. lib. 1. tit. 6. *Trimeſtris ſatio locis frigidis & nivoſis convenit, ubi qualitas æſtatis humecta eſt, ceteris raro reſpondet eventu &c.*

ISIDIS NAVIGIUM. ) In Kalendario etiam Vallenſi eſt, ISIDIS NAVIGIUM. De Iſidis navigio meminit Lactantius Firmianus lib. 1. c. 27. *Certus dies*, in-

quit, *habetur in Fastis, quo Isidis navigium celebratur: quæ res docet, non tranasse illam, sed navigasse*. & Apulejus lib. II. de Asino aureo hunc diem videtur designare, cum inquit: *Diem, qui ex hac nocte nascetur, æterna mihi nuncupavit religio, quo sedatis hibernis tempestatibus, & lenitis maris procellosis fluctibus, navigabili jam pelago rudem dedicantes carinam, primitias commeatus libant mei sacerdotes*.

SACRVM MAMURIO.) In Kal. Vallensi habetur itidem: SACRVM MAMVRIO. Putamus autem designari diem eum, quo ancilia movebantur: tunc enim in fine sacri, Mamurii nomen Salii canebant, qui Numa regnante ancilia confecerat. Festus: *Rumentum in Auguralibus significare videtur interruptio, abruptione. Dum verba ancilibus movendis præit, si interim avis canerit, tum æque atque auspicio, augurio rumentum estod*. Ancilia cum feruntur a Saliis, religio est antequam condantur, aliquid agere, & etiam proficisci; & eo tempore uxor Flaminis Dialis non pectebat crines. Corn. Tacit. *Fuere qui proficiscenti Othoni moras religionemque nondum conditorum ancilium adferrent*.

LAVATIO.) Hoc verbum in Kal. Vallensi literis vetustate corrosis non legitur, nec in iis quidem schedis, quæ centum abhinc annis extant apud me scriptæ manu Pomponii Læti. existimamus autem designari diem in Fastis VI. kal. Apr. quo die Mater Deum lavabatur in flumine Almone. Augustinus lib. 2. c. 4. de Civitate Dei: *Cœlesti Virgini, & Berecynthiæ Deorum Matri omnium, ante cujus lecticam die sollenni* LAVATIONIS *ejus talia per publicum cantitabantur a nequissimis scenicis*. Vibius Sequester in libro de Fluminibus: *Almon Romæ*, inquit, *ubi Mater Deum VI. kal. April. lavatur*. Ammianus lib. 23. *Ubi diem VI. kal. quo Romæ Matri Deum &c. & carpentum, quo vehitur simulacrum, Almonis undis ablui perhibetur*. Videndus Arnobius lib. 7. Lucanus lib. I.

*Tunc qui fata Deum, secretaque carmina servant,*
*Et lotam parvo revocant Almone Cybellen.*

Martialis lib. 5.

*Phrygiumque Matris Almo qua lavat ferrum.*

Statius lib. I. Silv.

*Est locus ante Urbem, qua primum nascitur ingens*
*Appia, quaque Italo genitus Almone Cybellen*
*Ponit &c.*

Silius Italic. lib. 8.

*—— quique ostia Tusci*
*Amnis amant, tepidoque fovent Almone Cybellem.*

Claudianus:

*Prælatoque lavas Phrygios Almone leones.*

Ovidius in Fast.

*Est locus, in Tiberim quo lubricus influit Almo,*
*Et magno nomen perdit in amne minor.*
*Illic purpurea canus cum veste sacerdos*
*Almonis dominam sacraque lavit aquis.*

## MENSIS APRILIS.

OVES LVSTRANTVR.) Ovid. Fast. lib. 4.

*Pastor oves saturas ad prima crepuscula lustret,*
*Unda prius spargat.*

Juvenalis Satyr. 6.

*—— ne si centum lustraverit oves.*

Tibull. lib. I. eleg.

*Tunc vitula innumeros lustrabat cæsa juvencos,*
*Nunc agna exigui est hostia parva soli.*
*Agna cadat nobis, quam circum rustica pubes*
*Clamet, Io messes, & bona vina date.*

A & tunc fortasse oves signabant, ut ex Columella conjici potest in lib. II. cap. 2.

SACRVM PHARIAE ITEM SARAPIA.) Spartianus: *Caracalla sacra Isidis Romam deportavit, & templa ubique ei deæ fecit*. Suet. in Othon. cap. 12. *Sacra etiam Isidis sæpe in lintea religiosaque veste propalam celebrasse*. Lampridius: *Commodus sacra Isidis coluit, ut & caput raderet, & Anubim portaret*. Val. Max. lib. 7. cap. 3. *Isiaci habitu per itinera viasque publicas stipem petens*. Plin. lib. 27. cap. 7. *Absinthium &c. hujus ramum Isiaci præferre solenne habent*. Lactant. lib. I. c. 21. *Isidis Ægyptiæ sacra sunt &c.* Tibull. lib. I. eleg. 5.

B

*Ut mea votivas persolvens Delia voces,*
*Ante sacras, lino tecta, fores sedeat.*

Lampridius: *Isiacos vero Commodus usque ad perniciem pectus tundere cogebat*. Eutropius lib. 8. *Domitianus Isium & Serapium fecit*. Lampridius: *Alexander Isium & Serapium decenter ornavit*. Sed de sacris Isidis & Serapidis, sive Sarapidis (utroque enim modo scribebant) videndus Apul. lib. II.

## MENSIS MAJUS.

C SEGETES RVNCANT.) In Kal Vallensi: SEGETES RVNCANTVR. Varro lib. I. cap. 30. de re rustica. *Segetes runcari, terram proscindi*. *Runcari* autem quid sit, Varronis expositor declaravit, qui ad id verbum hanc notam posuit, quæ deinde a librariis in textum est recepta: *Runcari, herbam ex segetibus expurgari*. Colum. lib. II. cap. 2. *Seminaria, quæ sunt antefacta, runcari, & adbuc commode fodiri possunt*.

OVES TVNDVNT LANA LAVATUR.) Ita scribebant antiqui pro TONDENT, quod positum est pro TONDENTUR. Eodem etiam modo dicebant FRUNDEM pro FRONDEM, & FRUNTEM pro FRONTEM. Colum. lib. II. cap. 2. *Oves Tarentinæ*
D *radice lanaria lavari debent, ut tonsuræ præparentur*. Palladius in mense Majo, tit. 8. *Locis temperatis nunc ovium celebranda tonsura est*.

IVVENCI DOMANT.) In Kal. Vallensi: IVVENCI DOMANTVR. Videndus Varro, apud quem ita scriptum est lib. I. cap. 20. *Novellos cum quis emerit juvencos, si eorum colla in furcas destitutas incluserit, ac dederit cibum, diebus paucis erunt mansuefacti, & ad domandum proni. Tum ita subigendum, ut minutatim assuefaciant, & ut tironem cum veterano adjungant. imitando enim facilius domantur*.

E VICEA PABVLAR. SECATVR.) Colum. lib. II. c. 2. *Sed & viciam in pabulum secare oportet, prius quam siliquæ ejus durentur &c.* Pallad. in mense Jan. tit. 6. *Hoc mense ultimo colligendi seminis causa, non pabuli secandi vicia seritur*. VICEA vero pro VICIA dicebant antiqui. ut VINIA pro VINEA, & permutatis literis VEA pro VIA. Varro lib. I. c. 2.

SEGETES LVSTRANTVR.) Virg. Bucol. Eclog. I.

*—— & cum lustrabimus agros.*

& Georg. lib. I.

F *Terque novas circum felix eat hostia fruges.*

Tibul. lib. 2. eleg. I.

*Quisquis adest valeat, fruges lustramus & agros.*

& Propert. lib. 4. eleg.

*Parva saginati lustrabant compita porci.*

Cato tit. 141. *Agrum lustrare sic oportet. Imperant suovetaurilia circumagi cum divis volentibus &c.*

SACRVM MERCVR.) Majus Mercurio dicatus. Plutarch. in Numa.

ET FLORAE.) Floralia in Fastis habentur VI.

Kal. Jun. sed hæc aliaque hujusmodi, quæ in Kalendario Urbano sunt descripta, consulto a nobis omittuntur.

## MENSIS JUNIUS.

SOLIS INSTITIUM. VIII. KAL. IVL.) in Kal. Vallensi, SOLSTITIVM &c. Colum. lib. 2. c. 4. *Circa solstitium quod est* A. D. IX. *vel* VIII. *Kal. Julias*.

FAENISICIVM) In Kal. Vallensi, FAENISIC. Colum. lib. 2. c. 18. *Altero tamen anno minora pecora post fænisicia permittemus admitti*. Pallad. in Junio tit. 3. *Colligemus viciam, fœnum resecabimus ad pabulum*.

VINIAE OCCANTVR) Colum. lib. 11. c. 2. *Sed frigidioribus regionibus pulverationem faciunt, quam vocant rustici occationem, cum omnis gleba in vineis refringitur, & resolvitur in pulverem*. & lib. de arborib. c. 5. *Post Idus Apr. terram ad vitem aggerato, æstate deinde quam potes sæpissime occato. Jugerum vineæ quinque operis ablaqueant, quinque foditur, tribus occatur*. Palladius in Majo. tit. 4. *Hoc mense arbores, & vites, quæ ablaqueatæ fuerant, occare, hoc est, operire jam convenit*. VINIAE, pro, VINEAE, antiqua scribendi ratio est, qua I & E, invicem mutantur. unde in veteri inscriptione est, LOCVM VINIAE PVBLICAE A PRIVATIS OCCVPATVM.

SACRVM FORTIS FORTVNAE.) Hoc habetur in Fastis VIII. Kal. Julias.

## MENSIS JULIUS.

MESSES HORDIAR. ET FABAR.) In Kal. Vallensi, ET FABARIAE. Colum. lib. 11. c. 2. *His diebus &c. ordeum metere, fabam serotinam ducere, fabam maturam conterere, paleam ejus diligenter recondere, ordeum terere, paleasque omnes recondere &c.* Pallad. lib. 7 tit. 2. *Nunc primo ordei messis incipitur, quæ consummanda est ante quam grana arefactis spicis lapsa decurrant, quia nullis sicut triticum folliculis vestiuntur*. & tit. 3. *Nunc & faba luna minuente velletur. Ante lucem sane, & antequam luna procedat, excussa & refrigerata ponatur*. HORDIAR. antiqua scriptura, pro HORDEAR.

## MENSIS AVGUSTUS.

PALVS PARAT.) In Kal. Vallensi, PALVS PARATVR. Colum. lib. 11. c. 2. *Vel etiam palis conficiendis idoneum tempus est*.

MESSES FRVMENTAR. ITEM TRITICAR.) Palladius lib. 8. tit. 1. *Nunc locis temperatis tritici messis expletur*. Varro lib. 1. c. 32. *Quarto intervallo inter solstitium & caniculam plerique messem faciunt, quod frumentum dicunt quindecim diebus esse in vagina, quindecim florere, quindecim exarescere, quod sit maturum*. & cap. 50. *Messis proprio nomine dicitur in iis, quæ metuntur, maxime in frumento, & ab eo est vocabulo declinata. Tria genera sunt messionis &c.*

STVPVLAE INCENDVNT) In Kal. Vallensi, STVPLAE INCENDVNT, quod positum est pro INCENDVNTVR. Pallad. in mense Augusto tit. 4. *Nunc urenda sunt pascua, ut & altorum fruticum festinatio reprimatur ad stirpes, & incensis aridis nova lætius succedant*.

## MENSIS SEPTEMBER.

DOLEA PICANTUR) DOLEA, pro DOLIA positum est, ea scribendi ratione, de qua supra dictum est. Colum. lib. 11. c. 2. *Hoc igitur cum exploratum habuerit villicus, sciat vindemiam sibi esse faciendam. Sed ante quam fructum cogere incipiat, cuncta præparanda erunt superiore, si fieri poterit, mense. Sin minus, certe ut ante quindecim dies dolia partim picata, partim defricata, & diligenter lota marina, vel aqua salsa, & recte siccata*. Palladius in Septembri, tit. 11. *In doliis picandis hic modus erit, ut dolium ducentorum congiorum* XII. *libris picetur*.

POMA LEGVNT.) In Kal. Vallensi, LEGVNTVR. Colum. lib. 12. c. 44. *Omnes autem pomum, quod in vetustatem reponitur, cum pediculis suis legendum est, sed, si sine arboris noxa fieri possit, etiam cum ramulis. nam ea res plurimum ad perennitatem confert*.

ARBORVM OBLAQVIATIO.) In Kal. Vallensi, ARBORVM OBLAQVEATIO. Colum. lib. 11. c. 2. *Tum etiam arbores ablaqueare, nec minus vineas, easdemque putare*. & in lib. de arborib. cap. 5. *Ab Idibus Octobris ablaqueare incipito, ante brumam ablaqueatam habeto*. Sed *ablaqueare* tum apud Catonem, tum apud Varronem ubique scriptum est, non *oblaqueare*.

## MENSIS OCTOBER.

VINDEMIAE) Colum. lib. 11. c. 2. *His diebus locis maritimis, & calidis vindemia, & cetera, quæ suprascripta sunt, commode administrantur, &c.* Vindemiæ quæ sunt necessaria, parari docet Cato tit. 23. & vindemia facta quæ fieri debeant, tit. 26. & tit. 68. Vindemiarum tempus describit Varro lib. 1. cap. 27. Item vindemiam quomodo facere oporteat lib. 1. c, 54. Pallad. in Septembri, tit. 11.

DEANAE.) pro DIANAE, ἀρχαϊκῶς. & ita in inscriptione Colotiona: M. AVRELIVS. PACORVS. M. COCCEIVS. STRATOCLES. AEDITVI. VENERIS. HORTORVM. SALLVSTIANORVM BASEM. CVM. PAVIMENTO. MARMORATO. DEANAE

D D

## MENSIS NOVEMBER.

SSMENTES TRITICAR. ET HORDIAR.) Pallad. lib. 13. tit. 1. *Decembri mense seruntur frumenta, triticum, far, ordeum, quamvis ordei satio jam sera sit, & faba circa septimum idus fieri potest*.

SCROBATIO ARBORVM.) Cato tit. 7. *Scrobes invertito oleis, ulmis, vitibus, ficis simul cum semine*. & tit. 28. *In scrobe cum pones, summam terram subdito &c.* Scrobium ratio, & quot operis fiant, Colum. lib. 11. cap. 2. & de scrobibus latius lib. 5. c. 5. & alibi. & Pallad. lib. 2. tit. 10. & tit. 13.

JOVIS EPVLVM) Jovis epulum Septemviri Epulonum in Capitolio celebrabant. Val. Max. lib. 11. c. 1. *Feminæ cum viris cubantibus sedentes cœnitabant: quæ consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit. nam Jovis epulo ipse in lectulum, Juno & Minerva in cellas ad cœnam invitabantur*.

HEVRESIS) Heuresis quid sit, quærendum. nam fortasse dies designatur is, quo Ceres Proserpinam filiam a Plutone raptam, omnibus terris perquisitam invenit. Apulejus lib. 11. de Asino aureo: *Sive tu Ceres alma frugum parens originalis, quæ repertu lætata filiæ, vetustæ glandis ferino remoto pabulo, miti commonstrato cibo, nunc Eleusinam glebam incolis &c.* Fabula ita nota est, ut non egeat explicatione. *Repertu* autem Apulejus dixit pro *inventione*, quod verbum respondet Græco εὕρησις.

## MENSIS DECEMBER.

HIEMPS INITIVM) Videndum, an sit fabrile erratum. nam in kal. Vallensi est: HIEMIS INIT.

SIVE TROPAE. CHIMERIN.) In Kal. Vallensi, TROPAEAE CHIMER. Sed haud scio quam recte; nam Græcis τροπαὶ χειμεριναὶ dicuntur, quæ Varroni & Columellæ aliisque Latinis scriptoribus *Bruma*.

VINEAE STERC) In Kal. Vallensi, VINEAE STERCORANTVR. Cato tit. 33. Colum. lib. 2. c. 2. & cap. 16. ubi tamen ait, stercus vitibus ingestum vini sapori obesse.

FABA SERENTES) Nam est erratum fabrile, licet in Kal. Vallensi sit, FABA SERITVR; nam FABA, pro FABAM positum est, ut infra dicetur. Palladius lib. 13. tit. 1. *Decembri mense &c. faba circa septimum Idus seri potest.*

MATERIAS DEICIENTES.) In Kal. Vallensi mendose incisum est DECIENTES. Colum. lib. 11. cap. 2. *Nec minus in ædificia succidere arborem convenit, sed utraque melius fiunt luna decrescente ab vigesima usque in trigesimam, quoniam omnis materia sic cæsa judicatur carie non infestari.* & paulo post: *Materies si roborea est, ab uno fabro dolari ad unguem per quadrata debet pedum* XX. *hæc erit vehis una.*

OLIVA LEGENT.) Putamus OLIVA pro OLIVAM positum esse, ut supra FABA pro FABAM, & in antiquis monumentis PRIVERNVM CAPTV &c Pallad. lib. 1. tit. 6. *Græci jubent olivam, cum plantatur & legitur, a mundis pueris & virginibus operandum, credo, recordati arbori huic esse præsidem castitatem.*

ITEM VENANT.) VENANTVR integra lectio. Columella tamen lib. 11. c. 1. præcipit villicum debere venandi studium, aut aucupandi vitare, quod iis rebus plurimæ operæ avocantur.

# F I N I S.



KALEN-


# KALENDARII FRAGMENTUM,

## QUOD VISITUR IN ÆDIBUS CAPRANICORUM.

E. K. AVGVST. SPEI. AD. FORVM. HOLITORIVM
NATAL. TI. CLAVDII. GERMANICI
F. IIII. N. FERIAE. QVOD. HOC. DIE. IMP. CAESAR. HISPANIAM. CITERIOREM. VICIT
G. III. C.
H. PR. C.
A. NONAE. C. SALVTI. IN. COLLE. QVIRINALE
B. VIII. F. SACRIFICIVM. PVBLICVM
C. VII. C.
D. VI. C. SOL. INDIGITIS. IN. COLLE. QVIRINALE. SACRIFICIVM. PVBLICVM
E. V. NP.
F. III. NP. FERIAE. ARAE. OPIS. ET. CERERIS. IN VICO. IVGARIO. CONSTITVTAE. SVNT
G. III. C.
H. PR. C. HERCVLI. MAGNO. CVSTODI. IN. CIRCO. FLAMIN
A. EIDVS. DIANAE. IN. AVENTINO. ET. VORTVMNO. IN. LORETO. MAIORE
B. XIX. F.
C. XIIX. C.
D. XVII. C.
E. XVI. PORTVNO. AD. PONTEM. ÆMILI. IANO. AD. THEATRVM. MARCELLI
F. XV. C.
G. XIIII. C. VIN. NP. VENERI. AD. CIRCVM. MAXIMVM
H. XIII. C.
A. XII. CONS. NP. CONSO. IN. AVENTINO. SACRIFICIVM
B. XI. F. N.
C. X. VOLCANO. NP. VOLCANO. IN. CIRCO. FLAMINIO

D. IX. C.
E. VIII. OPIC. NP. OPI. IN. CAPITOLIO.
F. VII. C.
G. VII. VOLT. NP. VOLTVRN. FLAMINI. SACRIFICIVM
C
H. V. F.
A. IIII......
B. III.......
C. PR...... XXI. NAT. C. CAESARIS. GERMANICI.
D. K. SEPTEMBR.
E. IIII. NP.
F. III. NP. FERIAE.
G. PR. C.
H. NONAE.
A. VIII......
B VII......
C. VI......
D
D. V......
E. IIII......
F. III......
G. PR......
H. EIDVS. IOVI.
A. XIIX. F. EQVO
B. XVII. C. LVDI
C. XVI. C. LVDI
D. XV. C. LVDI
E. XIIII. C. LVDI
F. XIII. LVDI
G. XII. C. MERCA
H. XI. C. MERCA
E
A. X. C. MERCA
B. VIIII. C. N. NATA
C. VIII. C. FERIAE
D. VII. C. VENER.
E. VI. C......
F. V. C......
G. IIII......
H. III......
A. PR.

# ALTERUM KALENDARII FRUSTUM ROMÆ
*APUD*
# FULVIUM URSINUM.



# SIBRANDI SICCAMÆ
# COMMENTARIUS
# IN
# FASTOS KALENDARES
# ROMANORUM.

# INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

*Fasti apud Romanos duplices, Consulares & Triumphales. qui origo ex Annalibus* MAXIMI. *ubi positi. minio notati Fasti Kalendares. qui origo a Numa. quando publicati. eorum cura penes Pontifices. quid continebant. a Julio Cæsare & deinde ab Augusto correcti. Fasti Rustici.*

CAPUT II.

*Dierum civilium apud Romanos divisio, & de Profestis diebus, Fastis, Comitialibus, Senatoriis, Nefastis, Intercisis, &c.*

CAPUT III.

*Festi dies. quare instituti & a quo. quibus cærimoniis ritibusque celebrati. quidve iis facere, vel non facere, licuit.*

CAPUT IV.

*Multiplex Festorum dierum divisio. quid sint Sacra, Epulæ, Ludi, Feriæ breviter explicatum.*

CAPUT V.

*De Atris religiosis diebus eorumque observatione.*

CAPUT VI.

*De Kalendis, Nonis, Eidibus, & Nundinis, earumque Festis, &c.*

CAPUT VII.

*De Festis mensis Januarii.*

CAPUT VIII.

*De Sacris & feriis mensis Februarii.*

CAPUT IX.

*De Sacris & feriis mensis Martii.*

CAPUT X.

*De Sacris & feriis mensis Aprilis.*

CAPUT XI.

*De Sacris & feriis mensis Maii.*

CAPUT XII.

*De Sacris & feriis mensis Junii.*

CAPUT XIII.

*De Sacris & feriis mensis Julii.*

CAPUT XIV.

*De Sacris & feriis mensis Augusti.*

CAPUT XV.

*De Sacris & feriis mensis Septembris.*

CAPUT XVI.

*De Sacris & feriis mensis Octobris.*

CAPUT XVII.

*De Sacris & feriis mensis Novembris.*

CAPUT XVIII.

*De Sacris & feriis mensis Decembris.*

*De veteri anno Romano Romuli & Numæ Pompilii Antitheses.*

# AD *SPLENDIDISSIMOS* ORDINUM FRISIÆ DELEGATOS PRÆFATIO.



*Pusculum hoc meum, de Festis Profestisque diebus apud Romanos, privatis quidem studiis scriptum, cum gravissimorum hominum, ac tua præcipue,* TETERDE SICCAMA, *Pater carissime, auctoritate & judicio in lucem dare statuerim, visum fuit, splendidissimo vestro nomini,* PATRES PATRIÆ, *inscribere, & quæ antiqua formula votorum est,* LUBENS, MERITO, DONARE, DEDICARE. MERITO *quidem, tum* MEO, *tum* PUBLICO NOMINE. MEO, *ut animum vobis pro maximis beneficiis, quibus studia mea frequenter ornastis, humiliter devotum testarer, simulque omnes intelligerent hoc qualicumque devotionis testimonio, omnem nostram operam, studium, & benevolentiam, vitam denique ipsam ad* PATRIÆ *salutem, decus, & ornamentum esse conferendam.* PUBLICO *ac communi omnium doctorum, quod incredibili ac prope divino favore, quo erga literas & literatos omnes domestico quodam* FRISIÆ *nostræ fato estis affecti, fovetis & ornatis optimarum artium studia, atque ita cum omnium admiratione, multorum invidia confirmatis, ut eam vobis apud exteras etiam nationes laudem pepereritis, quam vix ipsa orbis Domina potuit obtinere: nempe quod* MARTEM & MUSAS, *inter se a natura discordia numina, foveatis ac tractetis non sine laude & gloria. Deus Opt. Max. mentem eam vobis perpetuam velit, vestrisque conatibus Frisicæ juventutis bono benedicat.* LUBENS *vero, ut hic tenellus ingenii nostri fœtus sub auctoritatis & splendoris vestri præsidio, lividi calumniantium morsus sit securus. Alii enim objicient curas publicas & vitæ genus diversum ad his humanioribus studiis. Alii par cum labore judicium in hac ætate juvenili, quod ipsi vix in senili præstant, requirent. Quidam multa præterita, plura non satis explicata, in plurimis me allucinatum esse blaterabunt. Sed expectent modicum, donec altera,* FASTORUM LIBRI XII. *titulo, prodibit editio: non dubito, quin æquis & bonis satisfiet, sintque interim (ut inquit ille) hoc Catone contenti. Ista vero malevolorum surda aure transibo convicia & fortiter contemnam istum contemptum, sortemque illam cum iis, qui supra omnem laudem & invidiam positi, communem mihi gloriabor. Quamobrem ut olim Q. Fulvius Nobilior Fastos suos ad ædem* HERCULIS MUSARUM, *ita ego hos meos* FASTOS *vobis,* VIRI CLARISSIMI, *verique* HERCULES MUSARUM, *devota animi veneratione* VOVEO, DEDICO, CONSECRO, *certo mihi persuadens, si quidem hæc per se nulla sint, aliquo tamen in pretio futura apud eos, qui illustrem nominis vestri splendorem, tanquam votoriam tabellam prælucere videbunt. De laudibus vestris eximiis sponte tacebo, veritus, si facem illarum extollam, ne splendidissimos virtutum vestrarum radios magis obscurem, quam illustrem: exemplo insuper monitus,*

*apud Principes & viros Proceres parce & ſobrie loquendum eſſe. Valete, & æternum feliciter gubernate. Haſſelto ad Vidrum Tubantium.* A. O. C. Iↄↄ. Iↄ. XL. LXVIII. *Olym.* Iↄ XCV. *anno* II. A. U. C. cIↄ cIↄ CCC L. A. C. cIↄ IↄcIc. *ipſis Palilibus, Orbis quondam Terrarum Dominæ natali:*

*Ampl.*
*Veſtræ*
*Addict.*
SIBRANDUS SICCAMA.

---

INLUSTRISS.

# JOSEPHO SCALIGERO

JULII CÆSARIS F.

SCALIGER Europæ Phœnix, Lux unica Gentis,
Terrenos quæ tot protulit una Deos;
Sidereas cui noſſe rotas, & tempora certis
Ponere limitibus SÆCULA cana ſinunt:
Aut VARRO, aut MAIOR VARRONE, cui inclyta debet,
Ipſi quod fuerit cognita Roma ſibi.
Si vacat, huc flectas auguſti luminis orbes,
Et tenera hæc facili ſuſcipe DONA manu.
DONA, tuis quæ nos humiles tibi ponimus ARIS,
DEVOTI GENIO, mente, animoque, TUO.
PARVA quidem ſunt hæc: ſed tu quoque parva (Deorum
Exemplo) læta ſumere fronte ſoles.
Sic quondam Cereri frugum PRÆMESSA ferebant,
Sic SACRIMAM BACCHO Ruſtica turba tulit.
MARMORA ſunt rudibus, quæ mittimus, eruta cryptis,
Queis vita & priſcus deperiere decor.
Sed vitam & priſcum poſſunt reparare decorem,
Si luſtres radiis, SCALIGER, illa tuis.

*Tuæ*
INLUST.
GENEROS.
Devotus
SIBRANDUS SICCAMA.

---

*ANtiquæ cum flagrarent Sacraria Veſtæ,*
*Miſtaque erat flammis flamma profana ſacris,*
*Proſilit in medios ignes, Latiique Metellus*
*Eripit æternos, Troica ſigna, Deos.*
*Hæc illi pietas tantum decus addidit armis,*
*Quantum non Siculi ſubdita regna freti.*
*At tu non Veſtæ tantum, ſed cuncta Deorum*
*In lucem e tenebris annua ſacra refers.*
*Tu facis, ut rurſum Prætor tria verba loquatur,*
*Utque ſuos noſcat Roma vetuſta Deos.*
*Ille Deam, tu cuncta Deum Solemnia ſervas:*
*Quod decus aut quænam laus tibi ſufficiet?*

NICOLAUS SICCAMA Frater
Fratri amoris ergo L. S.

# SIBRANDI SICCAMÆ COMMENTARIUS IN FASTOS KALENDARES ROMANORUM.

## CAPUT I.

*Fasti apud Romanos duplices, Consulares & Triumphales. qui origo ex Annalibus* MAXIMI. *ubi positi. minio notati Fasti Kalendares. qui origo a Numa. quando publicati. eorum cura penes Pontifices. quid continebant. a Julio Cæsare & deinde Augusto correcti. Fasti Rustici.*



Roma olim REGINA & DOMINA Orbis, Mundi Miraculum, Lumen Gentium, qua nulla unquam Respublica (Sacram excipio) nec virtutibus major nec superstitionibus sanctior fuit, inter ea quæ prudenter & magnifice constituit, illud quoque religiose curavit, ut virtutum præmia (honores & triumphos dico) generosæ posteritati exemplo, æternitati consecraret, & sacra Deorum anniversaria statis diebus, certisque cærimoniis, populus Romanus pure sancteque coleret. Utrique rei destinatæ marmoreæ tabulæ, utræque FASTI appellati. Unde duplices Romæ FASTI fuere, MAIORES & MINORES. MAIORES rursum duplices, CONSULARES, quibus Consulum & Dictatorum, qui in annos singulos magistratum gessere, nomina, bella, victoriæ, Reipublicæ mutationes, ludi seculares, aliique memorandi casus notabantur, duplici fini: annorum notationi, & rerum gestarum memoriæ. TRIUMPHALES, quibus Ducum & Imperatorum triumphi de populis & gentibus bello victis a S. P. Q. R. decreti actique, adjectis anno, mense & die, perscripti fuere, iisdemque Consularibus Fastis additi. De iis Valerius Maximus de Bruto Consule scribens: *Quod tam vafre telluri impressum osculum Urbi libertatem, Bruto primum in Fastis locum tribuit.* Livius lib. IV. *Si non ad Fastos, non ad Commentarios Pontificum admittimur.* Cicero lib. V. Epist. ad Lucejum: *Etenim ordo ipse Annalium mediocriter nos delectat quasi enumeratione Fastorum.* Et Ausonius:

> *Ignota æternæ ne sint tibi tempora Romæ,*
> *Regibus, & patrum ducta sub imperiis,*
> *Digessi Fastos, & nomina præpetis ævi,*
> *Sparsa jacent Latiam si qua per historiam.*

Originem hisce Fastis assero ex Annalibus MAXIMI sic enim legendum, non *Annalibus maximis*, quod nemo ex curiosa Criticorum turba hactenus advertit, MAXIMI, scilicet PONTIFICIS) de quibus Festus: *Maximi Annales appellantur non magnitudine, sed quod eos Pontifex Maximus consecrasset. Maximus autem Pontifex* (ut idem Festus) *dicitur, quod maximus rerum, quæ ad sacra & religio-*
C *nes pertinent, judex sit, vindexque contumaciæ privatorum, magistratuumque.* Præit mihi ad hoc lucide M. Cicero lib. II. de Oratore: *Erat enim Historia nihil aliud quam Annalium confectio, cujus rei memoriæque publicæ retinendæ causa, ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mutium Pont. Max.* (excessit ille circa A. V. C. DXXX.) *res omnes singulorum annorum literis mandabat Pontifex Maximus.* Clare item de iis Livius lib. IV. *Obsecro vos, si non ad Fastos, non ad Commentarios Pontificum admittimur, nec ea quidem scimus quæ omnes peregrini etiam sciunt.* Vopiscus Tacito: *Quod post excessum Romu-*
D *li novello adhuc Romanæ urbis imperio factum Pontifices, penes quos potestas scribendæ historiæ fuit, in literas retulerunt.* Nec abludit Ovid. Fast. lib. I.

> *Sacra recognosces Annalibus eruta priscis,*
> *Et quo sit merito quæque notata dies.*

Hosce Annales Pontifex, in alba tabula descriptos, & in atrio domus dispositos populo legendi potestatem faciebat. Cicero ibidem: *Efferebatque in Album, & proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi: ii qui etiam nunc Annales* MAXIMI *nominantur.* Post mortem igitur P.
E Mutii Scævolæ circa A. V. C. DXXX. cum Annales non amplius a Pont. Max. proponerentur, & privati jam historias & annales conficerent, Fastos hosce annales marmoribus incidi cœpisse suspicor, qui, ut honoratiores essent & omni populo in oculis versarentur, ad forum in comitio frequentissimo totius Urbis loco, ubi magistratus, honores, & triumphi populi suffragiis decernebantur, dispositi, & post tot miserandas Urbis ruinas terra ruderibusque obruti, tandem A. C. ∞ IↃXLV. egesti fuere. Verum editiori loco affixos, & minio aliisque pigmentis ornatos fuisse indicant Ovidius lib. I. Fast. I.

F

> *Quæque ferunt illi pictos signantia Fastos.*

& Martialis lib. XI. Epig. IV.

> *Et qui purpureis jam tertia nomina Fastis,*
> *Jane, refers Nervæ: vos precor, ore pio.*

Et libro XII. Epig. XXVI.

> *Sed tu purpureis ut des nova nomina Fastis,*
> *Aut Numidum gentes, Cappadocumve petas.*

Verum improprie, & a minoribus Fastis appellatione sumpta Fasti nominati fuere. Nam ut illi fastos nefastosque dies, sacra, epulas, ludos, ferias, ita hi consulatus, dictaturas, bella, victorias, aliaque continebant. quamobrem Isidorus l. v. cap. IIX. Fastos hosce non a *fastis* diebus, sed a *fascibus* dictos existimat. MINORES FASTI (quos *Kalendares* appellamus, quod a Kalendis ad Kalendas toto anno sacra feriasque statas contineant) *sunt*, ut Festus ait, *quibus totius anni fit descriptio*. Verrius: *Fasti sunt libri, quibus dierum totius anni continetur computatio*. sic dicti a *fastis* diebus: *Fasti vero dies sunt*, ut inquit Varro, *quibus certa verba legitima licet fari, DO, DICO, ADDICO, quibus magistratus prætorii jus quoque continebatur*. Unde posteri collectionem eorum dierum quibus fari & non fari licebat, Fastos appellarunt, additique fuerunt dies Comitiales, Intercisi, Sacra, Ludi, Epulæ, Feriæ, Victoriæ, quæ omnia uno corpore clausa, Fastos dixere. Festus: *Tubilustria quibus diebus adscriptum in Fastis est, in atrio sutorio agna tubæ lustrantur*. Idem: *Regifugium dies notatur in Fastis* VI. *Kalend. Martii, ut ait Verrius*. Idem: *Q. ST. D. F. Eodem modo in Fastis notatur dies qui talis est*. & sæpe Macrobius in Saturnalibus. Primus vero Numa Pompilius divini juris apud Romanos auctor, dierum discrimina invexit. Livius lib. I. *Idem Nefastos dies, Fastosque fecit, quia aliquando nihil cum populo agi utile futurum erat*. Eas dierum differentias, & singulorum festorum sacrorumque rationes in tabulas relatas, pontificibus tradidit, ut populo indicarent, Fastosque appellavit. Livius l. I. *Pontificem deinde Numa Marcium M. F. ex patribus legit, eique sacra omnia exscripta exsignataque attribuit, quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa, sacra fierent, atque unde in eos sumptus pecunia erogaretur*. Ita CDX circiter annis a IV anno regni Numæ ad A. U. C. DL. P. Sulpicio Averrione, P. Sempronio Sopho coss. penes solos Pontifices sacri omnis humanique juris scientia, & auctoritas delituit; quo anno C. Flavius, CN. F. Appii Cæci Pont. Max. scriba, Fastosque apud se habens, dierum discrimina ex occultis Pontificum tabulis memoria excepit, paulatimque ediscens populo publicavit. Livius l. IX. *Eodem anno C. Flavius CN. F. scriba, patre libertino humili fortuna ortus, cæterum callidus vir & facundus, ædilis curulis fuit*. Et paulo post: *Civile jus repositum in penetralibus Pontificum evulgavit, Fastosque circa forum in albo proposuit, ut quando lege agi posset, sciretur*. Quæ res adeo grata fertur fuisse populo, ut infimæ sortis homo C. Pætilio & L. Domitio, quorum patres consules fuerant, repulsam passis, cum Q. Aurelio Prænestino ædilis creatus sit. Ab eo tempore semper Fastos inspiciundi populo potestas fuit, auctoritas tamen annum intercalandi, dies eximendi, transponendique pro lubitu, apud Pontifices mansit. unde magnæ in anno mensibusque Romanis confusiones, dum modo mensem integrum, aut dies intercalando, modo eximendo, aut magistratus prorogarent, aut publicanorum vectigalia circumciderent, prout quisque vel favorem vel invidiam promeruerat. De intercalatione Cicero ad Atticum l. v. Epist. IX. *Illud tamen memento curare, per te & per omnes nostros, in primis per Hortensium, ut annus noster maneat suo statu, ne quid novi decernatur. Hoc tibi ita mando, ut dubitem, an etiam rogem, ut pugnes, ne intercaletur: sed non audeo tibi omnia onera imponere: annum quidem utique teneto*. Et Epist. XI. *Ne Provincia nobis prorogetur, per fortunas! ut dum ades, quidquid provideri potest, provide*. Et Epist. XIII. *Per fortunas! quoniam Romæ manes, primum illud præfulci, atque præmuni, quæso, ut simus annui: ne intercalaretur quidem*. & passim multis epistolis. De exemptione dierum idem Cicero ad Q. Fratrem lib. 2. Epist. VI. *Lentulus non impediente collega sic, inquam, bonus, ut meliorem non viderim, dies Comitiales exemit omnes*. Item paulo post: *Cato concionatus est, se comitia haberi non siturum, si sibi cum populo dies agendi essent exempti*. Quare effectum fuit, ut anni tempus plane loco moveretur, & hiberni menses in æstatem; æstivi, in hiemem concurrerent, ut egregie probat ex Ciceronis epistolis ad Att. docetque rationibus magnus Scaliger Emendationum l. II. cap. VI. Verum C. Julius Cæsar, non minus utilissimo & prope divino hoc instituto, quam rerum gestarum gloria famæ immortalitatem adeptus, A. V. C. DCCIX. ipso & M. Æmilio Lepido Coss. annum ad cursum Solis redactum CCCLXV. diebus cum quadrante circumscripsit, Fastosque dierum quorundam mutatione (ut Fastorum nostrorum lib. II. descripsimus) emendavit, edictoque ita observari jussit. Dio l. XLII. & Suetonius Cæsare CXL. *Conversus hinc ad ordinandum Reip. statum, Fastos correxit jampridem vitio Pontificum per intercalandi licentiam adeo turbatos, ut neque messium feriæ æstati, neque vindemiarum autumno competerent: annumque ad cursum Solis ordinavit, ut* CCCLXV. *dierum esset, & intercalario mense sublato, unus dies quarto quoque anno intercalaretur*. Adde Plutarch. Cæsare, Plinium l. XIIX. Macrobium l. v. c. XIIII. Censorinum de die Natali v. Verum cum per inscitiam Pontificum, qui quadrantem diei singulis quadrienniis superabundantem, non quarto anno confecto, ut jusserat Cæsar, sed incipiente intercalarent totis annis XXXVI, tandem Augustus Cæsar A. V. C. DCCXLVI. C. Marcio Censorino, C. Asinio Gallo coss. rursus annum ad legitimum Solis cursum revocavit, Fastosque æreæ tabulæ in foro ad æternam custodiam incisioni mandavit. Macrobius, Plutarchus, Censorinus, & Suetonius Augusto cap. XXXI. Diximus supra, *Fastos minores* ad sacra Deorum anniversaria pertinuisse, & Ferias, Ludos, Epulasque solemnes iis fuisse notatos; sed contaminavit paulatim sacras Tabulas vesana superbia, & fœdissimæ populi in Imperatores adulationes, perrupitque in Deorum consortium, Principum ambitio, nec contenti iis, quæ maxima inter homines dari possunt, sedem inter deos, atque annua sacra occuparunt. Primus M. Antonius, quod objicit illi in Philippicis Cicero, in Fastis ad Lupercalia adscribi jussit: C. CÆSARI. DICT. PERP. M. ANT. COS. POPVLI IVSSV REGNVM DETVL. Sed quod Cicero ibi reprehendit in Antonio, idem ipse commisit in honoribus Bruto Cæsaris interfectori deferendis, Epist. ad Brut. XIV. *Ego enim D. Bruto liberato, cum lætissimus ille civitati dies illuxisset, idemque casu Bruti natalis esset, decrevi, ut in Fastis ad eum diem BRUTI nomen adscriberetur*. Pari adulatione Fastis adscriptum fuit: HOC DIE CÆSAR PONT. MAX. FACT. EST. Item: HOC DIE CÆSAR. ALEXAND. RECEP. Item: VICTOR. CÆS. Item: HOC DIE CÆSAR HISPALIN VIC. Item: AVG. NATALIS IN CIRC. AVGVSTAL. de quibus Tacitus lib. I. *Inter quæ Tribuni Plebis petivere, ut proprio sumptu ederent ludos, qui de nomine Augusti Fastis additi AUGUSTALES vocarentur*. idem Dio l. LIV. Atque adeo tandem crevit adulatio, ut dies, quibus victoriæ partæ nunciatæque, inter festos numerarentur. Tacitus Annal. XIII. de victoria Corbulonis contra Parthos: *Post hæc Imperator consalutatus Nero, & SCto supplicationes habitæ, statuæque & arcus & continui consulatus Principi, utque inter Festos referretur dies, quo patrata victoria, quo nunciata, quo relatum de ea esset*. Similiter dies mortis Agrippinæ inter Nefa-

ſtos numeratus. Tacitus Annal. XIV *Miro tamen certamine procerum decernuntur ſupplicationes ad omnia pulvinaria, utque Quinquatrus, quibus apertæ eſſent inſidiæ, ludis annuis celebrarentur. aureum Minervæ ſimulachrum in curia, & juxta Principis imago ſtatueretur. dies natalis Agrippinæ inter nefaſtos eſſet*. Idem antea ſtatutum in die mortis Vipſaniæ Agrippinæ, Tiberii uxoris, & Sejani ejus adulteri. Tacitus lib. Annal. VI. *Actæ ob id grates decretumque, ut XV. Kalend. Novembris, utriuſque necis die per omnes annos donum Jovi ſacraretur.* Idus Martiæ, quibus Cæſar interfectus, *Parricidium* dictæ, & inter atros dies relatæ. Sueton. Cæſare cap. LXXXIIX. poſteriſque temporibus ab Imperatoribus adeo obſervatum, ut vix memorabile aliquid accideret, quin mox ad Faſtos notaretur. Qua re effectum fuit, ut boni Principes, & erga Deos religioſi licentiam illam divinos honores occupandi, Faſtoſque magno Reip. incommodo ad privatas ambitiones trahendi retuderint. Primus Auguſtus huic malo edicto obviam ivit, ut dies judiciorum actuumque publicorum laxaret. Suetonius cap. XXXII. *Ne quod autem maleficium negotiumve impunitate vel mora elaberetur, XXX. amplius dies, qui honorariis ludis occupabantur, actui rerum accommodavit*. Quinam vero illi honorarii ludi? Torrentius exiſtimat honorarios ludos eſſe, *qui dicis cauſa ſic dicti, non quod ludi vere ederentur*. Errat Torrentius) quod pace tanti viri dixerim) ex ſola Faſtorum ignoratione; nec errorem niſi ex ſolis Faſtis emendes, ex quibus ego aſſero honorarios ludos dici, qui jam Faſtis notati ſunt LUDI, ſine ullius dei, deæ, hominiſve, in cujus honorem fierent, notatione, quales in Faſtis menſe Aprili, Julio, Septembri, Octobri, Novembri multos videmus. Nec dicis cauſa, ſeu otioſi erant, ut putat Torrentius, ſed vere ludi agebantur honorarii dicti honoris ſeu lætitiæ publicæ cauſa. Si otioſi enim fuerint, nec vere ludi agerentur, quid opus Principis interdicto, cum omnes pæne dies, quibus LUDI aſſcriptum, Comitiales fuerint, qui per ſe pure Faſti, (niſi comitia haberentur, quorum jus ſub Auguſto, ſuprema poteſtate in ipſum tranſlata, imminutum) & rebus agendis erant deſtinati? Vere itaque ludos illos honorarios exemit, ut magiſtratus populuſque ludorum ſpectaculis occupati, juri dicundo vacarent. Verum non diu ratum ſtetit illud ſalutare Principis edictum, tam ægre populus feſtis ludorumque voluptatibus aſſuetus ad res ſerias revocari potuit: ecce Cajus tam in hoc bonus, quam in aliis malus Princeps A. V. C. DCCXCVI. ipſo III. cum L. Vitellio coſſ. multa ſolemnia abrogavit. Dio l. LX. *Poſt hæc Claudius III. Cons. multa ſacrificia, multas ferias abrogavit; nam major anni pars iis abſumebatur, non ſine magno Reip. detrimento. igitur eas, & reliqua omnia, quæ poterat, contraxit*. Nec ipſe Caligula hanc feriarum licentiam frenare potuit. Sub Nerone rurſum A. V.C. DCCCX. ipſo II. & L. Piſone coss. illa Sacrorum multitudo *adeo modum egreſſa*) Tacitus Annal XIII.) *ut C. Caſſius de cæteris honoribus* (Neronis puta) *aſſenſus, ſi pro benignitate Fortunæ Diis gratiæ agerentur, ne totum quidem annum ſupplicationibus ſufficere diſſeruerit, eoque oportere dividi ſacros & negocioſos dies, queis divina colerentur, & humana non impedirent*. Tredecim annis poſt, Veſpaſiano iterum & Tito coſſ. cum de reſtituendis Galbæ & Piſonis honoribus ageretur, iterum *ſorte ducti*, (Tacitus Hiſt. lib. IV.) *per quos redderentur bello rapta, quique æra legum vetuſtate delapſa noſcerent, figerentque, & qui Faſtos adulatione temporum fœdatos exonerarent, modumque publicis impenſis facerent*. Poſtremo M. Antoninus optimus Princeps, multorum Feſtorum abrogatione profeſtos dies auxit. Capitolinus Antonino: *Faſtis dies judiciarios addidit, ita ut CCXXX. dies annuos, rebus agendis, litibuſque diſceptandis conſtitueret*. Atque ea quidem ordinatione & nullis aut certe paucis ſolemnibus adjectis FASTOS hoſce fuiſſe obſervatos ad ultima Reipub. tempora exiſtimo, cum malis Principibus honos tantus non haberetur, boni etiam ſponte refugerent, vel ſi natales eorum aut funera, aut alii denique inſignes caſus aliquot annis celebrati eſſent, ſemper aut ſucceſſorum decreto ſint abrogati aut negligentia obliterati. Donec tandem Conſtantinus Magnus, piiſſimus religionis Chriſtianæ vindex, circa A. Chriſti CCCXVIII. clauſis Deorum templis, ſacrorumque impenſis ad fiſcum tranſlatis, omnia Deorum ſacra, cæremonias ludoſque prohibuit, pontifices, flamines, virgines Veſtales, omnemque ſacerdotum turbam Roma ejecit, & cœleſtem Chriſti doctrinam in ſedem repoſuit. FASTI vero KALENDARES duplices fuere, URBANI & RUSTICI. FASTI URBANI erant, de quibus hactenus diximus, quos Romæ atque alibi in oppidis obſervabant, quos non uno loco, ſed ſingulis fere Urbis regionibus & curiis, imo ab illuſtribus viris in atriis privatis propoſitos fuiſſe, ut in vaſtiſſima urbe & totius orbis emporio ubique ſacrorum obſervatio in oculos hominum incurreret, probant diverſa harum tabularum fragmenta variis in locis effoſſa.


Sequebatur fragmentum, quod paullo ante exhibitum fuit, inter antiqua rudera ſub Colle Hortulorum erutum, longum uncias Romanæ menſuræ XX, latum uncias VI, continens particulas menſis Julii, Augusti, Septembris, Octobris.

| | | | |
|---|---|---|---|
| CC LVDI CONCOR A AVI | CONS | | |
| DNEPN LVDI FER NEPT | BEN | AC MERCHVVADMAR | |
| EN LVDI | CVOLC·N·VOLCANO | BI MERCELR EX SC QVOD | B |
| FFVRN LVDI FER FVRR | DC LVNAE IN GRAECOST | CC IS·DIES·IMP·CAESAR | CC |
| CC LVDI | I | DC NATALIS EST | DC |
| HC LVDI IN CIRCO | F OPICIDN | EC VENERI·GENETRICI | EC |
| AC LVDI IN CIRCO | GC VOLTVRN | FC IN·FORO· CAESAR | FC |
| BC LVDI IN CIRCO | HC | GF | GC |
| CC LVDI IN CIRCO FORT | AF | HG DXXX | HC |
| DC XXXI HVIVSQVE DIE | PF | C·CoCCEIVS | ME |
| CO | ICCDXXXXI | | |

Aliud fragmentum, quod ſequitur, Romæ in Exquiliis ad Divæ Martinæ effoſſum fuit, continens fragmenta menſis Maii & Junii, ut collatione majoris, & emendatæ tabulæ noſtræ conſtat.

D C
E AGO. NP
F N
G TVBIL. NP
H Q. R. C. F.
A C FORTVN. PVBLIC. PR. IN COLL.
B C
C C
D C
E C
F C
G C
XXXI
MARS

A C
B C MINERVÆ IN AVENTINO
C C SVMMAN. AD CIRC. MAX.
D C
E C
F C
G C FORT. FORT. ET AD XIIII ET
H C
A C
B C
C C
D F
E C
XXX




Tertium fragmentum Præneſte effoſſum eſt, cujus unicum tantum Feſtum ſupereſt, quod hic ſubjecimus:

NON. N CONCORDIÆ
IN ARCE FERIÆ EX
S. C. QVOD EO DIE IMPE-
RATOR CÆSAR AVGVS-
TVS PONTIFEX MAXIMVS
TRIB. POTEST XXI COS.
XIII. A S. P. Q. ROMANO
PATER PATRIÆ APPEL-
LATVS.

Quarta Faſtorum tabula, quam ſuperius invenies a Manutio explicatam, pæne integra, paucorum dierum defectu in Novembri & Decembri deformata, quem nos ſupplevimus, ad forum Romanum effoſſa eſt, & ut ex feſtis feriiſque agnoſco, antiqua admodum, & non multo poſt Auguſti ævum inciſa, quia præter Cæſaris Auguſtique ſacra nullis ſequentium Principum honoribus eſt occupata, ſoliſque deorum ſacrificiis ornata. Quem divinum venerandę antiquitatis theſaurum debemus immortali memoriæ Benedicti Hegii Spoletini & Pauli Manutii, quorum alter inter tabida marmorum oſſa ſepultam in lucem reſtituit, alter brevi commentariolo, quoad faſtos judiciarioſque dies illuſtravit, ita tamen ut in ipſo corpore nævos aliquot reliquerit, in quibus ſanandis illuſtria ingenia ſeſe exercerent. Ego vero non ſolum nævis illis medicinam quæſivi, verum Faſtos ipſos multis

A feſtis ſacriſque, quæ aut longæva vetuſtas exedit, aut primitus aſſculpta non fuerunt, ornavi, aut oneravi potius, ex veterum ſcriptis, antiquis marmoribus, nummis, aliiſque priſcis monimentis excerpta, quos tanquam majoris operis præcidanea, FASTOS meos in duodecim libros diviſos præcedere volui, & tuum, ILLUSTRISSIME SCALIGER, Senatus hiſtorici & antiquarii PERPETUE PRINCEPS, quaſi periclitari judicium, certo mihi perſuadens, ſi tu de Faſtis edendis primus ſententiam rogatus, pro me ſuffragium des, facile cæteros Senatores aſſenſuros, Senatuſque conſultum FASTOS EDI PLACERE perſcriptum iri.
B FASTI RUSTICI ſunt dierum feſtorumque notatio, quos Ruſtici in agris obſervabant. Illi enim cum agrorum cultu, vineiſque pangendis continue eſſent occupati, frequentiſſimis illis feſtorum ſolemnitatibus vacare non poterant. Quamobrem Kalendas duntaxat, Nonas, Eidus, Nundinas, atque unum aut duo ad ſummum feſta ſingulis menſibus celebrabant, & quæ ad agriculturæ rationem maxime faciunt, ſigna Zodiaci, dierum longitudinem, tutelares menſium deos, quidque ſingulis menſibus fieri oporteret, notabant: ut ex ipſis Faſtorum tabulis, quas ſeparatim excuſas,
C & ad exemplar quadrati marmoris, quod Romæ in Palatio Farneſiano extat, deſcriptas addidi, videre licet. Faſtos vero apud veteres interpretati ſunt L. Cincius Alimentius, Q. Fulvius Nobilior, P. Ovidius Naſo, Maſurius Sabinus, Bæbius Macer, Cornelius Labeo, Julius Modeſtus, P. Rutilius Geminus, Titus, Niſus, aliique, quos citat Macrobius, quorumque monumenta penitus intercidere. Atque hæc quidem hactenus de Faſtis ipſis; ſequitur, ut de diebus, eorumque diviſione, qui in Faſtis notati ſunt, breviter dicamus.

D

## CAP. II.

*Dierum civilium apud Romanos diviſio, & de Profeſtis diebus, Faſtis, Comitialibus, Senatoriis, Nefaſtis, Interciſis, &c.*

M. Terentius Varro, quem in Quæſtion. Academ. ita compellat Cicero: *Tu ætatem patriæ, tu deſcriptionem temporum, tu ſacerdotum, tu domeſticam, tu bellicam diſciplinam, tu ſedem regionum & locorum, tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, cauſas, officia aperuiſti*. Ille, inquam, Varro Romanorum
E doctiſſimus, ſcripturus rerum humanarum & divinarum libros, primum de rebus humanis, deinde de divinis dixit, quod divinæ ab hominibus inſtitutæ, & tempore poſteriores eſſent. Cujus auctoritatem ſi in hiſce Faſtis explicandis ſequar, quibus dies tam Deorum ſacris, quam humanis negociis deſtinati continentur, omni reprehenſione carebo. Quamobrem cum ea dierum diviſio, quæ in Profeſtos Feſtoſque diſtribuitur, ſit laxiſſima, & huic noſtro inſtituto commodiſſima, illam tenebimus, & Varronis exemplo primum de Profeſtis agemus. *Profeſti ſunt*, ut ſcribit Feſtus, *qui procul*
F *ſunt a religione numinis divini*. Cæcilius: *Quod facimus profeſto, feciſti tantundem feſtivo die*. Afranius Privigno.

*Quæ feſtivo nos facere ſolemus die*
*Quotidiano opere tu promiſces omnia,*
*Atque profeſto die concelebras focum.*

Item: *Profeſtum facere, eſt tanquam profanum facere, id eſt, quod eo die, qui feriarum non eſt facere, vel, ut quidam dixerint, pro eo facere, velut feriæ*

*non sint, aut id facere, quod feriis fieri non liceat. Itaque diem profestum, diem sine feriis esse.* Profestos dies omnes Ovidius dividit in Fastos, Nefastos, Comitiales & Intercisos, cum inquit:


*Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur:*
*Fastus erit, per quem lege licebit agi.*
*Nec toto perstare die sua jura putaris,*
*Qui jam Fastus erit, mane Nefastus erat.*
*Nam simul exta Deo data sunt, licet omnia fari,*
*Verbaque honoratus libera Prætor habet.*
*Est quoque quo populum jus est includere septis.*

*Fasti dies sunt* (ut inquit Varro) *per quos Prætoribus omnia verba sine piaculo licet fari.* Erant autem solemnia illa verba DO, DEICO; ADDEICO, quibus Prætorium jus quoque continebatur. Fastis enim diebus Prætor pro tribunali sui copiam faciebat, neque aliud quidquam iis diebus, quam jus dicebatur. Prætor, cum daret judices, arbitrosve, dicebat, DO: cum post cognitam causam sententiam ferret, DICO cum quid in jure cessum, convictumve addiceret, ADDICO. Hi quidem in Fastis litera F notati sunt, erantque proprie & toti Fasti. proprie, quod per eos, nisi aliquis casus extra ordinem interveniret, nunquam Prætor jus non dicebat: toti, quod fari horis omnibus liceret; ad seditiosam usque Publii Clodii legem, qua, ut omnibus Fastis legem fieri liceret, rogatum fuit. qua de causa ll. Æliam & Fusiam propugnacula & muros tranquillitatis a Clodio sublatas toties Cicero conqueritur: *COMITIALES dies sunt*, ut inquit Festus, *cum in Comitio conveniebant, qui locus a coeundo, id est, simul veniendo dictus est.* Varro: *COMITIALES dies dicti, quod tum esset populus constitutus ad suffragium ferendum, nisi si quæ feriæ essent conceptæ, propter quas non liceret, ut Compitalia, Latinæ.* Comitium vero erat locus seu ædificium latum & patens in foro, seu prope ipsum forum in ea parte Palatini montis, quæ prope arcum Titi Imperatoris exstat, ubi turris ingentis, quam *Pallariam* vocant, fragmenta visuntur. Triplicia autem erant Comitia. CENTURIATA, cum Populus Romanus per centurias divisus & extra pomœrium classico evocatus, in singulis classibus coibat, censebat, ac suffragia ferebat. CURIATA, cum cives Romani curiatim per lictorem ad comitium suffragiorum ferendorum causa convocabantur, perque curias in suffragia ibant. TRIBUTA, cum rusticæ urbanæque Tribus, per viatorem ad comitium, aliumve intra extrave pomœrium locum tributim ad suffragia convocabantur. Comitialibus itaque diebus, qui omnes litera C in Fastis notati sunt, semper & proprio quodam jure comitia habebantur: si vero comitia non haberentur, quod non raro fiebat, tum Fasti quoque erant, iisque lege agi licebat, sive toto die, sive ante postve meridiem, prout ferret occasio, quod legis Clodiæ promulgatio satis evincit. Nam cum antea omnibus diebus Fastis cum populo agi non liceret, lege Claudia sancitum fuit, ut omnibus diebus Fastis liceret: quod tamen, ut putat Manutius, postea observatum non fuit. Ad populum tamen agi, hoc est, conciones haberi licuit. Porro quibus diebus Senatus haberi potuit, quod maximum Reipublicæ vinculum fuit, docendum quoque videtur. Primum quidem solemne fuit, ut Kalendis, Nonis, & Eidibus haberetur, quod cum toto volumine epistolarum ad Atticum & Familiares abunde sparsimque doceatur, nos uno atque altero exemplo contenti erimus. Cicero l. 12. ad Atticum epist. 26. *Circiter Kalendas affuturus videtur, vellem tardius.* lib. 13. epist. 46. *Rogat magnopere, ut sim Kalendis in Senatu.* lib. 16. epist. 6. *Maxime dolebat me Kalendis Sextilibus in Senatu non fuisse.* De nonis lib. 1. ad Lentulum epist. 9. *Nonis Aprilibus mihi est Senatus assensus.* Item: *Tenebam memoria, nobis consulibus ea fundamenta jacta ex Kalendis Januariis confirmandi Senatus, ut neminem mirari oporteret Nonis Decembribus, tantum vel animi fuisse in illo ordine, vel auctoritatis.* De Eidibus ad Attic. *Eidibus Maii Senatus frequens divinus fuit, in supplicatione Gabinio deneganda.* ad Famil. lib. 1. epist. 9. *Nonis Aprilibus mihi est Senatus assensus, ut de agro Campano frequenti Senatu Idibus Maii referretur.* aliisque infinitis in locis. Fastis quoque diebus, qui mere Fasti sunt, Senatus haberi solebat. Ad Att. lib. 4. epistola 2. ubi cum Cicero Kalend. Octob. in Senatu actum scribat de domo ipsi restituenda, & porticus Catuli locatione, tandem addit: *Postridie* (Kalendas intellige) *SCtum factum est, id quod ad te misi.* qui dies postridie Kalendas in Fastis litera F notatus est. Nefasti item dies Senatui habendo legitimi fuere. Cicero ad Brut. lib. 2. epist. 3. *Atque in hac contentione ipsa, cum res maxime ageretur, ad d. v Eid. April. literæ mihi in Senatu redditæ sunt a Lentulo nostro.* Item lib. 2. ad Q. Fratrem epist. 8. *A. d. III. Eid. Maji SCtum factum est de ambitu in Afranii sententiam, quam ego dixeram.* qui dies ambo litera N in Fastis notati sunt. Comitialibus autem diebus Senatum habere non licuisse, multis in locis docet Cicero; ad Q. Fratrem lib. 2. epistola 2. *Consecuti sunt dies Comitiales, per quos Senatus haberi non poterat.* Item lib. 8. ad Cælium, *in SCto de Provinciis Coss. extra ordinem conceditur, ut ejus rei causa per dies Comitiales Senatum haberent.* Ergo ordinarie diebus Comitialibus non licuit. Sic quidem concludit Manutius in libro de Senatu Romano, & in explicatione Fastorum. Quid igitur fiet Ciceroni, qui multis in locis, ipsis Comitialibus senatum fuisse habitum, testatur? lib. 12. ad Cornificium: *Ad XIII. Kalend. Januarii* (qui in Fastis Comitialis est) *Senatus frequens mihi est assensus, cum de cæteris rebus magnis, & necessariis, tum de provinciis.* & lib. v. ad Metellum. *Ad Nonas Jan. cum agere cœpisset* (Metellum in Senatu intellige) *tertio quoque verbo orationis suæ me appellabat.* Is quoque dies, ipso Cæsare teste, Comitialis est. Cælius lib. 8. ad Ciceronem: *Sed cum Senatus esset habitus ad XI. Kalend. Sextilis* (quem Comitialem quoque monstrant Fasti) *& referretur de stipendio CN. Pompeii.* lib. XII. epist. ad Cassium: *Lepidus tuus affinis, meus familiaris, pridie Kalend. Quintil.* (atque hic dies in Fastis Comitialis est) *sententiis omnibus hostis a Senatu judicatus est.* Quid fiet, inquam, Ciceroni? An dicemus Oratorem in foro pæne quotidianum, Consulem, Senatus Principem, JCtum divini humanique juris peritissimum, quid singulis diebus in foro, in senatu, in ipsa deinque republica agi liceat, ignorasse? Nequaquam. Quamobrem, ut Manutio, optimo Antiquario, suus conservetur honos, & dierum Comitialium jus non ignoretur, dicendum est, quemadmodum dies Comitiales, ut recte scripsit Manutius, Fasti fuere, iisque Prætori lege agere licuit, si comitia non haberentur; ita Senatum quoque die Comitiali habere jus fuisse, si populus ad comitia vocatus non esset: quod ex iis, quæ ex Cicerone paulo ante adducta sunt, probavimus. Frustra vero Manutius opinionem suam lege Pupia defendere conatur, cujus non ea fuit mens, ne omnino Comitialibus diebus Senatus haberetur; verum a XVI. Kalend. ad ipsas Kalendas Februarii Senatus haberi vetabatur, quod tum Senatores plerumque rei domesticæ constituendæ causa extra Urbem proficiscerentur. Cicero ad Appium l. III. *In ipsum discessum Senatus incidisse credo meas literas.* Et quod scribit Cicero l. 2.

ad Q. Fratrem epist. *Comitialibus diebus, qui Quirinalia sequuntur, Appius interpretatur, non impediri se lege Pupia, quo minus habeat Senatum*, non eam habet sententiam, quod lex Pupia de Comitialibus diebus quidquam sanxerit, verum ne Senatores post reditum ullis diebus consulerentur, Senatusconsultum facerent, nisi perfectis aut rejectis legationibus. Nam cum Idibus Februarii Tyriis Senatus esset datus, neque res omnino esset cognita, conqueritur Appius, judicium de Gabinio ab amicis Gabinii procrastinari, quasi Comitialibus diebus per legem Pupiam haberi non liceret. Addit enim: *Et quod Gabinia sanctum sit, etiam cogi ex Kalend. Feb. ad Kalend. Martias legatis quotidie Senatum dari*. Nefastis autem diebus Senatum haberi nullis legibus vetitum fuit. Cicero ad Brut. epist. 2. *A. D.* V. *Eid. April. litteræ mihi in Senatu redditæ sunt a Lentulo nostro*. & lib. 2. epist. 8. ad Q. fratrem. *A. D.* III. *Eid. Maii SCtum factum est, in Afranii sententiam, quam ego dixeram, cum tu adesses*. Qui dies Nefasti & in Fastis littera N notati sunt. Hactenus de Fastis omnibus diximus, restat nunc, ut de Nefastis, & Intercisis diebus agamus. Varro lib. v. de L. L. *Contrarii horum vocantur dies Nefasti, per quos dies nefas fari Prætorem, DO, DICO, ADDICO: itaque non potest agi. Necesse est eorum aliquo uti verbo, cum lege quid peragitur. Quod si tum imprudens id verbum emisit, aut quem manumisit, ille nihilominus est liber, sed vitio: ut magistratus vitio creatus, nihilo secius magistratus. Prætor qui tum fatus erat, si imprudens fecit, piaculari hostia facta piatur; si prudens dixit, Q. Mucius abnegabat eum expiari, & ut impium non posse, dicebat*. Et paullo post: *Hinc Fasti dies, quibus certa verba legitima sine piaculo Prætoribus licet fari. ab hoc Nefasti, quibus diebus ea fari, jus non est, & si fati sunt, piaculum faciunt*. His tamen neque lege, neque cum populo agi licebat. lege, quod Fastis; cum populo, quod Comitialibus essent contrarii: causas tamen agere, & conciones habere licuit. hi omnes litera N in Fastis notati sunt. reliqua vide & disce a Manutio, optimo Antiquitatum magistro, in eo libello, quo Profestorum dierum discrimina tradidit. *Intercisi dies sunt* (ut inquit ibidem Varro) *per quos mane & vesperi est Nefas; medio tempore inter hostiam cæsam & exta porrecta, Fas. a quo, quod Fas tum intercedit, Intercisi dies, aut quod tum intercisum Nefas*. Erant autem triplices, aut priore parte Fasti, posteriore Nefasti: aut priore Nefasti, posteriore Fasti: aut priore & posteriore parte Nefasti, media Fasti. Fasti priores erant, quorum pars anterior Fastus erat, posterior Nefastus, ita ut iis ante meridiem lege agere liceret, post meridiem non liceret, qui F. P. in Fastis notati erant, ut Vinalia mense Augusto notata sunt. Fasti posteriores, quorum pars posterior Fastus, prior Nefastus, ita ut iis ante meridiem lege agere non liceret, post meridiem postque sacra peracta liceret. Festus in Schedis: N. P. *nota designari solent, qui Nefasti priores sunt, quorum pars posterior Fas. His servi liberati sunt, delectus habentur, exercitus scribuntur, & in provincias ire licet, sacra quoque instituta fiunt, & vota nuncupata solvi, & ædes sacrari solent*. Hi omnes notantur N.P. aut brevitatis gratia NP, qualiter omnes fere Festos dies notatos fuisse in Fastis videre licet. His annumerari possunt dies, qui in Fastis notati sunt Q. R. C. F, de quibus ita Festus in Schedis: *Quando Rex comitiavit Fas. Sic notatum esse diem in Fastis in honorem Regis Sacrorum, ajunt, qui de feriis menstruis scripserunt, quæ Nonis Februarii in curia a Rege dicuntur: eæ vero a multis scriptoribus traditæ sunt. Nam quo die Rex in comitium venit, ejus pars anterior Nefas habetur; contra autem posterior Fas, quia sacris peractis inde abit. quod si alius pro Rege eo die in Comitio fecerit, puta Pontifex, tum hic dies totus est Fastus*. Propter Regem itaque Sacrorum dies hic ex parte Nefastus fuit, cui in comitium, nisi hoc die, ire non licuit, propterea quod neque magistratum, neque verba ad populum habere poterat. Ibat enim in comitium sacrificii causa, quo properanter peracto, protinus fuga se e comitiis proripiebat. unde Plutarchus illas notas Q.R. C. F. interpretatur, *Quando Rex Comitio Fugit*. Et Ovidius lib. III. Fastis:

*Quatuor inde notis locus est, quibus ordine lectis,*
*Vel mos sacrorum, vel fuga Regis inest.*

De hoc die Varro lib. v de L. L. *Dies, qui vocatur sic, Quando Rex Comitiavit, Fas, dictus ab eo, quod eo die Rex sacrificulus dicat ad comitium (itat* potius: nisi interpretemur ipsum, post peracta sacra, ad comitium verba fecisse de rebus divinis) *ad quod tempus est Nefas, ab eo Fas. itaque post id tempus lege actum sæpe*. Et alio loco in Festi Schedis sic: *Regifugium dies notatur in Fastis*, VI *Kalend. Martii, ut ait Verrius, ita dictus, quia eo die Rex Tarquinius Roma fugerit: quod falsum esse arguit Cincius in libro Fastorum & Julius de Feriis, qui Saliares virgines, & Salios adesse dicunt Regi Sacrorum, cum facit sacrificium in comitio, quo facto statim fugit. Quod verum cognoverit esse, qui legerit in Fastis dies tales Q.REX.C.F. id est, Quando Rex Comitiavit, Fas, id est, ad comitium itat. His enim tantum feriis Regi Sacrorum in comitium, nec aliis, ire licet. qui mos videtur ascitus ex Etruria. Erat autem* Rex Sacrorum, ut idem Festus, *qui ea sacra, quæ Reges facere sueverant, facit*. de quo plura vide apud Dionys. Halic. & Alex. in Genial. dieb. Alter his annumerandus dies ita notatur in Fastis: Q. S. D. F. hoc est, *Quando Stercus Delatum, Fas*. de quo sic Varro: *Dies qui vocatur, Quando Stercus Delatum, Fas, ab eo appellatus, quod eo die ex æde Vestæ stercus everritur, & per Capitolinum clivum in locum defertur certum*. Festus in Schedis: *Quando Stercus Delatum, Fas, eodem modo in Fastis notatur dies, qui talis est, ut ædes Vestæ eo die purgetur, stercusque in clivum Capitolinum ex æde Vestæ deferatur. cum id factum sit, tum Prætori licet fari tria verba*. Et alibi: *Stercus ex æde Vestæ* XVII *Kalend. Jul. defertur in Angiportum medium fere clivi Capitolini, qui locus clauditur porta stercoraria. tantæ sanctitatis majores nostri esse judicaverunt*. De Intercisis diebus paulo ante diximus. Atque hæc quidem de diebus Profestis, quos memoriæ ergo in hac tabula subjecimus.



## CAP. III.

*Feſti dies. quare inſtituti & a quo. quibus cæremoniis, ritibuſque celebrati, quidve iis facere vel non facere licuit.*

FEſti dies ſunt diis dicati, ut ſcribit Feſtus. Primus autem Numa Pompilius, ad quem antiqua, obſcura, & religioſa omnia referri ſolent, dierum diſcrimina inſtituiſſe dicitur, alios hominum actionibus, alios deorum cæremoniis tribuens. Faſti vero dies duplici fine inſtituti, aut ſacrorum, aut publicæ lætitiæ cauſa. Apulejus lib. de mundo, ita de ſacris: *Sunt & publicarum Epularum apparatus, & Lectiſternia Deorum, & dies Feſti, ludi Scenici, ludique Circenſes. Diis ſacrificatur, aliuſque alio fungitur munere.* De lætitia publica Seneca de Tranquillitate vitæ: *Legum conditores Feſtos inſtituerunt dies, ut ad bilaritatem homines publice urgerentur, tanquam neceſſarium laboribus interponentes temperamentum.* Feſtus autem cum adeſſet dies, per Kalatorem, aut Præconem Pontificum, (quos huic & aliis ſacris officiis deſtinatos fuiſſe ex Antiquis Marmoribus colligere licet) prænunciari ſolebat. Quod D. Ambroſ. l. 4. Epiſt. innuere videtur: *Vides*, inquit, *quemadmodum convivia Gentiles adornent, Feſta annuncient: ſed ea piis mentibus infeſtiora ſunt.* Et Arnobius lib. VII. adverſus Gentes, ubi tanquam nænias per templa, perque urbem cani ſolitum ſcribit:

LAVATIO MATRIS DEVM EST HODIE.<br>
IOVIS EPVLVM CRAS EST.<br>
ÆSCVLAPI GERITVR, CELEBRATVRQ. VINDEMIA.<br>
LECTISTERNIVM CERERIS ERIT IDIBVS PROXIMIS.<br>
TELLVRIS NATALIS EST.

Nec abludit idem D. Ambroſius ad Epiſtolam Pauli ad Corinthios I. c. 6. *Aut Judicem publicum, cui dici ſolet: Hodie dies Sacrorum eſt, jus dici non poteſt.* Primo autem mane diei Feſti, Populus lætus veſtes albas induebat. Ovid. lib. 1. Faſt.

*Veſtibus intactis Tarpejas itur ad arces,*<br>
*Et populus Feſto concolor ipſe ſuo eſt.*

Perſius:

*Scilicet hoc populo, pexuſque, togaque recenti,*<br>
*Et natalitia tandem cum ſardonyche albus*<br>
*Sede leges celſa.*

Horatius:

*Ille repotia, natales, aliſque dierum*<br>
*Feſtos albatus celebret.*

Ad januas quoque & domorum limina lucernas appendebant, lauroque poſtes ornabant. Seneca ep. LXIIX. *Quid? Tu exiſtimas ea tantum optabilia eſſe, quæ per voluptatem & otium veniunt, quæ excipiuntur foribus ornatis?* Tertullianus Apologetico: *Cur die læto non laureis poſtes adumbrantur, nec lucernis diem infringimus.* Juvenal. Sat. XII.

*Hic noſtrum placabo Jovem, laribuſque paternis*<br>
*Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.*<br>
*Cuncta nitent, longos erexit janua ramos,*<br>
*Et matutinis operitur feſta lucernis.*

Ad ſacra autem acceſſuri, primum aqua ſe pura abluebant. Perſius Satyra II.

*Hæc ſancte ut poſcas, Tyberino in gurgite mergis*<br>
*Mane caput, bis terque, & noctem flumine purgas.*

A Arnob. lib. 7. *Mactaturque hoc illis, quorum templa cum adire diſponitis, ab omni vos labe puros, lautos, caſtiſſimoſque præſtatis.* Vide Briſſonium libro primo de formulis. Toto autem die, litibus jurgiiſque abſtinebant. Cicero de legibus: *Feriarum, feſtorumque dierum ratio, in liberis requiem habet litium & jurgiorum.* Ovid. lib. 1. Faſt.

*Lite vacent aures, inſanaque protinus abſint*<br>
*Jurgia, differ opus, livida lingua, tuum.*

B Scipio apud Livium lib. XXXIIX. *Itaque hodie, cum litibus & jurgiis ſuperſedere æquum ſit, ego hinc extemplo in Capitolium ad Jovem Opt. Max. Junonemque, ac Minervam, cæteroſque Deos, qui Capitolio atque Arci præſident, ſalutandos ibo.* Supplicia quoque de nocentibus ſumere non licebat. Seneca lib. V. Controverſia IV. *Accuſatus eſt a fratre parricidii, & damnatus. Intercedentibus diebus Feſtis pœna ex lege dilata eſt.* Tacitus Annal. IV. *Ubi inter ſacra & vota, quo tempore verbis etiam profanis abſtineri mos ſit, vincula & laqueus inducantur.* Opere quoque abſtinere populus Feſto die jubebatur, ne ſi ſacra facturi opus videntes, ea polluerent. quamobrem C Præcias, Præclamatores, Kalatores (ſic enim appellabant) præmittebant, qui populum monebant, ut opere abſtinerent. Feſtus: *Præclamitatores dicuntur, qui Flaminibus, Diali, Quirinali, Martiali, antecedentes exclamant,* FERIIS PUBLICIS UT HOMINES ABSTINEANT SE OPERE, *quia his opus facientem videre irreligioſum eſt.* Idem tradit Servius ad lib. 1. Georgicorum: *Sunt enim*, ait, *aliqua, quæ, ſi Feſtis diebus fiant, ferias polluant. Quapropter & Pontifices ſacrificaturi præmittere Kalatores ſuos ſolent, ut, ſicubi viderent opifices aſſidentes, opus fieri prohibeant, ne pro negocio ſuo, & ipſorum oculos, & deorum cæremonias con-* D *taminent: Feriæ enim operæ deorum creditæ ſunt.* Quid autem Feriis fieri licuerit, aut non licuerit, hoc quidem ex parte tradit Columella lib. II. *Negant Pontifices feriis ſegetem ſepiri debere, nec oves lavari lanarum, niſi propter medicinam. permittebant autem far pinſere, faces incidere, candelas ſebare, vineam conductam colere, piſcinas, lacus, foſſas veteres tergere & purgare, prata ſicilire, ſtercora æquare*, &c. vide c. 22. Sed non licebat terram aperire, arborem collucare, nec fœnum ſecare, vincire, vehere, vindemiam cogere, hominem mortuum ſepelire. Atque hæc quidem in agro facere, vel non facere licuit; in Urbe autem Feriis Comitia E haberi fas non fuit, nec viros vocare, ut Varro in libris augurum ſcripſit: *Viros vocare feriis non oportet; ſi vocarit, piaculum eſto.* Capitis ſupplicio punire, hominemve mortuum ſepelire non licuit, aliaque multa obſervabant, quæ libro VI. Faſtorum latiſſime a nobis explicantur: *Si quis autem horum quid feriis feciſſet*, ut ſcribit Macrobius, optimus ſacrorum vindex, *is, ut religionis negligens, mulctabatur.* Præter mulctam vero affirmabant, eum qui talibus diebus imprudens aliquid egiſſet, porro piaculum dare debere; prudentem expiari non poſſe Scævola Pontifex aſſeverabat. Umbro vero nega- F bat eum pollui, qui opus, vel ad deos pertinens, ſacrorumve cauſa feciſſet, vel aliquid ad urgentem vitæ utilitatem reſpiciens actitaſſet. Scævola denique conſultus, quid feriis agi liceret, reſpondit, *quod prætermiſſum noceret.* Quapropter ſi bos in ſpecum decidiſſet, eumque paterfamilias adhibitis operis liberaſſet, non eſt viſus ferias polluiſſe: nec ille qui trabem tecti fractam fulciendo ab imminenti vindicavit ruina. Unde & Maro omnium diſciplinarum peritus, ſciens lavari ovem, aut lanæ purgandæ, aut ſcabiei curandæ gratia, pronun-

ciavit, tunc ovem per ferias licere mersari, si hoc remedii causa fieret:

*Balantumque gregem fluvio mersare salubri.*

Hisce rebus expositis, quid Feriis, Sacrisque facere vel non facere jus fuit, restat ut Fastorum dierum multiplicem divisionem breviter tradamus; id enim maxime rem, causamque instituti nostri continere videtur, ita quidem ut simpliciter eorum divisiones ex antiquorum scriptis proponamus, non etiam singula explicemus, quod in integro Fastorum opere, auspiciis Dei Opt. Max. accuratissime faciemus.

## CAP. IV.

*Multiplex Festorum dierum divisio. quid sint Sacra, Epulæ, Ludi, Feriæ, breviter explicatum.*

Dies Festus, vel sacra celebritas est, ut Macrobius tradit lib. I. Saturnal. cap. XVI. vel cum sacrificia diis offeruntur, vel cum dies divinis epulationibus celebratur, vel cum ludi in honorem aguntur Deorum, vel cum feriæ observantur. hoc est, dies Festi dividuntur in Sacra, Epulas, Ludos, Ferias. Prius itaque de Sacris dicendum erit. Sacra fuerunt, aut Publica, aut Privata. Publica fuerunt aut Deorum omnium communia, aut singulis Diis peculiaria. Communia seu Pandicularia erant, cum Diis omnibus simul sacrificatur, de quibus ita Festus: *Pandicularis dicebatur, idem & Communicarius, in quo omnibus Diis communiter sacrificabatur.* Peculiaria Deorum Sacra sunt, quæ singulis Diis, & peculiari alicui Numini fiebant. Eorum alia erant Publica, alia Privata. Publicorum rursum alia Popularia, alia Municipalia, alia mere Publica. *Popularia erant*, ut inquit Festus, *quæ universus populus, aut pars ejus maxima faciebat.* idque aut pro universo Populo, qualia erant Fornacalia, quæ farris torrendi gratia celebrabantur, Palilia in honorem deæ Palis & Urbis conditæ memoriam, Laralia pro Laribus, Compitalia pro Compitis: aut pro parte Populi, ut Ambarvalia, cum rustici pro frugibus rei divinæ causa hostiam circum arva ducebant, Paganalia seu Paganica, diversa ab iis quæ celebrabant rustici in pagis, erant sacra, quæ cives Romani pagos & humiliores Urbis locos incolentes faciebant, diversi ab iis, qui montes habitabant. Cicero pro domo: *Nullum est in hac urbe collegium, nulli pagani, nulli montani, qui de mea dignitate non decernant.* Varro lib. V. de L. L. *Paganalia*, supple sacra, *quæ sunt alicujus Pagi.* Montana vero sacra, quæ septem Urbis montes incolentes celebrabant. Varro ibidem: *Dies Septimontium nominatus ab his septem montibus, in queis sita Urbs est. Feriæ non Populi modo, sed Montanorum, ut Paganalia quæ sunt Pagi.* Festus in Schedis: *Septimontium appellatur dies mense Decembri, qui in Fastis Agonalia, quod eo die in septem Montibus fiunt sacrificia, Palatio, Velia, Fagutali, Subura, Germalo, Cœlio, Oppio, Cispio.* Curialia sacra, quæ Curiales ejusdem curiæ faciebant, Curione maximo sacra procurante, quibus magna lætitia una epulabantur. Cicero de Oratore: *Tantaque esset in homine jocunditas, & tantus in jocando lepos, ut dies inter eos curiæ fuisse videretur, convivium Tusculani. Municipalia sacra erant*, ut inquit Festus, *quæ ab initio habuerunt*, supple Municipes, *ante civitatem Romanam acceptam, quæ observare eos voluerunt Pontifices, & ex eo more facere, quo solent antiquitus.* Mere Publica voco, quod publicis sumptibus proque publica salute & imperio S. P. Q. R. fiebant. Horum alia erant stata, alia non. *Stata sunt*, ut tradit Festus, *quæ certis diebus fieri debent. Cato in ea, quam scribit de L. Veturio, de Sacrificio commisso, cum ei equum ademit: Cum tu, quod in te fuit, sacra stata, solemnia, capite sancta, deseruisti.* Horum rursus alia Romana, quæ ab ipsis regibus & pontificibus instituta sunt, ut Consualia, Terminalia, Quirinalia, Tubilustria: aut a finitimis gentibus in Latio, ante Romam conditam observata, paulatim in Urbem translata sunt, ut Carmentalia, Saturnalia, Opalia, & similia: alia Peregrina, eaque rursum, aut pace aut bello ascita, de quibus Festus: *Peregrina sacra appellantur, quæ aut evocatis Diis in oppugnandis urbibus Romam sunt conlata, aut quæ ob quasdam religiones per pacem sunt petita, ut ex Phrygia Matris Magnæ, ex Græcia Cereris, Epidauro Æsculapii, quæ coluntur eorum more, a quibus accepta sunt.* Non stata sunt, quæ pro occasione & necessitate, a Magistratibus, seu Pontificibus indicebantur. eorum alia sunt anniversaria, quæ incertis quidem diebus, singulis tamen annis fiebant, de quibus Varro lib. V. de L. L. *De statutis diebus dixi, nunc de annalibus dicam. Compitalia, dies adtributus Laribus, ut alibi. ideo ubi viæ competant, tum in Compitis sacrificatur: quotannis is dies concipitur.* & cæt. Alia quæ propter singularem aliquem eventum, victoriam, vel ingruens periculum indicebantur, ut Supplicationes, Lectisternia, Jejunia, Augurium Salutis. Privata sacra sunt, quæ privatim a singulis hominibus fiebant. Eorum alia erant singulis familiis attributa, quæ a primis urbis initiis solenni ritu a majoribus accepta observabant. Nautia gens Minervæ sacrificabat, ut meminit Virgilius. Juliæ genti sacrum Veneris tributum erat, quod Julio Ascanii filio a Sylvio Ascanii fratre datum gens Julia quasi per manus traditum, jure semper tenet. Deinde Tiberius Cæsar sacra Augusti Flaminesque Augustales Juliæ genti sacravit. Tacitus Annal. II. *Faces Augustales subdidere, quod sacerdotium, ut Romulus Tatio Regi, ita Cæsar Tiberius Juliæ genti sacravit.* De sacris Horatiæ gentis ita Livius: *Is quibusdam piacularibus sacrificiis factis (quæ deinde genti Horatiæ tradita sunt) transmisso tigillo velut sub jugum misit juvenem.* Gens Fabia in monte Quirinali sacra anniversaria obibat. Val. Max. lib. I. cap. I. de Fabio Dorsone: *Namque Gallis Capitolium obsidentibus, ne statutum Fabiæ gentis sacrificium interrumperetur, Gabino ritu cinctus, manibus humerisque sacra gerens, per medias hostium stationes in Quirinalem collem pervenit.* Valeriæ genti Ditis patris, & matris Proserpinæ sacrum domesticum fuit. Sacra Herculis, Potitiæ & Pinariæ genti fuere propria, ut Solis Aureliæ. Hinc Modestinus in l. I. §. de rit. nupt. nuptias definit Juris humani & divini communicationem. Etenim fœminæ in familiam & sacra mariti transibant. Ea sacra perpetuo apud familiam manebant. Unde præclare Cicero pro Muræna: *Nam cum permulta præclare legibus essent constituta, ea Juris consultorum ingeniis pleraque corrupta ac depravata sunt. Sacra interire illi noluerunt: horum ingenio senes ad coemptiones faciendas interimendorum sacrorum causa, reperti sunt.* Nam cum senes obirent, sacra simul interibant, & ad agnatos solos pertinebant. De his quoque in XII. Tabulis ita sancitum fuit: *Sacra privata perpetuo manento.* Item: *Ritus Familiæ, patriæque servanto.* Quibus interdici, maximæ aliquando ignominiæ notam fuisse, alibi apud Suetonium observavi. Quæ adeo stricte certisque cæremoniis observata fuere, ut Claudium augurem, qui quo minus Saturno sacrum operto capite faceret, familiaria sacra obstare sibi dicebat, a Metello Pontifice

Maximo mulctatum fuisse, apud Festum invenimus. De iisdem sic quoque Festus: *Sine sacris hereditas in proverbio dici solet, cum aliquid obvenerit, sine ulla incommodi appendice: quod olim sacra non solum publica curiosissime administrabant, sed etiam privata: relictusque hæres, sicut pecuniæ, ita etiam sacrorum erat, ut ea diligentissime administrare esset necessarium.* Alia erant, quæ quisque pro se domi suæ interque proprios lares non anniversarie, nec statuto die, sed quotidie pro libitu obibat, ut Sacra Jovis Hercei, de quibus Festus: *Herceus Jupiter intra conseptum domus cujusque colebatur, quem etiam Deum Penetralem appellabant.* De eo sic quoque Virgilius:

*Ædibus in mediis nudoque sub ætheris axe*
*Ingens ara fuit, juxtaque veterrima laurus.*

Stata quoque mater privatis in ædibus colebatur, ne lapides igne corrumperentur. Lares item, Deosque Penates in ædium penetralibus sibi propitiabant, aliosque Deos domesticos, de quibus in majoribus Fastis abunde diximus. Epulæ erant sacræ cœnæ, quas Jovi, Minervæ, cæterisque Diis in Capitolio ministrabant Septemviri Epulones. de quibus Festus: *Epolonos dicebant antiqui, quos nunc Epulones dicimus. Datum autem est his nomen, quod Epulas indicendi Jovi, ceterisque Diis potestatem habebant.* Epulares autem dicti, qui ad sacras illas epulas admittebantur. quod non omnibus, sed iis tantum fas erat, qui caste pureque accedebant. Earum aliæ erant Diales, quæ Jovi Opt. Max. in Capitolio dabantur, de quibus alibi Seneca. Aliæ Pontificiæ, de quibus Horatius lib. II. Od. XIV.

*—— Et mero*
*Tingit pavimentum superbo*
*Pontificum potiore cœnis.*

Aliæ Augurales, de quibus Cicero lib. VII. epist. ad Gallum: *In eos cum incidissem in cœna Augurali apud Lentulum.* Eæ Adjiciales quoque appellantur. Plinius lib. X. cap. XX. *Pavonem primus occidit Hortensius adjiciali cœna Sacerdotii.* Varro lib. III. cap. VI. *Primus bos Q. Hortensius Augurali adjiciali cœna dicitur apposuisse.* & Macrobius lib. II. cap. IX *Primus bos Q. Hortensius Augurali adjiciali cœna dicitur apposuisse.* Aliæ Saliares, quas Salii Sacerdotes instituebant, quæ valde quoque erant opiparæ, de quibus Horatius lib. I. Carminum Od. XXXVII.

*—— cum Saliaribus*
*Ornare pulvinar Deorum*
*Tempus erit dapibus sodales.*

Adde Festum in Salios. Aliæ Cereales in honorem Cereris positæ. Plautus in Menæchmis:

*Cereales cœnas dat, ita mensas extruit,*
*Tantas strucies concinnat patinarias:*
*Standum est in lecto, si quid de summo petas.*

Aliæ Albanæ, quæ in Albano monte; aliæ Capitolinæ, quæ in Capitolio celebrabantur. de quibus Martialis:

*Non Albana mibi sit commessatio tanti,*
*Nec Capitolinæ Pontificumque dapes.*

Ludorum celebritas placandis Deorum pœnis ab Hetruscis Romam petita fuit C. Sulpitio Pætico, C. Licinio coss. Val. Max. lib. II. c. IV. Adde Festum in *Romani videntur*. Eorum alii Deorum honori, alii Hominum gratiæ instituti sunt. alii rursum Sta-

A ti erant, certisque diebus Fastis adscripti, de quibus singulis suo loco dicemus; alii non Stati, quorum ritum & divisionem vide apud Lipsium in Saturnalibus. *Feriæ a feriendis victimis*, ut inquit Festus, *appellatæ sunt*. Harum aliæ Publicæ fuerunt, aliæ Privatæ. Feriæ Publicæ sunt, quæ ab universo populo Romano peragebantur. Publicæ item dividuntur in Stativas, Conceptivas, Imperativas, Nundinas. Feriæ Stativæ sunt universi Populi communes, certis & constitutis diebus ac mensibus, & in Fastis statis observationibus annotatæ, ut Carmentalia, Agonalia, Lupercalia. Conceptivæ sunt, quæ quotannis a magistratibus, vel
B sacerdotibus concipiebantur in dies certos vel incertos, ut sunt Compitalia, Feriæ Latinæ, Sementinæ, Paganicæ. de quibus sic Varro lib V. de L. L. *Compitalia, dies adtributus laribus, ut alibi: ideo ubi viæ competunt, tum in compiteis sacrificatur. quotanneis is dies concipitur. Similiter Latinæ Feriæ dies conceptivus, dictus a Latineis populeis, quibus ex Albano monte ex sacreis carnem petere fuit jus cum Romaneis: a quibus Latineis Latinæ dictæ. Sementinæ Feriæ, dies is qui a Pontificibus dictus, appellatur a semente, quod sationis causa susceptæ. Paganicæ, ejusdem agriculturæ causa susceptæ, ut haberet in agreis omnis pagus: unde Paganicæ dictæ sunt.*
C Imperativæ Feriæ erant, quas Consules vel Prætores pro arbitrio potestatis suæ indicebant, quales erant Feriæ Novendiales, Feriæ Regiæ. de quibus sic apud Festum: *Novendiales Feriæ*, inquit, *dicuntur institutæ a Tullo Hostilio Rege ex monitu procurandis prodigiis nono die in feriis Latinis: sive quod in monte Albano lapidibus pluisset, sive quod vox esset audita, ut Albani suo ritu facerent, quæ omiserant sacra. nam ab his illa tunc sunt revocata, quæ amissa civitate pæne funditus deleta, negligere sequentibus temporibus cœpissent.* de Regiis Feriis sic: *Regiæ Feriæ dictæ videntur, quæ fiunt fori, conventus, & nundinarum causa, in civitate aliquem per Sacerdotem, qui sit Regia majestate. sed non semper ob hanc*
D *unam causam tantum, quia homini talis majestatis cura data est, cum expiatio ictus fulguris fit, aut in procurando portento simili, quo Regiæ feriæ fieri etiam solitæ sunt.* Sunt & aliæ Feriæ, quas brevitatis causa hic omittimus. Hæ omnes cum die festo erant, nundinæ autem sine die festo, de quibus capite VI. agemus. *Feriæ privatæ*, inquit Festus, *vocantur propriorum sacrorum.* Harum aliæ sunt certæ alicujus familiæ vel gentis, quæ Gentilitiæ appellantur, quales erant Claudiæ, Æmiliæ, Juliæ, Corneliæ, de quibus supra in sacris familiarum diximus; aliæ sin-
E gulorum hominum. Earum rursus aliæ rei divinæ causa, ut fulgurum susceptiones, cum fulgura procurarent; Denicales Feriæ, cum hominis mortui causa familia purgabatur; qui salutem, Semoniam, Sejam, Segetiam, Tutilinam, apud antiquos nominasset, ferias observabat. Item Flaminica, ut scribit Macrobius, quoties tonitrua audiisset, feriata erat. Aliæ rei casusve humani causa, quæ singuli homines domi suæ privatim observabant, quales erant Parilia, de quibus Festus: *Parilia festa sibi observanda judicant privatim ipsæ quoque puerperæ domi instratis, uti pariendo ab iis quasi stabilantur.*
F Natalia, cum diem suum quisque natalem celebrabat, in quo viri Genium Deum Natalem vocabant, ut testatur Tibullus:


*At tu Natalis quoniam Deus omnia sentis,*
*Annue.*

Mulieres autem Junonem Natalem venerabantur, ut apud eundem Tibullum:

*Natalis Juno, sanctos cape thuris honores.*

Nominalia, qui idem dies Lustricus appellabatur,

de quo sic Festus: *Lustrici dies infantum appellantur, puellarum octavus, puerorum nonus, quia bis lustrantur atque eis nomina imponuntur.* Similiter dies Tyrocinii sive togæ virilis feriatus erat, quo auspicii causa, tyrones a patre proximisque solenni officio in forum, atque inde in Capitolium deduci solent. Suetonius Augusto cap. XXVI. *Tertiumdecimum consulatum biennio post ultro petiit, ut Cajum & Lucium filios amplissimo præditus magistratu, suo quemque tyrocinio deduceret in forum.* Plinius libro X. epist. *Qui virilem togam sumunt, vel nuptias faciunt, vel ineunt magistratum, solent totam bulen, atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare, binosque denarios vel singulos dare.* Juvenalia item feriæ erant, cum juvenibus barba raderetur, quo ut tyrocinii die pueros exuebant, sic rasa barba juventutem, inque viros transibant. A Dio lib. XLVIII. *Cæsar tum primum barbam radens, & ipse diem eum plane festum habuit.* & Tertullianus libro de Anima: *Quis non exinde aut totum filii caput reatui vovet, aut aliquem excipit crinem, aut tota novacula prosecat, aut sacrificio obligat, aut sacro obsignat pro publica aut privata devotione.* Hosce dies omnes, ut & Nuptiales, & dies Fatales, cum mortui humarentur, item Parentalia, nonus a funere dies, qui & Sacrum Novendial appellatur, inter ferias repono, quod iis & homines feriati essent & Diis sacrificaretur. Atque hæc quidem de Festis diebus earunque differentiis breviter dicenda habui, quibus B contrarii sunt dies Atri seu Religiosi, de quibus nunc quædam ex intimis antiquitatum penetralibus proferemus.




## CAP. V.

*De Atris seu Religiosis diebus, eorumque observatione.*

ATri *dies dicuntur*, inquit Nonius cap. I. nu. 40. *quos nunc nefastos, vel posteros vocant. Afranius Fratriis: Septembris heri kalendæ, hodie atri dies.* Veteres enim felicia omnia albo, & contra infausta & ominosa atro colore notabant, & dies felices albos, inauspicatos nigros appellabant, hosque carbone, illos creta signabant. Horatius in Od.

*Cressa neu careat pulchra dies nota.*

Item Persius Satyra III.

*Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo.*

Idem Satyra V.

*Quæque sequenda forent, & quæ vitanda vicissim*
*Illa prius creta, mox hæc carbone notasti.*

Quem morem a Scythis translatum ferunt, qui vesperi, priusquam dormirent, calculum in pharetram E mittebant, candidum, si forte is dies citra molestiam abiisset; atrum, si secus. Demum ubi quis vita decederet, ejus pharetram proferebant, in qua si plures candidos calculos reperissent, felicem; si plures nigros, infelicem vixisse pronunciabant, atque hinc vitæ summam æstimabant. Quod ut superstitiosum notavit Plinius libro VII. cap. 40. *Vana*, inquit, *mortalitas, & ad circumscribendam se ipsam ingeniosa, computat more Thraciæ gentis, quæ calculos colore distinctos pro experimento cujusque diei in urnam condit, ac supremo die separatos dinumerat, atque ita de unoquoque pronunciat. Quid, quod iste calculi candore illo laudatus dies ori-* F *ginem mali habuit?* Iidem dies Religiosi dicebantur. Nonius cap. IV. num. 387. *Religiosos quoque dies infames vel infaustos lib. XI. Commentariorum Grammaticorum Nigidius appellavit.* Religiosi autem, quod religione alicujus rei non faciendæ obligati erant. dicebantur enim *Religiosi*, ut inquit Festus, *qui faciendarum prætermittendarumque rerum*

*divina-*

*divinarum secundum morem civitatis delectum habent, nec se superstitionibus implicant.* Idem Festus in *Religiosus*: *Dies autem Religiosi, quibus, nisi quod necesse est, nefas habetur facere, quales sunt sex & triginta atri qui appellantur, & Alliensis, atque ii quibus mundus patet. Esse, Gallus Ælius, quod homini ita facere non liceat, ut, si id faciat, contra Deorum voluntatem videatur facere. quo in genere sunt hæc: In ædem Bonæ Deæ virum introire, adversus mystica legem ad populum ferre, die nefasto apud Prætorem lege agere.* Primo inter atros, religiosos, & infaustos numerantur dies postriduani omnes, hoc est, postridie Kalendas, Nonas, Eidus, qui omnes sunt singulis mensibus terni, numeroque XXXVI. Cujus rei causam ex M. Verrii Flacci lib. IV. de verb. signif. ita refert Agellius lib. V. cap. 17. *Urbe*, inquit, *a Gallis Senonibus recuperata L. Atilius in Senatu verba fecit, Q. Sulpitium trib. mil. ad Alliam adversus Gallos pugnaturum, rem divinam dimicandi gratia postridie Idus fecisse: tum exercitum populi Romani occidione occisum, & post diem tertium ejus diei Urbem præter Capitolium captam esse. Compluresque alii Senatores recordari dixerunt, quoties belli gerendi gratia res divina postridie Kalendas, Nonas, Idus a magistratu populi Romani facta esset, ejus belli proximo deinceps prælio rem publicam male gestam esse. Tum Senatus eam rem ad Pontifices rejecit, ut ipsi, quod videretur, statuerent. Pontifices decreverunt nullum iis diebus sacrificium recte futurum.* A. D. IIII. Kalendas, Nonas, Eidus, ominosi dies erant, de quibus sic Festus in Schedis: *Nonarum postridie, Iduum, Kalendarum dies alieni habentur. Item novæ nuptæ A. D. IV. Kalendas, Nonas, Eidus, diem atrum inlucessere, quoniam decreto Pontificum atri hi dies esse judicati sunt, quod, quotiescumque Romani duces belli gerendi gratia his diebus supplicavere, male rem publicam gessere.* Macrobius Saturnal. lib. I. cap. 16. *Ante diem quoque quartum Kalendas, vel Nonas, vel Eidus, tanquam inominalem diem plerique vitant. Ejus observationis an religio ulla sit tradita, quæri solet: sed nos nihil super ea re scriptum invenimus, nisi quod Q. Claudius Annal. V. cladem illam vastissimam pugnæ Cannensis factam refert ante diem quartum Nonas Sextilis.* Infausti item dies erant, quibus mundus patebat, de quibus sic Festus: *Mundus, ut ait Attejus Capito in L VII. Pontificali, ter in anno patere solet, diebus his: postridie Volcanalia, & ante diem sextum Iduum Novemb. qui, quid ita dicatur, sic refert Cato in commentariis Juris Civilis. Mundo nomen impositum est ab eo mundo, qui supra nos est: forma enim ejus est, ut ex his qui intravere, cognoscere potuit, adsimilis illæ ejus inferiorem partem veluti consecratam dis Manibus clausam omni tempore, nisi his diebus, qui supra scripti sunt, majores censuerunt: quos religiosos judicaverunt ea de causa, quia quo tempore ea quæ occulta & abdita religionis deorum Manium essent, veluti in lucem quandam adducerentur & patefierent, nihil eo tempore in Rep. geri voluerunt. itaque per eos non cum hoste manus conserebant, non exercitus scribebatur, non comitia habebantur, non aliud quicquam in rep. nisi quod ultima necessitas admonebat, administrabatur.* Quemadmodum & is dies, quo penus Vestæ patebat, inominalis, habebatur. de quo sic idem Festus: *Penus vocatur locus intimus in æde Vestæ tegetibus septus, qui certis diebus circa Vestalia aperitur. Ii dies religiosi habentur.* Ii dies erant postridie Vestalia, postridie Matronalia, & postridie Iduum Junii. Duplex autem penus erat in æde Vestæ. Exterior, in qua pila pistoria, olla fritilis, furnus in quo muriem coquebant Vestales, item seria, in qua aqua jugis ad sal miscendum: interior, quæ & *penetrale* dicitur, in qua æternus ignis, Palladium, diique Romæ Penates asservabantur. Dies etiam, quo ad Alliam, Cremeramque exercitus Romanus fusus est, infamis habitus est. Cicero ad Atticum: *Non majores nostri funestiorem diem esse voluerunt Alliensis pugnæ, quam Urbis captæ, quod hoc malum ex illo.* Festus: *Alliensis dies dicebatur apud Romanos obscœnissimi ominis, ab Allia fluvio scilicet, ubi Romanus fusus a Gallis exercitus est.* Tacitus item lib. II. Historiar. *Apud civitatem cuncta interpretantem funesti ominis loco acceptum est, quod maximum pontificatum adeptus Vitellius, de cærimoniis publicis XV. Kalendas Augusti edixisset, antiquitus infausto die Cremerensi Alliensique cladibus. Adeo omnis humani divinique juris expers, pari libertorum amicorumque socordia, velut inter temulentos agebat.* Post Julium Cæsarem a Bruto & Cassio in curia interfectum Idus Martiæ inter infaustos dies relatæ. Suetonius Julio cap. 88. *Curiam, in qua occisus est, obstrui placuit, Idusque Martias Parricidium nominari, ac ne unquam eo die senatus ageretur.* Idem constitutum de die natalis Agrippinæ, qui nefastis quoque, hoc est, funestis, (male enim nefasti dicuntur, cum non omnes nefasti sint funesti, seu atri & religiosi, ut Verrius & Festus recte eam ob causam vulgus increpant) annumeratus fuit. Tacitus Annal. XIV. *Dies natalis Agrippinæ inter nefastos esset.* Augustus quoque Nonas omnes, & postridie nundinas tanquam rei gerendæ ominosas vitabat. Suetonius Augusto cap. 92. *Observabat & dies quosdam, ne aut postridie nundinas quoquam proficisceretur, aut nonis quicquam rei seriæ inchoaret, nihil in hoc quidem devitans, ut ad Tiberium scribit, quam dysphemiam nominis.* Postridie nundinas quidem, quod postridie omnia fera & intempestiva sunt, & qui mercatum eunt, non postridie, sed ipsis nundinis vel ante proficiscantur, ut nundinis intersint: Nonas autem propter vocabuli omen, quasi *non eas*. Simile illi, quod de eo, qui cauneas vænales clamabat, refert Plinius lib. XV. cap. 9. *cauneas*, quasi *cave ne eas*. Hisce atris & religiosis diebus nihil publice privatimque auspicari fas erat, neque lege agere, neque senatum habere, neque populum ad comitia vocare, neque nuptias inire, exercitum conscribere, parentare, neque sacra facere, quod iis diebus Janum Jovemque præfari, deos precari, vel quicquam auspicato aggredi irreligiosum habebatur. Hisce dierum differentiis annumerari possunt dies Justi, qui erant triginta, quibus exercitus imperabatur, & vexillum in arce ponebatur; Præliares item dies, quibus fas erat hostem bello lacessere; Comperendini, quibus vadimonium dicere licebat; Stati, qui judicii causa cum peregrino instituebantur; aliique, quos in magno Fastorum opere accuratius explicabimus. Sequitur nunc, ut de Kalendis, Nonis, Eidibus, & Nundinis quædam ex antiquorum fragmentis proferamus.

---

## CAP. VI.

*De Kalendis, Nonis, Eidibus, & Nundinis, earumque Festis & solemnibus.*

Mensis omnis apud Romanos dividebatur in Kalendas, Nonas, & Eidus. Kalendæ erant mensis cujusque dies primus, de quibus sic Varro lib. V. de L. L. *Primi dies mensium nominati Kalendæ, ab eo quod his diebus kalentur ejus mensis Nonæ a Pontificibus, quintanæ an septimanæ sint futuræ, in Capitolio in curia Kalabra, sic dictæ, QUINQUE KALO JANA NOVELLA. SE-*

*PTEM KALO JANA NOVELLA*. Sic enim legendum docet Scaliger, pro *Juno Novella*, quod confirmatur auctoritate Nigidii apud Macrobium lib. I. Saturnal. cap. IX. *Pronunciavit*, inquit, *Nigidius, Apollinem Janum esse, Dianamque Janam, apposita* d *litera*. & Varronis in libris rerum Rusticarum: *Nunquam rure audisti, octavo Janum crescentem & contra senescentem? Et quæ crescente & senescente fieri oporteret? Et tamen quædam melius fieri, post octavo Janum quam ante?* Luna autem, Diana, & Jana eædem erant. Varro lib. IV. de L. L. *Sol, vel quod ita Sabini, vel quod solum ita lucet, ut ex eo dies sit. Luna quod sola lucet noctu. itaque ea dicta Noctiluca in Palatio; nam ibi noctu lucet templum. hanc, ut Solem Apollinem, quidam Dianam vocant Apollinis*. & paulo post; *Facta igitur a juvando & luce Juno Lucina: a quo parientes eam invocant. Luna enim nascentium dux, quod mensis hujus. Hoc vidisse antiquos apparet, quod mulieres potissimum supercilia sua attribuerunt ei Deæ*. A primo autem Lunæ aspectu Romulus menses auspicabatur, quod Kalendarum, Nonarum, & Eiduum appellatio satis arguit, & confirmat Macrobius l. I. Saturnal. cap. XV. *Romulus cum ingenio acri quidem, sed agresti statum proprii ordinaret imperii, cujusque mensis ex illo sumebat die, quo novam lunam contigisset videri. Pontifici vero minori* (maximo vero in minorum Pontificum collegio, qui erat primus in id collegium adlectus, ut docet Festus) *hæc provincia delegata erat*, ut Macrobius eodem capite tradit, *ut novæ lunæ primum observaret aspectum, visamque Regi sacrificulo* (qui regia omnia peragebat sacra) *nunciaret. Sacrificio vero a Rege, & Pontifice minore celebrato, idem Pontifex Kalato in Capitolium populo juxta Curiam Kalabram, quæ casæ Romuli proxima erat, quot numero dies a Kalendis ad Nonas superessent, pronunciabat*, eodem ritu quo supra ex Varrone annotatum est. Ejus Kalendaris ritus ac sacrificii morem ab Etruscis quidem Romanos, & ceteros Latii populos habuisse credibile est; verum a sacra populi Israelitici republica, quæ novilunia omnia Festa habebat, & tubæ clangore denunciabat, diabolo auctore, rerum divinarum simia, translatum esse arbitror. Israelitæ enim neomenias, sacrificiorum mactatione, tubarumque clangore colebant. Numeri cap. XXVII. v. II. *Idem in initiis mensium vestrorum offertote holocaustum Jehovæ, juvencos subrumos binos, & arietem unum, agnos anniculos septenos integros*. & paulo post: *Hoc holocaustum mensis ineuntis esto in initio suo, per singulos menses anni*. Psalm. LXXXI. v. 4. *Clangite in novilunio buccina, stativis quibusque feriis, diebus festis nostris. Nam statutum in Israele est, ritus a Deo Jacobi*. Num. cap. X. v. 10. *In die quoque lætitiæ vestræ, & in solemnitatibus vestris, & in principiis mensium vestrorum, similiter clangetis tubis illis, ad holocausta vestra*. Græci quoque mensium suorum initia festis solemnibus celebrabant. Nam primo mensis die Deos magnos, Jovem, Apollinem, Minervam venerabantur, postridie Semideos. Apud Athenienses vini sextarius, ac farinæ modius, ex qua molas sacras conficiebant (confer hæc quæso cum Numerorum cap. XXVII. v. 12. 13. 14. & mirare, quam artificiose diabolus apud gentiles divina illa sacrificia adumbrarit) nec non singula pecora regibus ad sacrificium, quod Apollini, in cujus tutela mensium initia, fiebat, dabantur. Apud Romanos autem Kalendæ omnes in Junonis tutela erant. Ovid. I. Fast.

*Vendicat Ausonias Junonis cura Kalendas,*
*Idibus alba Jovi grandior agna cadit.*

Unde Juno *Kalendaris* dicta fuit, summoque in honore apud Laurentes habita. De Nonis sic Varro: *Nonæ appellatæ, aut quod ante diem nonum Eidus semper, aut quod ut novus annus Kalendæ Januariæ ab novo sole appellatæ, novus mensis, nova luna Noneis. Eodem die enim in urbem ab agreis ad Regem conveniebat populus. Harum rerum vestigia apparent in sacreis Nonalibus in arce: quod tunc ferias primas menstruas, quæ futuræ sint eo mense, Rex prædicit populo*. De iisdem sic Festus: *Nonas quidam a nova luna, quod in eas concurreret principium lunæ. Alii quod semper ante diem Iduum nonum essent, scribique ideo debere primam appellationis ejus syllabam adjecta* u *littera*. Postremum illud Nonarum etymum eo mihi verisimilius est, quod, ut ex Varrone modo recitavimus, ante Nundinas institutas, quæ nono quoque die observabantur, ipsis Nonis mercaturæ & sacrorum causa populus ad Urbem conveniret. Nonæ nullum deum tutelarem habebant. *Eidus*, inquit Varro, *ab eo, quod Tusci Itus, vel potius quod Sabini Eidus dicunt*. Macrobius lib. I. Saturnal. c. 15. a Tuscis Iduum originem deducit, apud quos is dies *Itis* vocatur. Itim autem illi interpretabantur Jovis fiduciam; Jupiter enim Nonis præerat, ut Juno Kalendis. Alii putant Idus, quod ea die plena luna videatur, a *videndo*, detracta *u* litera, appellatas esse. Nonnullis placet Idus dictas οἷον ἀπό τοῦ εἴδους, quod eo die plenam speciem luna demonstret. Sunt & qui existimant Idus ab ove *iduli* dictas, quam ita appellabant Tusci, quæ omnibus Idibus Jovi a flamine immolabatur. Verum nobis cum Macrobio magis videtur rationi consentaneum, Idus dictas esse ab *iduando*, hoc est, *dividendo*: Iduare enim Hetrusca lingua est dividere, Idus autem mensem dividebant. Primis Urbis initiis Nonis populus mercatus sacrorumque causa, ut modo ex Varrone probavimus, in Urbem confluebat singulis mensibus tantum semel. Verum crescente plebis multitudine, cum frequentior populi conventus, tum mercatus, tum legum ferendarum causa, quæ trinundino promulgabantur, esset necessarius, Nundinæ institutæ sunt. Sed quis earum auctor fuerit inter tot illustres rerum Romanarum scriptores nondum convenit. Tuditanus earum originem Romulo assignavit, Cassius Servio Tullio tribuit: at Geminus, & togatorum omnium doctissimus Varro post Reges exactos Nundinas celebrari cœpisse scripsere. Quod etsi pæne incertum sit, constat tamen apud omnes a Romanis institutas esse, ut octo quidem diebus in agris rustici opus facerent, nono autem die intermisso rure ad mercatum, legesque accipiendas Romam venirent, & ut scita atque consulta frequentiore populo referrentur, quæ trinundino die proposita, a singulis & universis facile noscebantur. Erant autem & Feriatæ & Nefastæ. Feriatæ quidem, ut Cæsar lib. XVI. Auspiciorum scripsit, ne cum populo agi, aut comitia haberi Nundinis feriarum causa liceret: Nundinis autem, ut Granius Licinianus lib. 2. traditum reliquit, Flaminica in regia Jovi arietem immolare solebat. Nefastæ autem, quia apud Prætorem populus sacris legibusque intentus occuparetur. Festus: *Nundinas feriarum diem esse voluerunt antiqui, ut rustici convenirent mercandi vendendique causa; eumque nefastum, ne, si liceret cum populo agi, interpellarentur nundinatores*. Postea vero lege Hortensia, ut scribit Macrobius, Fastæ sunt factæ, ut rustici, qui nundinandi causa in Urbem veniebant, lites componerent; simulque magistratibus jus fuit, Nundinis manumittere, judiciaque exercere. Summa vero religione a Pontificibus cavebatur, ne Nundinæ, vel in Nonas cujusque mensis, vel Kalendas Januarii inciderent. De Nonis quidem sic Macrobius lib. I. Saturnal. cap. XIII. *Nonis autem*

*conventus universæ multitudinis vitandus existimabatur, quoniam populus Romanus, exactis etiam regibus, diem hunc Nonarum maxime celebrabat, quem natalem Ser. Tulli existimabant. Quia cum incertum esset, quo mense Servius Tullus natus esset, Nonis autem natum esse constaret, omnes Nonas celebri notitia frequentabant. Veritos ergo qui diebus præerant, ne quid Nundinis collecta universitas, ob Regis desiderium novaret, cavisse, ut Nonæ a Nundinis segregarentur.* Si vero in Kalendas Januarii Nundinæ incidissent, totus ille annus ominosus & luctibus infamis habebatur. Macrobius ibidem; *Nam quoties incipiente anno dies cœpit, qui addictus est Nundinis, omnis ille annus infaustis casibus luctuosus fuit: maximeque Lepidiano tumultu opinio ista firmata est.* Dio lib. XL. *Ea res cum aliis malis ansam præbuit, & Nundinæ, quæ nono quovis die celebrabantur, ut ipsis Kalendis Januarii agerentur, effecit.* Quamobrem ut Nundinæ a Nonis & Kalendis Januarii averterentur, huic malo ita medebantur, ut si annus esset communis, communem aliquem diem; si bissextilis esset, diem illum qui ex quatuor quadrantibus conficiebatur, intercalabant, ut si Nundinæ in Kalendas Januarii inciderent necessario, fini anni; si in mensis cujusvis Nonas, inter pridie & Nonas ipsas, diem adderent; in quem Nundinas rejicerent. quem rursum in anno communi pridie Terminalia; in anno bissextili mensis Intercalaris, seu XXII. seu XXIII. esset dierum, extremo die eximerent, ut illustris & honoris præfatione nominandus Scaliger in divino opere de Emendatione temporum lib. v. cap. de Bissexto ab Augusto correcto, accuratissime contra Macrobium docuit. Nundinæ autem in Fastorum tabulis, priore ordine literis ab A ad H in ordinem redeuntibus notatæ sunt, ut A semper Nundinas designet, ut cuivis Fastos inspicienti patebit. Hæc habui, quæ de Fastorum Kalendarium origine, deque Romanorum dierum Civilium, Festorum, Profestorumque divisione, jure, sacris, & cærimoniis ex ipsis antiquorum fragmentorum penetralibus hoc tempore proferenda existimavi, quo præcidanea tantum polliciti sumus, primamque hujus operis partem absolvisse videmur. In quo, etsi non ignorem, me doctis & curiosis antiquariis non satisfecisse, & forte aliquoties allucinatum esse; spero tamen æquos rerum æstimatores laborem hunc & industriam nostram, in tot antiquitatum monumentis perlustrandis exantlatam, probaturos, & non ita magnis erroribus jucundissimam rerum antiquarum cognitionem, quam ex materiæ, a nullo, quod sciam, hac methodo tractatæ, lectione percipient, prælaturos. Reliquum est, ut alteram hujus opusculi partem, qua Sacrorum, Epularum, Ludorum, Feriarumque, quæ in Fastis notata sunt, explicatio continetur, pari brevitate absolvamus.

---

## CAP. VII.

*De Festis & Feriis mensis Januarii.*

K. IAN) *Kalendæ Januarii* erant Fastæ, ut eo die & prætores judicia, & opifices manuarii artes & opificia sua ominis causa in annum sequentem auspicarentur. Ovid. I. Fast.

*Tempora commisi nascentia rebus agendis,*
*Totus ab auspicio ne foret annus iners.*
*Quisque suas artes ob idem delibat agendo,*
*Nec plus quam solitum testificatur opus.*

Jano vero hujus mensis præsidi, Janual (libi genus est) cum mola salsa, palmam item, caricam, & mel offerebant, lætis precationibus invicem ominabantur, a suppliciis reorum verbisque profanis abstinebant, consulatum inibant, strenas invicem mittebant, & lapsa republica Imperatoribus stipes dabant. vide Ovid. I. Fast. Sueton. Augusto, Dionem, Tacitum, Plinium, Festum, aliosque Antiquitatum auctores.

C.C.) Tertio Nonas pro incolumitate Principum vota concipere solebant. Capitolinus Pertinace: *Tertium Nonarum diem votis ipsis milites*, &c. Torrentius tamen putat votorum solemnitatem triduanam, & Kalendis Januariis auspicatam fuisse. Plin. ad Trajanum; *Solemnia vota pro incolumitate tua, qua salus publica continetur, & suscipimus & solvimus, precati Deos, ut velint ea semper solvi, semperque signari.*

AGON.) *Agonalia* ter in anno celebrata fuere, prima v. Eiduum Januarii, de quibus nunc agimus, altera XII. Kalend. Junii, postrema III. Eid. Decembris. Agonalia vero a Numa instituta feruntur, & Jano rerum agendarum præsidi dicata, cui tunc Rex arietem immolabat hostiam, quam *agoniam* veteres dicebant. De iis sic Varro lib. v. de L. L. *Dies Agonales, per quos Rex in regia arietem immolat, dicti ab agone, eo quod interrogatur a principe civitatis, & princeps gregis immolatur.* Idem Ovid. lib. I. Fast. Seneca 2. Suasoria. Festus lib. I. hujus sacri varias appellationes sic complectitur: *Agonium dies sic appellatur, quo rex hostiam immolabat. hostiam enim antiqui Agoniam vocabant. Agonium etiam putabant deum dici præsidentem rebus agendis: Agonalia ejus festivitatem. Sive quia Agones dicebat montes, Agonia sacrificia quæ fiebant in monte: hinc Romæ mons Quirinalis Agonus, & Collina Porta Agonensis. Agonium, id est, ludum, ob hoc dictum, quia locus, in quo ludi initio facti sunt, fuerit sine angulo, cujus festa Agonalia dicebantur.* Quod certe non displicet; nam & Romæ circus Agonalis fuit, in quo hujumodi ludi acti fuere.

CAR.) *Carmentalia* erant sacra deæ Carmentæ, quæ Evandri mater fuit, fatidica, & Phœbi numine afflata, unde quidam carminum appellationem deducunt: cui post mortem inter Deos relatæ ad infimam partem Capitolii, ubi viva habitaverat, sacellum struxere, ludosque & sacra in honorem ejus instituere, tum quod præclara de magnitudine imperii Romani esset vaticinata, tum quod populos ad mores vitamque civilem perduxerat, & literas edocuerat. Quamobrem & huic deæ, omnium post Janum antiquissimæ, primum in Fastis anni locum esse assignatum arbitror.

CAR.) Hoc die iterum sacra *Carmentalia* ex SCto facta sunt, quæ a matribus familias singulis annis fiebant in memoriam carpentorum, quibus ad sacra ludosque ferri solebant, erantque veneti coloris, quod ipsis propter singularem pietatem concessum est A. U. C. CCCLX. dum omnia sua ornamenta Apollini ex voto dono conferendo in ærarium detulissent; *Quæ res*, Livius lib. v. *grata ut quæ maximæ Senatui unquam fuit, honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosque, carpentis festo profestoque uterentur.* adde Festum in *Matronis*, & in *Pilentis*, & Plin. lib. XXXIII. cap. II.

CONCOR.) *Concordiæ* hoc die templum dedicatum fuit. Ovidius lib. I. Fast.

*Nunc bene prospicies Latiam, Concordia, turbam,*
*Nunc te sacratæ constituere manus.*
*Furius antiquus populi superator Hetrusci*
*Voverat, & voti solverat ille fidem.*

CAST.) *Castoris* & *Pollucis* sacrum hoc die fuit,

ut ex Ovidii Faftis adjeci. Qui cum bello Latino ad amnem Numicum fudorem equorum abftergere vifi effent, moxque ex hominum confpectu fe eripuiffent, tanquam dii propitii anniverfariis facris coli cœpere. Ovid. I. Faft.

*Fratribus illa dies, fratres de gente deorum*
*Juxta Juturnæ compofuere lacus.*

de reliquis Caftorum facris Kalend. Maii & Eid. Julii dicetur.

PACAL.) *Pacalia* in honorem Pacis, cujus aram & ftatuam Auguftus primum dedicavit, Agrippa perfecit. Dio lib. LIV. in fine. & hoc die facrificatum fuit. Ovid. I. Faft.

*Ipfum nos carmen deduxit Pacis ad aram:*
*Hæc erit a menfis fine fecunda dies.*

---

## CAP. VIII.

*De Sacris & Feriis menfis Februarii.*

FEbruarius menfis antiquiffimi fuit anni ultimus, ideoque luftrationibus dedicatus, ut fine anni, quidquid labis toto anno contraxerant, expurgarent. *Februare* enim idem erat quod purgare. Feftus.

FAUN.) *Faunalia*. ex Ovidio addidi. Sacra erant in honorem Fauni dei, de quo ita Dionyf. Halic. lib. I. *Tunc autem apud Aborigines regnum a majoribus acceptum tenebat Faunus, a Marte, ut ajunt, oriundus, vir non folum ad res gerendas promptus, fed etiam prudens, ipfumque Romani facrificiis carminibufque, ut unum de diis patriis, honorant.* Probus fcribit Faunum primum ædificia numinibus lucofque facraffe, atque ab hoc fana effe dicta. De Faunis autem diis fylveftribus fic Varro lib. VI. de L. L. *Fauni dei Latinorum, ita ut Faunus & Fauna fint in verfibus, quos vocant Saturnios, in fylveftribus locis traditum eft fari: a quo fundo Faunos dictos* Fauni vero templum fuit in Infula Tyberina, de quo fic Ovid. Faft. II.

*Idibus agreftis fumant altaria Fauni*
*Hic, ubi difcretas infula rumpit aquas.*

LUPER.) *Lupercalia* facra Pani deo Arcadiæ, cui fub Lycæi nomine, quod lupos in oves fævire non fineret, mons in Arcadia; in Latio fub nomine Luperci, quod lupos arceret, mons Palatinus ab Evandro ex Arcadia oriundo confecratus fuit, & Lupercal nominavit fpeculam fub monte Palatino, & ipfa facra, Lupercalia, quæ ibi obibant. Luperci vero ante Panis facerdotes, in duos ordines divifi, quorum Fabiani Romulo, Quintiliani Remo addicti erant. Ovid. II. Faft. Poftremo acceffit tertius ordo Julianorum, in honorem Julii Cæfaris. Dion lib. XLIV. Turneb. Adverf. lib. VII. cap. III. Hi quidem capram candidam immolabant, & canem lupis infeftum animal, quorum fanguine frontes & ora invicem fœdabant, lanaque lacte madida detergebant. quo facto omnes in rifum foluti caprarum terga in lora incidebant, queis nudi undique in orbem tripudiantes a ficu Ruminali per montem Palatinum Urbem percurrebant, obviofque feriebant, ipfæque adeo fœminæ Lupercis occurrebant, palmafque feriendas præbebant, fœcunditatem & partus facilitatem eo expectantes. Plura vide apud Ovid. lib. II. Faft. Livium & Dionyf. lib. I. Val. Max. lib. II. cap. 2. & Alexandrum ab Alex. Genialibus diebus.

QUIR.) *Quirinalia*. de iis fic Varro: *Quirinalia a Quirino* (is erat Romulus, a Sabinis ita indigitatus) *quod ei Deo feriæ, & eorum hominum, qui Fornacalibus fuis non funt feriati*. Quod magis explicat Feftus in Schedis; *Stultorum feriæ*, inquit, *appellabantur Quirinalia, qui erat dies Feftus Quirini, quod eo die Quirino facrificant ii, qui folemni die, aut non potuerunt rem divinam facere, aut ignoraverunt fuorum Fornacalium facrorum diem* (quæ erant feriæ Indictivæ, quibus quifque in fua curia fornacibus facrum far torrebat) *commiffumque piaculum expiabant moræ, atque quod fuis non fecerant, quibus permittebatur feriis facrum faciebant*. Ovid. Faft. II.

FER.) *Feralia*. Varro lib. V. *Feralia ab inferis, & ferendo, quod ferunt tum epulas ad fepulchrum, quibus jus ibi parentare*. Feftus; *Feralia, diis Manibus facrata fefta, a ferendis epulis, vel feriendis victimis appellata*. Iis connubia inaufpicato fiebant, templa deorum omnium erant claufa, nec facra ulla peragebantur, quia, ut Ovid. II. Faft.

*Tunc animæ tenues, & corpora functa fepulcris*
*Errant, tunc pofito pafcitur umbra cibo.*

CHARIST.) *Chariftia*. ex Ovidio adjeci, de quibus ille fic, II. Faft.

*Proxima cognati dixere chariftia chari,*
*Et venit ad focios turba propinqua deos.*

Et Val. Max. lib. II. cap. I. *Convivium etiam folemne majores noftri inftituerunt, idque Chariftia appellarunt, cui præter cognatos affines nemo interponebatur; & fi qua inter neceffarias perfonas querela effet orta, apud facra menfæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis tolleretur.*

TER.) *Terminalia*, inquit Varro, *quod is dies anni extremus conftitutus. duodecimus enim menfis fuit Februarius, & cum intercalatur, inferiores quinque dies duodecimo demuntur menfe*. Paullo aliter & melius certe Feftus: *Termino facrificabant, quod in ejus tutela fines agrorum effe putabant. Denique Numa Pompilius ftatuit, eum, qui terminum exaraffet, & ipfum & boves facros effe*. Termino olim ad VI. ab Urbe lapidem facrum fiebat, nec animatum quid ipfi offerebatur, quia deus pacis cæde non gaudebat, verum patenti cælo ara extructa, lignifque impofitis, & igne excitato, is qui facra obibat, ter fruges in flammas conjiciebat, deinde favis ignem afpergebat, poftremo vinum libabat. Ovid.

REG.) *Regifugium* dies, quo rex Tarquinius Roma fugit, & recuperata libertate imperium binis coss. mandatum eft. Ovidius in VII. Kalendas Martii, Macrobius in VII. Kalendas Junii, alii in Kalendas Quintiles rejiciunt. Caufam Regifugii vide apud Halicarnaf. lib. III. apud Livium lib. II. aliofque multos.

EQ.) *Equiria*, ait Varro, *ab equorum curfu: eo enim die currunt equi in campo Martio*. Feftus; *Equiria ludi, quos Romulus Marti inftituit per equorum curfum, qui in campo Martio exercebantur*. Quod fi aliquando campus Martius eluvione Tyberis inundaffet, in Cœlio monte, ubi campus Martialis erat, agebantur.

---

## CAP. IX.

*De Sacris & Feriis menfis Martii.*

MArtius menfis antiquiffimi anni principium fuit. Cui opinioni fidem facit veterum auctoritas, tum etiam quod ejus die prima ignem novum Veftæ aris accenderent, & in regia, curiifque, & flaminum domibus veteres laureis novis mutarent, comitia aufpicarentur, ve-

ctigalia locarent, Annæ perennæ sacrificarent, ut commode annare perannareque liceret. Hoc mense Salii Martis sacerdotes, qui erant triplices, Palatini a Numa, Agonales sive Collini ab Hostilio, Albani a Tarquinio instituti, certis diebus per Urbem saltabant, præsul amptruabat, reliqui omnes redamptruabant, (sic saltum illum appellabant) sacraque ancilia, æneis batheis pileisque laneis ornati, versantes, per Urbem discurrebant, universo populo festos dies agente. Religiosum quoque fuit nondum conditis ancilibus quidquam auspicari, quod sine mensis Martii fiebat. Suet. Othone cap. VIII. Turneb. Adverf. lib. v. cap. I. Tacitus Hist. I.


K. MART.) Kalendæ Martii erant matronarum Saturnalia. nam ut viri Saturnalibus, sic fœminæ Kalendis Martiis dabant & accipiebant strenas & xenia. Sueton. Vespasiano cap. XIX. *Sicut*

A *Saturnalibus dabat viris apophoreta, ita & kal. Martii fœminis.* Martialis lib. x. epig. 24.

*Natales mihi Martiæ kalendæ,*
*Lux formosior omnibus kalendis,*
*Qua mittunt mihi munus & puellæ.*

Adde epigramma XXIX. & Horat. libro III. od. VIII.

H. C.) III. Nonas Martii celebrabatur Isidis navigium, ut quidem annotat in Fastis suis Hadrianus Junius. Isidis vero sacra elegantissime describunt, Lucianus & Plutarchus peculiaribus libris, & Apulejus lib. XI Milesiarum. Ad hoc Isidis navigium refero aram Romæ ad S.Mariam trans
B Tyberim, in cujus fronte extat cornu copiæ elegantissime fasciatum, ad sinistrum latus sistrum Ægyptiacum, Isidis insigne, hac forma; & gubernaculum hac forma, quo navigium ejus designari puto;



Et nescio equidem, an non ad hoc ipsum navigium referri possit hæc inscriptio de Iside Pelagia, quæ extat in villa Julia extra portam Flumentanam:

DIS MAN. SAC.
*ad* SERVIO SVLPITIO AVG. L. ALCIMO
*Isidem* AEDITVO AB ISEM PELAGIAM VIX.
AN. XXXVII. ÆDITVAVIT AN. X.

Pelagiam quasi marinam dictam existimo: sed viderint docti.

HOC DIE) De eo sic Suetonius Cæsare cap. XIII. *Deposita provinciæ spe Pontificatum maximum petiit, non sine profusissima largitione.* Et Ovidius lib. III. Fastorum;

*Sextus ubi e terra clivosum scandet olympum*
*Phœbus, & alatis æthera carpet equis;*
*Cæsaris innumeris, quos maluit ipse mereri,*
*Accessit titulis Pontificalis honor.*

NON.) *Nonis* sacrati Asyli & Vejovis festum fuit. Ovid. III. Fast.

*Una nota est Martis nonis sacrata quod illis*
*Templa putant lucos Vejovis ante duos.*
*Romulus ut saxo lucum circumdedit alto,*
*Quilibet huc, inquit, confuge, tutus eris.*

Livius libro I. *Locus qui nunc septus densis sentibus inter duos lucos Asylum appellatur. eo ex finitimis populis omnis turba, sine discrimine liber, an servus esset, avida novarum rerum perfugit.* Vejovis autem simulachrum erat sagittis ornatum ad nocendum paratis, quod *minime juvaret*.

EQ.) *Equiria.* de Equiriis supra diximus.

EID.) *Idibus* Anna Perenna colebatur, cujus integram fabulam vide apud Ovidium libro III. Fast. cujus festo fœminæ viris, puerisque puellæ mixtæ ad ripam Tyberis, fixis ex frondibus tentoriis læte largeque vino & epulis sese ingurgitabant,
D totque annos invicem precabantur, quot cyathos ebibissent. Ovidius:

*Sole tamen vinoque calent, annosque precantur,*
*Quot sumunt cyathos, ad numerumque bibunt.*

LIB.) *Liberalia* sacra Liberi patris, quibus viri & mulieres heroum & nympharum habitu per urbem bacchantes, compositis modis saltarent, ornatique hedera, & crine fluxo, vinum libaque ex melle circumferrent. Vannum quoque & ovum mystica ratione circumferebant. Liberalibus quoque pueri ingenui togam prætextam sumebant. Ea-
E dem sacra apud Græcos *Dionysia* & *Orgia* dicebantur: unde Liberi sacerdotes *Orgiophantæ*, ut in hac veteri inscriptione Puteolana:

LIBERO PATRI SACRVM
T. T. FLAVI ECLECTIANVS ET OLIMPIANVS
FILIVS EIVS SACERDOTES ORGIOPHANTÆ.

Ipsis Liberalibus & pridie ibant ad Argeos, de quo mense Majo dicemus.

QVIN.) *Quinquatrus*, auctore Varrone & Festo, quod sit quinta dies ab idibus, ut olim in Latio Sexatrus, Septimatrus, vel quod per quinque
F dies celebrarentur. Minervæ sacra erant, vel quod eo die Minervæ in Aventino ara sacrata, ut scribit Festus, vel quod is dies Minervæ natalis sit, ut putat Ovidius. Primo Quinquatrium die feriæ erant absque ludis, quod is dies deæ natalis esset, quem sanguine fœdare religiosum erat. Reliqui quatuor ludis gladiatoriis peragebantur. Hisce diebus festive quoque vivebant, diesque ludis & compotationibus transigebant. Augustus ad Tibe-

rium. Suetonio cap. LXXI. *Nos, mi Tiberi, Quinquatriis ſatis jucunde egimus: luſimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calfecimus.* Pueri quoque iis Minerval magiſtris ſolvebant, & feriabantur. Ovid.

*Pallada nunc pueri teneræque ornate puellæ,*
*Qui bene placarit Pallada, doctus erit.*

De Quinquatriis in Albano inſtitutis a Domitiano vide Suetonium Domitiano cap. IV.

TUB. ) *Tubiluſtrium*, ultimo Quinquatrium die tubæ Minervæ & Volcano ſacræ agna in atrio Sutorio luſtrabantur. vide Varronem, Feſtum, & Ovidium.

Q. R. C. F. ) de hoc diximus cap. II. inter dies Nefaſtos.

HILAR. ) *Hilaria*, ex Macrobio ſupplevi, de quibus ille ſic, lib. I. Saturnal cap. XXI. *Præcipuam autem ſolis in his cærimoniis verti rationem, hinc etiam poteſt intelligi, quod ritu eorum katabaſi finita, ſimulationeque luctus peracta* (loquitur de Gallis Matris deum) *celebratur lætitiæ exordium ad octavum kalendas Aprilis, quem diem Hilaria appellant, quo primum tempore ſol diem longiorem nocte protendit.* Vopiſcus Aureliano: *Hilaribus, quibus omnia feſta & fieri ſcimus & dici.* D. Dionyſii interpres: *Erant autem Hilaria feſta peculiaria Romanorum in honorem Matris deorum ſuorum, vel potius dæmonum, ut inquit Demophilus libro de Antiquorum ſacrificiis.* Pridie vero lamentari incipiebant Galli ſacesdotes. Trebel. Pollio Claudio: *Nam cum eſſet nunciatum IX. Kalendas Aprilis, ipſo in ſacrario Matris ſanguinis die Claudium Imperatorem factum, neque cogi ſenatus ſacrorum celebrandorum cauſa poſſet.* Ergo una tantum die lamentati ſunt. Vix credo nam Kalendis Aprilibus Mater deum abluebatur, atque ad eum diem lamentatos fuiſſe exiſtimo.

A. C. ) Tertio Kalend. Aprilis, inquit Ovidius III. Faſt.

*Janus adorandus, cum quo Concordia mitis,*
*Et Romana Salus, araque Pacis erit.*

B. C. ) Pridie Kalend. Aprilis, ut inquit idem,

*Luna regit menſes, hujus quoque tempora menſi.*
*Finit Aventino Luna colenda jugo.*

---

## CAP. X.

*De Sacris & Feriis menſis Aprilis.*

K. APR. ) *Kalendis Aprilibus* equidem cum Marliano ſuſpicor Cybelem Matrem deum in Almone fluvio fuiſſe lotam, primum quod ipſa lotio in diem Megalenſium non potuit incidere, cum, ut ex Livio patet, ad Oſtiam lavaretur, antequam in Urbem veheretur, ad cujus & ad Phrygiæ lavationis morem, hæc obſervata fuit; deinde lavationem Matris deum per Urbem denunciari ſolitam cap. IV. ex Arnobio probavimus, quod ſane neceſſe non erat, ſi in ludos Megalenſes incidiſſet. Poſtremo lavationem illam obibant ſoli Galli ſacerdotes, quique ſacris erant initiati: nam Romanis, ut teſtatur Halicarnaſ. externa illa ſacra facere non licebat. Megalenſibus vero Romani ludos Megalenſes in honorem Matris deum celebrabant. Sic quidem nunc ſentio, ſententiam mutare paratus, ſi quis melius docuerit: *Vertitur œnophoro fundus, ſententia nobis.* Lucilius.

LUD. ) *Ludi* Matris magnæ. Hiſtoriam ejus cum omnibus ſacrorum ritibus, ſacerdotibus Gal- A lis, Archigallis, Fanaticis, Capillatis, Sacro Taurobolio, Criobolioque, ſacra Pinu, ejuſque ornamentis, in magno Faſtorum opere ex antiquorum ſcriptis, aris, nummis, ſepulchris, accuratiſſime explicavi, nec inſtituti noſtri brevitas ſinit ea hic attexere.

LUD. CER. ) *Ludi Cereris.* Eadem *Eleuſinia* & *Græca ſacra* dicebantur. Feſtus: *Græca Sacra, feſta Cereris, ex Græcia translata; quæ ob inventionem Proſerpinæ matronæ colebant. Quæ ſacra dum non eſſent matronæ quæ facerent, propter cladem Cannenſem, & frequentiam lugentium, inſtitutum eſt, ne amplius centum diebus lugeretur.* Ea ſacra matro- B næ curſu fanatico accenſiſque facibus noctu per Urbem diſcurrentes celebrabant, ſequentique die populus deorum imagines longo ordine productas circum metas (nam Circenſes ludi erant) procedere jubebat, ovum autem præferre ſolebat. Ab hujus ſacris velut ſanctiſſimis & impollutis ſcelerati noxiique arcebantur; ipſi vero initiati ad ſacra acceſſuri, Venere & vino abſtinebant, & de nocte epulabantur. Alex. ab Alexandro. Ovid. IV. Faſt.

FOR. ) *Fordicidia*, inquit Varro, *a fordeis bubus. Bos forda quæ fert in ventre, quod eo die immolantur boves prægnantes in curiis complureis.* Nam C cum greges olim diverſis morbis vexarentur, conſuluit Numa Faunum, binaſque oves, unam Fauno, alteram Somno offerens, ac utrumque vellus humi ſternens bis aqua ablutus, biſque faginea fronde caput cinctus in iis conſedit, donec ſilente nocte tale redditum eſt oraculum:

*Morte boum tibi, rex, Tellus placanda duorum,*
*Det ſacras animas una juvenca duas,*

Quo audito conſilio Egeriæ bovem prægnantem immolat. mox:

*Exta bovis dantur gravidæ, fœcundior annus*
D *Provenit, & fructum terra pecuſque ferunt.*

LUD. CER. ) Iterum ſacra Cereris, & ludi in circo, quibus poſt ludos vulpes ſtipulis alligatæ accenſa flamma curſitabant: cujus fabuloſam cauſam vide apud Ovid. De his extat lapis antiquus:

CERERI AVGVST. MATRI AGROR
L. BENNIVS PRIMVS MAG. PAG. BENNIA
PRIMIGENIA MAGISTRA FECER. GERMANICO CÆSARE II. L. SEIO TVBERO
NE COSS.
E DIES SACRIFICI XIII. KALEND. MAI.

PAL. ) *Palilia* in honorem deæ Palis, quam præſidem pecudum & agrorum cuſtodem venerabantur. Iis flammas tranſiliebant, ovilia purgabant, curias omnes populumque luſtrabant. Etenim Veſtalis maxima vitulum, fordæ bovis immolatæ utero exemptum, comburebat, & ex illius cinere, equi ſanguine & aduſtis fabarum ſtipulis ſuffimen faciebat, quo populum & curias purgabat. Hoc die fauſtiſſimis deorum auſpiciis urbis Romæ F fundamenta jacta creduntur, anno primo Olympiadis VII. a Romulo & Remo XVIII. ætatis anno, anno Mundi ∞ ∞∞ CCXX.

VIN. ) *Vinalia* hæc Veneri ſacra, procurandis hortis, vitibuſque dicata, quam olitores venerabantur, hiſque diebus erant feriati, vinumque ex æde Veneris affatim iis effundebatur. de alteris Vinalibus Auguſto dicemus.

ROB. ) *Robigalia*, inquit Paulus ex Feſto, *dies feſtus VII. Kal. Maii, quo Robigo deo ſuo, quem putabant rubiginem avertere, ſacrificabant.* Huic exta canis, fibraſque bidentis offerebant. de eodem

sic Plinius lib.XVII. *Robigalia Numa instituit, anno Regni sui XI, quæ nunc aguntur ad VII. Kal. Maii, quoniam tum fere segetes rubigo occupat.*

FLOR) *Floralia* instituta sunt A. U. C. DXII. Q. Lutatio, A. Manlio coss. in honorem Floræ deæ. Flora enim, cum magnas opes ex arte meretricia quæsivisset, populum Romanum scripsit hæredem, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore suus natalis dies celebraretur, editione ludorum quos appellabant Floralia: quod quia Senatui flagitiosum videbatur, ut pudendæ rei quædam dignitas addderetur, deam finxerunt esse, quæ floribus præesset, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus bene prosperequе florescerent. Agebantur hi ludi in circo Floræ, quorum ritum & gaudia festa vide apud Ovid.

---

## CAP. XI.

### *De Sacris & Feriis mensis Maii.*

K. MAI.) *Kalendis Maii* Castorum festum ad Ostiam celebratum fuit maxima hominum frequentia, qui festos dies agentes, & se invicem in mare detrudentes, Castori & Polluci nautarum diis honorem exhibebant. Majuma festum hoc dicebatur, Claudio Cæsare, ut existimat Lipsius ad Tacitum, primo celebratum & institutum. De Castorum æde & in eo pelagus dedicatum, maris sedandi causa, extat elegans epigramma Neapoli, Græcum, quod ita interpretati sumus:

TIBERIVS IVLIVS. TARSVS. DIOSCVRIS VRBI. FANVM. ET IN FANO PELAGVS. AVG. LIBERIVS. ET PROCVRATOR CVM FAMILIA SACRAVIT.

Bonam quoque Deam Faunam, Opem, Fatriamque ex Pontificum libris indigitabant, Laribus præstitibus sacrificabant. Ovid.

*Præstitibus Majæ Laribus videre Kalendæ*
*Aram constitui parvaque signa Deum.*

F. COMP.) *Compitalia* seu dies compitales fuerunt duplices, stati & non stati. Non stati, de quibus cap.IV. egimus, qui in dies certos vel incertos concipiebantur. Cicero ab Attic. lib.VII. epist.VII. *Ego quoniam III. Nonas Jan. compitalitius dies est, nolo eo die in Albanum venire molestus familiæ.* Et oratione in Pisonem: *Tu, cum in Kalendas Januarii Compitalitiorum dies incidissent.* Neutris vero diebus Compitalia asscripta sunt in Fastis, ergo conceptiva fuerunt. Solemnia vero Compitaliorum concipiendorum verba fuerunt: DIE NONI POP. RO. QUIRITIBUS COMPITALIA ERUNT, QUANDO CONCEPTA FUERINT, NEFAS. Stati fuerunt, Verni, Æstivi, & Hyemales, qui proprie Laralia. Verni, de quibus nunc. Compitalibus hisce in compitis Laribus, quos domorum, triviorum, viarum, urbisque curam agere putabant, gallum & canem, ambos vigiles & domorum custodes, ominis causa immolabant, pellemque caninam Laribus induebant. Pilas quoque & effigies viriles & muliebres ex lana Compitalibus suspendebant in compitis, quod hunc diem festum esse deorum inferorum, quos Lares vocant, putarent, quibus tot pilæ, quot capita servorum, tot effigies, quot essent liberi, ponebantur, ut vivis parcerent, & essent his pilis & simulachris contenti. Compita vero non erant solum viarum conjunctiones, verum etiam templa, in quibus pro compitis sa-

A cra faciebant. testem laudo veterem lapidem Veronæ:

COMPITVM REFECERVNT, TECTVM PARIETES ALLEVARVNT, VALVAS LIMEN DE SVA PECVNIA LARIBVS DANT COSSO CORNELIO LENTVLO L. PISONE AVGVRE COSS.

NON.) Servius in Schedis: *Virgines Vestales, tres maximæ ex nonis Maiis ad d. pridie eidus Majas alternis diebus spicas adoreas in corbibus messuariis ponunt, easque spicas ipsæ virgines torrent, pinsunt,* B *molunt, atque ita molitum condiunt. Ex eo farre virgines ter in anno molam faciunt, Lupercalibus, Vestalibus, Eidibus Decembribus, adjecto sale cocto, & sale duro.* adde Festum in *Muries* & in *Casta mola.*

LEM) an LEMURIA erant Parentalia Remi, sic dicta quasi *Remuria*, quibus de nocte surgentes, inserto pollice digitis, primo manus abluebant; deinde se vertentes nigras fabas in os mittebant, quas statim post tergum jacientes, illis fabis se suosque redimere dicebant. Hoc novies dicto, manus iterum lavabant, manesque se rite placasse existimabant.

LUD. MAR.) *Ludi Martis* Ultoris hoc die ede- C bantur, instituti A. U. C. DCCXXXIV. M. Apulejo, Silio Nerva coss. propter Phraatis regis Parthorum deditionem. Dio lib.LIV. *Itaque & sacrificia ejus rei causa, & templum Martis Ultoris in Capitolio, ad imitationem Jovis Feretrii, qua signa ea militaria suspenderentur, decerni jussit.* Sueton. Aug. cap.XXIX. Plin. lib.XXXIV. de aliis Martis ludis in Aug. vide.

EID.) *Idibus* Maii virgines vestales scirpeas effigies in Tyberim jaciebant. Ovid. lib.V. Fast.

*Tum quoque priscorum virgo simulachra Deorum*
*Mittere roboreo scirpea ponte solet.*

D Varro lib. vide L. L. *Argei fiunt ex scirpeis virgultis. simulachra sunt hominum triginta: ea quotannis, e ponte Sublicio a Sacerdotibus publice jaci solent in Tyberim.* Festus: *Argeos vocabant scirpeas effigies, quæ per virgines Vestales annis singulis jaciebantur in Tyberim.* Eodem die & mercatorum collegium Mercurio eorum præsidi sacrificabant, quo & ædes Mercurii dedicata est A. U. C. CCCLIX. Ap. Claudio, P. Servilio coss. Livius lib. II. ipsumque Mercurium precabantur:

*Da modo lucra mihi, da facto gaudia lucro,*
E *Et fac ut emptori verba dedisse juvet.*

AGON.) *Agonalia*. Ovid. V. Fast.

*Ad Janum redeat, qui quærit Agonia quæ sint,*
*Quæ tamen in Fastis hoc quoque tempus habent.*

TVB.) *Tubilustrium*. Ovid.

*Proxima Vulcani lux est, quam Lustria dicunt:*
*Lustrantur puræ, quas facit ille, tubæ.*

Q.R.C.F.) de hoc die cap.II. diximus.

F FORT. PUB.) *Fortunæ Publicæ in Collin.* ex veteri fragmento Fastorum adposui. de ea sic Ovid.

*Nec te prætereat populi Fortuna potentis*
*Publica, cui templum luce sequente datum est,*

VIRT. ET HON.) *Virtutis & Honoris* festum quo die olim cultum sit, nec veterum scripto, nec marmorum tabulis expressum inveni. de hoc ita scribit Dio Cassius lib. LIV. *Festum, quod Virtuti & Honori celebrabatur, in eum diem quo hodie agitur, transtulit.* Verum quo die olim celebratum, & in quem diem translatum sit ab Augusto, non

addit. Hadrianus Junius in Fastis suis, quorum copiam mihi fecit vir clarissimus & propter insignem animi candorem honoris & virtutis præfatione nominandus Henricus Bra cos. amplissimus, & Medicus ordinarius Reip. Zutphaniensis, in hunc diem conjecit, quo auctore, nescio: certe Ovidius ejus non meminit. Constat tamen ex antiqua inscriptione C. Marii a C. Mario v. cos. ex manubiis Cimbricis & Teutonicis dedicatam eis ædem esse A. U. C. DCLII.

DE MANUBIEIS CIMBRICEIS ET TEVTONICEIS ÆDEM HONORI ET VIRTVTI VICTOR FECIT.

Ædem hanc prope portam Capenam fuisse traditur, ita structam, ut in Honoris ædem nemini pateret aditus, nisi prius Virtutis ædem fuisset ingressus; ad portam vero, ut proficiscentes ad bella monerent, nisi per Virtutem res strenue gessissent, aditum sibi non patere ad honorem & gloriam, hoc est, triumphum. Ex antiquis marmoribus etiam patet his numinibus collegium cultorum seu sacerdotum & magistros fuisse. Ecce fragmentum Romæ:

LARIB. AVG. ET GENIS CÆSARVM. DESIG. X. P.P. PFRMISSV. A. ANNI CAMARTIS. T. ET VIRTVTIS MAGISTRI ANNI LXXXXII. A. S.

Item aliud Nepeti in Faliscis:

Q. VETVRIVS. Q. F. POMP. PEXSVS LVPERCVS FABIANVS EX COLLEGIO VIRTVTIS.

---

## CAP. XII

*De Sacris & Feriis mensis Junii*

KAL. JUN.) *Kalendis Junii* Marti, Carnæ, & Monetæ sacrificabatur. MARTI quidem Gradivo ad portam Capenam extra urbem, cujus templum Sylla in ædilitate sua centum columnis marmoreis superpositum consecravit. Ovid.

*Lux eadem Marti festa est, quem prospicit extra*
*Appositum rectæ porta Capena viæ.*

CARNÆ DEÆ) Brutus consul primus pulso Tarquinio Carnæ templum in Cœlio monte extruxit, quia cordis dissimulatione emendator publici status extitit. Hanc enim vitalibus humanis præesse credebant, petebantque ab ea, ut jecinora & corda & viscera intrinseca salva præstaret, eamque ob causam hoc die laridum fabis & farre mixtum edebant.

MONETÆ deæ templum in arce summa fuit, ad quam ex Concordiæ centum gradibus ascendebatur, quod Furium Camillum dedicasse scribit Ovid. lib. I. & VI. Fastorum.

TEMPESTAS quoque, cujus ædes a Marcello in Sardiniam & Corsicam navigante vota, hoc die culta fuit. Ovid.

*Te quoque, Tempestas, meritam delubra fatentur,*
*Cum pæne est Corsis obruta puppis aquis.*

Illud quoque notandum est, Kalendas Junias *Fabarias* esse dictas, quod eo die fabam sacrificii causa, quam *refrivum* vocabant, domum referrent. Festus in *Refriva faba*.

BELLON.) *Bellona* Dea belli, Martis soror, ab Appio Claudio Cæco vota & dedicata fuit Pyrrhi bello. In antiqua Appii Tabula honoraria Florentiæ:

ÆDEM BELLONÆ FECIT.

Et Ovidius lib. VI. Fast. Ejus sacerdotes hoc die, per Urbem cursitantes, se ipsos vulnerabant. Mart. lib. XI. Epig. 85.

*Alba minus sævis lacerantur brachia cultris*
*Cum furit ad Phrygios enthea turba modos.*

Et lib. XII. Epig. 57.

*Nec turba cessat entheata Bellonæ*

Unde & *Fanatici* dicebantur, ut in Marmore Vaticano:

Q. CÆLIO APOLLINARI FANATICO DE ÆDE BELLONÆ PVLVIN CVIVS MONITO HASTA IN ÆDE BELLONÆ IN LVCO DEDICATA EST.

FID.) *Fidio*, SANCO, SEMONI, tribus Sabinorum diis in colle Quirinali Sabini templum sacrarunt, idque numen verbis trinum, re unicum esse dixerunt, in quo trino & unico numine medium esse Fidium affirmabant, magnamque ipsis vim sanctitatis ascribebant: de quibus mysteriis in Fastis majoribus, Semonem vero, Sancum & Fidium appellatos fuisse indicat hæc vetus inscriptio Romæ in Insula Tyberina:

SEMONI, SANCO, DEO FIDIO SACRVM SEX. POMPEIVS S. P. F. COL. MVSSIANVS QVINQVENNALIS DECVR. BIDENTALIS DONVM DEDIT.

LUD. PISC) *Ludi Piscatorii*, qui & *Tyberini*, de quibus Ovid.

*Tunc ego me memini ludos in gramine Campi*
*Aspicere, & dici, lubrice Tybri, tuos.*
*Festa dies illis, qui lina madentia ducunt,*
*Quique tegunt parvis æra recurva cibis.*

Festus: *Piscatorii ludi vocabantur, qui quotannis mense Junio trans Tiberim fieri solent a prætore urbano pro piscatoribus Tiberinis, quorum quæstus non in macellum pervenit, sed fere in aream Volcani, quod id genus pisciculorum vivorum datur ei Deo pro animis humanis.*

MENTI IN CAP.) *Menti Deæ in Capitolio* ædes dedicata fuit. Livius lib. XXXII. *Menti ædem Attilius Prætor vovit.* Et lib. XXXIII. *Inter ea duumviri creati sunt Q. Fabius Maximus & T. Octacilius Crassus ædibus dedicandis, Menti Octacilius, Fabius Veneri Erycinæ, utraque in Capitolio est, canali uno discretæ.* Ovid. VI. Fast.

*Mens quoque numen habet, Menti delubra videmus*
*Vota metu belli, perfide Pœne, tui.*

VEST.) *Vestalia* sacra deæ Vestæ omnium apud Romanos honoratissimæ, quam terram esse existimabant, eamque ob causam templum habebat rotundum cum tholo aperto. Sex virgines, præter unam quæ MAXIMA dicebatur, omnes ingenuæ, patrimæ matrimæque ipsi sacra faciebant, ignemque æternum cum Palladio servabant per vices. Sed manum de tabula; nam sacra illa Vestalia explicare non est hujus temporis, nec loci, propter amplitudinem cærimoniarum.

MATR.) *Matralia* Matris Matutæ festa erant, quæ & Leucothoe apud Græcos dicebatur. Huic Matronæ sacrificabant, & suis quidem non liberis, sed fratrum filiis bona precabantur. Ovid.

*Non*

*Non tamen hanc pro stirpe sua pia mater adoret,*
*Ipsa parum fœlix visa fuisse parens.*

EID.) *Idibus* Quinquatrus Minusculæ celebrabantur, de quibus sic Varro: *Quinquatrus Minusculæ Juniæ Eidus ab similitudine Majorum, quod tibicines tum feriati per Urbem vagantur, & conveniunt ad ædem Minervæ.* Vide causam ejus festi apud Ovid. lib. VI. Jovi quoque invicto eodem die templum positum fuit. Ovidius ibidem.

MINERVÆ IN AVENTINO.) Ex veteri fragmento supplevi. Ovid. VI. Fast.

*Sol abit e Geminis, & Cancri signa rubescunt;*
*Cœpit Aventina Pallas in arce coli.*

SUMMANO AD CIRCUM MAXIMUM.) Ex eodem fragmento supplevi. Ovidius lib. VI.

*Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur,*
*Tunc cum Romanis, Pyrrhe, timendus eras.*

FORTUNÆ FORTI.) Ex eodem fragmento supplevi. Ovid.

*Quam cito venerunt Fortunæ Fortis honores,*
*Post septem luces Junius actus erit.*

## CAP. XIII.

*De Sacris & Feriis mensis Julii.*

K. JUL.) *Kalendis Julii* ædibus migrabant. Martialis lib. XII.

*O Juliarum dedecus Kalendarum*
*Vidi Vacerra sarcinas tuas; vidi,*
*Quas non retentas pensione pro bina*
*Portabat uxor.*

Sueton. Tiberio: *Senatori latum clavum ademit, quem cognovisset sub Kal. Julii in hortos demigrasse, quo vilius post diem ædes in Urbe conduceret.*

POPLIF.) *Populifugium*, inquit Varro, *dies videtur nominatus, quod eo die repente tumultu fugerit populus. Non multo enim post hic dies, quin decessus Gallorum ex urbe, & qui tum sub urbe populi, ut Ficulneates, & Fidenates, & finitimi alii contra nos conjurarunt. Aliquot hujus diei vestigia fugæ in sacris apparent.* Hoc ipso die Julii Cæsaris natalis fuit celebratus. Nam cum ipsis Apollinaribus ludis esset natus, celebritas ejus, ne Apollinares turbarentur, in hunc diem translata est. Dion l. XLVII. *Ac quoniam die Cæsaris natali, Apollinares ludi fiebant, pridie ejus natalitia Cæsaris peragi jusserunt: quod Sybillino oraculo interdictum esset, ne ea dies alii cuidam Deo, quam Apollini, festa esset.*

LUDI APOLLIN.) *Ludi Apollinares* in honorem Apollinis ex monitu carminum Martii Vatis primum ex SCto celebrati sunt A.U.C. DXLII. quibus XII. millia æris ad rem divinam faciendam, & duas hostias majores dandas, Prætori assignata sunt; iisque hostiis Apollini bove aurato, capris duabus albis auratis, Latonæ bove fœmina aurata, ritu Græco sacrificatum fuit. ludi præterea in circo facti, populoque edictum, ut Apollini stipem daret. Livius lib. XXXV. Deinde de A.U.C. DXLVI. in certum diem voti sunt in III. Nonas Quintiles. Livius lib. XXVII.

NON.) *Nonæ* Quintiles *caprotinæ* dictæ sunt, quod eo die in Latio, inquit Varro, Junoni Caprotinæ mulieres sacrificant, & sub caprifico faciunt, & e caprifico adhibent virgam. Macrobius

A Saturnal. lib. 2. cap. XI. ancillarum diem festum esse scribit, quæ, cum, post Urbem a Gallis captam, Fidenates a Romanis, quorum res plane erant accisæ, matronas & virgines postularent, sub nomine dominarum ad hostes iverunt, noctuque sponsis vino sopitis, signum ex arbore caprifico Romanis sustulerunt. quo viso Romani Fidenates aggressi eos superarunt. Senatus beneficii memor ancillas omnes manumisit, dotem ex publico dedit, matronalis habitus usum hoc die concessit, & *Nonas Caprotinas* appellavit.

MERK.) *Merkatum* alii interpretantur, alii *Mercurialia*. Scaliger *Mercedonios* esse vult, hoc
B est, dies mensis Mercedonii, quos putat Cæsarem post annum emendatum in tres illos menses, Julium, Augustum, Septembrem distribuisse. Nobis (salva tanti viri pace) magis placet dies illo solemnes mercatus fuisse, omnemque illam quæstionem in Fastis majoribus explicavimus.

LUCAR.) *Lucaria*, inquit Festus, *festa in luco colebant Romani, qui permagnus inter viam Salariam & Tyberim fuit, pro eo quod victi a Gallis fugientes prælio ibi se occultaverunt.* Erat vero Lucar es, quod ex *lucis* captabatur, ut idem Festus. ubi in notis suis pessime emendavit Godofredus, *ludis*; nam non ex ludis captabatur, ut ille existimat, sed
C in ludos erogabatur. Scaliger ibidem. Tacitus Annal. I. *De modo lucaris, & adversus lasciviam fautorum multa decernuntur.* Tertullianus adversus Gnosticos de Joanne Baptista: *Truncatur in puellæ salticæ lucar.* Adde & fragmentum vetus SCti de Lucari ludorum sæcularium, quod extat inter marmora Fulvii Ursini.

LUDI VICTORIÆ CÆSARIS.) Quos Augustus post cædem Cæsaris primum celebravit. Dio lib. XLV. *Quippe & mensis Julius nominatus, & supplicationibus quibusdam ob victorias die peculiari sanctificatum ipsius nomine.*

D NEPT.) *Neptunalia* feriæ & ludi in honorem Neptuni, dei maris, quibus casas frondeas ad Tyberis ripam excitabant, quas *umbras* dicebant, inque iis solis radios frangentes inter sese festos dies agebant.

FUR.) *Furinalia*, inquit Varro, *a Furina, quod ei Deæ feriæ publicæ dies is, cujus deæ honos apud antiquos. Nam ei sacra instituta annua, & flamen attributus: nunc vix nomen notum pauceis.* vide Arnobium lib. III. adversus Gentes.

FORTUNÆ HUJUSQ. DIEI) Ex antiquo restitui. de ea sic Plinius lib. XXXIV. cap. IIX. *Fuit & alius Pythagoras Samius, initio pictor, cujus signa*
E *ad ædem Fortunæ hujusque diei, seminuda, unde & laudata sunt.* Cicero lib. II. de legib. *Fortunaque sit vel hujusque diei (nam valet in omnes dies) vel respiciens ad opem ferendam.* In lapide quoque Capitolino regionum Urbis extat

VICUS FORTUNÆ HUJUSQUE DEI.

## CAP. XIV.

*De Sacris & Feriis mensis Augusti.*

KAL. AUGUSTI.) Lares compitales ex instituto Augusti æstivis floribus ornabantur. Suet. Aug. cap. XXXI. *Compitales Lares ornare bis anno instituit, vernis floribus & æstivis.* Torrentius ibidem. Marti quoque sacrum & ludi fuerunt. De quibus cum doctissimo Torrentio intelligo Suetonium Claudio cap. III. in epistola Augusti ad Liviam: *In præsentia tamen, quibus de rebus consulis, ludis Martialibus curare eum triclinium sacerdotum, non displicet nobis.* adde Dionem lib. LVI.

HOC DIE CÆSAR HISPANIAM VICIT.) Dio lib. XLIII. *Nibilominus tamen aperte triplex triumphus, triplexque pompa Romæ de victoria Hispaniensi habita est, feriæque insuper quinquaginta dierum actæ.* Nec dubium, quin in posterum hic dies ludis solemnis fuerit, cum & institutum fuerit, ut Palilibus Diis immortalibus sacrificaretur eam ob causam, quod Palilibus de hac victoria nunciatum sit. Dio ibidem.

SALUTIS IN QUIRINALI.) Ex Hadriani Junii Fastis adjeci, qui huic diei festum Salutis asscripsit. Si erro, ipse noxa sit. certe Salutis ædes in Quirinali fuit.

HOC DIE CÆSAR HISPALIN VICIT.) Dio lib. XLIII.

DIANÆ AD ARICIÆ.) Supple *nemus*, in quo Manium quemdam Dianæ Aricinæ vel Nemorensi fanum struxisse scribit Festus. Ex eodem Junio asscripsi, auctoribus Martiale, Statio, & Ausonio, qui ejus natalem hoc die celebrant. Ejus Festi hanc causam referunt. Hippolytus ope Æsculapii in vitam restitutus Dianæ Aricinæ templum, cui lucus & lacus Nemorensis adjaceret, dedicavit; postea barbarico more inductum fuit, ut inter servos fugitivos is, qui singulari certamine victor primus hostiam immolasset Deæ, sacerdos fieret, quem & *Regem* appellabant; qui tantisper sacerdotii regnum obtinebat, dum vertente anno fortior aliquis superveniens eum pugna superaret, qui tum in regnum succedebat. Suet. Caligula cap. XXXV. *Nemorensi Regi, quod multos jam annos potiretur sacerdotio, validiorem adversarium subornavit.* Ovid.

*Regna tenent fortes manibus, pedibusque fugaces*
*Et perit exemplo post modo quisque suo.*

Reliquum majoribus Fastis prosecuti sumus.

EID.) *Eidibus* Augusti servorum dies festus erat, ut scribit Festus, quod Servius Tullius rex eo die natus sit.

PORT.) *Portumnalia*, ait Varro, *dicta a Portumno, cui eo die ædes in portu Tyberino facta, & feriæ institutæ.* Arnobius libro III. adversus Gentes: *Per maria tutissimas præstat Portumnus commeantibus navigationes, & cur insanum mare tam frequentes exposuit crudelium naufragiorum ruinas?*

VIN.) *Vinalia.* Varro: *Vinalia a vino. Hic dies Jovis, non Veneris. Hujus rei cura non levi in Latio; nam aliquot locis vindemiæ primum a sacerdotibus publice fiebant, ut Romæ etiam nunc. nam flamen Dialis auspicatur vindemiam, & ut jussit vinum legere, agna Jovi facit, inter cujus exta cæsa & porrecta flamen prorsus vinum legit.*

CON.) *Consualia*, ait Varro, *dicta a Conso, quod tum feriæ publicæ ei deo, & in circo ad aram ejus ab sacerdotibus fiunt ludi illi, quibus virgines Sabinæ raptæ.* Integram historiam vide apud Livium & Halicarnass. Erat autem Consus consiliorum deus. Arnob adversus Gentes lib. III. *Salutaria & fida consilia nostris suggerit cogitationibus Consus, & in contrarios exitus cur assidue vertitur placitorum inopinata mutatio?*

VOLC.) *Volcanalia.* Varro: *Volcanalia a Volcano, quod ei tum feriæ, & quod eo die populus pro se in ignem animalia mittit.*

LUNÆ IN GRÆCOSTASI) Ex veteri fragmento supplevimus.

OPIC.) *Opiconsiva*, ait Varro, *dies ab dea Opiconsiva, cujus in Regia sacrarium; quod ideo actum.* UT EO PRÆTER VIRGINES VESTALES, ET SACERDOTEM PUBLICUM INTROEAT NEMO: IS CUM EAT, SUFFIBULUM HAUT HABEAT. Erat autem eadem cum Terra, Saturni uxor, sic dicta, quod opem & consilium ferat. Festus in *Opima spolia.*

VOLT.) *Volturnalia*, inquit Festus, *Volturno Deo suo sacra faciebant, cujus sacerdotem Volturnalem vocabant.* Erat autem Volturnus Juturnæ maritus, Fauni gener. De quo plura in majoribus Fastis.

HOC DIE ARA VICTORIÆ IN CURIA DEDICATA EST.) Curiam Juliam intelligo, quam Augustus in honorem Cæsaris dedicavit, in eaque imaginem Victoriæ posuit. Dio lib. LI. de cujus abolitione inter D. Ambrosium & Symmachum V. C. acerrimum certamen fuit.

## CAP. XV.

*De Sacris & Feriis mensis Septembris.*

K. SEPT.) Feriæ Neptuno ex SCto fuere; verum a quo & quando institutæ, nondum invenire potui.

LUD. ROM.) *Ludi Romani* bis celebrati mense Septembri, ut in Fastis apparet. Eos Halicarnass. scribit A. Posthumium dictatorem bello Latino, cum Latini Tarquinium Superbum in regnum vellent reducere, vovisse A. U. C. CCLIIX. A. Posthumio, T. Virginio coss. Circenses erant, eorumque magnificum apparatum elegantissime describit Halicarnass. lib. VII.

FER. EQ. PRO.) *Feriæ Equorum probandorum.* eædem ferme fuerunt cum Equiriis, de quibus supra diximus.

AUGUSTI NATALIS, LUDI IN CIRCO.) Dio lib. LVI. *Natalem Augusti diem Julius Antonii filius Prætor equestri certamine & venatione celebravit, & ex SCto epulum Augusto & Senatoribus in Capitolio dedit.* Suetonius Augusto, cap. LVII. *Equites Romani natalem ejus sponte atque consensu biduo semper celebravere.* Idem Augusto cap. V. *Natus est Augustus M. Tullio Cicerone & Antonio Coss. IX. Kalend. Octobris paulo ante solis exortum.*

LUDI VENERIS GENETRICIS.) Ex antiquo fragmento adjeci. Ædes autem Veneris Genetricis a Julio Cæsare dedicata fuit ad forum Cæsaris post victoriam de Pompejo partam, ludosque simul in honorem ejus celebravit. Dio lib. XLIX. *Ludos præterea Veneri Genetrici consules fecerunt, & præfecti Urbis ad ferias a Cæsare constituti sunt pueri impuberes equestri, non patricio genere nati.*

EPUL.) *Epulum Minervæ.* De Epulis diximus cap. IV. quæ a Septemviris Epulonum tribus maximis Diis, Jovi, Junoni & Minervæ indici solebant, quorum exempla passim apud Livium extant.

## CAP. XVI.

*De Sacris & Feriis mensis Octobris.*

MEDITR.) *Meditrinalia*, inquit Festus, *dicta hac de causa. Mos fuit Latinis populis, quo die quis primum gustaret mustum, diceret ominis gratia;* VETUS NOVUM VINUM BIBO, VETERI NOVO MORBO MEDEOR: *A quibus verbis etiam Meditrinæ Deæ nomen captum, ejusque sacra Meditrinalia dicta sunt.* Idem Varro lib. V. de Lingua Latina.

AUGUST.) *Augustalia*. Ea primum facta fuere A. U. C. DCCXXXV. C. Sentio Saturnino, Lucio Lucretio Vipsanio coss. Dio LVI. *Ob reditum ejus ac propter ea, quæ absens egisset, multa ac varia in honorem ejus decreta sunt: quorum ille nihil accepit, nisi quod Fortunæ Reduci aram consecrari, diemque sui reditus inter ferias referri, & Augustalia dici passus est.* Quæ deinde Senatusconsulto confirmata sunt A. U. C. DCCXLIII. Q. Ælio Tuberone, Q. Fabio Maximo coss. Dio: *Augustalia etiam, quæ hodie celebrantur, tunc primum ex SCto acta sunt.* Postea horum procuratio Prætori inter cives & peregrinos jus dicenti mandata est. Tacitus Annal. I. & Lipf. ibidem.

FONT.) *Fontinalia*, ait Varro, a *fonte, quod is dies feriæ ejus, ab eo autem tum, & in fontes coronas jaciunt, & puteos coronant*. Apud antiquos enim fontes & fluminum capita sacra erat. Seneca epist. XLI. *Magnorum fluminum capita veneramur: subita & ex abdito vasti amnis eruptio aras habet: coluntur aquarum calentium fontes, & stagna quædam vel opacitas vel immensa altitudo sacravit.* Imo sacras illas aquas lavando turbare religiosum erat. Tacitus Annal. XIV. *Iisdem diebus nimia luxus cupido infamiam & periculum Neroni tulit, quia fontem aquæ Martiæ ad urbem deductæ nando incesserat: videbaturque potus sacros & cæremoniam loci corpore toto polluisse, secutaque anceps valetudo iram deum affirmavit.* Adeoque divinitatis honore colebant, ut & Genios & Numina illis tribuerent, cui fidem facit antiquus lapis apud Gentilem Delphinium Romæ:

GENIO. NVMINIS. FONTIS.
SER. MON. CHRYSEROS. CÆSARIS NOSTRI LIB. GANGALA.

Item alius apud eundem Delphinium, quem propter antiquitatis splendorem asscribere non piget:

VNDIS CYANEIS DONVM PLACABILE FECIT
CONTVCCIVS BLANDAS PER AQVAS ARAM VENERANDAM.
HINC ORITVR PERGITQVE FLVENS, DEINDE OCCIDIT IN SE.
RIPAI MOX VIRIDIS RENOVANTIBVS INCLYTA NYMPHIS
NVMINE FONTIGERO, GRATES EX VNDIQVE SOLVENS
SOSPES CVM COMITES PRÆSTAT, RENOVANTE LIQVORE.

EID.) *Idibus* Octobribus Marti bellico deo in Campo Martio quotannis bigarum victricium dexterior equus immolabatur: cujus caudam, ut ex ea sanguis in focum distillaret, magna celeritate deferebant. Fest. in *Octo ber Equus*.

ARM.) *Armilustrium*, inquit Festus, *festum erat apud Romanos, quo res divinas armati faciebant, ac, dum sacrificarent, tubis canebant.*

LVD. VICT.) *Ludi Victoriæ*. Quos certe antiquissimos atque eos esse existimo ejus Victoriæ, quam Arcades ante Romam conditam in Palatino monte consecrarunt, Halicarnas. Antiquitatum lib. I. *At in summo collis vertice Victoriæ templum in loco ante delecto extruxerunt, & sacrificia huic quoque Deæ anniversaria instituerunt, quæ ad meam usque ætatem faciebant.* Sic quidem suspicor, sine alterius præjudicio.

## CAP. XVII.

### De Sacris & Feriis mensis Novembris.

EPVL.) *Epulum indictum*. Solemnem hunc epulandi diem fuisse apparet, verum cui Deorum indictum fuerit, non additur: qui nos igitur ademus?

LVD. PL.) *Ludi Plebei.* per Ædiles plebejos procurabantur, eosque sola plebs, ut Patricii ludos magnos, celebrabat, quos multoties per unum diem, biduum, triduumque instauratos fuisse Livius annotavit.

## CAP. XVIII.

### De Sacris & Feriis mensis Decembris.

AGON.) *Agonalia*. quæ & *Septimontium* dicebantur, quod iis in septem Urbis montibus sacrum fieret. Festus in Schedis: *Septimontium dies appellatur mense Decembri, qui dicitur in Fastis Agonalia, quod eo die in septem montibus fiunt sacra, Palatio, Velia, Fagutali, Subura, Cermalo, Oppio, Cispio.*

CONS.) *Consualia* fortassis erunt. Videant & judicent doctiores, ego ingenue fateor aquam mihi hic hærere.

SAT.) *Saturnalia* Feriæ Saturni. Festus in Schedis: *Saturno dies Festus celebratur mense Decembri, quod eo ædes est dedicata, is culturæ agrorum præsidere videtur, quoniam falx est ei insigne.* Festus alibi: *Hic Deus in Saliaribus Saturnus nominatur, videlicet a sationibus.* Vetustissimum ejus Dei sacrificium in Latio fuit, si Macrobio credimus. Sed Livius Saturnalia instituta scribit A. U. C. CCLVII. *Aulo Sempronio & M. Minutio Coss. ædes Saturno dedicata: Saturnalia institutus festus dies.* Per quinque autem dies sub Imperatoribus Saturnalia celebrabantur. Martialis:

*Et jam Saturni quinque fuere dies.*

Post Saturnalia sequebantur Sigillaria, quibus sigilla Deorum fictilia venalia proponebant, & pueris emebant, ut in hisce Provinciis nundinis annalibus quoque fieri solet: ipsique invicem missitabant. Spartianus in Caracalla: *Quæ a parentibus gratia Sigillariorum acceperat, vel clientibus vel magistris sponte donavit.* Idem Hadriano: *Saturnalia & Sigillaria frequenter amicis inopinantibus misit, & ipse ab eis libenter accepit.* Ea Deorum sigilliola quoque modo describit Arnobius lib. VI. adversus gentes: *Abstinetis, ait, a risu, cum pro Diis immortalibus hominum formis supplicatis humanis, quin imo Deos esse sigillaria ipsa creditis?* Ea Sigillaria per biduum agebantur, quamobrem Martialis septem Saturnalia numerat:

*Saturni septem venerat ante dies.*

Item Nonius:

*Olim expectata septem veniunt Saturnalia*

Et Mommius quidam:

*—— nostri majores veluti bene*
*Multa instituere, sic hoc optime: frigore*
*Fecere summo dies septem Saturnalia.*

Saturnalibus autem munera, quæ *apophoreta* vocabant, invicem mittebant, quod Apophoreta Martialis testantur. Pauperiores autem divitibus cereos dabant. Servi usurariam quandam libertatem assumebant, & ut ipsi dominis toto anno, sic domini hoc die servis suis ministrabant. Seneca

epist. XLVII. *Instituerunt diem festum, non quo solum cum servis domini vescerentur, sed quo utique honores illis in domo gerere, jus dicere permiserunt, & domum pusillam remp. esse judicaverunt.* Regem quoque creabant, qui conviviis Saturnalitiis præerat, ut nostri Frisii Divi Martini festo facere solent. Arrianus lib. I. Dissertationum Epicteti: *Saturnalium diebus Rex eligitur. Lubet enim ludere hunc lusum. Is imperat, Tu bibe, tu misce, tu expelle, tu abi, tu veni. Pareo, ne mea causa solvatur ludus.*

OPAL.) *Opalia*, inquit Festus, *dies Festi, quibus supplicatur Opi, appellantur.*

DIV.) *Divalia*, quæ & *Angeronalia*, Feriæ sunt Divæ Angeronæ, cui Pontifices in Sacello Volupiæ sacrum faciunt, quam Verrius Flaccus Angeroniam dici ait, quod angores & sollicitudines animorum propitiata depellat.

LAR.) Manutius *Larentalia* interpretatur, ego *Laralia* esse suspicor, cujus occasionem mihi præbet Halicarnasseus Antiquitatum lib. VI. de Servio Tullio loquens: *Deinde per omnia compita jussit a vicinia Laribus propitiis sacella extrui, & lege statuit, ut quotannis illis sacrificia fierent, singulis familiis liba conferentibus.* Et paulo post: *Quem diem festum Romani ad mea usque tempora constanter celebrabant, paucis post Saturnalia diebus, cum primis venerandum & magnificum, a compitis Compitalia eum vocantes.* Atque hæc sunt, quæ raptim & tumultuario opere ad hosce Fastos Kalendares Urbanos congessimus potius quam digessimus. Nam Fastos Rusticos quod attinet, eos hic non emendavimus, sed servavimus integro Fastorum operi, cui parapegma rusticum, continens totius anni tempora, ortus & occasus syderum, & quid quoque mense in agricolatione observari debeat, adjunximus. Multa ignoramus, in multis allucinati sumus, in multis diligentia requiretur, brevitas damnabitur: verum duplici ratione veniam merebimur, quod opus aggressi sumus, nulli hactenus ea methodo tentatum, tum etiam amplum & varium adeo, quod tam arctis finibus coerceri non possit. Cogitent PRÆCIDANEA, non integram MESSEM esse.

# FINIS.



D E

# VETERI ANNO ROMANO

## ROMULI ET NUMÆ POMPILII

## A N T I T H E S E S.

---

I N L U S T R I

*E T*

# Æ T A T I S N O S T R Æ

## VARRONI JOSEPHO SCALIGERO

J U L. C Æ S. F.



*Iennium eſt, plus minus, cum ex publica legatione Reip. noſtræ Haga Comitis rediens, Leidam petii, non alia de cauſa, quam ut inluſtri tua præſentia colloquiiſque frui liceret. In quo Gratias ita mihi habui propitias, ut me non modo ad ſacra tua Oracula admitteres, verum etiam intimos Antiquitatum tuarum Theſauros reconderes, & ad* FASTOS *meos, de quibus nobis mentio, perficiendos, animum conſiliumque ſuggereres. Pro quibus immortalibus beneficiis, ut animum tibi,* INLUSTRISSIME SCALIGER, *humiliter devotum teſtarer, haſce meas* ANTITHESES *de veteri anno Romano, quæ tui ſunt ſolius judicii, quaſique ſub tuis auſpiciis publice privatimque tueri ſum paratus, ad* ARAM *Benevolentiæ tuæ depono: & ſupplex precor, veneror que, uti hoc quaſi integræ frugis* PRÆMESSUM, LUBENS VOLENSQUE *accipias. Haſſelto Tranſiſulaniæ ad Vidrum Tubantium.* IV. *Kalend. Januarii Anni* cIↃ IↃ xcIx.

Tuæ

INLUST.

GENEROS.

*Devotus*

SIBRANDUS SICCAMA

# SIRRANDUS SICCAMA
## DE
# VETERI ANNO ROMULI ET NUMÆ.

### THESIS I.



Nveterata eſt, & tot annorum ſæculis contra ipſam veritatem pæne præſcripta opinio, Romulum urbis ROMÆ conditorem annum dierum CCCIV. inſtituiſſe, eoſque per decem menſes, initio facto a menſe Martio, ita diſtribuiſſe, ut Apereilis, Jounius, Seſt'olus, Sept'imber, Nou'imber, Dec'imber, XXX. eſſent dierum; Martius vero, Majus, Quint'olus, Oct'imber XXXI. continerent. Hoc maxima pars credit, quia a Livio, Ovidio, Cicerone, Plinio, Macrobio, Cenſorino, aliiſque vetuſtiſſimis ſcriptoribus quaſi per manus ita traditum, & noſtri ſæculi homines, tanquam ex Apollinis tripode oraculum adorant: ita auctoritas ſæpe antevortit veritati. Verum Romulus, ſi viveret, ex edicto Prætoris cum ipſis ageret. Etenim injuriam faciunt politiſſimo Principi. Quid? Qui præter egregiam Reipubl. qua leges, qua ſacra, diſpoſitionem, conjunctiones & oppoſitiones Lunæ, quæ labentem cœlo ducebat annum, tam curioſe publiceque obſervarit, qui potuit, ut annum, nec Solis, nec Lunæ curſui congruum inſtitueret? Hoc ita eſſe ex eo ſuſpicamini, quod Romulus Martium anni caput eſſe voluerit, atque ita Januarium & Februarium omiſerit? Non conſtat ratio dierum, niſi Januario & Februario LX. dies tribuatis, quod ego non credam, niſi prolatis tabulis probetis.

### THESIS II.

Nos e contrario, (ſi teſtibus cauſa agenda ſit, ipſo Romulo, L. Cincio Alimentio, L. Feneſtella, C. Licinio Macro, M. Terentio Varrone Romuli neporum doctiſſimo, teſtibus; ſi rationibus, quæ ſemper primas obtinere debent, innumeris & epidicticis) conſtanter aſſeveramus.

### THESIS III.

Primo, Annum Romuli ab ipſis Urbis initiis duodecim menſes habuiſſe, hoc quidem ordine: MARTIOS, APEREILIS, MAIOS, JOVNIOS, KVINT'OLOS, SEST'OLOS, SEPT'IMBER, OCT'IMBER, NOV'IMBER, DEC'IMBER, JANVOS, FEBRVOS.

### THESIS IV.

Secundo, Annum illum mere fuiſſe Lunarem diebus CCCLIV. conſtantem, eo quidem ordine, ut menſes alternis vicibus, nunc XXIX. dies, nunc XXX. continerent. Nam cum Luna, dum orbis curſum conficit, & Solem aſſequitur, conſumat dies XXIX. horas XII. minut. 44. vix potuit alia quam alternativa illa menſium diſtributio inſtitui, cum Romulus tam anxie Lunares apparitiones obſervaret. quæ quidem diſtributio, & rudibus populis valde commoda, & curſui Lunæ admodum fuit conveniens.

### THESIS V.

B Hinc liquido apparet, Canonem illum Anni Romulei a Macrobio, Cenſorino, aliiſque ex errore decimeſtris ſpacii confictum, eſſe erroneum, nec curſui Lunæ, cujus rationem habuit Romulus, convenientem.

### THESIS VI.

Quemadmodum abſurda, & rejicula eſt illa anni conſtitutio, quæ ex Democriti placito anno Romuli afficta eſt; qui cum ſingulis menſibus Lunaribus dies XXIX. horas XIV. cum aliquot minutis tribuat, ex iis non CCCLIV. ſed CCCLV. dierum annus conficitur, ut cuivis, dies & horas in digitos mittenti, patebit.

### THESIS VII.

C Romulum ſecutus Numa Pompilius Rex ſuperſtitioſus, Romuleum annum mutavit. Primum, Januario, Jano, Deorum omnium Patri & ſummo, ſacro priſtinum locum reſtituit, & Februarium ſequi juſſit. Deinde religione imparis numeri, unius diei adjectione auxit, ita ut annus ejus CCCLV. diebus conſtaret.

### THESIS VIII.

D Atque ita quidem annum diſpoſuit, ut Aprili, Junio, Sextili, Octobri, ſingulos, Februario binos dies detraheret, omneſque XXIX. dierum fierent, præter Februarium, cui ut dies inferis ſacro par numerus dierum XXIIX aſſignatus eſt. Septem vero illi dies exempti, cum eo qui imparis numeri cauſa additus, ita rurſum initi, ut Martio, Majo, Quintili, Octobri bini darentur, & tam ſingulorum menſium, quam totius anni dies omnes eſſent impares.

### THESIS IX.

E Anni Lunares Romulei, licet intercalationum inſcitia vitiati, obſervati fuere ad Kalendas Januarii anni ſecundi Numæ Pompilii aanis XXXIX. menſibus X. cum Romulei anni Martius, Numæi Januarius principium ſit. Inde conſurgunt Numæi ad XIII. Oct. A. U. C. DCCIIX. tertio Cæſaris Cos. qui fuit annus confuſionis, dierum CCCCXLIV. quo Cæſar diebus LXVII & mercedonio XXII. dierum intercalato, ad curſum ſolis annum ordinavit, ita ut anni Juliani conſurgant ex XIV. Octobris A. U. C. DCCIIX.

### THESIS X.

F Cæſar itaque ſublato menſe intercalario, additiſque decem diebus, qui ad explendum annum ſolarem deerant, adjectoque ſingulis quadrienniis BISSEXTILI, Solis curſui annum accommodavit, dieſque illos decem diſtribuit ut Jannuario, Sextili & Decembri, bini; Aprili, Junio, Septembri & Novembri, ſinguli accederent.

# CANON ANNI ROMULI, NUMÆ, ET CÆSARIS.

| ANNUS ROMULI | DIES MENS. | HORÆ | DIES COLL. | ANNUS NUMÆ | DIES MENS. | DIES COLL. | ANNUS CÆSARIS | DIES MENS. | DIES COLL. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| MART. | 29 | 12 | 29 | JAN. | 31 | 31 | JAN. | 31 | 31 |
| APRIL. | 30 | 0 | 59 | FEB. | 28 | 59 | FEB. | 28 | 59 |
| MAIUS. | 29 | 12 | 88 | MART. | 31 | 90 | MAR. | 31 | 90 |
| JUNIUS. | 30 | 0 | 118 | APRIL. | 29 | 119 | APR. | 30 | 120 |
| QUINT. | 29 | 12 | 147 | MAIUS | 31 | 150 | MAIUS | 31 | 151 |
| SEXTIL. | 30 | 0 | 177 | JUNIUS | 29 | 179 | JUN. | 30 | 181 |
| SEPT. | 29 | 12 | 206 | QUINT. | 31 | 210 | QUINT. | 31 | 212 |
| OCT. | 30 | 0 | 236 | SEXT. | 29 | 239 | SEXT. | 31 | 244 |
| NOVEMB. | 29 | 12 | 265 | SEPT. | 29 | 268 | SEPT. | 30 | 275 |
| DECEMB. | 30 | 0 | 295 | OCT. | 29 | 297 | OCT. | 31 | 304 |
| JAN. | 29 | 12 | 324 | NOV. | 29 | 326 | NOV. | 30 | 334 |
| FEB. | 30 | 0 | 354 | DEC. | 29 | 355 | DEC. | 31 | 365 |

## THESIS XI.

Verum cum Annus Romuli mere fuerit lunaris, quæritur, an etiam Romulus intercalarit? Nos cum Macro, Fenestella, aliisque antiquitatum auctoribus Romulum omnino, si non ordinate, intercalasse saltem censemus, ea quidem ratione, ut alternis bienniis modo XXII. modo XXIII. dies, ex dierum & horarum, quæ ad explendum annum solarem deerant, collectione ante postremos quinque Februarii dies intercalarentur.

## THESIS XII.

Mala itaque manu & immerito quidam reprehendunt Celsum JCtum, qui in l. 98. §. de verb. signif. ex auctoritate Q. Mucii Scævolæ JCti & Pont. Max. mensem intercalarem dierum XXVIII. esse respondit.

## THESIS XIII.

Verum hæc exactissima intercalandi ratio, anno Numæ, quem superstitiosa diei adjectione ex Lunari bono Romanum fecerat non bonum, adaptari non poterat, quamobrem præter hanc alius intercalandi modus necessario excogitatus fuit, in quo historici non consentiunt,

## THESIS XIV.

Livius quidem vicesimo quarto anno, plenis omnium annorum spaciis annum Romanum ad metam Solis redire existimavit.

## THESIS XV.

Idem annorum spacium plenæ isti intercalationi tribuit Macrobius, verum tres menses intercalarios XXII. dierum insitos scribit. Quod falsissimum est, cum intercalares menses non sint semper pares, sed alternatim impares XXII. est XXIII. dierum, ut nunc LXV. nunc LXVI. dies intercalari debuissent.

## THESIS XVI.

D Onuphrius Panvinius Fastorum Scriptor hanc intercalandi rationem tradit. Cum decem dies cum quadrante anno deessent, qui singulo quadriennio ad XLI. dies consurgunt, placuisse, ut alternis annis unus mensis, modo XX. modo XXI. dierum intercalaretur: quo factum, ut quarto quoque anno annus iste Solis meatui conveniret, In quo Onuphrius longe lateque a veritatis regione aberrat.

## THESIS XVII.

Sed longius ab ea recedit JCtorum princeps Cu-E jacius ad l. 98. §. de verb. signif. qui octavo quoque anno dies LXXXII. Romanos anno suo inseruisse scribit, in tres menses divisos, quorum duo XXVII. tertius XXVIII. esset dierum: quo vix quicquam absurdius (salva Cujacianorum pace) dici potuit.

## THESIS XVIII.

Josephus Scaliger, princeps Senatus Historici, ita Romanos annum suum ad Solis cursum redegisse libro secundo de emendatione Temporum scribit, ut post annos 22. unum mensem intercaF larem, qui ex superstitiosa diei imparis adjectione supra Lunæ rationem excreverat, insererent & horas illas duodecim, quæ supererant, ad proximum annorum 22. spacium reservarent, cumque alteris illis duodecim horis superfluis ita computarent, ut tum intercalarem dierum 23. omitterent, atque ita annus Romanus cum solari semper congrueret.

THESIS XIX.

Quæ quidem intercalandi ratio, licet omnium ſit perfectiſſima & exactiſſima, non poſſumus tamen Titum Livium teſtem omni exceptione majorem falſi arguere. Quamobrem opinionem ejus de pleno 24. annorum intercalandi ſpacio veram quoque eſſe aſſerimus, & Faſtorum noſtrorum lib. 2. demonſtramus.

THESIS XX.

Porro intercalaris ille menſis Mercedonius a A *mercedibus* ſolvendis dictus erat. Errant tamen, qui dies illos Mercedonios a Cæſare poſt anni emendationem per annum Romanum diffuſos, & in FASTORUM tabulis notione MERK. notatos fuiſſe exiſtimant.

THESIS XXI.

Poſtremo quærimus, cum annus Romuli a Martio, Numæ a Januario inciperet, cur clavis annalis ad ædem Minervæ anni ſignandi cauſa eidibus Septembribus a Prætore Maximo pangeretur?

# F I N I S.



ALIUD

# A L I U D
# VETUS KALENDARIUM,
## QUOD IN LIBRIS ANTIQUIS PRÆFIGITUR
# FASTIS OVIDII.

### J A N U A R I U S.

| | | | |
|---|---|---|---|
| A | Kal. | Junuarii. | Jani feſtum, Junonis, Jovis, & Æſculapii. |
| b | IV. | No. | |
| c | III. | No. | Cancer occidit coſmice. |
| d | II. | No. | |
| e | Nonis. | | Lyra oritur. |
| f | VIII. | Id. | |
| g | VII. | Id. | |
| A | VI. | Id. | Feſta Jani Agonalia. Delphin oritur. |
| b | V. | Id. | Medietas hyemis. |
| c | IV. | Id. | |
| d | III. | Id. | Feſta Carmentis & Juturnæ. |
| e | II. | Id. | |
| f | Idibus. | | Feſtum Jovis. Redditæ ſunt provinciæ populo Romano. |
| g | XIX. | Kal. | Feb. Cæſar Auguſtus vocatur. |
| A | XVIII. | Kal. | Sacrificium Carmentis. Feſtum Porrimæ & Poſtvertæ. |
| b | XVII. | Kal. | Feſtum Concordiæ. |
| c | XVI. | Kal. | |
| d | XV. | Kal. | Sol in aquario. |
| e | XIV. | Kal. | |
| f | XIII. | Kal. | |
| g | XII. | Kal. | |
| A | XI. | Kal. | |
| b | X. | Kal. | |
| c | IX. | Kal. | Lyra occidit. |
| d | VIII. | Kal. | Pectus Leonis occulitur. |
| e | VII. | | |
| f | VI. | Kal. | Feſtum Caſtoris & Pollucis. ) |
| g | V. | | |
| A | IV. | Kal. | |
| b | III. | Kal. | Feſtum Pacis. |
| c | II. | Kal. | |

### F E B R U A R I V S.

| | | | |
|---|---|---|---|
| d | Kal. | Febr. | Templum factum eſt Carmenti. Celebratur Aſylum. |
| e | IV. | No. | Lyra penitus occidit. |
| f | III. | No. | Occidit Delphin. |
| g | II. | No. | |
| A | Nonis. | | Auguſtus dictus eſt pater patriæ. Aquarius vadit ad occaſum. |
| b | VIII. | Id. | |
| c | VII. | Id. | ( Primus dies Feralium. ) |
| d | VI. | Id. | |
| e | V. | Id. | Ver incipit. |
| f | IV. | Id. | Initium Veris. |
| g | III. | Id. | Bootes oritur. & eſt feſtum Fauni. |
| A | II. | Id. | |
| b | Idibus. | | Feſtus Jovis & Fauni. Nefaſtus dies Fabiorum. |
| c | XVI. | Kal. Martii. | Anguis, Corvus, Crater oriuntur. |
| d | XV. | Kal. | Sol intrat in Piſces. Iterum Fauni. |
| e | XIV. | Kal. | |
| f | XIII. | Kal. | Feſtum Quirini. Feſtum ſtultorum & Fornacis. |
| g | XII. | Kal. | Feralia. |
| A | XI. | Kal. | Cariſtia virorum. |
| b | X. | Kal. | Termini. |
| c | IX. | Kal. | |
| d | VIII. | Kal. | Fuga Tarquinii Superbi. Veris initium. |
| e | VII. | Kal. | |
| f | VI. | Kal. | |
| g | V. | Kal. | |
| A | IV. | Kal. | |
| b | III. | Kal. | Equiria in campo Martio. |
| c | II. | Kal. | |

C D E F

### M A R T I U S.

| | | | |
|---|---|---|---|
| d | Martii. | | Feſtum Martis & Junonis. Ancilia feruntur. non eſt bonum nubere. |
| e | VI. | No. | |
| f | V. | No. | Alter piſcium conditur. Oritur vindemitor. |
| g | IV. | No. | Bootes citius, vindemitor tardius occidunt coſmice. |
| A | III. | No. | Feſtum Veſtæ. Cathedra Julii. |
| b | II. | No. | Feſtum Vejovis. Pegaſus oritur heliace. |
| c | Nonis. | | |
| d | VIII. | Id. | Corona Ariadnes oritur. |
| e | VII. | No. | |
| f | VI. | No. | |
| g | V. | No. | |
| A | IV. | No. | |
| b | III. | No. | |
| c | II. | No. | Altera Equiria fiunt juxta Tyberim. |
| d | Idibus. | | Feſtum Annæ Perennæ. Julius Cæſar occiſus in Capitolio. |
| e | XVII. | Kal. | Apr. Scorpius oritur. |
| f | XVI. | Kal. | Milvius oritur. Feſtum Bacchi. Vilis anicula hederis coronata vendit populo libatum. Melle Libero patri ſacrificamus. Libera toga datur. Milvus oritur chronice. Feſtum eſt Ledæo- |

| | | | |
|---|---|---|---|
| | | | rum qui fuerint Argivi, vel Larium. |
| g | xv. | Kal. | |
| A | xiv. | Kal. | Quinquatria Palladis captæ. |
| b | xiii. | Kal. | |
| c | xii. | Kal. | |
| d | xi. | Kal. | Sol in Arietem. |
| e | x. | Kal. | Ultimus dies quinquatruum. |
| f | ix. | Kal. | |
| g | viii. | Kal. | Æquinoctium vernale. |
| A | vii. | Kal. | |
| b | vi. | Kal. | |
| c | v. | Kal. | Festum Jani, Concordiæ, Pacis, & Salutis. |
| d | iv. | Kal. | |
| e | iii. | Kal. | |
| f | ii. | Kal. | Festa Lunæ habentis templum in Aventino monte. |

APRILIS.

| | | | |
|---|---|---|---|
| | Aprilis. | | Festum Veneris & Virilis Fortunæ. Scorpius occidit. |
| A | iv. | No. | Pleiades oriuntur. |
| b | iii. | No. | Meretrices lavantur sub myrtho. Fors Fortuna Virilis. Scorpius occidit cosmice. |
| c | ii. | No. | Hebæ & Matri Deorum. Megalenses ludi fiunt. |
| d | Nonis. | | Festum Publicæ Fortunæ. |
| e | viii. | Id. | Orion occidit chronice. |
| f | vii. | Id. | Festum Cerealium ludorum. Libra occidit cosmice. Juba victus est a Jul. Cæsare. |
| g | vi. | Id. | |
| A | v. | Id. | |
| b | iv. | Id. | |
| c | iii. | Id. | |
| d | ii. | Id. | |
| e | Idibus. | | Festum Jovis victoris. Templum .... Libertatis. |
| f | xviii. | Kal. Maii. | Dies grandinosa. Augustus Cæsar vicit Mutinenses. |
| g | xvii. | Kal. | Forda litatur Telluri. |
| A | xvi. | Kal. | Triumphus Augusti. Hyades occidunt heliace. |
| b | xv. | Kal. | Sol in Taurum. |
| c | xiv. | Kal. | Equiria. Combustio vulpium. |
| d | xiii. | Kal. | Festa Palis Roma condita. |
| e | xii. | Kal. | |
| f | xi. | Kal. | Festa Veneris Vinalia. |
| g | x. | Kal. | |
| A | ix. | Kal. | |
| b | viii. | Kal. | |
| c | vii. | Kal. | |
| d | vi. | Kal. | Festum Rubiginis. Aries oritur heliace*Prothius oritur cosmice, occidit heliace. Tempora Veris prima finita sunt. |
| e | v. | Kal. | |
| f | iv. | Kal. | Festum Floræ & Vestæ. |
| g | iii. | Kal. | |
| A | ii. | Kal. | |

MAJUS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | b | Kal. Maii. | | Amalthea capra oritur cosmice. Ara Laribus posita. |
| | c | vi. | No. | Flat ventus Argestes. Hyades |
| A | | | | oriuntur cosmice. Finis Floralium. |
| | d | v. | No. | Panthera Chironis oritur chronice. |
| | e | iv. | No. | |
| | f | iii. | No. | Stellificatio Lyræ. Sagittarius oritur. |
| | g | ii. | No. | Scorpius apparet in parte media. |
| | A | Nonis. | | |
| | b | viii. | Id. | Lemuria celebrantur. non est bonum nubere. |
| B | c | vii. | Id. | Orion occidit chronice. |
| | d | vi. | Id. | Festum Martis Bisultoris. |
| | e | v. | Id. | |
| | f | iv. | Id. | |
| | g | iii. | Id. | |
| | A | ii. | Id. | Pliades oriuntur heliace. æstas incipit. |
| | b | Idibus. | | Ora Tauri oriuntur heliace. Scirpea simulacra mittuntur in Tiberim. Festum est Mercurii. |
| | c | xvii. | Kal. | |
| C | d | xvi. | Kal. | |
| | e | xv. | Kal. | Sol it in Geminos. Agonia Junii fiunt. |
| | f | xiv. | Kal. | Canis Orionis exit. |
| | g | xiii. | Kal. | Lustra Vulcani fiunt. |
| | A | xii. | Kal. | |
| | b | xi. | Kal. | |
| | c | x. | Kal. | Mos sacrorum pro fuga Tarquinii faciundorum. non modo inest fuga Tarquinii. inest viii. Kal. Mart. |
| | d | ix. | Kal. | Festum Publicæ Fortunæ. |
| D | e | viii. | Kal. | Rostrum aquilæ oritur chronice. |
| | f | vii. | Kal. | Bootes occidit heliace. |
| | g | vi. | Kal. | Hyas occidit heliace, oriens cosmice. |
| | A | v. | Kal. | |
| | b | iv. | Kal. | |
| | c | iii. | Kal. | |
| | d | ii. | Kal. | |

JUNIUS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| E | e | Junii. | | Festa Carnæ, Junonis Monetæ, Martis, & Tempestatis. Aquila oritur chronice. |
| | f | iv. | No. | Hyades oriuntur heliace. |
| | g | iii. | No. | Bellonæ Festum. |
| | A | ii. | No. | Dedicatio templi Herculis. |
| | b | Nonis. | | Festum Trinomii dei Fidei Sancti Semipatris. malum est nubere ante Idus. |
| | c | viii. | Id. | |
| | d | vii. | Id. | Tergum ursæ occidit heliace, & regis Lyaconi. Lyaconida fiunt, ludi Tyberis. |
| F | e | vi. | Id. | Datum est templum Menti. Festum est Vestæ. Asinus coronatur. ara Priapi. Priori Palladium liberatur ab igni Gallico. Mors Crassi & suorum. |
| | f | v. | Id. | Delphin oritur chronice. |
| | g | iv. | Id. | Matralia fiunt. Rutilius & Didius occiduntur. Templum Fortunæ Servius; Concordiæ Livia dedicavit. |

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | A | III. | Id. | |
| | b | II. | Id. | |
| | c | Idibus. | | Jovi invicto datum est templum. Minora quinquatria Palladis fiunt. |
| | d | XVIII. | Kal. Julii. | |
| | e | XVII. | Kal. | Dione orta est Heliace in fronte Tauri. |
| | f | XVI. | Kal. | Fiat Zephyrus prosper navigantibus. |
| | g | XV. | Kal. | Sol in Cancrum. Pallas colitur in Aventina arce. |
| | A | XIV. | Kal. | Secundus ventus. Orion oritur heliace. |
| | b | XIII. | Kal. | Delphin oritur chronice. Sol in Cancrum. Volsci & Æqui vincuntur. |
| A | c | XII. | Kal. | Templum datum est Summo Jovi. |
| | d | XI. | Kal. | Æsculapius, qui & dicitur Ophiuchus & Serpentarius, chronice oritur. |
| | e | X. | Kal. | |
| | f | IX. | Kal. | Victus est Flaminius. |
| | g | VIII. | Kal. | Syphax vincitur. Hasdrubal occiditur. Festum Fortis Fortunæ. Solstitium. |
| | A | VII. | Kal. | Festum Larium & Jovis Statoris. |
| B | b | VI. | Kal. | Orion apparet a Zona inferius. Solstitium. |
| | c | V. | Kal. | Laurum. |
| | d | IV. | Kal. | Templum Quirino factum. |
| | e | III. | Kal. | |
| | f | II. | Kal. | Festum Pieridum. |

# F I N I S.






CALENDARIUM ROMANUM SUB IMP. CONSTANTIO, IMP. CONSTANTINI MAGNI FILIO, CIRCA ANNUM CHRISTI CCCLIV CONPOSITUM, ET VALENTINO CUIDAM DEDICATUM.

*Fol. 97.*

# MENSIS FEBRUARIUS.



AUSONII TETRASTICHON.

At quem cæruleus nodo conſtringit amictus,
Quique paludicolam prendere gaudet avem,
Dædala quem iactu pluvio circumvenit Iris,
Romuleo ritu Februa menſis habet.

*Fol. 96.*

# MENSIS IANUARIUS.



AUSONII TETRASTICHON.

Hic Iani menſis ſacer eſt: en aſpice ut aris
Thura micent; fumant ut pia thura Lares
Annorum fœlique caput, natalis honorum,
Purpureos faſtis qui numerat Proceres,

# VETUS KALENDARIUM.

**MENSIS JANUARIUS** habet dies XXXI.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| *A* | *A* | *A* | Kal. Jan. | *Senatus legitimus.* |
| | *b* | *b* | IIII. Non. | *Dies Ægyptiacus.* |
| | *c* | *c* | III. | *Ludi. Votorum nuncupatio.* |
| *B* | *d* | *d* | prid. | *Ludi.* |
| | *e* | *e* | Non. | *Ludi.* |
| | *f* | *f* | VIII. Idus. | *Dies Ægyptiacus.* |
| *C* | *g* | *g* | VII. | *Jano Patri.* C̅M̅. XXIIII. |
| | *A* | *b* | VI. | |
| | *b* | *A* | V. | *Senatus legitimus.* |
| *D* | *c* | *b* | IIII. | *Dies Carmentariorum.* |
| | *d* | *c* | III. | |
| | *e* | *d* | prid. | |
| *E* | *f* | *e* | Idib. | *Jovi Statori.* C̅M̅. XXIIII. |
| | *g* | *f* | XIX. Kal. Feb. | |
| | *A* | *g* | XVIII. | *Carmentalia.* |
| *F* | *b* | *b* | XVII. | *Dies Ægyptiacus.* |
| | *c* | *A* | XVI. | *Ludi Palatini.* |
| | *d* | *b* | XV. | *Ludi.* |
| *G* | *e* | *c* | XIIII. | *Ludi.* |
| | *f* | *d* | XIII. | N̄. *Gordiani.* C̅M̅. XXIIII. |
| | *g* | *e* | XII. | *Ludi.* |
| *H* | *A* | *f* | XI. | *Ludi.* |
| | *b* | *g* | X. | *Senatus legitimus.* SOL AQUARIO. |
| | *c* | *b* | IX. | N̄. D. *Hadriani.* C̅M̅. XXIIII. |
| *I* | *d* | *A* | VIII. | N̄. *Chartis.* |
| | *e* | *b* | VII. | |
| | *f* | *c* | VI. | |
| *K* | *g* | *d* | V. | |
| | *A* | *e* | IIII. | |
| | *b* | *f* | III. | |
| *A* | *c* | *g* | prid. | |

**MENSIS FEBRUARIUS** habet dies XXVIII.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | *d* | *b* | Kal. Feb. | N̄. *Herculis.* C̅M̅. XXIIII. |
| | *e* | *A* | IIII. Non. | |
| *B* | *f* | *b* | III. | *Senatus legitimus.* |
| | *g* | *c* | prid. | *Ludi Gotthici.* |
| | *A* | *d* | Non. | *Ludi.* |
| *C* | *b* | *e* | VIII. Idus. | *Ludi.* |
| | *c* | *f* | VII. | *Ludi. Dies Ægyptiacus.* |
| | *d* | *g* | VI. | *Ludi.* |
| *D* | *e* | *b* | V. | *Gotthici:* C̅M̅. XXIIII. |
| | *f* | *A* | IIII. | |
| | *g* | *b* | III. | *Genialici.* C̅M̅. XXIIII. |
| *E* | *A* | *c* | prid. | *Ludi Genialici.* |
| | *b* | *d* | Idib. | *Virgo Vesta parentat. Senat. legit.* |
| *F* | *c* | *e* | XVI. Kal. Mar. | |
| | *d* | *f* | XV. | *Lupercalia.* |
| | *e* | *g* | XIIII. | |
| *G* | *f* | *b* | XIII. | *Quirinalia.* |
| | *g* | *A* | XII. | |
| | *A* | *b* | XI. | |
| *H* | *b* | *c* | X. | SOL PISCIBUS. |
| | *c* | *d* | IX. | *Feralia.* |
| | *d* | *e* | VIII. | *Cariſtia.* |
| *I* | *e* | *f* | VII. | *Terminalia.* |
| | *f* | *g* | VI. | *Regifugium.* |
| | *g* | *b* | V. | *Lotio.* C̅M̅. XXIIII. *Dies Ægyptiacus.* |
| *K* | *A* | *A* | IIII. | |
| | *b* | *b* | III. | N̄. *D. Conſtantini.* C̅M̅. XXIIII. |
| | *c* | *c* | prid. | *Ludi votivi.* |

MENSIS MARTIUS habet dies XXXI.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| *A* | *d* | *d* | Kal. Mar. | N̄. *Martis.* C̄M̄. XXVIIII. |
| | *e* | *e* | VI. Non. | |
| | *f* | *f* | V. | *Senatus legitimus. Dies Ægyptiacus.* |
| *B* | *g* | *g* | IIII. | |
| | *A* | *b* | III. | *Isidis navigium.* |
| | *b* | *A* | prid. | |
| *C* | *c* | *b* | Non. | *Junonalia.* |
| | *d* | *c* | VIII. Idus. | |
| | *e* | *d* | VII. | *Arma ancilia movent.* |
| *D* | *f* | *e* | VI. | |
| | *g* | *f* | V. | |
| | *A* | *g* | IIII. | |
| *E* | *b* | *b* | III. | *Jovi cultori.* C̄M̄. XXIIII. |
| | *c* | *A* | prid. | *Mamuralia. Senatus legit.* |
| | *d* | *b* | Idib. | *Canna intrat.* |
| *F* | *e* | *c* | XVII. Kal. Apr. | |
| | *f* | *d* | XVI. | *Liberalici* C̄M̄. XXIIII. SOL ARIETE. |
| | *g* | *e* | XV. | |
| *G* | *A* | *f* | XIIII. | *Quinquatria.* |
| | *b* | *g* | XIII. | *Pelosia.* |
| | *c* | *b* | XII. | N̄. *Minerves.* |
| *H* | *d* | *A* | XI. | *Arbor intrat.* |
| | *e* | *b* | X. | *Tubilustrium.* |
| | *f* | *c* | IX. | *Sanguen. Dies Ægyptiacus* |
| *I* | *g* | *d* | VIII. | *Hilaria.* |
| | *A* | *e* | VII. | *Requetio.* |
| | *b* | *f* | VI. | *Lavatio.* |
| *K* | *c* | *g* | V. | *Initium Cajani.* |
| | *d* | *b* | IIII. | |
| | *e* | *A* | III. | |
| *A* | *f* | *b* | prid. | N̄. *Divi Constantii.* C̄M̄. XIIII. |

MENSIS APRILIS habet dies XXX.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | *g* | *c* | Kal. Apr. | *Veneralia. Ludi. Sen. leg.* |
| | *A* | *d* | IIII. Non. | |
| *B* | *b* | *e* | III. | N̄ *Dei Quirini.* C̄M̄. XXIIII. *Dies Ægyp.* |
| | *c* | *f* | prid. | *Ludi Megalesiaci.* |
| | *d* | *g* | Non. | *Ludi.* |
| *C* | *e* | *b* | VIII. Idus. | *Ludi.* |
| | *f* | *A* | VII. | N̄. *Castor. & Pollueis.* C̄M̄. XXIIII. |
| | *g* | *b* | VI. | *Ludi.* |
| *D* | *A* | *c* | V. | *Megalesiaci.* C̄M̄. XXIIII. |
| | *b* | *d* | IIII. | N̄. *Divi Severi.* C̄M̄ XXIIII. |
| | *c* | *e* | III. | *Ludi Cerealici.* C̄M̄. XXIIII. |
| *E* | *d* | *f* | prid. | |
| | *e* | *g* | Idib. | *Ludi. Senatus legitimus.* |
| *F* | *f* | *b* | XVIII. Kal. Mai. | *Ludi.* |
| | *g* | *A* | XVII. | *Ludi.* |
| | *A* | *b* | XVI. | *Ludi.* |
| *G* | *b* | *c* | XV. | *Ludi.* |
| | *c* | *d* | XIIII. | *Ludi.* SOL TAURO. |
| | *d* | *e* | XIII. | *Cerealici.* C̄M̄. XXIIII. |
| *H* | *e* | *f* | XII. | |
| | *f* | *g* | XI. | N̄. *Urbis* C̄M̄. XXIIII. *Dies Ægyp.* |
| | *g* | *b* | X. | |
| *I* | *A* | *A* | IX. | |
| | *b* | *b* | VIII. | |
| | *c* | *c* | VII. | *Serapia.* |
| *K* | *d* | *d* | VI. | N̄. *M. Antonini.* C̄M̄. XXIIII. |
| | *e* | *e* | V. | |
| | *f* | *f* | IIII. | |
| *A* | *g* | *g* | III. | |
| | *A* | *b* | prid. | *Ludi florales.* |

# MENSIS MARTIUS.



AUSONII TETRASTICHON.

Cinctum pelle Lupæ promptum eſt cognoſcere menſem,
Mars illi nomen, Mars, dedit exuvias.
Tempus ver hædus petulans & garrula hirundo
Indicat & ſinus lactis & herba virens.

## MENSIS APRILIS.





AUSONII TETRASTICHON.

Contectam myrto Venerem veneratur Aprilis,
Lumen thuris habet, quo nitet alma Ceres.
Cereus a dextra flammas diffundit, odoras.
Balsama nec desunt, quêis redolet Paphie.

# MENSIS IUNIUS.



AUSONII TETRASTICHON.

Nudus membra dehinc ſolares reſpicit horas
Iunius, ac Phæbum flectere monſtrat iter.
Idem maturas Cereris deſignat ariſtas,
Florales que fugas lilia fuſa docent.

MENSIS MAIUS. *fol 90*



AUSONII TETRASTICHON.

Cunctas veris opes & picta rosaria gemmis
Liniger in calathis, aspice Maius habet.
Mensis Atlantigenæ dictus cognomine Maiæ,
Quem merito multum diligit Uranie.

| MENSIS MAJUS habet dies XXXI. | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | b | A | Kal. MaI. | *Senatus legitimus.* |
| B | c | b | VI. Non. | *Ludi.* |
| | d | c | V. | *Floralici* C̄M̄. XXIIII. *Dies Ægyp.* |
| | e | d | IIII. | *Ludi Maximati.* |
| C | f | e | III. | *Ludi.* |
| | g | f | prid. | *Ludi.* |
| | A | g | Non. | *Ludi.* |
| D | b | h | VIII. Idus. | *Ludi.* |
| | c | A | VII. | *Maximati.* C̄M̄. XXIIII. |
| | d | b | VI. | N̄. *ClaudI.* C̄M̄. XXIIII. |
| E | e | c | V. | |
| | f | d | IIII. | *Martialici.* C̄M̄. XXIIII. |
| | g | e | III. | *Ludi Persici.* |
| F | A | f | prid. | *Ludi.* |
| | b | g | Idib. | N̄. *MercurI. Senatus legit.* |
| | c | h | XVII. Kal. Jun. | *Ludi.* |
| G | d | A | XVI. | *Persici.* C̄M̄. XXIIII. |
| | e | b | XV. | N̄. *Annonis.* |
| | f | c | XIIII. | *Zenziarius.* |
| H | g | d | XIII. | SOL GEMIN. |
| | A | e | XII. | *Dies Ægyptiacus.* |
| | b | f | XI. | |
| I | c | g | X. | *Macellus rosa sumat.* |
| | d | h | IX. | |
| | e | A | VIII. | |
| K | f | b | VII. | |
| | g | c | VI. | |
| | A | d | V. | |
| A | b | e | IIII. | *Ludi. Honor & Virtus Zinza.* |
| | c | f | III. | *Ludi.* |
| | d | g | prid. | *Ludi.* |

| MENSIS JUNIUS habet dies XXX. | | | | |
|---|---|---|---|---|
| B | e | h | Kal. Jun. | *Fabarici,* C̄M̄. XII. |
| | f | A | IIII. Non. | |
| | g | b | III. | *Senatus legitimus.* |
| C | A | c | prid. | *Ludi in minicia.* |
| | b | d | Non. | |
| | c | e | VIII. Idus. | *Colossus coronatur.* |
| D | d | f | VII. | *Vesta aperit. Dies Ægyptiacus.* |
| | e | g | VI. | |
| | f | h | V. | *Vestalia.* |
| E | g | A | IIII. | |
| | A | b | III. | *Matralia.* |
| F | b | c | prid. | |
| | c | d | Idib. | N̄. *Musarum. Senatus legitimus.* |
| | d | e | XVIII. Kal. Jul. | |
| G | e | f | XVII. | *Vesta cluditur.* SOL CANCRO. |
| | f | g | XVI. | |
| | g | h | XV. | |
| H | A | A | XIIII. | *Annæ Sacrum.* |
| | b | b | XIII. | |
| | c | c | XII. | *Dies Ægyptiacus.* |
| I | d | d | XI. | |
| | e | e | X. | |
| | f | f | IX. | |
| K | g | g | VIII. | *Fortis fortunæ. Solistitium.* |
| | A | h | VII. | |
| | b | A | VI. | |
| A | c | b | V. | |
| | d | c | IIII. | |
| | e | d | III. | |
| B | f | e | prid. | |

MENSIS JULIUS habet dies XXXI.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | *g* | *f* | Kal. Jul. | *Senatus legitimus.* |
| | *A* | *g* | VI. Non. | |
| *C* | *b* | *h* | V. | *Fugato Licinio.* C̄M̄. XXIIII. |
| | *c* | *A* | IIII. | |
| | *d* | *b* | III. | *Ludi Apollinares.* |
| *D* | *e* | *c* | prid. | *Ludi. Dies Ægyptiacus.* |
| | *f* | *d* | Non. | *Ludi.* |
| | *g* | *e* | VIII. Idus. | *Ludi.* |
| *E* | *A* | *f* | VII. | *Ludi.* |
| | *b* | *g* | VI. | *Ludi.* |
| | *c* | *h* | V. | *Ludi.* |
| *F* | *d* | *A* | IIII. | *Ludi.* |
| | *e* | *b* | III. | *Apollinares.* C̄M̄. XXIIII. |
| | *f* | *c* | prid. | |
| *G* | *g* | *d* | Idib. | *Equit.* ☧ *Prob. Ludi Francici.* |
| | *A* | *e* | XVII. Kal.Aug. | *Ludi.* |
| | *b* | *f* | XVI. | *Ludi. Senatus legit.* SOL LEONE. |
| *H* | *c* | *g* | XV. | *Advent. D.* C̄M̄. XXIIII. *Dies Ægypt.* |
| | *d* | *h* | XIIII. | *Ludi votivi.* |
| | *e* | *A* | XIII. | *Francici.* C̄M̄. XXIIII. |
| *I* | *f* | *b* | XII. | *Advent. Divi.* C̄M̄. XIIII. |
| | *g* | *c* | XI. | *Ludi.* |
| | *A* | *d* | X. | *Neptunalici.* |
| *K* | *b* | *e* | IX. | |
| | *c* | *f* | VIII. | N̄. *D. Constantini.* C̄M̄. XIIII. |
| | *d* | *g* | VII. | *Ludi votivi.* |
| *A* | *e* | *h* | VI. | *Vict. Sarmaticas.* C̄M̄. XIIII. |
| | *f* | *A* | V. | |
| | *g* | *b* | IIII. | |
| *B* | *A* | *c* | III. | *Vict. Marcomannas.* C̄M̄. XXIIII. |
| | *b* | *d* | prid. | |

MENSIS AUGUSTUS habet dies XXXI.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | *c* | *e* | Kal. Aug. | N̄. *Divi Pertinacis.* C̄M̄. XXIIII. |
| *C* | *d* | *f* | IIII. Non. | |
| | *e* | *g* | III. | *Senatus legitimus.* |
| | *f* | *h* | prid. | *Vict. Senati.* C̄M̄. XXIIII. |
| *D* | *g* | *A* | Non. | N̄. *Salutis.* C̄M̄. XXIIII. |
| | *A* | *b* | VIII. Idus. | *Dies Ægyptiacus.* |
| | *b* | *c* | VII. | N̄. *Constantii.* C̄M̄. XIIII. |
| *E* | *c* | *d* | VI. | *Ludi votivi.* |
| | *d* | *e* | V. | |
| *F* | *e* | *f* | IIII. | |
| | *f* | *g* | III. | |
| | *g* | *h* | prid. | *Lignapsia.* |
| *G* | *A* | *A* | Idib. | *N. Dianes.* |
| | *b* | *b* | XIX. Kal. Sept. | |
| | *c* | *c* | XVIII. | *Senatus legitimus.* |
| *H* | *d* | *d* | XVII. | |
| | *e* | *e* | XVI. | *Tiberinalia.* SOLIVIRGINE. |
| | *f* | *f* | XV. | |
| *I* | *g* | *g* | XIIII. | N̄. *Probi.* C̄M̄. XXIII. |
| | *A* | *h* | XIII. | |
| | *b* | *A* | XII. | *Dies Ægyptiacus.* |
| *K* | *c* | *b* | XI. | |
| | *d* | *c* | X. | *Vulcanalici.* C̄M̄. XXIIII. |
| | *e* | *d* | IX. | |
| *A* | *f* | *e* | VIII. | |
| | *g* | *f* | VII. | |
| | *A* | *g* | VI. | |
| *B* | *b* | *h* | V. | *Solis & Lunæ.* C̄M̄. XXIIII. |
| | *c* | *A* | IIII. | |
| *C* | *d* | *b* | III. | |
| | *e* | *c* | prid. | |

MEN-

## MENSIS IULIUS.



AUSONII TETRASTCHON.

Ecce coloratos oſtentat Iulius artus,
Crines cui rutilos ſpicea ſerta ligant.
Morus ſanguineos præbet gravidata racemos.
Quæ medio Cancri ſidere læta viret.

# MENSIS AUGUSTUS.



AUSONII TETRASTICHON.

Fontanos latices et lucida pocula vitro,
Cerne, ut demerſo torridus ore bibat
Æterno regni ſignatus nomine menſis,
Latona genitam quo perhibent Hecaten.

# MENSIS OCTOBER.



AUSONII TETRASTICHON.

Dat prenſum leporem, cumque ipſo palmite fætus
October, pingues dat tibi ruris aves.
Jam bromios ſpumare lacus; & muſta ſonare
Apparet; vino vas calet ecce novo.

# MENSIS SEPTEMBER.



AUSONII TETRASTICHON.

Surgentes acinos varios, & præsecat uvas.
September, ſub quo mitia poma, iacent,
Captivam filo gaudens religasse lacertam,
Quæ ſuſpensa manu nobile ludit opus.

MENSIS SEPTEMBER habet dies XXX.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | f | d | Kal. Septemb. | *Senatus legitimus.* |
| | g | e | IIII. Non. | *Dies Ægyptiacus.* |
| D | A | f | III. | |
| | b | g | prid. | |
| | c | h | Non. | *Mammes. Vindemia.* |
| E | d | A | VIII Idus. | |
| | e | b | VII. | |
| | f | c | VI. | N̄. *Aureliani.* C̄M̄. XXIIII. |
| F | g | d | V. | |
| | A | e | IIII. | N̄. *Asclepi.* |
| | b | f | III. | |
| G | c | g | prid. | *Ludi Romanorum.* |
| | d | h | Idib. | *Ludi. Senatus legitimus.* |
| | e | A | XVIII Kal. Octob. | *Ludi.* |
| H | f | b | XVII. | *Romaniani.* C̄M̄. XXIIII. |
| | g | c | XVI. | |
| | A | d | XV. | |
| I | b | e | XIIII. | N̄. *Trajani. Triumphales.* C̄M̄. XLVIII. |
| | c | f | XIII. | *Pii Antonini.* C̄M̄. XXIIII. *Dies Ægyptiacus.* |
| | d | g | XII. | *Ludi Triumphales.* SOL LIBRA. |
| K | e | h | XI. | *Ludi.* |
| | f | A | X. | *Ludi.* |
| | g | b | IX. | N̄. *Divi Augusti.* C̄M̄. XIIII. |
| A | A | c | VIII. | |
| | b | d | VII. | |
| | c | e | VI. | |
| B | d | f | V. | *Profectio Divi.* C̄M̄. XXIIII. |
| | e | g | IIII. | |
| | f | h | III. | *Ludi fatales.* |
| C | g | A | prid. | *Ludi.* |

MENSIS OCTOBBER habet dies XXXI.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | A | b | Kal. Octob. | N̄. *Alexandri.* C̄M̄. XXIIII. |
| | b | c | VI. Non. | |
| D | c | d | V. | *Senatus legitimus. Dies Ægyptiacus.* |
| | d | e | IIII. | |
| | e | f | III. | *Ludi Alamannici.* |
| E | f | g | prid. | *Ludi.* |
| | g | h | Non. | *Ludi.* |
| F | A | A | VIII. Idus. | *Ludi.* |
| | b | b | VII. | *Ludi.* |
| | c | c | VI. | *Alamannici.* C̄M̄. XXIIII. |
| G | d | d | V. | |
| | e | e | IIII. | *Augustales.* C̄M̄. XXIIII. |
| | f | f | III. | *Ludi. Jovi Liberatori.* |
| H | g | g | prid. | *Ludi.* |
| | A | h | Idib. | *Ludi. Equus ad nixas fit. Senat. legit.* |
| | b | A | XVII. Kal. Nov. | *Ludi.* |
| I | c | b | XVI. | *Ludi.* |
| | d | c | XV. | *Jovi Liberatori.* C̄M̄. XXXIIII. |
| | e | d | XIIII. | *Ludi Solis.* SOL SCORPIO. |
| K | f | e | XIII. | *Ludi. Dies Ægyptiacus.* |
| | g | f | XII. | *Ludi.* |
| | A | g | XI. | *Solis.* C̄M̄. XXXVI. |
| A | b | h | X. | |
| | c | A | IX. | |
| | d | b | VIII. | |
| B | e | c | VII. | |
| | f | d | VI. | |
| | g | e | V. | *Isia. Evictio Tyranni.* |
| C | A | f | IIII. | *Advent. Divi.* C̄M̄. XXIIII. *Isia.* |
| | b | g | III. | *Ludi votivi. Isia.* |
| | c | | prid. | *Ludi Isia.* |

MENSIS NOVEMBER habet dies XXX.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| D | *d* | *A* | Kal. Novemb. | *Ex Senato.* C̅M̅. XXIII. *S. L. Isia.* |
| | *e* | *b* | IIII. Non. | *Ter novena. Dies Ægyptiacus.* |
| | *f* | *c* | III. | *Hilaria.* |
| E | *g* | *d* | prid. | |
| | *A* | *e* | Non. | |
| | *b* | *f* | VIII Idus. | |
| F | *c* | *g* | VII. | |
| | *d* | *h* | VI. | N̄. *Nervæ & Constantii.* C̅M̅. XXIII. |
| | *e* | *A* | V. | *Ludi votivi.* |
| G | *f* | *b* | IIII. | |
| | *g* | *c* | III. | |
| | *A* | *d* | prid. | *Ludi Plebeii. Senatus legitimus.* |
| H | *b* | *e* | Idib. | *Jovis Epulum.* C̅M̅. XXX. |
| | *c* | *f* | XVIII Kal. Decemb. | *Ludi.* |
| | *d* | *g* | XVII. | *Ludi.* |
| I | *e* | *h* | XVI. | *Plebeii.* C̅M̅. XXIIII. |
| | *f* | *A* | XV. | N̄. *Vespasiani.* C̅M̅. XXIIII. |
| | *g* | *b* | XIIII. | |
| K | *A* | *c* | XIII. | SOL SAGITTARIO. |
| | *b* | *d* | XII. | |
| | *c* | *e* | XI. | |
| A | *d* | *f* | X. | |
| | *e* | *g* | IX. | |
| | *f* | *h* | VIII. | *Bruma. Dies Ægyptiacus.* |
| B | *g* | *A* | VII. | *Ludi Sarmatici.* |
| | *A* | *b* | VI. | *Ludi.* |
| | *b* | *c* | V. | *Ludi.* |
| C | *c* | *d* | IIII. | *Ludi.* |
| | *d* | *e* | III. | *Ludi.* |
| | *e* | *f* | prid. | *Ludi.* |

MENSIS DECEMBER habet dies XXXI.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| D | *f* | *g* | Kal. Decemb. | *Sarmatici.* C̅M̅. XXIIII. |
| | *g* | *h* | IIII. Non. | *Initium muneris.* |
| | *A* | *A* | III. | *Senatus legitimus.* |
| E | *b* | *b* | prid. | *Munus arca. Dies Ægyptiacus.* |
| | *c* | *c* | Non. | *Munus arca.* |
| F | *d* | *d* | VIII. Idus. | *Munus arca.* |
| | *e* | *e* | VII. | |
| | *f* | *f* | VI. | *Munus Kandida.* |
| G | *g* | *g* | V. | |
| | *A* | *h* | IIII. | |
| | *b* | *A* | III. | *Septimontia.* |
| H | *c* | *b* | prid. | *Ludi Lancionici.* |
| | *d* | *c* | Idib. | *Ludi. Senatus legitimus.* |
| | *e* | *d* | XIX. Kal. Jan. | *Ludi. Dies Ægyptiacus.* |
| I | *f* | *e* | XVIII. | N̄. *Divi Veri.* C̅M̅. XXIIII. |
| | *g* | *f* | XVII. | *Ludi.* |
| | *A* | *g* | XVI. | *Ludi. Saturnalia.* |
| K | *b* | *h* | XV. | *Laconici.* C̅M̅. XXIIII. SOL CAPRICORNO. |
| | *c* | *A* | XIIII. | *Munus arca.* |
| | *d* | *b* | XIII. | *Munus Kandida.* |
| A | *e* | *c* | XII. | *Munus arca.* |
| | *f* | *d* | XI. | |
| | *g* | *e* | X. | *Munus arca.* |
| B | *A* | *f* | IX. | *Munus consummat.* |
| | *b* | *g* | VIII. | N̄. *Invicti.* C̅M̅. XXX. |
| | *c* | *h* | VII. | |
| C | *d* | *A* | VI. | |
| | *e* | *b* | V. | |
| | *f* | *c* | IIII. | |
| D | *g* | *d* | III. | N̄. *Divi Titi.* C̅M̅. XIIII. |
| | *A* | *e* | prid. | *Magistrati jurant.* |

# MENSIS NOVEMBER.



AUSONII TETRASTICHON.

Carbaſeo ſurgens poſt hunc indutus amictu
Menſis, ab antiquis ſacra Deamque colit,
A quo vix avidus ſiſtro compeſcitur anſer,
Devotus que ſatis ubera fert humeris.

## MENSIS DECEMBER.



AUSONII TETRASTICHON.

Annua ſulcatæ coniecta & ſemina terræ
Paſcit hyems; pluvio de Iove cuncta madent,
Aurea nunc revocat Saturni feſta December;
Nunc tibi cum domino ludere verna licet,

# PETRI LAMBECII NOTÆ IN KALENDARIUM VETUS.



Ucusque *Vetus* illud *Kalendarium*, quemadmodum id in supra memorato Codice MSto *Cæsareo* cum omnibus *Imaginibus* suis etiam nunc exstat *integrum*. Etsi autem illi plene explicando in præsens haud possim immorari, subjungo tamen hic paucas nonnullas *extemporales* & obiter sub manu natas *Annotationes*, quas velim ut candidus Lector pro sua æquanimitate æqui bonique faciat.

## ANNOTATIONES AD TITULUM.

1. Per VALENTINUM, cui *Kalendarium* hoc dedicatum est, videtur intelligendus esse VALENTINUS, *ex Primicerio Protectorum Tribunus*, & *ex Tribuno Dux Illyrici*, cujus *Ammianus Marcellinus* meminit libro decimo octavo, ubi de rebus sub Imp. CONSTANTIO in Consulatu *Eusebii* atque *Hypatii* A. C. 359. gestis agit his verbis: *Hæc dum in Galliis cœlestis corrigit cura, in comitatu Augusti* (nempe CONSTANTII) *turbo novarum exoritur progressus. In domo Barbationis, pedestris militiæ tunc Rectoris, examen apes fecere perspicuum; superque hoc prodigiorum gnaros sollicite consulenti, discrimen magnum portendi responsum est, conjectura videlicet tali, quod hæ volucres post compositas sedes, opesque congestas, fumo pelluntur & turbulento sonitu cymbalorum. Huic uxor erat Assyria nomine, nec taciturna, nec prudens; quæ, eo ad expeditionem profecto & multiplici metu suspenso, ob ea, quæ meminerat sibi prædicta, perculsa vanitate muliebri, ancilla adscita notarum perita, quam e patrimonio Sylvani possederat, ad maritum scripsit intempestive, velut flens obtestansque, ne post obitum CONSTANTII propinquantem, in Imperium ipse, ut sperabat, admissus, despecta se, anteponeret Eusebiæ matrimonium tunc Reginæ, decore corporis inter multas fœminas excellentis. Quibus literis occulte, quantum fieri potuit, missis, ancilla, quæ domina dictante perscripserat, reversis omnibus e procinctu, exemplum ferens ad Arbetionem noctis prima quiete confugit, avideque suscepta, chartulam prodidit: hocque indicio ille confisus, ut erat ad criminandum aptissimus, Principi detulit, atque ex usu, nec mora ulla negotio tributa nec quiete, Barbatio epistolam suscepisse confessus, & mulier scripsisse documento convicta non levi, cervicibus interiere præcisis. Hisque punitis, quæstiones longe serpebant, vexatique multi nocentes sunt, & INNOCENTES. Inter quos etiam VALENTINUS, ex PRIMICERIO PROTECTORUM TRIBUNUS, ut conscius inter complures alios tortus aliquoties supervixit, penitus quod erat gestum ignorans; ideoque ad injuriæ periculique compensationem, DUCIS IN ILLYRICO meruit potestatem.* Hæc *Ammianus Marcellinus*.

2 Per hanc notam videtur significari *Imperium Romanum in ORIENTE*.

3. TITULARE hic significat *librum aliquem insignire titulo*, vel *libri titulum pictura exornare*. Eodem verbo utitur *Tertullianus* in libro de Anima cap. 13. hoc modo: *Enim vero quis non animæ dabit summam omnem, cujus nomine totius hominis mentio TITULATA est?* Item in principio Poematis de Judicio Dei:

*Quis mihi ruricolas aptabit carmine Musas?*
*Et verni roseas TITULABIT floribus auras?*

Similiter quoque *S. Petrus Chrysologus*, qui A. C. 449. vel 450. obiit, in Sermone CLV. de Calendis Januariis, quæ variis superstitionibus ethnicis contaminabantur: *Quorum*, inquit, *formant adulteria in simulacris, quorum fornicationes imaginibus mandant, quorum TITULANT incœsta picturis*. Vide etiam *Stephani Johannis Stephanii* notas in *Saxonis Grammatici* præfationem Historiæ Danicæ in principio.

## AD MENSEM JANUARIUM.

1 SENATUS LEGITIMUS, cujus in hoc Kalendario frequens fit mentio, is vocabatur, qui, vel lege, vel more, certis semper diebus habebatur; contra autem appellabatur *Senatus indictus*, qui reliquis cujusque mensis diebus, dummodo iis non haberentur Comitia, magistratuum vocatu extra ordinem cogebatur.

2 De DIE ÆGYPTIACO, cujus mentio in hoc *Kalendario* passim occurrit, nondum mihi satis liquet.

3 Notam hanc C̄N̄, quæ cum adjunctis *numeris* sæpissime in hoc *Kalendario* occurrit, existimat R. P. *Bucherius* interpretandam esse CONGIARIUM.

4 Per N̄. GORDIANI & N̄. D. HADRIANI significantur *Natalis Gordiani* & *Natalis Divi Hadriani*.

5 Pro N̄. CHARTIS videtur legendum esse NATALIS CHARITUM, ut infra *Natalis Herculis*, *Natalis Minervæ*, *Natalis Dei Quirini*, *Natalis Castoris & Pollucis*, *Natalis Mercurii*, *Natalis Musarum*, *Natalis Dianæ*, *Natalis Asclepii* sive *Æsculapii*. De *Charitum* autem sive *Gratiarum* ortu & cultu vide Natalis Comitis Mytholog. lib. 4. cap. 15.

6 In *Imagine* ad hunc mensem *Januarium* per-

tinente, quæ in R. P. *Ægidii Bucherii* Codice A MSto defuit, præ cæteris maxime consideratu dignus est *habitus Consulis thus in tripode thuricremo incendentis*. Huc etiam pertinent ex *Actis S. Marcelli Papæ* hæc verba: *Deferatur tripoda, & thurificent Majestatibus*. Notanda etiam ibi est *pyxis thuraria*, ut & *Gallus*, symbolum *Larium* ac *Vigilantiæ*.

7. *Ausonii Tetrastichon*, ad eandem *Imaginem* pertinens, est hoc:

*Hic Jani mensis sacer est: en aspice, ut aris*
*Thura micent, fumant ut pia thura Lares.*
*Annorum seclique caput, natalis honorum,*
*Purpureos fastis qui numerat Proceres.* B

Ubi notandum est, *Kalendas Januarias* metaphorice appellari *natalem honorum* tanquam initium *Consulatus* aliorumque *annuorum Magistratuum*. Similiter & per *Proceres purpureos* significantur *Consules*.

## AD MENSEM FEBRUARIUM.

1. In ipso Codice MSto pro LUDI GOTTHICI legitur LUDI GOTTHICHI; & pro LUDI VOTIVI legitur ibidem LUDI VOTIBI.

2. CARISTIA sive CHARISTIA quid fuerint, C docet *Valerius Maximus* lib. 2. cap 1. his verbis: *Convivium etiam solenne majores instituerunt, idque CHARISTIA appellaverunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur, ut si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis tolleretur.*

3. Pro LOTIO in ipso Codice MSto perperam legitur LORIO, & in *Bucherii* editione impressa multo adhuc corruptius CORIO. LOTIO enim idem est atque LAVATIO, cujus mentio fit in descriptione mensis Martii VI. Kal. Aprilis.

4. In *Imagine* ad hunc mensem *Februarium* per- D tinente notabile est, eum solum repræsentari *figura muliebri*, cum reliqui omnes menses exhibeantur *figura virili*.

5. *Ausonii Tetrastichon*, ad eandem *Imaginem* pertinens, est hoc:

*At quem cœruleus modo constringit amictus,*
*Quique paludicolam prendere gaudet avem,*
*Dædala quem jactu pluvio circumvenit Iris,*
*Romuleo ritu Februa mensis habet.*

Ubi per *paludicolam avem* significatur *anas*. *Iris* E autem cognominatur *dædala*, quasi *variegata*, nempe ob *varietatem colorum*; δαιδάλλειν enim Græce significat *variare*. *Romuleo ritu* idem est atque *Romano ritu*. *Februa* denique appellantur, quæcunque lustrandi sive expiandi causa in quibuscunque sacrificiis adhibentur.

## AD MENSEM MARTIUM.

1. Tota hujus mensis *Martii* descriptio defuit in Codice MSto, quo R. P. *Ægidius Bucherius* usus est.

2. N̄. MINERVES pro NATALIS MINER- F VÆ. Similiter etiam in *antiquo* illo *numismate Ciceroniano*, de quo in Libro secundo horum Commentariorum a pag. 726. usque ad pag. 740. prolixe egi, legitur MINERVE pro MINERVA. Sic quoque in eodem hoc Kalendario Idib. Augusti scriptum est N̄. DIANES pro NATALIS DIANÆ, & in *Jani Gruteri* Syntagmate antiquarum Inscriptionum pag. 699. legitur OPPIA CASSIANE pro OPPIA CASSIANA; item in *Ausonii Tetrastichis duodecim mensium* PAPHIE pro PAPHIA, & URANIE pro URANIA.

3. In ipso Codice MSto pro *Quinquatria* scriptum est *Cinquatria*, & paulo post *Sanguem* pro *Sanguen*.

4. *Ausonii Tetrastichon*, ad *Imaginem* hujus mensis pertinens, est hoc:

*Cinctum pelle lupæ promptum est cognoscere mensem;*
*Mars illi nomen, Mars dedit exuvias.*
*Tempus ver hædus petulans & garrula hirundo*
*Indicat, & sinus lactis, & herba virens.*

Ubi notandum est, *Lupum Marti* sacrum esse, & per SINUM LACTIS significari genus vasis, cujusmodi cernitur in ipsa Imagine.

## AD MENSEM APRILEM.

1. Totus hic mensis *Aprilis*, una cum *Imagine* ad eundem pertinente, defuit in Codice MSto, quo *Bucherius* usus est.

2. *Ausonii Tetrastichon* ad *Imaginem* hujus mensis pertinens, est hoc:

*Contectam myrto Venerem veneratur Aprilis;*
*Lumen thuris habet, quo nitet alma Ceres.*
*Cereus a dextra flammas diffundit odoras,*
*Balsama nec desunt, queis redolet Paphie.*

Ubi notandum est, *secundum* hujus Tetrastichi *versum* in variis manuscriptis & impressis exemplaribus varie legi: nempe

*Lumen RURIS habet, quo nitet alma Ceres.*
*Lumen VERIS habet, quo nitet alma Ceres.*
*Lumen JURIS habet, quo nitet alma THETIS.*
*Lumen JURIS habet, quo nitet alma THEMIS.*

Ego autem cum (1) *Elia Veneto* veram & genuinam esse arbitror hanc nostram lectionem:

*Lumen (2) TURIS habet, quo nitet alma CERES.*

Mense enim *Aprili* celebrabant Romani *Cerealia*, festum *Cereris* Deæ frugum, eique sacrificabant TURE, ut *Ovidius* libro quarto Fastorum expresse testatur his versibus:

*Pace CERES læta est, & vos orate, coloni,*
*Perpetuam pacem pacificumque Ducem.*
*Farra Deæ, micæque licet salientis honorem*
*Detis, & in veteres TUREA grana focos;*
*Et si TURA aberunt, unctas accendere tædas.*
*Parva bonæ CERERI, sint modo casta, placent.*

## AD MENSEM MAJUM.

1. Totus hic mensis *Majus*, una cum *Imagine* ad eundem pertinente, defuit in Codice MSto, quo *Bucherius* usus est.

2. De LUDIS MAXIMATIS, ut & de significatione vocum ZENZIARIUS XIV. Kal. Junii & ZINZA IV. Kal. Junii, nondum mihi liquet.

3. De NATALI MERCURII, *Idibus Maiis* celebrato, elegans hoc exstat *Martialis* Epigramma, quod est libri duodecimi sexagesimum septimum, & inscribitur *in Natalem Maronis*:

(1) *In commentario ad* Ausonii *Idyllia*. (2) *Utroque modo antiquis scriptum reperitur, nempe* Thus *cum aspiratione, quasi derivatum a* θύειν, *quod significat* sacrificare, *&* Tus *sine aspiratione, quasi a* tundendo. *Vide* Claudii Dausquii *Orthographiam Antiqui Novique Latii litera* T.

*MAIÆ MERCURIUM creastii IDUS,*
*Augustis redit Idibus Diana,*
*Octobres Maro consecravit Idus.*
*Idus sæpe colas & has, & illas,*
*Qui magni celebras Maronis Idus.*

4. Pro N̄. ANNONIS videtur legendum esse NATALIS AMMONIS, ita ut intelligatur *Jupiter Ammon.Jovem* enim apud se natum & sepultum esse *Cretenses* olim gloriati sunt, ut testatur *Lucianus* in libello de Sacrificiis.

5. In *Joannis Rassii Calendario Romano ethnicæ vetustatis*, ex variis antiquis Calendariis & Auctoribus collecto, & Sangalli typis Leonhardi Straub A. 1584. in quarto edito, pro MACELLUS ROSA SUMAT perperam legitur MARCELLUS ROSA SUMAT. *Macellus* enim masculino genere pro *Macellum* legitur etiam in veteri Lexico Græco-Latino, ab *Henrico Stephano* & *Bonaventura Vulcanio edito*: Μάκελλος, *Macellus*. Verba ergo hæc *Macellus rosa sumat* idem significant atque *Macellum rosis ornetur*; quemadmodum in eodem Calendario VIII. Idus Junii legitur *Colossus coronatur*. Sic etiam eodem mense Junio, cum celebrarentur *Vestalia*, *molæ* ornabantur sertis & floribus.

5. *Ausonii Tetrastichon*, ad *Imaginem* hujus mensis pertinens, est hoc:

*Cunctas veris opes & picta rosaria gemmis*
*Liniger in calathis, aspice, Majus habet,*
*Mensis Atlantigenæ dictus cognomine Majæ;*
*Quem merito multum diligit Uranie.*

Ubi notandum est, in Codice MSto Ausonii, quo olim *Elias Vinetus* usus est, pro *Liniger* perperam & mendose fuisse scriptum *Laniger*. *Linea* enim, non autem *lanea* vestis, convenit mensi *Majo*, quemadmodum perfecta totius corporis nuditas duobus mensibus *Julio* & *Augusto* proprie competit.

## AD MENSEM JUNIUM.

1. Totus hic mensis *Junius*, una cum *Imagine* ad eundem pertinente, defuit in Codice MSto, quo *Bucherius* usus est.

2. In supra citato *Joannis Rassii Calendario* pro IN MINICIA legitur IN NUMICIA. Mihi autem de vera hujus loci lectione nondum liquet, uti nec de FABARICIS.

3. VESTA APERIT. pro VESTA APERITUR. Quid autem his verbis significetur, indicat *Sextus Pompejus Festus*: PENUS, inquit, *vocatur locus intimus in æde Vestæ, segetibus septus, qui certis diebus circa Vestalia aperitur. Ii dies religiosi habentur.*

4. MATRALIA, *festum Matris Matutæ*, de qua vide scriptores Antiquitatum Romanarum.

5. Per ANNÆ SACRUM videtur intelligendum esse ANNÆ PERENNÆ SACRUM. Illud tamen in aliis antiquis Calendariis Romanis refertur ad mensem *Martium*, ut videre est apud Rosinum Antiquit. Roman. lib. 2. & 4. ubi de *Anna Perenna* prolixe agitur.

6. *Ausonii Tetrastichon*, ad *Imaginem* hujus mensis pertinens, est hoc:

*Nudus membra, dehinc solares respicit horas*
*Junius, ac Phœbum flectere monstrat iter.*
*Idem maturas Cereris designat aristas;*
*Floralesque fugas lilia fusa docent.*

In ipsa autem Imagine notandum præcipue est Horologium solarium, & conferendum cum altero illo, quod exstat in libri *tertii* horum Commentariorum *tabula trigesima tertia* antiquissimi Codicis manuscripti Græci Geneseos inter pag. 10. & 11.

## AD MENSEM JULIUM.

1. In ipso Codice MSto pro FUGATO LICINIO legitur FUCATO LICINIO. Significatur autem hic *Fuga Imp. Licinii*, posteaquam is A.C. 324. ab *Imp. Constantino Magno* apud *Hadrianopolim* victus est, & quidem V. Nonas Julii, ut apud *Idatium* in *Fastis Consularibus* videre est.

2. De Romanorum EQUITUM ORDINARIA PROBATIONE & de eorundem *solenni transvectione ab æde Honoris in Capitolium*, quotannis *idibus Juliis* fieri solita, vide *Valer. Maxim.* lib. 1. cap. 2. In ipso Codice MSto Cæsareo pro EQUIT. perperam scriptum est ÆQUIT. eademque mendosa scriptura exstat etiam in editione *Bucheriana* impressa.

3. LUDI FRANCICI, quorum hic fit mentio, videntur instituti fuisse in honorem *Imp. Constantini Magni*, quippe qui, ut *Eutropius* lib. 10. refert, *cæsis FRANCIS atque Alemannis, Reges eorum cepit, & bestiis, cum magnificum spectaculum muneris parasset, objecit.*

4. Per N̄. D. CONSTANTINI sive NATALEM DIVI CONSTANTINI non intelligitur hic *tempus nativitatis* ipsius, sed *initium Imperii*, ut testatur *Idatius* in *Fastis Consularibus* his verbis: *Constantio* VI. *& Maximiano* VI. *His Consulibus diem functus Constantius, & postea levatus est Constantinus* VIII. *Kal. Augusti.*

5. De *Imp. Constantini Magni* VICTORIA SARMATICA vide *Zosimum* lib. 2.

6. *Ausonii Tetrastichon*, ad *Imaginem* hujus mensis pertinens, est hoc:

*Ecce coloratos ostentat Julius artus,*
*Crines cui rutilos spicea serta ligant.*
*Morus sanguineos præbet gravidata racemos,*
*Quæ medio Cancri sidere læta viret.*

## AD MENSEM AUGUSTUM.

1. VICT. SENATI pro VICTORIA SENATUS. Similiter etiam apud *Plautum*, *Ciceronem*, *Salustium*, aliosque antiquos classicos Auctores *Senati* legitur pro *Senatus*. Cujus rei exempla vide apud *Nonium Marcellum* capite *de mutata declinatione*, apud *Janum Gulielmum Laurenbergium* in *Antiquario*, & apud *Ger. Joann. Vossium* l. 4. *de Arte Grammatica* c. 20.

2. Per N̄. CONSTANTII significatur *Natalis Imp. Constantii*, filii *Imp. Constantini Magni*, ideoque in Codice MSto, quo R. P. *Bucherius* usus est, scriptum fuit NATALIS D. N. CONSTANTII, hoc est, *Natalis Domini Nostri Constantii*, nempe tanquam de Imperatore adhuc vivente.

3. Pro LIGNAPSIA legitur in Bucheriana editione LYGNAPSIA. Quare minime dubium mihi videtur, quin re vera legendum sit LYCHNAPSIA. Λυχναψία autem idem est atque Λυχνοκαΐα sive *Accensio lucernarum*; quod fuit nomen *Festi* alicujus apud *Ægyptios*, de quo vide appendicem libri *tertii* horum Commentariorum p. 353. In *Calendario* autem hoc per *Lychnapsiam* opinor significari solemnitatem aliquam, *prid. Id Augusti* quotannis celebrari solitam, cum primum dies post Solstitium jam adeo decrevisset, ut ad cœnam opus esset *accensis luminibus*.

4. DIANE pro DIANA, ut supra in mense Martio *Minerve* pro *Minerva*. In *Calendario* autem *Joannis Rassii* pro *Dianes* perperam legitur *Cianes*.

5. Post VVLCANALICI subaudiendum est LUDI, ut alias sæpe in eodem hoc Calendario. A
6. *Ausonii Tetrastichon*, ad *Imaginem* hujus mensis pertinens, est hoc:

*Fontanos latices & lucida pocula vitro,*
*Cerne, ut demerso torridus ore bibat*
*Æterno Regni signatus nomine mensis;*
*Latona genitam quo perhibent Hecaten.*

Ubi notandum est, per *Æternum Regni nomen* significari Nomen *Imp. Augusti*, per *Hecaten* autem intelligi *Dianam*, utpote cujus *natalis* celebrabatur *Idibus Augusti*. B

## AD MENSEM SEPTEMBREM.

1. Pro MAMMES videtur forte legendum esse N. MAMMÆÆ sive *Natalis Mammææ*, *matris Imp. Alexandri Severi*. Eadem in aliis antiquis monumentis etiam appellatur MAMEA per unicum M. & simplex E, ut videre est in V. CL. *Caroli Patini* numismatibus Imperatorum Romanorum, Argentinæ A. 1671. in folio editis, pag. 343.
2. N̄. ASCLEPII pro NATALIS ÆSCULAPII. Quis autem *Æsculapius* ille fuerit, vide apud V. CL. *Joannem Henricum Meibomium* in Commentario C doctissimo in *Jusjurandum Hippocratis*, capite quarto.
3. Pro LUDI ROMANORUM legitur in editione Bucheriana *Ludi Romaniani*.
4. Per TRIUMPHALES significantur *Ludi Triumphales*, instituti in honorem *Imp. Constantini Magni* ob *Licinium ad Chalcedonem debellatum* A. C. 324. XIV. Kal. Octobris, ut apud *Idatium* in *Fastis Consularibus*, & apud Auctorem *Chronici Alexandrini* videre est.
5. Ante PII ANTONINI subaudiendum est NATALIS.
6. Per PROFECTIONEM DIVI videtur significari D *Profectio Imp. Constantini Magni contra Licinium*.
7. *Ausonii Tetrastichon*, ad *Imaginem* hujus mensis pertinens, est hoc:

*Surgentes acinos, varias & præsecat uvas*
*September, sub quo mitia poma jacent;*
*Captivam filo gaudens religasse lacertam,*
*Quæ suspensa manu mobile ludit opus.*

Ubi notandum est, in *Eliæ Vineti* operum Ausonianorum editione, Burdigalæ apud Simonem Millangium E A. 1580. in quarto impressa, primum hujus Tetrastichi versum legi hoc modo: *Surgentes acinos VARIOS, & præsecat uvas;* in ultimo autem versu pro MOBILE *ludit opus* legi NOBILE *ludit opus*. Ego autem malui hic sequi lectiones illas, quas V. Cl. *Josephus Scaliger* & R. P. *Ægidius Bucherius* repererunt in Codicibus manuscriptis, quibus ipsi usi sunt. Eædem lectiones exstant etiam in *Syntagmate Epigrammatum & Poematiorum veterum*, Parisiis typis Dionysii Duvallii A. 1590. edito in duodecimo, cujus rarissimum pretiosissimumque exemplar, *propria ipsius Josephi Scaligeri manu* multis *variantibus Lectionibus* & F *Emendationibus conjecturalibus* in margine illustratum, adservatur in *Augustissima Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi*, & in titulo sive frontispicio suo propria amplissimi celeberrimique Viri, Dn. *Pauli Petavii*, Regii olim in Gallia Consiliarii, manu insignitum est hoc modo: *JOSEPHO SCALIGERO, Virof pra digni atem, Libellum hunc PAULUS PFTAU, Cultor ejus devotissimus, & in Suprema Curia Consiliarius, L. M. D. D. Augustæ Turonum Kalendis Juliis A.* cIↃ IↃ XCIII.

## AD MENSEM OCTOBREM.

1. Post N̄. ALEXANDRI, hoc est, *Natalis Alexandri*, subaudiendum est SEVERI, nempe ut intelligatur *Imp. Alexander Severus*, supra memoratæ *Mammææ* filius.
2. Post AUGUSTUSALES subaudiendum est LUDI. Meminit horum Ludorum *Tacitus* Annalium lib. 1. cap. 15. item *Dio Cassius* lib. 54.
3. EQUUS AD NIXAS FIT. Ita quidem in Codice MSto *Cæsareo* legitur, magis tamen mihi placet lectio Codicis MSti *Bucheriani*, EQUUS ADNIXUS FIT, hoc est, *Idibus Octobris EQUUS dexter, qui in Ludis equestribus præ cæteris maxime ADNIXUS, victoriam obtinuit, Marti deo belli sacer, immolatur*. FIERI enim idem hic est atque *sacrificari*; quemadmodum apud *Ciceronem* l. 1. ad Atticum epist. 10. *Credo enim te audisse, cum apud Cæsarem pro Populo FIERET, venisse eo muliebri vestitu virum; idque sacrificium cum virgines instaurassent*, &c. Plura de hac consuetudine immolandi equum victorem Marti Idibus Octobris, & de ejusdem consuetudinis causa, vide apud *Plutarchum* Quæstionum Romanarum nonagesima septima, & apud *Sextum Pompejum Festum* in explicatione verborum *October Equus*.
4. XV. KAL. NOVEMB. LUDI JOVI LIBERATORI; nempe *ob necem Sejani & Agrippinæ sub Imp. Tiberio*. Originis horum ludorum meminit *Tacitus* Annal. lib. 6. cap. 25. his verbis: *Eodem die defunctam Agrippinam, quo biennio ante Sejanus pœnas luisset, memoriæque id prodendum addidit Cæsar; jactavitque, quod non laqueo strangulata, neque in Gemonias projecta foret. Actæ ob id grates, decretumque, ut QUINTODECIMO KAL. NOVEMBRIS utriusque necis die per omnes annos DONUM JOVI SACRARETUR.*
5. Per EVICTIONEM TYRANNI significatur *Adactio Licinii, Nicomediæ ab Imp. Constantino Magno obsessi, ad desperationem omnium rerum & deditionem voluntariam A. C. 324.* Qua de re vide *Zosimum* lib. 2. *Licinius* igitur κατ' ἐξοχὴν sive per excellentiam hic appellatur *TYRANNUS*, itidem ut in *Codice Theodosiano* lib. 5. tit. 5. *De ingenuis, qui tempore TYRANNI servierunt*. & l. 15. tit. 14. *De infirmandis his, quæ sub Tyrannis aut Barbaris gesta sunt*. ubi obiter notandum est, in Inscriptione *Legis primæ* de removendis *Licinii Tyranni* constitutionibus & legibus, *Imp. Constantinum* Magnum perperam vocari *Constantinum*, & in fine ejusdem legis pro XVII. KAL. IUN. sive *Junii* scribendum esse XVII. KAL. JAN. sive *Januarii*, ut manifeste liquet ex *Idatii Fastis Consularibus* & hoc *Calendario*.
6. *Ausonii Tetrastichon*, ad *Imaginem* hujus mensis pertinens, est hoc:

*Dat prensum leporem, cumque ipso palmite fœtus*
*October; pingues dat tibi ruris aves.*
*Jam Bromios spumare lacus, & musta sonare*
*Apparet; vino vas calet ecce novo.*

Ubi obiter notandum est, per *pingues ruris aves* præcipue significari *perdices* & *attagenas*; per *Bromios* autem *lacus* intelligi vasa vinaria, Austriace *Weinboding* dicta, quæ recipiunt mustum prælo ex vinaceis expressum, ut illud inde porro transmittatur & condatur in dolia.

## AD MENSEM NOVEMBREM.

1. EX SENATO pro *Ex Senatu*, uti supra in mense Augusto *Senati* pro *Senatus*.

2. Per NATALEM CONSTANTII, *filii Imp. Constantini Magni*, non intelligitur hic *tempus nativitatis* ipsius, sed *initium dignitatis Cæsareæ*, ut videre est in *Idatii Fastis Consularibus*, ubi ea de re hæc leguntur: *Levatus est Constantius Cæsar* VI. *Id. Novembris*.

3. *Ausonii Tetrastichon*, ad *Imaginem* hujus mensis pertinens, est hoc:

*Carbaseo surgens post hunc indutus amictu*
*Mensis, ab antiquis Sacra Deamque colit.*
*A quo vix avidus sistro compescitur anser,*
*Devotusque satis ubera fert humeris.*

Ita hoc Tetrasticon *Elias Venetus* inter opera Ausonii edidit, ibidemque recte monuit, per *carbaseum amictum* significari amictum *lineum*; per *Sacra* autem *Deamque* intelligi *Isidem* & *Sacra Isiaca*. nec solum *Sacerdotes* ejus ob usum lineorum vestimentorum appellatos fuisse *Linigeros*, sed & ipsam *Deam* vocatam fuisse *Linigeram*. Similiter quoque recte ibidem annotatum est, post *ab antiquis* subaudiendum esse *temporibus*, eademque loquendi formula etiam *Ovidium* in Fastis usum esse. De *Sistro* etiam, quod ibidem additur, verissimum est, illud *Isidis* adeo fuisse proprium, ut & ipsius *simulacrum* id ferret dextra manu, & *Sacerdotes*, aliique ejusdem sacris initiati ob *sistri* usum a *Martiale* in libri duodecimi Epigrammate vigesimo nono *sistrata turba* nuncupentur hoc disticho:

*LINIGERI fugiunt CALVI, SISTRATAQUE TURBA,*
*Inter adorantes cum stetit Hermogenes.*

Quæ insuper ibidem de *figura sistri* ex *Plutarcho* & *Apulejo* traduntur, ea nulla ratione magis illustrari possunt, quam ipsa *imagine* hujus mensis *Novembris*; in qua etiam *Sacerdotum Isiacorum calvities* æque manifeste expressa cernitur. Cæterum quod attinet ad *ultimum* supra exhibiti Tetrastichi Ausoniani versum, *Devotusque satis ubera fert humeris*, existimat *Elias Vinetus*, intelligendum ibi esse *mensem Novembrem*, quasi dedicatum idoneumque ferendis frugibus, & semina in saccis super humeros portantem instar *Isidis multimammiæ*. Potest tamen idem versus etiam intelligi de *Ansere*, qui frugibus, cum erumpunt, infestus est, & propter insatiabilem aviditatem suam vix sistri sono aliisque terriculamentis compescitur & fugatur, ideoque ob damnum satis illatum *Isidi* sacer, & in victimam destinatus est. *Ubera* autem is dicitur *ferre humeris* ob pinguem dorsi eminentiam. Idem *Ausonianum Tetrastichon* reperit R. P. *Ægidius Bucherius* in Codice suo manuscripto magna ex parte diversum hoc modo:

*CARBASEOS post hunc artus indutus AMICTUS*
*MEMPHIDOS ANTIQUÆ Sacra Deamque colit.*
*A quo vix avidus sistro compescitur anser,*
*Devotusque satis INCOLA MEMPHIDEIS.*

In supra citato autem *Epigrammatum & Poematiorum veterum Syntagmate* pag. 176. legitur idem Tetrastichon sic:

*CARBASEO post hunc artus INDUCTUS AMICTU,*
*MEMPHIDOS ANTIQUÆ Sacra Deamque colit.*
*A quo vix avidus sistro compescitur anser,*
*Devotusque SACRIS INCOLA MEMPHIDIS.*

AD MENSEM DECEMBREM.

1. In editione *Bucheriana* pro MUNUS ARCA. ubivis legitur MUNUS ARCHA. In *Calendario* autem *antiquo*, ab *Hadriano Junio Medico* Basileæ per Henricum Petri A. 1553. in octavo edito, legitur MUNUS ARCADICUM.

2. Per MUNUS KANDIDA videtur significari MUNUS CANDIDATORUM, novos honores in futurum annum petentium.

3. Pro LUDI LANCIONICI videtur legendum esse LUDI HALCYONICI vel HALCYONEI. Medio enim mense Decembri sunt *Dies Halcyonei*, quibus *Halcyon* sive *Alcedo* avis nidificat, & *mare tranquillum* est. Lepide huc alludit *Plautus* in Prologo Casinæ his versibus:

*Ejicite ex animo curam atque alienum æs;*
*Ne quis formidet flagitatorem suum.*
*LUDI sunt; ludus datus est argentariis.*
*Tranquillum est; ALCEDONIA sunt circum forum.*
*Ratione utuntur; LUDIS poscunt neminem.*

4. Per NATALEM INVICTI significatur dies, quo *Imp. Constantius*, *Vetranione VIII. Kal. Januarii A. C.* 351. *deposito*, *INVICTUS appellatus est*. Qua de re vide *Idatii Fastos Consulares* anno Æræ Hispanicæ 389.

5. MAGISTRATI JURANT obsolete pro *Magistratus jurant*; ut supra *Senati* pro *Senatus* & *Senato* pro *Senatu*.

6. *Ausonii Tetrastichon*, ad *Imaginem* hujus mensis pertinens, est hoc:

*Annua sulcatæ conjecta & semina terræ*
*Pascit hyems; pluvio de Jove cuncta madent.*
*Aurea nunc revocat Saturni festa December;*
*Nunc tibi cum domino ludere verna licet.*

Ubi obiter notandum est, *Jovem pluvium*, cujus *secundo versu* fit mentio, etiam nunc Romæ eleganter insculptum cerni *Columnæ cochlidi Imp. M. Antonini Philosophi*, eandemque *Jovis pluvii Imaginem*, accuratissime delineatam ærique incisam exstare apud Em. Card. *Baronium* Annalium Ecclesiasticorum Tomo secundo in Actis anni Christi 176. num. 24.

7. In *Bucherii Imagine hujus mensis*, ruditer ligno incisa, loco *suspensarum avium* cernitur *Larva* seu *Persona scenica*, ut ex subjuncto apographo sive exemplo, dedita opera æque ruditer ligno inciso, videre est.



In eadem *Bucherianæ* editionis Imagine *Fritillum*, quo agitatæ & concussæ tesseræ in alveolum aleatorium mittuntur, perperam formatum est instar

*tertiæ* alicujus teſſeræ. De (1) *Fritilli* autem uſu in alea, & de *aleæ* uſu in *Saturnalibus* menſe Decembri, inſignis exſtat locus apud *Martialem* lib. 4. Epigram. 14.

*Dum blanda vagus alea December*
*Incertis ſonat hinc & hinc* FRITILLIS.

In eadem ſupra memorata *Bucherianæ* editionis Imagine omiſſa etiam ſunt omnia illa *ornamenta rotunda*, quæ cernuntur in *veſtitu menſis Decembris*. Appellantur illa Latine a Græco κάλλος, quod *pulchritudinem* & *ornatum* ſignificat, *Calliculæ*, Græce autem a rotunditate ſua Τροχάδες; fueruntque ex *purpura*, *gemmis*, *auro*, *argento*, aliiſque diverſis materiis; ut videre eſt in *antiquis Actis Paſſionis Sanctarum Martyrum Perpetuæ & Felicitatis*, ubi ipſa *S. Perpetua* de ſe hæc ſcribit: *Pridie quam pugnaremus, video in horomate hoc: veniſſe Pomponium Diaconum ad oſtium carceris, & pulſare vehementer, & exivi ad eum, & aperui ei; qui erat veſtitus diſtinctam candidam, habens* MULTIPLICES CALLICULAS. Item paulo poſt: *Et exivit vir quidam miræ magnitudinis, ut etiam excederet faſtigium Amphitheatri, diſcinctatus purpuram inter duos clavos per medium pectus, habens* CALLICULAS MULTIFORMES *ex* AURO *&* ARGENTO *factas*. &c. In antiquis autem *Gloſſariis Latino-Græco* & *Græco-Latino* a Bonaventura *Vulcanio* editis, colum. 321. & 640. pro *Callicula* perperam legitur *Gallicula*: *Calliculæ*, Τροχάδες· Τροχαὶ, *Gallicula*. Ejuſdem generis *Calliculæ* cernuntur etiam ſupra in veſtitu menſis *Aprilis*, & libro *tertio* horum Commentariorum in *antiquiſſimi Codicis manuſcripti Græci Geneſeos* Tabula ſexta in
3 veſtimento *Chanaani*; Tab. XVI. in veſtimento Patriarchæ *Iſaaci* & cujuſdam alterius, Tab. XXV. in veſtimento *muliebri*; Tab. XXVII. & XXVIII. in veſtimento Patriarchæ *Joſephi*, & duorum aliorum; Tab. XXIX. & XXX. in veſtimentis *Joſephi* & *Benjamini*; Tab. XXXI. & XXXII. in veſtimento *Joſephi*; Tab. XXXIV. in veſtimentis *Convivarum Regis Pharaonis*; Tab. XXXV. & XXXVI. in veſtimentis *Regis Pharaonis* & *Joſephi*; Tab. XL. in veſtimento *Benjamini*, Tab. XLV. in veſtimentis *Joſephi*, *Ephraim* & *Manaſſe*; quibus omnibus locis *Calliculæ* illæ ſive *Trochades* repræſentantur per *rotundas maculas nigras*; uti etiam in æque vetuſtis *Romæ Subterraneæ* Imaginibus, & quidem præcipue *Tabula decima Sepulcrorum Cœmeterii S. Calliſti Papæ & aliorum Sanctorum Martyrum*, pag. 331. Tomi Primi editionis Colonienſis. 1659. in folio.

(1) *De differentia inter* Fritillum *&* Pyrgum *ſcribit* Claudius Salmaſius *Exercitationum Plinianarum in* Solinum *pagina 70. hoc modo*: PYRGUS *&* FRITILLUM differebant. PYRGUS erat turris lignea in modum modii facta, quæ in parte alveoli hærebat, in ſummo aperta, & gradus intus exciſos habens, in imo vero foramen, quo teſſeræ effundebantur in tabulam; at FRITILLUM erat pyxis, quæ manu tenebatur, & movebatur cum teſſeris, quæ inde in Pyrgum mittebantur, ut per ſcamillos intus exciſos crebro ſubſultantes, in tabulam demum exciderent.

# F I N I S.



THO-

# THOMÆ DEMPSTERI
# KALENDARIUM
# ROMANUM,

*In quo præter ortum & occaſum ſignorum cœleſtium, quæ in ſex lib. Faſtorum notantur, ludi item & dedicationes templorum Romanorum & Græcorum per ſeriem integri anni habentur.*

*MARTIUS, MAJUS, JULIUS, OCTORER, nonas 7. idus 15. die habent. Cæteri 5. & 13. Cedren. compendio hiſtor. pag. 139.*

## JANUARIUS.

A 1 Kal. Jan. Jani & Junonis, Jovi & Æſculap. in inſ. Tiberina. Ovid. Gamelia Junoni hoc menſe celebrabantur, unde & menſi nomen.

b 2 4 Dies ater.

c 3 3 Cancer occidit. Tertia menſis Minervæ ſacra cujuſque. Pauſ.

d 4 Pr. Nonæ. Votum pro ſalute principis. Cajus. Tacitus.

e 5 Nonæ.

f 6 8 Lyra oritur, tempeſtatem ſignificat.

g 7 7 Iſidis ἄφιξις, id eſt, acceſſus. Plut.

A 8 6 Sacrificium Jani. Vetus Kal. Octavus cujuſque menſis dies Neptuno ſacer eſt apud Athenienſ. Plut.

b 9 5 Agonalia. Ovid. Delphinus oritur.

c 10 4 Media hyems.

d 11 3 Carmentalia. Juturnæ ædes dicata in campo Martio.

e 12 Pri. Id. Compitalia. Gell. & Macrob.

f 13 Idus. Jovi. Octavius Auguſtus dictus, & provinciæ in formam redactæ, Ovid. & tibicines habitu muliebri Urbem luſtrabant. Plut.

g 14 19 Kal. Febr.

A 15 18 Carmentalia relata. & Porrimæ & Poſtvertæ.

b 16 17 Concordiæ templum a Camillo ex voto poſitum. Sol in Aquario.

c 17 16

d 18 15

e 19 14

f 20 13

g 21 12

A 22 11

b 23 10 Lyra occidit.

c 24 9 Leonis, qui eſt in pectore, clara ſtella occidit. Sementinæ feriæ. Ovid. Varro. Feſt. Macrob. non ſtatæ quidem, ſed indictæ.

d 25 8

e 26 7

f 27 6 Caſtori & Polluci templum ad Juturnæ ſtagnum dedicatum.

g 28 5

A 29 4 Equiria in campo Mart. Vet. Kal.

b 30 3 Paci.

c 31 Prid. Kal. Sacr. Diis penat. Vet. Kal. qui patrii & urbani dicuntur.

## FEBRUARIUS.

C d 1 Kal. Feb. Soſpitæ templi dedic. Lucaria, ab Aſyli luco. Ovid. Feſt. Item Jovi ſacr. de bidente Dianæ ſacra fiebant, a cervis Elaphebolia nuncupata.
Lyra & medius Leo occidunt, Delphinus occidit.

e 2 4

f 3 3

g 4 Prid. No.

A 5 Nonæ. Aug. dictus Pater Patriæ. Ovid. Aquarius oritur. Zephyrus flare incipit.

b 6 8

c 7 7

D d 8 6

e 9 5 Veris initium.

f 10 4

g 11 3 Arctophylax oritur.

A 12 Prid. Id.

b 13 Idus. Fauni feſtum & Jovis. Fabiorum cædes. Corvus, Crater, & Anguis oriuntur.

c 14 16 Kal. Mart.

d 15 15 Lupercalia Plut. Ovid. Varr. Sol in Piſcibus. Venti per ſex dies vehementius flant.

e 16 14

E f 17 13

g 18 12 Quirinaliorum ſtultorum feriæ. Feſtus. Ovid. Varr. & Fornacalium indictio deæ Fornacali, quæ & Fornax dicta fuit, a quo indicta. Plin. Ovid. & Diis Manib. ſacra feralia. Deæ Mutæ.

A 19 11 Chariſtia. Val. Max. Ovid. id eſt, ſacra cognatorum. Vet. Kal.

b 20 10

c 21 9 Terminalia. Ovid. Bedas vero VII. Kal. & Regisfugium V. Kal. Mart. cui convenit locus biſſexti.

d 22 8

F e 23 7 Regisfugium Ovid. Quidam VI. Kal.

f 24 6

g 25 5 Hirundinum adventus.

A 26 4

b 27 3 Equiria in campo Mart. Varr. Feſt. & Ovid.

c 28 Prid. Kal. Tarquinii ſuperati. Plut.

## MARTIUS.

d 1 K. Mart. Matronarum dies feſtus. Feſt. Porph.

Serv. Ovid. Matronalia. Junonis Lucinæ. Martis. Ancyliorum festum; nec nubere bonum, quousque condantur. Porph. aliam causam adfert. Munychia sacra Deæ Munychiæ, id est, Dianæ.

e 2 6

f 3 5 Alter e piscibus occidit.

g 4 4

A 5 3 Arctophylax occidit. Vindemiator oritur.

b 6 Prid. Non. Aug. pont. max. Sacra Vest. Ovid.

c 7 Nonæ. Pegasus oritur. Vejovis templum ad duos lucos Asyli. Ovid.

d 8 8 Corona oritur,

e 9 7

f 10 6

g 11 5

A 12 4

b 13 3 Equiria altera apud Tyberim, aut si aquis increverit, in Cœlio monte. Ovid. Fest.

c 14 Prid. Id.

d 15 Idus. Annæ Perennæ. Parricidium, id est, cædes C. Cæs. Plin. & Suet.

e 15 17 Kal. April. Scorpius medius occidit. Lysander Athenis potitus. Plut.

f 17 16 Liberalia, Varro. quo die virilem togam pueri ingenui sumebant. Ovid. Agonia. Varro. Milvius oritur.

g 18 15 Sol in Ariete.

A 19 14 Quinquatria. Minervæ natalis, & Minerval magistris solvebatur.

b 20 13 Quinquatria.

c 21 12 Quinquatr. Primus dies seculi, quidam VIII. Bedas.

d 22 11 Quinquatr.

e 23 10 Quinquatr. Tubilustrium. sacrorum tubæ lustrantur. Varro.

f 24 9

g 25 8 Æquinoctium Vernum. Hilar. Matris, Deum festa. Lamprid. Macrob.

A 26 7

b 27 6 Matris Deum. Ammia. Marc. Herod. Megalesia. Varr.

c 28 5

d 29 4

e 30 3 Jani, Concordiæ, Salutis, Pacis.

f 31 2 Prid. Kal. Lunæ. i. Dianæ in Aventino. Ovid.

## APRILIS.

g 1 Kal. April. Scorpius occidit. Veneris sacrum cum floribus & myrto. Plut. Ovid. Item Fortunæ virili. Targelia sacra Apollini & Dianæ. Mensis hic Græcis auspicatissimus.

A 2 4 Pleiades occidunt.

b 3 3

c 4 Pr. No.

d 5 Nonæ. Megalesia matri Deum. K. V. Ovid.

e 6 8 Fortunæ publicæ primig. in colle Quir. Ovid. Varr. Dianæ nativit.

f 7 7 Apollinis dies natalis, qui dies quoque Socratis & Platonis sunt. Laert.

g 8 6 Ludi ob victoriam Cæs. Libra occidit. dies pluvius. Orion occidit.

A 9 5 Cereal. Ludi. Circen. Instaurationis dies Circensibus additus. Macrob.

b 10 4

c 11 3

d 12 Prid. Id. Magna Mater Romam adducta. T. Liv. XXIX.

e 13 Idus. Jovi Victori & Libertati. Ovid.

A f 14 18 Kal. Maj.

g 15 17 Fordicidia vel Fordicatia, de forda bove. Varro. Ovid.

A 16 16 Aug. Imp. salutatus. Hyades occidunt.

b 17 15

c 18 14 Equiria in Circo max. & vulpium combustio. Ovid.

d 19 13 Sol in Tauro.

e 20 12 Palilia. Romæ natalis. Varro. Ovidius. Fest. Plut. alii. Falluntur multi. Agonia altera. Ovid. quæ & Agonalia dicuntur.

f 21 11

B g 22 10 Vinalia priora Jovi & Veneri. Ovidius. Plut. Varr. Plin. Fest.

A 23 9 Ilii destructio.

b 24 8

c 25 7 Medium Veris. Aries occidit. tempestatem significat.

d 26 6 Canis oritur. Robigalia. Plin. Fest. Ovid. Varro, alii.

e 27 5 Latinæ feriæ in sacro monte. Tit. Livius.

f 28 4 Floralia. Plin. Kal. V. Ovid.

g 29 3

A 30 Pr. Kal. Vestæ Palatinæ. Ovid. Hoc mense, ut Plut. in Romulo & probl. Larentalia: & distinguit a Laurentalibus, quæ mense Decembri celebrantur. Apaturia etiam hoc mense agebantur, a Venere dicta. Tribus diebus celebrabantur: 1. δόρπεια. 2. ἀνάρρυσις. 3. κουρεῶτις. 4. ἐπίβδα. Simplicius in Physicis. Suidas, alii. Quidam Pyanepsione agi dicunt. C

## MAJUS.

b 1 Kal. Maii. Capella oritur. Laribus præstitibus ara posita. Ovid. & Bonæ Deæ sacr. Macrob. Plut. Varr Lactant. Ovid. alii. & Florales ludi triduo. V. Kal. Umbraculorum festum, quæ σκίρα dicuntur. Σκιράς. Pallas. D

c 2 6 Argest. flare incipit. Hyad. oriuntur.

d 3 5 Centaurus oritur.

e 4 4

f 5 3 Lyra oritur.

g 6 Pr. Non. Scorpius medius occidit.

A 7 Nonæ.

b 8 8

c 9 7 Lemuria, quæ noctu agebantur, & triduo. Ovid. Varr. Porph. malum nubere. & Luminaria. E

d 10 6

e 11 5 Lemuria. Vet. Kal. Orion occidit.

f 12 4 Martis Ultoris. Bisultorem ait Ovid. alii. post Lem. Vet. Kal.

g 13 3 Lemuria. Vet. Kal.

A 14 Pr. Id. Taurus oritur.

b 15 Idus. Argeorum simulachra scirpea de Ponte in Tyberim dejiciebantur. Dion. Euseb. Plut. Ovid. Macrob. alii. Et Mercatorum dies festus. Fest. Ovid. Mercurium hoc die natum Martialis ait. Ædes dedic. T. L. & Fer. Jov. V. Kalend. F

c 16 17 Kalen. Jun.

d 17 16

e 18 15

f 19 14 Sol in Geminis.

g 20 13

A 21 12 Agonia seu Agonalia Jani. Ovid. Varr. Vejovi. V. Kal. alii superioribus diebus. Canis oritur.

b 22 11 Vulcani feriæ. V. Kal. Vulcanalis flamen rem div. Majæ faciebat. Macrob. alii. Tubiluſtrium. Varr. Ovid. alii x. Kal. V. Kal. Ovid. alii XIII. A
c 23 10
d 24 9 Regisfugium alterum. Vet. Kalend. Ovid. alii aliter.
e 25 8 Templum Fortunæ datum. Vet. Kalen. Ovid. Aquila oritur.
f 26 7 Arctophylax occidit.
g 27 6 Hyades oriuntur.
A 28 5
b 29 4
c 30 3 B
d 31 Pr. Kal.

### JUNIUS.

c 1 Kalen. Jun. Junonis Monetæ ædis dedicatio. Macrob. Bed. Carnæ deæ in Cælio monte. Marti ſacra extra portam Capenam. Tempeſtati delubrum. Ovid. Fabariæ Kal. Macrob. Aquila oritur. Hecatombæ hoc menſe plures, unde & illi nomen. Anni initium apud Athenien. vel quod ſol Hecatobæus diceretur.
f 2 4 C
g 3 3
A 4 Prid. Non. Bellonæ ſacr. Herculis ædes in Cir.
b 5 Nonæ. Templum Fidei. Sponſoris Jovis. Dion. alii Sacrum Fidio Semipatri. Vet Kalendar. Ovid.
c 6 8 Veſtæ templum.
d 7 7 Piſcatorii ludi in campo. Mart. Ovid. Feſt. Mentis templum dic. Ovid. Vet. Kal. Arctophylax occidit.
e 8 6 Veſtæ. Vet. Kal. Ovid. Aſini coronantur. Ara Jovis Piſtoris.
f 9 5 D
g 10 4 Delphin veſperi oritur. Matralia. Fortis Fort. Concordiæ ædes. Matris Matutæ Vet. Kal. Ovid.
A 11 3
b 12 Prid. Id.
c 13 Idus. Jovis invicti. Minuſculæ Quinquat. Miner. Var. Feſt. Cenſorin.
d 14 18 Kal. Jul.
e 15 17 Stercus ex æde Veſt. defertur. Varro. Ovid. Hyades oriuntur.
f 16 16 Zephyrus flat. Orion oritur.
g 17 15 Delphinus totus apparet. Æqui & Volſci a Poſthumo fugati. E
A 18 14
b 19 13 Sol in Cancro. Minervæ in Aventino. Vetus Kal.
c 20 12 Ophiuchus oritur. Summani ſacrum ad Circum max. Vet. Kal. Ovid.
d 21 11
e 22 10
f 23 9 Flaminius victus a Pœnis. Ovid.
g 24 8 Fortis Fortunæ. Vet. Kalend. Ovid. Varr. Naves coronatæ per Tyberim convivia ducebant.
A 25 7 F
b 26 6 Orionis zona oritur. Solſtitium.
c 27 5 Jovis Statoris & Laris. Ovid.
d 28 4 Quirini templum in coll. Quir. Ovid. Vet. Kal. III. Kal.
e 29 3
f 30 Pr. Kal. Herculis & Muſarum. Ovid. Populifugia in Junio dies. Varro.

### JULIUS.

g 1 Kal. Jul. Hoc die apud Rom. fiebant migrationes ex ædibus in alienas ædes, id quod ex Cicer. Suetonio, & Martiale colligunt docti.
A 2 6
b 3 5
c 4 4
d 5 3
e 6 Pr. Non. Capitol. incenſum tempore Syllæ.
f 7 Nonæ. Romulus non apparuit. Lamp. in Commodo, Plutarch. Caprotinæ. Juno Caprotina. Ancillarum feſtum. Macrob. Plut. Ovid. Varro.
g 8 8
A 9 7
b 10 6
c 11 5 Ludi Apollinares. Tit. Liv. Vet. K. Varr. Livius alio loco tertio Non. ait.
d 12 4 Jul. Cæſ. natalis, unde menſis, M. Ant. conſule legem ferente. Macrobius Fortunæ Pr.
e 13 3
f 14 Prid. Id. Fortunæ muliebr. dedic. Dion. Liv.
g 15 Idus. Caſtoris & Poll. Equites Rom. ab æde Honoris in equis in Capit. Plin. Vet. Kal. Dion.
A 16 17 Kal. Aug.
b 17 16
c 18 15 Allienſis dies atra. Plin. Tacit. XVII. Kal. Plut. XVI. Kal. in Camillo.
d 19 14
e 20 13
f 21 12 Mundi natalis. Solinus ex Ægyptiorum ſacerd. ſententia.
g 22 11
A 23 10
b 24 9
c 25 8 Hoc menſe rutilæ canes caniculæ ſacrificabantur. Vide Feſtum.
d 26 7
e 27 6
f 28 5 Neptunalia etiam hoc menſe. Vet. Kalend. & Varro.
g 29 4
A 30 3
b 31 Pr. Kal.

### AUGUSTUS.

c 1 Kal. Aug. Spei ad forum olitorium. V. K. Conſecratio templi Martis. Dion in hiſtoria. Boedromia celebritas hoc menſe agebatur, unde & menſis dictus. Apollo etiam Boedromius vocatus. Plutar. Pauſ. Harpocr. alii. Xerxes victus. Plut.
d 2 4 Feriæ quod Cæſ. Hiſp. citeriorem vicit. Vet. Kal.
e 3 3
f 4 Prid. Non.
g 5 Nonæ. Saluti in colle Quir. V. Kal. & Spei.
A 6 8
b 7 7
c 8 6 Solis indigetis in colle Quir. V. Kal
d 9 5
e 10 4 Aræ Opis & Cereris in vico Jugario. Vet. Kal.
f 11 3
g 12 Pr. Id. Herculi magno cuſtodi in Circo Flam. Vet. Kal.
A 13 Idus. Dianæ ſacra. Martial. Currebant in nemus Aricinum. Item natalis Au-

gufti Porphyr. Dies feftus fervorum & ancillarum. Plut. & Vertumno in Laureto majore. V. K. A
b 14 19 Kal. Sept.
c 15 18
d 16 17
e 17 16 Portunalia ad pontem Æmyl. V. K. & Var. Jano ad theat. Marcelli. V. K.
f 18 15 Confualia. Plut. in Numa. vel fequenti die. Sabinarum raptus.
g 19 14 Augufti mors. Dion in hift. Suet.
A 20 13 Vinalia fecunda. Plin.
b 21 12 Vinalia ruftica. Varro. Feftus vero XIV. Kal. idem & Vet. Kal. B
c 22 11 Myfteria magna. Plut. & Liber pater ex urbe in Eleufinem transferebatur.
d 23 10 Vulcanalia in Circo Flam. Vet. Kal.
e 24 9
f 25 8 Opiconfivæ in Capitolio. Vet. Kal. Varro.
g 26 7
A 27 6 Vulturnalia. Vet. Kal. Varr. cujus feriæ menfe Octob. Vortumnalia.
b 28 5 Harpocratis feftum hoc menfe fiebat ab Ægyptiis. Plut.
c 29 4 Vulcanalia. Feftus.
d 30 3 Mundus Cereris patet
e 31 Pr. Kal. Nat. D. Cæf. Germanici. Vet. Kal. C

## SEPTEMBER.

f 1 Kal. Septemb. Vulcani tutela Septemb. Vet. Kalen. Mæmactes Jupiter, & inde menfis. Harpocr. & alii.
g 2 4 Augufti victoria navalis ex M. Anton. & Cleop. Dion.
A 3 3
b 4 Pr. Non.
c 5 Nonæ.
d 6 8
e 7 7
f 8 6 Hierofolyma a Tito Vefp. capta. Jofephus. D
g 9 5
A 10 4
b 11 3
c 12 Pr. Id.
d 13 Idus. Prætor Max. clavum pangit. Tit. Liv. & Capitolii dedic. ab Horatio. Plut. T. L. Jovi. Vet. Kal.
e 14 18 Kal. Oct.
f 15 17 Ludi. Vet. Kalend. qui Romani & magni. Afc. Pæd.
g 16 16 Ludi. Vet. Kalen. Parentatio eorum, qui contra Perfas pugnando occubuerunt. Plut. E
A 17 15 Ludi. Vet. Kal.
b 18 14 Ludi. Vet. Kal.
c 19 13 Thoth, id eft, Mercurio Ægyptii facrificant. Plut.
d 20 12 Romuli natalis. Plut.
e 21 11
f 22 10
g 23 9 Natalis Augufti. Dion hift. Suet.
A 24 8
b 25 7 Veneri. Vet. Kal. F
c 26 6
d 27 5
e 28 4
f 29 3
g 30 Prid. Kalend. Epulum Minervæ. Vet. Kalend. Meditrinalia hoc menfe celebrabantur, & Metrina Dea, quo die primum muftum bibebant. Feft. Varro.

## OCTOBER.

A 1 Kal. Oct. Martis tutela Octob. V. Kal.
b 2 6 Pyanepfia hoc menfe celebrabantur.
c 3 5
d 4 4 Mundus Cereris patet. Feft.
e 5 3
f 6 Pr. Non.
g 7 Nonæ.
A 8 8 Panopfia Apollini. imo Pyanepfia.
b 9 7 Erefione plectitur.
c 10 6 Ofchophoria, id eft, Ramalia celebrantur. Plut. Suid. Comment. in Nicand.
d 11 5
e 12 4
f 13 3
g 14 Pr. Id.
A 15 Idus. Mercatores Mercurio. Virgilii natalis. Martialis. October equus Marti immolatur. Feft. Plut.
b 16 17 Kal. Novemb.
c 17 16
d 18 15
e 19 14
f 20 13
g 21 12
A 22 11 Chalcea Minervæ folennitas. ut Hyperides, vel, ut Phanodemus ait, Vulcani. Harpocr.
b 23 10
c 24 9
d 25 8
e 26 7
f 27 6
g 28 5 Myfteria minora hoc menfe agebantur. Plut. Galenus.
A 29 4
b 30 3
c 31 Pr. Kal. Sacrum hoc menfe Libero fiebat. V. Kal. Et Vertumni feriæ. Varr.

## NOVEMBER.

d 1 K. Nov. Hoc menfe Jovis epulum celebrabatur. Vet. Kal. Anthefteria hoc menfe agebantur, quæ & Bacchanalia. Theoph. Suid. Harp.
e 2 4
f 3 3
g 4 Prid. Non.
A 5 Nonæ
b 6 8
c 7 7 Mundum patere Feft.
d 8 6
e 9 5
f 10 4 Limna Baccho. Thucyd.
g 11 3 Maria clauduntur. Veget. alii. ufque in VI. Id. Mart.
A 12 Pr. Id. Choes. Suid.
b 13 Idus. Pithœgia.
c 14 18 Kal. Decemb. Chytra. Alii in Lenæone menfe conftituunt. Commentar. in Hefiod. Harp.
d 15 17
e 16 16 Ludi plebeii per hos dies. Suet.
f 17 15
g 18 14
A 19 13
b 20 12
c 21 11
d 22 10
e 23 9

f 24 8 Bruma, quæ & Brumalia, feſtum Romanorum. Conſtant. in re ruſt.
g 25 7
A 26 6
b 27 5
c 28 4
d 29 3
e 30 Pr. Kal. Hic menſis fuit in tutela Dianæ. V. Kal. & inferiæ fiebant Gallis defoſſis & Græcis in foro boario. Plut.

DECEMBER.

f 1 Kal. Dec. Fortunæ muliebris feſtum, quoniam hoc die bellum ſublatum. Poſtea translatum Prid. Non. Quintil. Dionyſ. Halic. in VIII. Poſidonia a certamine Pallad. & Neptuni.
g 2 4
A 3 3
b 4 Pr. Non.
c 5 Nonæ. Faunalia. Porphyr.
d 6 8
e 7 7
f 8 6
g 9 5
A 10 4
b 11 3 Alcyonii dies.
c 12 Prid. Id.

A d 13 Idus.
e 14 19 Kal. Jan. Brumalia feſtum hoc menſe & Ambroſia. Proclus in Heſiod.
f 15 18
g 16 17
A 17 16 Saturnalia incipiunt, & per tres dies durant. quibus adduntur Sigillaria, quæ ſeptem dies complent. Macrob.
b 18 15
c 19 14 Opalia & Saturnalia. Macrob. Var.
d 20 13
e 21 12 Angeronalia Angeronæ deæ. Macrobius. Herculi & Cereri de mulſo. Macrobius.
B f 22 11 Feriæ Laribus dicatæ. Macrob. Compitalia. ludi Laribus. Plin.
g 23 10 Feriæ Jovis. Larentinalia vel Laurentinalia. Plut. Var. Ovid.
A 24 9 Juvenalis dies VIII. Saturn. additus. Suet. unde & Juvenales ludi.
b 25 8
c 26 7
d 27 6
e 28 5
f 29 4
g 30 3
A 31 Prid. Kal. December Saturno ſacer. Macrob. Tutela vero Veſtæ. V. Kal.

*FINIS.*

# DIONYSII PETAVII
# KALENDARIUM VETUS ROMANUM,
## CUM ORTU OCCASUQUE STELLARUM,
### Ex Ovidii Fastis, Columella lib. XI. cap. II. Plinio lib. XVIII. cap. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. & XXX.

*Litera* O. *Ovidium significat* ; C. *Columellam* ; P. *Plinium*.

JANUARIUS.

| | | | |
|---|---|---|---|
| A | Kal. Jan. F. | | I |
| B | IV. F. | | II |
| C | III. C. | Cancer occidit, O. | III |
| D | Prid. C. | Cæsari. Delphinus matutino exoritur, Pl. | IV |
| E | Non. F. | Lyra oritur, O. & P. tempestatem significat, O. Atticæ & finitimis regionibus aquila vesperi occidit. | V |
| F | VIII. F. | | VI |
| G | VII. C. | | VII |
| H | VI. C. | Delphini vespertino occasu continui dies hiemant Italiæ, P. | VIII |
| A | V. AGON. | Delphinus oritur, O. | IX |
| B | IV. EN. | Media hiems, O. | X |
| C | III. CAR. NP. | | XI |
| D | Prid. C. | | XII |
| E | Eid. NP. | | XIII |
| F | XIX. EN. | DIES VITIOS. EX S. C. | XIV |
| G | XVIII. CAR. | Tempestas incerta, C. | XV |
| H | XVII. C. | Sol in Aquarium transit. Leo mane incipit occidere. africus, interdum auster cum pluvia, C. | XVI |
| A | XVI. C. | Sol in Aquario, O. & P. Cancer desinit occidere. hiemat, C. | XVII |
| B | XV. C. | Aquarius incipit oriri. ventus africus tempestatem signif. C. | XVIII |
| C | XIV. C. | | XIX |
| D | XIII. C. | | XX |
| E | XII. C. | | XXI |
| F | XI. C. | Fidicula vesperi occidit. dies pluvius, C. | XXII |
| G | X. C. | Lyra occidit, O. | XXIII |
| H | IX. C. | Leonis quæ est in pectore clara stella occidit, O. Ex occasu pristini sideris significat tempestatem. interdum etiam tempestas, C. | XXIV |
| A | VIII. C. | Stella regia appellata Tuberoni in pectore leonis occidit matutino, P. | XXV |
| B | VII. C. | | XXVI |
| C | VI. C. | Leonis, quæ est in pectore clara stella occidit. nonnunquam significatur hiems bipartita, C. | XXVII |
| D D | V. C. | Auster, aut africus hiemat, pluvius dies, C. | XXVIII |
| E | IV. F. | | XXIX |
| F | III. N. | Delphinus incipit occidere. item fidicula occidit, C. | XXX |
| G | Prid. C. | Eorum, quæ supra sunt, siderum occasus tempestatem facit. interdum tantummodo significat, C. | XXXI |

E FEBRUARIUS.

| | | | |
|---|---|---|---|
| H | K. Feb. N. | Fidis incipit occidere. ventus eurinus: & interdum auster cum grandine est, C. | I |
| A | IV. N. | Lyra, & medius leo occidunt, O. | II |
| B | III. N. | Delphinus occidit, O. fidis tota, & leo medius occidit. corus, aut septentrio. nonnunquam favonius, C. | III |
| F C | Prid. N. | Fidicula vesperi occidit, C. | IV |
| D | Non. | Aquarius oritur. zephyrus flare incipit, O. Mediæ partes aquarii oriuntur. ventosa tempestas, C. | V |
| E | VIII. N. | | VI |
| F | VII. N. | Calisto sidus occidit. favonii spirare incipiunt, C. | VII |
| G | VI. N. | Ventosa tempestas, C. | VIII |
| H | V. N. | Veris initium, C. | IX |
| A | IV. N. | | X |
| B | III. N. | Arctophylax oritur, O. | XI |

C Pr. N. xii
D Id. NP. xiii
E xvi. N. Corvus, crater, & anguis oriuntur, O. Vespere crater oritur. venti mutatio, C. xiv
F xv. LVPER. NP. Sol in Pisces transitum facit. nonnunquam ventosa tempestas. xv
G xiv. EN. Venti per sex dies vehementius flant. Sol in Piscibus, O. xvi
H xiii. QUIR. NP. Favonius, vel auster cum grandine, & nimbis. ut & sequenti die, C. xvii
A xii. C. xviii
B xi. C. xix
C x. C. Leo desinit occidere. venti septentrionales, qui dicuntur ornithiæ, per dies triginta esse solent. tum & hirundo advenit, C. xx
D ix. FERAL. F. Arcturus prima nocte oritur. frigidus dies aquilone, vel coro; interdum pluvia, C. xxi
E viii. C. Sagitta crepusculo incipit oriri. variæ tempestates. halcyonei dies vocantur, C. xxii
F vii. TER. NP. Hirundinum adventus, O. ventosa tempestas. hirundo conspicitur, C. Arcturi exortus vespertinus, P. xxiii
G vi. REGIF. N. xxiv
H v. C. xxv
A iv. EN. xxvi
B iii. EQ. NP. xxvii
C Pr. C. xxviii

## MARTIUS.

D K. MAR. NP. i
E vi. F. ii
F v. C. Alter e Piscibus occidit, O. iii
G iv. C. iv
H iii. C. Arctophylax occidit. Vindemiator oritur, O. Canoritur Cæsari, P. v
A Pr. NP. HOC DIE CÆSAR PONTIF. MAX. FACT. EST. vi
B Non. F. Pegasus oritur, O. vii
C viii. F. Corona oritur, O. Piscis aquilonius oritur, P. viii
D vii. C. Orion exoritur. In Attica milvius apparere servatur, P. ix
E vi. C. x
F v. C. xi
G iv. C. xii
H iii. EN. xiii
A Pr. EQ. NP. xiv
B Eid. NP. Nepa incipit occidere; significat tempestatem, C. Scorpius occidit Cæsari, P. xv
C xvii. F. Scorpius medius occidit, O. Nepa occidit, hiemat, C. xvi
D xvi. LIB. NP. Milvius oritur, O. Sol in arietem transitum facit. favonius, vel corus, C. xvii
E xv. N. Sol in Ariete, O. Italiæ milvius ostenditur, P. xviii
F xiv. QUIN. N. xix

A G xiii. C. xx
H xii. C. Equus occidit mane, C. P. septentrionales venti, C. xxi
A xi. N. xxii
B x. TUBIL. NP. Aries incipit exoriri. pluvius dies; interdum ningit, C. xxiii
C ix. Q. REX C. F. Hoc & sequenti die æquinoctium vernum tempestatem significat, C. xxiv
D viii. C. Æquinoctium vernum, O. P. xxv
E vii. C. xxvi
B F vi. NP. HOC DIE CÆSAR ALEXANDRIAM RECEPIT. xxvii
G v. C. xxviii
H iv. C. xxix
A iii. C. xxx
B Pr. C. xxxi

## APRILIS.

C Kal. APR. N. N. Scorpius occidit, O. Nepa occidit mane. tempestatem significat, C. i
C D iv. C. In Attica Vergiliæ vesperi occultantur, P. ii
E iii. C. In Attica Vergiliæ vesperi occultantur. iii
F Pr. C. LUDI MATR. MAG. Vergiliæ in Bœotia occultantur vesperi, P. iv
G Non. LUDI. Favonius, aut auster cum grandine, C. Cæsari, & Chaldæis Vergiliæ occultantur vesperi. Ægypto Orion, & gladius ejus incipiunt abscondi, P. v
D H viii. NP. LUDI Vergiliæ vesperi celantur. interdum hiemat, C. vi
A vii. N. LUDI Hoc die, & duobus sequentibus austri, & africi. tempestatem significat, C. vii
B vi. N. LUDI Significatur imber libræ occasu, P. viii
C v. N. LUDI ix
D iv. N. LUDI IN CIR. x
E iii. N. LUDI xi
F Pr. N. LUDI CERERI. Suculæ celantur. hiemat, C. xii
G Eid. NP. LUDI. Libra occidit. hiemat, C. xiii
E H xviii. N. LUDI. Ventosa tempestas, & imbres: nec hoc constanter, C. xiv
A xvii. FORD. NP. LUD. xv
B xvi. N. LUDI. Suculæ occidunt vesperi Atticæ, P. xvi
C xv. N. LUDI. Sol in Taurum transitum facit. pluviam significat, C. Suculæ occidunt vespere Cæsari. hoc est palilicium sidus, P. xvii
F D xiv. N. LUDI. Suculæ se vesperi celant. pluviam significat, C. Ægypto suculæ occidunt vesperi, P. xviii
E xiii. CER. N. LUDI IN CIR. Sol in tauro, O. xix
F xii. N. Assyriæ suculæ occidunt vesperi, P. xx
G xi. PAR. NP. Ver bipartitur. pluvia, & nonnunquam grando, C. xxi

H x. N. Vergiliæ cum Sole oriun- xxii tur, africus, vel auſter. dies humidus, C.
A ix. VIN. NP. Prima nocte fidicula appa- xxiii ret. tempeſtatem ſignificat, C.
B viii. C. Palilicium ſidus oritur Cæ- xxiv ſari, P.
C vii. ROB. NP. Medium ver. aries occidit. xxv tempeſtatem ſignificat. canis oritur, O. Hœdi exoriuntur, P.
D vi. F. Bœotiæ & Atticæ canis ve- xxvi ſperi occultatur. fidicula mane oritur, P.
E v. C. Aſſyriæ Orion totus ab- xxvii ſconditur, P.
F iv. NP. LUDI. FLOR. Auſter fere cum plu- xxviii via, C.
G iii. C. LUDI Mane capra exoritur. au- xxix ſtrinus dies, interdum pluviæ. C. Aſſyriæ totus canis abſconditur, P.
H Pr. C. LUDI Canis ſe veſpere celat. tem- xxx peſtatem ſignificat.

## MAJUS.

A Kal. Maj. N. Capella oritur. C. i
B vi. F. COMP. Argeſtes flare incipit. Hya- ii des oriuntur. O. Sucula cum Sole exoritur. ſeptentrionales venti. C. Suculæ matutino exoriuntur. P.
C v. C. Centaurus oritur. O. Cen- iii taurus totus apparet. tempeſtatem ſignificat. C.
D iv. C. iv
E iii. C. Lyra oritur. O. Centaurus v pluviam ſignificat. C.
F Pr. C. Scorpius medius occidit. O. vi Nepa medius occidit, tempeſtatem ſignificat. C.
G Non. N. Vergiliæ exoriuntur mane. vii favonius. C.
H viii. F. Capella pluvialis oritur Cæ- viii ſari. Ægypto vero eodem die canis veſperi occultatur, P.
A vii. LEM. N. Æſtatis initium. favonius ix aut corus, interdum etiam pluvia. C.
B vi. C. Vergiliæ totæ apparent. fa- x vonius, aut corus. interdum & pluviæ. C. Vergiliarum exortus. P.
C v. LEM. N. Orion occidit. O. Arcturi oc- xi caſus matutinus Cæſari ſignif. P.
D iv. NP. LUDI MART. IN CIR. xii
E iii. LEM. N. Plejades oriuntur. Æſtatis xiii initium. O. fidis mane oritur. ſignificat tempeſtatem. C. fidiculæ exortus, P.
F Pr. C. Taurus oritur. O. xiv
G Eid. NP. Fidis mane exoritur. auſter xv aut euronotus, interdum dies humidus. C
H xvii. F. xvi
A xvi. C. Hoc & ſequenti die eurono- xvii tus, vel auſter cum pluvia, C.
B xv. C. xviii
C xiv. C. Sol in Geminis, O. & C. xix
D xiii. C. xx
E xii. AGON. NP. Canis oritur, O. Suculæ ex- xxi oriuntur. ſeptentrionales venti: nonnunquam auſter cum pluvia, C. Capella veſpere occidit, & in Attica canis, P.
F xi. N. Hoc & ſequenti die Arctu- xxii rus mane occidit. tempeſtatem ſignificat, O. Orionis gladius occidere incipit, P.
G x. TUB. NP. xxiii
H ix. Q. REX. C. F. xxiv
A viii. C. Aquila oritur, O. Hoc die, xxv & biduo ſequenti capra mane exoritur. ſeptentrionales venti, C.
B vii. C. Arctophylax occidit, O. xxvi
C vi. C. Hyades oriuntur. xxvii
D v. C. xxviii
E iv. C. xxix
F iii. C. xxx
G Prid. C. xxxi

## JUNIUS.

H Kal. Jun. N. Aquila oritur. O. Hoc & i ſequenti Aquila exoritur. tempeſtas ventoſa, & interdum pluvia, C.
A iv. F. MART. CAR. MONET. Hyades ii oriuntur. dies pluvius, O. Aquila oritur veſperi, P.
B iii. C. Cæſari, & Aſſyriæ aquila iii veſperi oritur, P.
C Prid. C. iv
D Non. v
E viii. N. Arcturus matutino occidit. vi P.
F vii. N. Arctophylax occidit, O. fa- vii vonius, aut corus, C.
G vi. N. MENTI IN CAPIT. Delphinus viii veſperi exoritur, P.
H v. VEST. N. FER. ix
A iv. N. Delphin veſperi oritur, O. x & C. & P. favonius interdum rorat, C.
B iii. MART. N. xi
C Pr. N. xii
D Eid. N. Calor incipit, C. xiii
E xviii. N. xiv
F xvii. Q. ST. DF. Hyades oriuntur, O. gla- xv dius Orionis exoritur, P.
G xvi. C. Zephyrus flat. Orion ori- xvi tur, O.
H xv. C. Delphinus totus apparet. O. xvii
A xiv. C. xviii
B xiii. C. MINERVÆ IN AVENTINO. xix Sol in Cancro, O. & C. in Ægypto gladius Orionis oritur.
C xii. C. SUMMANO AD CIR. MAX. xx Ophiuchus oritur, O.
D xi. C. Anguifer, qui a Græcis di- xxi citur ὀφιοῦχος, mane occidit. tempeſtatem ſignificat, C.
E x. C. xxii

F

F ix. C. xxiii
G viii. C. Hoc, & biduo sequenti solstitium, favonius, & calor, C. longissima dies totius anni, & nox brevissima solstitium conficiunt, P.
H vii. C. xxv
A vi. C. Orionis zona oritur. solstitium, O. Orion exoritur Cæsari, P. xxvi
B v. C. xxvii
C iv. C. xxviii
D iii. C. Ventosa tempestas, C. xxix
Pr. F. xxx

JULIUS.

F Kal. N. Favonius, vel auster, & calor, C. i
G vi. N. ii
H v. N. iii
A iv. NP. Corona occidit mane, C. Zona Orionis Assyriæ oritur, P. Ægypto Procyon matutino oritur, P. iv
B iii. POPL. N. Chaldæis corona occidit matutino. Atticæ Orion totus eo die exoritur. v
C Pr. N. LUDI APOLL. Cancer medius occidit. calor, C. vi
D Non. N. LUDI. vii
E viii. N. LUDI. Capricornus medius occidit, C. viii
F vii. N. LUDI. Cepheus vespere exoritur, tempestatem significat, C. ix
G vi. C. LUDI. Prodromi flare incipiunt, C. x
H v. C. LUDI. xi
A iv. NP. LUDI. xii
B iii. C. LUDI IN CIR. xiii
C Prid. C. MERK. Ægyptiis Orion desinit exoriri, P. xiv
D Eid. NP. MERK. Procyon exoritur mane, tempestatem significat, C. xv
E xvii. F. MERK. Plinius l. xviii. cap. xxviii. ait xviii. Kal. Aug. Aquilam in Ægypto occidere matutino. quod est depravatum. nam xviii Kal. Aug. nullus dies est. xvi
F xvi. C. Assyriæ Procyon exoritur, P. xvii
G xv. C. MERK. xviii
H xiv. LUCAR. NP. MERK. xix
A xiii. C. LUDI VICT. CÆSAR. Sol in Leonem transitum facit. favonius, C. Aquila occidit, P. xx
B xii. LUCAR. LUDI. xxi
C xi. C. LUDI. xxii
D x. NEPT. LUDI. Prodromi in Italia sentiuntur, P. xxiii
E ix. N. LUDI. Leonis in pectore clara stella exoritur, interdum tempestatem significat, C. xxiv
F viii. FUR. NP. LUDI. Aquarius incipit occidere clare. favonius, vel auster, C. xxv
G vii. C. LUDI. Canicula apparet; caligo æstuosa, C. xxvi
H vi. C. IN. CIRC. Aquila exoritur, C. xxvii

A | A v. C. IN CIRC. xxviii
B iv. C. in CIRC. Leonis in pectore claræ stellæ exoriuntur, interdum tempestatem significat, C. Regia in pectore leonis stella matutino Cæsari immergitur, P. xxix
C iii. C. IN CIRC. Aquila occidit, significat tempestatem, C. xxx
D Prid. C. xxxi

AUGUSTUS.

B | E Kal. Aug. N. Etesiæ, C. i
F iv. C. FER. ii
G iii. C. iii
H Prid. C. Leo medius exoritur. tempestatem significat, C. iv
A Non. F. v
B viii. F. Arcturus medius occidit, P. vi
C vii. C. Aquarius occidit medius, nebulosus æstus, C. vii
D vi. C. Vera ratione autumni initium fidiculæ occasu, P. viii
C | E v. NP. ix
F iv. C. x
G iii. C. Fidicula occasu suo autumnum inchoat Cæsari, P. xi
H Prid. C. Fidis occidit mane, & autumnus incipit, C. Atticæ equus oriens significat. & vespera Ægypto, & Cæsari Delphinus occidens, P. xii
A Eid. NP. Delphini occasus tempestatem significat, C. xiii
B xix. F. Delphini matutinus occasus tempestatem significat, C. xiv
D | C xviii C. xv
D xvii. C. xvi
E xvi. PORT. NP. xvii
F xv. C. MERK. xviii
G xiv. VIN. F. P. xix
H xiii. C. Sol in Virginem transitum facit. hoc & sequenti die tempestatem significat. interdum & tonat. Eodem die fidis occidit, C. xx
A xii. CONS. NP. xxi
E | B xi. EN. Cæsari, & Assyriæ Vindemiator oriri mane incipit, P. xxii
C x. VOLC. NP. Fidis occasu tempestas plerunque oritur, & pluvia, C. xxiii
D ix. C. xxiv
E viii. OPIC. NP. xxv
F vii. C. Vindemiator exoritur mane; & Arcturus incipit occidere, interdum pluvia, C. xxvi
G vi. VOLT. NP. xxvii
F | H v. NP. H. D. ARA VICTORIÆ IN CURIA DEDICATA EST. Sagitta occidit. etesiæ desinunt, P. xxviii
A iv. F. xxix
B iii. F. Humeri Virginis exoriuntur. Etesiæ desinunt flare, & interdum hiemat, C. xxx
C Prid. C. Andromeda vesperi exoritur. interdum hiemat, C. xxxi

## SEPTEMBER.

| | | | |
|---|---|---|---|
| D | Kal. Sep. N. | | I |
| E | IV. N. HOC DIE FER. NEP. | Piscis austrinus desinit occidere. calor, C. | II |
| F | III. NP. | | III |
| G | Pr. C. LUDI ROMANI. | | IV |
| H | Non. F. LUDI. | Vindemiator exoritur. Atticæ Arcturus matutino exoritur, & sagitta occidit mane, C. | V |
| A | VIII. F. LUDI. | | VI |
| B | VII. C. LUDI. | Piscis aquilonius desinit occidere; & capra exoritur, tempestatem significat, C. | VII |
| C | VI. C. LUDI. | | VIII |
| D | V. C. LUDI. | Cæsari Capella oritur vesperi, P. | IX |
| E | IV. C. LUDI. | | X |
| F | III. C. LUDI. | Favonius, aut africus. Virgo media exoritur, C. | XI |
| G | Pr. N. LUDI. | Arcturus oritur medius vehementissimo significatu terra marique per dies quinque, P. | XII |
| H | Eid. NP. | Ex pristino sidere nonnunquam tempestatem significat, C. | XIII |
| A | XVIII. F. EQUOR. PROB. | | XIV |
| B | XVII. N. LUDI ROM. IN CIR. | | XV |
| C | XVI. C. IN CIRC. | Ægypto spica, quam tenet Virgo, exoritur matutino, etesiæque desinunt, P. | XVI |
| D | XV. C. IN CIRC. | Arcturus exoritur. favonius, aut africus: interdum eurus, C. | XVII |
| E | XIV. C. IN CIRC. | Spica Virginis exoritur. favonius, aut corus, C. Spica Cæsari oritur, P. | XVIII |
| F | XIII. C. IN CIRC. | Sol in Libram transitum facit. Crater matutino tempore apparet, C. | XIX |
| G | XII. C. MERK. | | XX |
| H | XI. C. MERK. | Pisces occidunt mane. Item Aries occidere incipit. favonius, aut corus. interdum auster cum imbribus, C. Cæsari commissura Piscium occidit, P. | XXI |
| A | X. C. MERK. | Argo navis occidit. tempestatem significat: interdum etiam pluviam, C. | XXII |
| B | IX. NP. MERK. | H. D. AUGUSTI NATALIS LUDI CIR. Centaurus incipit mane oriri. tempestatem significat; interdum & pluviam, C. | XXIII |
| C | VIII. C. | Æquinoctium autumnale hoc die, & biduo sequente notat Columella. Plinius hoc die. | XXIV |
| D | VII. C. | | XXV |
| E | VI. C. | | XXVI |
| F | V. C. | Hœdi exoriuntur. favonius: nonnunquam auster cum pluvia, C. | XXVII |
| G | IV. C. | Virgo desinit oriri; tempestatem significat, C. Capella matutina exoritur consentientibus, quod est rarum, Philippo, Calippo, Dositheo, Parmenisco, Conone, Critone, Democrito, Eudoxo, Ione, P. | XXVIII |
| H | III. F. | Hœdi oriuntur iisdem consentientibus, P. | XXIX |
| A | Prid. C. | | XXX |

## OCTOBER.

| | | | |
|---|---|---|---|
| B | K. Octob. N. | Tempestatem significat, C. | I |
| C | F. VI. | | II |
| D | V. C. | | III |
| E | IV. C. | Auriga occidit mane. Virgo desinit occidere. significat nonnunquam tempestatem, C. | IV |
| F | III. C. | Corona incipit exoriri. significat tempestatem, C. | V |
| G | Prid. C. | Hœdi oriuntur vespere. Aries medius occidit. aquilo, C | VI |
| H | Non. F. | | VII |
| A | VIII. F. | Coronæ clara stella exoritur, C. Cæsari fulgens in Corona stella oritur, P. | VIII |
| B | VII. F. | | IX |
| C | VII. C. | Vergiliæ exoriuntur vespere. favonius, & interdum africus cum pluvia, C. | X |
| D | V. MEDITR. | | XI |
| E | IV. AUG. NP. | | XII |
| F | III. FONT. NP. | Hoc & sequenti die Corona tota mane exoritur. auster hibernus, & nonnunquam pluvia, C. Vergiliæ vesperi oriuntur, C. | XIII |
| G | Prid. EN. | | XIV |
| H | Eid. NP. | Hoc die, & sequenti biduo interdum tempestas, nonnunquam rorat, C. Corona tota oritur, P. | XV |
| A | XVII. F. | | XVI |
| B | XVI. C. | | XVII |
| C | XV. C. | | XVIII |
| D | XIV. ARM. NP. | Sol in Scorpionem transitum facit, C. | XIX |
| E | XIII. C. | Hoc & sequenti die solis exortu Vergiliæ incipiunt occidere. tempestatem significat, C. | XX |
| F | XII. C. | | XXI |
| G | XI. C. | | XXII |
| H | X. C. | | XXIII |
| A | IX. C. | | XXIV |
| B | VIII. C. | | XXV |
| C | VII. C. | Nepæ frons exoritur. tempestatem significat, C. | XXVI |
| D | VI. C. | Suculæ vesperi exoriuntur, P. | XXVII |
| E | V. C. | Vergiliæ occidunt. hiemat cum frigore, & gelicidiis, C. | XXVIII |
| F | IV. C. | Arcturus vespere occidit; ventosus dies, C. | XXIX |
| G | III. C. | Hoc, & sequenti Cassiope incipit occidere, tempestatem significat, C. | XXX |
| H | Prid. C. | Cæsari Arcturus occidit. & suculæ exoriuntur cum sole, P. | XXXI |

## NOVEMBER.

| | | | |
|---|---|---|---|
| A | K. Nov. N. | Hoc die, & poſtero caput Tauri occidit. pluviam ſignif., C. | I |
| B | IV. . . . . . . | Arcturus occidit veſperi, P. | II |
| C | III. . . . . . . | Fidicula mane exoritur. hiemat, & pluit, C. | III |
| D | Pr. . . . . . | | IV |
| E | Non. F. | | V |
| F | VIII. F. LUDI. | Fidiculæ ſidus totum exoritur. auſter, vel favonius, hiemat, C. | VI |
| G | VII. C. LUDI. | | VII |
| H | VI. C. LUDI. | Stella clara Scorpionis exoritur. ſignificat tempeſtatem, hiemat, C. | VIII |
| A | V. C. LUDI. | Hiemis initium. auſter, aut eurus, interdum rorat, C. Gladius Orionis occidere incipit, P. | IX |
| B | IV. C. LUDI. | | X |
| C | III. C. LUDI. | Vergiliæ occidunt, C. | XI |
| D | Pr. C. LUDI. | | XII |
| E | Eid. NP. EPUL. INDICT. | Dies incertus, ſæpius tamen placidus, C. | XIII. |
| F | XVIII. F. | | XIV |
| G | XVII. C. LUDI. PLEB. IN. CIRC. | | XV |
| H | XVI. C. IN. CIRC. | Fidis exoritur mane. auſter, interdum aquilo magnus, C. | XVI |
| A | XV. C. IN. CIRC. | Aquilo, interdum auſter cum pluvia, C | XVII |
| B | XIV. C. MERK. | Sol in Sagittarium tranſitum facit. Suculæ mane oriuntur. tempeſtatem ſignificat, C. | XVIII |
| C | XIII. C. MERK. | | XIX |
| D | XII. C. MERK. | Tauri cornua veſperi occidunt. aquilo frigidus, & pluvia, C | XX |
| E | XI. C. | Sucula mane occidit. hiemat, C. | XXI |
| F | X. C. | Lepus occidit mane, tempeſtatem ſignificat, C. | XXII |
| G | IX. C. | | XXIII |
| H | VIII. C. | | XXIV |
| A | VII. C. | Canicula occidit ſolis ortu, hiemat, C. | XXV |
| B | VI. C. | | XXVI |
| C | V. C. | | XXVII |
| D | IV. C. | | XXVIII |
| E | III. F. | | XXIX |
| F | Prid. C. | Totæ ſuculæ occidunt. favonius, aut auſter. interdum pluvia, C. | XXX |

## DECEMBER.

| | | | |
|---|---|---|---|
| G | C. Decemb. N. | Dies incertus: ſæpius tamen placidus, C. | I |
| H | IV. . . . . | | II |
| A | III. . . . . . . | | III |
| B | Prid. . . . | | IV |
| C | Non. F. | | V |
| D | VIII. . . . | Sagittarius medius occidit; tempeſtatem ſignificat, C. | VI |
| E | VII. C. | Aquila mane oritur. africus, interdum auſter, irrorat, C. | VII |
| F | VI. C. | | VIII |
| G | V. C. | | IX |
| H | IV. C. | | X |
| A | III. AGON. NP. | Corus, vel ſeptentrio, interdum auſter cum pluvia, C. | XI |
| B | Prid. EN. | | XII |
| C | Eid. NP. | Scorpio totus mane exoritur. hiemat, C | XIII |
| D | XIX. F. | | XIV |
| E | XVIII. CONS. NP. | | XV |
| F | XVII. C. | | XVI |
| G | XVI. SAT. NP. FERIÆ SATURNI. | Sol in Capricornum tranſitum facit. brumale ſolſtitium, ut Hipparcho placet, C. | XVII |
| H | XV. C. | Ventorum commutatio, G. | XVIII |
| A | XIV. OPAL. NP. | | XIX |
| B | XIII. C. | | XX |
| C | XII. DIV. NP. | | XXI |
| D | XI. C. | | XXII |
| E | X. LAR. NP. | Capra occidit mane. tempeſtatem ſignificat, C. | XXIII |
| F | IX. C. | Brumale ſolſtitium, ſicut Chaldæi obſervant, ſignificat, C. | XXIV |
| G | VIII. C. | | XXV |
| H | VII. C. | | XXVI |
| A | VI. C. | Delphinus incipit oriri mane tempeſtatem ſignificat, C. | XXVII |
| B | V. C. | | XXVIII |
| C | IV. F. | Aquila veſpere occidit. hiemat, C. | XXIX |
| D | III. F. | Canicula occidit veſpere. tempeſtatem ſignificat, C. | XXX |
| E | Prid. C. | Tempeſtas ventoſa, C. | XXXI |

A B C D

# KALENDARII ROMANI

## EXPLANATIO.

F. *Faſtus* dies. N. *Nefaſtus*. NP. *Neſtaſtus primo*. FP. *Faſtus primo*. NON. *Nonæ*. AGON. *Agonalia*. Ovidius. EN. *Endotercifus* pro Intercifus. CAR. *Carmentalia*: quod ſacra tum & feriæ Carmentis. Varr. EID. *Idus*. LUPER. *Lupercalia*: quod in *Lupercali*
*Luperci* ſacra faciunt. Varro. QUIR. *Quirinalia* a B
*Quirino*, quod huic deo feriæ. FERAL. *Feralia*: ab *inferis* & *ferendo*, quod ferunt tum epulas ad ſepulchrum, quibus jus ibi parentare. TER. *Terminalia*: quod is dies anni extremus conſtitutus. duodecimus enim menſis fuit Februarius. REGIF. *Regifugium*. Ovidius: quanquam eſt inter Ovidium & Kalendarium de die Regiſugii controverſia. ille enim aſſignat Februarii diem 23. in Kalendario autem video ad 24. eſſe appoſitum. nec ſane, ſi modo Regifugii dies N. fuit, videtur eſſe potuiſſe die 23. hoc eſt, Terminalibus, qui NP. dies fuit: alioqui dies idem & NP. & N. fuiſſet. EQ.
*Equiria*. Varro. Feſtus. Ovidius. LIB. *Liberalia*. Var- C
ro. QUIN. *Quinquatrus*. Varro. TUBIL. *Tubiluſtrum*, quod eo die in atrio ſutorio ſacrorum tubæ luſtrantur. Varr. Ovidius. Feſtus. Q. REX. C. F. *Quando rex comitiavit, fas*. Varro. Feſtus. CIRC. *Circenſes*. FORD. *Fordicidia*: a *fordis* bubus. bos *forda*, quæ fert in ventre. quod ea die publice immolantur boves prægnantes in curiis complures, a fordis cædendis fordicidia dicta. Varro. CER. *Cerealia*. Varro. PAR. *Parilia*: a *pariendo*, ut ait Victorinus Afer. Alii *Palilia*, a *Pale*, quod eo die feriæ ei deæ fiunt. Varro. Ovidius lib. 1. Faſt. Feſtus in verbo *Pales*, & *Parilibus*. VIN. *Vinalia*, a *vino*. Varro. ROB. *Robigalia*: dicta ab *Robigo*, ſecundum ſegetes. Varro. FLOR. *Floralia*. Ovidius. Plin. COMP. *Compitalia*. LEM. *Lemuria*. Varro. Ovidius. LUD. MART. IN
CIRC. *Ludi Martii in Circo*. Ovidius. MART. CAR. MONET. *Marti*, *Carnæ* Deæ, *Monetæ* Junoni. Macrobius Ovidius. IN CAPIT. *In Capitolio*. VEST. N. F. PR. *Veſtæ, nefas Prætori*. MAT. *Matri Matutæ*. Ovidius. Q. ST. D. *Quando ſtercus defertur*. Varro. Feſtus. Ovidius. POPLIF. *Poplifugium*, pro *Populifugium*. APOLLIN. *Apollinares*. MERK. *Merkatus*. VICT. CÆSAR. *Victoria Cæſaris*. NEPT. *Neptunalia*. FER. *Feralia*. HISP. *Hiſpaniam* vicit. PORT. *Portunalia*. VIN. F. P. *Vinalia*, *fas Prætori*. Varro. Plinius. CONS. *Conſualia*. Plutarch. VOLC. *Volcanalia*. Varro. OPIC. *Opiconſiva*. Varr. VOLT. *Volturnalia*. Varro. H. D. ARA VICTORIÆ IN CURIA DEDIC. EST.
*Hoc die ara victoriæ dedicata eſt*. FER. NEPT. *Feriæ Neptuno*. F. EQUOR. PROB. *Feriæ equorum probandorum*. Valerius Max. lib. 2. LUD. CIRC. *Ludi Circenſes*, in Auguſti die natali. Suetonius. Dio. MEDIT. *Meditrinalia*, a *Meditrina* dea. Varro. AUGUST. *Auguſtanalia*. FONT. *Fontanalia*. Varro. ARM. *Armiluſtrum*. Varro. EPUL. INDIC. *Epulum indictum*. LUD. PLEB. IN. CIRC. *Ludi plebis in Circo*. Suetonius. AGO. *Agonalia*. SATUR. *Saturnalia*. Macrob. OPAL. *Opalia*. Varro. Macrobius. DIV. *Divalia*, *Divi* Julii dies feſtus. LAR. *Larentinalia*. Varro. Ovid. Plutarch.

# FINIS.

# KALENDARIUM ROMANUM

## COMPENDIOSE EXPOSITUM.

*AUCTORE*

## PETRO GASSENDO

DINIENSIS ECCLESIÆ PRÆPOSITO,

REGIO MATHESEOS PROFESSORE.

# INDEX CAPITUM.

CAPUT PROŒMIALE.

*Quid Kalendarium sit, & de quo hic sermo.*

CAPUT I.

*Romani Kalendarii institutio a Romulo.*

CAPUT II.

*Romani Kalendarii reformatio a Numa Pompilio.*

CAPUT III.

*Alia Romani Kalendarii reformatio a Julio Cæsare.*

# PETRI GASSENDI
# KALENDARIUM ROMANUM
## COMPENDIOSE EXPOSITUM.

### CAPUT PROOEMIALE.

*Quid Kalendarium sit, & de quo hic sermo.*



ALENDARIUM Latina est vox, deducta nempe a Calendis, quo nomine Latini diem cujusque mensis primum donant. Est autem Kalendarium nihil aliud, quam *Mensium, Dierumque ex quibus Annus constat; ac una Festorum, & si qua sunt alia Dierum adjuncta, coordinatio.*

ANNI porro nomine nemo non intelligit id tempus, quo Sol accessu & recessu suo totam tempestatum, hoc est, hyemis, veris, æstatis, autumni varietatem facit. Is distingui in Naturalem seu Vertentem, ac Civilem solet. Naturalis seu Vertens est, quo Sol ab uno cœli puncto digressus, ad illud, peracta circuitione, revertitur; complectiturque adeo dies trecentos sexaginta quinque, & horas fere sex. Civilis est, quem Civitates, seu Respublicæ, Nationesque pro suo quæque instituto definiunt.

Quippe omnes quidem ad Solis circuitum præter-propter respiciunt; at pleræque tamen ipsum Lunæ cursui sic attemperant, ut Lunationes nunc duodecim, nunc tredecim illi attribuant; unde & Lunaris Annus appellatur. Ex aliis, quæ Annum pure Solarem habent, quædam habent ipsum constanter dierum 365. quædam unum diem, ob illas sex horas, quarto quoque anno interjiciunt. Rursus, aliæ ab hyeme, aliæ a vere, aliæ ab alia tempestate, alioque tempestatis die, aliæ a Caniculæ exortu, aliæ a creatione Magistratuum, aliæ alias annum incipiunt. Ad hæc sunt, quæ annum partiuntur in menseis æqualeis; sunt quæ in inæqualeis. quos etiam aliunde non una, parique ratione distribuunt; atque ita de cæteris.

MENSIS autem nomine nemo non fere intelligit partem anni duodecimam, seu dies præter-propter triginta; quantum circiter Luna insumit, ut circuitionem unam perficiens, totam suarum phaseon varietatem exhibeat. Distinguitur vero etiam Mensis in Naturalem & Civilem. Naturalis est tempus, quo Luna a Sole digressa, circuitu peracto, ipsum repetit; estque dierum viginti novem, ac semissis, tantillumve amplius: Civilis, quem etiam Civitates, Gentesve, pro suo quæque instituto, præscribunt.

Siquidem, quæ Anno Lunari utuntur, Menseis fere habent alternis, viginti novem, ac triginta dierum: sic nempe semissem illum compensantes. & quibus Annus Solaris est, aliæ omneis Menseis dierum triginta constanter habent (diebus quin- B que ad anni finem extra ordinem additis) aliæ quosdam dierum triginta, quosdam plurium, quosdam pauciorum. Præterea, quædam Mensem, ab ipsa Lunæ cum Sole conjunctione; quædam a prima, vespertinaque ejus apparitione inchoant; quædam dies statos pro initiis habent. Insuper, nonnullæ dies mensis in treis Decades dividunt; quibusdam Enneades, aut Hebdomades magis placent; aliis distributio in parteis inæqualeis magis arridet.

DIEI denique nomine intelligitur quidem vulgo id tempus, quod a Sole oriente ad occidentem usque decurrit, ac oppositam Noctem habet. C Verum solet quoque Diei nomine totum id tempus intelligi; quod uno Solis supra ac infra terram circumductu præterfluit, complectiturque diem priore modo dictum ac noctem, hoc est, universe horas viginti quatuor. Solet autem demum Dies quoque in Naturalem, & Civilem distingui. Et Naturalis quidem est, qui utroque illo modo dicitur, quatenus a motu circuituve Solis simpliciter pendet: Civilis autem posteriore præsertim modo accipitur, quatenus Civitates, seu Gentes pro suo quæque instituto, ipsum varie quoad initium partitionemque determinant.

D Etenim aliæ Diei principium ab exortu Solis desumunt; aliæ ab occasu; aliæ a meridie; aliæ a media nocte. Et, cum pridem Diei distributio in viginti quatuor horas familiaris sit; aliæ tamen ipsas toto anno æquales sortiuntur; aliæ eas, quæ sunt diversorum dierum, & quæ sunt diurnæ, nocturnis inæqualeis habent. Videlicet totum Solis circumactum in, Diem priore modo sumptum, & Noctem partientes Diem sive longum, sive brevem, & quamlibet Noctem consimiliter, in duodecim parteis æqualeis, quas Horas vocant, dividunt; E ut proinde in tanta Dierum Noctiumque inæqualitate, necesse sit horas non modo diurnas cum nocturnis comparatas, sed etiam diurnas æstivas cum diurnis hyemalibus, & nocturnas similiter inæquales inter se esse.

Dixi vero esse quoque Kalendarium coordinationem non modo Festorum, sed aliorum etiam similium, quæ dici dierum Adjuncta possunt; quoniam pleraque alia sunt, quæ Kalendariis plerique adscribunt. Quippe, præter inscripta nostro Ecclesiasticove Kalendario Festa, addi interdum videas, F Comitia, Ludos, Nundinas, & Fastos, ac Nefastos dies; interdum Eventa quæpiam illustriora, ut Prælia, Triumphos, Inaugurationes, Sponsalia, Natalitia, Funera, Incendia, Eluviones, &c. interdum Solis, Lunæque ingressus in Signa Zodiaci, Tempestatumque adeo initia; Ortus Occasusque Stellarum Fixarum; Adspectus Luminarium, Stellarumque errantium; prætereaque Æstus, Algores, Pluvias, Fulgura, Ventos, alia, quæ Astrologi hariolantur. Adhæc, Rationes dati & expensi, crediti & soluti; unde & speciale

fuit Fœneratoribus Kalendarium, Ephemeris quoque ſeu Diarium vocatum.

Hiſce præmiſſis, cum Kalendarium civilis quæpiam ſit inſtitutio, ac adeo conſtet ipſum eſſe apud varias Nationes varium, quatenus aliter ab aliis contexitur, dividitur, inchoatur, conſtanter aut varianter habetur; unde & nominari audias Kalendarium non Romanorum modo, ſed etiam Græcorum, Judæorum, Ægyptiorum, Perſarum, Arabum, Abyſſinorum, &c. Nos heic de ſolo Romanorum Kalendario acturi ſumus, ac potiſſimum, quatenus in uſu apud nos jam eſt, ex quo Gregorius XIII. Pontifex Maximus ipſum emendavit. Potiſſimum, inquam; nam quia alioquin facta emendatio non poteſt probe intelligi, niſi prænoſcatur, cujuſmodi prius Kalendarium exſtiterit, ut emendatione indigeret; ideo videtur operæ pretium pauca quædam præmittere de Origine, Progreſſuque illius ad id uſque tempus, quo facta fuit hujuſcemodi emendatio.

Quare & duæ poterunt eſſe quaſi Partes hujus Tractationis. In priore enim memorandum erit, quale eſſe ſub Romulo Kalendarium occeperit; quæ facta ejus reformatio a Numa ſucceſſore fuerit; quæ rurſus facta poſtmodum a Dictatore Cæſare; qua ratione demum ad Chriſtianos uſus accommodatum fuerit, ac præſertim ab ipſo uſque tempore Concilii Nicæni. In poſteriore autem edifferendum erit, quas ob cauſas Pontifex Summus Kalendarium ſic emendarit, ut ſimul providerit, ne deinceps conſimili reformatione indigeret. Priorem itaque prius exſequamur.

## CAPUT I.

### *Romani Kalendarii inſtitutio a Romulo.*



Onſtans eſt opinio, inſtitutionem primam, atque adeo originem Romani Kalendarii eſſe ad ipſum Romulum gentis auctorem referendam. Proditum eſt nempe ipſum, inter alias conſtabiliendi regni curas, eam quoque ſumpſiſſe, ut Annum ſpeciali ratione ordinaret, inque certos menſeis diſtribueret; tametſi non conſtet de numero menſium. Quippe non deſunt recentiores, qui Licinium Macrum & Feneſtellam ſequuti, cenſeant annum fuiſſe Romanis ſtatim ab initio menſium duodecim; tametſi, *Magis* inquit Cenſorinus, *Junio Gracchano, & Fulvio, & Varroni, & Suetonio, aliiſque credendum, qui decem menſium putaverunt fuiſſe, ut tunc Albanis erat, unde orti Romani*. Ac poſſent quidem in eandem ſententiam citari Macrobius, Caſſiodorus, innumeri alii; ſed omnium nomine eſſe poteſt Ovidius illo diſticho:

*Tempora digereret cum Conditor urbis, in anno*
*Conſtituit menſeis quinque bis eſſe ſuo.*

Cum ejuſmodi vero menſes fuerint Martius, Aprilis, Majus, Junius, Quintilis, Sextilis, September, October, November, December; vulgaris eſt ſententia, Romulum duos primos menſeis a parentibus nominaſſe; Martium quidem a Marte, quem tanquam patrem agnoſcebat; Aprilem vero quaſi *Aphrilem* ab Aphrodite ſeu Venere, a qua majores habebat oriundos; duos ſequenteis a populo, Majum quidem a Majoribus natu, Junium vero a Junioribus; cæteros demum ab ordine, quo quatuor iſtos inſequebantur. Opinionis hujus auctores, apud Cenſorinum, ſunt Fulvius & Junius, ac cæterorum nomine citari idem poteſt Ovidius celebri illo tetraſticho:

*Martis erat primus menſis, Veneriſque ſecundus;*
*Hæc generis princeps, ipſius ille pater.*
*Tertius a Senibus, Juvenum de nomine quartus;*
*Quæ ſequitur, numero turba notata ſuo eſt.*

At non deſunt, qui obluctentur, Varroque imprimis, qui apud eundem Cenſorinum putat Romanos a Latinis menſium nomina accepiſſe; Martium ſcilicet nominatum a Marte, non quod ille pater fuerit Romuli, ſed quod Latina gens bellicoſa. unde etiam ille:

*Mars Latio venerandus erat, quia præſidet armis:*
*Arma feræ genti remque decuſque dabant.*

Aprilem autem dictum, non ab Aphrodite, ſed ab *aperiendo*, quod tunc fere cuncta gignantur, & naſcendi clauſtra natura aperiat. unde rurſus ille:

*Nam quia ver aperit tunc omnia, denſaque cedit*
*Frigoris aſperitas, fœtaque terra patet,*
*Aprilem memorant ab aperto tempore dictum.*

Sic Majum non a Majoribus, ſed a Maja, cui, ac Mercurio res divina per illum menſem fieret. unde iterum ille:

*A. tu materno donaſti nomine menſem,*
*Inventor curvæ, furibus apte, fidis.*

Junium vero non a Junioribus, ſed a Junone, cui honores eo maxime tempore haberentur, vicinorum imitatione, unde ille demum:

*Aſpice quos habeat nemoralis Aretia faſtos,*
*Et populus Laurens, Laviniumque meum.*
*Eſt illeic menſis Junonius*, &c.

Tametſi porro ſeu numerum, ſeu nomina menſium acceperit Romulus ab Albanis, a Latinis, a circumvicinis aliis populis; at videtur ſaltem ſpeciali ratione tum conſtituiſſe ordinem menſium, tum certum dierum numerum eorum ſingulis aſſignaſſe. Nam imprimis quidem Martium primum fecit, quem gentiles Albani tertium, Faliſci quintum, Hernici ſextum, alii alio loco habebant. Ac deinde, cum ipſi Albani Martium haberent dierum XXXVI. Majum XXII. Sextilem XVIII. & Tuſculani Quintilem XXXVI. Octobrim XXXII. Aricini Octobrim XXXIX atque ita de cæteris; ſtatuit ipſe, ut quatuor menſes, Martius, Majus, Quintilis, October, forent ſinguli dierum tricenum unius; cæteri ſex dierum tricenum (ex quo illi Pleni, iſti cavi vocati ſunt) ac illi haberent Nonas ſeptimanas, ſeu ſeptima die contingenteis; iſti quintanas, ſeu die quinta: ac præterea in illis, poſt exactas Idus, dies ſeptemdecim; in iſtis octodecim, ante Kalendas menſis ſequentis numerarentur.

Prætereo autem rem eſſe notam, diem cujuſque menſis primam, quod initio quoque inſinuatum eſt, appellatam eſſe Kalendas, quod Plebe ea die in Capitolium vocata, juxta Curiam Calabram, Pontifex minor, qui Novam Lunam eo die primum

mum vidisset, pronuntiaret vocem, Καλῶ, id est, *Voco*, aut quinquies, cum Nonæ quintanæ, aut septies, cum septimanæ erant; ut Populares in agro degentes admonerentur, quoto die ab illo, seu post novam Lunam conspectam, deberent in urbem confluere, accepturi a Rege Sacrorum, tum Feriarum causas, tum quid faciendum per mensem foret.

Fuisse autem diem, vel quintam, vel septimam appellatam Nonas, quod novem inclusive diebus abesset ab Idibus seu a Plenilunio. Ex quo proinde etiam apparet, diem XIII. vel XV. appellatam Idus, seu ἀπὸ τοῦ εἴδους, *a specie*, quam Luna plena tum demonstrat; aut ab eo, quod dictum Hetruscis fuit *iduare*, hoc est, dividere, quod tunc sit curriculi Lunæ, ac prope etiam mensis dimidium. Nempe aliquot amplius dies supersunt, quam præcesserint; quod mensis non tunc desinat, cum Luna Soli conjuncta est, sed cum primum deinceps apparet.

At quorsum Nonæ quædam quintanæ, & quædam septimanæ sunt? Causa esse ex eo videtur, quod, cum Luna ex certis causis apud Astronomos perspectis, interdum citius, interdum tardius a conjunctione cum Sole appareat, observatum fuerit primam Lunæ apparitionem, in quibusdam mensibus amplius, in quibusdam minus a Plenilunio distare; & discrepantia hujusmodi ad duos dies limitata, habitas fuisse Nonas die quinta, cum propter Lunam tardius visam, futurum esset Plenilunium citius; & die septima, cum ob visam citius futurum esset Plenilunium tardius.

Quamobrem autem assignata his mensibus po-

A tius, quam illis dies quinta, aut septima fuerit, causam refert Macrobius in observationis primum factæ casum. Verba illius totum hunc locum illustrantia, hujusmodi sunt: *Romulus, cum ingenio, acri quidem, sed agresti, statum proprii ordinaret imperii, initium cujusque mensis ex illo sumebat die, quo novam Lunam contigisset videri. Quia vero non continuo evenit, ut eodem die semper appareat, sed modo tardius, modo celerius ex certis causis videri solet; contigit, ut dum tardius apparuit, præcedenti mensi plures dies; aut cum celerius, pauciores darentur; & singulis quibusque* B *mensibus perpetuam numeri legem primus casus addixit.*

Quanquam, quod subjicit Macrobius, factum inde fuisse, ut mensium *alii triginta & unum, alii undetriginta sortirentur dies*, cum eo non quadrat, quod ipsemet quoque ante admiserat, instituisse Romulum, *ut sex quidem menses tricenum essent dierum, quatuor vero tricenis & singulis expedirentur, qui hodieque*, pergit, *septimanas habent Nonas, cæteri quitanas*. Neque item quadrat cum eo, quod ante collegerat institutum a Romulo annum fuisse dierum CCCIV. cum, si ex decem mensibus, quatuor sint dierum XXXI. & C sex dierum XXIX. colligantur solum CCIIC. Sed videtur nempe ad factam a Numa institutionem respexisse, ipsamque cum Romulea, seu casu facta, confudisse.

Utcumque sit, ecce quæ fuerit Kalendarii Romani facies in prima sua origine; nisi quod illi Festa, aut alia dierum adjuncta non apponuntur, quod possint præsertim suppleri ex iis, quæ Kalendario Cæsaris apponenda denique erunt.

# KALENDARIUM ROMULI.

| MARTIUS. | APRILIS. | MAJUS. | JUNIUS. | QUINTILIS. |
|---|---|---|---|---|
| *Kalendæ* | *Kalendæ* | *Kalendæ* | *Kalendæ* | *Kalendæ* |
| VI | IV | VI | IV | VI |
| V | III | V | III | V |
| IV | *Pridie* | IV | *Pridie* | IV |
| III | *Nonæ* | III | *Nonæ* | III |
| *Pridie* | VIII | *Pridie* | VIII | *Pridie* |
| *Nonæ* | VII | *Nonæ* | VII | *Nonæ* |
| VIII | VI | VIII | VI | VIII |
| VII | V | VII | V | VII |
| VI | IV | VI | IV | VI |
| V | III | V | III | V |
| IV | *Pridie* | IV | *Pridie* | IV |
| III | *Idus* | III | *Idus* | III |
| *Pridie* | XVIII | *Pridie* | XVIII | *Pridie* |
| *Idus* | XVII | *Idus* | XVII | *Idus* |
| XVII | XVI | XVII | XVI | XVII |
| XVI | XV | XVI | XV | XVI |
| XV | XIV | XV | XIV | XV |
| XIV | XIII | XIV | XIII | XIV |
| XIII | XII | XIII | XII | XIII |
| XII | XI | XII | XI | XII |
| XI | X | XI | X | XI |
| X | IX | X | IX | X |
| IX | VIII | IX | VIII | IX |
| VIII | VII | VIII | VII | VIII |

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| VII | VI | VII | VI | VII |
| VI | V | VI | V | VI |
| V | IV | V | IV | V |
| IV | III | IV | III | IV |
| III | *Pridie* | III | *Pridie* | III |
| *Pridie* | | *Pridie* | | *Pridie* |

| SEXTILIS. | SEPTEMB. | OCTOBER. | NOVEMB. | DECEMB. |
|---|---|---|---|---|
| *Kalendæ* | *Kalendæ* | *Kalendæ* | *Kalendæ* | *Kalendæ* |
| IV | IV | VI | IV | IV |
| III | III | V | III | III |
| *Pridie* | *Pridie* | IV | *Pridie* | *Pridie* |
| *Nonæ* | *Nonæ* | III | *Nonæ* | *Nonæ* |
| VIII | VIII | *Pridie* | VIII | VIII |
| VII | VII | *Nonæ* | VII | VII |
| VI | VI | VIII | VI | VI |
| V | V | VII | V | V |
| IV | IV | VI | IV | IV |
| III | III | V | III | III |
| *Pridie* | *Pridie* | IV | *Pridie* | *Pridie* |
| *Idus* | *Idus* | III | *Idus* | *Idus* |
| XVIII | XVIII | *Pridie* | XVIII | XVIII |
| XVII | XVII | *Idus* | XVII | XVII |
| XVI | XVI | XVII | XVI | XVI |
| XV | XV | XVI | XV | XV |
| XIV | XIV | XV | XIV | XIV |
| XIII | XIII | XIV | XIII | XIII |
| XII | XII | XIII | XII | XII |
| XI | XI | XII | XI | XI |
| X | X | XI | X | X |
| IX | IX | X | IX | IX |
| VIII | VIII | IX | VIII | VIII |
| VII | VII | VIII | VII | VII |
| VI | VI | VII | VI | VI |
| V | V | VI | V | V |
| IV | IV | V | IV | IV |
| III | III | IV | III | III |
| *Pridie* | *Pridie* | III | *Pridie* | *Pridie* |
| | | *Pridie* | | |

Cæterum, quia, ut jam innuimus, collecti omnium mensium dies non excedebant numerum CCC. IV. sicque aberant longe ab anno Lunari dierum CCC. LIV. & a Solari dierum CCC. LXV. idcirco, licet Romulus constituisset annum hyeme desinente, ac vere ineunte incipere; efficiebatur tamen brevi, ut frigus mensibus æstivis, calor hyemalibus proveniret. Quare, ubi id contigisset, *tantum dierum*, inquit Macrobius, *sine ullo mensis nomine patiebantur assumi, quantum ad id anni tempus adduceret, quo cœli habitus instanti mense aptus inveniretur*. Et quo quidem tempore hæc assumptio fieret, non exprimitur; sed factum nihilominus verisimile est ad finem Decembris, quo ipsum statim Martii initium institutioni congrueret.

F

## CAP. II.

*Romani Calendarii reformatio a Numa Pompilio.*

ENimvero, cum id haberet incommodi quamplurimum, ideo succedens Romulo Numa, qui per pacis otia vacaret, rei animum appulit, & Græcorum exemplo edoctus, annum reformavit, ad Lunam composuit, in menseis duodecim distinxit. Imitatus nihilominus undequaque Græcos non est. Nam, cum illi haberent annum dierum CCC. LIV. fecit ipse annum dierum CCC. LV. superstitione; ut ajunt, quadam, qua & plenum, & magis faustum numerum imparem reputavit. Et, cum illi haberent menseis alternis XXX. & XXXIX. dierum, hac ratione Lunæ cursum compensantes (qui dierum XXIX.

ac semissis proxime est) ipse suos menseis alia ratione dispofuit.

Nam primum quidem ad dies illos anni Romulei CCC. IV. assumsit dies LI. quibus additis fierent CCC. LV. Deinde circa quatuor menseis, qui singuli dierum tricenum, numerive imparis erant, nihil movit, sed illis suos reliquit dies. Cæteris, qui dierum triginta, singulos ademit, ut imparis quoque fierent numeri. Ac tum sex diebus inde ablatis, & quinquaginta ac uno adjunctis, dies habuit LVII; quos in duos menseis distribuit, unum dierum XXIX. alterum dierum XXVIII. quos & præponendos (ut communis est sententia) Martio censuit, & a bruma, qua dies primum crescere incipiunt, incipere voluit. Vocavit autem priorem Januarium, in honorem Jani, Bicipitis Dei, cui & dicavit ipsas Calendas, quasi respicienti transactum, & prospicienti ineuntem annum; posteriorem vero Februarium, a Februo lustrationum Deo, quod eo mense necesse foret, ut justa Diis Manibus solvi possent, Urbem lustrare. Unde &, quia res ad eos, qui fatis essent functi, spectabat, non hæsit, quo minus huic mensi potius quam Januario, paris numeri dies assignaret. Hinc igitur celebre quoque Ovidianum illud evasit:

*At Numa nec Janum, nec avitas præterit umbras,*
*Mensibus antiquis præposuitque duos.*

Dixi tamen Numam præposuisse utrumque Mar- A tio, *ex communi sententia*. Nam, cum de Januario quidem nemo dubitet, singulare est tamen, quod idem Ovidius postmodum insinuat, dum ait Februarium habitum fuisse ultimum anni, quousque Decemviri illum transtulere in secundum locum:

*Post-modo creduntur spatio distantia longo*
*Tempora, bis quini continuasse viri.*

Sed ut pergamus rem declarare ex communiore sententia, accommodateque ad vocatum Numæ, B Pompilianumve Kalendarium, Numa denique suis sedibus Kalendas, Nonas, Idus reliquit, ac ipsis Januario & Februario, perinde ac aliis, qui erant dierum XXIX. attribuit; tametsi ob factam immutationem numerati æque in omnibus mensibus fuerint XVII. ante Calendas, excepto Februario, in quo XVI. Reliquit vero etiam mensibus, a numero dictis sua nomina. Neque enim Quintilis minus hoc fuit nomine, quam ante; quam ob præmissos Martio duos menseis, septimus a primo haberetur, non quintus: sicque Sextilis, & cæteri. Fuere ergo tunc Martius, Majus, Quintilis, October, dierum, ut prius XXXI. Januarius, Aprilis, Junius, Sex- C tilis, September, November, December, dierum XXIX. & Februarius XXVIII. ac facies adeo Kalendarii, sine Festis aliisque adjunctis exhibita, evasit, ut vides pagellis superioribus.

## KALENDARIUM NUMÆ POMPILII.

| JANUAR. | FEBR. | MART. | APRILIS | MAJUS | JUNIUS |
|---|---|---|---|---|---|
| *Kalendæ* | *Kalendæ* | *Kalendæ* | *Kalendæ* | *Kalendæ* | *Kalendæ* |
| IV | IV | VI | IV | VI | IV |
| III | III | V | III | V | III |
| *Pridie* | *Pridie* | IV | *Pridie* | IV | *Pridie* |
| *Nonæ* | *Nonæ* | III | *Nonæ* | III | *Nonæ* |
| VIII | VIII | *Pridie* | VIII | *Pridie* | VIII |
| VII | VII | *Nonæ* | VII | *Nonæ* | VII |
| VI | VI | VIII | VI | VIII | VI |
| V | V | VII | V | VII | V |
| IV | IV | VI | IV | VI | IV |
| III | III | V | III | V | III |
| *Pridie* | *Pridie* | IV | *Pridie* | IV | *Pridie* |
| *Idus* | *Idus* | III | *Idus* | III | *Idus* |
| XVII | XVI | *Pridie* | XVII | *Pridie* | XVII |
| XVI | XV | *Idus* | XVI | *Idus* | XVI |
| XV | XIV | XVII | XV | XVII | XV |
| XIV | XIII | XVI | XIV | XVI | XIV |
| XIII | XII | XV | XIII | XV | XIII |
| XII | XI | XIV | XII | XIV | XII |
| XI | X | XIII | XI | XIII | XI |
| X | IX | XII | X | XII | X |
| IX | VIII | XI | IX | XI | IX |
| VIII | VII | X | VIII | X | VIII |
| VII | VI | IX | VII | IX | VII |
| VI | V | VIII | VI | VIII | VI |
| V | IV | VII | V | VII | V |
| IV | III | VI | IV | VI | IV |
| III | *Pridie* | V | III | V | III |
| *Pridie* | | IV | *Pridie* | IV | *Pridie* |
| | | III | | III | |
| | | *Pridie* | | *Pridie* | |

| QUINT. | SEXTIL. | SEPTEM. | OCTOB. | NOVEMB. | DECEM. |
|---|---|---|---|---|---|
| *Kalendæ* | *Kalendæ* | *Kalendæ* | *Kalendæ* | *Kalendæ* | *Kalendæ* |
| VI | IV | IV | VI | IV | IV |
| V | III | III | V | III | III |
| IV | *Pridie* | *Pridie* | IV | *Pridie* | *Pridie* |
| III | *Nonæ* | *Nonæ* | III | *Nonæ* | *Nonæ* |
| *Pridie* | VIII | VIII | *Pridie* | VIII | VIII |
| *Nonæ* | VII | VII | *Nonæ* | VII | VII |
| VIII | VI | VI | VIII | VI | VI |
| VII | V | V | VII | V | V |
| VI | IV | IV | VI | IV | IV |
| V | III | III | V | III | III |
| IV | *Pridie* | *Pridie* | IV | *Pridie* | *Pridie* |
| III | *Idus* | *Idus* | III | *Idus* | *Idus* |
| *Pridie* | XVII | XVII | *Pridie* | XVII | XVII |
| *Idus* | XVI | XVI | *Idus* | XVI | XVI |
| XVII | XV | XV | XVII | XV | XV |
| XVI | XIV | XIV | XVI | XIV | XIV |
| XV | XIII | XIII | XV | XIII | XIII |
| XIV | XII | XII | XIV | XII | XII |
| XIII | XI | XI | XIII | XI | XI |
| XII | X | X | XII | X | X |
| XI | IX | IX | XI | IX | IX |
| X | VIII | VIII | X | VIII | VIII |
| IX | VII | VII | IX | VII | VII |
| VIII | VI | VI | VIII | VI | VI |
| VII | V | V | VII | V | V |
| VI | IV | IV | VI | IV | IV |
| V | III | III | V | III | III |
| IV | *Pridie* | *Pridie* | IV | *Pridie* | *Pridie* |
| III | | | III | | |
| *Pridie* | | | *Pridie* | | |

Quoniam vero erat hic annus Lunaris, & Solaris eum excedebat diebus decem aut undecim; ac efficiebatur proinde, ut Bruma ( hyemisve initium) diebus totidem singulis annis promoveretur, annive principium ipsam antecederet; sicque intra annos, v. g. treis, Bruma non initio Januarii, sed initio Februarii, foret; ideo excogitata fuit Græcorum more Intercalatio, qua, interjecto congruo dierum numero, tantum transigeretur temporis, quantum foret opus, ut Bruma quasi retraheretur, seu, mavis, Januarii, annive initium in ipsam Brumam restitueretur.

E Græci scilicet, cum Lunarem annum dierum CCC. LIV. præcise haberent, ac putarent annum Solarem dierum CCC. LXV. excedere illum diebus præcise XI. ( dies hosce dixerunt *ὑπερβαίνοντας*, quasi *excedenteis*, aut *superfluos* ) cœpere altero quoque anno intercalare mensem ex diebus bis undecim, seu XXII. constantem, quem ea de causa dixere *ἐμβόλιμον*, *injectitium*, ut altero quoque anno seu initio tertii restitutio principii anni ( quod ipsis ad Solstitium æstivum erat ) fieret. Hinc totum id temporis spatium dictum ipsis fuit *τριετηρίς*, h. e. *triennium*, quod revera tamen *διετηρὶς* seu *biennium* fuit.

F Quia vero deinceps animadverterunt errorem ex eo subesse, quod annus Solaris, præter dies illos integros, contineret adhuc sex horas, seu diei quadrantem, quem negligerent, quique intra annos quatuor unius diei promotionem crearet; eam ob causam, faciendam potius quarto quoque anno intercalationem dierum quater undecim & unius, seu XLV. ( hoc est sesqui-mensis ) censuerunt. Unde & hoc spatium, quo anni principium post quatuor annos restituebatur, dictum ipsis *πενταετηρίς*, *quinquennium* fuit, reipsa tamen fuit solum *τετραετηρὶς*, *quadriennium*. Fuere hac de causa instituti ludi agonesve Olympici. Visum postmodum est commodius, duplicare hunc numerum, sicque *ἐννεαετηρίδα*, *novennium* ( seu potius *ὀκταετηρίδα*, *octennium* ) exspectare, ut ex habitis diebus XC. tres fierent menses dierum tricenum, qui uno tenore intercalarentur.

Prætereo autem temporis progressu deprehensum fuisse, restitutionem ad eundem præcise diem non fieri, nisi post annos undeviginti, seu dies 6940 ac ideo Metonem instituisse periodum annorum XIX. ( idcirco vocatam *ἐννεαδεκαετηρίδα* ) intra quam septies, seu septem mensium intercalatio fieret, quaque exacta anni Lunaris principium in eundem præcise cum Solari diem rediret. Et, quod novemdecim tamen anni non complecterentur præcise dies 6940. sed solum dies 6939. cum dodrante, sicque quadrans diei abundaret, eam ob rem Calippum deinceps quadruplicasse hanc periodum, aliamque effecisse annorum LXXVI. intra quam vicies-octies intercalaretur. Atque id quidem, ne memorem fuisse posterius istam quoque ab Hipparcho quadruplicatam; aliaque consimilia.

Romani itaque imitati Græcos, probarunt quidem intercalationem XLV. dierum intra annos quatuor faciendam, ac dierum XC. intra annos octo; at non censuere tamen intercalationem in totum

quadriennium, octenniumve esse differendam, sed biennio quoque potius peragendam. Ac ratione ea quidem, ut secundo anno intercalarentur dies XXII. quarto XXIII. sexto rursus XXII. & octavo XXIII. atque ita porro procedendo alternis per insequentia octennia.

Verum quod non attenderent suum illum annum dierum CCC. LV. majorem esse uno die, quam Græcorum annum dierum CCC. LIV. ideo brevi effectum est, ut duobus diebus quovis biennio amplius, quam par foret interjectis, ea fieret Brumæ regressio, ut intra annos XXX. contingeret initio Decembris, intra alios XXX. initio Novembris, &c. Re ergo cognita, quod quovis octennio dies octo excrescerent, & post tria octennia XXIV. abundarent; ea propter tertio quoque octennio non dies XC. sed LXVI. solummodo intercalarunt, dispensatione eorum facta pro arbitrio Pontificum, quibus erat a Numa Mensium Fastorumque cura commissa.

Videtur porro Intercalatio a Numa primum instituta, & Sacrorum quidem potissimum causa; ut illa nempe ad suas semper tempestates congruerent. Sic certe Antias apud Macrobium; nam quod Licinius quidem Macer originem ejus ad Romulum refert, id de illa intercalatione ob duos menseis, quovis anno deficienteis, intelligi potest. Et quod Junius commemorat Servium Tullum Regem intercalasse primum, id potest de mox memorata reformatione accipi; cum scilicet Bruma ejus tempore regressa jam foret in finem Septembris. Non morandum autem, quod Tuditanus & Flavius rem ad Decemviros referunt, quando Varro scribit, L. Pinario & P. Furio Coss. qui multis annis Decemviros antecesserunt, fuisse æri incisam legem antiquissimam, in qua mentio fieret Intercalationis.

Cum Græci autem Intercalationem ultimo anni mense confecto instituerent, delegere Romani Februarium (qui ipse quoque esset quasi finis anni veteris) non illum quidem jam confectum, sed ruentem tamen, ac post Terminalia, hoc est, diem sacrum deo Termino, qui erat VII. ante Martias Kalendas. Subjunxere vero intercalationi quinque Februarii dies reliquos, *Credo*, inquit Macrobius, *vetere religionis suæ more, ut Februarium omnino Martius sequeretur*. Præterea vero juxta sententiam ex Ovidio ante relatam, fuisse etiam, more Græcorum, intercalationem factam in ipso anni novi fine, si Februarius quidem mensis ultimus, & sacra Terminalia die ipsius ultimo fuere.

*Qui sequitur Janum, veteris fuit ultimus anni;*
*Tu quoque Sacrorum, Termine, finis eras.*

Ubi *annus vetus* solum dicitur ob illud tempus, quod a Numa ad usque Decem-viros intercessit.

Utcumque sit, tamen observari potest, intercalatos illos nunc XXII. nunc XXIII. dies, constituisse specialem mensem, qui anno intercalationis foret quasi decimus-tertius; quique, ex Plutarcho, *Merkedinus Merkedoniusve* appellaretur; tametsi magis vulgare fuerit, ut diceretur *Intercalarius* vel *Februarius Intercalaris*.

## CAP. III.

*Alia Romani Kalendarii reformatio a Julio Cæsare.*

DIxi obiter intercalandi curam una cum Fastorum & Sacrorum studio commissam Pontificibus sive Sacerdotibus fuisse. Factum ergo est procedente, & maxime quidem Julii Cæsaris, tempore, ut corrigere Kalendarium Fastosve oportuerit, *jampridem vitio Pontificum per intercalandi licentiam*, inquit Suetonius, *ita turbatos, ut neque messium feriæ æstati, neque vindemiarum autumno competerent*. Declarat Macrobius, quo vitio laborarint Pontifices, dum, postquam *fuisse tempus* dixit, *cum propter superstitionem intercalatio omitteretur*, subdit *Sacerdotes, ut publicanis gratificarentur, proferri vel imminui consulto anni dies volentibus, dies modo auxisse, modo retraxisse*. Causam aliam copulat Censorinus, cum de Pontificibus loquens, *Sed horum*, inquit, *plerique ob odium vel gratiam, quo quis Magistratu citius abiret, diutiusve fungeretur; aut publici redemptor ex anni magnitudine in lucro damnove esset, plus minusve ex libidine intercalando, rem sibi ad corrigendum mandatam ultro depravarunt*.

Itaque Cæsar rerum potitus, & Dictator Pontifexque Maximus cum foret, sic animum ad ordinandum Reipublicæ statum appulit, ut non postremam in corrigendo Kalendario assumpserit curam; idque Sosigenes cum adesset, Mathematicus ex Ægypto advectus, quem adhibere in consilium posset. Et quantæ quidem fuerit diligentiæ vir Sosigenes, testatur Plinius, cum de eo loquens, *Ipse*, inquit, *trinis commentationibus, quamquam diligentior esset cæteris, non cessavit tamen addubitare, ipsemet semet corrigendo*. Hoc vero auctore agnovit Cæsar non posse constantem correctionem institui, nisi Annus ad motum Solis potius, quam Lunæ componeretur; ac expedire, ut ita fieret, cum præsertim annus Lunaris reducendus semper ad Solarem foret.

Ratio autem constituendi Anni a Sosigene proposita ea fuit, ut cum Solis cursus peragatur diebus CCC. LXV. & quadrante, Annus omnino haberetur dierum CCC. LXV. Ac ne ob neglectum quadrantis illius, ex quo intra quadriennium dies unus conficitur, ita sensim a constituto anni principio recederetur, ut feriæ medium hyeme, vindemiales vere celebrandæ forent (quod sane abhorruissent Romani, cum apud Ægyptios nihil timeretur hujusmodi, apud quos neglectus illius quadrantis eandem feriam deducebat per dies anni singulos decursu annorum 1460.) ne, inquam, id contingeret, sanciretur simul, ut quarto quoque anno dies unus intercalaretur; sicque quartus quilibet annus evaderet dierum CCC. LXVI.

Cum res placuisset Cæsari, ac is vellet semper Januarii Annive initium ab ipsa Bruma deducere, aut certe, quo animos civium novitas minus offenderet, a proxime insequuturo Brumam ejus anni novilunio; idcirco Annum tum occurrentem, qui in tertium ipsius & M. Æmilii Lepidi consulatum incidit, producere eo usque constituit, quousque Bruma aut dies ille Novilunii contingeret. Advocavit ergo M. Flavium scribam, qui, referente Macrobio, *scriptos dies singulos ita ad Dictatorem retulit, ut & ordo eorum inveniri facillime posset, & invento, certus status perseveraret*.

Supputatione proinde facta, deprehensum est, præter dies XXIII. qui forte eo anno Februario intercalabantur, superesse adhuc LXVII. dies, qui intercalatione absumendi forent, ut dies ille posset in primum mensis Januarii incidere. Cæsar itaque duos ex illis menseis, alterum dierum XXXIII. alterum XXXIV. creavit, eosque inter Novembrim Decembrimque transigi jussit; factumque est adeo, ut hujusmodi annus (qui idcirco *Annus Confusionis* vocatus est) evaserit tum XV. mensium, ut a Suetonio dicitur, tum dierum, non CCCC. XLIV. ut Macrobius habet, sed CCCC. XLV. ut Censorinus speciatim deducit; additis puta ad communem tunc

Annum, hinc vero menſe dierum XXIII. hinc aliis ſimul duobus LVII. ac univerſe diebus XC.

Quod non eſſent vero in anno a Numa inſtituto niſi dies CCC. LV. ac decem proinde ad conſtituendum eum, qui futurus eſſet dierum CCC. LXV. deeſſent; ea de cauſa Cæſar ſic decem aſſumpſit, eoſque in menſeis conſtitutos ita diſtribuit, ut, Numæ inſtar, in quatuor illis, Martio, Majo, Quintili, Octobri, nihil moverit, ſed ut inſtituti a Romulo fuerant, dierum tricenum ac unius, reliquerit; at tribus ex aliis, ut puta Januario, Sextili, ac Decembri, binos dies adjecerit, ut proinde ipſi quoque dierum XXXI. evaderent: quatuor vero, puta Aprili, Junio, Septembri, ac Novembri, ſingulos adhibuerit; ut fierent proinde dierum XXX. Denique autem menſi Februario nullum diem addidit, *Ne*, inquit Macrobius, *Deum Inferum religio immutaretur*.

Quia tamen ad id uſque tempus menſis ille Intercalarius inſeri in Februarium erat ſolitus, idcirco conſtituit, ut dies quoque ille, qui foret deinceps quarto quoque anno intercalandus, ipſi pariter interjiceretur; ſicque Februarius quarto quoque anno dierum XXIX. foret. Conſtituit quinetiam, ut veluti prius menſis Intercalarii, ſic deinceps diei illius Intercalatio fieret ſtatim poſt Terminalia, ſeptimumve Kalendas, ſeu diem XXIII. ac ante Regifugium, ſive ab exactis Regibus inſtituta Fugalia, atque adeo ante ſextum Kalendas, qui tunc ex XXIV. evaderet, ob intercalationem, numero XXV. uti & vigeſimus quintus XXVI. at ita deinceps, quouſque XXVIII. evaderet XXIX. Unde &, quia poſt diem VII. Kalendas, dicebatur *bis Sexto Kalendas Martias*, ſemel ſcilicet die intercalari, & ſemel die Regifugii, ea de cauſa, *Id*, inquit ille, *Bis-ſextum cenſuit nominandum*.

Adnotandum autem, Cæſarem noluiſſe additos illos decem dies ante Nonas aut Idus interſerere, ne religionem Nonarum aut Iduum, (quæ ſtatuto erat die) comperendinatione ulla corrumperet; uti neque inſerere in dies poſt Idus, ne Feriarum quarumque indictionem violaret. Illos ergo potius delectis menſium finibus ſic adjecit, ut & Faſtos notaverit, quo majorem daret libertatem actionibus; & non modo nullum ex iis Nefaſtum, ſed neque Comitialem etiam eſſe voluerit, ne Magiſtratuum ambitio hac adjectione augeretur.

Hac ratione & Nonæ & Idus eo, quo fuerant, ſtatu manſerunt; nam ne illi quidem tres menſes recens facti dierum tricenum unius, ſeptimanas habuerunt Nonas, ſed id juris ſolum relictum antiquis illis quatuor, Martio, Majo, Quintili, Octobri fuit. Soli dies ante Kalendas id mutationis acceperunt, ut, cum prius dies proxime Idus inſequens quolibet menſe, excepto Februario, foret XVII. remanſerit quidem in quatuor antiquis mox nominatis XVII. at in aliis tribus dierum tricenum ſingulorum, Januario, Sextili, Decembri, evaſerit XIX. in quatuor aliis dierum tricenum, Aprili, Junio, Septembri, Novembri, XVIII. in Februario autem ſemper fuerit XVI. etiam in anno Biſſextili, quod propter diei adjectionem non denominationis ratio augeretur, ſed una *Sexti* denominatio duobus diebus competeret.

Ut agnoſcas vero, qua proinde facie Kalendarium evaſerit, id ita exhibendum eſt, ut ad ordinem Kalendarum, Nonarum, ac Iduum, quatenus deſcriptæ heic ſunt, accedant feſta, ac Ludi, & alia, ipſo præſertim Cæſaris tempore, ſolita adſcribi; ſcilicet, cum facta deinceps plurium acceſſio fuerit. Præcedent autem duo ordines, quorum unus literis octonis A B C D E F G H, indicet dies Nundinaleis. Ut nobis enim una ex ſeptem loco octavo ſemper rediens Dominicam diem toto anno indicat; ſic una ex octo, loco nono ſemper recurrens, indicabat toto anno diem Nundinarum, quo ſolebant homines ex agro in Urbem convenire.

In altero autem, ubicumque eſt litera F. ſignificatur dies *Faſtus*, quo nimirum fari licebat Prætori verba ſolemnia, *Do*, *Dico*, *Addico*, Ubi N. *Nefaſtus*, quo videlicet toto non licebat. Ubi FP. *Faſtus primo*, quo licebat prima diei parte, ſeu ante meridiem. Ubi NP. *Nefaſtus primo*, quo eadem prima parte non licebat. Ubi EN. *Endoterciſus*, ſeu *Interciſus*, quo horis quibuſdam licebat, non licebat aliis. Ubi C. *Comitialis*, quo haberi poterant Comitia, quæ niſi haberentur, fari tota die Prætori licebat; ſi haberentur, licebat ſolum, ubi ea peracta forent. Ubi Q. Rex. C. F. *Quando Rex* (intellige Sacrificulus) *Comitiavit* (hoc eſt, in Comitium itavit) *Fas*, ſupple Prætori. Ubi Q. ST. D. F. *Quando ſtercus delatum eſt* (ex æde Veſtæ intellige) *Fas*, ſupple eidem Prætori. Sed enim Kalendarium jam pagellis ſuperioribus habes.

# KALENDARIUM

## JULII CÆSARIS.

| Nund. | Dies | | JANUARIUS. *In Tutela Junonis* |
|---|---|---|---|
| A | F | *Kal.* | Jano. Junoni. |
| B | F | iv. | |
| C | C | iii. | Cancer occidit. |
| D | C | *Pridie.* | |
| E | F | *Non.* | Lyra oritur. Aquila veſperi occidit. |
| F | F | viii. | |
| G | C | vii. | |
| H | C | vi. | Delphin veſperi occidit. |
| A | | v. | Agonalia. |
| B | EN | iv. | Media hyems. |
| C | NP | iii. | Carmentalia. |
| D | C | *Prid.* | Compitalia. |
| E | NP | *Id.* | Jovi Statori. |
| F | EN | xix. | |
| G | | xviii. | Carmentæ & Porrimæ Poſtvertæ. |
| H | C | xvii | Concordiæ. |
| A | C | xvi. | Sol in Aquario. |
| B | C | xv. | |
| C | C | xiv. | |
| D | C | xiii. | |
| E | C | xii. | |
| F | C | xi. | |
| G | C | x. | Lyra occidit. |
| H | C | ix. | Sementinæ feriæ. Caſtori & Polluci. |
| A | C | viii. | |
| B | C | vii. | |
| C | C | vi. | Regulus occidit. |
| D | C | v. | |
| E | F | iv. | Equiria in Campo Martio. Pacalia. |
| F | F | iii. | Fidicula occidit. |
| G | F | *Prid.* | Deis Penatibus. |

| Nund. | Dies | | FEBRUARIUS. *In Tutela Neptuni,* |
|---|---|---|---|
| H | N | *Kal.* | Herculi. Lucaria. Junoni Soſpitæ. |

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| A | N | iv. | | A |
| B | N | iii. | Lyra, & medius Leo occidunt. | |
| C | N | *Pridie.* | | |
| D | | *Non.* | Aquarius oritur. | |
| E | N | viii. | | |
| F | N | vii. | | |
| G | N | vi. | | |
| H | N | v. | Veris Initium. | |
| A | N | iv. | | |
| B | N | iii. | Genialici ludi. Arctophylax oritur. | |
| C | N | *Prid.* | | |
| D | NP | *Id.* | Fauno & Jovi. | B |
| E | C | xvi. | Corvus, Crater, Anguis oriuntur. | |
| F | NP | xv. | Lupercalia. | |
| G | EN | xiv. | Sol in Piscibus. | |
| H | NP | xiii. | Quirinalia. | |
| A | C | xii. | Feralia, seu Ferialia. Fornacalia. Diis manibus. | |
| B | C | xi. | | |
| C | C | x. | | |
| D | F | ix. | Deæ Mutæ, seu Larundæ. Feralia. Lararia. | |
| E | C | viii. | Cariftia. | |
| F | NP | vii. | Terminalia. | C |
| G | N | vi. | Regifugium. | |
| H | C | v. | Hirundinum adventus. Arcturus vefperi oritur. | |
| A | EN | iv. | | |
| B | NP | iii. | Equiria in campo Martio. | |
| C | C | *Prid.* | | |

| Nund. | Dies | | MARTIUS. *In Tutela Minervæ.* | |
|---|---|---|---|---|
| D | NP | *Kal.* | Marti, Ancyliorum feftum. Matronalia. | |
| E | F | vi. | | D |
| F | C | v. | Alter Pifcium occidit. | |
| G | C | iv. | | |
| H | C | iii. | Cancer oritur. Vindemiator oritur. | |
| A | NP | *Prid.* | Veftalia. Cæfar Pontifex Max. factus. | |
| B | F | *Non.* | Vejovi. Pegafus oritur. | |
| C | F | viii. | Corona oritur. | |
| D | C | vii. | Orion oritur. | |
| E | C | vi. | | |
| F | C | v. | | |
| G | C | iv. | | E |
| H | EN | iii. | Maria aperiuntur. | |
| A | NP | *Prid.* | Equiria ad Tiberim. | |
| B | NP | *Id.* | Annæ Perennæ. Scorpius occidit. | |
| C | F | xvii. | Nepa occidit. | |
| D | NP | xvi. | Liberalia feu Bacchanalia. Agonia. | |
| E | C | xv. | Sol in Ariete. | |
| F | N | xiv. | Quinquatrus Minervæ, per 5. dies. | |
| G | C | xiii. | | |
| H | C | xii. | Equus occidit mane. | |
| A | N | xi. | | F |
| B | NP | x. | Tubiluftrium. | |
| C | Q. R. | ix. | | |
| D | C | viii. | Hilaria. Æquinoctium Vernum. | |
| E | C | vii. | | |
| F | NP | vi. | | |
| G | C | v. | Magalefia. | |
| H | C | iv. | | |

| | | | |
|---|---|---|---|
| A | C | iii. | Concordiæ, Saluti, Paci. |
| B | C | *Prid.* | |

| Nund. | Dies | | APRILIS. *In Tutela Veneris.* |
|---|---|---|---|
| C | N | *Kal.* | Veneri. Fortunæ Virili. |
| D | C | iv. | Plejades occidunt. |
| E | C | iii. | |
| F | C | *Prid.* | Megalefia, Ludi Matri Magnæ, per octo dies. |
| G | | *Non.* | |
| H | NP | viii. | Fortunæ Publicæ, Primigeniæ. |
| A | N | vii. | Apollinis & Dianæ natalis |
| B | N | vi. | Libra occidit. |
| C | N | v. | |
| D | N | iv. | Ludi in Circo. |
| E | N | iii. | |
| F | N | *Prid.* | Ludi Cereri, per octo dies. |
| G | NP | *Idus.* | Jovi Victori, & Libertati. |
| H | N | xviii. | |
| A | NP | xvii. | Fordicidia vel Fordicaria. |
| B | N | xvi. | Suculæ occidunt vefperi. |
| C | N | xv. | |
| D | N | xiv. | Equiria in Circo Maximo. |
| E | N | xiii. | Cerealia. Sol in Tauro. |
| F | N | xii. | Palilia. Romæ natalis. |
| G | NP | xi. | |
| H | N | x. | Agonia altera. |
| A | NP | ix. | Vinalia priora. |
| B | C | viii. | Palilicium oritur. |
| C | NP | vii. | Robigalia. Medium Veris. |
| D | F | vi. | Aries occidit. Hœdi oriuntur. |
| E | C | v. | Feriæ Latinæ. |
| F | NP | iv. | Floralia, per fex dies. |
| G | C | iii. | Canis vefpere occidit. |
| H | F | *Prid.* | Veftæ Palatinæ. Larentalia prima. |

| Nund. | Dies | | MAJUS. *In Tutela Apollinis.* |
|---|---|---|---|
| A | N | *Kal.* | Bonæ Deæ. Lararia. Capella oritur. |
| B | F | vi. | Compitalia. |
| C | C | v. | Hyades, & Centaurus oriuntur. |
| D | C | iv. | |
| E | C | iii. | Lyra oritur. |
| F | C | *Prid.* | Scorpius & Nepa medii occidunt. |
| G | N | *Non.* | Vergiliæ oriuntur mane. |
| H | F | viii. | Capella oritur Cæfari. |
| A | N | vii. | Lemuria vel Remuria, per treis dies. |
| B | C | vi. | |
| C | N | v. | Malum nubere. Orion occidit. |
| D | NP | iv. | Marti in Circo. |
| E | N | iii. | Æftatis initium. Plejades oriuntur. |
| F | C | *Prid.* | Mercurio. Taurus oritur. |
| G | NP | *Idus.* | Feriæ Jovi. Mercurii natalis. Fidis oritur mane. |
| H | F | xvii. | |
| A | C | xvi. | |
| B | C | xv. | |
| C | C | xiv. | Sol in Geminis. |
| D | C | xiii. | |

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| E | NP | xii. | Vejovi. Agonalia. Canis oritur. | A |
| F | N | xi. | | |
| G | NP | x. | Tubiluſtria. Volcanalia. | |
| H | Q.REX.C.F | ix. | | |
| A | C | viii. | Fortunæ Publicæ. Aquila oritur. | |
| B | C | vii. | Regifugium iterum. Arctophylax occidit. | |
| C | C | vi. | Hyades oriuntur. | |
| D | C | v. | | |
| E | C | iv. | | |
| F | C | iii. | | |
| G | C | *Prid.* | | B |

| Nund. | Dies | | JUNIUS<br>*In Tutela Mercurii.* | |
|---|---|---|---|---|
| H | N | *Kal.* | Junoni Monetæ. Tempeſtę. | |
| A | F | iv. | Feriæ Marti. Carnæ Deæ. | |
| B | C | iii. | | |
| C | C | *Pridie.* | Bellonæ & Herculi. | |
| D | N | *Non.* | Dio Fidio, Sancto, Semipatri. | |
| E | N | viii. | Veſtæ. | |
| F | N | vii. | | |
| G | | vi. | Menti, in Capitolio. | C |
| H | N | v. | Veſtalia. Aſini coronantur. | |
| A | N | iv. | | |
| B | N | iii. | Matralia. Fortunæ & Concordiæ. | |
| C | N | *Prid.* | | |
| D | N | *Id.* | Jovi Invicto. Quinquatr. Min. Calor incipit. | |
| E | N | xviii. | | |
| F | Q.ST.D.F. | xvii. | | |
| G | C | xvi. | | |
| H | C | xv. | Delphin oritur totus. | |
| A | C | xiv. | | |
| B | C | xiii. | Minervæ. Sol in Cancro. | D |
| C | C | xii. | Summano. Ophiuchus oritur. | |
| D | C | xi. | | |
| E | C | x. | | |
| F | C | ix. | | |
| G | C | viii. | Forti Fortunæ. Hoc & ſequente biduo, Solſtitium. | |
| H | C | vii | | |
| A | C | vi. | Orionis zona oritur. | |
| B | C | v. | Jovi Statori. Lararia. | |
| C | G | iv. | | |
| D | F | iii. | | E |
| E | F | *Prid.* | Herculi & Muſis. Populifugium. | |

| Nund. | Dies | | QUINTILIS.<br>*In Tutela Jovis.* | |
|---|---|---|---|---|
| F | N | *Kal.* | Migrationes ex ædibus in ædeis. | |
| G | N | vi. | | |
| H | N | v. | | |
| A | NP | iv. | Corona occidit mane. | |
| B | N | iii. | Populifugium. | |
| C | N | *Prid.* | Ludi Apollinares, per viii. dies. Fortunæ Muliebri. | F |
| D | N | *Non.* | Populifugium, Caprotinæ Nonæ. Feſtum Ancillarum. | |
| E | N | viii. | Vitulatio. | |
| F | EN | vii. | Cepheus veſpere oritur. | |
| G | C | vi. | Prodromi, ſeu Eteſiæ flare incipiunt. | |
| H | C | v. | | |
| A | NP | iv. | Cæſaris natalis. | |
| B | C | iii. | Fortunæ Muliebri. | |
| C | C | *Prid.* | Merkatus, vel Merkurialia per ſex dies. | |
| D | NP | *Idus.* | Caſtori & Polluci. | |
| E | F | xvii. | Procyon oritur. | |
| F | C | xvi. | | |
| G | C | xv. | | |
| H | NP | xiv. | Lucaria. | |
| A | | xiii. | Sol in Leone. | |
| B | C | xii. | Lucaria. | |
| C | G | xi. | | |
| D | | x. | Neptunalia. | |
| E | N | ix. | Regulus oritur. | |
| F | NP | viii. | Furinalia. Ludi Circenſes per dies ſex. | |
| G | C | vii. | Canicula apparet. | |
| H | C | vi. | | |
| A | C | v. | | |
| B | C | iv. | | |
| C | C | iii. | | |
| D | C | *Prid.* | Aquila occidit. | |

| Nund. | Dies | | SEXTILIS.<br>*In Tutela Cereris.* |
|---|---|---|---|
| E | N | *Kal.* | Spei. Marti |
| F | C | iv. | |
| G | C | iii. | |
| H | C | *Prid.* | Leo medius oritur. |
| A | F | *Non.* | Saluti, in Quirinali. |
| B | F | viii. | Arcturus medius occidit. |
| C | C | vii. | Aquarius medius occidit. |
| D | C | vi. | Soli Indigeti, in Quirinali. |
| E | NP | v. | |
| F | C | iv. | Opi, & Cereri. |
| G | C | iii. | Fidis occidit. Autumni initium. |
| H | C | *Prid.* | Herculi. Lignapeſia. |
| A | NP | *Idus.* | Dianæ, Vertumno. Feſtum Servorum & Ancillarum. |
| B | F | xix. | |
| C | C | xviii. | Delphin mane occidit. |
| D | C | xvii. | |
| E | NP | xvi. | Portumnalia. Jano. |
| F | C | xv. | |
| G | FP | xiv. | Vinalia poſteriora. |
| H | C | xiii. | Sol in Virgine. |
| A | NP | xii. | Conſualia. |
| B | EN | xi. | Vindemiator oritur mane. |
| C | NP | x. | Volcanalia. |
| D | C | ix. | Feriæ Lunæ. |
| E | NP | viii. | Opiconſiva, in Capitolio. |
| F | C | vii. | |
| G | NP | vi. | Volturnalia. |
| H | NP | v. | Victoriæ. Ara in curia. Sagitta occidit. Eteſiæ deſinunt. |
| A | F | iv. | |
| B | F | iii. | Mundus Cereris patet. |
| C | F | *Prid.* | Andromeda veſperi oritur. |

| Nund. | Dies | | SEPTEMBER.<br>*In Tutela Vulcani.* |
|---|---|---|---|
| D | N | *Kal.* | Fer. Neptuno. Jovi Mæmacti. |
| E | N | iv. | |
| F | NP | iii. | Dionyſia, ſeu Vindemiæ. |
| G | C | *Prid.* | Ludi Romani, per octo dies. |
| H | F | *Non.* | |

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| A | F | viii. | Erebo, ariete & ove nigra. | A |
| B | C | vii. | | |
| C | C | vi. | | |
| D | C | v. | Capella oritur. | |
| E | C | iv. | Caput Medusæ oritur | |
| F | C | iii. | Virgo media oritur. | |
| G | N | *Prid.* | Arcturus medius oritur. | |
| H | NP | *Idus.* | Hirundinum discessus. | |
| A | F | xviii. | Equorum probatio. | |
| B | | xvii. | Ludi Circenses, votivi, magni, per quinque dies. | |
| C | C | xvi. | | |
| D | C | xv. | | |
| E | C | xiv. | Spica Virginis mane oritur. | B |
| F | C | xiii. | Sol in Libra. Crater mane apparet. | |
| G | C | xii. | Romuli natalis. Merkatus per quatuor dies. | |
| H | C | xi. | | |
| A | C | x. | Argo & Pisces occidunt. | |
| B | NP | ix. | Augusti natalis. | |
| C | C | viii. | Æquinoctium hoc & sequente biduo. | |
| D | C | vii. | Saturno & Maniæ. | |
| E | C | vi. | | |
| F | C | v. | Veneri Genitrici Fortunæ Reduci. | C |
| G | C | iv. | Capella mane oritur. | |
| H | F | iii. | Hœdi oriuntur. | |
| A | F | *Prid.* | Meditrinalia. Epulum Minervæ. | |

## OCTOBER.

*In Tutela Martis.*

| Nund. | Dies | | | |
|---|---|---|---|---|
| B | N | *Kal.* | | |
| C | P | vi. | | |
| D | C | v. | | |
| E | C | iv. | Auriga occidit mane. | D |
| F | C | iii. | Mundus Cereris patet, | |
| G | C | *Prid.* | Diis Manibus. | |
| H | F | *Non.* | | |
| A | F | viii. | Clara Coronæ oritur. | |
| B | C | vii. | | |
| C | C | vi. | Ramalia, Græcis Oschophoria. | |
| D | | v. | Meditrinalia. Hyemis initium. | |
| E | NP | iv. | | |
| F | NP | iii. | Fontinalia. Jovi Liberatori, Ludi per tres dies. | E |
| G | NP | *Prid.* | | |
| H | NP | *Idus.* | | |
| A | F | xvii. | Ludi Plebeii. Arcturus occidit. | |
| B | C | xvi. | | |
| C | C | xv. | Jovi Liberatori, Ludi. | |
| D | NP | xiv. | Armilustrium. | |
| E | C | xiii. | | |
| F | C | xii. | Ludi per quatuor dies. Sol in Scorpione. | |
| G | C | xi. | | |
| H | C | x. | Libero Patri. Taurus occidit. | [illegible] |
| A | C | ix. | | |
| B | C | viii. | | |
| C | C | vii. | Nepæ frons oritur. | |
| D | C | vi. | Ludi Victoriæ. | |
| E | C | v. | Vergiliæ occidunt. | |
| F | C | iv. | | |
| G | C | iii. | Vertumni Feriæ. Ludi votivi | |
| H | C | *Prid.* | Arcturus occidit. | |

## NOVEMBER.

*In Tutela Dianæ.*

| Nund. | Dies | | |
|---|---|---|---|
| A | N | *Kal.* | Ludi Circenses. |
| B | F | iv. | Arcturus occidit vesperi. |
| C | F | iii. | Fidicula mane oritur. |
| D | | *Prid.* | |
| E | F | *Non.* | Neptunalia. |
| F | F | viii. | |
| G | C | vii. | Mundus patet. |
| H | C | vi. | Clara Scorpionis oritur. |
| A | C | v. | Hyemis initium. |
| B | C | iv. | |
| C | C | iii. | Vergiliæ occidunt. Maria clauduntur. |
| D | C | *Prid.* | |
| E | NP | *Idus.* | Lectisternia, seu Epulum indictum. |
| F | F | xviii. | |
| G | C | xvii. | Ludi Plebeii in Circo, per treis dies. |
| H | C | xvi. | Sementis triticeæ finis. |
| A | C | xv. | |
| B | C | xiv. | Merk. per triduum. Sol in Sagittario. |
| C | C | xiii. | Pontificum cœna, in honorem Cybeles. |
| D | C | xii. | |
| E | C | xi. | Liberalia. Lepus occidit mane. |
| F | C | x. | Plutoni & Proserpinæ. |
| G | C | ix. | |
| H | | viii. | Brumalia per triginta dies. |
| A | C | vii. | Canicula occidit. |
| B | C | vi. | Suculæ occidere incipiunt. |
| C | C | v. | |
| D | C | iv. | |
| E | C | iii. | |
| F | F | *Prid.* | Totæ Suculæ occidunt. |

## DECEMBER.

*In Tutela Vestæ.*

| Nund. | Dies | | |
|---|---|---|---|
| G | N | *Kal.* | Fortunæ muliebri. |
| H | | iv. | |
| A | | iii. | |
| B | | *Prid.* | Minervæ & Neptuno. |
| C | F | *Non.* | Faunalia. |
| D | C | viii. | Sagittarius medius occidit. |
| E | C | vii. | Aquila mane oritur. |
| F | C | vi. | |
| G | C | v. | Junoni jugali. |
| H | C | iv. | |
| A | NP | iii. | Agonalia. Alcyonii dies quatuordecim. |
| B | EN | *Prid.* | |
| C | NP | *Idus.* | Equiria seu Cursus equorum. |
| D | F | xix. | Ambrosia. |
| E | NP | xviii. | Consualia. Scorpius totus oritur mane. |
| F | C | xvii. | |
| G | | xvi. | Saturnalia, per quinque dies. |
| H | C | xv. | Sol in Capricorno. Olor oritur. |
| A | NP | xiv. | Opalia. |
| B | C | xiii. | Sigillaria per duos dies. |
| C | NP | xii. | Divinalia seu Angeronalia. |
| D | C | xi. | Lararia. |
| E | NP | x. | Larentalia, vel Laurentalia. |
| F | C | ix. | Juvenales Ludi. |
| G | C | viii. | Solstitium hyemale. Brumalium finis. |

| | | | |
|---|---|---|---|
| H | C | vii. | |
| A | G | vi. | Phœbo, per triduum. Delphinus oriri mane incipit. |
| B | C | v. | |
| C | F | iv. | Aquila vespere occidit. |
| D | F | iii. | Canicula vespere occidit. |
| E | F | *Prid.* | |

Sunt porro heic duo quædam observanda, unum, quod Julius Cæsar natus ad IV. Eidus Quintilis foret, ideo fuisse, Cæsare mortuo, hunc mensem appellatum Julium, legem ferente M. Antonio, qui illi V. Consuli collega cum foret, superfuit: idque a secundo statim annorum, qui a Julio reformatore *Juliani* deinceps appellati sunt. Fuisse & Sextilem a successoris nomine vocatum *Augustum*, non quod Augustus eo mense natus (siquidem natus est Septembri, & IX. quidem Kalendas Octobris) sed ob alias causas non Plebiscito modo expressas, sed etiam Senatus-consulto, quod Censorinus refert ad annum Augustanum (victoriæve Actiacæ) XX. hoc est, XXXVII. Julianum, cujusque ecce apud Macrobium verba: *Cum Imperator Cæsar Augustus mense Sextili & primum consulatum inierit; & triumphos treis in urbem intulerit; & ex Janiculo legiones deductæ, sequutæque sint ejus auspicia ac fidem; & Ægyptus hoc mense in potestatem populi Rom. redacta sit; finisque hoc mense bellis civilibus impositus sit; atque ob has causas hic mensis huic imperio fœlicissimus sit ac fuerit; placere Senatui, ut mensis Augustus appelletur.*

Notum est autem perseverare etiam-num hæc
A duo mensium nomina, cum alii quidam Imperatores nequicquam parem facere immutationem tentaverint; ut dum Nero voluit Aprilem appellari Neronem; Commodus Sextilem Commodum, & Septembrim Herculem; Domitianus Septembrim Germanicum, & Octobrim Domitianum; Commodus rursus Novembrim Exuperatorium, & Decembrim Amazonium. Quippe de omnibus dici potest, quod Macrobius speciatim de Domitiano habet, *qui Octobrim*, inquit, *suo nomine invaserat; sed ubi infaustum vocabulum ex omni ære vel saxo placuit eradi, menses quoque usurpatione tyrannicæ appellationis exuti sunt.*

B Alterum, cum Julius Cæsar instituisset, ut quarto quoque anno intercalaretur, & numerandum intellexisset quartum, secluso illo, quo nupera intercalatio fuisset facta; evenisse, ut illo mortuo non intelligentes rem Pontifices quartum annum, superiore illo incluso, intellexerint, sicque inter duos intercalareis, nonnisi duos sine intercalatione habuerint; quousque exactis XXXVI. annis error denique deprehensus fuit.

Quia vero intra hosce annos intercalatum fuerat duodecies, cum debuisset solummodo intercalari novies; ea-propter constituit Augustus, ut duo-
C decim annis insequentibus intercalatio nulla fieret, quo tres dies plus æquo intrusi tribus quadrienniis absumerentur. Quare & correctione hoc modo instituta, fuisse intercalationem resumptam, sicque deinceps continuatam, ut interrupta hactenus non fuerit. Quomodo autem futurum sit, ut interrumpatur, dicendum posterius.

FINIS.

# PETRI VIOLÆ
## VICETINI
## DE
## VETERI NOVAQUE
# ROMANORUM TEMPORUM
## RATIONE LIBELLUS.

# NICOLAO CARDINALI RODULPHO EPISCOPO VICETINO PETRUS VIOLA SALUTEM D.



*Etus, eaque laudabilis consuetudo apud mortales jam pridem, Optime Præsul, invaluit, ut primitias frugum, quas ex agris, diligentia cultis, homines collegissent, Diis ipsis consecrarent: qua pietate non solum suam in Deos religionem declararunt, verum alios quoque suo exemplo, ad eundem religionis cultum accenderunt. Horum vestigia nonnulli hac tempestate præ cæteris secuti, cum ex illis Musarum agris, quos diuturnis laboribus coluerant, eximias spicas legissent, corollasque ex iis contextas ante tuæ celsitudinis fores appendissent, non minus aliorum animos ad tuam virtutem suspiciendam laudesque celebrandas excitarunt, quam suam in te observantiam patefecerunt. Inter quos ego quoque, cum vel longe ante quam Vicetiam unquam iter parares, tuarum virtutum præconiis inflammatus summa te observantia venerarer: postquam tuam faciem intueri, ac veras audire & reddere voces datum est, nil magis concupivi, quam aliquas e nostro agello posse primitias colligere, quibus meum in te animum significarem. Itaque e paucis quibusdam spicis, non sine magno labore, tamen collectis quæ potui serta violis, nescio quid veteris, novæque Romanorum temporum suavitatis redolentibus distinta contexui, tuisque postibus supplex affixi. Eo ergo animo ipsa accipies, quo & tua humanitas patitur, & mea in te fides suo jure postulare posse videtur.*

Vale.

# PETRI VIOLÆ VICETINI DE VETERI NOVAQUE ROMANORUM TEMPORUM RATIONE LIBELLUS.



Um noſtram hanc temporis rationem longe diverſam eſſe ab ea, qua veteres ante Cæſaris conſtitutionem ſua tempora diſtinguebant; atque iccirco multos, hanc varietatem non animadvertentes, in lectione veterum auctorum longe aberrare perſpicerem; operæ precium futurum exiſtimavi ſi ad communem ſtudiorum commoditatem, & veterum Romanorum, & noſtrorum temporum rationem, quam breviſſime poſſem, patefacerem. Namque licet de hac re ſcripturo ab orbe condito, eique æquæva temporis ſerie eſſet exordiendum, ut natura ratioque temporis interior haberetur, atque de variis cœli ſtellarumque revolutionibus, quibus tempora mortales metiuntur, differendum, cum tempus (ut Philoſophus ait) ſit numerus motus ſecundum prius & poſterius: tamen his omnibus non minus prolixitatis, quam altioris cujuſdam indagationis, præſertim pueris, quibus hæc commentamur, vitandæ cauſa omiſſis, ab ipſo tempore exordio non ſuperſtitioſe capto, ejus partes aggredi conſtituimus. Atque ſi quis in ſecretiora temporis adyta ingredi voluerit, quartum de Naturali Auſcultatione Ariſtotelis librum adeat, qui præ cæteris ea eſt diligentiſſime proſecutus. Tempus igitur ſecundum prius & poſterius diſtinctum & emenſum, aut generaliter, aut pro parte aliqua, ut de reliquis taceam, accipi ſolet. Tempus generaliter acceptum, etſi (ut Cicero ait) difficile eſt definire, eſt certa motus mundi dimenſio e cœli converſione collecta: quod una cum ipſo mundo conditum, & a temperato ſolis (ut Varro ait) Lunæque tenore dictum, unaque (ſi qua his unquam diſſolutio contigerit) diſſolvendum multis rationibus facile confirmatur, cum e cœli ambitu, ſtellarumque converſionibus apud mortales conſtet ac diſtinguatur. Tempus autem pro parte aliqua, eſt (ut Cicero ait) pars quædam æternitatis, cum alicujus annui, menſtrui, diurni, nocturnive ſpatii certa ſignificatione. Quare tempus generaliter acceptum ſilentio involventes, tantumque de anno, menſe, die, horiſque in hoc libello dicturi, nonnulla ſcitu haud injucunda e ſacris ipſius vetuſtatis penetralibus exprome mus. Et ab anni carceribus (ut dixi) curſum noſtrum incipientes, ac per cæteras partes diſcurrentes, metam quam celerrime poterimus, attingere conabimur: ut bonarum literarum candidati, quo pacto ante Cæſarianam

D conſtitutionem tempora digeſta fuerint, & quo poſtea modo Cæſar ipſe obſervanda digeſſerit, quam minimo negotio dignoſcant. Sciendum ergo eſt, Annum eſſe aut civilem, quem ſuo arbitratu ſibi quæque gens obſervandum conſtituit; aut naturalem, qui ſiderum curſu declaratur. Quare iccirco Solem, Lunamque, & reliquas quinque ſtellas, quæ vocantur erraticæ, hac ratione a Deo Opt. Max. diſtributas, ut ſuos orbes peragrantes unumquodque temporis intervallum numero diſtinctum demonſtrarent, & veteres multis rationibus docuere, & Plato in Timæo ſenſit, & Cicero, Platonem in libro de Univerſitate ſecutus, his

E verbis explicuit: *Itaque neſciunt hos ſyderum errores idipſum eſſe, quod rite dicitur tempus, multitudine infinita, varietate admirabili præditos.* Sed ut Romanorum temporum ratio clarior extet, alia quoque nonnulla, ne ulla varietas obſcuritatem pariat, ſunt cognoſcenda. Uniuſcujuſque enim (ut dixi) erraticæ anfractum, reditumque a certo loco in eundem locum emenſo toto cæli ambitu, annum ſuum, id eſt, circuitum ab *annulo* (ut Servius) ſeu rectius ab *am* (ut At. Capito ait) quæ vox *circum* ſignificat, appellaverunt: ſeu forſitan ab *Anna Perenna*, quæ & annis præfuit, & veteres ei menſe

F Martio, qui princeps erat anni, & publice & privatim ſacrificabant, ut ſibi *annare & perennare* liceret, de qua re Ovid. III. Faſt.

> *Nec mihi parva fides, annos hinc iſſe priores:*
> *Anna quod hoc cœpta eſt menſe Perenna coli.*

Verum eſt indagandum, utrum annus ab Anna, an vero Anna ab anno, ut nonnulla alia, dicatur. Sed, ut ad rem redeamus, cum varii ſint harum ſtellarum orbes, variæque peragrationes, varius quoque ac longe diverſus (licet quidam tantum annum Lunarem,

Solarem, magnumque, qui & mundanus appellatur, memorent) annorum sit usus numerusque, necesse est. Hinc (ut Cicero tradidit, nam varia itidem, diversaque est hominum in hac, ut in aliis quoque rebus, sententia) frigida Saturni stella, quæ φαίνων a Græcis nuncupatur, & a terris abest plurimum xxx. fere solaribus annis annum suum conficit. Infra hunc fulgor ille Jovis prosper ac salutaris, qui a Græcis φαέθων dicitur, XII. annis Solis suum orbem peragrat. Deinde rutila illa horribilisque terris Martis flamma, quæ πυρόεις dicitur Græce cursum suum quatuor & viginti Lunæ revolutionibus, minus sex diebus illustrat. Huic proximum inferiorem orbem Sol, qui ἥλιος est Græcis, princeps & moderator luminum reliquorum, & medius inter tres superiores, & tres inferiores, diebus V. LX. & CCC. quarta fere diei parte addita: nam desunt (ut Albategnus subductis rationibus demonstravit) XIII. minuta horæ & XXXVI. sec. annua sui cursus conversione peragit, quæ conversio ambitusque Solis, *annus vertens* a veteribus appellatur: Ut Cic. pro Quintio: *Anno vertente sine controversia: anno, & sex mensibus vero, cum tibi quotidie potestas hominis fuisset admonendi, verbum nullum facis*. Et in Arati Phænom.

*Annua conficiens vertentia tempora cursu.*
Et in II. de Divinatione:
*Mercurius anno fere vertente signiferum lustrat.*

Quibus in locis, & alibi procul dubio *annus vertens* idem esse, qui Solaris, intelligitur. de quo Virg. in II. Georg.

—— *Redit agricolis labor actus in orbem:*
*Atque in se sua per vestigia volvitur annus.*

Vitr. lib.9. c.4. ait: *Sol autem signi spatium, quod est duodecima pars mundi, mense vertente, vadens transit: ita duodecim mensibus, duodecim signorum intervalla peragrando, cum redit ad id signum, unde cœperit, perficit spatium vertentis anni*. idem Censorinus affirmat inquiens: *Est annus vertens, dum Sol percurrens XII. signa, eodem, unde profectus est, redit*. Hunc annum Ægyptii declarare volentes, draconem finxerunt in orbem revolutum, caudam que suam morsu devorantem, qua figura Phœnices mundum designabant, ut & ex seipso ali & in se resolvi per anni ambitum videretur. Romani vero eundem annum significantes Jani simulacrum dextra manu trecentorum, & sinistra quinque & quinquaginta numerum designans, ad ostendendam Solaris anni dimensionem, quæ est præcipua Solaris anni potestas & conversio, statuerunt. Sed obiter mendum, quod Macrobii codicibus l.1. c.9. Sat. inolevit, est tollendum, ubi non *quinquaginta*, sed *sexaginta* legitur. Nam & Plin. & ipsa temporis ratio *quinquaginta* emendandum admonet. Plin. enim ait lib.34. c.7. *Janus Geminus a Numa rege dicatus, qui pacis bellique argumento colitur, digitis ita figuratis, ut trecentorum quinquagin'a quinque dierum nota per significationem anni, temporis, & ævi se Deum indicaret*. Hæc Plin. ubi etiam duo illa verba Plinianis inserta (*per significationem*) veluti adulterina expungenda sunt, cum illis expunctis sensus longe melior eliciatur, ut Janus, anni, temporis, & ævi Deus intelligatur. Sed ipsa temporis ratio plane demonstrat illud Jani simulachrum a Numa dicatum dimensionem anni Numæ, qui erat 355. dierum, tantum significare potuisse, non annum 365. dierum, qui multis post sæculis a Cæsare fuit institutus. Sed unde discessit, nostra revertatur oratio. Solis cursum, ut comites consequuntur, prior Venus, quam

A φωσφόρον Græci dicunt, mox Mercurius, qui ab iisdem στίλβων nuncupatur, & eodem pæne temporis spatio eundem XII. signorum orbem, quæ Græci ζωδιακὸν vocant, lustrantes, suum uterque annum concludunt. Subter autem ultima a cœlo, & citima terris Luna radiis Solis accensa octo circiter & viginti diebus ambitum suum absolvit: qui parvus annus dicitur; habita solaris anni, qui vulgo magnus habetur, ratione. de quo Virg. in I. Æn.

*Triginta magnos volvendis mensibus orbes,*
Et in III.
*Interea magnum Sol circumvolvitur annum.*

B Arcades autem tribus tantum mensibus, Acarnanes sex, reliqua Græcia trecentis, quatuor & quinquaginta diebus, Lavinii trecentis, quatuor & septuaginta annum constituerunt. Jurisconsultus in æstatem hyememque annum divisit. Ægyptii in ver, æstatem, & hyemem, atque inde Mercurio lyræ trium chordarum inventionem tribuerunt. Alii trieteridem, quamvis sit proprie dieteris, quia duobus annis vertentibus constabat: Alii Olympiadem, a ludis Jovi Olympio sacris dictam observabant. Quinto enim quoque anno redeunte agon C Jovi Olympio celebrabatur. Romani eodem temporis intervallo civitatem lustrabant, idque temporis lustrum appellabant. Etsi aliquando pro quinquennio *lustrum* acceptum est. Erat & annus Eudoxi, ex octo solaribus constitutus, de quo Cæsar apud Lucanum in x. ait:

*Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.*

Et Chaldaicus, qui e duodecim, & Metonicus, qui undeviginti constare dicebatur. Erant & aliæ annorum observationes, quas brevitatis causa omittimus. Sed quid mirum tantam esse annorum va- D rietatem, cum ipsius quoque anni exordium varie apud mortales observatum sit? Nam Romulus a Martio annum verno tempore inchoavit. Hebræi quoque a Luna ipsi vernali æquinoctio propinquiore, quo tempore de Ægypto exierunt, ut legere est Exodi XII. ubi scriptum est: *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni*. Ægyptii autem & Græci juxta æquinoctium autumnale. Ægyptii enim a Septembri, Græci ab Octobri annum exorsi sunt. Sed de hoc anni exordio vide Gazam, Censorinum, Simplicium, & Pontanum in Urania. Numa vero, Cæsarque Numam secutus, a kalendis Januarii, quæ fuerunt E Luna prima post Brumale solstitium, annum inchoandum statuit. Cujus rei causam Janus apud Ovid. I. Fast. exponit, inquiens:

*Bruma novi prima est, veterisque novissima Solis:*
*Principium capiunt Phœbus & annus idem.*

Verum annus mundanus, qui vere magnus est, a primæva rerum origine, exordium cum ipso mundo nactus, conversione plenæ universitatis continetur. Cujus finis erit, cum ad eundem locum, unde simul cunctæ stellæ profectæ sunt, simul re- F versæ fuerint. de qua re Cic. in somnio Scip. *Homines enim populariter annum tantummodo Solis, id est, unius astri reditum metiuntur. Quam autem ad idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eandemque totius cœli descriptionem longis intervallis retulerint, tum ille vere vertens annus appellari potest. In quo vix dicere audeo, quam multa hominum secula teneantur*. Hunc annum varia, multiplicique temporis observatione varie vetustas designavit. Namque omissis eorum, quos Censorinus refert, quosdam cum Phœnicis vita

magni anni fieri converſionem aſſeruiſſe, raram tamen eſſe inter auctores fidem, cum plurimi 12954. annis conſtare dixerint. Quibus verbis videtur alludere ad illam ſententiam, quam teſte Servio in 1. Æn. & Corn. Tacito in dialogo de Orat. Cicero in Hortenſio protulit, qui tamen vel inter ſe diſſentiunt, vel codices mendoſi ſunt, quod magis arbitror. Cum Servius 12554. Cornelius vero 12854. annos proferat. Alii præterea quindecim millium annorum, Plato vero & alii Platonem ſecuti triginta ſex millium. At recentiores undequinquaginta eſſe voluerunt, & id tempus perfectæ omnium orbium revolutioni ſtatuerunt. Cæterum nos de anno ſolari, quem Romani potiſſimum ab Ægyptiis obſervarunt, locuturi ſumus. His expoſitis ab ejus origine incipiendum cenſuimus.

*De prima anni conſtitutione.*

Primam ergo anni hujus conſtitutionem, quod eſt certum temporis intervallum, quo Sol totum ſigniferum luſtrans eodem, unde antea diſceſſerat reverſus eſt, antiquiſſimo illi omnium parenti Noæ, omiſſis hoc in loco, quæ multi de hac re diſputavere, humanum genus acceptam (ſi Beroſo credimus) merito referre debet. Siquidem cum poſt illum totius terrarum orbis cataclyſmum, qui fuit anno juxta Hebræos 1656. at ut Hieronymus ait 2000. ut vero Euſebius 2242. ſed ut Auguſtinus aſſerit 2262. etſi Alphonſus 3882. eos numerarit. Noe, cum ſimul cum Titea conjuge, ac reliqua domo e Gordiæo Armeniæ monte deſcendiſſet, numeroſaque filiorum, ac nepotum ſubole auctus eſſet, & ita auctus, ut vel omnis Armenia eos amplius capere non poſſet, de novis quærendis ſedibus cogitavit. Verum filios nepoteſque jam Theologiam ſacroſque ritus edoctos humanam quoque ſapientiam edocere conſtituit. atque iccirco multa naturalium rerum arcana literis mandavit, quæ ſolis ſacerdotibus Scythæ Armeniique curanda committebant. Aſtrorum curſus, cœleſtium orbium converſiones, acceſſus, receſſuſque, ac mirabiles effectus patefecit. Annum ad curſum Solis in duodecim menſes diſtinctum, menſemque Lunæ curriculo emenſum conſtituit. Quod temporis ſpatium nonnulli Eudoxum ſecuti Ægyptiorum eſſe aſſeverarunt, ſed quam recte id egerint, ipſi viderint. Macrobius certe, Herodotus, Beroſuſque, & ipſa ratio Ægyptios ſemper ſolaris anni ambitum ſecutos eſſe demonſtrant. Aſtrorum igitur ſcientia, ut parumper non ſine ſtudioſorum utilitate ab incepta ſententia digrediamur, Noe admirabilem ſe cunctis præbuit, multaque humano generi utiliſſima conſtituit. At inter alia vitem quoque jam ſenior factus & invenit & coluit, vinique uſum primus omnium mortalibus oſtendit. Quare omnes illum, ut quadam divina mente præditum, modo *Cœlum*, modo *Solem* appellantes, ſumma obſervantia venerabantur. Mox, ob inventæ vitis beneficium, *Janum*, quod Aramæis *vitifer* ſeu *vinifer* ſonat, pia appellatione nuncuparunt. Hunc poſtea Romani (etſi nonnulli eum Janum Japheti filium faciunt) ſanctiſſime coluerunt, & ei principem anni diem, menſemque a *Jani* nomine *Januarium* dictum, omneque rerum principium conſecrarunt. Hinc ab effectu *Janualis* porta Romæ, quæ antea Viminalis dicebatur. Hinc *janua* prima domus pars. Hinc *Janus* ipſe utriuſque cœli januæ janitor & cuſtos, qui ideo *geminus*, & *claviger* vocabatur, quod cum clavi & virga quaſi omnium, & portarum cuſtos, & viarum rector figuraretur, ſeu quod & Orientis januam aperire, & Occidentis claudere, ſeu quod ſuperorum, inferorumque Janitor diceretur. Hinc modo bifrons, quod præterita ſcierit, & futura præviderit; modo quadrifrons, ob quatuor anni tempora, ſeu quatuor orbis partes, fingebatur. Et quoniam templum, quod ei erexerant, tempore belli patebat, tempore autem pacis clauſum erat, modo *Janus Patulcius*, modo *Cluſius* cognomento appellabatur. De hoc ritu Virg. lib. 1. Æn.

*—— Diræ ferro & compagibus arctis*
*Claudentur belli portæ. Furor impius intus*
*Sæva ſedens ſuper arma, & centum vinctus ahenis*
*Poſt tergum nodis, fremet horridus ore cruento.*

Et lib. VII. longiori oratione.

*Mos erat Heſperio in Latio, quem protinus urbes*
*Albanæ coluere ſacrum, nunc maxima rerum*
*Roma colit, cum prima movent in prælia Martem:*
*Sive Getis inferre manu lachrymabile bellum,*
*Hircaniſve, Arabiſve parant: ſeu tendere ad Indos,*
*Auroramque ſequi, Parthoſque repoſcere ſigna.*
*Sunt geminæ belli portæ (ſic nomine dicunt)*
*Religione ſacræ, & ſævi formidine Martis.*
*Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri*
*Robora: nec cuſtos abſiſtit limine Janus.*

*Junonius* quoque dictus eſt, quod princeps eſſet kalendarum, & kalendæ ipſæ *Junoni* dicatæ eſſent. Hinc *Janual* libi genus Jano ſacrum, *Janiculumque* oppidum ab ipſo conditum. Sed (licet hanc rem aliter Lactantius contra gentes enarret) Græci quoque de Jano haud multo ſecius hiſtoriam narrant. Ajunt enim apud Atlantios viros juſtitiæ ſtudioſiſſimos Cœlum regnaſſe, eumque homines antea ferarum more vagantes, nullaque cultus ratione viventes, in unum coegiſſe, moribus informaſſe, ac legibus inſtruxiſſe, multaque humano generi utiliſſima inveniſſe, imperium ad occiduas arctoaſque partes propagaſſe, ſyderum cognitione multa futura prædixiſſe, menſem ad Lunæ curſum, annum ad Solis revolutionem conſtituiſſe. Quas ob res eum corporeis vinculis ſolutum divinis honoribus poſteros eſſe proſecutos, & ex ipſius nomine *cœlum* nuncupaſſe. Suſcepiſſe ajunt ex pluribus uxoribus filios XLV. ſed ex Titea XV. qui licet quiſque ſuo proprio vocatus fuerit, communi tamen a Titea matre nomine *Titanes* appellati fuere. Titeam enim nunc *Aretiam*, id eſt, *Terram*, quod omnium mater eſſet, dictam. atque hinc locus fabulis datus, quod Titanes, id eſt, Gigantes terræ filii cum Jove de imperio bellum geſſerint. Sed ad Titeam, quam etiam *Veſtam*, id eſt, *ignem*, quod Regina ſacrorum fuiſſet, & puellas ſempiternum ignem ſervare inextinctum docuiſſet, veteres appellarunt. Hinc Veſta, ejuſque religio apud Latinos, aſpiratione (ut in aliis etiam fit) in *v* mutata. Hinc ſacri ignis ſervandi ritus, quaſi per manus traditus, Romæ permanſit. Hinc Ovid. a Beroſo non diſſentiens in VI. Faſt. cecinit;

*Veſta eadem eſt & terra: ſubeſt vigil ignis utrique:*
*Significant ſedem terra, focuſque ſimul.*

Et paulo poſt:

*Nec tu aliud Veſtam, quam vivam intellige flammam:*
*Nataque de flamma corpora nulla vides.*

Sed ad annum revertamur. Hanc Noæ ſolaris anni rationem Ægyptii tantum, teſte Beroſo, ſubſcribent-

ſcribenteque Macrobio, integram conſervarunt. Quare illos falli, tenebriſque vel Cimmeriis (ut ajunt) profundioribus oppreſſos arbitror, qui annis menſtruis Ægyptios unquam uſos fuiſſe contendunt. Sed ſuam quiſque ſententiam ſequatur. Nos vero potius Beroſo, Macrobioque, quam aliis fidem multis de cauſis adhibendam arbitramur. Sed his explicitis, ad Romanorum temporum obſervationem ſermonem noſtrum convertamus. Romulus ergo Romanæ urbis conditor, compoſitis regni rebus, animum ad conſtituendum annum adjecit. Namque cum vel in Italia, alii aliam rationem ſequerentur, ut oſtendit Solinus cap. 3. & Pontanus, qui in Urania cecinit;

*Namque alium primo Romæ naſcentis in ortu*
*Inſtituit pater, & gyro breviore coegit.*
*Promovit ſpatium Numa, nec Laurentibus idem,*
*Idem erat Albanis. alium qui Tiburis arva,*
*Quique Ferentina Cererem metit incola falce,*
*Et tenuere ſuis, babuereque in urbibus orbem.*

Ipſe ſuum annum quatuor & trecentis diebus in menſes diſtinctis computavit, de quo Ovid. 1. *Faſtor.*

*Tempora dirigeret cum conditor Urbis, in anno*
*Conſtituit menſes quinque bis eſſe ſuo.*

Menſium autem primum *Martium* a *Marte* genitore, ut unde Romani faſtigii origo, inde etiam temporis ſeries deducta videretur, aliæ quoque Italiæ civitates, etſi non principem anni menſem, Martium habuere. de quibus Ovidius III. *Faſt.*

*Quod ſi forte vacat, peregrinos inſpice faſtos:*
*Menſis in his etiam nomine Martis erit.*
*Tertius Albanis, quintus fuit ille Phaliſcis,*
*Sextus apud populos, Hernica terra, tuos.* &c.

Alterum *Aprilem*, quaſi *Aphrilem*, a Venere, quæ e ſpuma maris orta eſt, ut quemadmodum primum Marti Romani generis auctori, ita ſecundum Veneri Æneæ Matri,

—— *genus unde Latinum,*
*Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ.*

(ut Virg. ait) conſecraret. Tertium *Majum*, a *majoribus* vocavit. Mox a loco quem quiſque tenebat, *Quintilem, Sextilem, Septembrem, Octobrem, Novembrem,* & *Decembrem* nominavit. De quibus Ovid. 1. *Faſt.*

*Martis erat primus menſis, Veneriſque ſecundus.*
*Hæc generis princeps, ipſius ille pater.*
*Tertius a ſenibus, juvenum de nomine quartus:*
*Quæ ſequitur, numero turba notata fuit.*

Et Martio, Majo, Quintili, & Octobri tricenos ſingulos dies decrevit; Aprilem autem, & Junium, Sextilem, Septembrem, Novembrem, & Decembrem tricenum dierum eſſe voluit. Verum Numa, vel ingenii bonitate præditus, vel Græca diſciplina inſtructus, incommodam temporis diſtributionem animadvertens (ſæpe enim uſu veniebat, ut hyems æſtivis menſibus, & æſtas hyemalibus proveniret) quinquaginta diebus Romuli anno additis, annum in duodecim Lunæ curſus (ut ipſe credebat) novo ordine digeſſit. De quo Ovid. 1. *Faſt.*

*At Numa nec Janum, nec avitas præterit umbras:*
*Menſibus antiquis addidit ille duos.*

Sed de ordine menſium idem II. *Faſt.*

*Sed tamen (antiqui ne neſcius ordinis erres)*
*Primus ut eſt Jani menſis, & ante fuit.*
*Qui ſequitur Janum, veteris fuit ultimus anni:*
*Tu quoque ſacrorum, Termine, finis eras.*
*Primus erat Jani menſis, quia janua prima eſt:*
*Qui ſacer eſt imis Manibus, imus erat.*
*Poſtmodo creduntur ſpatio diſtantia longo*
*Tempora bis quini continuaſſe viri.*

Numa ergo in ſua computatione ſingulis ſex illis menſibus tricenum dierum, diem detraxit, & illis quinquaginta adjecit: quos quinquaginta ſex effectos in duos menſes æquo dierum diſtinxit. Et horum priorem *Januarium*, a *Jano*: alterum *Februarium* a *Februo* Deo luſtrationum potente nuncupavit. Sed hanc temporis diſtributionem idem paulo poſt in honorem imparis numeri, quem vel ante Pythagoram religioſiſſime mortales obſervabant, commutavit. Uno enim die Januarium auxit: ut tam in anno, quam in menſibus ſingulis, excepto uno Februario, qui duodetriginta dies retinuit, impar dierum numerus ſervaretur. Quare Januarius, Aprilis, Junius, Sextilis, September, November, December undetricenis diebus cenſebantur. Et primo quoque die horum menſium Kalendas, quinto nonas, decimo tertio Idus celebrabant. Poſt Idus autem ſeptemdecim dies ad ſequentis menſis Kalendas in ſingulis computabantur. Hinc illi falluntur, qui in Cic. Ep. ad Lentulum mendum inoleviſſe crediderunt, quæ incipit *ad* XVI. *Kal. Febr.* ubi *ad* XVIII. ſcribendum exiſtimarunt, ut ſuperiori temporis rationi poſterior reſponderet. Superius enim Cic. dixerat *Idibus Januarii in Senatu,* &c. ideſt, XIII. die Januarii. & paulo poſt: *Itaque poſtridie placuit, ut breviter ſententias diceremus* (qui dies erat XIV. Januarii) *& eo die controverſia uſque ad noctem ducta Senatus eſt dimiſſus.* Poſtero autem die, qui erat XV. Jan. ipſam epiſtolam ſcripſit. Ait enim: *Hæc ſcripſi ad* XVI. *Kal. Feb. ante lucem. eo die Senatus erat futurus.* Et illa Epiſt. quæ incipit: *ad* XVI. *Kal. Febr.* quamque volunt corrigere, Lentulum admonet, quid eo die in Senatu actum ſit. Quod tempus ſi (ut Paulus Aldi F. vir profecto & paternam eruditionem & vere piam in literis pietatem redolens, admonet) ad illius anni rationem, quo ſcripta fuit Epiſtola ſupputaſſent, nunquam in talem foveam decidiſſent. Eandem enim, quam in II. Epiſt. diem ſignificari deprehendiſſent cum Januarius non unum & triginta, ut nunc e Cæſaris conſtitutione habet, ſed undetriginta dies e conſtitutione Numæ haberet. Quadruplicem enim apud Romanos conſtitutionem annus ſortitus eſt, primam Romuli: alteram Numæ; tertiam decem Virorum, ut ex Ovid. patuit: poſtremam Cæſaris, ut patebit. Verum ad rem. Martius, Majus, Quintilis, & October diebus tricenis ſingulis conſtabant, & primo quoque menſis die Kalendas itidem, ut in ſuperioribus, at Nonas VII. & Idus XV. habebant, ea ratione, ut æque, ac in ſuperioribus decem & ſeptem dies ad ſequentis menſis Kal. numerarentur. Neque ullo pacto XVIII. Kalend. dici poterat. Febr. autem octo & viginti dies retinuit, ut qui Diis Manibus ſacer, quibus eo menſe juſta ſolvebantur: quaſi his diminutio & par numerus conveniret. Cæterum cum Romani ab experientia docti, hanc quoque diſtributionem cum imperfectam ad Solis curſum, tum ad multas res incommodam, & Reipub. (ut putabant) pernicioſam animadverterent, neceſſitate coacti, more Græcorum, intercalares menſes inſtituerunt. Quandoquidem Græci, cum animadverterent ſe temere annum CCCLIV. diebus ordinaſſe, & Solem CCCLXV. & quadrante Zodiacum conficere, ne quotannis XI. dies, & quadrantem, quod operoſum atque difficile erat, intercalarent, octavo quoque anno XC.

dies ex illis XI. & quadrante octies multiplicatis collectos, atque in tres menses distinctos, confecto ultimo anni mense, intercalabant. Sed Romanos dies ille, qui in honorem imparis numeri Januario additus fuerat, decepit. Quoniam nondum ullo errore comperto per octo annos XC. dies ex illis undenis & quadrante confectos quatuor intercalationibus inserebant. alternis enim annis post VII. Kal. Mart. id est, post XXIII. Febr. Terminalibus jam peractis modo XXII. modo XXIII. dierum mensem, qui *intercalaris* dicebatur, intercalabant. Sed cum octavo quoque anno dies octo ex die Januario addito superessent, ut error emendaretur, tertio quoque octennio sexaginta sex dies tantum, subductis illis XXIV. diebus, quibus illi anni super Græcorum numerum creverant, intercalandos statuerunt. Hinc Livius declaratur, qui lib. I. ab U.C. de Numa loquens, ait: *Atque omnium primum, ad cursum Lunæ in duodecim menses describit annum, quem quia tricenos dies singulis mensibus Luna non explet, desuntque dies solido anno, qui solstitiali circumagitur orbe, intercalares mensibus interponendo ita dispensavit, ut vigesimo quarto quoque anno ad metam eandem Solis, unde orti essent, plenis annorum spatiis dies congruerent.* id est, cum primis duobus octenniis nonageni intercalati essent, tertio quoque LXVI. tantum intercalabantur, ut (quemadmodum Livius ait) dies congruerent. Neque eo anno duo menses (ut nonnulli sentiunt) intercalabantur, quo Cic. ad Q. Ligarium scripsit eam Epist. lib. VI. *Me scito* &c. ubi ait: *Ego idem tamen, cum ad* VI. vel (ut alii legunt) III. nam II. nullo pacto legi potest, cum *Pridie* diceretur, *Kal. intercalares priores rogatu fratrum tuorum venissem mane ad Cæsarem*, &c. id est, *ad* VI. *Kal. mensis prioris intercalaris*. Quoniam duo menses eodem anno non intercalabantur, neque hoc ad tres menses in confusionis anno intercalatos, cum non *priores*, sed *primas* diceretur, recte referri potest. Et cum omni intercalationi (ut Macrobius ait) Februarius deputatus esset, nullo pacto neque de Kal. Decemb. neque de Kal. Martii hic, ut alii sentiunt, sed de Kal. mensis Februarii, qui (ut Corradus vir optime de lingua Latina meritus ait) intercalaris & ipse dictus fuit, est intelligendum. Non solum enim mensis, qui intercalabatur, & Græce *παρεμβεβλημένος* dici posset, sed etiam ille, in quo intercalabatur, qui est Februarius, *intercalaris* & *intercalarius* appellabatur, teste Livio, qui intercalarium vocat Feb. l. VII. Dec. IV. ait enim de L. Scip. *Et imperatori triumphus est decretus. Triumphavit mense intercalario pridie Kal. Mart.* Mense enim addititio (ut Cato lib. XXVIII. Dig. leg. *Cum bissextus* putat) intercalato reliquos quinque Febr. dies subjungebant, & ordo dierum ad Kal. Mart. resumebatur, ut veteri suæ religionis ritu Februarium Martius sequeretur: quo circa de Febr. debemus intelligere. Atque cum horum duum mensium calendæ intercalares appellentur, nemini esse dubium debet, quin Kal. Febr. ut sunt ordine, ita etiam nomine priores nuncupentur. At quia sæpe eveniebat, ut nundinæ nunc in principem anni diem, nunc in Nonas caderent, quod utrumque perniciosum Reipub. putabatur, diem unum, quo abundare annum animadvertebant (eo enim, ut superius dixi, Numa ob imparis numeri religionem, Januarium auxerat) qui Fastis præerant, suo arbitratu intercalabant: modo eum, aut in medio Terminaliorum, aut mensis intercalaris ita locarent, ut a suspecto die celebritatem averterent nundinarum. Unde quidam non solum mensem apud Romanos, sed diem etiam fuisse intercalarem retulerunt. Atque hinc forsitan Q. Mutius mensem intercalarem XXIX. dierum esse credidit. Verum quando primum intercalationis usus sit institutus, variæ referuntur opiniones. Macer enim Licinius ejus originem Romulo assignat. Valerius Antias, & Valerium secutus Livius sacrorum causa Numæ Pompilio. Junius autem Ser. Tullio Regi, qui cum (ut Varro ait) nundinas instituisset, harum causa intercalationem etiam instituerit. Tuditani autem, Flaviique, & Cassii de hac re omnino est explodenda sententia. Flavius enim, qui Martium cons. auctorem facit, ratione temporis causa cadit. Itidem eadem ratione Tuditanus & Cassius convincuntur, qui Decemviros ajunt intercalandi rationem invenisse, qui 304. anno ab U.C. (ut in catalogo consulum invenitur) magistratum inierunt: & cum, teste Varrone, mentio intercalandi sit habita in lege antiquissima in columna ærea incisa, L. Pinario Rufo, & P. Furio Medullino Conss. anno 292. ab U.C. Sed fuit aliquando intercalationis usus intermissus, aut superstitione sacerdotum, aut gratia, qui publicanis modo proferri, modo retrahi dies anni volebant. Et hinc nunc auctio, nunc imminutio numeri dierum, quod ex Macrobio Solinoque cognoscitur, & Cœlii epistola ad Cic. comprobatur. ait enim: *Levissime Curio, quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad Cæsarem, & pro Cæsare loqui cœpit.* Cic. quoque Atticum rogat, ne sibi intercaletur, id est, ne imperium provinciæ sibi prorogetur. Quodcirca sub observationis specie major confusio oriebatur. De ea tamen temporis constitutione omnia veterum scripta ante Cæsarianam rationem sunt intelligenda. At cum Cæsar Pont. M. jam rerum potitus suo tertio, & M. Æmilii Lepidi consulatu adnitente ei M. Flavio scriba hanc temporis confusionem animadverteret, omnem hanc temporum inconstantiam vagam & incertam, utpote qua, neque messium feriæ (ut Tranquillus ait) æstati, neque vindemiarum autumno competerent, in statutum certumque ordinem auxilio Sosigenis Mathematici quarto redigit. Nam (ut Plin. ait) *tres antea fuerant sectæ, Chaldæa, Ægyptia, & Græca. bis addidit apud nos quartam Cæsar dictator, anno ad Solis cursum redigens singulos.* Annum autem illum, quo futuros emendavit, ob superioris temporis errorum in CCCCXLIII. dies, in quindecim menses cum intercalario, qui ex consuetudine in eum annum inciderat, distributos protendit, Ægyptiosque secutus annum civilem, qui Julianus est appellatus, ad Solis cursum, id est, ad dies CCCLXV. & sex horas constituit, quo temporis intervallo Sol universum Zodiaci ambitum peragere existimatur. De qua ratione Ovid. in III. *Fastor.*

*Is decies senos tercentum & quinque diebus.*
*Junxit, & e pleno tempora quarta die.*

Aliter tamen sese res habet, & jam tum Sosigenes ipse tribus commentationibus semet correxit, ut qui hanc intercalandi quadrantis rationem non plane exactam ad rectam Solis observationem deprehenderit. Quare nil mirum, si plures alii, & ii quidem non obscuro nomine, varias protulere sententias. Ordine autem priore mensium, & nomine servato Cæsar statuit, ut Januarius, Martius, Majus, Quintilis, Sextilis, October, & December, tricenis singulis diebus censerentur. Aprilis vero, & Junius, Septemberque, & November tricenos haberent. Februarius autem, ne religio immutaretur eosdem, quos antea, duodetriginta dies retineret. Et ne quadrans deesset, quinto quoque anno incipiente unum diem, e quatuor quadrantibus confectum, intercalandum statuit, idque sacerdotibus servandum mandavit, qui illũ diem post XXIII.

Februarii, quo loco antea mensis intercalaris (ut dixi) inserebatur, servato intercalandi more intercalarent, & utrumque diem bissextum Kal. appellarent. Quo ordine annum civilem ad Solis dimensionem constitutum, edicto palam posito, servandum publicavit. *Bissextum* autem ideo dicebant, quia (ut Jurisconsultus ait) *biduum illud*, id est, VI. Kal. Mart. & dies intercalaris, *pro uno die haberent:* posterior vero dies, non *prior intercalabatur.* quem Valentinianus Imperator ita observavit, ut eo die in publicum prodire', quo infaustum illum & ominosum diem evitaret, aliquando noluerit. *Quare qui natus est eo anno* VI. *Kal. quo non intercalatum est, cum bissextus dicitur, priorem diem, non posteriorem natalem habet.* At si quis priore, posterioreve die natus est, cum bissextus dicitur, deinceps VI. Kalend Martii ejus natalis dies est. Sed non diu hac anni constitutione mortales fortunæ invidia uti potuerunt, quoniam, cum Cæsar tribus & viginti vulneribus confossus interiisset, sacerdotum incuria, qui quarto quoque anno peracto diem ex quatuor quadrantibus debebant intercalare, & eum incipiente quarto intercalabant, magnam peperit temporis confusionem. Tamen eam, cum jam sex & triginta annis duravisset, solerti cura deprehensam Augustus discussit & explicavit, constituitque, ut juxta Cæsaris distinctionem, quinto quoque anno incipiente, dies ille intercalaretur. Et ad æternam firmamque rei memoriam, omnem explicatæ descriptionis seriem in ærea tabella incidendam, publicandamque curavit. Ut ex ratione umbrarum in sciothere ratio dierum & horarum æquinoctialium Solis cursui responderet. qui annus, ab Augusto reformatus, *Augustanus* est nuncupatus. Verum hæc intercalatio non omnibus numeris absoluta deprehensa est. Namque Cæsar annum ad cursum Solis digessit quadragesimo quinto anno ante Christianam redemptionem, & statuit æquinoctium VIII. Kal. April. id est, die 25. Martii. Et nostra tempestate æquinoctium est circiter VI. Idus Mart. id est, decimo die Martii. Quare deprehenditur æquinoctium circiter quindecim dies hoc annorum spatio, temporum cardinibus retroagentibus, anticipare. Nec mirum, cum Sol non CCCLXV. diebus & quadrante cursum annuum perficiat, sed diebus CCCLXV. horis quinque, min. XLVI. secun. XXIV. juxta Albategni computationem, quæ quidem Solis cursui rationibus subductis maxime convenire reperitur. Quare nova anni constitutione hac nostra tempestate annus esset ad pristinum cursum revocandus, veteremque rationem digerendus. Sed de anno hactenus satis superque.

### *De Mense.*

Mensium ut annorum genera sunt duo: aut enim naturales, aut civiles intelliguntur. Naturales vocantur, qui aut solares, aut lunares. Solaris dicitur is, cujus spatio Sol unumquodque XII. Zodiaci signum transit. Lunaris vero id temporis, quo Luna eadem XII. signa percurrit. Civiles autem nullo certo numero continentur, sed unaquæque civitas eos suo arbitratu intra quendam numerum observandos constituit. Cæterum Romulus imperii Rom. conditor, initium cujusque mensis ex illo die sumebat, quo primum nova Luna sese mortalibus ostenderet, & hinc mensem a Lunæ motu, quæ μήνη Græce dicitur, dictum nonnulli existimarunt. At Cic. in II. de Nat. Deorum ait: *Partus maturescunt, aut septem nonnunquam, aut, ut plerumque, novem Lunæ cursibus, qui quia mensa spatia conficiunt, menses nominantur.* Et in de Universitate: *Mensis autem est, quando Luna lustrato suo cursu Solem consecuta est.* Hinc dies intermestris dicebatur, dies inter extremum prioris Lunæ senescentis, & novam Lunam interjectus. Sed licet mensis vario dierum numero confectus, tres tamen dies, servato ordine, apud Romanos præ cæteris celebres habebat, id est, Kalendas, Nonas, & Idus. de quibus paulo post dicemus. Singulis vero mensibus sua numina vetustas tribuit. Junonem enim Januarii, Neptunum Februarii, Minervam Martii, Venerem Aprilis, Apollinem Maii, Mercurium Junii, Jovem Julii, Cererem Augusti, Vulcanum Septembris, Martem Octobris, Dianam Novembris, Vestam Decembris tutelam habere existimabat, quia hos XII. deos penates, & patrios habebat, quos Ennius hoc disticho clausit:

*Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,*
*Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.*

Ubi notatur *Jovis* in casu recto, & *s* in scansione (ut Cic. in Oratore admonet) eliditur.

### *De Die.*

Dies, qui (ut Varro ait) a *Dio*, id est, *Jove* dicitur, etsi ibi corrupte *Deo* pro *Dio* legitur, est aut naturalis, aut civilis. Dies civilis & artificialis, est temporis intervallum XXIV. horis æqualibus distinctum, quo primi mobilis semel revolutio fit. Hunc (ut Plinius Gelliusque, & alii dicunt) varie veteres observarunt. Siquidem Ægyptii, Hipparchus, & Romani a media nocte ad mediam proximam, diem usurparunt, quod nunc quoque plerisque in locis Galli Germanique usurpant. Babylonii ab exorto Sole, ad exortum ejusdem. Umbri & Astrologi, quoniam certiorem notitiam de motu Solis ob rectitudinem circuli meridiani, quam ex orizonte, aut orientali, aut occidentali percipiunt, a meridie ad insequentem meridiem. Athenienses autem, & Hebræi, post legem a Mose datam, ab occasu Solis ad insequentem occasum, juxta illud Levit. cap. 23. *Nono die mensis, a vespere usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.* Et itidem apud eos noctes præcedunt dies. Qui mos nunc apud Italos in usu est. Sed cum Romani diem a media nocte auspicarentur, eum in plures partes divisere. Namque prima diei pars mediæ noctis inclinatio dicebatur, altera gallicinium, tertia conticinium, quarta diluculum, quinta mane, sexta meridies, septima tempus occiduum, octava suprema tempestas, nona vespera, decima prima fax, undecima nox concubia, duodecima nox intempesta. Verum licet aliter Varro tradat, nos tamen prolixiorem orationem fugientes lectorem ad ejus lectionem rejicere decrevimus. Dies naturalis est ab ortu Solis ad occasum, quod spatium in duodecim horas dividebatur, quæ cum ipsa luce modo augebantur, modo minuebantur. Quod eodem modo in nocte observabatur, siquidem & ipsa in duodecim horas divisa erat. Quod autem Grammatici annixe contendunt diem fœm. gen. tantum tempus interminatum significare, ab usu auctorum longe aberrant, quoniam tam pro ipso die, quam pro tempore fœm. gener. veteres usurparunt. Virgil. in II. *Æneid.*

*Jamque dies infanda aderat: mihi sacra parari.*

Cic. ad Att. *lib.* XII. *Vel una dies mihi erit utilis.* Possem multis aliis locis hanc sententiam comprobare, sed legentibus hoc relinquere utilius esse censui. De diebus autem fastis, nefastis, intercisis, & reliquis hujuscemodi qui scire cupierit, Macrobium adeat. Verum de dierum appellatione

vide Dionem lib. xxxvii. & Pol. Miſcellan. cap. viii. ubi reperies hoc etiam eſſe inventum Ægypt. ipſisque auctoribus nomina iſta dierum prius de ſtellarum errantium vocabulis eſſe nuncupata, deinde diem Saturni in Sabbatum, & diem Solis in diem Dominicum auctore Conſtantino principe tranſiiſſe.

*De Horis.*

Horas Solis, qui ab Ægyptiis Horus appellatur, & Croni filias fuiſſe, & a patris nomine dictas, Theodontius Macrobiusque exiſtimarunt, easque eſſe cœli cuſtodes Homerus *in* v. *Iliad.* his verbis oſtendit;

*Αὐτόμαται πύλαι μύκον ὐρανῦ, ἃς ἔχον ὧραι.*

At Ovid. his Janum addit, apud quem i. *Faſt.* ita loquitur;

*Præſideo foribus cœli cum mitibus Horis,*
*Et redit officio Juppiter ipſe meo.*

Socrates autem in Cratylo non ab *Horo*, ſed *ἀπὸ τῦ ὁρίζειν* appellatas ait, quod tempus finiant & determinent. Itidem quatuor anni tempora, ver, æſtas, autumnus, & hyems horæ dicuntur. De quibus Virg. *in* i. *Georg.*

*Nec fruſtra ſignorum obitus ſpeculamur & ortus,*
*Temporibusque parem diverſis quattuor annum.*

Quæ quatuor tempora hominis ætatibus a Pythagora Samio comparantur, id eſt, ver puericiæ, æſtas juventuti, autumnus virili ætati, & hyems ſenectuti. Hinc Ovid. *in* xv. *Met.*

*Quid? non in ſpecies ſecedere quattuor annum*
*Aſpicis ætatis peragentem imitamina noſtræ?*
*Nam tener & lactens, puerique ſimillimus ævo*
*Vere novo eſt. tunc herba nitens, & roboris expers*, &c.

Hora quoque dicta eſt Herſilia apud Latinos, uxor Quirini. de qua Ennius:

*Teque, Quirine pater, veneror, Horamque Quirini.*

Et Ovid. xiv. *Met.*

*Hanc manibus notis Romanæ conditor urbis*
*Excipit, & priſcum pariter cum corpore nomen*
*Mutat, Horamque vocat, & nunc Dea juncta Quirino eſt.*

Sed horæ diei ſunt, aut naturales, aut civiles. Naturales, quæ æquinoctiales, & æquales dicuntur xxiv. æquis ſpatiis diem conficiunt. Civiles, quæ artificiales, & inæquales ſunt, quia cum ipſo die, nocteque & augentur & minuuntur, xii. tamen æquis ſpatiis ſingulum diem metiuntur. At ideo ſunt inæquales, quia neque prioris horæ cum poſterioris diei horis congruunt, neque diurnæ nocturnis ſunt pares. Si nocturnæ enim ſunt longæ, diurnæ ſunt breves, vel contra. neque unquam ſunt pares, niſi aut æquinoctio verno, cum Sol eſt in viii. gradu Arietis, aut autumnali, cum Sol eſt in viii. gradu Libræ. De qua re Virgil *lib.* i. *Geor.*

*Libra die ſomnique pares ubi fecerit horas.*

Quoniam cum cardines temporum quadripartita anni diſtinctione conſtant, omnes hæ differentiæ in octavis ſignorum partibus fiunt. Bruma octava Capricorni, Æquinoctium vernum Arietis, Solſtitium Cancri, Æquinoctium autumnale Libræ. A Bruma dies longiores fiunt. Æquinoctio verno

A ſunt pares noctibus, & uſque ad Solſtitium creſcunt. Deinde decreſcunt dies, & Æquinoctio autumnali rurſus fiunt pares noctibus. Inde uſque ad Brumam imminuuntur. Sed omni anni tempore dies duodecim horas, & itidem nox pari numero duodecim habebat, quæ ob temporis quantitatis inæqualitatem inæquales nuncupantur. Has Hermes Triſmegiſtus invenit. Namque cum (ut Victorinus ait) quoddam animal Serapidi ſacrum, quem Cynocephalum Horus appellat, duodecies in tota die pari ſemper temporis intervallo urinam facere ſolitum animadvertiſſet, diem naturalem in duodecim horas, & noctem itidem in alias
B duodecim e Serapidis juſſu dividundam exiſtimavit. Atque hinc Cynocephalum in hydrologiis ſedentem effingere ſolebant Ægyptii, qui mingens ſingulas horas declararet. Sunt tamen qui non urina, ſed latratibus illum horas deſignaſſe dicant. Ille autem horarum numerus diu apud omnes fere nationes in uſu fuit. Has horas in ſuis menſibus de umbrarum menſuris Palladius intellexit. De his Virg. *in Buc.*

*An ne novum tardis ſydus te menſibus addas.*

Ubi *tardis menſibus* dicit, quia Junio & Julio horæ diurnæ ſunt longiſſimæ, & iccirco tardæ. Idem
C in *Bucol.*

*—— Sæpe ego longos*
*Cantando puerum memini me condere Soles.*

Idem i. *Georg.*
*Inde ubi prima ſitim cœli collegerit hora.*

id eſt, prima hora diei. Hor. Ep. ii. *ad Mec.*

*Strenuus, & fortis, cauſiſque Philippus agendis*
*Clarus, ab officiis octavam circiter horam*
*Dum redit.*

D Id eſt, octavam circiter diei horam. Idem Horat. *ad Scævam.*

*Si te grata quies, & primam ſomnus in horam*
*Delectat.*

Id eſt, dormire uſque ad primam horam diei. Catullus in Gellium;

*—— Et cum te octava quiete*
*E molli longa ſuſcitat hora die.*

Id eſt, octava hora dierum æſtivorum. Juvenalis
E *Sat.* i.
*Exul ab octava Marius bibit.*

Id eſt, poſt horam octavam diei bibit. Perſius Sat. iii.

*Nempe hoc aſſidue? Jam clarum mane feneſtras*
*Intrat, & anguſtas extendit lumine rimas.*
*Stertimus, indomitum quod deſpumare Falernum*
*Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.*

Id eſt, uſque ad quintam horam diei. Namque
F veteres horologio ſolario utebantur, quam rationem Anaximenes Mileſius, Anaximandri Thaletiſque diſcipulus invenit, primusque horologium umbrarum, quod *ſciotbericon* appellarunt, Lacedæmone oſtendit. Romæ autem id longe ſerius contigit, quod tamen paulo ante publice datum feſtive lepideque Paraſitus ille Plautinus apud Gellium deteſtatur his verbis;

*Ut illum dii perdant, primus qui horas repperit,*
*Quique adeo primus ſtatuit hic ſolarium,*
*Qui mihi comminuit miſero articulatim diem.*
*Nam me puero uterus erat ſolarium,*

*Multo omnium istorum optimum & verissimum,*
*Ubi iste nolebat esse, nisi cum nil erat.*
*Nunc etiam quod est, non est, nisi cum Soli lubet.*
*Itaque adeo jam oppletur oppidum solariis,*
*Major pars populi aridi reptant fame.*

In quibus versibus, cum mendose prius *vetus erat solarium*, & *ubi iste monebat esse*, legeretur, nos docti viri lectione in priore loco *uterus*, & in altero *nolebat*, emendandum censuimus. Quæ lectio quanto magis voraci illi edacitati Parasiti convenit, eo magis (ut puto) purgatis auribus arridebit. Sed ad horologium, quod (ut dixi) ideo longe serius Romæ contigisse probatur, quia in duodecim tabulis ortus tantum & occasus nominabatur. Post aliquot vero annos, meridies quoque adjectus est, accenso Consulum id pronunciante, cum Curio inter Rostra & Græcostasin talem Solem prospexisset, quod tamen serenis tantum diebus, & id usque ad primum Punicum bellum servatum est. Princeps enim Romanis solarium horologium statuisse ante duodecim annos, quam cum Pyrrho bellatum est, ad ædem Quirini L. Papyrius Cursor, cum eandem a patre suo votam dedicasset, a Fabio Vestali proditur. Sed neque facti horologii rationem, neque artificem, neque unde translatum, aut apud quem scriptum adinvenerit, commemorat. Marcus autem Varro primum statutum in publico secundum Rostra in columna tradit bello Punico primo a Valerio Messala Cons. capta Catina in Sicilia, deportatum inde post XXX. annos, quam de Papyriano horologio traditur, anno Urbis CCCCLXXVII. Nec congruebant ad horas ejus lineæ. Paruerunt ei tamen annis inde centum, donec Q. Martius Philippus, qui cum L. Paulo fuit censor, diligentius ordinatum juxta posuit. quod munus inter censoria opera gratissime est acceptum. Etiam tum tamen nubilo (nisi lupino horas etiam nubilo agricolis, qui cum Sole quotidie circumagitur, naturæ beneficio demonstrante) incertæ fuere horæ usque ad proximum lustrum. Tunc enim Scip. Nasica collega Lanati primus aquæ horologio, quam *clepsydram* vocarunt, horas æque noctium ac dierum certa ratione divisit. Idque horologium sub tecto dicavit anno Urbis DXCV. Tam diu P. R. indiscreta lux fuit. Cassiodorus autem, cum de Mausoleo Augusti loqueretur, ita scriptum reliquit: *Sed mundi Dominus ad potentiam suam opus extollens, mirandam Romanis etiam erigens fabricam in vallem Martiam tetendit Augustus. immensa moles firmiter præcincta montibus, continetur, ubi magnarum rerum indicia clauderentur. Bissena quippe hostia ad XII. signa posuerunt.* Et paulo post, fuisse duos obeliscos, quorum minor & loco altior, qui Pinciano nunc in colle prostratus cernitur, Lunæ, alter Soli dicatus fuit. quem hac de causa Soli dicatum arbitror, quia horarum rationem Solis radiis demonstrabat. Quod Plin. testatur inquiens: *Ei obelisco, qui est in campo, Divus Augustus addidit mirabilem usum ad deprehendendas Solis umbras, dierumque ac noctium magnitudines, strato lapide ad obelisci magnitudinem, cui par fieret umbra Romæ, confecto die, sexta hora, paulatimque per regulas (quæ sunt ex ære inclusæ) singulis diebus decresceret, ac rursus augesceret, digna cognitures, & ingenio fœcundo. Cui Manilius Mathematicus apici auratam pilam addidit, cujus vertice umbra colligeretur in semetipsam, alia atque alia incrementa jaculantem apice, ratio (ut ferunt) a capite hominis intellecta.* Quæ tamen dierum observatio triginta fere annos, antequam Plin. hæc scriberet, Solis cursui congruere desierat, sive Solis ipsius dissono cursu, & aliqua ratione cœli mutato, sive universa tellure aliquid a centro suo dimota, ut deprehendi & in aliis locis cognoscitur, sive urbis tremoribus, ibi tantum gnomone intorto, sive inundationibus Tiberis sedimento molis facto, quanquam ad altitudinem impositæ rei in terram quoque dicantur jacta fundamenta. Annis autem superioribus in campo Martio, ubi est epitaphium Capellanorum (ut vocant) effossum fuit horologium septem gradibus fultum, & lineis metallo inaurato distinctis exornatum, cujus solum quadrato lapide stratum, iisdemque lineis distinctum quatuor ventorum regimine, qui in angulis ex opere musico effecti erant, horas demonstrabat, ubi hæc erat inscriptio: UT BOREAS SPIRAT. Sed de horologiorum hujuscemodi ratione, inventioneque plura lege apud Vitruvium, lib. IX. cap. IX. Cujus verbis, & aliorum etiam auctorum præconio, si tot laudibus illi veteres alicujus rei inventores celebrantur, qui quidem merito celebrantur, quibus laudibus illi digni sunt existimandi, qui miro rotarum ordine, atque ponderis proportione non modo horas diviserunt, aut indice, aut tintinabulo declararunt, sed eodem etiam artificio Planetarum omnium signorumque cursus ita clare probeque repræsentant, ut cœlum ipsum prope vertere videantur? Quibus, qui sphæras illas ligneas tam recte distinxere, ut perpetui motus imitatione omnem pæne cœlestium orbium rationem patefaciant? Quibus Valerius ille Bellus? Quibus Georgius Capitalbus, duo non obscura Veicetinæ Civitatis ornamenta? Quorum alter (reliquis ejus fœcundi ingenii operibus omissis) mira inventione in parvula aurei annuli tabella tam apte, tam probe horologium collocavit, & naviculam rotulis sese impellentem, & imaguncuIas sese moventes commode ferentem ex argento fabricatus est, ut nostra ætas neque Iliadem illam in nuce inclusam, neque Callicratis formicas, & cætera animalia, quorum partes ob exilitatem nequirent a cæteris conspici, aut Myrmecidis quadrigam, quam musca alis integeret, aut navem, quam apicula pinnis absconderet, seu quadrigulam illam Theodori, quam cum auriga ex ære simul facta musca alis cooperiret (tantæ illa opera erant parvitatis) vetustati invidere debeat: alter tam docte novo, eoque longe faciliori modo crystallum, aliasque gemmas scalpit, ut frustra Pyrgoteles ab Alexandro peculiare illud effingendi Alexandri munus esset consecutus, cum bello, & artis peritia, & inventionis acumine, primas sibi jure vendicante, longe inferior esse procul dubio judicaretur. Quibus (ut ad majora transeam) Leonardus ille Portius Veicetinæ (ut Egnatii verbis utar) nobilitatis præcipuum decus, qui primus priscorum nummorum rationem, qua nihil implicatius olim erat etiam doctissimis hominibus, aureo libello de hac re edito ita explicuit, ut felicissime illustraverit? Quibus Joannes Georgius ille Trissinus fulgentissimum Veicetiæ lumen, qui ea Græci, Latini, Italicique sermonis peritia quotidie magis magisque claret, ut unum hunc Græcæ, Latinæ, Hetruscæque Camænæ ex omnibus delegisse videantur, quem suis ædibus custodem præficerent, ut quem singulari quodam omnium bonarum artium ornamento auctum & honestatum esse voluerunt? Is enim rythmis solutis dulcia Hetruscæ Musæ auxit modulamina, & præ cæteris sua illa Sophonisba Bellisarioque, quo non tam librorum numero, quam varia suavique dicendi facilitate, Homericæ Iliados majestatem adæquat, facile ejus generis carminis dulcedinem splendoremque demonstrat. Is Italicæ linguæ eas literas divinitus, ab seipso excogitans adjecit, quas licet hac tempestate multi non ratione, sed aut difficultate rei deterriti, aut

veteribus, ut aſſueti, ita & contenti (non enim puto invidia) rejiciant, tamen rei neceſſitate coactus velit nolit doctorum cœtus, ſi recte vernaculæ Muſæ commercio uti cupiat, ita accipiat & amplexetur, ut non minus tanti viri ingenium exoſculetur, quam extollat. Sed ne noſtræ civitatis cauſa hæc auſpicati videamur, ad horas redeamus. Cic. ad Q. F. *Cum hora ſexta vix Pompejus peroraſſet uſque ad horam octavam*. Et paulo poſt: *Hora fere nona, quaſi ſigno dato Clodiani noſtros conſputare cœperunt*. Et ad Curium de conſulatu Caninii: *Conſulem hora ſeptima renunciavit, qui uſque ad kal. Jan. eſſet, quæ erant futuræ mane poſtridie*. in quem mox jocatur, quod toto ſuo conſulatu ſomnum non viderit. de qua re Macrob. lib. 2. cap. 3. & Plut. in vita Cæſaris. Item pro Milone: *Fit obviam ei Clodius hora fere undecima, aut non multo ſecus*. & in Piſonem: *Cum ad te quinta fere hora veniſſem*. Sed ut ſacras literas etiam attingamus, Matthæi cap. XX. *Pater familias conduxit operas in vineam mane, hora prima, tertia, ſexta, nona, & undecima*. & cap. XXVII. *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper omnem terram uſque ad horam nonam*. Joannes cap. XI. *Nonne duodecim ſunt horæ diei?* Sane Martialis lib. IV. ad Euphemum quid in quaque gereretur, hoc lepido Epigr. demonſtrat:

*Prima ſalutantes atque altera continet hora:*
*Exercet raucos tertia cauſidicos.*
*In quintam varios extendit Roma labores,*
*Sexta quies feſſis, ſeptima finis erit.*
*Sufficit in nonam nitidis octava palæſtris*
*Imperat extructos frangere nona toros.*
*Hora libellorum decima eſt, Euphime, meorum,*
*Temperat ambroſias cum tua cura dapes:*
*Et bonus æthereo laxatur nectare Cæſar,*
*Ingentique tenet pocula parva manu.*
*Tunc admitte jocos: greſſu timet ire licenti*
*Ad matutinum noſtra Thalia Jovem.*

Scribit & lib. VII. in Cœcilianum de hac eadem re, quod brevitatis cauſa omitto. Sed obiter lector eſt admonendus in hoc loco a Domitio corrupte lectum *greſſu metire licenti*, quia Martialis ſibi non conſtaret, ſi diceret: *hora meorum libellorum eſt decima diei. tunc admitti jocos*. poſteaque ſubjungeret, *o noſtra Thalia metire greſſu licenti ad matutinum Jovem*. id eſt, adi Cæſarem matutino tempore: cum ſit legendum, *greſſu timet ire licenti*. &c. id eſt, hora decima admitte meos jocos, cum Cæſar cibo ſumpto eſt exhilaratus. Namque (ut Martialis ait) hora nona cœnabant, & qui ante cœnaverant, diem, ut optime Tryphon ille Gabriellus ſentit, fregiſſe dicebantur. Unde Horat. *nec partem ſolido demere de die*, id eſt, cœnare ante horam nonam. Et alibi: *Cum quo morantem ſæpe diem mero fregi*, id eſt, cœnavi ante horam nonam. Quare hora decima, id eſt, poſt cœnam (ait Martialis) admitte meos jocos, quia (ut Auſonius ait) poſt pocula ſiquis legerit, hic ſapiet. Et iccirco noſtra Thalia timet ire licenti greſſu ad Jovem matutinum, ut in codicibus ex officina Aldi profectis recte legitur. Admonent nos hæc duo Martialis Ep. matutina tempora rebus agendis & apta eſſe & aſſignata; quod factum eſt, quia eo tempore longe vegetiores, promptioreſque ad res agendas, quam promeridiano tempore exiſtamus. Hinc Jureconſultus: *Cujuſque diei major pars horarum eſt ſeptem primarum diei, non poſtremarum*. Hinc Heſiodus ad Fratrem:

Τημῆτος σπεύδειν, καὶ οἴκαδε καρπὸν ἀγείρειν,
Ὄρθρυ ἀνιςάμενος, ἵνα τοι βίος ἄρκιος εἴη.
Ἠὼς γάρ τ' ἔργοιο τρίτην ἀπομείρεται αἶσαν.
Ἠώς τοι προφέρει μὲν ὁδῦ, προφέρει δὲ καὶ ἔργυ.

Extat quoque apud Græcos elegans illum Ep.

Ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται, αἱ δὲ μετ' αὐτὰς
Γράμμασι δεικνύμεναι, ζῆθι, λέγυσι βροτοῖς.

Quod Volateranus his verbis donavit:

*Sex horæ tantum rebus tribuuntur agendis:*
*Viveque poſt illas, litera zetha monet.*

Namque cum ſeptima hora (ut Max. Planudes ait) per ζ, octava per η, nona per θ, decima per ι ſignificetur, atque his literis hæc dictio ζῆθι conficiatur, quæ *vive* ſignificat, illas horas genio dandas admonemur. In hanc quoque ſententiam Turnus ille Virg. ait:

*Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei eſt,*
*Quod ſupereſt, læti bene geſtis corpora rebus*
*Procurate, viri, & pugnam ſperate parati.*

Hinc emendanda dictio apud Ovid. in VII. Met. in fabula Cephali, ibi legitur:

*—— Lucis pars optima menſæ*
*Eſt data.*

Cum procul dubio ſit legendum:

*—— Lucis pars ultima menſæ*
*Eſt data.*

Optima enim diei pars, eſt matutina, non veſpertina: & ultima, id eſt, hora nona, cœnæ dabatur, ut ſupra oſtenſum eſt. Hucuſque, cum de horis diurnis loqueremur, vagati ſumus; at de nocturnis unus tantum Sulpitius ſatis nobis cumulatiſſime faciet, qui his verbis Cic. de morte Marcelli admonet: *Ad X. Kalen. Junii, cum ab Epidauro Pyræeum navi advectus eſſem, ubi Marcellum collegam noſtrum conveni, eumque diem ibi conſumpſi, ut cum eo eſſem. Poſtero die cum ab eo digreſſus eſſem eo conſilio, ut ab Athenis in Bœotiam irem, reliquamque juriſdictionem abſolverem, ille (ut ajebat) ſupremo Majo Italiam verſus navigaturus erat. Poſtridie ejus diei, cum ab Athenis proficiſci in animo haberem, circiter horam fere decimam noctis Poſthumus familiaris ejus ad me venit, & mihi renunciavit M. Marcellum collegam noſtrum poſt cœnæ tempus a P. Magio Chilone familiari ejus pugione percuſſum*, &c. Quo anni tempore, cum vix octo horas æqualium nox habeat, qua ratione dixit *circiter decimam noctis*, niſi nox itidem, ut dies in XII. horas inæqualium protenſa fuiſſet? Sed cum jam nos Kalendæ vocent, hæc omittamus. Qui autem plura cupit, legat Dionyſium Areopagitam ad Apolliphanem, Oroſium, Macrobium, Lucidum, aliοſque hujuſce rei auctores.

*De Kalendis.*

Tres dies præ cæteris (ut antea diximus) veteres ſingulis menſibus obſervare, id eſt, Kalendas, Nonas, & Idus. Kalendæ a καλῶ, id eſt, *voco* (ut Macrobius ait) dictæ fuerunt. Quoniam poſt novam lunam oportebat Nonarum die populares, qui in agris morabantur, in urbem ſeſe conferre, & cauſas feriarum a Rege ſacrorum audire, ut ſcirent, quid eo menſe faciundum foret. Priſcis enim temporibus, antequam Cn. Flavius ſcriba (etſi corrupte in I. de Oratore in quibuſdam codicibus,

& in textu, & apud interpretem *a Cn. Fabio*, pro *a Cn. Flavio* legatur) invitis patribus fastos publicaret, Pontifici minori novæ lunæ observandæ provincia, hac de causa data erat, ut eam visam, Regi sacrificulo nuntiaret. Mox ambo sacrificium peragebant & Pontifex *calata*, id est, *vocata* in Capitolium plebe juxta curiam Calabram, quæ casæ Romuli proxima erat. Sed mendum obiter tollendum est e Macrobiano codice, ubi *causæ Romuli*, pro *casæ* corrupte legitur. Calabra autem curia dicebatur, quoniam populus in eam vocaretur, ubi Pontifex quot dies a Kalendis ad Nonas superessent, plebi pronuntiabat. Et quintanas quinquies dicto verbo καλῶ, septimanas autem septies repetito prædicabat. Quare hunc diem, qui ex his, qui calarentur primus esset, Kalendas appellaverunt, & Junoni sacrum statuerunt. Hinc Ovid. I. Fast.

*Vendicat Ausonias Junonis cura Kalendas,*
*Idibus alba Jovi grandior agna cadit.*

Plutarchus vero in problematis ait: *Cur tria mensis principia, & dies quasi quosdam legibus præstitutos habent, qui dierum idem intervallum in medio capiunt? An illud verum est, quod Juba in Historia scribit, Magistratus Kalendis populum vocare, & quartum diem nonas indicere solitos esse? Idus enim diem religiosum putabant. An illud magis, quod Lunæ varietatibus tempora describentes, tres omnino singulis mensibus Lunæ mutationes fieri animadvertebant? Primam, quum Soli congressa penitus occultatur. Deinde, quum Solis radios ac lumen elapsa, ab occasu incipit apparere. Postremo, quum solaribus radiis collustrata plenilunium efficit. Nominant autem Lunæ occultationem, quum non apparet, Kalendas. Quicquid enim occulte fit, clam fieri, & celari Latine dicitur. Primam vero Nonas appellant, justissimo quidem nomine novum vocant. Idus autem, aut propter speciem, & undique collucentis Lunæ pulchritudinem, aut cognomen illud Jovi attribuentes.*

*De Nonis.*

Nonæ autem dictæ sunt, quasi *novæ*, a Luna nova, ut Plut. ait, vel quod eo die novæ observationes initium facerent, vel quod *novem* dies a Nonis ad Idus in singulis mensibus more Thusco numerarentur, quoniam hunc numerum Thusci observabant, & plures Nonas habebant. Nono enim quoque die Regem suum salutabant, & de propriis negotiis consulebant. Romani autem hunc diem celebrabant, etsi (ut Ovid. I. Fast. ait) *Nonarum tutela deo caret*, quoniam natalem Servii Tullii eo die venerabantur. Licet enim incertum esset, quo mense ille natus esset, Nonis tamen esse constabat. Et idcirco omnes Nonas celebri lætitia frequentabant.

*De Idibus.*

Idus quoque a Thuscis sumptæ sunt, apud quos is dies *Idis* vocabatur. id enim nomen Jovis fiduciam interpretabantur. Nam cum Juppiter sit lucis auctor, & Lucetium Salii in suis carminibus cecinerint, & Cretenses Δία τὴν ἡμέραν vocarint, ipsi quoque Romani *Diespitrem*, id est *diei patrem* appellarunt. Et *Iduum diem*, cujus lux cum Solis occasu non finiebatur, sed splendorem diei noctisque illustrante Luna continuabat, quia medio mense plenilunium erat, & ille dies careret etiam tenebris nocturnis, Thuscos secuti Jovis fiduciam appellabant. Et hac de causa Idus Jovis ferias esse

A voluerunt. Alii *Idus* quasi *Vidus*, a *videndo*, quod eo die (ut dixi) plena Luna videretur, dictas, alii aliunde contenderunt. Macrobius vero hanc sententiam secutus, qui ut etiam Hor. in XI. Od. IV. libri ad Phyllidem loquens ait:

*Ut tamen noris quibus advoceris*
*Gaudiis, idus tibi sunt agendæ:*
*Qui dies monsem Veneris marinæ*
*Findit Aprilem.*

Idus dictas existimat, quod is dies mensem *iduare* id est, *dividere* videatur. *Iduare* enim apud Thuscos *dividere* significabat. Unde *vidua* mulier, quasi *veidua*, quod valde a viro sit divisa. B Hæc pauca de multis e sacris veterum auctorum penetralibus, suis pæne ipsorum verbis notata exprompsimus, quo facilius fideliusque & veterum & nostrorum temporum ratio deprehenderetur. Sed cum non idem sit singulorum mensium ordo & idem dierum numerus, promulgatis versiculis, quo tenacius memoriæ hæreat, ut res sese habeat, patefacere, deinde singulos menses suis diebus distinctos in parva tabella describere statuimus, & ita describere, ut duplici dierum serie & veteris & Cæsarianæ rationis constitutio facile dignoscatur. interior enim Numæ, altera autem Cæsaris distributionem C patefaciet.

*De Nonis & Idibus.*

*Sex Nonas Majus, October, Julius, & Mars:*
*Quatuor at reliqui, tenet Idus quilibet octo.*

*De diebus mensium antiquorum.*

*Et Marti, & Majo, ac Quintili prisca vetustas,*
*Nec non Octobri singlos statuere tricenos.*
*Viginti atque novem reliquorum cuilibet, uno*
*Excepto, qui octo & viginti Februus esset.*

*De diebus mensium Cæsarianorum.*

*Junius, Aprilis, Septemque, Novemque tricenos:*
*Uno plus reliqui: viginti Februus octo,*
*At cum bissextus fuerit, super additur unus,*
D *Et tunc bissexto Marti conscribe Kalendas.*

Menses, qui Cæsariana constitutione aucti fuerunt, duplici dierum Romanorum serie descripsimus, ut tempora ante Cæsarianam constitutionem, juxta Numæ ordinationem intelligantur; post autem, juxta ipsius Cæsaris rationem computentur. Cum autem congruunt, unam tantum descripsimus.

Januarius a *Jano* dictus, & primus anni mensis in honorem ipsius Jani a Numa (ut dixi) constitutus, ante XXVIII. dies habuit. mox ab eodem Numa in honorem imparis numeri uno die auctus, deinde e Cæsaris constitutione duobus additis XXXI. tenet, & V. mensis die Nonas, XIII. Idus E habet. Cujus Kal. lætis precationibus invicem annum faustum ominari soliti erant, ut videre est apud Ovid. I. Fast.

Numæ constitutio. Cæsaris constitutio.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| *Nundinarum* | *a* | 1 | *a* | *Kalen.* | *Jano, & Junoni.* |
| *gratia, quæ* | | | | | *Templa Jovi &* |
| *nono quoque* | | | | | *Æsculapio in in-* |
| *die agebantur* | | | | | *sula Tyberina.* |
| *hæ literæ ad-* | *b* | 2 | *b* | *iiij Non. Ja.* | *Dies ater.* |
| *scriptæ sunt* | *c* | 3 | *c* | *iij* | |
| F *usque ad H.* | *d* | 4 | *d* | *Pr. Non.* | *Votum pro salute* |
| *ut more Chri-* | | | | | *Principis.* |
| *stiano usque* | *e* | 5 | *e* | *Non. Jan.* | |
| *ad G. quia* | *f* | 6 | *f* | *viij Id. Jan.* | |
| *octavo quoque* | *g* | 7 | *g* | *vij* | |
| *die dies Do-* | *h* | 8 | *a* | *vi* | *Sacrificium Jani.* |
| *minicus cele-* | *a* | 9 | *b* | *v* | *Agonalia.* |
| *bratur.* | *b* | 10 | *c* | *iiij* | *Media hyems eo* |
| | | | | | *tempore.* |
| | *c* | 11 | *d* | *iij* | *Carmentalia. Ju-* |
| | | | | | *tur. Ædes dicat.* |

| | | | |
|---|---|---|---|
| | *d 12* | *e Pr. Id.* | *Compitalia.* |
| *Ibid.* | *e 13* | *f Idib. Jan.* | *Jovi. Octavius Augustus dictus.* |
| *xvii. c.* | *f 14* | *g xix. Kal. Febr.* | |
| *xvi* | *g 15* | *a xviij* | *Carmentalia relata, & Porrimæ & Postvertæ.* |
| *xv* | *b 16* | *b xvii* | *Concordiæ Templum a F. Camillo ex voto positum.* |
| *xiv* | *a 17* | *c xvi* | |
| *xiij* | *b 18* | *d xv* | |
| *xij* | *c 19* | *e xiiij* | |
| *xi* | *d 20* | *f xiij* | |
| *x* | *e 21* | *g xij* | |
| *viiij* | *f 22* | *a xi* | |
| *viij* | *g 23* | *b x* | |
| *vij* | *b 24* | *c viiij* | *Sementinæ feriæ non statæ, sed indictæ.* |
| *vi* | *a 25* | *d viij* | |
| *v* | *b 26* | *e vij* | |
| *iiij* | *c 27* | *f vi* | *Castori & Polluci temp. ad Juturnæ stagnum.* |
| *iij* | *d 28* | *g v* | |
| *Prid. Kal.* | *e 29* | *a iiij* | *Equiria in campo Martio.* |
| *Dies a Cæs.* | *f 30* | *b iij* | *Paci.* |
| *additi.* | *g 31* | *c Pr. Kal. Febr.* | *Sacr. Dies penatibus, qui Patrii & Urbani dicuntur.* |

Februarius, qui olim ultimus erat, mox secundum locum obtinuit, dictus a *Februo* Deo, id est, Dite patre, lustrationum potente, creditur, quia lustrare eo mense civitatem solebant. De qua re Ovid. II. Fast.

*Februa Romani dixere piamina patres:*
*Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem.*
*Pontifices a rege petunt & Flamine lanas,*
*Queis veterum lingua Februa nomen erat.*
*Quæque capit lictor domibus purgamina certis*
*Torrida, cum mica, farra vocantur idem.*
*Nomen idem ramo, qui cæsus ab arbore pura,*
*Casta sacerdotum tempora fronde tegit.*
*Ipse ego Flaminicam poscentem Februa vidi,*
*Februa poscenti pinea virga data est.*
*Denique quodcunque est, quo corpora nostra piantur,*
*Hoc apud intonsos nomen habebat avos.*
*Mensis ab his dictus, secta quia pelle Luperci*
*Omne solum lustrant, idque piamen habent.*
*Aut quia placatis sunt tempora pura sepulchris,*
*Tunc cum ferales præteriere dies.*

Habuit semper, & nunc habet Februarius dies XXVIII. at quinto quoque anno incipiente, die ex quadrantibus addito undetriginta habet, & quinto die Nonas, & decimo tertio Idus.

Numæ constat. Cæsaris const.

| | | |
|---|---|---|
| *b 1* | *d Kalen. Febr.* | *Junoni Sospitæ templ. dic.* |
| *a 2* | *e iiij Non. Febr.* | |
| *b 3* | *f iij* | |
| *c 4* | *g Pr. Non.* | |
| *d 5* | *a Non. Febr.* | *Augustus pater Patriæ dictus.* |
| *e 6* | *b viij Id. Febr.* | |
| *f 7* | *c vij* | |
| *g 8* | *d vi* | |
| *b 9* | *c v* | |
| *a 10* | *f iiij* | |
| *b 11* | *g iij* | |
| *c 12* | *a Prid. Id.* | |
| *d 13* | *b Idib. Febr.* | *Jovi Fauno in Insula Tyb. Fabii cæsi ad Cremera.* |
| *e 14* | *c xvi Kal. Mart.* | |
| *f 15* | *d xv* | *Lupercalia.* |
| *g 16* | *e xiv* | |
| *b 17* | *f xiij* | |
| *a 18* | *g xij* | *Quirino templ. Stultorum feriæ.* |
| *b 19* | *a xi* | *Sacra Feralia Deæ Mutæ.* |
| *c 20* | *b x* | *Caristia.* |
| *d 21* | *c viiij* | *Terminalia.* |
| *e 22* | *d viii* | |
| *f 23* | *e vij* | *Regisfugium* |
| *g 24* | *f vi* | |
| *b 25* | *g v* | |
| *a 26* | *a iiij* | |
| *b 27* | *b iii* | *Equiria in cāpo Mart.* |
| *c 28* | *c Pr. Kal. Mar.* | *Tarquinii superati.* |

Martius a *Marte* dictus, olim annum inchoabat, ut Ovid. I. Fast.

*Martis erat primus mensis, Venerisque secundus:*
*Hæc generis princeps, ipsius ille pater.*

Seu quod gens Latina, a qua (ut Varro putat) Romani mensium nomina acceperunt, bellicosa erat. de qua re Ovid. III. Fast.

*Mars Latio venerandus erat, quia præsidet armis:*
*Arma feræ genti remque decusque dabant.*

Ubi & alias quoque civitates Latinas mensem hoc nomine habuisse pluribus verbis demonstrat. Hic semper habuit, & nunc habet apud Romanos unum & triginta dies, & septimo die Nonas, & decimo quinto Idus, quia quatuor menses singulis tricenis diebus a Numa constituti septimo mensis die Nonas, & decimo quinto Idus habebant, qui fuere Martius, Majus, Quintilis, & October, ut septemdecim dies, uti reliqui, ad insequentes Kal. haberent.

Numæ const. Cæsaris const.

| | | |
|---|---|---|
| *d 1* | *Kal. Mart.* | *Marti. Junoni Lucinæ ædes in Exquiliis.* |
| *e 2* | *e vi Non. Mart.* | |
| *f 3* | *f v* | |
| *g 4* | *g iiij* | |
| *b 5* | *a iij* | |
| *a 6* | *b Pr. Non.* | *Augustus Pont. Max. designatus. sacrum Vestæ.* |
| *b 7* | *c Non. Mart.* | *Vejovi templum ad Asylum.* |
| *c 8* | *d viij Id. Mart.* | |
| *d 9* | *e vij* | |
| *e 10* | *f vi* | |
| *f 11* | *g v* | |
| *g 12* | *a iv* | |
| *b 13* | *b iij* | |
| *a 14* | *c Pr. Id.* | *Equiria.* |
| *b 15* | *d Idib. Mart.* | *Jovi. Annæ Perennæ. Cæsar a conjuratis interfectus.* |
| *c 16* | *e xvij Kal. Apr.* | |
| *d 17* | *f xvi* | *Liberalia. quo die pueri ingenui virilem togam sumebant.* |
| *e 11* | *g xv* | |
| *f 19* | *a xiv* | *Quinquatria. Minervæ nata-* |

A

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| | | | | | *natalis, & Minerval magistris solvebant.* |
| | *g* | 20 | *b* | *xiii* | *Quinquatr.* |
| | *b* | 21 | *c* | *xii* | *Quinquatr.* |
| | *a* | 22 | *d* | *xi* | *Quinquatr.* |
| | *b* | 23 | *e* | *x* | *Quinquatr. Tubilustrium.* |
| | *c* | 24 | *f* | *viiii* | |
| | *d* | 25 | *g* | *viii* | *Hilaria. Matris Deum festa.* |
| | *e* | 26 | *a* | *vii* | |
| | *f* | 27 | *b* | *vi* | *Matris Deum.* |
| | *g* | 28 | *c* | *v* | *Jano: Concordiæ: Saluti: Paci.* |
| | *b* | 29 | *d* | *iiii* | |
| | *a* | 30 | *e* | *iii* | |
| | *b* | 31 | *f* | *Pr. Kal. Apr.* | *Lunæ, id est, Dianæ in Aventino.* |

B

Aprilis, quasi *Aphrilis* a spuma, quam Græci ἀφρὸν dicunt, quoniam cum Saturnus (ut ferunt) Cœlo patri pudenda abscidisset, eaque in mare projecisset, ex eorum spuma Venerem ortam tradunt. de qua re Ausonius:

*Orta mari, suscepta solo, patre edita Cœlo,*
*Æneadum genitrix hic habito alma Venus.*

C

Unde nomen huic mensi inditum, ut sicuti Martium primum anni mensem Marti stirpis Romanæ auctori, ita secundum Veneri Æneæ matri Romulus consecrarit. Unde Ovid. ut in Martio quoque diximus, *Martis erat primus mensis, Venerisque secundus*, & in IIII. Fast.

*Sed Veneris mensem Grajo sermone notatum*
*Auguror, a spumis est Dea dicta maris.*

D

Seu Aprilis dictus, quasi *Aperilis*, quod hoc mense terra aperiatur & germinet. Habuit hic mensis primum e constitutione Romuli XXX. dies, mox Numa eum ad XXIX. redegit. deinde Cæsar rursus ad XXX. restituit. habet Non. v. & Id. XIII.

Numæ const. Cæsaris const.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| | *c* | 1 | *g* | *Kal. Apr.* | *Veneri. Fortunæ Virili.* |
| | *d* | 2 | *a* | *iiii* | |
| | *e* | 3 | *b* | *iii* | |
| | *f* | 4 | *c* | *Pr. Non.* | |
| | *g* | 5 | *d* | *Non. April.* | *Magalesia.* |
| | *b* | 6 | *e* | *viii Id. Apr.* | *Fortunæ Publicæ æd. dicat. in Col. Quir.* |
| | *a* | 7 | *f* | *vii* | |
| | *b* | 8 | *g* | *vi* | *Ludi, ob devictum Jubam a Cæsare.* |
| | *c* | 9 | *a* | *v* | *Cerealia.* |
| | *d* | 10 | *b* | *iiii* | |
| | *e* | 11 | *c* | *iii* | |
| | *f* | 12 | *d* | *Pr. Id.* | *Magna Mater Romam advecta.* |
| | *g* | 13 | *e* | *Idib. April.* | *Jovi Victori. Libertati.* |
| *xvii* | *b* | 14 | *f* | *xviii Kal. Maj.* | |
| *xvi* | *a* | 15 | *g* | *xvii* | *Fordicidia, de Forda bove.* |
| *xv* | *b* | 16 | *a* | *xvi* | *Augustus Imp. ab exercitu salutatus.* |
| *xiv* | *c* | 17 | *b* | *xv* | |
| *xiii* | *d* | 18 | *c* | *xiiii* | *Equiria in Circo Max. & vulpium combust.o.* |
| *xii* | *e* | 19 | *d* | *xiii* | |
| *xi* | *f* | 20 | *e* | *xii* | *Palilia. Roma condita.* |
| *x* | *g* | 21 | *f* | *xi* | |
| *viiii* | *b* | 22 | *g* | *x* | *Vinalia. Jovi. Veneri. Erycinæ ad Port. Col.* |

E

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| *viii* | *a* | 23 | *a* | *viiii* | |
| *vii* | *b* | 24 | *b* | *viii* | |
| *vi* | *c* | 25 | *c* | *vii* | *Robigalia.* |
| *v* | *d* | 26 | *d* | *vi* | |
| *iiii* | *e* | 27 | *e* | *v* | *Latinæ feriæ in sacro monte.* |
| *iii* | *f* | 28 | *f* | *iiii* | *Floralia.* |
| *Pr.kal.* | *g* | 29 | *g* | *iii* | |
| | *b* | 30 | *a* | *Pr. K. Majas.* | *Vestæ Palatinæ.* |

Majus a *majoribus* dictus est, juxta sententiam Ovid. qui in I. Fast. ait

*Tertius a senibus, juvenum de nomine quartus,*
*Quæ sequitur, numero turba notata fuit.*

Cum de Majo, Junioque, ac sequentibus loquatur. Alii a Tusculanis hunc mensem ad fastos Romanos transisse commemorant. Apud Tusculanos enim Deus quoque Majus Juppiter a majestate vocabatur. alii a Maja, quam Vulcanus uxorem duxit, quidam a Maja Mercurii matre, dictum contendunt, alii aliter sentiunt. Habuit, habetque hic mensis dies unam & triginta, & VII. die Nonas, & xv. Idus.

Numæ const. Cæsaris const.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| *a* | 1 | *b* | *Kal. Maj.* | *Laribus Præstitibus ara posita. Bonæ Deæ.* |
| *b* | 2 | *c* | *vi Non. Maj.* | |
| *c* | 3 | *d* | *v* | |
| *d* | 4 | *e* | *iiii* | |
| *e* | 5 | *f* | *iii* | |
| *f* | 6 | *g* | *Pr. Non.* | |
| *g* | 7 | *a* | *Non. Maj.* | |
| *b* | 8 | *b* | *viii Id. Maj.* | |
| *a* | 9 | *c* | *vii* | *Lemuria, quæ noctu agebantur.* |
| *b* | 10 | *d* | *vi* | |
| *c* | 11 | *e* | *v* | *Lemuria.* |
| *d* | 12 | *f* | *iiii* | *Marti Bisultori.* |
| *e* | 13 | *g* | *iii* | |
| *f* | 14 | *a* | *Pr. Id.* | *Scirpea simulachra e ponte Sublicio dejiciebantur.* |
| *g* | 15 | *b* | *Idib. Maj.* | *Jovi. Mercurio.* |
| *b* | 16 | *c* | *xvii Kal. Junii* | |
| *a* | 17 | *d* | *xvi* | |
| *b* | 18 | *e* | *xv* | |
| *c* | 19 | *f* | *xiiii* | *Agonalia.* |
| *d* | 20 | *g* | *xiii* | *Vulcano. Tubilustria.* |
| *e* | 21 | *a* | *xii* | |
| *f* | 22 | *b* | *xi* | |
| *g* | 23 | *c* | *x* | |
| *b* | 24 | *d* | *viiii* | *Regisfugium.* |
| *a* | 25 | *e* | *viii* | *Fortunæ Publicæ.* |
| *b* | 26 | *f* | *vii* | |
| *c* | 27 | *g* | *vi* | |
| *d* | 28 | *a* | *v* | |
| *e* | 29 | *b* | *iiii* | |
| *f* | 30 | *c* | *iii* | |
| *g* | 31 | *d* | *Pr. Kal. Junias* | |

F

Junius a *Junioribus* dictus est. Namque (ut Fulvius Nobilior in Fastis scriptum reliquit) cum Romulus P. R. in majores & juniores divisisset, ut altera consilio Remp. tueretur, in utriusque partis honorem Majum & Junium mensem appellavit. Vel (ut Cincius ait) Junius dictus est, quod *Junonius* ante a Latinis dicebatur, in cujus quoque honorem Kal. hujus mensis sacra fiunt, & per syncopen postea Junius sit nuncupatus. de qua re Ovid. VI. Fast.

*Inspice, quos habeat nemoralis Aricia fastos,*
*Et populus Laurens, Lanuviumque meum.*
*Est illic mensis Junonius: aspice Tybur,*
*Et Prænestinæ mœnia sacra Deæ;*
*Junonale leges tempus, nec Romulus illos*
*Condidit, at nostri Roma nepotis erat.*

Alii Junium in *Junii* Bruti laudem dictum existimant, quod primus Romæ Cons. factus sit, & hujus mensis Kal. pulso Tarquinio, civitatem tyrannidi eripuerit, & sacrum Carnæ Deæ in Cœlio monte voti reus fecerit, cui pulte fabacia, & larido sacrificabatur, quod his maxime corporis
B vires roborentur. Unde & *Kalendæ fabariæ* vulgo vocabantur. Hic mensis primum triginta dierum a Romulo, mox viginti novem a Numa, deinde rursus triginta a Cæsare fuit constitutus, & habet Nonas v. mensis die, Idus vero XIII.

Numæ const. Cæsaris const.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| | *b* | 1 | *e* | *Kal. Junii.* | *Junoni Monetæ. Marti extra Port. Capenam Tempestati.* |
| | *a* | 2 | *f* | *iiii Non. Ju* | |
| | *b* | 3 | *g* | *iii* | *Bellonæ in Circo Flaminio.* |
| | *c* | 4 | *a* | *Pr. Non.* | *Herculi custodi in Circo Flaminio.* |
| | *d* | 5 | *b* | *Non. Jun.* | *Fidiæ in colle Quir.* |
| | *e* | 6 | *c* | *viii Id. Jun.* | *Vestæ Templum.* |
| | *f* | 7 | *d* | *vii* | *Piscatorii ludi.* |
| | *g* | 8 | *e* | *vi* | *Menti.* |
| | *b* | 9 | *f* | *v* | *Vestalia. Brut. ulteriorem Hispaniam vicit. Crass. a Parthis cæsus.* |
| | *a* | 10 | *g* | *iiii* | *Matralia. Fortunæ. Concordiæ temp. a Livia positum.* |
| | *b* | 11 | *a* | *iii* | |
| | *c* | 12 | *b* | *Pr. Id.* | |
| | *d* | 13 | *c* | *Idib. Jun.* | *Jovi Invicto. Quinquatrus minores.* |
| *xvii* | *e* | 14 | *d* | *xviii Kal. Quint.* | |
| *xvi* | *f* | 15 | *e* | *xvii* | *Stercus ex æde Vestæ defertur.* |
| *xv* | *g* | 16 | *f* | *xvi* | |
| *xiv* | *b* | 17 | *g* | *xv* | *Æqui, & Volsci a Posthumio fugati.* |
| *xiii* | *a* | 18 | *a* | *xiiii* | |
| *xii* | *b* | 19 | *b* | *xiii* | *Minervæ in Aventino.* |
| *xi* | *c* | 20 | *c* | *xii* | *Summano.* |
| *x* | *d* | 21 | *d* | *xi* | |
| *viiii* | *e* | 22 | *e* | *x* | |
| *viii* | *f* | 23 | *f* | *viiii* | *Flaminius ad Trasimenum a Pœnis victus.* |
| *vii* | *g* | 24 | *g* | *viii* | *Forti Fortunæ. Syphax a Massanissa victus. Hasdrubal cæsus.* |
| *vi* | *b* | 25 | *a* | *vii* | |
| *v* | *a* | 26 | *b* | *vi* | |
| *iiii* | *b* | 27 | *c* | *v* | *Jovi Statori. Laribus.* |
| *iii* | *c* | 28 | *d* | *iiii* | *Quirino in colle Quirinali.* |
| *Pr. Kal.* | *d* | 29 | *e* | *iii* | |
| | | *e* 30 | *f* | *Pr. Kal. Julias.* | *Herculi, & Musis.* |

Julius, qui antea Quintilis ab ordine, quod *quintus* esset, anno a Martio, secundum ordinationem Romuli, incipiente, in honorem Julii Cæsaris Dictatoris, legem ferente M. Antonio, M. F. Cons. nomen sortitus est, quod hoc mense ad quartum Idus Julius Cæsar fuerit procreatus. Is
A mensis & habuit & habet unum & triginta dies, & Nonas VII. die mensis, Idus autem XV.

Numæ const. Cæsaris const.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| *f* | 1 | *g* | *Kal. Julii.* | *Migrationes ex ædibus in alienas ædes.* |
| *g* | 2 | *a* | *vi Non. Jul.* | |
| *b* | 3 | *b* | *v* | |
| *a* | 4 | *c* | *iiii* | |
| *b* | 5 | *d* | *iii* | |
| *c* | 6 | *e* | *Pr. Non.* | *Capitolium incensum tempore Syllæ.* |
| *d* | 7 | *f* | *Non. Jul.* | *Romulus non apparuit.* |
| *e* | 8 | *g* | *viii Id. Jul.* | |
| *f* | 9 | *a* | *vii* | |
| *g* | 10 | *b* | *vi* | |
| *b* | 11 | *c* | *v* | *Ludi Apollinares.* |
| *a* | 12 | *d* | *iiii* | *Julii Cæsaris natalis.* |
| *b* | 13 | *e* | *iii* | |
| *c* | 14 | *f* | *Pr. id.* | *Fortunæ muliebr.* |
| *d* | 15 | *g* | *Idib. Jul.* | *Castori & Polluci.* |
| *e* | 16 | *a* | *xvii. Kal. Sextil.* | |
| *f* | 17 | *b* | *xvi* | |
| *g* | 18 | *c* | *xv* | *Alliensis dies atra.* |
| *b* | 19 | *d* | *xiiii* | |
| *a* | 20 | *e* | *xiii* | |
| *b* | 21 | *f* | *xii* | *Mundi natalis, ut Solinus, sed falso.* |
| *c* | 22 | *g* | *xi* | |
| *d* | 23 | *a* | *x* | |
| *e* | 24 | *b* | *viiii* | |
| *f* | 25 | *c* | *viii* | *Rutilæ canes Caniculæ sacrificantur.* |
| *g* | 26 | *d* | *vii* | |
| *b* | 27 | *e* | *vi* | |
| *a* | 28 | *f* | *v* | *Neptumnalia.* |
| *b* | 29 | *g* | *iiii* | |
| *c* | 30 | *a* | *iii* | |
| *d* | 31 | *b* | *Pr. Kal. Ag.* | |

Augustus antea Sextilis ab ordine, quod *sextus* esset, a Romulo vocatus fuit. mox in honorem Augusti e S. C. nomen sumpsit. Cujus hæc sunt verba: *Cum Imp. Cæs. Augustus mense Sextili, & primum consulatum inierit, & triumphos tres in Urbem intulerit, & ex Janiculo legiones deductæ secutæque sint ejus auspicia ac fidem, & Ægyptus hoc mense in potestatem P. R. redacta sit, finisque hoc mense bellis civilibus impositus sit, placet Senatui, ut mensis Augustus appelletur.* Idem plebiscito ob
E eandem rem facto Sex. Pacuvio tribuno plebem rogante confirmatus fuit. Habebat hic mensis ex ordinatione Romuli triginta dies. Numa eum ad viginti novem restrinxit. At Cæsar ad unum & triginta protendit. Nonæ v. mensis die, idus vero XIII. observantur.

Numæ const. Cæsaris const.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| *e* | 1 | *c* | *Kalen. Aug.* | *Spei, ad Forum Olitorium.* |
| *f* | 2 | *d* | *iiii Non. Aug.* | *Feriæ, quod Cæs. Hisp. Cit. vicit.* |
| *g* | 3 | *e* | *iii* | |
| *b* | 4 | *f* | *Pr. Non.* | |
| *a* | 5 | *g* | *Non. Aug.* | *Saluti, in col. Quirinali, & Spei.* |
| *b* | 6 | *a* | *viii Id. Aug.* | |
| *c* | 7 | *b* | *vii* | |
| *d* | 8 | *c* | *vi* | *Solis Indigetis in col. Quir.* |
| *e* | 9 | *d* | *v* | |
| *f* | 10 | *e* | *iiii* | *Aræ Opi & Cereri in Vico Jugario.* |

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| | *g* | 11 | *f* | *iii* | |
| | *b* | 12 | *g* | *Pr. Id.* | *Herculi Magno in Circo Flam.* |
| | *a* | 13 | *a* | *Idib. Aug.* | *Dianæ sacra. Natalis Augusti* |
| *xvii* | *b* | 14 | *b* | *xix Kal. Sep.* | |
| *xvi* | *c* | 15 | *c* | *xviii* | |
| *xv* | *d* | 16 | *d* | *xvii* | |
| *xiiii* | *e* | 17 | *e* | *xvi* | *Portunalia ad pontem Æmil. Jano ad theatrum Marcelli.* |
| *xiii* | *f* | 18 | *f* | *xv* | *Consualia.* |
| *xii* | *g* | 19 | *g* | *xiv* | *Augusti mors.* |
| *xi* | *b* | 20 | *a* | *xiii* | *Vinalia secunda.* |
| *x* | *a* | 21 | *b* | *xii* | *Vinalia rustica.* |
| *viiii* | *b* | 22 | *c* | *xi* | |
| *viii* | *c* | 23 | *d* | *x* | *Vulcanalia in circo Flam.* |
| *vii* | *d* | 24 | *e* | *viiii* | |
| *vi* | *e* | 25 | *f* | *viii* | *Opiconsivæ in Capitolio.* |
| *v* | *f* | 26 | *g* | *vii* | |
| *iiii* | *g* | 27 | *a* | *vi* | *Vulturnalia.* |
| *iii* | *b* | 28 | *b* | *v* | |
| *Pr.* | *a* | 29 | *c* | *iiii* | *Vulcanalia.* |
| | *b* | 30 | *d* | *iii* | *Mundus Cereris patet.* |
| | *c* | 31 | *e* | *Pr. Kal. Sept.* | *Natalis C. Cæsaris Germanici.* |

September itidem ab ordine, quod *septimus* esset, prius a Romulo dictus, mox in Germanici honorem, qui Drusi Augusti privigni filius fuit, *Germanicus* appellatus, seu (quod magis credo) a Domitiano, qui a Germanis devictis, Germanicus dictus est. Namque Tranquillus in Domitiano de hac re loquens ait: *Post autem duos triumphos Germanici cognomine assumpto, Septembrem mensem Octobremque ex appellationibus suis Germanicum Domitianumque transnominavit, quod altero suscepisset Imperium, altero natus esset.* Siquidem natus est Domitianus IX. Kal. Novembris. Habuit primum hic mensis ex ordinatione Romuli XXX. dies, mox Numa eum ad undetriginta redegit. Deinde Cæsar rursus ad XXX. revocavit. Nonæ semper V. mensis die, Idus autem XIII. celebratæ fuerunt.

Numæ const. Cæsaris const.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| | *d* | 1 | *f* | *Kal. Sept.* | *Vulcano.* |
| | *e* | 2 | *g* | *iiii Non. Sep.* | *Aug. Victoria navalis ex M. Ant. & Cleopatra.* |
| | *f* | 3 | *a* | *iii* | |
| | *g* | 4 | *b* | *Pr. Non.* | |
| | *b* | 5 | *c* | *Non. Sept.* | |
| | *a* | 6 | *d* | *viii Id. Sept.* | |
| | *b* | 7 | *e* | *vii* | |
| | *c* | 8 | *f* | *vi* | *Hierosolyma a Tit. Vespasiano capta.* |
| | *d* | 9 | *g* | *v* | |
| | *e* | 10 | *a* | *iiii* | |
| | *f* | 11 | *b* | *iii* | |
| | *g* | 12 | *c* | *Pr. Id.* | |
| | *b* | 13 | *d* | *Idib. Sept.* | *Præt. Max. clavum pangit. Capitol. ab Hor. dicat.* |
| *xvii* | *a* | 14 | *e* | *xviii kal. Oct.* | |
| *xvi* | *b* | 15 | *f* | *xii* | *Ludi, qui Romani, & magni. Asc. Ped.* |
| *xv* | *c* | 16 | *g* | *xvi* | *Ludi.* |
| *xiv* | *d* | 17 | *a* | *xv* | *Ludi.* |
| *xiii* | *e* | 18 | *b* | *xiv* | *Ludi.* |
| *xii* | *f* | 19 | *c* | *uiii* | |
| *xi* | *g* | 20 | *d* | *xii* | *Romuli Natalis.* |



| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| *x* | *b* | 21 | *e* | *xi* | |
| *viiii* | *a* | 22 | *f* | *x* | |
| *viii* | *b* | 23 | *g* | *viiii* | |
| *vii* | *c* | 24 | *a* | *viii* | |
| *vi* | *d* | 25 | *b* | *vii* | *Veneri.* |
| *v* | *e* | 26 | *c* | *vi* | |
| *iiii* | *f* | 27 | *d* | *v* | |
| *iii* | *g* | 28 | *e* | *iiii* | |
| *Pr.* | *b* | 29 | *f* | *iii* | |
| | *a* | 30 | *g* | *Pr. Kal. Oct.* | *Epulum Minervæ.* |

October a Romulo dictus, quod *octavus* a Martio numeraretur, a Domitiano (ut in Septembri diximus) Domitianus dictus est; sed interfecto Domitiano, infaustum vocabulum ex omni ære, vel saxo placuit eradi. Menses quoque ab usurpatione Tyrannicæ appellationis liberati fuerunt, & ad pristina restituti. Hic mensis semper unum, & triginta dies retinuit. Et Nonas VII. mensis die, & Idus XV. habuit.

Numæ const. Cæsaris const.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| *b* | 1 | *a* | *Kal. Octobr.* | *Martis tutela.* |
| *c* | 2 | *b* | *vi. Non.* | |
| *d* | 3 | *c* | *v* | |
| *e* | 4 | *d* | *iiii* | *Mundus Cereris patet.* |
| *f* | 5 | *e* | *iii* | |
| *g* | 6 | *f* | *Pr. Non.* | |
| *b* | 7 | *g* | *Non. Octobr.* | |
| *a* | 8 | *a* | *viii Id. Oct.* | |
| *b* | 9 | *b* | *vii* | |
| *c* | 10 | *c* | *vi* | |
| *d* | 11 | *d* | *v* | |
| *e* | 12 | *e* | *iiii* | |
| *f* | 13 | *f* | *iii* | |
| *g* | 14 | *g* | *Pr. Id.* | |
| *b* | 15 | *a* | *Idib. Octobr.* | *Mercatores Mercurio sacr. Virgilii natalis.* |
| *a* | 16 | *b* | *xvii. Kal. Novemb.* | |
| *b* | 17 | *c* | *xvi* | |
| *c* | 18 | *d* | *xv* | |
| *d* | 19 | *e* | *xiiii* | |
| *e* | 20 | *f* | *xiii* | |
| *f* | 21 | *g* | *xii* | |
| *g* | 22 | *a* | *xi* | |
| *b* | 23 | *b* | *x* | |
| *a* | 24 | *c* | *viiii* | |
| *b* | 25 | *d* | *viii* | |
| *c* | 26 | *e* | *vii* | |
| *d* | 27 | *f* | *vi* | |
| *e* | 28 | *g* | *v* | |
| *f* | 29 | *a* | *iiii* | *Hoc mense Libero sacr. Vertumni feriæ celebr.* |
| *g* | 30 | *b* | *iii* | |
| *b* | 31 | *e* | *Pr. Kal. Novemb.* | |

*November cum Decembri, & supplicio Domitiani, & cautione cæterorum principum diri ominis infausta vitantium priscum nomen* (ut ait Macrobius) *reservavit*. Sed (ut mox dicemus) alii quoque Imperatores & hos & alios menses suis nominibus invasere, qui tamen illis mortuis libertatem adepti pristina nomina recuperarunt. At cum hic triginta dierum esset a Romulo constitutus, a Numaque uno mutilatus, a Cæsare tamen ad triginta fuit restitutus, & semper Nonas V. mensis die, Idusque XIII. conservavit.

Numæ const. Cæsaris const.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| *a* | 1 | *d* | *Kal. Novemb.* | *Hoc mense Jovis Epulum celebr.* |
| *b* | 2 | *e* | *iiii Non. Novemb.* | |
| *c* | 3 | *f* | *iii* | |

| | | | |
|---|---|---|---|
| | d 4 | g Pr. Non. | |
| | e 5 | a Non. Novemb. | |
| | f 6 | b viiii Id. Novemb. | |
| | g 7 | c vii | |
| | b 8 | d vi | |
| | a 9 | e v | |
| | b 19 | f iiii | |
| | c 11 | g iii | |
| | d 12 | a Pr. Id. | |
| | e 13 | b Idib. Novemb. | |
| xvii | f 14 | c xviii Kal. Decemb. | |
| xvi | g 15 | d xvii | |
| xv | b 16 | e xvi | *Ludi plebeii per hos dies.* |
| xiiii | a 17 | f xv | |
| xiii | b 18 | g xiiii | |
| xii | c 19 | a xiii | |
| xi | d 20 | b xii | |
| x | e 21 | c xi | |
| viiii | f 22 | d x | |
| viii | g 23 | e viiii | |
| vii | b 24 | f viii | *Bruma, quæ & Brumalia.* |
| vi | | | |
| v | a 25 | g vii | |
| iiii | b 26 | a vi | |
| | c 27 | b v | *Hic mensis fuit in tutela Dianæ, & inferiæ fiebant Gallis defossis, & Græcis in Foro Boario* |
| iiii | d 28 | c iiii | |
| Pr. | e 29 | d iii | |
| | f 30 | e Pr. Kal. Decemb. | |

December ab ordine dictus, & a Romulo triginta dierum constitutus, ex ordinatione Numæ unum amisit; at a Cæsare non solum ad pristinum numerum restitutus, sed ad unum & triginta etiam extentus. Nonas semper v. mensis die, & Idus XIII. retinuit.

| Numæ const. | Cæsaris const. | | |
|---|---|---|---|
| | g 1 | f Kal. Decemb. Fortunæ Muliebri. | |
| | b 2 | g iiii Non. Decemb. | |
| | a 3 | a iii | |
| | b 4 | b Pr. Non. | |
| | c 5 | c Non. Decemb. Faunalia. | |
| | d 6 | d viii Id. Decemb. | |
| | e 7 | e vii | |
| | f 8 | f vi | |
| | g 9 | g v | |
| | b 10 | a iiii | |
| | a 11 | b iii | |
| | b 12 | c Pr. Id. | |
| | c 13 | d Idib. Decemb. | |
| xvii | d 1u | e xviiii. Kal. Januar. | |
| xvi | e 15 | f xviii | |
| xv | f 15 | g xvii | |
| xiiii | g 17 | a xvi | *Saturnalia, & per tres dies durant, quibus adduntur Sigillaria, quæ septem dies complent.* |
| xiii | b 18 | b xv | |
| xii | a 19 | c xiv | *Opalia & Saturnalia.* |
| xi | b 20 | d xiii | |
| v | c 21 | e xii | *Angeronalia, Angeronæ Deæ. Herculi & Cereri de mulso.* |
| viiii | d 22 | f xi | *Feriæ Laribus dic. Compitalia.* |
| viii | e 23 | g x | *Feriæ Jovis. Larentinalia, seu Laurentinalia.* |
| vii | f 24 | a viiii | *Juvenalis dies viii. Sat. addit. unde Juvenales Ludi.* |
| vi | g 25 | b viii | |
| v | b 26 | c vii | |
| iiii | a 27 | d vi | |
| iii | b 28 | e v | |
| Pr. | c 29 | f iiii | |
| | d 30 | g iii | |
| | e 31 | a Pr. Kal. Januar. | |

Julius Augustusque in honorem Julii Cæsaris Augustique servata illorum virorum dignitate, ab omnibus nuncupati multis aliis Imperatoribus hujuscemodi memoriæ cupiditatem injecerunt, quos hic commemorandos existimavi, ne ulla interpellatione mensium narrationem confunderem. Tiberius ergo primus, cum post Augustum habenas Imperii moderaretur, ut itidem eum in ordine mensium sequeretur, Septembrem a se Tiberium, Octobrem a Livia matre, Livium appellavit. Nero autem licet a deposita horum mensium usurpatione, qui post Tiberii fatum libertatem adepti sua pristina nomina recuperarunt, admoneretur, ne talia immerito tentaret, tamen Aprilem a se Neronem; Majum, Claudium; Juniumque Germanicum dixit. Domitianus itidem eandem gloriam affectans, Septembri Germanicum, Octobrique Domitianum nomen indidit. Senatus postea Antoninum Pium, Faustinamque hujuscemodi appellatione honestare cupiens, Septembrem Octobremque, Antoninum Faustinumque censuit appellandos, quod tamen Antoninus respuit. Sed nemini plures quam Commodo ascripti fuerunt. Augustum enim Commodum, Septembrem Herculem, Octobrem Invictum, mox Ælium, Novembrem Exuperatorium, Decembrem Amazonium, ut Lampridius ait, e signo ipsius adulatores vocarent. Quibus appellationibus non est mirum si delectaretur, cum ipsam quoque urbem Romam Coloniam Commodianam vocari voluerit. Eusebius vero non Augustum, sed Septembrem, Platinaque Decembrem Commodum vocatum afferunt At Suidas non illorum tantum, sed omnium mensium vocabula innovata dicit. Tacitus autem, Septembrem Tacitum appellavit, quoniam eo mense natus, & ad imperii fastigium promotus fuerat. Hæc habuimus, quæ tuis auspiciis de Veteri novaque temporum ratione, Pater Optime, in medium ad communem studiosorum utilitatem afferre voluimus. Quæ si tu, aliusve, si quis tamen alius hæc quoque, si quis captus amore leget, inania judicabit, velim omnibus constet, me & meam in te observantiam quo potui modo aliqua ex parte declarare, & studentium labores relevare voluisse. Felicissime vive

## L E C T O R I B U S.

*Cum his nostris lucubratiunculis tandem supremam manum imposuissemus, & jam prope esset, ut eas Typographo imprimendas traderemus, Franciscus Maria Malclavellus vir non vulgaris eruditionis nos admonuit, se ex libello, quem superioribus diebus a Galeoto Aviano literarum studiosissimo mutuo acceperat, comperisse idem a Lilio Gregorio Gyraldo antea excogitatum, & jam in lucem editum. Quem libellum cum legerem, maximopere mirabar idem argumentum pluribus in mentem venire potuisse. Atque iccirco multum, diuque dubitavi, nostras ne has primitias typographo excudendas, an Vulcano potius exurendas traderem, præsertim cum alii locum optatum jam præoccupassent. Verum in hac dubitatione, cum & amicorum admonitiones, & pia in Pium Præsulem observantia nostrarum vigiliarum partes tutarentur, nullum obtrectatorum morsum expavescens, non solum his excundi potestatem concessi, sed etiam e Gyraldi Kalendario, ejus viri candore fretus, Fastos, quos ego in nostro omiseram, descripsi. Eo ergo animo parvum hunc libellum excipite, quo, ut suis partibus satisfaciat, & amicis morem gerat, in lucem prodire non est veritus.* Valete.

# HADRIANUS JUNIUS

*DE*

# ANNIS

*ET*

# MENSIBUS.

# INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

*De anno, ejusque appellationibus & effigie.*

CAPUT II.

*Quotuplex apud priscos fuerit annus.*

CAPUT III.

*De anni partibus, ejusque principio.*

CAPUT IV.

*De mensibus, eorumque nominibus juxta diversas nationes variis.*

CAPUT V.

*De Calendis, Nonis, & Idibus, deque dierum delectu.*

CAPUT VI.

*De ordine & ratione dierum hebdomadæ ex Dione.*

CAPUT VII.

*De intercalatione.*

CAPUT VIII.

*De diei initio, deque horis quædam scitu non indigna,*

*Fastorum liber, sive Hemerologion rerum memorabilium quolibet anni die actarum.*

SERENISS. INVICTISSIMÆQUE

# M A R I Æ

## ANGLIÆ, FRANCIÆ, & HIBERNIÆ

## R E G I N Æ, &c.

## HADRIANUS JUNIUS

### M E D I C U S

*F E L I C I T A T E M P R E C A T U R.*



*N tanta omnium gentium tamque celebri gratulatione, Serenissima Regina, mirificoque doctorum hominum ad T. M. gratulandum studio aut contentione potius, nolui & ego Rheginæ cicadæ instar silere: posteaquam enim Philippeida, menstruum poemation, superiore anno in auspicatissimas vestras nuptias lusissem, aut effudissem verius, in manus sumpsi opusculum, quod historiarum cognitionem varietate delectabilem atque jucundam contineret, ex quo fatales & suos pariter & progenitorum suorum eventus aut res gestas æterna memoria dignas, compendio T. M. cognosceret, omnia certo quopiam die observata & facta. Quod quia olim xenioli loco, Fratri tuo Eduardo regi manu propria exaratum exhibueram, visum est idem nunc tertia historiarum rerumque memorabilium parte auctius, typis excusum T. M. offerre, & per eam universo orbi communicare; ex quo omnes intelligant, quam felix, te Regina honestis studiis & philosophiæ præceptis liberalissime instituta, Respublica Anglicana censeri debeat, quum notissimum sit illud divini Platonis oraculum, rempub. eam fore beatam prædicantis, in qua aut sapientes eruditique rerum potirentur, aut Reges ad philosophiam rerumque cognitionem animum appellerent. Nullus enim toto terrarum orbe angulus est, quo non percrebruit admirabilis tua, præter invictam animositatem & pietatem, eruditio, tam Latine disertæ, ut exterorum Regum legati, docti imprimis homines, velut attoniti obstupescant, & quasi hærente in faucibus voce obmutescant, te audita. Qua de re plura loqui vetat & incredibilis tua modestia, & vulgatior fama omnium sermonibus late per orbem sparsa, ut rem notissimam ingeminare idem sit, & nauseam commovere. Libri titulus est de Anno & Mensibus, in quo varia & multiplex ad annum & mensium nomenclaturas faciens cognitio pertractatur: cui subnectitur Fastorum liber & Hemerologion Græcum, in quo, quicquid peculiariter qualibet tandem in gente memorabile factum, quod ad certos dies revocari possit, breviter demonstratur. Cujus quidem argumenti non supinam utilitatem paucis verbis indicavit in Aristide Philostratus Lemnius Sophista:* Αἱ ἐφημερίδες, *inquit,* ἀγαθοὶ διδάσκαλοι τοῦ περὶ παντὸς εὖ διαλέγεσθαι. *aut, ut a Synesio Cyrenensi episcopo repetitur,* τοῦ περὶ ἅπαντος εὖ ποιεῖν. *hoc est,* Fasti optime docent recte de re quacunque disserere, aut de qualibet re diserte commentari. *Quod ipsum confirmat Dionysius Halicarnasseus in Genethliacon methodo, momenti plurimum habere ad instituendam recte declamationem,*

*inquiens, peculiarem cujuslibet diei cognitionem. Neque vero dubitarunt doctissimi quique viri eo in argumento multum operæ collocare, siquidem Orpheus vatum antiquissimus primus scribendarum ephemeridum argumentum delibasse commemoratur: posterisque temporibus illum insecuti, Julius Modestus eadem in re laboravit: item Julius Cæs. ephemeridum commentarios reliquit, quibus constat abusum fuisse M. Antonium p. o arbitrio, quæcunque lubitum fuerat, nunc inducendo obliterandoque, nunc adjiciendo. Quin & Ovidium Nasonem Fastorum suorum editione Augusti iram placare studuisse, notius est quam ut admoneri debeat. M. Fulvius Nobilior, qui de Ætolis triumphavit, in æde Herculis Musarum a se vota, Fastos conscriptos posuit. Masurius quoque non unum de Fastis librum olim conscripsisse proditur. Cincium itidem Fastorum librum ad posteros transmisisse memorat Macrobius. Citatur a Fulgentio & Bebius Macer, qui Fastalia dierum scripserit. Quin & Ausonius Burdigalensis Gratiano Imperatori acceptissimus Fastos invulgavit, in quorum publicationem extant ejusdem versus. Denique Plutarchus Chæronæus omnium locupletissimus in eodem argumento sedulam operam se navasse, in Camillo testatur, commentarium rerum quolibet die actarum memoria prodidisse se diserte ostendens. Quid, quod non dissimili argumeto αἴτια conscripsisse legitur Callimachus (quæ vox apud Fulgentium corrupta in Cæcia perperam scribitur) sacra feriasque & rituum causas eo libro complexus? Eum laborem variæ lectionis opibus divitem T. M. consecro, uti adversus dentatos malevolorum morsus, qui alienis laboribus semper invident, insidiantur, obtrectant, T. M. numen propitium mihi affulgeat. Ita illam Deus Opt. Max. nobis & studiis diutissime felicissimeque longævam conservet, ut extinctis dissidiorum causis, sedatisque discordium opinionum æstuariis florentissimum alias Angliæ regnum, vestrum Imperium pacatissime agnoscat, revereatur, amet. Harlemii Calendis Martii, anno Domini 1556.*



HA-

# HADRIANUS JUNIUS
## DE
# ANNIS & MENSIBUS.

### CAP. I.

*De Anno, ejusque appellationibus & effigie.*



SCripturus Fastos, quibus cujuslibet diei acta pariter & res gestæ memorabiles atque eventa, quæ multiplici lectione observare potui, continebuntur, non abs re facturus mihi videor, si ab anno ipso, qui fastos orbiculo & constituit & complectitur, atque eodem etiam intra se revolvit, auspicium sumam, secuturus in hoc plerosque omnes qui commentarios de re quapiam in vulgus ediderunt, quos constat a vocum finitione atque origine altius velut a capite operum suorum initium arcessere solere. Equidem morem illum ut neque prorsus improbaverim, ita neque invitus etiam sequar: partim ne sciolus ac plus nimio ingeniosus aliorum censor habear: partim quod rem ipsam hoc poscere videam, præsertim ubi multa non cuivis lecta, atque ab illis qui priores me idem argumentum delibarunt, hactenus nunquam observata, prodere sit animus. Proinde illorum, quos dixi, vestigiis insistens, non ab æternitatis usque terminis, ingenii comprehensionem fugientibus, rem repetam, sed ab anno, qui semper recurrens novitatis gratia nobis blanditur, vitæ spatia metitur & indicat, auspicato exordiar. Annum itaque, quem Solis anfractum exposuit quidam, a circuitu temporis dictum voluit Attejus Capito, ab *am*, quod *circum* apud veteres notabat, ut in Originibus scripsit Cato. At Varro de Lingua Latina *lib*. v. nominatum asseverat, *quod ut parvuli circuli annuli, ita magni dicerentur circites anni*. Ita Servius Grammaticus quasi anum, unde anulum dici autumat, quod in se redeat. id quod a Marone antiquitatis omnis scientissimo poeta expressum est, ubi inquit: *Atque in se sua per vestigia volvitur annus*. qua ratione Græci ἐνιαυτὸν [1] appellarunt, quasi ἐν ἑαυτῷ, uti in Cratylo Platoni placuit. Non defuere, qui anno Græcam originem tribuere voluerunt, ἀπὸ τοῦ ἀνανεοῦσθαι, ab *innovatione*, quod semper *novus* sit. at isti purpureum videlicet pannum & discolorem Latinæ togæ assuere mihi videntur. Neque minus operose Eustathius aliique ἐνιαυτοῦ etymon deduxerunt, παρὰ τὴν ἐν αὐτῷ ἕνωσιν τῶν τεσσάρων ὡρῶν, *quod unitæ in eo sint quatuor anni partes indivisibili coagmento*. Simplicius vero & inaffectatius quoque Theon Alexandrinus ἐνιαυτὸν dici ait, quando ab eodem puncto aut tempore in idem recurritur. Longe autem absurdissima alienoque loco petita videtur etymi ratio, ab ἐν ᾧ ἰαύειν, a *moræ diuturnitate* scilicet. Annotat Hephæstion ἐνιαυτὸν Herodoto significare triennium. qua ratione fortassis a Sophocle in Trachiniis accipitur, ubi de Hercule ait:

B Κεῖνος δὲ πραθεὶς Ὀμφάλῃ τῇ βαρβάρῳ
Ἐνιαυτὸν ἐξέπλησεν.

id est,

*Ab Omphale emptus barbara triennium*
*Explevit.*

Suidas insuper in dictione ἥφαιστος tradit, priscos Ægyptios ἐνιαυτοῦ vocem pro diei curriculo extulisse, ut περίοδον τῆς ἡμέρας significet: adeo late patuit ejus vocabuli usus. Jam & ἔτος [1] annus eidem genti nuncupatur, ὅτι ἐτάζει, juxta Platonem, quod *se ipse recenset atque explorat*. Πλειὼν [2] quo-C que vocatur idem usitatiore poetis vocabulo, παρὰ τὸ πάντας τοὺς καρποὺς τῆς γῆς συμπληροῦσθαι, ut habet Hesychius, qui *universos terræ fructus plene absolvat*, quæsita remotius vocis origine. Theon nominis occasionem acceptam refert Pleiadibus (*Vergilias* nominant Latini) sic dictis ἀπὸ πολεῖν ἐκ περιόδου, καὶ συμπληροῦν τὸν ἐνιαυτὸν, quod *curriculo annum constituant*. Deinde & λυκάβαντα annum voce laciniosa & quam pedestris oratio respuit, poetæ dixere: cujus varia redditur ratio. Nam sunt qui ita dici existimant (inter quos est & Didymus) παρὰ τὸ λυγαίως βαίνειν, quoniam *furtim & inscientibus nobis elabatur*, quasi λυγάβαντα dicas, ὅτι μετὰ D λυγῆς βαίνει, ut in Tharræi commentariis legitur. Alii quod more luporum tranatantium amnem, concatenata annorum series decurrat: Suidas & Eustathius, quod eadem ratione dies perpetua serie invicem cohæreant: Artemidorus, quia mutuo horarum successu annus compleatur. Dicuntur namque lupi, quoties rapidum aliquod flumen transmittendum est, prehensis mordicus præcedentium caudis transnatare (ut ab Æliano gravi scriptore literis proditum est, neque inficiatur Artemidorus) ne vis fluvii eos singulos rapiat. Aliter Macrobius λυκάβαντα, quasi ὑπὸ λύκου βαινόμενον, id est, *a Sole calcatum* exponit. λύκον enim, sive *lupum* symboli-E ce pro Sole accipi, eo quod animal istud rapiat & voret omnia instar Solis, & oculorum acie præstans nocturnam caliginem vincat: testimonioque esse Lycopolin Thebaidos Ægypti civitatem, quæ pari religione Apollinem & Lupum coluerit, in utroque Solem venerando. Quin & ὧρον a quatuor anni partibus, quas illi ὥρας nominant; & τελεσφόρον dixere annum, quia fruges & annotinos fructus, aliaque omnia consummet, & opportunis temporum vicibus perficiat, εἰς τέλος ἄγων, μηδέν τι ἐλλείπων, ut annotat Eustathius. Quo respexere, qui anno ceu rerum parenti, vim omnium pro-F ductricem adscripserunt, proverbiali versu dicentes: Ἔτος φέρει, οὐχὶ ἄρουρα, *Annus producit, non arvum*, quod a Theophrasto libro de plantis octavo relatum est. Cleobulus Lindius, aut (ut vult Suidas) ejus filia Cleobuline scripsit decantatum ænigma, cujus initium,

Εἷς ὁ πατὴρ, παῖδες δὲ δυώδεκα, τῶν δὲ ἑκάστῳ
Παῖδες τριάκοντα.

id est,

1 ἐνιαυτός.

1 Ετος. 2 πλειών.

*Est unus genitor, bisseni filii, habetque*
*Terdenam sobolem quisque.*

Ibi, ille ne dicam, an filia (parum enim refert) annum facit unicum patrem duodecim filiorum, quibus singulis triginta numero filiæ fuerunt, partim candidæ, partim fuscæ & atræ, omnes quidem immortales, & tamen morientes; ut per filios menses, eorumque filias, dies tum serenos & nubilos, tum prosperos adversosque, prætereuntes quidem, semper tamen recurrentes significaret. In pompa quadam Ptolemæi Philadelphi, uti refert Athenæus, annum repræsentabat ingrediens medius inter duos Silenos vir quaternis cubitis, tragico cultu, tragiceque in vultu deformatus, aureum gestans Amalthææ cornu, quod uberem rerum omnium proventum e terra nascentium notabat. Aliter Ægyptii hieroglyphicis notis figurarunt annum, ut testatur Orus Apollo, pingentes palmam, quod hæc sola arborum, quolibet lunæ coitu ramulum unum, *βαῖν* appellant, producat: ita ut annuo spatio gignat duodenos ramusculos, quot mensibus annus absolvitur. Unde liquet falsum fuisse Erasmum, quando in adagio *Festina lente*, Phœnicem pinxisse illos annotat, deceptus ambigua voce *φοίνικος*, pro ave pariter & arbore palma efferri solita. Idem Orus scribit gentem illam pro anni charactere Isidem quoque pingere, quæ eadem sit caniculæ sidus, quod Ægyptia lingua *σῶθιν*, Græca *κυνὸς ἀστέρα* nominat (id enim obiter admonendus est lector, ut pro *ἀστρομύων* legat ex Porphyrio [1] *ἀστροκύων*) eo quod in reliqua sidera imperium obtinere credatur, vel potius quod in ejus exortu præsagia sumebant, quid eo anno eventurum esset, rei cujusque exitum explorantes. Redeo ad anni effigiem, quem etiam notare soliti erant veteres, quibus omne studium in obscurioribus symbolis consumebatur, per anguem extrema caudæ suæ mordicus tenentem, ut a Martiano [2] scriptum est, & indicat elegans in primis poeta Claudianus iis versibus:

*Omnia qui placido consumit numine serpens,*
*Perpetuumque viret squammis, caudamque reducto*
*Ore vorat, tacito relegens exordia lapsu.*

Quo etiam *ἐνιαυτοῦ* etymon vocat grammaticorum curiosus senatus, & asserit Servius in citatum paulo ante Virgilianum carmen. Quin & Panos, qui totius Naturæ symbolum gerebat, pedum, sive recurvum baculum, anni in se recurrentis notam habebat, quod nos olim in Panos emblemate lusimus:

*At baculus quoniam nomine curvus adest?*
*Signat, qui sua per vestigia labitur, annum,*
*Atque in se similis vertitur usque sui.*

Fecerunt prisci homines & *bovem* annum, quod ab Eustathio annotatum est, *διὰ τὸ κατὰ βοὰς ἐργατικὸν τῆς γενέσεως*, *ob enixum in gignendo studium atque operam more boum*. Præterea antiquissimus Græcæ Theologiæ scriptor Orpheus, forsitan ad Ægyptiorum philosophiam, de qua superius memini, alludens, *μόσχον*, hoc est, *stolonem* seu *viviradicem* nominavit, *διὰ τὸ ἀεὶ νεάζειν ἐφ᾽ οἷς ποιεῖ*, quod *in omnibus quæ producit, perpetuo vireat & juvenescat*. nisi *μόσχον vitulum* interpretari malumus, quando utrumque ea vox sonat. Fallitur autem qui scripsit Eustathii auctoritate, mensem *bovem* vocari a lunæ cornibus, & mensis initium *μόσχον*; siquidem ea quæ nos adnotavimus, leguntur diserte in commentariis in Iliados primum. *Unicornem* denique idem Orpheus, sive *μονοκέρωτα* finxit, eo quod quælibet anni pars singularibus muniis ac functionibus peculiaribus deputata sit, unitatis ritu. Quid, quod & Jani gemini effigies clavem tenentis ab Numa rege dedicata, annum designabat, in cujus dextra, litera *τ*, in læva *ξε* expressæ, dierum totius anni numerum, nempe trecentorum sexagenum quinum, demonstrabant? Quamvis & quadriformem Janum pinxisse veteres ex Suida constet, ut notarent variantes quatuor anni partes. Adde huc, quod allegorice quidam Circen pro anno exponunt, & quaternas ejus pedissequas, pro totidem anni partibus, Didymo teste. Heraclides Ponticus etiam Æolum interpretatur duodecim mensium curriculo astrictum annum, varietate *αἰόλον* dictum; quippe quum non una rerum facies quolibet anni tempore persistat, sed variet, ac varietatis ornamento se commendet annus. nam ex horrido frigore in mitem ac placidam veris temperiem se vertit, rursus humidum veris temperamentum igneus æstatis fervor depascitur; mox autumnus senescente jam anno, postquam annotinos fructus effuderit, mitigataque æstivi caloris vi, hyemi viam quandam aperit. Itaque varietatis istius parens annus non immerito *Æolus* dictus fuerit; cui sex filias totidemque filios Homerus tribuit, inquiens, *Ἓξ μὲν θυγατέρες, ἓξ δ᾽ υἱέες ἡβώοντες.* fœcundam ac genitalem naturam æstivis mensibus assignans, fœmineæ proli comparat; solidam vero & firmam hybernarum mensium vim maritat. Quid, quod & *ταμίας ἀνέμων*, id est, *ventorum promus condus* dicitur, vel compescendis vel excitandis flatibus præfectus, siquidem pro mensium ratione ventorum flatus variant, & quasi pro arbitrio illius spirant? Adde huc quod Nilum pro anni dimenso, mystico secreto acceperit Ægyptus, si Heliodoro rerum Æthiopicarum scriptori credimus, ut literarum, e quibus *Νεῖλος* vox constat, ratio, totius anni dierum calculum includat. Nam quum *ν* quinquagenarium exprimat, *ε* quinarium, *ι* denarium numerum, *λ* triginta notet, *ο* septuaginta, demum *σ* ducena designet, quæ summa in caput redacta trecena sexagena quina colligit; hinc effici volunt talium rerum curiosi indagatores, quod Nilus restibili fecunditate decantatissimus amnis, annum implentem omnia perficientemque significet. Porro non est obliterandum illud silentio, quod Ælianus *lib.* de Providentia prodidit, apud Gadeis aram fuisse Anno positam, & Mensi alteram, in honorem longioris brevio risque temporis; quemadmodum neque illud, quod annus Jovi, menses Junoni dicati fuerint.

[1] Libro de Nympharum antro. [2] Lib. 1. Philolog.

---

## CAP. II.

*Quotuplex apud priscos fuerit annus.*

ANnus fuit apud veteres multiplex, quanquam triplicem Censorinus & Macrobius posuerint, *Vertentem*, *Civilem*, & *Magnum*. *Naturalis*, qui & *Solaris*, & Servio Honorato *Solstitialis*, *Vertens* [1] Ciceroni, Vitruvio, Suetonioque, recursu Solis, percursis duodecim signis, eo demum unde discesserat remeantis, describitur Censorino; duodecimque mensibus finitur, quem in tricenos sexagenos quinos dies digessisse primum Thaletem Milesium opinantur nonnulli. Eundem *magnum* quoque vocavit Maro, ibi:

*Interea magnum Sol circumvolvitur annum.*

Vertentem ita definit Marcellinus [2]; *Spatium*, in-

[1] Annus Vertens. [2] Lib. 26.

quit, *vertentis anni id esse periti mundani motus & syderum definiunt veteres, cum Sol perenni rerum sublimium lege polo percurso signifero, quem zodiacum sermo Græcus appellat, trecentis & sexaginta quinque diebus, mensis & noctibus, ad eundem redierit cardinem*. Sequitur Civilis annus [1] cujuslibet nationis proprius, siquidem ingens fuit apud varias gentes in anni observatione discrimen, & multiformis ratio. Chaldæi namque menstruum habuerunt annum in antiquitatum suarum dimensione: similiter & Ægyptii menstruo spatio priscis temporibus anni metas cohibuisse leguntur apud Plutarchum in Numa. unde in commentariis in Platonis Timæum Proclus scribit auctoritate Eudoxi, mensem annum nominare Ægyptios: quæ opinio nata videri potest ex Μηνός, id est, *Menis* nomine, qui primus apud illos regnum tenuit, si fidem merentur Thurii Herodoti verba [2]. Eorundem annus postea quadrimestris fuit: demum ad duodecim menses diesque quinos excurrit. Iberis itidem quadrimestris utplurimum annus fuit, ut Xenophon æquivocorum auctor commemorat. Arcades antiquitatis opinione stulte gloriosi, ut qui ortum suum Luna priorem asserebant, trimestrem fecere, Plinio teste [3]. Acarnanes & Cares semestris spatii cancellis incluserunt, ut æstatis curriculo, itidem ut hyemis, annus finiretur. Persæ certius trecentis sexaginta quinque diebus absolvere annum. In Latio priscis hominibus tredecim menses diebus tricenis septuaginta quatuor absoluti annum circumscribebant. Romulus decimestri spatio mensus annum commemoratur: quem in imperio secutus Numa Pompilius, mutata sententia & ad Ægyptios (quorum tunc celebris habebatur disciplina) nutante, insitione duorum mensium elongavit. Tandem quum progressu temporum multum legitimo anni dimenso decedere compertum foret, Cæsar a Memphiticis philosophis (his namque correcti ad Solis cursum anni gloria assignatur) edoctus, a Sosigene ejus scientiæ peritissimo, ut habet Plinius [4], quarto quoque anno (qui *bisextilis* nomen cepit) diem intercalarem (ἐμβόλιμον quasi *insititium* Græci appellant; alii etiam *bisextum*, quod a Calendis Martiis fit sextus) interserendum decrevit, & confirmavit Augustus, addita tamen correctionis nota, qua quod ille incipienti anno præstrui, iste absoluto quadriennio adjici voluit. Tametsi nec hac quidem ratione, ut omnia ad amussim solari anno responderent, effectum est: quandoquidem adjectis cuilibet anno ad dierum dimensum senis horis (quæ in caput collectæ quartum quemque annum die uno locupletant) commissus fuit error, sed tamen levis, ut qui integræ annorum centuriæ vix unius dieculæ pondus deducit. Legitimus namque annus, quem e cursu Solis describunt, trecentis sexagenis quinis diebus constat (ut harum difficultatum curiosi inquisitores colligunt) horis quinque, minutis (λεπτά nominant) quadraginta novem, & amplius secundis sex (utendum est enim necessario artis vocabulis, ubi alia non suppetunt) ita fit ut in quadriennio duæ tertiæ partes horæ, & aliquanto plus subducantur. Qua quidem in re Galenum quoque hallucinatum insimulant, qui non minorem, sed portionem diei quadrante majorem singulis annis accedere auctor fuerit. Aliter Dion: *Cæsar*, inquit [5], *apud Alexandrinos de anni ratione edoctus, annum constituit diversum nonnihil ab Alexandrinis, qui triginta singulis mensibus dies attribuunt, dein quolibet anno quinos dies adjungunt: hos enim ille supervacaneos dies in menses redegit, unique duos detraxit, dein quarto cuilibet anno inserendum admiscuit intercala-*

[1] Annus Civilis. [2] In Euterpe. [3] Lib. 7. [4] Lib. 18. cap. 25. [5] Lib. 43.

A *rem, ita ut horæ unius vix minimo momento discordes sint. quo fit, ut in annis mille quadringentis sexaginta & uno veniat intercalandus solum unus dies.* Hæc ille. Sed nos minutiis istis salebrosis valedicimus, per quas vix unus dies multis annorum centuriis reliquus fit evariato tot annorum cursu: satiusque est multo Menippis istis astra temerario volatu superantibus hæc relinquere. Verum de his satis superque. Nunc ad *magnum annum* stylum vertamus, quem *maximum* Aristoteles vocat. Is juxta Tullium duodecim millia quingentos quinquagenos quatuor annos continet. Tacitus ex auctoritate Ciceronis pro quingentis octingentos reponit in reliquo numero non discrepans. Solinus I.
B 36. alios magnum annum quingentis & quadraginta: alios duodecim millibus nongentis quinquaginta quatuor annis circumscribere ait: imo putasse quosdam, quod cum Phœnicis avis vita anni magni fieret conversio. Platonici [1] magnum statuunt, quando in uno eodemque signo universitas planetarum in eandem partem (μοῖραν nominant) concurrerit, ut in Aratum scribit Theon: ac tum demum mundi interitum instare, illisque de integro cursum revocantibus, alterius mundi initium fore, quod multis annorum myriadibus
C definiunt, ejusque anni hyemem κατακλυσμὸν, *diluvium*: æstatem ἐκπύρωσιν, id est, *incendium* nominabant, ut annotant nonnulli. In eandem fere sententiam & Cicero, *Re ipsa*, inquit, *quum, ad idem, unde semel profecta sunt, astra redierint, eandemque totius cœli descriptionem longis intervallis retulerint, tunc ille vere vertens annus appellari potest*. quod verbis paulum immutatis in Hortensio sic extulit: *Is est magnus & vere vertens annus, quo eadem positio cœli siderumque, quæ cum maxime est, rursum existet, isque annus horum, quos nos vocamus, annorum*, XII. *millia octingentos quinquaginta quatuor complectitur*. Macrobius quindecim annorum millia
D vertentem annum efficere scribit, collecto exactoque ad Ciceronis (ut innuit) computationem annorum numero. Josephus sexcentis annis magnum annum perfici scribit, cujus hæc sunt verba: Ἑξακοσίους ἐνιαυτούς. διὰ τούτων γὰρ ὁ μέγας ἐνιαυτὸς πληροῦται. Oenopides Chius astrologus magnum annum censuit esse, undesexaginta annorum, etiam apud Olympios ænea statua cujus rei teste, ut apud Ælianum [2] legitur. Democritus Abderites ex octoginta duobus vertentibus annis, ac mensibus intercalariis viginti & octo: Hipparchus e trecentis & quatuor suum annum magnum constituebant. Physici quindecim millibus annorum
E peractis metiuntur, teste Macrob. Heraclitus decem & octo solarium annorum millibus & octingentis. Quidam etiam infinitum illum statuunt, neque in se reverti unquam. Fuit & magnus annus Chaldaicus, duodecim constans annis, δωδεκέτηρις inde dictus; quo spectant Orphei δωδεκετηρίδες, quas scripsisse memoratur. Fuere & alii anni magni. Ἐννεέτηρις, Enneeteris octo annorum a Leostrato Tenedio, aut, ut alii, ab Eudoxo Cnidio instituta: & Penteteris, quam *Ol,mpiadem* nuncuparunt ab Olympiorum ludorum cursu, quarto quoque anno exacto celebrari consuetorum, La-
F tinis *lustrum*, quod quatuor annis absolutis constabat, ut Trieteris duobus. Fuit & Metonis Atheniensis, aut, quod Æliano magis placet, Laconis, annus, cujus & Cicero meminit, quem Meton Pausaniæ filius Athenis proposita tabula constituit decem & novem continentem annos; unde & ἐννεαδεκαέτηρις dictus, quo Solis pariter & lunæ meatus uniri asserunt, astrorumque revolutiones & recursus perfici, uti Diodorus quoque lib. Bibliothecæ 3. scripsit. In hanc classem veniunt &

[1] Lib. 6. de Repub. [2] Lib. 10. variæ historiæ.

αἰὼν & γενεὰ, Latine *ævum* & *ætas*, trifariam acceptæ voces, quod in Onirocriticis refert Artemidorus, cum pro septem annorum curriculo, qua in significatione præcipiunt medici τ̃ δυό γενεῶν μηδένα φλεβοτομεῖν, nulli qui decimum quartum ætatis annum non transcenderit, aperiendam esse venam innuere volentes: tum pro triginta annorum intervallo, tum etiam pro sæculo & centenario annorum numero, qua ratione tres ætates, nonaginta annis inclusas, vel tria sæcula junxisse Nestor ab Homero aliisque Poetis fingitur. Jam vero variant & Planetarum anni, ut Saturnus triginta annis, Jovialis duodecim describatur, Martis biennio: quorum cursum totidem versibus inclusi, quot numero feruntur, quos libuit obiter hoc in loco commode ascribere:

*Saturnus dena peragit trieteride cursum.*
*Signiferum absolvit duodenis Juppiter annis.*
*Mense quater seno trux circuit astra Gradivus.*
*Curriculum Titan bissenis mensibus implet.*
*Trecentum denasque quater luces petit Hermes:*
*Adde novem, hanc Cytherea Venus vult currere metam.*
*Omnem mense polum Phœbe nocturna pererrat.*

Hactenus de varietate annorum, nunc anni partes exequamur.

## CAP. III.

*De anni partibus, ejusque principio.*

ANnus in quatuor genericas, insignibus temperamentorum differentiis separatas, partes diducitur: ὥρας nominant Græci διὰ τὸ ὁρίζειν, ut Platoni placuit, nimirum ver, æstatem, autumnum, & hyemem. Quæ quidem anni discrimina primus instituisse, & nominibus suis donasse ingeniosus ille Palamedes dicitur: ac mensium quoque curricula digessisse, annoque nomen creasse, uti scribit in Heroicis Philostratus. Varro anni *tetrachordon* istas anni partes vocavit, ab instrumenti musici quaternis fidibus tensi metaphora. sic enim restituendus est Varronis locus ex ejus Serrano περὶ ἀρχαιρεσιῶν, apud Nonium Marcellum in voce *Autumnitas: Retinet viatorem meridie prætereuntem fontem, quod autumnitas in anni tetrachordo mensum prætererat.* Ubi male nunc legitur, *inani tetra ordo mensem præterierat.* His anni temporibus, quod spatiis æqualibus sint disposita, divinitatis numen assignavit vetustas, Horasque dixit eorum præsides, a Solis nomine, quem ὧρον Ægyptii nuncuparunt, uti voluit Macrobius. quam ob causam & solis filias eas dixit Orpheus, ministras ejusdem & asseclas Ovidius; alio respectu cœli janitrices appellavit Homerus, & Olen Lycius vatum antiquissimus, Junonis alumnas: quod figmentum eo referendum judico, quia aer (qui Junonis nomine designatur) pro IV. anni temporum horarumve ratione temperatur atque evariat. Istas quatuor anni partes fabulose sub urnarum nomine Martianus Felix Afer [1] hoc verborum apparatu descripsisse videtur. *Quatuor,* inquit, *sunt urnæ apud Latoium Phœbum positæ, ex variis metallis formatæ, e ferro, argento, plumbo fusili, & vitro. Ferrea, vortex Mulciberi dicebatur: ex ea anhelabat flamma. Argentea, vernantis cœli temperie renidebat, serenaque præ se ferebat: hæc dicta fuit Jovis risus. Plumbea, plena undosæ hyemis ac rigoris pruinarumque, dicta Saturni exitium. Vitrea, ad dexteram dei posita, aeris totius seminibus erat referta, dicta Junonis ubera.*

1 Lib. 2. Philolog.

A Quibus verbis sub poeticæ fictionis involucro clare exprimit primo loco fervidam æstatem, dein veris temperiem, mox hyemis asperitatem, postremo pomiferi autumni ubertatem lusu nec inamœno describit. Simili prope commento occiduos populos usos fuisse auctor est Theopompus, qui hyemem appellabant Saturnum, æstatem Venerem, ver Proserpinam, atque Veneris & Saturni mixtura cuncta gigni fabulabantur. Pythagoras quoque patrem temporum hyemem dixit, teste Porphyrio. Alii etiam ulterius provecti. Phryges hyeme dormire Deum somno sepultum asseverarunt, vere rursus evigilare: & Paphlagones hyberno tempore compedibus B vinctum, verno iterum moveri vinculisque expediri persuasi erant. Non defuere qui in septenas partes annum dispertiti fuerint, relinquentes ver & autumnum indivulsos & integros: hyemem distrahentes in treis partes, quarum prima sementi dabatur, altera ad solstitium consumebatur, tertia plantationes & insitiones finiebat: rursus æstatem binis determinantes partibus, primam a Vergiliarum ortu exorsi in Canis emersu desinentes, alteram vero a Cane ad Arcturi usque exortum producentes, ita ut veri itidem ut autumno bini tantum menses assignarentur, hyemi similiter & æstati quaterni, quemadmodum in Epidemiis dis- C serit Galenus. Anni autem principium Romulus a Martio in honorem Martis, e quo prognatus credebatur, inchoavit: mox Numa sive præceptis Pythagoræ doctior, sive Egeriæ nymphæ monitis imbutus, ad cursum Solis annum accessione duorum mensium extendendo, e decimestri duodecimestrem, hoc est, δωδεκάμηνον fecit, certaque ratione anni exordium a Januario est auspicatus, quem sive a Jano gemino, qui & præcedentis anni metam & sequentis frontem videat atque uniat: sive a Janua (quod voluit Porphyrius) nominis originem trahere velis, haud iniquam ra- D tionem comperies. Nam quum Græci theologi (de priscis loquor) binas statuant portas commeatus solis, quæ Plato ora, Homerus fores fabulose nominat in antri Ithacensis descriptione, Cancrum videlicet & Capricornum, apposite Januario eam incipientis anni prærogativam ille tribuit, quum Sol ab imo animalium zodiacum circulum pingentium positu redux, longioris lucis usum revehit, tenebras imminuit, ad borealem plagam enititur. Athenienses annum a solstitio æstivo auspicatos fuisse, præter alios, testis est locuples Simplicius. Arabes & Damasceni a verno æquinoctio, ut ab autumnali Asiatici & Ægyptii inchoarunt, qui- E bus September anni initialis erat mensis: quod initium etiam Judæi secuti ante exitum ab Ægypto, mutarunt postea jussu Dei. Sunt tamen qui Arabas ab Almuharan, qui cum Septembri idem est, annum auspicari quoque prodiderint. Porphyrius haud dilutæ auctoritatis scriptor, acerrimus sit licet religionis nostræ oppugnator, apud Ægyptios anni auspicium a Cancro sumi perhibet, cui assistat Sothis (ita Caniculæ sidus nominant) cujus ortus anni primordia illis definiat.

F

## CAP. IV.

*De Mensibus, eorumque nominibus juxta diversas nationes variis.*

MEnsi apud Græcos nomen dedit Lunæ, quam μήνην appellant, curriculum; apud Latinos, quod ejus cursus mensa spatia conficiant, teste Probo grammatico. Is aut solaris est, quamdiu uno in signo moratur Sol: aut lunaris tricenum dierum, quos in peragrando signi-

fero absumit sol, quem vertentem appellat in nono architecturæ Vitruvius: quanquam alia ratio ab Indis observata fuerit, testante Qu. Curtio [1] in quinos denos dies menstrua spatia describentibus: idque ad Lunæ cursum in cornua se curvantis, non, ut plerique, orbem implente sidere. Sunt & *menses magni* apud Virgilium in eclogis, ibi, *Incipient magni procedere menses*. per quos Servius & Asconius Pædianus Julium & Augustum a duobus magni nominis Imperatoribus nuncupatos intelligunt, nonnulli Junium & Julium, a dierum magnitudine vel horarum potius, quæ tunc amplissimæ æstivis diebus sunt. Mensibus Romani Imperii tempora ingentem vim attulere, nam a Nerone Neroneus dici cœpit Aprilis: Majum Claudii nomen occupavit: Junius Germanici vocabulo mutatur, teste Tacito: Quintili mensi natalis Cæsaris nomen creavit: Augusti victoria & præcox consulatus Sextilem mutavit: Octobrem non alio quam suo nomine voluit appellari Domitianus, quem postea in honorem Faustinæ Faustinum nominandum censuit senatus, teste Capitolino, ut Septembrem Antoninum ab Antonini Pii memoria. Novembrem Tiberium senatus adulabundus dixit, quod ejus mensis decimo sexto die fuerit in lucem editus, uti refert Dion. Sed rem ominosam expertus idem ille senatus eradi e saxis & ære nomina decrevit, ita tyrannicæ appellationis usurpatione exuti fuere menses, ut inquit Macrobius. Postea tamen pristinus mos repetitus est, quando Taciti nomen September induit ab Imperatore ejus nominis, quod eo & natus & ad imperium ascitus fuerat, testante Vopisco Commodo Antonino parasiti Augusti mensis nomine in Commodum permutarunt: Septembrem dixerunt Herculeum: pro Octobri Invictum: loco Novembris Exuperatorium: vice Decembris Amazonium nominarunt, auctore Lampridio. Suetonius vero Octobrem Herculeum, & Eutropius Septembrem Commodum nuncupatos scribunt. Suidas hoc ordine institutos ab eo menses enumerat, Amazonius, Commodus, Augustus, Herculeus, Romanus, Exuperatorius, Invictus, Pius, Fortunatus, Lucius, Ælius, Aurelius. Huic assentationis vitio proximi Athenienses postremum cujusque mensis diem in gratiam Demetrii Poliorcetæ cognomento dicti, nominarunt δημητριάδα, ut refert Polemon, quam ceteri τριακάδα, Attici ἕνην καὶ νέαν, teste Hyperide. Sed de his plus satis. Porro Athenienses lunari cursu totius anni menses metiebantur, non solari: lunaris trecentos quinquagenos quaternos dies complectebatur, confirmante istud & Herodoto: solaris habebat trecentos sexaginta quinque. Quo fiebat, ut superantes e singulis annis dies undecim, triennio jam decurso in unum mensem cogerent, ἐμβόλιμον, id est, *insititium* dictum e tricenis tribus diebus constantem, ut a Libanio relatum est. Eandem rationem observabant & Judæi, tertio quoque anno embolimon mensem adnectentes. Qua quidem in re plus Græcis vidisse Ægyptios asseverat Herodotus his verbis: Αἰγύπτιοι δὲ τοσῷδε σοφώτερον Ἑλλήνων, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ὅσῳ Ἕλληνες μὲν διὰ τρίτου ἔτεος ἐμβόλιμον ἐπεμβάλλουσιν, ὡρέων εἵνεκεν. Αἰγύπτιοι δὲ τριηκονθημέρους ἄγοντες καὶ δώδεκα μῆνας, ἐπάγουσιν ἀνὰ πᾶν ἔτος πέντε ἡμέρας. hoc est, *Ægyptii faciunt eo consultius quam Græci, quo hi quidem tertio quoque anno insititium adjiciunt mensem, propter anni stationes: illi vero duodecim menses, tricenum quemque dierum, observantes, quolibet anno quinos dies adjungunt.* quod ipsum & Strabo [2] repetit, addens, quod menses tricenum dierum statuere, sit solarem rationem sequi. Cæterum legitima & vera mensium Græcorum ratio difficulter iniri, & cum Romanis componi potest, cum propter discrepantes ac controversas Grammaticorum inter se pugnantium sententias, tum forte quod alia νεομηνίαι (quæ lunæ conceptui respondentes Calendarum vicem obtinebant) initia alii atque alii statuerint: quemadmodum e Plutarcho in Aristide liquet, qui prælium ad Platæas commissum decimo quarto die Boedromionis secundum Athenienses, in vicesimam sextam Panemi apud Bœotios incidere, scribit: additque neminem mirari debere eam dierum diversitatem, quum diligentissimi quique astrologi sua tempestate aliud atque aliud initium pariter & exitum mensis statuerint. Docet istud & Thucydides [1] exactissimus historiarum scriptor, memorans diem induciarum inter Spartanos & Athenienses initarum eundem esse Atheniensibus decimum quartum Elaphebolionis, cum duodecimo Gerastii apud Lacedæmonios. Præterea ex Epiphanio colligere abunde licet, quod Maii mensis principium juxta Ægyptiorum rationem, in vicesimum quintum Aprilis; at secundum Macedonum computationem, in vicesimum tertium ejusdem (quem nonum Calendas Maii scribere receptum est) caderet. Auctoris verba clarissime istud monstrant, in libro cui titulus Ἀνακεφαλαίωσις: Ἐφ᾽ ὧν ἐτελεύτησεν ὁ Οὐαλεντινιανὸς ὁ νεώτερος, υἱὸς Οὐαλεντινιανοῦ μεγάλου, εὑρεθεὶς ἄφνω ἐν τῷ Παλατίῳ πεπνιγμένος, ὡς λόγος, ἐν εἰδοῖς Μαΐαις, πρὸ μιᾶς ἡμέρας τῆς Πεντηκοστῆς ἐν ἡμέρᾳ σαββάτου, αὐτῇ δὲ ἡμέρᾳ τῆς Πεντηκοστῆς ἐξεκομίσθη. ἦν δὲ κατ᾽ Αἰγυπτίους τότε μηνὸς Παχὼν μία καὶ εἰκὰς, κατὰ δὲ Ἕλληνας Ἀρτεμισίου τρίτη καὶ εἰκὰς, κατὰ Ῥωμαίους δὲ πρὸ δεκαεπτὰ καλανδῶν Ἰουνίων. quæ verba etsi trivialia & cuivis facile obvia, in gratiam tamen eorum qui Græce non callent, vertam obiter: *Quo tempore Valentinianus Junior vita excessit, Valentiniani magni filius, strangulatus in Palatio subito repertus (ut fama est) Idibus Maiis, die sabbati, pridie Pentecostes, ipso Pentecostes die funere elatus est. Erat autem mensis Pachon juxta Ægyptios vicesimus primus, secundum Græcos Artemisii tertius & vigesimus, at juxta Romanos ante decimum septimum Calend. Junias.* Quod autem sibi ipsis non constant grammatici & scriptores, meridiana luce clarius est. Phavorinus ποσειδεῶνα sextum Atheniensium mensem scribit, & Decembrem exponit, ignarus ab Hecatombæone (qui annum illis exordiebatur) auspicanti, septimum in rationis subductione fore: eundem tamen Januarium reddit ipse Plutarchus, ubi de trajectu Cæsaris in Macedoniam loquitur. Harpocration Rhetorici Lexici auctor μαιμακτηριῶνα quintum facit mensem, quum sit quartus ordine. Idem rursus ἀνθεστηριῶνα octavum statuendo, insigni in errore versari deprehenditur, quum Posideona præcedat: eundem Plutarchus in Sylla Martium tradit, his verbis: Μαρτίαις καλάνδαις, ἥτις ἡμέρα συμπίπτει μάλιστα τῇ νουμηνίᾳ τοῦ ἀνθεστηριῶνος μηνός. id est, *Athenas cepit Kalendis Martii, qui dies ferme incidit cum primo die mensis Anthesterionis.* Jam & Suidas μαιμακτηριῶνα quintum esse mensem, dicique Romano sermone Januarium annotat, quum alio loco γαμηλιῶνα Januarium velut sui oblitus interpretetur. Deinde μουνυχιῶνα secundum mensem facit, quum alibi μεταγειτνιῶνα secundum definiat & quidem recte, in illo toto cœlo errans, siquidem orator Hyperides decimam μουνυχιῶνι classem ascribit. Iterum Suidas ἀπελλαῖον Decembrem ponit, quem Epiphanius perperam Augustum, rursus alibi sui immemor Novembrem recenset. Demosthenis Scholiastes Ulpianus σκιῤῥοφοριῶνι undecimum locum tribuit, re-

1 Lib. 8. 2 Lib. 17.

1 Lib. 1, cap. 4.

ctius cum Suida duodecimum illi cessurus. Jose- A
phus quoque in altum nos chaos conjicit, quando
secundum ex Hebræorum sententia mensem, illis
Marsonanen (ut inquit) dictum; apud Macedo-
nas *δῖον* nuncupari scribit, quum Galenus [1] hunc
Septembrem faciat: itaque si ab æquinoctio autu-
mnali, quod in Septembrem incurrit, annum il-
li auspicantur, necesse est secundum ab eo *δῖον*,
Octobrem contra Galeni auctoritatem reddere.
Sed hos scrupos atque salebras acceptos referre
possumus mensium incursionibus, dum alter alte-
rius jus involat atque occupat, quod ex Galeno
demonstrat Gaza, quod, quo tempore apud Ro- B
manos September agitur, apud Pergamenos *ὑπερ-
βερεταῖος* Athenis mysteria celebrentur, quæ *Βοη-
δρομιῶνος περὶ εἰκάδα* celebrant Athenienses aucto-
ritate Plutarchi. Præterea ex Halicarnasseo Dio-
nysio, qui quum octavo die ante exitum *Θαργη-
λιῶνος* (quem nos Aprilem interpretamur, decem
& septem diebus ante solstitium æstivum, captum
Ilium refert, monstrat evidentissime bonam Maii
partem insedisse Thargelionem juxta nostram com-
putationem, eliso etiam Schirrophorione magna
ex parte, cui Hecatombæon succedit, ad quem
solstitium referunt omnes. nisi quis cum Gaza
culpam vel in Ephori (cujus ille auctoritatem est C
secutus) oscitantiam, vel Græcam vanitatem, aut
bibliopolæ inertiam referat: tametsi error scioli
cujuspiam vitio commissus videri potest, qui Thar-
gelionem Majum esse ratus, in margine sui codi
cis commentum adjecerit tale, *Decimo septimo an-
te solstitium die*: quod postea in contextum irre-
pserit. Idem usu venit in Hebræis mensibus, quo-
rum quartum nobis Julium vocari, septimum O-
ctobrem scribit Hieronymus, non omnino erroris
vacuus, si ad nostræ tempestatis monumenta revo-
cabitur calculus. Pro quo notandum Judæos olim
auspicatos fuisse anni initium, ut superius quoque
diximus, ab æquinoctio hyberno, cui & genita- D
lis ortus mundi adscribitur, idque ante discessum
gentis Judaicæ in Ægyptum: postea sub emigra-
tione cœtus Israelitici ex Ægyptiaca servitute,
mensem Abib, Chaldæis Nisam dictum, Deus ip-
se mensium principium præscripsit (ut caput Exo-
di duodecimum testatur) translato prærogativæ
honore ab autumnali ad vernum æquinoctium, ut
melioris mundi palingenesiæ, Christi morte san-
ciendæ, spem nobis faceret. Itaque tantum exor-
bitat Hieronymus, quantum est spatium ab æqui-
noctio verno (quod primum Hebræorum mensem
inchoare debet) usque ad sequentis mensis initium.
Accedit ad supradictas difficultates, cur ita evaria- E
rint menses olim, id quod Julius Solinus scribit,
quod sacerdotes antiquitus gratificantes publica-
norum rationibus, pro libidine sua vel subtraxe-
rint tempora vel auxerint: cui & Marcellinus [2]
suffragatur. Cæterum illud obiter dixerim hic,
propter lubricum istud atque difficile judicium &
male secutam censuram dierum cuique genti in suis
mensibus (Romanos excipio) observatorum us-
que adeo diversimode, me hoc sequi in Fastis meis,
ut, exempli gratia, quod Græci *Θαργηλιῶνος ἑβ-
δόμῃ ἱσταμένου* ascripserunt, ego Aprilis septimo iti-
dem tribuerim, utcumque dissideant apud alteru-
tram nationem initiales & hujus & illius dies. Idem F
judicium & de Hebræis habendum, ut quod il-
li in decimum quartum mensis Nisan referunt, ego
eidem dierum Martii numero apponam, & sic de
reliquis, ne seorsim Romanos Fastos, seorsim
Græcarum rerum acta, similiter & Hebraicarum
pinacas conscribere cogerer. Quod autem ad men-
sium nomenclaturam & ordinem attinet, Gazæ

1 Lib. 1. Cap. 4. 2 Lib. 26.

hominis natione Græci, & citra controversiam u-
triusque linguæ coryphæi, judicium sumus secu-
ti, quos quibus nominibus variarum gentium idio-
mata compellant, singulatim recensere atque enu-
cleare pro tenuitate mea satagam.

JANUARIUS mensis anni apud Romanos auspex
a Jano Latii rege nomen habet, quem propterea
bifrontem pingi ait Isidorus, ut introitum anni
pariter & exitum demonstraret, quanquam Lon-
ginus Cassius vetus Grammaticus dictum quasi
*αἰωνοαειον*, hoc est, *ævi parentem* contendit: nam
a janua superius ascriptum etymon e Porphyrio
petendum est, ne bis idem dicamus. Hunc Athe-
nienses a statis nuptialium dierum festivitatibus *γα-
μηλιῶνα*, velut *nuptialem* nominarunt: Iones *λη-
ναῖον* & *ληναιῶνα*, a Bacchi anniversariis feriis:
Cyprii *ἔθιον*, forsitan a vestibus, quas consulatum
aut magistratum inituri primordio anni novas su-
mebant, nisi ad Vestæ numen referre libeat. Epi-
phanius *αὐδηναῖον* & *νυχιῶνα* a Macedonibus voca-
ri auctor est. Ægyptiorum lingua *τυβὶ*, secun-
dum Theonem, appellat: Chaldæa *Sebat*, aut,
ut alii scribunt, *Schebath*. Antiqui tutelæ Juno-
nis hunc mensem dicarunt. Solinus ait Januarium
diis superis dicatum propter dies impares, quem
numerum Pythagoras monuit præponi in omnibus
oportere, quem in hoc sequitur Plutarchus in ca-
pitum Romanorum enumeratione. Sunt qui Ja-
nuario principem inter menses locum datum præ-
dicant, quod ejus Kalendis, exactis Regibus, pri-
mi Consules creati fuerint.

FEBRUARIUS, quem postremum anni mensem
Festus Pompejus scribit, velut primatum Martio
tribuens, nomen invenit, a *februando*, quod
tum februaretur, hoc est, expurgaretur populus;
nam per dies duodecim continuos februa celebra-
bantur pro defunctorum manibus (ea vox purga-
mina significabat apud priscos Romanos Ovidio
teste) non autem a *Februo*, id est, Plutone, cui
sacra fieri hoc mense solere somniat Isidorus, ta-
metsi etiam Servius Februum Ditis patrem faciat:
neque item a *febris* rigoribus, ut nugatur Hono-
rius. Huc facit quod Plutarchus Februarium men-
sem sonare Græce *καθάρσιον*, id est, *expiatorium*,
annotat in vita Romuli: in quam sententiam Ju-
ba Maurusius nomen ei esse a tollendis atque abo-
lendis spectrorum terriculamentis, maniumque,
quibus parentabant, phantasmatis, scripsit A-
thenæo testante. Nam ridiculum est, quod Sui-
das hujus mensis nomen refert ad Februarium
quendam Consulem Romanum, genere Gallum,
qui inimicitias maximas exercuerit cum Camillo,
insontemque falsis testimoniis velut ad tyranni-
dem aspirantem in exilium ejecerit, quem postea,
recuperata e Gallorum manibus Roma, Camillus
nudatum vestibus, & scirpea storea indutum a li-
ctoribus flagellatum, Urbe expulerit, relicto ab
illius nomine mutilo mense. Hunc mensem *inter-
calarium* appellat T. Livius Macedonici belli lib.
7. ob insitionem diei unius quolibet quadriennio
fieri solitam. Eundem Apollinaris *ninguidum Nu-
mæ mensem* vocat, admonens Jani Numæque nin-
guidos menses in otio fuliginoso seu tunicata quie-
te transmittendos. At *ἐλαφηβολιῶνα* a deciduis
cervorum cornibus, aut, ut alii malunt, ab E-
lapheboliis Dianæ saris, in cujus tutela cervi ha-
bebantur, dixerunt Athenienses: nam falsus est
Laurentius Valla qui Elapheboliona Decembrem
exponit apud Thucydidem. Hunc puto & *ἐλά-
φιον* mensem esse, cujus decimo nono die scribit
Pausanias apud Elæos cinerem e Prytaneo efferri,
sic inquiens: *φυλάνξαντες οἱ μάντεις τὴν ἐννάτην
ἐπὶ δεκάτῃ ἐλαφίου μηνός*. Eundem *περίτιον* nomi-
narunt Macedones, auctoritate Suidæ & Jose-

phi: Cyprii Ρωμαῖον: Lacedæmonii γεραίστιον testimonio Thucydidis lib. 4. Troezenii γεραιστίωνα; Ægyptii μεχεὶρ; Syri *Adar*, ἀδὰρ, quem postremum anni curriculum claudere facit Josephus, Germani a cornuum mutatione *Hornungum* vocitant, quæ vox ab ἐλαφηβολιῶνος etymo non abludit, iidem & corvorum mensem, at Belgæ *Sprockelmanum* a collectaneis quisquiliarum, quas defluxa jam hyemis sævitia igni adjiciunt tenuiores. Antiquitus sub Neptuni tutela fuit. Solinus ait deputatum esse diis inferis propter dies pares. ita ferme & Plutarchus, τοῖς χθονίοις sacrum prædicans.

MARTIUS mensis Marti sacer, ut in Numa vult Plutarchus, aut ut alii, sub Minervæ tutela. Attica lingua μουνυχιὼν, a *Munychiis* Dianæ feriis, teste Plutarcho in Theseo: a Macedonibus ἀρτεμίσιος, quasi *Dianius*, si Galeno standum est, dictus, nam Epiphanius ἀρτεμίσιον cum Pachone seu Majo confundit, ut paulo ante ostensum est, Cypriis ἀφροδίσιος auctoritate Porphyrii, quasi *Venereus*, dicitur. Quid quod & δύστρον Macedonum lingua nominari testantur Josephus, Suidas, Aetius lib. 3. Anatolius? nam δρίτος corrupta vox est apud Tzetzen in commentariis Hesiodianis. Ægyptiis φαμενωθ, ut in Aratum annotat Theon. Hebraica lingua *Abib* nominatur, quasi *culmus spiciger*, quod in eo spicæ e culmis exeant in regione Judaica, ut videre est Exodi capite decimo tertio & tricesimo quarto; Chaldaica voce *Nisan*, Hebrææ genti postea pro eodem mense familiariore facta. Porro a Marte fabuloso genitore primi mensis nomen sanxit Romulus, ut plerisque placet. Isidorus Hispalensis Martio nomen inditum ait, quod tum animantes ad marem coitu gliscant, quem sequitur & Honorius Augustodunensis non libenter postremi nominis scriptor.

APRILIS ab *aperiendo* nomen accepit, quod Terra mater sua viscera recludat, opesque suas refundat, aeris verno tepore aperta. Sunt qui veluti *aphrilem*, ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ, a *spuma* genitali qua fabulose Venus orta credebatur, dictum autumant, ac propterea secundum locum e Romuli instituto accepisse, ut parenti Martius, generis auctori Veneri Æneæ matri, ad quem genus referebat, proximus locus jure cederet. sic ferme Ovidius & Macrobius. Non dissimili a priore ratione θαργηλιῶνι nomen illi crearunt Athenienses, quod tunc incalescat genitali calore tellus, quamquam ad *Thargelia* Apollinis festum, nominis originem referre malint alii, cui in ollis excoquebantur fructuum primitiæ. Cyprii ἀπογονικὸν juxta superiorem sensum a *gignendo* nominarunt, quemadmodum βύσιον quasi φύσιον Delphi, quod tunc producat credita sibi semina parens terra, παρὰ τὸ φύειν. Mavult tamen Plutarchus βύσιον quasi πύσιον a consulenda oraculi voce, quod hoc mense responsa dabat, dictum. Quo nomine mirum mihi videtur, quod Gyraldus vir multæ lectionis addubitet, qui nam fuerit mensis, quum Plutarchus in enumeratione capitum Græcorum planum hoc faciat & indubitatum, quum ejus mensis septimo natalem Apollinis adscribat, quem constat ex ejusdem & Laertii auctoritate, septimo Aprilis die editum fuisse, utcunque ille θαργηλιῶνα reddat Februarium oscitantior suique oblitus. Macedones ξανθικὸν, aut, ut alii scribunt, ξανθικόν: Ægyptii φαρμουθὶ: Hebræi *Zio* vel *Zif* efferunt, nomen habentem a splendore: Chaldæi *Ijar* dixerunt, quasi mensem apertionis florum: quæ vox & in coloniam Hebræam translata est, post multorum annorum ejus gentis apud Chaldæos moram, habeturque secundus mensis, ut Nisan primus ob festorum celebritatem. Veteres Latini tutelæ Veneris hunc attribuere, unde Flaccus de Idibus Aprilis, loquens, *Qui dies*, inquit, *mensem Veneris marinæ Findit Aprilem*. Græci, teste Suida, tutelam ejus ad Apollinem referunt:

MAJUM mensem a *majoribus* dictum arbitrantur, cujus ordinis reverentiæ eum honorem tribuerit Romulus, quod in rebus dubiis post deorum opem senectuti consultæ proximus debeatur locus. alii a *Maja* Mercurii matre nomen habere existimant: Naso mensis nomenclaturam *Majestati* Honoris ac Reverentiæ filiæ acceptam referri vult. At qui *Majum* quasi *Madium*, quod imbribus ob exortum pluvialium syderum madeat, dictum asserunt, longius simul & alienius derivationem nominis repetere mihi videntur. Oscorum lingua *Mesius* vocabatur, Attica σκιρροφοριὼν, a *Scirrhade* Minerva, cui sacra fiebant, aut secundum alios ab umbellis, quæ σκιρρὰ nominantur, quas ex arce Minervæ sacerdos cum Neptuni & Solis flaminibus certum in locum deportabant, ædificandi argumento. Cyprii αἰνικὸν nominabant, Ægyptii παχών. Ubi obiter adnotandus venit crassus, imo portentosus Baptistæ Pii error, qui dum oscitanter legit versiculum Græcum, quo Pachon dicitur servare falcibus arefactas segetes, substituit in loco Pachon, mensis nomen Auanthenta, ita namque vertit, quod Græce est, λήια δ' αὐανθέντα παχὼν δρεπάνοις φυλάσσει, *incisas Auanthenta falcibus messes custodit*. Epiphanius repugnante Galeno Macedonum ἀρτεμίσιον hunc facit, consentiente & Aetio medico. Hebræi *Sivan*, aut, ut habet Josephus, σαββὰ vocatur, quæ vox in Ruffino perperam legitur conversa in *Sedebath*. Majum Mercurio sacrum vult Plutarchus in Numa; alii tutelarem ei constituunt Apollinem.

JUNIUS *juvenum* honori datus post majores, qui manu rem fortiter gerendo, pro aris focisque starent. alii a *jungendo* derivant, ab animorum conjunctione, qua Romani & Sabini depositis simultatis & irarum causis, uniti in unam gentem coaluere. nonnulli ad *Juventam* deam nominis causam referunt, alii ad *Junium* Brutum qui hujus mensis Kalendis Carnæ sacrificarit expulso Tarquinio cognomento Superbo. Non desunt qui a *Junone* dictum rentur, ut qui & *Junonius* apud Laurentes & Aricinos, *Junonialis* apud Prænestinos, Nasone & Sex. Pompejo testibus, fuerit nominatus. Sunt qui & *Dioscorum* eum vocatum fuisse annotant. Athenienses ἑκατομβαιῶνα ab *Hecatombis* sacris centenariis dixere: Macedones δαίσιον sive δέσιον, utraque enim lectio reperitur, auctoritate Suidæ & Plutarchi in Aristide. Idem tamen in vita Alexandri λῷον Macedonum lingua vocari, quem reliqui ἑκατομβαιῶνα nominent, auctor est: cui astipulantur & Josephus & Galenus commentariis in Epidemia, utpote cujus initio solstitium æstivum attribuat. Plutarchus alibi κρόνιον quoque dictum eundem refert. Bœoti ἱπποδρόμιον nuncupant, eodem teste in Camillo. Ægyptii παϋνὶ, *Payni*: Cyprii ἰούνιον mere Romana voce dicebant. Syriaca lingua *Thamus* appellabatur ab Adonide Veneris amasio, quem eo nomine compellabant, hoc mense extincto, uti proditum est ab Hieronymo; quamquam ille pro Julio eum interpretatur, quod ab Aprili initium anni Judæorum metiatur. Germani *Brachmanum* a *repastinando*, Belgæ *Weydmanum* quasi *pascualem* nuncupant. Hoc mense Soli circa solstitium versanti magnifice sacrificabant Athenienses: propterea Soli sacrum facit Junium Plutarchus, quem alii tutelæ Mercurii subjiciunt.

JULIUS a natali *Julii* Cæſaris, legem ferente M. Antonio, nomen eſt adeptus, antea *Quintilis*: *μεταγειτνιὼν* a *Metagitniis* Apollinis ſacris (ut auctor eſt Harpocration) dictus ab Athenienſibus: *καρνεῖος* Syracuſanis, ut a Plutarcho in Nicia proditum eſt, quem falſo Majum vertit Guarinus. Cyprii a Cæſare *καισάριον*: Macedones & Bœoti *πάνεμον* ſua lingua vocabant, teſtimonio Suidæ & Plutarchi in Camillo: Ægyptii *ἐπιφὶ*, ſecundum Theonem & Arrianum: apud Germanos & Belgas a fœno, quod tunc ſucciſum convehitur in ſtabula, nomen habet: Hebraico idiomate *Ab* vocatur. Huic menſi primam ſementem dicatam auctor eſt Theophraſtus. Olim ſub Jovis tutela fuit habitus.

AUGUSTUM, prius *Sextilem*, ſuo nomine donari voluit *Auguſtus* Cæſar, qui eo primum conſulatum infra legitimam ætatem obtinuerit, & plureis inſignes victorias. auctor Dion Coccejus. *βοηδρομιῶνα* Attica nominavit a *Boedromiis* feſto in gratiam Jovis Xuthi filii inſtituto, qui (ut a Philochoro in literas relatum eſt) Athenienſibus ab Eumolpo Neptuni filio, prælio ſuperatis opem tulerat. Epiphanius libro contra Hæreſes primo *γορπιαῖον* a Macedonibus dici *Auguſtum* ſcribit. Tzetzes *λῷον* facit, ut ſequentem menſem *γορπιαῖον*. Cyprii *σεβαςὸν* voce Auguſtum ſonante nuncuparunt: Ægyptii *μεσορὶ*: Chaldæi *Elul*, non *Eyul*, ut in Alphonſi tabulis perperam legitur, uti pleraque omnia menſium nomina apud illum corrupta ſunt, quæ ex his annotationibus noſtris integritati ſuæ commode reſtitui poterunt. Germani pariter & Belgæ *Oogſtmanum*, ceu *ὀπωρινὸν*, & pomorum productorem ſimul & meſſis, appellitant. Sub tutela Cereris olim eſt habitus: quod Ægyptios Harpocrati ſilentii præſidi deo ſacer erat, teſtante hoc Plutarcho libro de Iſide & Oſiride.

SEPTEMBER a *ſeptima*, quam obtinet, claſſe poſt Martium, dictus, ab Atticis *μαιμακτηριὼν*, *ἀπὸ τοῦ μαιμάκτου Διὸς*, *a turbido & impetuoſo Jove*, utpote hyemis initio turbulentiore reddito aere, ut inquit Harpocration. Galenus *λῷον* dici Macedoniæ teſtatur. Sunt qui eidem genti *γορπιαῖον* dictum, pro Septembri malunt accipere, quam pro Auguſto, quem & Suidas *γορδιαῖον*. Bœotii *ἀλαλκομένιον* teſte Plutarcho in Ariſtide: Cyprii *αὐτοκρατορικὸν* velut *Imperatorium*: Pergameni *ὑπερβερεταῖον* auctore Galeno, cui & Joſephus ſubſcribit libro tertio [1], quem tamen Octobrem exponit Suidas: Ægyptii *θὼθ* a *Thone* quodam cognominatum, medicæ artis primo apud eos repertore, ut volunt. Idem & *χοί*. *Δῖον* quoque intelligere videtur eundem Galenus, ut cujus initio autumnale æquinoctium ſtatuat, ſed hic in Octobrem decurrit potius ex Joſephi ſententia. Chaldæi *Tiſri* dixerunt: Germani *Autumnalem* menſem: Belgæ ab hordeo *Gerſtmanum*, alii *Speltmanum* a collectione zeæ, quod frumenti genus patria lingua *ſpeltam* nominant. Refertur ad tutelam Vulcani.

OCTOBER ab ordine, ut reliqui: *πυανεψιὼν* Athenienſibus dictus, quod *πύανα*, id eſt, *fabas*, ſive *πυάμους* quaſi *κυάμους* in Apollinis feſto a Theſeo inſtituto, ut annotat Euſtathius, decoquerent. Cyprii *δημαρχεξάγιον* quaſi *tribunitium* nominarunt: Bœotii *δαμάτριον* a *Cerere*, cujus ſacra hoc menſe commovent. Ægyptii *φαωθὶ*, ſeu, ut apud Theonem & Nicolaum myrothecii auctorem legitur, *φαωφί*. Plutarch. tamen lib. de Iſide, confundit *Athyr* Ægyptiorum, cum Pyanepſione Athen. & Damatrio Bœotiorum. Hebræi voce Chaldaica *Marcheſvan*, apud Joſephum *μαρσουάνη*: nam vetuſta Hebræorum lingua hic menſis octavus ordine *Bul* appellatur in libris Regum, ab imbrium copia, quaſi diluvium, מבול. Sunt qui & Hyperberetæum a Macedonibus, uti admonui, fuiſſe dictum hunc menſem adnotant, quem etiam cum ſequenti *φυλλοχόους* a *foliorum defluvio* Græci nuncupant, quod frondium honore tunc ſpolientur arbores, effœta jam terra, alimento deſtitutæ. Germanis *Vindemiator* menſis nuncupatur: Belgis *Braeckmanus* a confringendis canabeis linique ſtipulis. Tutelæ Martis adſcribitur.

NOVEMBER, Atticæ *ἀνθεστηριὼν*, quod tum verſicolore *florum* pigmento *nudetur* terra: utcunque Philoſtratus ſophiſta cauſam nominis referat ad ritum coronandi pueros triennes ſertis *floreis*. eundem *προστατήριον* velut *initiatorem* & *auſpicem* nominatum oſtendit Plutarchus, quod relinere ſerias muſtumque delibare conſueverint. Macedonum lingua *δῖος* Tzetze teſte dicitur. Ægyptiis *ἀθὺρ*: Chaldæis *Kisleu*: Cypriis *πληθύπατος* ſive *πληθύπατος*: Germanis proprie *hyemalis menſis*: Belgis *Slachtmanus* a ſolenni jugulatione pecorum, quorum carnes, annui penus gratia, partim muria conditas, partim fumo duratas toto pæne anno aſſervant. Hunc Baccho conſecrat Harpocration, Latini tutelæ Dianæ attribuunt.

DECEMBER, quem & *Genialem* menſem, a comeſſationis ſtudio appellant quidam, unde & ab Ovidio in faſtorum ſecundo audit, *Acceptus geniis December*, *ποσειδεὼν*, quaſi *Neptunius* a Palladis & Neptuni certamine Atticis nominatur. Anacreon *ποσειδηϊῶνα* poetice dixit, cujus turbulentiam graphice depingit, ſic inquiens:

Μεὶς μὲν δὴ Ποσειδηΐων ἕστηκε,
Νεφέλαι δ' ὕδατι βαρύνονται,
Αγριοι δὲ χειμῶνες παταγοῦσι.

id eſt, *Jam ſtat menſis Neptunius, gravidæ aquis nubes ſpiſſantur, efferique turbines circumfremunt*. Macedonum lingua Ἀπελλαῖος teſte Suida, & *καθ' ἑαυτὸν πέρας* velut *ſui finis*, ab eadem gente nuncupatur, auctoritate Galeni. Cypriis *ἀρχιερεύς*: Ægyptiis *χοιὰκ* vel *χοιὰχ* dicitur. in quo falſus eſt Tzetzes in Heſiodi commentariis, *ληναιῶνα ἤτε τὸ ἰανουάριον*, *χοιὰκ* interpretans, pro Januario Chœac. Chaldæis *Tebeth*: Germani *Luparium* menſem, & a Chriſti natali *Chriſtmanum* appellitant. Ad Veſtæ numen hujus tutela refertur, Macrobius tamen Saturno ſacrum facit. Porro haud alienum a propoſito καὶ *ἀπροσδιόνυσον* facturus mihi videor, ſi hoc in loco ſimulachra cujuſque menſis adjiciam. Itaque Januarium imagine heluonis ſcyphum plenum manu tenentis depinxere antiquiores: Februarium ſenis foculo aſſidentis: Martium frondatoris aut hortulani: Aprilem effigie hominis florum paſtillum præferentis: Majum adoleſcentis equitis avem geſtantis: Junium ſpecie agricolæ fœniſecæ: Julium habitu meſſoris cum falce diſtricta: Auguſtum ſpecie nudantis terram frugibus, cum quadriga & vanno: Septembrem vindemiatoris: Octobrem ſeminantis in formam effigiabant: Novembrem inſtar ruſtici decutientis glandes in paſtum ſuibus: Decembrem denique in modum lanii jugulantis porcellum. Hactenus de menſium nomenclatura. Nunc corollarii vice menſes Ægyptiorum & Romanorum ordine deſcriptos ex Epigrammatum Græcorum collectaneis, & a me carmine redditos, ſubjiciam, deinde reliquum inſtituti operis perſecuturus.

1 Cap. 10.

Menſis

A Menses Ægyptiorum a Septembri incipientes ex Epigr. Spicilegio.

Πρῶτος Θὼθ ἐδάη δρεπάνην ἐπὶ βότρυν ἐγείρειν.
Ἰχθυβόλοισι Φαωφὶ φέρει πανδήμιον ἄγρην.
Πληϊάδων Φαίνουσαν Ἀθὺρ τεκμαίρεται ὥρην.
Χοιὰκ σπειρόμενον σταχύων δείκνυσι γενέθλην.
Τυβὶ δὲ πορφύρεον βουληφόρον εἷμα τιταίνει.
Σημαίνει πλωτῆρσι Μεχεὶρ πλόον ἀμφιπολεύειν.
Ἄρεος ὅπλα φέρειν Φαμενὼθ δείκνυσι μαχηταῖς.
Εἰαρινῶν Φαρμουθὶ ῥόδων προτάγγελός ἐστι.
Λήϊα δ᾽ ἀυανθέντα Παχὼν δρεπάνοισι φυλάσσει.
B Εὐκάρπου δὲ Παϋνὶ προάγγελός ἐστιν ὀπώρης.
Καὶ σταφυλὴν κατέχων ὁ ἄμπελός ἐστιν Ἐπηφί.
Καὶ Μεσορὶ Νείλοιο φέρει φυσίζοον ὕδωρ.

Latine.

*Thot primus docuit defringere falce racemos.*
*Piscatori ingens cedit captura Phaothi.*
*Plejadas Oceano surgentes indicat Athyr.*
*Læta satæ segetis Chœac primordia pandit.*
*Dat Tybi Consulibus tinctas e murice vestes.*
*Cuncta Mechir reserat securis cœrula nautis.*
*Martia te Phamenoth monet arma capessere miles.*
C *Vernantes Pharmuthi rosas prænuncius adfert.*
*Arida fruge Pachon asservat falcibus arva.*
*Ubere proventu promittit poma Payni*
*Inde uvæ læto turgent in palmite Epephi.*
*Fœcundo Mesori Nili latice irrigat agros.*

Menses Romanorum.

Ἐξ ἐμέθεν λυκάβαντος ὑπ᾽ ἠελίοιο θύρετρα,
Αὐσονίοις ὕψος δέρκεται ἠέλιος.
Αὐτὰρ ἐγὼ θαμινῆς γαῖαν νιφάδεσσι διαίνω,
Τεύχων εἰαρινῆς ἔγκυον ἀγλαΐης.
D Ἄρχετ᾽ Ἄρης ἀπ᾽ ἐμοῖο καὶ ἄνθεα καὶ γλάγος ἤδη,
Ἴση δ᾽ εἰκοστῷ ἤματι νὺξ τελέθει.
Εὐτύνοι τῆμος δὲ φυτοσκάφος, ἔρνεα τάμνων,
Ῥίζῃ ἐπ᾽ ἀκροτάτῃ ἥμερον ἀκρέμονα.
Οἴγεται ἄρτι θάλασσα, ἐφοπλίζοιτε δὲ νῆας.
Ὥριον ἀκλύστων ἐκτὸς ἄγειν λιμένων.
Μεσσάτιος ῥόδου εἰμὶ καὶ ἀργεννοῖο κρίνοιο,
Καὶ ξανθῆς κεράσου βρίθομαι ἀκρέμοσιν.
Κάρκινον ἠέλιος μεταγείσεται, ἀστάχυας δὲ
Καρφαλέους κείρει γειοπόνος δρεπάνῃ.
Κρίνω ἐγὼ πυρὸν καὶ ἀχυρμιὰς, ἐν δὲ λέοντι,
Ἀτρεκέα τελέθει χεύματα Νειλιάδων.
E Βρίθω ἐγὼ σταφυλῇ, βρίθω δ᾽ ἐπὶ πάσῃ ὀπώρῃ
Αὖθις δ᾽ ἰσοπαλὴς γίγνεται ἤματι νύξ.
Τίς δὲ κ᾽ ἐμοῖο πέλε γλυκερώτερος, ὅς μέθυ ληνῷ
Ἡδὺ ἐπικατάγω, Βάκχον ἀπ᾽ οἰνοπέδου.
Εἴ τοι Ἀθηναίης πέλει ἔρνεα, ὥριον ἤδη
Καρπὸν ἀποθλίβειν, μνῆστιν ἔχειν καμάκων.
Παύσασθαι νειοῦ κέλομαι, γλαγόωντι γὰρ ἤδη
Σπέρματι ῥιγεδανὴ πηγυλὶς ἀντιάσει.

Latine.

F *A me vertentis pandunt sese ostia Phœbi,*
*Auspiciumque anni sol videt Ausoniis.*
*Humecto nivium tellurem aspergine crebra,*
*Fœcundam verno nempe nitore parans.*
*Incipiunt a me Mars, flores, copia lactis:*
*Par luci spatium noxque vicena trahit.*
*Jam frondatori sectus radicibus altis,*
*Culti vi ingenii surculus inseritur.*
*Jamque patet pelagus, naves deducite, tutos*
*Intra stat portus non bene clausa ratis.*
*Me rosa purpurea, & candentia lilia stipant:*
*Et flavæ cerasi brachia fœta tument.*



A *Carcini adit chelas Titan, & falce recurva*
*Arentes spicas demetit agricola.*
*Frumentum incerno & paleas: torrente Leone*
*Miliades fundunt ampla fluenta deæ.*
*Fundo feras uvas, pomorum & nomina millle:*
*Par noctem atque almum dividit hora diem.*
*Dulcior an me extat quisquam? cui vinea Bacchum*
*Fundit at, inque lacum mustea vina cadunt.*
*Si tibi Palladia est arbos, res poscit olivam*
*Exprimere, & memorem te ante parare sudes.*
*Cesset humus moneo, lactescens semen in arvis*
B *Atroci premitur dum Cereale gelu.*

In eosdem.

Μὴν ὑπάτων πρῶτος. ὁ δὲ δεύτερος αὔλακα τέμνει.
Ὁ τρίτος Αὐσονίων γενεὴν ἐπὶ μῶλον ἐγείρει.
Τέτρατος ἀγγέλλει ῥοδοδακτύλου εἴαρος ὥρην.
Εἰμὶ ῥόδων γενέτης, τὰ δ᾽ ἐμὰ πτερὰ Νεῖλον ἐγείρει.
Οὗτος ἀειστάφυλῳ πεφιλημένος ἔπλετο Βάκχῳ.
Τεύχω δ᾽ οἶνον ἐγὼ μελιηδέα χάρμα βροτοῖσι.
Δαῖτα φέρω χαρίεσσαν ἐς οὔνομα φωτὸς ἑκάστου.
Φορμίζειν δεδάηκα καὶ ὑπνώοντας ἐγείρειν.

C Latine ita.

* *Consulibus primus mensis facer: alter aratro*
*Sulcat humum: Ausonios ad prælia tertius armat.*
*Nunciat hinc quartus veris florentis honorem:*
*Gigno rosas quintus, candentia lilia sextus.*
*Fusce ligat messem hic: nostris Nili alveus alis*
*Æstuat: uvifero nonus sacratus Iaccho:*
*Vina parat decimus solamina dulcia mentis:*
*Evocat undecimus constrata ad fercula amicos:*
*Bissextus citharam somnique oblivia profert.*

D

## CAP. V.

*De Kalendis, Nonis, & Idibus, deque dierum delectu.*

Kalendas a *calando*, hoc est, *vocando*, quod tunc senatus convocaretur, dicta scribunt: Isidorus etiam a *colendo*, quod mensium omnium initia sacrosancta haberentur, colerenturque: sed inimitabili audacia effictum, ut puto, etymon. At Plutarchus, ut erat male Latinus, a *clam* derivationis ductu putat kalendas dici, quod luna pro-
E pter coitum lateat quodammodo lumine defecta. sic Nonas, quod veluti *nova* fiat in occiduo orbe conspicua: at Idus, quum pleno jam orbe spectabilis est, ἀπὸ τοῦ ἰδέσθαι. Sed dandum est istud imperitiæ linguæ. Alii Nonas dictas autumant, quod ex eo die *novem* numerentur dies ad Idus usque. Idus vero derivant ab *iduli* Hetrusca voce, qua ovis significabatur, quæ a flamine Jovi Idibus mactari solebat. Macrobius ab *iduando*, hoc est, *dividendo*, quod is dies mensem dissecet. Quo allusisse videtur Horatius Idus appellans diem, qui findit mensem, & Diony-
F sius Halicarnasseus exponit Idus διχομηνίδα ἡμέραν, hoc est, *dissectorem mensis diem*, & quasi semestrem. Quin & Isidorus Hispalensis episcopus non postremi nominis, Idus ab *edendo* plerosque Latinorum dictas existimavisse scripto prodidit, quod ii dies ferme epulis essent dicati. Sic Nonas a *nundinarum* significatione nomen traxisse idem putat, quibus publici conventus & mercimonia celebrarentur. Cui opinioni refragatur Macrobius, nundinas a nonis fuisse exclusas scribens, quod conventum multitudinis ominosum & caven-

dum eo die existimarent, propter nescio quem seditionum & tumultuum fatalem metum. Kalendæ omnes & Nonæ, nec non Idus, religiosi habebantur dies contrahendo matrimonio, si Macrobio credimus: quin & postriduani Kalend. Non. & Iduum, alieni nuptiis credebantur, & atri Pontificum decretis judicati, ut qui neque præliares, neque puri, neque comitiales esse poterant, quibus ferme Romana res detrimentum acceperat. Hinc etiam atros dies olim *posteros* quoque dictos annotat Nonius Marcellus, attestatur Afranius vetus Comicus versu,

*Septembris heri kalendæ, hodie atri dies.*

postriduanos Kalendarum dies ominosos designans. Addit quoque Plutarchus postriduanis istis iter ingredi detrectasse Romanos. Sic Augustum Cæsarem legimus feriæ rei nihil inchoare voluisse Nonis, ut ominosis: Tacitus item Imper. nullam intermisisse noctem, qua non aliquid vel scriberet vel legeret, præterquam postridie Kalendarum a Flavio Vopisco commemoratur. Kalendas autem omnes Junoni, Idus Jovi sacras habuere Romani, quod in Fastis non tacuit Ovidius, quum inquit:

*Vendicat Ausonias Junonis cura Kalendas,*
*Idibus alba Jovi gradior agna cadit.*

Idus vocat Ausonius *almam diem & geniis deorum cultam*, siquidem Augusti Idibus Dianam, Maii Mercurium in lucem editos constet. Ita Græci Kalendis cujuslibet mensis (sic enim primum diem cum venia nomino, ne fidem meis dictis deroget Græca parœmia) Deos venerari consuevisse, postridie Semideos, Indigetes, & Heroes leguntur. Apud Lacedæmonios Kalendis omnibus vini sextarius, ac farinæ modius, nec non singula pecora Regibus ad sacrificium, quod Apollini fiebat, dabantur. Pindari Scholiastes in Nemæis ait, Kalendas Apollini esse consecratas, quod is deus idem sit cum Sole. Kalendis nomina persolvebant debitores usurariis, testantibus Flacco & Aristophane in Pluto Comœdia. Kalendis item addicebantur de lapide servi venum expositi. Quid quod & tum per suffragia fiebat delectus ducum militiæ apud Athenienses, ut in Suida lectum est. Neque prætereundum silentio est, quod præcipuæ feriæ Idibus fuerint dicatæ ferme. Jam vero quod apud curiosam plus nimio superstitiosamque vetustatem in statis diebus plurimum religionis posuerint, non est transmittendum. Nam secundus mensis dies, Heroibus & fausto Genio sacer (quod & in craterum numero observatum fuit) ἀγαθοῦ Δαίμονος dicebatur, ut ex Plutarcho discas. Pausanias tertium quemque mensis diem Minervæ consecrat: quartus Mercurio dicatus erat, ut annotant Lexica, non modo quoniam quaternarius numerus illi Deo, utpote τετραγώνῳ præsidi, sit sacer habitus, quod testatur Capella, verumetiam quod quarto mensis die in lucem fuerit editus, ut in Symposiacis refert Plutarchus [1]. Eundem diem *Pana* quoque nominatum antiquitus scribit Politianus, fortassis a naturæ e quatuor elementis conformatæ imagine, quam Pan exprimit apud Theologos. Quintus dies ominosus habetur Maroni, ut quo Orcum, Eumenidas, Gigantesque satos prædicat. Rursus septimus Phœbo erat sacer, quod in opere rustico exequitur Hesiodus:

Αἱ δὲ γὰρ ἡμέραι εἰσὶ Διὸς παρὰ μητιόεντος,
Πρῶτον ἔνη τετράς τε καὶ ἑβδομὰς ἱερὸν ἦμαρ.

nam eo die e Latona genitum Apollinem, hoc est e Chao extitisse Solem fabulatur, unde & ἑβδομαγενῆ, quasi *septimagenam* Flamines eum vocarunt Plutarchi testimonio: alioqui diem septimum sacrum antiquissimi quique semper habuere, ut quo universa rerum facies fuerit absoluta, quod & Homerus & Orpheus non ignorarunt. Præterea octavum quemque mensis diem Theseo sacrum apud Athenienses fuisse lectum est, quanquam Neptuni celebritati eum dedicet Plutarchus in Theseo. Nonum diem, quem fugæ meliorem & furtis contrarium existimavit Virgilius, Soli sacrum facit Halicarnasseus Dionysius, uti decimum quintum Minervæ, in quo absolutus sit circulus. Pythagoræi decimum septimum ἀντίφραξιν, quasi *diremptorium* diem nominabant, prorsus consecrato eo numero, ut e Plutarcho constat, quem & Maro fœlicem pangendis viribus cecinit. Epicurei εἰκάδας, hoc est, vicesimum quemque mensis diem sacrum ducebant, quod is Epicuri natalis fuerit: alioqui Apollini sacrum eundem agebant Athenienses, si Pompejo Etymologici auctori fides habenda est, unde & ἱερὰ εἰκὰς dicebatur. Contra vicesimam primam cujuslibet mensis funestam & atram habebant Chalcedonii, quod ea Darii præfectus Pharnabazus liberos ipsorum castrarit, & in Persidem ablegarit, ut ex Arriani historia refert Eustathius. Plethon quoque alterum diem, qui finem mensis præcedit, Plutoni sacrum perhibet incerta ratione. Quin & κράνειον mensem integrum, solennem & feriatum agebant olim Spartani, eoque a præliis supersedebant, ut apud Thucydidem legitur. Sic mense δαισίῳ, quem Junium exponit Suidas, ominosum putabant Macedones educere exercitum, ut tradit Plutarchus. Philochorus δημητριῶνα mensem integrum senatusconsulto feriatum esse Athenientibus auctor est, ac propterea ἱερομηνίαν dici, οἷον ὅλον ἑορτήν. Neque illud omiserim, ter in mense Athenis conciones & conventus haberi consuevisse de reipub. statu consiliis ineundis, ni belli necessitas aliud suasisset. Prima autem coitio fiebat undecimo mensis die, secunda vicesimo, tricesimo tertia, ut est ab Ulpiano in Demosthenem annotatum. Hebræi tricesimam cujuslibet mensis, ut & primam celebrabant ad memoriam gubernationis divinæ. Porro dies ut nonnulli auspicati, ita e diverso valetudini inimici atque lethales habiti fuere, quos cuilibet mensi binos stolidi homines assignarunt: vulgus *Ægyptiacos* a gentis vanitate nominat. Sunt & ominosi, & atri nefastique dies, quibus jura silebant & interdicebatur prætori causarum cognitio, quorum institutio a Numa Pompilio excogitata fuit, testante Livio. Quibus clades damnaque Reipub. advenerant, ἀποφράδας velut *infandos* Græci nuncuparunt & ἐπεικάδας cujusmodi fuit bissextus Februarii Reipub. Romanæ sæpe infaustus. Cujus ominosum auspicium vitans Imper. Valentinianus jam electus in publicum prodire noluit, teste Ammiano [1]: qui tamen Divo Carolo Quinto auspicatissimus dies natalis & triumphalis illuxit. Proinde in Phormione recte Comicus ridet superstitiosos quosdam, qui ante brumam diebus decrescentibus nihil novi negotii aggredi audebant; ac propterea non mirum est, si laudetur Heraclitus, quod Hesiodum sugillaverit, bonos & malos quosdam dies constituentem, velut qui ignorarit cujuslibet diei unam esse naturam. ac disceptat Plutarchus, statuendi ne sint aliqui dies atri, an non. Certe vanitatem superstitionemque creduli vulgi ridens Lu-

1 Lib. 9.

1 Lib. 26.

cullus, non minus felici eventu, quam recto judicio, perculſos diei ominoſi fortuna milites ad inſignem victoriam animavit, ut ex atro album facerent fortiter pugnando, admonens. Idem; dies Craſſum cum exercitu a Parthis deletum novit, & Pacorum Parthiæ regem Ventidio captivum dedit: Attalo regi, Magnoque Pompejo idem dies necem attulit, qui natalis fuerat: Auguſto Cæſari idem dies accepti imperii princeps, & vitæ ſupremus fuit, teſte Tacito: Baſſianum Caracallam eodem die & vitam auſpicatum, & poſuiſſe ſcripto mandavit Ælius Spartianus: C. Caſſius natali die commiſſo apud Philippos prælio extinctum refert Appianus: & nobiliſſimo Principi Friderico II. idem funebris fuit dies, qui imperium obtulerat. Superioribus annis conſtat Franciſcum Vatablum,& Jacobum Tuſanum doctiſſimos homines, illum Hebrææ prælectionis, hunc Græcæ profeſſionem eodem die ſuſcepiſſe, & eodem vitam finiiſſe. Cæterum apud Siculos reliquoſque Græcos dies fuerunt *exemptiles*, ſive ἐξαιρέσιμοι dicti, quos teſte Cicerone in Verrinis deducebant e menſe, ſi quid diſcreparet.

## CAP. VI.

*De ordine & ratione dierum hebdomadæ ex Dione.*

QUid majores noſtros impulerit, ut hæc nomina diebus imponerent, quæ uſu perpetuo velut per manus accepta adhuc obſervamus, controverſum videri poterat, niſi Plinius locupletiſſimus naturalis hiſtoriæ ſcriptor brevius idem & obſcurius indicaſſet, dicens primis horis ſingulorum ordine dierum, cujuslibet planetæ imperium aſſignari, juxta orbium cœleſtium volutationem & ἐυταξίαν. Hujus rei duplicem rationem adfert luculentiſſime Dion hiſtoriarum quadrageſimo ſeptimo libro, ex adytis Ægyptiorum (quos δυσμεταδότους appellat ideo Strabo, quod difficulter adduci poſſent, ut ſuam diſciplinam aliis impertirent) depromptam: quarum una eſt Harmoniæ Muſicæ, quam διατεσσάρων nominant, qua contineri muſica ratio planetarum hunc mundi ornatum variantium creditur, eo ordine quo ſuum quiſque curſum obit. Eam quaterniones ordine ſinguli in orbem numero collecti conſtituunt, dum ſcilicet quartus a primo planeta, ut cœli curſum abſolvunt, in caput ſemper redigitur, hoc nimirum pacto. Statuitur primo loco Saturnus, cujus nomine deſignatur ſabbati dies, quem vetuſta Hebræorum gens religionis neceſſitate ſacroſanctum habet) quamvis extremi ſphærarum orbis præſes: ab eo tranſmiſſis duobus intermediis ad quartum inde planeten, qui tetradis præſes nominatur, qui ſol eſt: ab hoc rurſus, tranſcurſo pari intervallo, ad Lunam, quæ ſeptimo loco eſt & infimo: a Luna ad Martem, qui ſolarem circulum vicinia ſuperat, regredimur: hic in Mercurium ſupra Lunare jubar proximum rejicit ſe: is ad Jovem nuncius & interpres deum habitus commigrat: ille ad Venerem: hæc rurſus ad Saturnum recurrit. Hunc ductum ſequitur dierum hebdomadæ curſus. Altera ratio petitur ab horarum numero in digitos collecto, ſic ut exempli gratia, prima Saturno, ſequens Jovi, tertia Marti, quarta Soli, quinta Veneri, ſexta Mercurio, ſeptima Lunæ tribuatur: ea orbium cœleſtium ſerio ſic decurſa, quæ ab Ægyptiis prodita eſt, iterato idem ſi factites, tranſmiſſis viginti quatuor horis, viceſimam quintam, quæ alterius diei exordium eſt,

A a ſole auſpicari videbis: id eadem ratione ſi repetas, ſumendo planetæ nomen cui præſens dies dicatus eſt, ac ſeriem orbium prædictum perſequendo, dum ad initialem proximi diei horam fuerit perventum, eam reipſa comperies illius diei cognomini planetæ propriam. Porro ſeriem orbium cœleſtium, quo melius teneatur memoria, ita verſiculis olim complexus ſum:

*Erant contigui ſepteni hic orbe Planetæ.*
*Falce metens annos curva Deus, inde hominum rex*
*Juppiter omnipotens, Geticus cui terga Gradivus*
B *Claudit; at hunc ſequitur radianti Phœbus in axe.*
*Proxima templa tenet ſoboli Venus æqua creandæ.*
*Hinc divum interpres rapitur Cyllenius ales.*
*Ultima vicino tellurem ſidere luſtrat*
*Velivoli pelagi rectrix argentea Phœbe.*

Iſidorus Hiſpalenſis diebus indita nomina a ſeptem planetis ideo auguratur, quod ethnici beneficia inde nanciſci haud dubia atque ſentire ſe crederent, a Sole Spiritum, a Luna corpus, a Mercurio in-
C genium, & linguam, a Venere voluptatem, a Marte ſanguinem, ab Jove temperiem, a Saturno humores obtinere ſe putantes. Illud vero indubitatius eſt, omnes illos dierum cognomines planetas, mortales fuiſſe, & cum propter ſingularia beneficia mortalium generi collata, tum propter potentiam qua præſtiterunt cæteris, ab aſſeclis ſuis, vel ſubditis, vel etiam amatoribus, divinos honores meruiſſe, cum in dierum ratione, tum etiam in cœli machina; ut primum ſidera illorum nominibus nuncupari cœperint, inde ad dies translata appellatione.

## CAP. VII.

*De Intercalatione.*

D INtercalandi nomen a *calando* (cujus originem ad Græcum καλεῖν remittunt) hoc eſt, a *vocando appellandoque*, deductum eſt, denotatque interferere ac veluti interciere dies menſeſve (utrique enim in hanc rationem incidunt) ad complendam hiulci temporis rationem, ad inſtar termitis, qui in diffiſſas hianteſque plantæ rimas
E immittitur, coaleſcitque cum plantario: unde aptiore metaphora Græci iſtud ἐμβάλλειν efferunt, translatum a ſurculo in truncum ſciſſum inſito atque immiſſo. hinc inſititios dies aut etiam menſes quos *intercalares* noſtri, *intercalarios* Livius, illi ἐμβολίμης vocant, velut adventitiæ ſortis in dierum legitimorum numerum accerſirentur, ut ἐμβόλιμα ἔπη, *verſus aſcititios interſertoſque* genuino operi, illi nominant. Huc ſpectat & *intercidentis* vocabulum, quo diem Februarii intercalarem donaſſe Romani videntur, quem ita dictum exiſtimo, quoniam quarto quoque anno velut intercideret. quod ex Plutarcho elici poſſe puto, in
F Numa ſic dicente: Ἐπὶ Φεβρουαρίῳ τὸ ἐμβόλιμον, ὑπὸ Ρωμαίων ἰντερκιδῖνον καλούμενον. ſic enim corruptam lectionem interpolandam autumo, proclivi lapſu pro ἰντερκιδῖνον, μερκιδῖνον ſcribentibus librariis. nec enim commune habet quidquam is dies cum mercede, aut quocunque alio, quod a mercede aut a mercando deduci poſſit, vocabulo. At enimvero multum illi affinitatis eſt, cum intercidendi ſignificatione: varie namque illum diem intercalari; intervocari, interferi, immitti, intercidere.

A & si qua sunt alia in ejus notæ signficationem vocabula, effert lingua Latina. Itaque tantisper eam lectionem tuebor, dum meliora certioraque edocear. Porro rationem intercalandi variam diversæ gentes sequutæ fuerunt, nunquam tamen ad liquidum respondente temporum adæquatione. Thebani etenim (Ægypti ea civitas est) astronomiæ inventionem sibi arrogantes & philosophiæ pariter cognitionem, ex solaris circuitus modulo, quinque dies anno ex duodenis triginta dierum mensibus constituto adjiciunt, & præter eos ex quadrantibus diei conflatum intercalarem diem unum quadriennio quolibet exacto superstruunt, B quod a Diodoro Siculo libro Bibliotheces secundo memoriæ proditum est, & repetitum a Strabone, Dione, & aliis. Hebræi lunarem cursum in anni dimenso secuti, tertium quemlibet annum intercalario mense uno investiunt, ad tredecim menses tunc excurrentem, qui mensi *Adar*, id est, *Februario* adhærens, *Veadar* nomen invenit, a copulativa particula *&* *Februarius* dictus. Similiter Attici annum lunarem sequentes, qui diebus undecim deficit a solari, tertio quoque anno mensem ἐμβόλιμον triginta tres dies complexum addebant, ut in Libanii argumento adversus Androtionem legas. C Aliter de Græcis memorat Solinus, qui singulis annis dies undecim cum quadrante deducebant, quos octies multiplicatos, & nonagenario numero clausos in nonum annum differebant, quo tres menses in dies tricenos discissi singuli addebantur. Cui quidam Solini sententiæ parum accedo, parumque tribuo fidei, probabiliora scribenti Libanio innixus. Jam vero & Siculi unum diem aut biduum saltem e mense eximebant, interdum uno alterove die spatium menstruum extendebant, ut ex Ciceronis Verrinis discimus. Munus intercalandi Pontifici, qui Hierophanta erat, & qui de sacrorum ordine statuere poterat, D incumbebat: siquidem Censorinus quoque ejus rei potestatem Pontificibus permissam profitetur, ut per eos restitueretur, si quod in anni ratione delictum incidisset. Ammianus libro 26. ait veteres in sacerdotes potestatem transtulisse intercalandi, *qui licentiæ gratificantes publicanorum, vel litigantium commodis, ad arbitrium suum detrahebant tempora, vel augebant*. sic enim legendum esse apud illum locum, longe alioqui corruptissimum autumo: cujus verba pæne ad verbum transcripsit Polyhistor Solinus. Quod juris ab Ægyptiorum sacerdotibus in reliquam passim familiam manasse videtur, quandoquidem morem illum antiquitus apud illas viguisse, E ex Germanico Cæsare invenio, ut Ægypti reges ab Isidis sacerdote deducerentur in penetrale sacrarium, quod *adyton* velut *inaccessum* vocabant, ibique jurejurando astringerentur, quod neque mensem neque diem pro suo arbitrio intercalandi potestatem sibi sumerent. Cæterum de intercalandi apud Romanos auctore ambigitur inter scriptores: Nam Valerius Antias Numæ Pompilii inventum pro sacrorum ordinatione fuisse dicit: Licinius Macer eam gloriam Romulo arrogat: Cassius Hemina & Tuditanus Decemviros auctores faciunt: alii Servium Tullium primum omnium intercalasse scribunt.

## CAP. VIII.

*De diei initio, deque horis quædam, scitu non indigna.*

Quoniam diei noctisque vicissitudo animantes conservat, ut eleganter a Cicerone [1] repetitum est, tribuens aliud agendi tempus, aliud quiescendi, & quia per dies annum metimur, placuit de die adjicere nonnulla, inde ad horas, velut partes similares anni, descensurus gradatim. Eum faciunt aut *naturalem*, aut *civilem & artificialem*. hunc quidem ab oriente sole ad occidentem usque intermedio tempore definiunt, illum vero non nisi viginti quatuor horarum curriculo absolvunt, qui tamen pro diversarum nationum opinione variat, ac fere quadrifariam [2], Babyloniis eum metientibus ab uno ortu ad alterum usque, Atheniensibus & Hebræis ab occasu solis usque ad alterum, sive a vespera ad vesperam, quomodo etiamnum omnis Italia primam ab occiduo sole horam numerare incipit. Rursus Ægyptiis, Hipparcho, & Romanorum flaminibus a media nocte diei initium auspicantibus, & proxima media nocte diem claudentibus, velut apud Aul. Gellium M. Varro de natalibus hominum judicat. Nam Umbri a meridie ad meridiem circumscribentes diei circulum a Varrone latæ culpæ damnantur. Porro diem dictum annotat Sext. Pompejus, quod *divini* sit operis, sive a Jove ejus, ut putabant, rectore, quem illi *δία* nominant. Neque illud sileri debet, quod diei vocabulum Hebræi interdum pro anno etiam integro usurpant sylleptice, quod annus veluti dierum orbis sit atque circulus. Mercurius Trismegistus diem in duodecim horas distingui oportere existimavit, quum observasset in Ægypto Cynocephalum Serapidi sacrum animal duodecies per æqualia temporis intervalla lotium reddere in die æquinoctiali, totidemque vicibus noctu: neque hoc modo, sed & duodecies clangorem edere istud animal scribit Orus. Dimensionem autem diei in duodecim partes laudat Galenus, libello de cujusque animi peccatorum cognitione & medela, censens duodenarium numerum esse symetrum, omniumque utilissimum, ut qui contineat dimidium & duplum & quartum & sextum & duodecimum, quæ nullus alius numerus post ipsum usque ad vicesimum quartum continere videtur. Horæ fuerunt vel *καιρικαὶ* & *temporariæ*, vel *ἰσημεριναὶ* & *æquinotiales* quæ paribus spatiis commensurabantur. Romani in temporarias duodecim horas diem partiebantur, unde *solstitiales horas* extulit Vitruvius, ut *æstivas* Martialis pro maximis, & longissimis, & *brumales* idem Vitruvius pro minimis dixit & brevissimis, quas Plautus in Pseudolo *hybernas*. At enimvero incerta & indiscreta horarum intervalla habuerant Romani ad Scipionis usque Nasicæ tempora, qui clepsydris institutis spatia horarum primus est partitus: nam horologio non nisi serenis diebus gnomonis indicio discriminabant. unde & *Solaria* Latinis dicta, ut ab umbræ ejaculatione *σκιοθηρικὰ* Græcis: quorum inventionis laus Anaximeni Milesio, Lacedæmone ea dedicanti, tribuitur a Plinio [3]. Græcos vero ad umbræ dimensionem solitos ad cœnam coire observatum est. Unde illud Luciani in Gallo, *συνεχὲς ἐπισκοπῶν, ὁποσάπουν τὸ στοιχεῖον εἴη*. id est, *assidue inspectans, quot pedum foret linea*. & in Saturnalibus inter leges convivales extat, *λοῦσθαι μὲν*

1 Lib. 2. de nat. Deorum. 2 Plin. lib. 2. cap. 77. 3 Lib. 2. cap. 76.

*ὁπόταν τὸ ἑξάπεν ϛοιχεῖον ᾖ. balneum ingredi, quum jam in ſex pedum menſuram protenditur linea.* & apud Ariſtophanem Concionatricibus: *Σοὶ δὲ μελήσει, ὅταν ᾖ δεκάπεν τὸ ϛοιχεῖον, λιπαρῶς χωρεῖν ἐπὶ δεῖπνον.* hoc eſt, *Curæ tibi erit, in decem pedes jam protento gnomone, unctum proficiſci ad cœnam.* Sic *δωδεκάποδος* alibi elliptice, ut ſubaudiatur *ϛοιχείε*, vel *σκιᾶς*. Obſervatum eſt illud quoque, Romanos dividere conſueviſſe ſuas operas in varias horas; nam primam atque ſecundam ſalutationibus potentiorum occupabant, tertiam cauſis agendis judiciiſque impendebant, quartam quintamque familiaribus negotiis & domeſticis curis dabant, ſexta & ſeptima otio & meridinationi dabantur, octava lavabant & in palæſtris verſabantur, nona cœnam sumebant. quod luculenter expreſſit Martialis lib. 4. his verſibus:

*Prima ſalutantes atque altera continet hora,*
*Exercet raucos tertia cauſidicos.*
*In quintam varios extendit Roma labores,*
*Sexta quies laſſis, ſeptima finis erit.*
*Sufficit in nonam nitidis octava palæſtris,*
*Imperat extructos frangere nona toros.*

Hæc de anno & menſibus & quæ eo ſpectant, ſatis ſuperque multa: nunc Faſtos aggrediamur, opus ſi quod aliud implexum in tanta auctorum diſcordia, tum etiam inſatiabile, atque inexpletum, ſi quis cuncta complecti velit.

# FINIS.



# HADRIANI JUNII
# FASTORUM LIBER,

*SIVE*

## HEMEROLOGION RERUM MEMORABILIUM
## QUOLIBET ANNI DIE ACTARUM.

*Dies* JANUARIUS *Dies* 31.

1 K L. Frondes lauri novis magistratibus dabantur apud Romanos. *Cassian. Bass.* γεωπονικῶν auctor.
Stipes felicis auspicii loco erogabantur.
Dulciaria donabantur. *Ovid.*
Comitia celebrabantur. C
Marius Cos. magna gloria de Jugurtha triumphavit. *Salust. Vellejus.*
Tit. Livius Patavinus historicorum eloquentiss. & Ovidius Naso Elegiographus in Ponto exul, fatis concesserunt.
L. Ælius Verus ab Hadriano Imp. Cæsar adoptatus, potione medicata periit. *Spartianus.*
Ludovicus XII. Francorum rex moritur. *Paul. Jovius.*
Natalis Sigismundi Poloniæ regis. D
3 4 Dies Compitalitius.
Natalis M. Tulli Ciceronis, *teste Gellio.* vide in Augusto.
Philippus Longus Franciæ rex moritur.
Votorum nuncupatio, *teste Cajo Jureconsulto*, quibus Consules & Flamines pro salute & incolumitate Principis solemne obibant jusjurandum, Neronem Drusumque diis commendantes. *Tacitus* tamen istud ipsum Calendis factitatum sentire videtur. Ludi. E
4 *Pridie.*
5 *Nonæ.* Apud Andrum insulam Liberi patris fons vini saporem habebat per quinas horas. *Solinus.*
Cibyres Cariæ & Gerasa Arabiæ fontes vinum profundunt miraculose. *Epiphanius.*
Rodolphus Habspurgensis Rom. rex coronatur.
Carolus Audax Burgundionum dux apud Nancium Lotharingorum oppidum occubuit.
Ferdinandus Cæsar designatus. F
6 8 Aquam in vinum commutavit Canæ Christus. *Epiphanius.*
Christus Jordanis lavacro tinctus baptismum sancit.
Augustus Cæs. triplici triumpho urbem invectus, Janum clausit. Natalis Eobani Hessi poetæ.
Ludovicus Bavarus Cæsareum titulum accipit.
7 7 Jano patri sacrum. Isidis profectio. *Plutarch.* Ferdinandus Castellæ rex Granatam regni caput cum triumpho ingreditur.
8 6
9 5 Agonalia Jani sacra. *Blondus.*
10 4 Honorius Augustus creatur.
11 3 Carmentalia. Juturnæ ædes in campo Martio dicata.
Carolus III. cognomento Crassus Imper. privatus obiit.
12 *Pridie.* Compitalia. *Gell. & Macrob.* in quibus pilæ & effigies tum viriles tum muliebres e lana in compitis suspendebantur, in gratiam Larum, qui simulachris istis contenti, vivis parcerent. *Sext. Pomp.* Maximilianus Imp. fato functus. *Cuspin.*
13 *Idus.* Agamemnon Græcorum exercitus Imperator ad Trojam, dolo uxoris & Ægysthi adulteri trucidatur, ut *Dinias* rerum Argolicarum scriptor prodidit, & *Hephæstion.* Jovi Statori sacrum.
C. Marius septuagenarius obiit. *L. Florus.*
Tibicines festum diem agunt, multa lascivia ac licentia muliebri habitu per Urbem grassantes. *Plutarch.*
Octavius Augustus appellatus.
Fridericus Imper. cognomento Pulcher moritur. *Cuspin.*
14 19
15 18 Carmentalia a matribus familias celebrabantur.
Sergius Galba Imper. interficitur. *Tacitus.*
15 17 Porrima & Postverta futurorum prænunciæ deæ placabantur. *Ovid.*
Theodosius a Gratiano Imperii collega ascitus.
Arcadius a Theodosio patre Augustus designatur.
17 16 Ludi Palatini incipiebant & in septem dies durabant. Concordiæ ædes a Furio Cam. vota & extructa.
Theodosius Imperator Mediolani decessit.
Lodovicus Bavarus Imperii diadema suscipit. *Nauclerus.*
Georgius Castriota Epirotarum dynastes fortissimus decessit.
18 15

19 14 A
20 13 Natalis Gordiani Imper.
21 12
22 11
23 10 Gensericus Vandalorum rex in Aphrica decessit.
Otho III. Imper. ex veneni poculo diem obiit. hoc alii ad 5. Kal. Febr.
24 9 Ceres & Tellus placabantur. *Ovid.*
Sementinæ feriæ. *Ovid, Var.*
Philippus Macedo a Pausania trucidatur.
Caligula interficitur. *Sueton.*
Natalis Ælii Hadriani. *Spartian.* B
25 8 Ferdin. Sicil. & Apuliæ rex diem obiit
Memphis potentissima Ægypti civitas a Solimo Turcarum imperatore expugnatur.
26 7 Castori & Polluci templum dicatum.
Henricus VIII. Angliæ rex fatis concessit. *Paul. Jovius.*
27 6
28 5 Carolus cognomento Magnus Imp. decessit.
29 4 Creatio regum. Dagobertus Francorum rex ex alvi profluvio moritur.
Eduard. III. Angliæ rex creatur. C
30 3 Pacis celebritas. *Ovid.*
Moris erat interregem prodere, *teste Asconio.*
31 *Prid.* Clodium ab Aricia reducem Milonianі exturbata taberna in qua latebat, interemerunt. *Asconius Pædianus*
Diis Penatibus sacrum.

*Dies.* FEBRUARIUS. *Dies* 28.

D
1 K. L. Februa. incipiebant pro defunctorum manibus, *testibus Sext. Pomp. Plutar. in Numa. Ovid.*
In Capitolio & Jovis sacratio ovis cædebatur. *Ovid.*
Sospitæ ædes posita proxime matris deorum. *Ovid.*
Asylum frequentabatur. *Ovid.*
Natalis Herculis.
Lucaria ab Asylo luco. *Festus Pomp.*
L. Æmilius Regulus devicto Antiochi regis classis præfecto triumphum navalem egit. *Livius.*
Carolus Pulcher Francorum rex diem suum obiit. E
Damiatam urbem Ægypti potentissimam, Pelusium olim dictum, Christiani ceperunt anno 1221. *Platina.*
2 4 Matthias Hunniades ex captivo fit rex Hungariæ. *Naucler.*
3 3 Aurelius Probus in æde Concordiæ frequenti senatu Imp. creatus. *Vopiscus.* Templum Hierosolymitanum perfectum. *Esdræ. cap.* 6.
Camillus Gallos Capitolium obsidentes cecidit. F
4 *Prid.* Ludi Gothici per dies sex celebraban.
5 *Nonæ.* Augustus. Pater Patriæ omnium ordinum consensu dictus. *Ovid.*
Campaniam magna strage vastavit terræ motus. *Seneca.* Mediolanum capit Franciscus Sfortia an. 1444.
6 8
7 7 Moses e vita excessit septimo die Adar, *teste Abrahamo Levita*, *Josephus libro* 4. ejusdem mensis νεμηνία defunctum ait.
Maria I. Angliæ regina rebellem seditiosamque multitudinem, auctore intestini motus Viato, stravit 1554.
8 6
9 5
10 4 Veris initium hic statuit *Ovid.*
11 3 Ludi geniales per triduum.
12 *Pridie.*
13 *Idus.* Fabii trecenti interempti, *Ovid. Plutar.* tamen in Camillo cædem Fabiorum & cladem Alliensem refert ad solstitium æstivum.
Virgo Vesta parentabatur.
In insula Tyberina Fauno sacrificabatur. *Ovid.*
Ibidem Jovi positum templum.
Dies celebris apud Judæos ob fusum Nicanoris exercitum 2. *Machab. cap.* 15. Jejunium Hester.
14 16 Dies Mardochiacus appellatur *lib.* 2. *Machab.* Hoc die & sequenti memoria agebatur sortium in urnas conjectarum tempore Hester & Mardochæi, indulgebantque genio, ut in Saturnalibus nostri homines.
Induciæ & fœdera inter Athenienses & Lacedæmonios sociosque de bello sacro pacta. *Thucydides libro* 4.
15 15 Lupercalia. Feriæ, quibus Junonis februatæ sacra fiebant, Festum expiationi simili. *Plutar. Ovid.*
16 14 Maximilianus Austriacus Cæsar designatur.
17 13 Jovinianus Juliani Imp. successor extinctus. *Eutropius.*
Parentalia anniversaria. *Ovid.*
Curiæ signabantur. *Ovid.*
18 12 Quirinalia, antea *Stultorum feriæ* dictus is dies, *auctore Sext. Pompejo*, quo die sacrificabant ii, qui solenni die rem divinam facere vel non poterant, vel ignorarant.
Fornacalia Fornaci deæ. *Ovid. Plin.*
Brixia opulentissima Italiæ civitas Venetis extorta per Gallos anno 1512. *Coccinius.*
Maria I. Angliæ regina nascitur.
19. 11 Charistia cognatorum. *Ovid. Valer. Max.*
Feralia deæ Mutæ.
Claudius Albinus a Severo Imperat. superatus trucidatur. *Spartian.*
20 10 Eduardus II. Angliæ rex coronatur. *Polydor.*
Eduardus VI. Angliæ regno inauguratus.
21 9 Vinalia prima, quum vina pura fiunt. Jovi vinum libare mos erat, quod e dolio haustum calpare eximebant. *Plin.*
Joannes Christierni pater, Daniæ rex, & Julius II. Romanus pontifex decesserunt, *Paulo Jovio testante.*
22 8 Terminalia, quem diem institutum ad excludenda jurgia litesque de finibus obortas, annotat *Acron*, aut ut fines agrorum constitutos Terminus cæsis agnis placatus conservaret.
23 7 Regifugium dictus hic dies ob Tarquinium Superbum a Bruto pulsum. *Ovid.*

Templum Hierosolymitanum absolutum. *Esdræ lib. 4. cap. 7. at lib. 1. cap. 6.* ait perfectum fuisse tertio die mensis Adar. A

24 6 Valentinianus Imper. Augustus nuncupatus. *Marcellin.*

Carolus Flandriæ Comes a conjuratis occiditur in æde Donatiani Brugensis confossus.

Caroli Imper. cognom. V. natalis.

Natalis Matthiæ Hunniadis Pannoniæ regis.

Franciscus Galliarum rex cum rege Navarrensi a Cæsarianis capitur ad Ticinum anno 1525. B

Carolus V. Imp. diadema accipit.

25 5 Lotio. Regifugium huc revocat *Bedas.*

26 4 Equiria in Campo Martio.

Natalis Constantini.

27 3 Ludi Apollinares fiebant, quos etiam hodie servari, victoriæque simulachrum fieri scribit *Blondus.*

28 *Prid.* Ludi Votivi. Tarquinii superati. *Plut.*

Junius Brutus Romæ liberator, & Aruns Tarquinius mutuis vulneribus occubuerunt. C

Ravenna Venetorum ditionis facta.

L. Scipio Asiaticus cognomento, triumphavit de Antiocho rege. *T. Liv.*

Natalis Caroli VII. Franc. Regis.

*Dies.* MARTIUS. *Dies.* 31.

1 K L. Kal. Martiæ Matronalia dictæ, quod matronæ servis cœnas apponerent, ut eo honore promptius obsequium provocarent. *Solinus.* D

Has Kal. *fœmineas* vocat Juvenalis, quod mulieribus munera mittebant viri, ut illæ vicissim viris Saturnalibus Decembri mense. *Tibul.*

Martias Kal. matronæ celebrabant, quod eo die Junonis Lucinæ ædes coli cœpta sit, *teste Sex. Pomp.* quæ in Exquilino monte posita fuit. *Ovid.* aut, ut alii volunt, ob memoriam belli Sabini per fœminas compositi: cujus sententiæ est & Servius, annotans in communem mulierum honorem has Kal. esse illis dicatas. E

Natalis dies urbis Romæ, & Maximiani Imper. *teste Mamertino.*

Comitia agebant Senatus & Populus. *Solinus.*

Novus ignis in aris Vestalibus accendebatur. *Ovid. Solin.*

Laureas virides aridis mutabant, *teste Solino*, & in Consularibus fascibus & in ædibus regis sacrorum, flaminum, vestalium & curiæ. *Ovid.*

Quinquatrus Minervæ per triduum: quinquatrus etiam dicti dies a *quinquando*, id est, lustrando, quod ancilia lustrarentur. *Fl. Sosipater.* F

Ancilia arma Martis e cœlo lapsa Salii sacerdotes circumferebant, Mamuriumque canebant.

Vectigalia locabantur.

Sylla Athenarum urbem cepit. *Plutarch. in Sylla.*

Natalis Martialis poetæ epigrammatarii. *Mart.*

Tabernaculum consecrabant Judæi. *Joseph.*

2 6

3 5

4 4

5 3 Isidis navigium.

6 *Prid.* Cæs. Augustus Pontificatum maximum iniit. *Ovid.*

Athenienses pompam puellarum celebrabant quotannis ad fanum Apollinis Delphinii in memoriam Thesei. *Plutar. Theseo.*

7 *Nonæ.* Junonalia. Ædes Vejovis sacrata. *Ovid.*

Ulpius Trajanus Imper. optimus in fata concessit.

8 8

9 7

10 6 Israelitæ siccis pedibus Jordanem amnem pergressi. *Josue 3.*

Pœni navali prælio superati ad Lilybæum duce C. Luctatio Catulo. *Eutropius. Plinius. Florus.*

Tiberius Cæs. Pontifex maximus creatus.

Natalis Ferdinandi Austriaci Cæsaris.

11 5 Græca sacra sub obscura luce fiebant.

12 4

13 3 Jovi cultori sacrum.

14 *Prid.* Pascha celebrabant Judæi ob excussum Ægyptiorum jugum *Joseph. & Josue.*

Equiria altera in campo Tyberino. *Ovid.*

15 *Idus.* Azymorum festum per dies septem continuos, quibus vescebantur Judæi azymis. *Josephus.*

Primitias pecoris Deo largitori omnium offerebant. *Joseph.*

Judæi iter ingressi ad emigrandum ex Ægypto. *Num. 33.*

Idib. Martiis Consulatus inibantur temporibus belli Punici & Macedon. *Livius.*

Parricidium hic dies dictus, quo Cæsar Julius conjuratorum scelere occubuit, ac propterea perpetuum justitium in eum diem institutum. *Sueton.*

Mercatorum dies festus. *Sext. Pomp.*

Quinquatrus minusculæ.

Annæ Perennæ dies geniales fiebant, largioribus poculis indulgebatur, & pro cyathorum numero annos mutuo precabantur. *Ovid.*

Attilas, *Flagellum Dei* nuncupatus, periit.

16 17 Mannæ cibi Israelitis cœlitus pro alimonia rorantis defluxus desiit. *Josue 5*

Athenienses duce Themistocle Xerxis classem ad Salamina oppresserunt.

Hunc diem Dianæ consecrarunt Athenienses, quo victoribus ad Salamina Græcis propitia fuit plenilunio dea. *Plutarch. lib.* utrum Athen. &c.

Lysander Athenis potitus. *Plutarch.*

Euripidis Tragici poetæ natalis.

Tiberius Cæs. interclusa anima mortalitatem explevit. *Tacitus.*

17 16 Liberalia, quibus meraciore se explebant.

Pueri

Pueri ingenui togam virilem inducebant. *Ovid.* A

M. Aurelius Antoninus Imp. apud Sirmium extinctus, teste Tertulliano in Apologetico.

Solimannus Turcarum Imperator natus dicitur, anno 1500.

18 15 Palatini Jovis templum exustum, quo libri Sibyllini incendio absumpti fuere, Juliani Imp. temporibus. *Marcellinus.*

Fridericus III. Imper. coronatur, & cum Leonora Lusitana nuptias celebrat. *Platina.* B

19 14 Equester ordo Athenis solenni pompa Jovi prodibat.

Quinquatria, dies Minervæ sacer. Minervæ natalis, quo nefas erat digladiari. *Ovid.*

Phocion Atheniensis vir sanctissimus veneni poculo extinctus. *Plutar.*

Pueri minerval magistris persolvebant. *Ovid.*

20 13 Minervæ Capitali in Cœlio monte ædes sacrata & sacra fiebant per quinque dies, unde Quinquatribus nomen. *Ovid.* C

Valentinianus Imper. in campo Martio interemptus.

Natalis Ovidii poetæ.

Henricus IIII. Angliæ rex moritur. *Lilius.*

21 12 Hunc diem conditi mundi auspicem dixere nonnulli, e quibus est & *Bedas.*

22 11 Arbor intrat.

Natalis Maximiliani Imperat. *Nauclerus.*

23 10 Gnostici sive Euchetæ absurdos sacrorum ritus quotannis repetebant. *Petrus Crinitus.* D

24 9 Tubilustrium.

25 8 Redemptio humani generis per salutiferam Christi servatoris necem parta. *August. lib.* 18. *de Civitate Dei.*

Alii decimo Kal. April. cruci suffixum scribunt, eodem die quo Adam humani generis pater creatus fuerat, ut ex Theophilo recenset *Bedas.* *Epiphanius* vero lib. 2. contra Hæreses decimo quarto Kalen. April. passum astruere videtur.

Æquinoctium huic diei veteres ascripserunt. E

Arcades finita catabasi lætitiæ festum diem agebant, eo quod Sol longiorem nocte diem reddens terras illuminaret.

Veneri sacra faciebant mulieres.

Hilaria, Matris deum feriæ. *Lampr. Macrob.*

Tredecim urbes in Thracia terræmotu subversæ. *August.*

26 7 Venetiarum urbis fundamenta jacta. *Blondus*, at *Cardanus* in octavum Kalend. rejicit. Requietio.

27 6 Matri deorum pompæ anniversariæ celebrantur, & carpentum quo vehitur simulachrum, undis Almonis abluitur. *Marcellinus.* F

Galli cultores Matris deum lamentari incipiunt.

Natalis Septimii Severi. *Spart.*

Joannes Franciæ rex Londini moritur. *Lilius.*

Maria Caroli Burgundionum ducis filia, Maximiliani uxor, gravida decedit.

28 5 Jano, Concordiæ, Saluti, Paci, sacra fiunt.

Eleusinæ Cereris sacra.

Ælius Pertinax Imp. trucidatur. *Capitol.*

Græca sacra Romam translata.

29 4 Matthias Hunniades Pannoniæ rex coronatur. *Naucl.*

30 3 Albertus Austriacus Cæsar designatur.

Fridericus III. Austriæ dux Cæsar succedit in locum Alberti immatura morte defuncti. *Naucler.*

31 *Prid.* Natalis D. Constantini.

Lunæ sacra in monte Aventino.

Pomponius Atticus Ciceronis Mecænas decessit. *Cornel. Nepos.*

Franciscus I. Galliarum rex fatis concessit.

*Dies.* APRILIS. *Dies* 30.

1 K L. Kalend. secundi mensis fundamenta ædis Domini Hierosolymis a reduce ab exilio populo cœpta. *Esdræ lib.* 3. *cap.* 5.

Moses censum instituit populi Judaici. *Num.* 1.

Veneri sacrum cum floribus & myrto. *Plutarch.*

Vernalia. Fortunæ masculæ thure sacrificatur. *Ovid.*

Mulieres sertis myrticis redimitæ lavantur. *Plutarch. Numa.*

Valens a Valentiniano fratre Imperii collega & Augustus nuncupatus. *Ammianus.*

Roma ab Alarico Gothorum rege, post biennii obsidionem capta, anno Domini 409. *Blondus.*

2 4 Natalis dei Quirini.

3 3 Ludi Megalenses per dies sequentes septem ordine, Megalesia dicti.

4 *Prid.*

5 *Nonæ.* Ludovicus IX. Franciæ rex a Saracenis capitur.

6 8 Athenienses civitatem lustrant. *Laer.*

Natalis Socratis. *Plutar. Laer.*

Natalis Dianæ. *Laertius.*

Cereri cognomento ἐυχλόῳ, id est, *viridi*, a segetum virore sic nuncupatæ, sacrum faciebant Athenienses. *Hephæstio.*

Natalis Antonini Caracallæ & mors. *Spartianus.*

Latinæ feriæ exibant. confectum Latiar dicebatur. *Cicer. ad Quint. Fr.*

Matthias Huniades ex apoplexia moritur Pannoniæ rex.

Ædes Fortunæ publicæ in Quirinali colle dicata.

Richardus I. Angliæ rex perit catapulta ictus. *Lilius.*

7 7 Natalis Apollinis, unde ἑβδομαγενέτης ab Æschylo dictus. *Plutarch.*

Natalis Platonis & Carneadæ philosophorum. *Plutarch.*

Θαργήλια, Thargelia apud Athenien-

A ses, & Carnia apud Cyrenæos celebrabantur, utrunque Apollinis festum. *Plutarch.* 8. *sympos.*

Hunc diem πολύφθον proprie dictum annotat in capitum Græcorum enumeratione *Plutarch.* a frequentia oraculorum.

Persæ ad Artemisium superati, *teste Æliano*; qui etiam auctor est eodem die Athenienses Dianæ τῇ ἀγροτέρᾳ trecentas capellas immolare ex voto Miltiadis.

Natalis Castoris & Pollucis τῶν διοσκέρων.

Carolus VIII. Franciæ rex moritur.

8 6 Ludi celebrabantur ob devictum a Cæsare Jubam regem.

Natalis Severi Imper. *Spartianus*.

9 5 Cerealia.

Eduardus IV. Angliæ rex moritur.

Henricus V. Angliæ rex creatur.

10 4 Maximilianus Austriacus Cæsaream coronam accipit Aquisgrani. *Naucl.*

11 3 Milo damnatus ob Clodii cædem, invalida defensione Ciceronis, ut inquit *Asconius Pædianus*.

Julii Pontificis copiæ a Gallis immaniter ad Ravennam cæduntur, anno 1512. *Cocci*.

Selimus parricidio pollutus Turcicum imperium invadit, anno 1512.

Sultanum Memphitanum suspendi jussit Selimus Turca, anno 1517.

12 *Prid.* Ludi Cereales per octo dies durant.

Pessinuntia dea, seu magna Mater Romam perlata a P. Cornelio Scipione *Livius*.

Balduinus Flandrus creatur Imper. Constantinop.

13 *Idus*. Q. Fabius Jovi Victori ædem dedicavit, bello Sabino votam.

Natalis Mecænatis, *teste Horatio lib.* IV. *Od.* quo nomine hic dies solemnis vel ideo habendus est, quod ab eo studiosorum patroni hactenus semper Mecænates audiunt.

Fidenæ a Romulo captæ & in coloniam redactæ. *Plutarch.*

Ludovicus Balbus Caroli Calvi filius Galliæ rex moritur.

14 18 Augustus ad Mutinam Antonium profligat. *Ovid.*

Caroli Cæs. copiæ infeliciter ad Carmagnolam in Alpibus Cottiis pugnant, anno 1544.

15 17 Fordicidia, quibus *forda*, hoc est, gravida bos immolabatur. *Ovid.*

16 16 Augustus Imperator salutatus.

17 15 Diluvii initium incidisse in decimum septimum secundi mensis testantur sacra Biblia: at vicesimo septimo arefacta jam terra prodiisse ex arca Noah, exacto anno integro. *Josephus* vero diluvium vicesimo septimo ascribit.

Alaricus Gothorum rex Stiliconis exercitum omnem profligavit.

18 14 Ludi Circenses.

19 13 Βενδίδεια in Piræeo portu Athenis celebrabantur. *Proclus*.

Otho Salvius Imper. necem sibi consciscit. *Suet.*

20 12 Natalem urbis Romæ sunt qui huic diei ascribunt, ut *Varro*: & *Pompon. Lætus* ita accipere videtur, quando scribit hoc die anno ab Urbe condita millesimo, ingenti pompa magnoque apparatu sæculares ludos a Philippo Imper. celebratos, belluis a Gordiano asservatis, quod iste juvenis natali urbis Romæ triumphare decreverat. *Solinus* undecimo Kal. Majas Romæ fundamenta jecisse Romulum ait; at *Sext. Pompejus* Parilibus urbem a Romulo conditam annotat.

Equiria in Circo maximo.

Quirinalia. *Varro*.

Agonia seu Agonalia altera.

Vulpes cum stipulis ardentibus cursitabant, aut ut alii scribunt, Parilia.

Palilia. oves lustrantur crepusculo, ovilia frondibus decorantur, flammas transilire mos erat. *Ovid.* nefas habebatur mactare hostiam.

Angli Lutetia Parisiorum exuuntur.

C 21 11 Henricus VII. Angliæ rex moritur: alii in 9. Kal. hoc referunt.

Numæ Pompilii natalis.

22 10 Ludi sæculares.

Henricus V. Imper. diem obit.

Henricus VI. Imp. Messanæ veneno sublatus perit.

Eduardus Buchingamiæ dux Anglus capite truncatur. *Lilius*.

23 9 Troja capta, annis ante Christi natalem 1149. *Ephorus*. *Plutarch. Halicarn.*

Vinalia vinis degustandis instituta. *Ovid. Plinius*.

D Hic dies natalis fuit Mahumethi Agareni.

24 8 Albertus Cæs. trucidatus a quatuor conjuratis. *Cuspin.*

Carthaginienses in Sicilia a Timoleonte profligati. *Plutarch. in Camillo*.

Johannes Fridericus Saxoniæ dux a Caroli Cæs. milite in conflictu capitur.

25 7 Lustria Marti fiebant, in quibus tubæ, aquilæ, & alia arma lustrabant. *Blondus*.

E Πλυντήρια, Plynteria festum Athenis celebrabatur. *Plutarch.*

Robigalia. *Sex. Pomp. Plin.*

26 6 Natalis M. Antonini Philosophi. *Capitolin.*

Demetrius Poliorcetes Athenas occupato Piræeo portu ex improviso invadit. *Plutarch. in Dem.*

27 5 Latinæ feriæ in monte sacro. *Livius*,

Natalis Rodulphi Cæsaris.

28 4 Floralia per dies sequentes e Sibyllæ monitis instituta, ut omnia bene deflorescerent. *Plin.* 18.

F Ludi celebres Antii usque ad pridie Non. Maii fiebant. *Cicer.*

Natalis Othonis Salvii Imp. *Sueton.*

Gallorum strages ingens ad Cirignolam Apuliæ edita ab Hispano milite. *Sabellicus*.

29 3

30 *Prid.* Vestæ Palatinæ sacrum.

Lucanus poeta sectis venis interiit Neronis jussu.

Stabias antiquissimum Campaniæ oppidum delevit L. Sylla. *Plinius*.

*Dies*. MAJUS. *Dies* 31.

1 K L. Bonam deam, Faunam, Opem, Fatuamque ex Pontificum libris indigitabant.

Aaron vita defunctus. *Joseph*.

B

Ædes Majæ dedicata sub nomine Bonæ deæ. *Macrob*.

Flamen Vulcanalis sacrum faciebat Opi, suemque prægnantem mactabat Majæ & Mercurio.

Laribus Præstitibus ara ponebatur. *Ovidius*.

Arcadius Imp. decessit.

Albertus Austriacus Imp. a nepote interficitur.

Athenis certamen obibatur decursus epheborum, in quo ramum vitis racemo onustum tenentes, ex æde Liberi patris ad fanum usque Minervæ Scirradis cursum inibant, quo certamine victor calicem πεντάπλοον accipiebat bravium. *Athenæus ex Aristodemo*.

C

2 6 Mahumetes II. Turcarum Imp. victoriosissimus periit non sine veneni suspicione.

3 5

4 4 Ludi Maximi per dies sex.

Theatrum Marcelli dedicatum. *Plin. lib.* 8.

D

5 3 Oves tondentur.

Balduinus Flander Imper. Constantinopoli inauguratur.

6 *Prid.* Roma a Cæsarianis, duce Carolo Borbonio, capta hostiliter diripitur, anno 1527.

7 *Nonæ*. Kal. Non. & Idib. Maiis Lari deo sacra fiebant asello panibus coronato.

Ottho I. Imper. decessit.

8 8 Angli virtute Joannæ virginis Lotaringæ profligati, Aureliæ obsidionem solvunt.

Natalis Andreæ Alciati Jurisconsulti clarissimi.

E

9 7 Lemuria noctu peragebantur. *Varro*.

10 6 Ominosum habebatur nubere.

Constantinus Byzantium condit, indito urbi de se nomine. *Pomp. Lætus*.

Natalis Claudii Imper.

Olearum & vitium conceptus incipit. *Plinius*.

11 5 Segetes runcantur.

12 4 Marti Ultori ludi fiebant. Sacer dies apud Athenienses prælio Mantiniaco, quo cæteris confœderatis fugientibus, ipsi tropæum statuerunt, *teste Plut. lib.* utrum Atheniens. clariores, &c.

F

13 3 Ludi Persici per dies aliquot.

Æstatis initium apud veteres.

14 *Prid.* Βυφόνια Athenis celebrabantur. *Etymologici auctor*.

15 *Idus*. Mercatorum feriæ, quod eo die Mercurii ædes esset dedicata, *Tito Livio & Sex. Pom. testibus*, vel quod Mercurii natalis fuerit is dies, *testibus Martial. & Ausonio*, quo e Mercurii fonte ad portam Capenam mercatores aspergebant se laureo termite immerso, uberioris quæstus gratia. *Ovid.*

Simulachra scirpea humana effigie triginta numero, Argei & Oscilla in Tyberim de sacro ponte præcipitabantur. *Macrob. Euseb. Dionys.*

Valentinianus Junior Imper. moritur. *Epiphanius*.

16 17 Rodolphus Burgundio post usurpatum sibi Galliæ regnum mortuus.

17 16 Ludorum Persicorum finis.

18 15 Natalis Ammonis.

Joannes IIII. Aquitaniæ dux regno Angliæ inauguratur.

19 14 Chalcidem Eubœæ Turcæ occuparunt, anno 1471.

20 13 Agonalia *Ovid.*

21 12 Vulcano tubilustria, quibus tubæ puræ lustrabantur. *Ovid.*

Ludovicus cognomento Pius Imp. decessit.

Henricus V. Imper. diem obiit.

Natalis Philippi Hispaniarum principis, Angliæ & Neapolis regis, anno 1527.

22 11 Lustratio segetum.

Constantinus Magnus Nicomediæ diem obiit.

Bononia a Bentivolis recuperata, anno 1511. *Coccinius*.

23 10 Mahumetus II. Turcarum Imp. Rhodon irrito conatu oppugnaturus, appulit.

24 9 Syracusanis solennis dies ob delatas ad Asinarum fluvium Atheniensium copias. Regifugium alterum. *Ovid.*

Natalis Timoleontis Syracusani ducis.

Eduardus V. Angliæ rex etiamnum puer, patrui dolo & insidiis appetitus, e medio tollitur *Lilius*.

25 8 Templum Fortunæ Publicæ Primigeniæ in Collatino dicatum. *Ovid.*

26 7 Germanicus Cæs. de Cheruscis, Cattis, & Angrivariis devictis triumphavit. *Corn. Tacitus*.

27 6 Natalis Antonini Getæ Cæs. *Spartian.*

Honori, Opi, & Virtuti solennitas decreta.

Bajazetes Turcico Imperio inauguratur a morte Mahumetis II. patris.

28 5

29 4 Ludi Fabrici per quatriduum.

Constantinopolis orientis regia a Mahumeto Turcarum rege capta editis omnis crudelitatis exemplis in urbem oppressam, anno 1452.

Philippus Valesius regni Francisci diadema accipit.

30 3

31 *Prid.* Rolandus clarissimus heros in Pyrenæis montibus mortuus.

*Dies*. JUNIUS. *Dies* 30.

1 K L. Kalendæ Juniæ *Fabariæ* appellatæ, quoniam fabæ adultæ, calido farre mixtæ (quo esu credebatur procurari viscerum læsio) hoc mense divinis rebus admiscerentur. *Ovid. Macrob.*

Ædes Junoni Monetæ dedicata a Camillo. *Macrob.* A
Pinguia larda gustabantur. *Ovid.*
Carnæ deæ sacrum fecit pulso Tarquinio Junius Brutus in monte Cœlio. *Macrobius.*
Marti sacrum extra portam Capenam. *Ovidius.*
Tempestati delubrum positum. *Ovid.*
2 4 Didius Julianus Imper. occiditur. *Capitol.*
3 3 Senatus legitimus.
4 *Prid.* Bellonæ sacra decreta, templumque dicatum, Appio Claudio pacem dissuadente cum Pyrrho. *Ovid.* B
Herculi ædes posita in Circo. *Ovid.*
Ludi in Numicia.
Angli cum auxiliis fusi a Philippo Augusto Franciæ rege, pugna Bovinenti.
Conradus II. Imp. decessit.
5 *Nonæ.* Athenienses duas insignes obtinuerunt victorias, Græciæque libertatem asseruerunt, quarum altera ad Leuctra, altera Geræstum parta fuit. *Plutarch. in Camillo.*
Thebani insigni strage fuderunt Spartanos ad Leuctra Bœotiæ. *Plutarch. Camillo.* C
Sponsoris Jovis sacrum.
Templum Fidei positum. *Ovid.* ait sacrum fieri Fidio Semipatri.
Roma vi capta ab Henrico IV. Imperat.
Ludovic. Hutinus Franciæ rex moritur.
6 8 Natalis Alexandri Macedonis.
Parmenion Persas fundit.
Philippus Macedonum rex quadrigis victor in Olympiis. D
Ephesiæ Dianæ templum conflagravit incensum ab Herostrato. *Plut.*
Colossus Romæ coronabatur.
Sunt qui huic diei ascribunt & cladem Platæensem qua Persæ superati fuerunt, & caprarum immolationem ex voto Miltiadis, quam Aprilis mensis septimo ex *Æliani* fide detulimus.
Neapolis ab Alphonso Arragonum rege capta, anno 1442.
7 7 Piscatorum feriæ. E
Vesta aperitur.
Menti delubrum bello Punico votum & positum.
8 6 Theseia celebrabantur Athenis. *Plut.*
Ara Jovi Pistori posita.
Ludi Tiberini in campo Martio. *Ovid.*
9 5 Vestalia celebrabantur.
Ventidius Pacorum regem Parthorum singulari victoria profligavit.
M. Crassus cum exercitu & filio, ad Carras a Parthis cæsus.
Brut. ulteriorem Hispaniam subegit. *Ovid.* F
Quinquatrus minores.
Nabuchodonosor post longam obsidionem potitur urbe Hierosolymitana, capto rege Sedecia. *Hierem.* 39.
10 4 Servius Tullius rex Romanorum interficitur. *Ovid. T. Liv.*
Matralia matri Matutæ.
Concordiæ ædem Livia posuit.

Tripolis a Christianorum exercitu capitur, anno 1109. *Guilielmus Tyrius.*
11 3 P. Rutilius a Marsis interfectus. *Livius.*
12 *Prid.* Cronia, sive Saturnalia Athenienses celebrabant. *Demosthenes adversus Timocratem.*
13 *Idus.* Jovi Invicto ædes dicata. *Ovid.*
Minusculæ Quinquat. *Var. teste, lib. 5. de lingua Latina.* at *Sex. Pomp.* Id. Mart. ab aliis ita vocari auctor est.
Musarum natalis. Senatus legitimus.
Tibicines feriati per urbem vagantes ad ædem Minervæ conveniebant. *Varro.*
14 18 Artabazum e Græcia profugum hoc die annotant quidam.
15 17 Vesta clauditur.
Ex æde Vestæ deferebatur stercus in angiportum medium fere clivi Capitolini, qui locus clausus erat porta stercoraria. *Varro. Sex. Pomp.*
Nicænum Concilium adversus Arriani dogmatis exitiale virus celebrari incæpit a Constantino Magno.
16 16 Metœcia, μετοίκια, Athenis celebrabantur in memoriam Thesei, qui sparsos vicatim cives Atticos in unam urbem Athenarum contraxerat. *Plut. in Theseo.* quod festum ξυνοίκια vocari a Thucydide volunt, fortassis ab aliis dicta οἰκίσια, quando Paci sacrum faciebant ἀναιμωτὶ, *absque hostiis. Aristo. Interp.*
Æqui & Volsci a Postumio fugati.
Babylone celebrabatur festum σακίας dictum quinum dierum spatio, simile Saturnalibus Romanorum, servis personam herilem sustinentibus ac regia quadam stola indutis, ut refert *Berosus in primo rerum Babylonicarum.*
Henricus III. Angliæ rex coronatur.
17 15 Jejunium fractionis tabularum Judæi celebrant, quo die Moses de Sina monte descendens, legum tabulas confregit.
Manasses rex idolum in adyto erexit.
Muri Hierosolymorum corruere.
18 14 Annæ sacrum.
Darius ab Alexandro Macedone devictus: *Arrianus* vero Septembri mense superatum scribit.
Leo Imp. III. qui imagines a templis orientis ejecit, decessit.
19 13 Palladi in colle Aventino sacrum. *Ovidius.*
20 12 Summano templum positum exterrita urbe bello contra Pyrrhum Epirotarum regem. *Ovid.*
Persæ magna strage fusi apud Antiochiam a Christianis ductu & auspiciis Godfredi Bulionii.
Taruanna Morinorum urbs longe munitissima a Caroli Cæsaris copiis expugnata soloque æquata, anno 1553.
21 11 Herculi sacrum.
Eduardus III. Angliæ rex moritur.
22 10 Philippus Cæs. Barbarossæ filius, nefarie trucidatus.

Michael Constantinopolit. Imp. superatus a Crumno Bulgaro. | A

23 9 Dies ater Romanis.
Flaminius Cos. ad Thrasymenum a Pœnis devictus.
Otho I. Imper. Romam, quam diutina obsidione afflixerat, ingreditur.
Natalis Philippi Austriaci, qui Divi Caroli V. Imp. pater.
Gallorum ingens occidio ab Anglis addita navali prælio, anno 1440.

24 8 Hasdrubal cæsus.
Syphax a Masanissa superatus.
Fortis Fortunæ sacra. | B
Naves coronatæ per Tiberim amnem agitabant convivia.
Fl. Vespasianus pater mortuus.
Henricus VIII. Angliæ rex, diademate regio una cum uxore Catharina insignitur. *Lilius*.
Monasterium munitissimum Westphaliæ oppidum captum, cæsa Catabaptistarum colluvie, anno 1535.

25 7 Henricus IV. Imper. prælio conflixit cum Rodol. Suevorum duce. anno 1080.

26 6 Hierosolyma a Cn. Pompejo capta fuit, Au. Gabinio & Cicerone Coss. | C
Julianum Imp. hoc die periisse in expeditione Parthica, refert *Eutropius*, cui consentit & Ammianus, quamvis Socrates in historia Ecclesiastica sexto Junii die obiisse dicat.
Regifugii sacrum. *Ovid.*
Verona urbs Venetorum ditioni subjecta.

27 5 Jovi Statori templum ab Romulo conditum. *Ovid*
Jovianus Imp. Juliano extincto in imperio succedit. | D
Alphonsus Arragonum rex decessit, *teste Ænea Sylvio*.
Natalis Henrici VIII. Angliæ regis.

28 4 Panathenæa magna Athenis.
Hipparchus Atheniensium tyrannus ab Harmodio & Aristogitone interemptus, ut scribit *Thucydides*.
Alexander Macedo Babylone extinct.
Fauno sacrum.
Fridericus I. Ænobarbus Imperii diadema accipit.
Diogenes Cynicus obiit. *Laertius*. | E
Sigismundi Imper. natalis.
Carolus V. consensu Principum Imper. designatus, anno 1519.

29 3 Quirini templum in colle Quirinali.
Eduardus IV. Angliæ rex creatur.

30 *Prid.* Herculis & Musarum.
Natalis Joannis Friderici Saxon. ducis.

## *Dies*. JULIUS *Dies* 31.

F

1 K L. Commigrationes ex ædibus in alienas fiebant: quod alii deferunt Kalend. Aug.
Senatus legitimus.
Vespasianus Imp. imperium suscepit. *Tacitus*.
Natalis Ludovici Hungariæ regis.

2 6 Henricus cognomento Auceps Imper. extinctus.
Natalis Valentiniani Imp.
Adolphus Cæs. occubuit.
Thomas Morus literatus vir securi percutitur Londini.

3 5 Philippus Augustus Franciæ rex Ascalonem Syriæ urbem expugnat.
Veneti a Sigismundo Austriaco ad oppidum Roboretum profligati.

4 4

5 3 Ludi Apollinares a Pub. Licinio Varo instituti per octiduum. *Livius*.

6 *Prid.* Apud Rhodios vir immolabatur Saturno victima, uti refert *Porphyrius lib. de abstinendo ab animatis*.
Capitolium conflagravit tempore Syllæ Dictatoris.
Henricus II. Angliæ rex moritur.
Ludovicus X. Francorum rex obiit.
Richardus Angliæ regnum nefaria cæde pollutus invadit.
Eduardus VI. Angliæ rex adolescens in fata concessit.

7 *Nonæ*. Nonæ Julii *Caprotinæ* dictæ, & *Vulgi fuga*. *Macrob. Populifugium* nominat, quod populus Romanus a Thuscis in fugam conversus fuerit: sive quod fugerit in Romuli raptu oborta subita procella, *teste Halicarnasseo lib.* 2.
Romulus raptus e vita excessit, *Solinus*. *Plutarch. Capitolinus*.
Ad Capreæ paludem extra urbem sacrificabatur.
Ancillarum dies festus, *Caprificia* dictus. *Macrob. Varro*.
Camillus Latinos & Volscos devicit.
Athenienses ab Antipatro ad Cranonem Thessaliæ urbem deleti: iterum apud Chæroneam a Philippo Macedone clade affecti. *Plutarch.*
Commodus Antoninus parum commodus, toga sumpta Cæsar appellatus. *Lampr.*
Archidamus cum exercitu in Italia concisus. *Plutarch.*
Templum Hierosolymitanum a præfecto Nebuchadnæsar. incensum, muri diruti, ædesque magnatum incendio absumptæ. 4. *Regum*. 25.
Eduardus I. Angliæ rex decessit.
Johannes Hussus Bohemus hæreticus igni exustus.

8 8 Vitulatio fiebat certis sacrificiis ob victoriam. *Macrob.*
Vitulæ deæ Lætitiæ pro frugibus sacra fiebant. *Macrob.*
Pipinus Carol. Magni filius Italiæ rex moritur.

9 7 Hierosolyma a Babyloniorum rege post longam obsidionem capta. Ater propterea dies Judæis habitus, quo jejunium observabant.
Atheniensi reipub. infelix dies habitus ob accepta damna.
Leopoldus Austriæ dux ab Helvetiis cæsus.

10 6 Messis.
Hadrianus Imp. fatis concessit.

11 5 Nobilitas Francica ad internecionem a Flandris deleta, anno 1302.
Isocrates orator inedia vitam finivit, accepto cladis Chæronensis nuntio. *Plutarch.*

Erasmus Roterdamus diem obiit, anno 1536.

12 4 Natalis Julii Cæs. *Sueton.*

Decretum senatusconsulto Romæ, ut Julii natalis festus haberetur universo populo, utque laureas gestarent: dirasque imprecatus est Senatus omnibus diem negligentibus. Postea cautum est, ut pridie ejus diei natalis celebraretur, quod ipsum natalem incurreret Apollinis festum, quod consulti libri Sibyllini, nulli alii Deo præterquam Apollini sacrum esse volebant. *Dion.* 47.

Roma a Vandalis capta & direpta, anno 455.

Angli cum Duce Talboto a Francis obtriti.

13 3 Henricus II. Imper. cognomento Claudus obiit.

Scarparia Hetruriæ oppidulum terræ motu gravissime afflictatum. *Geor. Agr.*

14 *Prid.* Fortunæ muliebri sacer dies. *Liv. Dionys.*

Otho II. Imperator in Calabria a Saracenis vincitur.

Gauleta Tunetensis arx munitissima a Carolo Cæsare expugnata.

Philippus Augustus Franciæ rex mortuus.

Natalis Caroli VIII. Francorum regis.

15 *Idus.* Adonia celebrabantur.

Athenis fœminæ jejunium servabant, quod luctuosus illis esset dies.

Equitum turmæ in Campo Martio festa fronde & olea coronatæ, aciei speciem præ se ferebant, & imaginem Germanici Agrippæ sequebantur, *Corn. Tacito teste*: idque ab æde Honoris in Capitolium, auctores *Dionys. & Plinius*. Refert *Tit. Liv.* a Qu. Fabio Max. institutum, ut Idib. Quintilibus equites transveherentur.

Castori ædes dicata.

Constans Heraclii Imp. nepos ob tyrannidem a suis occiditur.

Rodolphus Cæsar diem obiit.

Renatus Aurantius regulus tormenti ictu periit, anno 1543. *Paul. Jovius.*

Hierosolyma recuperata a Christianis, anno 1099. *Gul'lmus Tyrius.*

16 17 Fabii apud Cremeram cæsi. *Plutarch. in Camillo* cædem Fabiorum & cladem Alliensem refert ad solstitium æstivum.

Romani ad Alliam a Gallis victi. *Macrob.*

Richardus II. Angliæ regno inauguratur. *Polydor.*

17 16 Senatus legitimus.

18 15 Vitellius Imper. Pontificatum Maximum adeptus de ceremoniis publicis edixit. *Corn. Tacitus.*

Hunc diem Cremerensi Alliensique cladibus infaustum tradit *Tacitus.*

Godofridus Bulionensis, qui Hierosolyma recuperarat, obiit.

19 14 Ludi Votivi.

Galli Senones Romam captam inflammaverant. *Tacitus.*

A

B

C

D

E

F

Maria I. Angliæ regina, eliso tyranno, Britanniæ regno hæreditario designatur, summo omnium bonorum applausu, anno 1553.

Philippus Hispaniæ Princeps in Angliæ littus appulit, Reginæ Mariæ conjunx futurus, anno 1554.

20 13 Ludi Apollinares.

21 12 Horrendi terræ motus toto orbe grassati Valentiniano Imperante. *Ammianus.*

Tunete Africæ regia civitate potitus Carolus Imper.

22 11 Ludi Neptuno.

Carolus VII. Francorum rex obiit.

Joannes Hunniades contra Mahumetem Turcam victor extitit.

23 10 Mulieres prægnantes Opigenæ cereas imagines offerebant, auxilium in partu deprecantes.

Carthaginiensibus inauspicatus dies & maximarum calamitatum, auctor *Plut.*

24 9 Phœbo mel novum, vinum, & farina offerebantur.

Gratianus Imp. dolo interemptus a Maximo Britone, qui sumpta purpura imperium sibi arrogavit.

25 8 Maria I. Angliæ regina Philippo Caroli Imp. filio nupsit, anno 1554.

26 7 Ludi Votivi.

Nicephorus Imp. a Bulgaris interfectus.

27 6 Victoria Sarmatica.

28 5 Cereri lacte, vino, & melle sacrificabatur. Dies faustus & fœlix habebatur.

Festum Asinarum nomine, a fluvio victoriæ teste, celebrabant Syracusani, in memoriam cæsi Atheniensium exercitus, ducibus Nicia & Demostene. *Plutarch. in Nicia.*

Albertus Austriacus Cæs. designatur.

Carolus VIII. Franciæ rex, Britanniæ ducem prælio superavit.

29 4

30 3

31 *Prid.*

*Dies.* AUGUSTUS. *Dies* 31.

1 K L. Sacrum Spei ad olitorium forum.

Auspicatus Romanis dies credebatur, quo e veteribus in novas domos commigratio fiebat: hoc alii Julio mensi adscribunt.

Marti templum sacratum. *Dion.*

Ara Lugduni Augusto Cæsari dedicata. *Suetonius.*

Natalis Claudii Tiberii Cæs. & Ælii Pertinacis Imper.

2 4 Neptunus & cæteri dii de regionibus partiendis sortiti post jurgia mutua & altercationes hoc die credebantur. *Plutar. lib.* 9. *sympofiac.*

Feriæ ob subactam a Cæsare citeriorem Hispaniam.

Romani ingentem cladem ad Cannas acceperunt. *Macrob.*

Quintilius Varus cum tribus legionibus in Germania concisus, *teste Flor.*

Guilielmus cognomento Rufus Angliæ rex e vita excessit. A

3 3 Persæ ad Platæas Bœotiæ, & Mycalen insigni a Græcis clade affecti. *Plut. Camil.*

Philipp. Valesius Franciæ rex in fata concessit.

4 *Prid.* Victoria.

Cicero lege a P. Clodio lata in exilium ejectus.

5 *Nonæ.* Brundusii natalis.

Saluti in colle Quirinali sacrum.

Ciceronis reditus natalis, quo die ab exilio rediit Italiæ humeris reportatus, uti ipse testatur *in orat. pro Sestio*. B

6 8 Persæ in Marathone debellati. *Plut. in Cam.*

Ludovicus VIII. Francorum rex decessit.

Mahometes II. Turcarum Imp. ab Joanne Hunniade castris exuitur, anno 1459.

Mechlinia Brabantiæ illustris urbs de cœlo tacto pulvere tormentario accensa misere conflagravit, anno 1546.

7 7 Natalis Constantini. C

8 6 Ludi votivi ab Imperatoribus tantum observati, & ab annis Imperii computati. nam annorum Imperii numero respondebat totidem dierum ludis impensorum ratio.

Solis Indigetis in colle Quirinali.

Qu. Fabius Maximus Allobrogas & Arvernos gravissime cecidit. *Plin.* 7.

Henricus IIII. Imper. rex. animi mœrore diem obiit.

9 5 Hadrianus Imp. natalem adoptionis suæ celebrabat. *Spartianus*. D

Romanæ legiones ad internecionem deletæ a Gothis ad Constantinopolin, Romano Imper. Valente, tugurii in quod confugerat incendio absumpto. *Paulus Diaconus*.

Henricus VI. Angliæ rex coronatur.

10 4 Bellonæ sacerdotes ensibus humeros & brachia dividebant, cruore expiantes crimina, & pro vulneribus stipem recipiebant.

Aræ Opis & Cereris in vico Jugario

Templum Hierosolymitanum a Vespasianis exustum, & ab Tito Anio Rufo aratum fuit, in gentis oppressæ ignominiam. *Joseph. Hierony.* E

Methone potiuntur Turcæ, an. 1500.

Franciscus primogenitus Francisci Galliarum regis ex veneni poculo periit, anno 1536.

11 3 Otho I. Imp. Hunnos profligat.

12 *Prid.* Charisteria pro libertate sacrificabant Athenienses. *Plutarch.*

Lignapsia.

Herculi Custodi in Circo Flaminio. F

Natalis Christiani Daniæ Regis.

13 *Idus.* Natalis Dianæ, *teste Martiali:* unde & *Hecateias* has Id. appellat *Statius lib.* 3. *Sylvarum*, & *Ausonius: Sextiles Hecate Latonia vendicat Idus.* Celebrabatur autem hoc festum a virginibus, veluti annotat *Acron.*

Servorum dies, quod eo Servius Tullius serva natus ædem in Aventino dicarit Dianæ, cujus in tutela sunt cervi, quorum celeritate fugitivi vocantur *cervi*. *Plutarch. Sex Pomp.*

Facibus accensis ab urbe in Aricinum nemus, ubi Dianæ templum erat, discurrebatur. *Statius*.

Septimius Severus a legionibus Imperator appellatur. *Spartian.*

24 19 Athenienses duce Gabria navali prælio ad Naxon insulam victores extitere. *Plutar. in Camillo*.

Artabazum & Persas e Græcia fugarunt: itaque felix illis dies habitus.

Liberatori Jovi sacrificabant, victimasque cædebant.

15 18 Ludos votivos per dies quindecim Cn. Pompejus fecit. *Cicero*.

Henricus VII. Imp. veneno sub sacra synaxi latente sublatus. *Nauclerus*.

Magnentius Imper. sua ipsius manu cadit.

Ludovicus XI. Franciæ regno inauguratus.

Rhodos in Christianorum potestatem redacta fuit, anno 1308.

16 17 Arcades Hippocratia agebant, festum consimile Consualibus. *Dion. Halicar.*

Consualia in hunc diem referunt nonnulli.

17 16 Tyberinalia.

Jano ad theatrum Marcelli sacrum.

Portumnalia ad pontem Æmylium.

Angli Francos conciderunt Ducis Bedfordii ductu.

18 15 Neptuno ludi equestres a Romulo instituti, Consualia dicti, Neptunum equestrem Consum appellantibus illis ob salutaris consilii suggestum, quo Sabinas virgines rapuerunt Romani.

Raptum Sabinarum huc transferunt quidam, ad mensem Martium alii.

Thebæ ab Alexandro Macedone eversæ. *Plutar. in Camillo*.

19 14 Vinalia rustica, quibus vinum primum in urbem deferebant. is dies Jovi sacer erat, quod Latini cum Mezentio bellum gerentes Jovi libationem vini omnes dedicarant. *Sext. Pomp.*

Natalis Probi Imper.

Veneri templa bina consecrata, alterum ad Circum maximum, alterum in luco Libitinensi. *Sex Pomp.*

Augustus Cæs. moritur, quo die primum consulatum inierat. *Dion. & Sueton.*

Fridericus III. Imp. obiit.

Bajona Aquitaniæ in Gallorum potestatem venit.

20 13 Vinalia secunda leniendis tempestatibus instituta, quibus agna Jovi mactabatur. *Plinius* 18.

Flamen Dialis vindemiam auspicabatur.

Mysteria Athenis agebantur, quibus extra urbem mysticus Iacchus efferebatur, non Thebanus ille, sed Jovis ex Proserpina filia natus, & ferculorum pompa Eleusina usque perducebatur. *Plutarch.*

Athenienses navali prælio ad Salamina vicere. *Plutarch. Ovid.*
Athenienses præsidium Macedonum ab Alexandro imperatum accepere. *Plut.*
Wenceslaus Inertis cognomen ferens, in ordinem redigitur, Imperatoria dignitate exutus.
21 12 Veneri dedicata ædes, & horti Veneris tutelæ assignabantur. *Varro.*
Holitorum dies feriatus. *Varro.*
Vinalia rustica huc revocat *Varro l. de lingua Lat. quinto.*
22 11 Dianæ sacrum ob venationes.
Natalis Philippi Augusti Francorum regis.
Richardus III. Angliæ rex in conflictu cæsus ab Henrico VII. nomine postea notiore.
23 10 Ludi Vulcano fiebant in circo Flaminio.
Guilielmus Budæus Galliarum decus decessit.
24 9 Cœna Pontificum.
Gratianus apud Ambianos Imperator factus.
Psophi Persidos rex cruenta strage profligatur a Selimo Turca, anno 1514.
Petrus Messias.
Sultanus Memphitanus Princeps obtritus in pugna cum Selimo Othomanno inita periit, anno 1516. *Pet. Mess.*
25 8 Ambarvale sacrum.
Opi Consivæ in Capitolio. *Varr.*
Ludovicus XI. Franciæ rex in Africa bellum gerens interiit.
26 7 Matronæ phallum virilis membri figura ad ædem Veneris extra portam Collinam cum pompa sacrorum deferebant. φαλλαγώγια vocant illi.
Caletum, seu portus Iccius, Anglo deditur: quod alii tertio Non. Augusti accidisse memorant.
27 6 Persæ in Arbelis cladem accepere. *Plutarch.*
Vulturnalia, quibus Vulturno amni sacrificium fiebat. *Varro.*
Maximus Brito Imp. invasor a Theodosio obtruncatur.
28 5 Soli & Lunæ sacra fiebant.
D. Erasmi Roterodami singularis literarum ornamenti natalis.
29 4 Vulcanalia.
Ludovicus Pannoniæ rex cum exercitu a Turcis deletus, anno 1526.
Buda regia civitas Hungariæ a Turcis capta.
30 3 Mundus Cereris patet.
Lotharius Imper. moritur.
31 *Prid.* Natalis C. Cæsaris Germanici.
Natalis Caii Caligulæ. *Dion & Suet.*
Natalis Commodi Antonini. *Lamprid.*
Cereri gratiarum actio.
Hydrunto Calabriæ oppido potiti Turcæ, immanissime in omnis sexus & ætatis homines desævierunt.

*Dies.* SEPTEMBER *Dies* 30.

1 K L. Festum clangoris seu buccinæ, in
A memoriam, ut volunt quidam, Isaaci ab immolatione exempti, celebrabatur a Judæis. Alii asserunt parasceven esse.
Scenopegiorum sequentium, quo nimirum mortalium animi ad reliqua festa præpararentur. *Num.* 29. *Levit.* 23.
Apud Elæos in Bacchi festo tres lebetes suapte sponte in templo implebantur.
Senatus legitim.
B 2 4 Ater habebatur olim dies, uti apud *Non Marcellum* testatur *Afranius.*
Amathusii in Cypro sacrum faciebant Ariadnæ ex instituto Thesei. *Plutarchus.*
Cæsar Augustus ad Actium Cleopatram Ægypti reginam cum Antonio devicit. *Dion. lib.* 51.
Ab hoc die auspice numerabatur Augusti Monarchiæ initium. *Dion.*
3 3 Thebani obsidione arctati eos qui pro Medis contra Græciam consenserant, tradiderunt. *Herodotus.*
C Lu. Æmilius Paulus Perseum Macedonum regem superavit. *Eutrop.*
Richardus I. Angliæ rex coronatur.
4 *Prid.*
5 *Nonæ.*
6 8 Ariete & ove nigra Erebo sacrificabant gentiles.
Guilielmus cognomento a devicta Britannia insula *Conquæstor* nuncupatus, Angliæ rex, decessit.
Ludovici VIII. Francorum regis natalis.
D 7 7 Franciscus postremus Britaniæ minoris dux mortuus.
8 6 Dedicatio altaris ænei a Salomone facta. 2. *Paralipom.* 7.
Atheniensibus ater dies.
Nicias Atheniensis in fugam versus.
Hierosolyma funditus excisa, anno 73.
Constantinus VII. Imper. extinctus.
Irene Constantinopolitana Imperatrix a morte Leonis mariti, habenas imperii suscipit.
Sigismundus Poloniæ rex insigni strage fudit Muscovitas, anno 1514.
E 9 6 Natalis Aureliani & Honorii Imperatorum.
10 4 Dies expiationum, a delicto adorati vituli aurei, quo jejunare & universi ad templum Domini commeare, atque ab omni labore supersedere tenebantur Judæi. *Levit.* 16. 23. *Num.* 29.
Aphrodisium munitissimum Africæ oppidum, a totius nomine Africa hodie dictum, expugnavit Caroli V. Imper. exercitus, anno 1550.
F 11 3 Natalis Asclepiadis.
12 *Prid.*
13 *Idus.* Capitolii dedicatio Jovi facta. *Plut. Livius.*
Prætor maximus clavum pangit annorum indicem.
Dies festus Roman. quo se interfecerat Libo Drusus e Scriboniorum familia, res novas in Tiberii imperium moliri creditus. *Tacitus.*

Titus

Titus Vespasianus in fata concessit. A
Protervia.
Senatus legitimus.
Lotharius Saxo Imper. coronatur.

24 18 Joannes Chrysostomus diem obiit.
Helvetii ad Marignanum Insubrium oppidum ingenti strage a Gallis fusi profligantur, anno 1515.

25 17 Festum tabernaculorum apud Judæos, *Scenopegia* dictum, in monimentum profectionis per desertum, idque per dies septem. *Josephus*.
Parentalia pro Græcis in pugna contra Persas cæsis a Platæensibus celebrabantur. *Plutarch. in Aristide*. B
Juventæ & Summani feriæ apud Romanos.
Poma leguntur.
Ludi Romani per quatriduum, qui & Magni. *Ascon. Pædia*.
Carolus V. Francorum rex decessit.

17 15 Eugenium Imperium invadentem cum Arbogasta militiæ principe Theodosius incredibili cœli favore devicit.
Philippus Austriacus Caroli V. pater e vita excessit. C

18 14 Trajani Cæs. optimi Principis natalis.
Domitianus Imper. confossus interiit, *teste Suetonio*.
Ludi triumphales.
Ludovicus Pius Imper. designatus.

19 13 Mercurio, quem *Thoth* nuncupabant, rem sacram faciebant Ægyptii melle & ficubus vescentes. *Plut. lib. de Iside*.
Ludi Circenses in Antonini Pii natalem instituti. *Capitolinus*.
Antoninus Diadumenus Imper. iisdem & die & hora natus, quibus Antoninus Pius. *Lampridius*. D
Joannes Francorum rex insigni victoria capitur ab Eduardo III. Anglo in prælio Pictaviensi.

20 12 Romuli natalis. *Plutarch.*
Ludi triumphales Augusto per quatuor dies.

21 11 Festum Palmarum apud Judæos, quo fumebantur citrea & elatæ palmarum.
Canis immolabatur Marti apud Lacedæmonios.
Natalis Friderici III. Imper. patris Maximiliani. E

22 10 Augustus Cæs. primum consulatum iniit, pridie quam viginti annos impleret. *Vellejus Paterculus*.
Virgilius Maro poetarum princeps vitam Brundusii finiit.

23 9 Natalis Augusti Cæs. Cicerone & Antonio Consulibus. *Vellejus*. *Sueton. Dion.*
Cursus equorum in sempiternum instituti. *Dion.* F
Collecta Judæorum fiebant, hoc est, coibant ad audienda verba Dei. *Paralipom. 2. cap. 7.*
Pipinus Francorum rex aqua intercute periit.
Selimus Turcarum Imperator occupata Ægypto triumphator ex apostemate interiit, anno 1520. alii de die variant.

24 8 Olympiadum anni hinc sumunt initium.

Arborum ablaqueatio.
Natalis A. Vitellii Imper. *Sueton.*
Stephanus Angliæ rex moritur.

25 7 Saturno & Maniæ humanis victimis ex Herculis monitu sacrificabatur.
Alexander Severus Imper. de Persis memorabili clade pulcherrimum triumphum egit. *Lamprid.*

26 6 Hierosolymorum urbs Saladino Ægyptio reddita, a Christianis prius obtenta, idque anno 1187.

27 5 Guilielmus cognomine Ruffus regno Angliæ consecratur. alii ad quartum Kal. referunt.

28 4 Nicias & Demosthenes Atheniensium exercitus duces capti.
Sigismundus Pannoniæ rex a Bajazete Turca ingenti clade superatus.

29 3 Ludi fatales.
Lotharius Imper. Ludovici Pii filius decessit.
Ludovicus Philippi Augusti pater Francorum rex e vita excessit.
Terræ motus in Campania montem egessit *Modernum* nomine. *Georg. Agr.*

30 Prid. Hunc vere anni principem diem demonstrationibus asserere conatur *Isaacus Argyrus Græcus auctor.*
Epulum Minervæ. sunt qui quarto Kal. hoc tribuunt.
Cn. Pompeii natalis idem & funebris dies. *Plinius 37. Vellejus* pridie natalis sui mortuum eum scribit. *Plutarch.* postriduanum natalis diem refert.
Cn. Pompejus nobilem triumphum egit de prædonibus, de Asia, Ponto, & regibus Mithridate & Tigrane. *Plinius lib. 37. Dion lib. 42.*
Rodolphus Habspurgensis Cæsar designatur.
Philippus III. cognomento Audax Franciæ rex consecratur.

*Dies.* OCTOBER. *Dies 31.*

1 K L. Natalis Alexandri Severi Imper.
Maria Angliæ regno inauguratur accepto diademate, anno. 1553.

2 6

3 5 Persarum ad Marathona stragem referunt huc nonnulli.

4 4 Lemuralia.
Dies infelix habitus.
Gentiles mundum patere ac dehiscere ter in anno putabant, quarto Non. Oct. septimo Idus Novembris & postridie Vulcanalium, dies eos religiosos habentes; nam nec cum hoste manus conferebatur, non exercitus scribebatur, non comitia habebantur, non aliud quidquam in repub. nisi quod ultima extudisset necessitas, administrabatur. *Sex. Pomp.*
Natalis Ludovici Hutini Francorum regis.

5 3 Ludi Alamannici per dies sex.
Aradeorum inferorum placandis mortuorum Manibus secundo adibatur in Circo maximo.
Constantius Imper. e febre mortuus. *Ammianus*.

Michael cognomento Curopalates imperii Constantinopolitani habenas suscipit. A

Henricus III. cognomine Niger Imp. decedit.

6 *Prid.* Romani ingenti clade a Cimbris profligati.

Lu. Lucullus in Tigranem Armenium exercitum ducit, exigua manu magnas hostium copias fundit, insigni usus victoria. *Plut. in Lucullo.*

Carolus Calvus cognomento Francorum rex diem obiit.

7 *Nonæ.* Theseus Apollini votum persolvit pro sospite reditu. *Plutarch.* B

8 8 Pyanepsia Apollini celebrabantur. *Suidas.*

Oschophoria, quasi *ramigera* dicas, ex instituto Thesei Athenis agebantur, in memoriam Thesei e Creta cum juvenibus reducis, quo tempora annotini fructus in urbem ex agris comportabantur, collecta vindemia. *Plutar.*

Carolus Magnus Franciæ rex creatur. C

Εἰρεσιώνη, id est, ramus oleaginus lana obvolutus cum appendice fructuum ante ædes plexus suspendebatur. *Plut.*

9 7 Hyperides orator insignis execta lingua interiit. *Plutar.*

Vindemia ultima.

Veneti memorabili pugna ad Vincentiam oppidum a Maximiliano Cæsare profligati.

10 6

11 5 Nicæa funditus terræ motu subversa, anno 368.

Ludovicus Bavarus Imper. fato concessit. D

12 4 Augustales ludi.

Carolus Cæs. V. coronatur Aquisgrani, anno 1520.

Eodem & anno & die Solimanus Turca Constantinopoli diadema imperii suscepit. *Pet. Messias.*

13 3 Jovi Liberatori per dies sequentes ludos Romani celebrabant.

Tiberius Claudius Nero e vita excessit. *Seneca. Sueton.*

Henricus IIII. Angliæ rex creatur. *Polyd.* E

Philippus Ludovici Crassi filius, Franciæ rex, equo delapsus obiit.

Eduardus VI. Angliæ rex nascitur.

14 *Prid.* Haraldus Danorum rex a Guilielmo Notho superatus occiditur.

15 *Idus.* Natalis Virgilii poetæ. *Martial. Ausonius.*

Mercatores Mercurio sacrum faciebant.

Equus *October* nomine in campo Mart. immolabatur, cujus os panibus redimibant sarificiumque istud Marti ob frugum eventum statuebant. *Sex. Pomp.* F

Bononia Picardiæ, antiquis Gessoriacum dicta, deditur Henrico VIII. Angliæ regi.

Solimannus Turcarum Imp. obsidionem Viennæ Austriæ solvit magna copiarum suarum occidione, anno 1528.

Cerealia, θεσμοφόρια Athenis. *Plut.*

Fœminæ Athenis stratis humi frondibus jejunium peragebant.

Bœotii festum ἐπαχθῆ dictum Cereri Achææ celebrabant, in memoriam luctus, quo raptam filiam Proserpinam prosecuta fuerat mater. *Plutarch. lib. de Iside.*

Thebarum arx Cadmea dicta per proditionem capta est. *Plutarch.*

16 17 Demosthenes orator exucto veneno sibi ipse necem conscivit. *Plutar.*

17 16

18 15 Ælius Sejanus Imperii affectator & Tiberii Cæs. insidiator, ac Agrippina Germanici filia tolluntur, decretumque senatusconsulto, ut quotannis donum Junoni sacraretur. *Cor. Tacitus.*

19 14 Magnorum Mysteriorum dies solennes Athenis celebrabantur.

Liber pater in Eleusina ex urbe Athenarum transmittitur.

Democritus philosoph. diem obiit. *Laert.*

Carthago a Genserico Vandalorum rege occupata. Ludi Solis per quatriduum.

Joannes Angliæ rex veneno extinctus.

20 13

21 12 Pambœotia Palladis sacra.

Carolus VI. Franciæ rex diem obiit.

22 11 Amplissimum Daphnæi Apollinis templum ab Epiphane Antiocho conditum, subita vi flammarum exustum est sub Juliano Imperat. *Ammianus lib.* 22.

Carol. Martell. Francorum rex decess.

23 10 Libero patri sacra fiebant.

Philippus Philippi Pulchri pater Francorum rex moritur.

24 9 Natalis Domitiani Cæs. *Sueton.*

25 8 Lacedæmonii vini quartarios Apoll. offerebant, pecoribus superimmolatis.

Henricus V. Angliæ rex Gallos nobili victoria cecidit.

Stephanus Angliæ rex moritur.

26 7

27 6 Albertus Imper. Hungariæ & decimus quartus Bohemorum rex extinctus.

28 5 Isiaca per quatriduum sequens.

Evictio tyranni.

29 4 Joannes Angliæ rex obiit, anno 1216.

30 3 Ludi votivi.

Leodienses post rebellionem a Carolo Audace miserrime ferro & igne vastati.

31 *Prid.* Χαλκεῖα Athenis celebrabantur, festum commune fabris omnibus victum manu quærentibus, potissimum vero fabris ærariis, ut *Appollon. Acharnensis* scribit, in honorem Vulcani, *Phanodemo teste*. alii solemne festum Minervæ istud faciunt. *Harpocration.*

Henricus VII. An. rex. inauguratus.

*Dies.* NOVEMBER. *Dies* 30.

1 K L. Ludi Circenses ad perpetuam memoriam a Sylla instituti, & Syllanæ victoriæ nomine celebrati. *Vellejus.*

Pontius Telesinus Samnitium dux

cum Sylla acriter bello conflixit civili, & superatus est. *Vellejus*. A
Philippus Augustus Francorum rex coronatur.
2 4 Ternovena.
Plinius Secundus naturalis historiæ scriptor Vesuvii montis incendio periit. *Plin.*
3 3 Hilaria.
Lucani poetæ natalis.
4 *Prid.* Carolus VI. Francorum rex regno inauguratus consecratur.
5 *Nonæ.* Neptuno gratiarum actio habebatur a nautis. B
6 8 Genio fausto libabant Græci post primum zephyri flatum, quod is ventus crederetur vinum reddere vapidum. *Plutar. in symp.*
Vesuvius arsit sub Leone Imper. ita ut caligine nocturna diem offuscarit, & Europam vi ventorum impellente minuto pulvere resperserit. Marcellinus
Julianus a Constantio adoptatus, purpuram induit, Cæs. electus. *Ammianus. Pomponius Lætus.*
Henricus VI. Angliæ rex coronatur. C
7 7 Inferorum parentationes fiebant.
Dies infaustus Romanis.
8 6 Ara deorum inferorum placandis Manibus adibatur tertio in Circo maximo.
Natalis Nervæ Trajani & Constantii.
9 5 Ludi Votivi.
10 4 Πιθοιγία Athenienfibus festum celebrabatur, quo tempore relinebant reserabantque vini dolia, testibus *Plutarcho* & *Proclo*, qui ferme mos observabatur hodie eo ipso die divo Martino sacro. D
Hysteria.
Ladislaus Pannoniæ rex prælio occubuit cum suis magna occidione ab Amurate Turca cæsis.
11 3 Maria clauduntur usque ad sextum Iduum Martii.
Natalis Henrici IIII. Imper.
12 *Prid.* Liberalia vetustiora, quæ a *Plutarcho* in Demetrio Mysteria minora vocantur, Athenis celebrabantur in Limnis vico urbis.
Ludi plebeii per dies quinque.
Ludovicus VIII. Francorum rex decessit. E
13 *Idus.* Jovis epulum.
Moris erat Athenis Minerval & munera præceptoribus rhetoribusque mittere, ut *ex Eubulide* refert *Athenæus*.
Χύτροι & Χοὲς utrumque festum uno hoc die celebrabatur, *Didymo teste*. agebatur autem Mercurio τῶν Χθονίῳ, hoc est, *infero*, tum pro defunctis, tum pro periculis, quæ quisque evaserat, ut *ex Theopompo* referunt *Philochorus & Suid.* F
Lotharius Franciæ rex coronatur.
14 18
15 17 Sementis triticea fit.
16 16 Natalis Tiberii Cæs. *Dion & Sueton.*
Henricus III. Angliæ rex obiit.
17 15 Natalis Vespasiani patris Titi.
Valentinianus Imper. subito sanguinis profluvio periit.
18 14
19 13 Cœna Pontificum in honorem Cybeles matris deum præparatur.
20 12
21 11 Ludi Liberalici in honorem nympharum & heroum instituti.
Albertus V. Imper. moritur.
Flandri notabili clade affecti a Carolo VI. Franciæ rege.
22 10 Plutoni & Proserpinæ vivo homine sacrificabatur.
Phocas Imperii Romani diadema assumpsit.
Ladislaus Pannoniæ Bohemiæque rex interiit. *Nauclerus*. alii ad octavum Kalen. referunt.
23 9 Valentinianus Junior patri succedit in imperio.
24 8 Bruma.
Encœnia Judæorum, quibus expiatum fuit templum Hierosolymitanum ab Antiocho prophanatum atque pollutum: expiavit autem Judas Machabæus. *Machab. 2. cap. 1.*
Granatam regni caput in Bætica recepit a Mauris Ferdinandus Arragonum rex, anno 1491.
Tartari a Polonis ingenti strage fusi fuerunt, anno 1499.
26 6
27 5 Commodus Antoninus Imp. appellatur. *Lampr.*
Horatius Flaccus poeta Lyricus obiit diem.
Henricus III. Joannis regis filius regno Angliæ inauguratus, an. 1216.
28 4 Semideis & Heroibus honores decernuntur, estque status dies.
29 3 Arnulphus Imper. phthiriasi periit.
Ludovicus XI. Franc. rex injungitur.
30 *Prid.*

*Dies.* DECEMBER. *Dies 31.*

1 K L. Fortunæ muliebri festum ob sublatum eo die bellum.
Cn. Octavius de Perseo Macedonum rege navalem triumphum egit. *T. Livius.*
2 4 Nicomedia terræ motu collapsa sub Juliano Imperat. *Marcellinus.*
3 3 Senatus legitimus.
Henricus I. Angliæ rex moritur.
Lotharius Saxo Imper. obiit.
Natalis Caroli VI. Francorum regis.
4 *Prid.* Munus Arcadicum.
Carolomannus Francorum rex in fata concessit.
5 *Nonæ.* Fauni festa aniversario pervigilio celebantur: Faunalia vocat *Porphyrion.*
6 8
7 7 Otho II. Imper. Romæ decessit.
8 6 Natalis Horatii Flacci poetæ.
9 5 Puellæ innuptæ & viduæ conveniunt, & Junoni τῇ ζυγίᾳ conjugiorum præsidi offerunt donaria.
Sigismundus Imper. mortuus.
14 4 Nabuchodonosor obsidione Hierosolymitanam urbem premit. 4. *Reg.* 25. *Hierem.* 39.
Belisarius fortissimus dux a Gothis Romam recuperat.
11 3 Halcyonia per dies quatuordecim.
Septimontia.

12 *Prid.* Ludi Lancionici per dies ſeptem.
Choſroæ Perſarum regis exercitus ab Heraclio Imper. graviter cæditur.

13 *Idus.* Curſus equorum fiunt, & equus victor dexterioris bigæ Marti deo immolatur. *Plutarchus.*
Senatus legitimus.
Maximianus Imper. acerrimus Chriſtiani nominis perſecutor, Maſſiliæ interficitur.
Fridericus Ænobarb. Imp. deceſſit.
Ludovicus Bavarus Cæſar eligitur.

14 19

15 18 B Natalis Neronis. *Suetonius.*
Natalis Veri Imper. *Capitolin.*

16 17 Pepinus Auſtratius diem obiit.

17 16 Saturnalia per triduum durant, quibus cœnas ſervis ſuis heri apponebant, quaſi gratiam perfecti laboris repenſantes, *teſte Solino.*
Servi ingenuorum calceis induti laute accipiebantur. *Porphyrius.*
Mulieres viris munera mittebant.
Pauperiores donabant munera cereos locupletioribus. *Sext. Pomp. & Varr.*

18 15 C Æſculapii feſtum Athenis,
Ludi Lancionici finiunt.
Munus Arcadicum.

19 14 Opalia. *Macrob.*

20 13 Natalis Epicuri.
Meraciore vino ſe explebant.
Henricus II. Angliæ rex coronatur.

21 12 Angeroniæ ſilentii deæ ſacrum Pontifices celebrabant.
Herculi & Cereri ſue prægnante, panibus & mulſo ſacrificabatur. *Macrob. Servius.*

A 22 11 Compitalia & ludi Laribus inſtituti. *Plinius.* 36
Sigillaria incipiunt, durantque per ſeptiduum.

23 10 Laurentinalia Jovis feriæ.
M. Fulvius Nobilior de Ætolis victis triumphavit. *Livius.*
Munus Arcadicum.
Conradus I. Imper. e vita exceſſit.

24 9 Dies Juvenalis.
Natalis Sergii Galbæ.

25 8 Natalis CHRISTI redemptoris, *teſte Auguſtino.* aliter colligit *Epiphanius libro 3. contra hæreſes.*
Theſeo ſacra fiebant Athenis.
Carolus Magnus Imper. Auguſtus conſecratur.
Guilielmus Nothus cognomine Conquæſtor Angliæ rex coronatur.
Stephanus Angliæ regno conſecratur.
Carolus Calvus Franciæ rex Imperatorium diadema ſuſcipit.
Rhodus munitiſſimum orbis Chriſtiani propugnaculum capitur a Selymone Turcarum rege, anno 1522.

26 7 Galeatus Sfortia Mediolani dux a conjuratis confoditur.

27 6 Phœbo per triduum ſolennia ſacra fiebant, quod dies incrementum capiat.

28 5

29 4 Lacedæmonii Mercurio ſacrificant.
Bononia Latina colonia a Triumviris deducta. *Livius.*

30 3 Natalis Titi Veſpaſiani. *Sueton.*

31 *Prid.* Magiſtratus ſacramento adſtringitur.
Pertinax Imper. factus. *Capitolin.*

# F I N I S.

# JOANNES LALAMANTIUS

*DE*

# ANNO ROMANO.

# JOANNES LALAMANTIUS
## *D E*
# ANNO ROMANO.



Uis modus aut quæ ratio anni fuerit ante Urbem conditam apud antiquissimos Italiæ populos, sive ii Umbri, ut scribit Plinius [1], sive Hetrusci, Sabini, aut alii fuerint, divinare non est facile, cum ejus rei tractatio neque literarum monumentis tradita usquam extet, neque per manus nobis tradita sit. Et crediderim sane regnantibus etiam priscis illis Jano, Saturno, Pico, qui tres primi regnasse dicuntur in ea Italiæ parte quæ Latium dicitur, annum potius nullam quam aliquam rationem habuisse. Nam qui, quæso, Astrologica ratione tempus in annos, menses, dies aut horas partiri novisse potuissent rudes illi & inculti populi, qui ne domos quidem ædificare, terram colere, serere aut metere nossent: sed qui semiferi glandibus vitam sustentarent [2], & aut in speluncis aut magalibus frondibus virgultisque contextis habitarent, nec quid murus, nec porta quid esset, sciebant. Rudibus ergo illis & incultis seculis prætermissis, quibus vix homines Solem esse agnoscebant, ad ea quibus cultiores & humaniores homines facti, & res domi militiæque præclare gerere, & temporis etiam rationem habere cœperunt, deveniamus: atque a Romulo primo illo gentium omnium domitricis Urbis ædificatore (quando altius rem repetere non possumus) dicendi exordium faciamus. Is condita in Latio urbe, quam de suo nomine Romam appellavit, inter alia multa, quibus imperium fecit augustius, temporis etiam rationem sibi habendam putavit. Ac primum annum diebus tunc trecentis quatuor integratum in menses decem, quorum sex tricenum dierum, quatuor tricenum singulorum essent, distribuit: primumque mensem genitori suo Marti dicatum Martium vocavit. Porro triginta dies capiebant Aprilis, Junius, Augustus, qui tum Sextilis, September, November, December. Triginta vero & unum Martius, Majus, Quintilis, qui nunc Julius, & October. Sed cum is numerus neque Solis cursui neque Lunæ rationibus conveniret, nonnunquam usu veniebat, ut frigus æstivis anni mensibus, & contra calor hyemalibus proveniret. Quod ubi contigisset, tantum dierum sine ullo mensis nomine patiebantur absumi, quantum ad id anni tempus adduceret, quo cæli habitus instanti mensi aptus inveniretur. Ceterum hac anni digestione videri possint Romani aliquandiu mensibus Lunaribus esse usi, quod testari videtur Macrobius, [3] qui scribit Romulum initium cujusque mensis sumpsisse ex eo die, quo novam Lunam videri contigisset. cui subscribit Ovid. Fast. 3.

*Luna regit menses, hujus quoque tempora mensis*
*Finit*, &c.

Et Livius lib. 1. ab Urbe cond. scribit Numam Pomp. primum omnium ad cursum Lunæ descripsisse annum. Et Plutarch. [1] *Sub Romulo*, inquit, *nulla mensium ratio constabat, nullus ordo: sed alii minoribus quam* XX, *alii* XXXV, *alii pluribus adhuc diebus censebantur: neque varietatem cursuum Solis & Lunæ intelligebant, sed observabant id solum, ut annus* 304. *diebus conficeretur*, &c. Verum enim quod Romulus annum suum decem mensium primum effecerit, testatur Ovidius, qui Fastorum 1. canit:

*Tempora digereret cum conditor Urbis, in anno*
*Constituit menses quinque bis esse suo.*
*Annus erat, decimum cum Luna receperat orbem:*
*Hic numerus magno tunc in honore fuit.*
*Seu quia tot digiti, per quos numerare solemus,*
*Seu quia bis quino fœmina mense parit.*

Porro vero iccirco annum a Martio, diebus circiter XX. ante æquinoctium vernum, inchoavisse videtur Romulus, vel quia in eo Hebræos, qui inde, ut suo loco dictum est, annum suum exordiuntur, imitandos sibi proposuerat, vel quia ab eo tempore omnia novam quasi faciem & ætatem accipiunt, inde se quoque commode anni principium facere posse arbitraretur. qua opinione motus Ovidius cecinit:

*Omnia cum virent, tunc est nova temporis ætas.*
*Sic annus per Ver incipiendus erat.*

Annus ergo Romuli his decem totis mensibus constabat.

| | | |
|---|---|---|
| Martius | dierum | 31 |
| Aprilis | | 30 |
| Majus | | 31 |
| Junius | | 30 |
| Quintilis | | 31 |
| Sextilis | | 30 |
| September | | 30 |
| October | | 31 |
| November | | 30 |
| December | | 30 |

Summa dierum anni Romuli 304.

### NUMA POMPILIUS.

Numa Pompilius Romulo succedens, vel quantum sub cælo rudi & seculo adhuc impolito solo ingenio magistro comprehendere, vel quantum ex Græcorum observatione edoceri potuit, ad trecentos quatuor dies anni Romuli alios quinquaginta addidit, ut ad Græcorum morem annus ad trecentos quinquaginta quatuor dies assurgeret. Eos dies quinquaginta in duos menses distribuit, quorum, quem primum anni esse voluit, Januarium; quem secundum, Februarium nuncupavit. Sed quia viginti quinque dies satis esse ad mensem integrandum non poterant, de singulis sex mensibus qui

1 Lib. 3. c. 14. 2 Varro lib. 3. rei rust. cap. 1. 3 Sat. c. 14.

1 In Numa. 2 In Numa.

in anno Romuli dies XXX habebant, unum diem detraxit. detractos dies numero sex ad illos addititios Januarium & Februarium distribuit. Sic uterque mensis tum capiebat dies viginti octo. Sex vero menses Romuli qui dierum triginta erant, singuli uno per Numam decurtati viginti novem tantum dierum erant. Et sunt qui credunt Numam Januarium in honorem Jani (quem volunt esse Noe) consecravisse. Numæ mentionem facit Plutarchus[1], dum scribit: *Cælestium quoque motuum rationem, ut non exacte tractavit Numa, ita non inerudite quoque attigit. Romulo nulla mensium ratio constabat, nullus ordo, sed alii minoribus quam* XX, *alii* XXXV, *alii pluribus adhuc diebus censebantur; neque varietatem cursuum Solis & Lunæ intelligebant, sed observabant id solum, ut annus* 304. *diebus conficeretur. Numa supputans undecim diebus annum Lunarem a Solari differre, quod ille diebus* 354. *hic* 365. *constaret, duplicavit illos dies* XI, *ac alternis annis post Februarium inseruit mensem intercalarem, qui Romanis Mercidinus dicitur, habetque dies* XXII. *Sed futurum erat, ut hæc inæqualitatis correctio majora alia remedia requireret,* &c. & hactenus Plutarchus. Cæterum his mensibus duodecim & tot etiam diebus annus Numæ constabat, ut hic videre potes:

Annus Numæ.

| | | Dierum |
|---|---|---|
| 1 | Januarius. | 28 |
| 2 | Februarius. | 28 |
| 3 | Martius. | 31 |
| 4 | Aprilis. | 29 |
| 5 | Majus. | 31 |
| 6 | Junius. | 29 |
| 7 | Quintilis. | 31 |
| 8 | Sextilis. | 29 |
| 9 | September. | 29 |
| 10 | October. | 31 |
| 11 | November. | 29 |
| 12 | December. | 29 |

Summa dierum anni Numæ 354.

MACROBIUS.

[2] *Paulo post Numa in honorem imparis numeri (secretum hoc & ante Pythagoram parturiente natura) unum adjecit diem, quem Januario dedit, ut tam in anno (hac enim ratione annus dies* 355. *continebat) quam in mensibus singulis præter unum Februarium impar numerus servaretur. Solus Februarius* XXVIII, *dies retinuit, quasi inferis & diminutio & par numerus conveniret.*

Summa ergo dierum anni Numæ post additum unum diem in honorem imparis numeri, dies trecenti quinquaginta quinque.

Explicata intercalandi ratio, quæ apud Macrobium [3] paulo obscurior multis negotium facessit.

MACROBIUS.

*Cum ergo Romani ex hac distributione Pompilii ad Lunæ cursum, sicut Græci, annum proprium computarent, necessario & intercalarem mensem instituerunt more Græcorum. Nam & Græci cum animadverterent temere se trecentis quinquaginta quatuor diebus ordinasse annum (quoniam apparet de solis cursu, qui* 365. *& quadrante zodiacum conficit, deesse anno suo undecim dies & quadrantem) intercalares statuta ratione commenti sunt, ita ut octavo quoque anno nonaginta dies, ex quibus tres menses tricenum dierum composuerunt, intercalarent. Id Græci fece-*

[1] In Numa. [2] Macrob. 1. Satur. c. 12. [3] Sat. c. 13.

A *runt, quia operosum erat atque difficile omnibus annis undecim dies & quadrantem intercalare. Itaque maluerunt hunc numerum octies multiplicare, & nonaginta dies, qui nascuntur, si quadrans cum diebus undecim octies componatur, inserere in tres menses, ut diximus, distribuendos. Hos dies ὑπερβαίνοντας, menses vero ἐμβολίμυς appellant.* Hæc de intercalandi ad finem cujusque octennii ratione Macrobius.

Annotationes LALAMANTII in hunc Macrobii locum.

B Hæc facilia sunt & paulo ante a me in anni Attici tractatione explicata. Quæ sequuntur, explicatione videntur indigere.

MACROBIUS.

*Hunc ergo ordinem Romanis imitari placuit, sed frustra. Quippe fugit eos diem unum, sicuti supra admonuimus, additum a se ad Græcum numerum in honorem imparis numeri. Ea re per octennium convenire numerus atque ordo non poterat.*

LALAMANTIUS.

C Romani, inquit, vel non satis accurate anni rationem perpendentes, atque adeo parum memores illius unius diei, qui per Numam ad dies 28. Januarii in honorem imparis numeri fuerat additus, vel nihil aut parum obesse eam unius diei additionem arbitrantes, etiam & ipsi Græcorum exemplo per octennium dies nonaginta, eo quo paulo post distribuendos modo, intercalabant; sed frustra, quia octennio finito numerus atque ordo utriusque anni, Græci dico & Romani, non conveniebat. Nam summa dierum totius octennii Romani assurgebat ad dies bis mille octingentos quadraginta: quod constabit, si dies 355. (ad quam summam pertingebant
D singuli anni Numæ post eum unum diem Januario additum in honorem imparis numeri) octies multiplicaveris. Summa vero totius octennii Græci ad dies 2832. assurgebat, quod itidem constabit si dies 354. (quam summam singuli anni Græci complent) octies etiam multiplicaveris. Unde apparet summam dierum totius octennii Rom. non quadrare cum summa dierum totius octennii Græci, sed numerum Rom. excedere Græcum, ut hic vides, diebus 8.

| *Dies anni Numæ octies multiplicati.* | | *Dies anni Græci octies multiplicati* |
|---|---|---|
| 355. | | 354. |
| 8. | | 8. |
| 2840. | *Ad hanc anni Græci summam adde 8. & videbis numeros quadrare.* | 2832. |
| | | 8. |
| | | 2840. |

E

MACROBIUS.

*Sed nondum hoc errore comperto per octo annos, nonaginta quasi superfundendos Græcorum exemplo computabant dies, alternisque annis binos vicenos, alternis*
F *ternos vicenos intercalares expensabant intercalationibus quatuor. Sed octavo quoque anno intercalares octo affluebant dies ex singulis, quibus vertentis anni numerum apud Ro. super Græcum abundasse jam diximus.*

LALAMANTIUS.

Hoc dicit Macrobius: Romani, inquit, diu ante compertum eum errorem, qui in anni ratione ex eo uno die (quem abs Numa Januario ad ejus dies 28. quos tunc tantum habebat, additum sæpe repeti-

repetivimus) contingebat: nonaginta dies Græcorum quidem exemplo, sed diversa tamen ratione intercalabant. Nam Græci finito octennio 90. eos dies in tres menses anonymos distributos, ut ante in Attici anni ratione ostendimus, intercalabant. Romani vero per octo annos seu durante octennio alternis annis intercalationibus 4. intercalabant. alternis autem annis, id est, paribus octennii annis, non etiam imparibus, ita ut primo, tertio, quinto, & septimo imparibus octennii annis non intercalarent: secundo vero, quarto, sexto, & octavo paribus octennii annis intercalarent: & ita ut secundo & sexto octennii annis viginti duos tantum dies, quarto vero & octavo viginti tres intercalarent. Quæ dierum intercalationibus quatuor, ita ut prædictum est, insertorum summa ad dies 90. (parem scilicet quam in sui octennii fine summam Græci intercalabant) assurgebat. Unde numerus dierum anni Romani cum Græco convenisset, ni in Romano octo dies per annos totidem, propter unum illum diem abs Numa Januario additum in honorem imparis numeri, superfuissent. Sed quia annus Numæ die uno, ut sæpe dictum est, Græcum superabat, fiebat, ut octavo quoque anno dies 8. affluerent, quibus annus Rom. Græcum superabat.

### MACROBIUS.

*Hoc quoque errore jam cognito hæc species emendationis inducta est. Tertio quoque octennio ita dispensandos intercalabant dies, ut non* 90. *sed* 66. *intercalarent, compensatis* 24. *diebus pro illis, qui per totidem annos supra Græcorum numerum creverant. Omni autem intercalationi mensis Februarius deputatus est, quoniam is ultimus anni erat.*

### LALAMANTIUS.

Quod tradit, perspicuum est. docet enim Romanos errore eo deprehenso, qui ex addititio die Numæ proveniebat, hoc ei tandem remedii adhibuisse, ut tertio quoque octennio, seu si vis 24. quoque anno, non 90. dies, ut in primo & secundo octenniis, sed sexaginta sex tantum intercalarent, compensatis in tertio octennio XXIIII. diebus pro illis qui per totidem annos supra Græcum numerum creverant. Quasi velit dicere, Romanos primo & secundo octenniis sive octavo & decimo sexto annis dies quidem nonaginta more Græcorum & pro solito etiam suo more, intercalavisse; sed tertio quoque octennio seu vicesimo quarto quoque anno non 90. dies, ut primo & secundo octenniis, sed sexaginta sex tantum: de nonaginta scilicet, dies 24. substrahentes, ne annus suus supra Græcum diebus totidem, quot anni computarentur, excresceret, propter diem illum Numæ addititium. Viginti quatuor enim de nonaginta substracti sexaginta sex relinquunt: & contra 24. ad 66. additi pariunt nonaginta. Id aliter dicam, quo facilius quod dico intelligatur: Annus Numæ diebus 355. constans in annis 24. consurgit in dies octies mille quingentos viginti. Annus Græcorum diebus 354. id est, die uno minus quam annus Numæ, constans, in annis totidem, nempe 24. consurgit in summam octies mille quadringentorum nonaginta sex dierum. Unde colligere licet in annis viginti quatuor annum Numæ excedere annum Græcum diebus totidem, id est, 24. Ambos ergo annos Numæ dico & Græcorum, ut pares facerent Romani, primo quidem & secundo octenniis dies 90. Græcorum more: tertio vero octennio, id est, vicesimo quarto quoque anno 66. tantum intercalabant: viginti quatuor scilicet dies in totidem annis substrahentes, ne annus Numæ Græcum semper excederet. sic fiebat, ut post annos 24. & non ante, anni utrique quadrarent & pari dierum numero congruerent. Et de hac intercalandi ratione loquitur Livius [1], cum dicit Numam omnium primum ad cursum Lunæ in 12. menses descripsisse annum: quem (quia, inquit, tricenos dies singulis mensibus Luna non explet, desuntque dies solido anno qui solstitiali circumagitur orbe) intercalares mensibus interponendo ita dispensavit, ut vicesimo quarto quoque anno ad metam eandem Solis unde orsi essent, plenis annorum spatiis dies congruerent. Intercalabant autem etiam eo tempore, ut & hoc nostro solemus, in Februario inter vicesimum tertium & 24. diem ejusdem super literam F, quam tunc in Kalendariis geminare solemus, & tum etiam bis sexto Kalendas Martii (unde & *bissextus* dictus) dicere cogimur. ut illis annis Februarius dies 29. habeat: communibus vero annis, non etiam bissextilibus, tantum 28.

Ceterum cum Numa ad annum Romuli menses duos Januarium & Februarium (illum dies viginti novem, hunc viginti octo capientem) addidisset, fiebat, ut anni initium (Januarius autem annum inchoat) proxime ad Brumam, seu, ut cum Columella [2] loquar, ad Brumale Solstitium accederet. prima enim dies Januarii atque adeo totius anni diebus xv. post Brumam consulto fecisse videri possit Numa, nimirum ut novi sol & annus initium caperent. quod innuit Ovidius his versibus in Fastis:

*Bruma novi prima est, veterisque novissima Solis:*
*Principium capiunt Phœbus & annus idem.*

Plutarchus etiam in Mario scribit, Marium Kalend. Januar. (quod initium anni, inquit, Rom. est) ex Africa cum exercitu transvectum, consulatum occepisse & triumphum duxisse, Jugurthamque captivum, incredibile Rom. spectaculum, exhibuisse. Hactenus de anno Numæ.

### JULIUS CÆSAR.

Julius Cæsar [3] multis post Numam annis conversus ad ordinandum reip. statum, fastos correxit, jampridem vitio pontificum per intercalandi licentiam adeo turbatos, ut neque messium feriæ æstati, neque vindemiarum autumno competerent: annumque ad cursum Solis accommodavit, ut 365. dierum esset, & intercalario mense sublato, unus dies quarto quoque anno intercalaretur. Quo autem magis in posterum ex Kalend. Januar. nobis temporum ratio congrueret, inter Novembrem ac Decembrem mensem, interjecit duos alios. Fuitque is annus quo hæc constituebantur mensium xv. cum intercalario, qui ex consuetudine in eum annum inciderat. Hæc Suetonius. Et Plut. in Cæsare [4], *Anni vero*, inquit, *correctio & inæqualitatis fastorum emendatio eleganter ab eo excogitata & absoluta, usum habuit gratissimum. Non enim antiquitus habuerunt Rom. menses ad anni circuitum congruentes: quo efficiebatur, ut sacra & feriæ paulatim a constituto decedentes in diversam adeo anni partem deferrentur. Sed & Solaris anni ratio, qua utebantur Cæsaris ætate, omnibus præterquam sacerdotibus ignota erat, iique soli eam cognitam habentes, subito ac præsentiente nemine mensem intercalarem adjiciebant, qui & Mercedonius dicitur. Hunc autem primus omnium Numa exinvenisse traditur, auxilium ad errores & confusionem tollendam exiguum neque du-*

1 1. ab urbe cond. 2 Lib. 11. c. 2. Macrob. 1. Saturn. c. 27. 3 Suetonius in Julio. 4 In Julio.

*rabile, uti & in ejus vita demonstratum est. Sed Cæsar præstantissimis Philosophis atque Mathematicis eam quæstionem proposuit, & ex methodis jam tum inventis peculiarem quandam & absolutam emendationem eruit, qua etiamnum utuntur Romani, minusque reliquis temporum inæqualitate laborare videtur. Neque tamen id institutum, eorum qui potentiæ ejus invidebant, reprehensiones effugit. Cum & Cicero, docente quodam Lyram postridie orituram, Nimirum, inquit, ex edicto. tanquam hic quoque necessitatem hominibus Cæsar imposuisset.* Et Plin. lib. 18. cap. 25. scribens dierum ipsorum anni solisque motus prope inexplicabilem esse rationem, & quod ad eam rem attinet, tres sectas factas fuisse, Chaldæam, Ægyptiam, Græcam, subdit: *His addidit apud nos quartam Cæsar dictator annos ad Solis cursum redigens singulos, Sosigene perito scientiæ ejus adhibito. Et ea ipsa ratio postea comperto errore correcta est, ita ut duodecim annis continuis non intercalaretur, quia cœperat sydera annus morari, qui prius antecedebat. Et Sosigenes ipse tribus commentationibus, quanquam diligentior esset cæteris, non cessavit tamen addubitare ipse semet corrigendo.* Hæc loco prædicto Plinius. Macrobius [1] quinetiam ea de re loquens, C. *Cæsar*, inquit, *omnem hanc inconstantiam temporum vagam adhuc & incertam in ordinem statutæ definitionis coegit, adnitente sibi M. Flavio scriba, qui scriptos dies singulos ita ad dictatorem retulit, ut & ordo eorum inveniri facillime posset, & invento certus status perseveraret. Ergo C. Cæsar exordium novæ ordinationis initurus, dies omnes qui confusionem adhuc poterant facere, consumpsit. eaque re factum est, ut annus confusionis ultimus in quadringentos quadraginta tres dies protenderetur. Post hoc imitatus Ægyptios, solos divinarum rerum omnium conscios, ad numerum Solis, qui diebus 365. & quadrante cursum suum conficit, annum dirigere contendit. Nam sicut Lunaris annus mensis est, quia Luna paulo minus quam mensem in Zodiaci circuitione consumit, ita Solis annus hoc dierum numero colligendus est, quem peragit dum ad id signum denuo vertit, ex quo digressus est. unde annus vertens vocatur, & habetur magnus, cum Lunæ annus brevis putetur.* Hæc Macrobius. Dictio autem Suetonii hoc dat nobis intelligere, quod etsi Romani cognito eo errore, qui, ut & ante dictum est, ex addititio die Numæ proveniebat, hoc ei tandem remedii adhibuerunt, ut tertio quoque octennio non nonaginta dies, ut in aliis duobus primis octenniis, sed 66. tantum intercalarent: tamen ne sic quidem efficere potuisse, ut annus cursui aut Solis aut Lunæ conveniret. Vagus itaque & turbatus cum esset Julii tempore anni modus, quod minus quam par esset intercalaretur, fiebat ut Æquinoctia & Solstitia retro ferrentur in anteriora. & contra. Quo fit, ut si Æquinoctia & Solstitia uno eodemque loco firmari velimus, neque justo plus neque minus intercalare, si fieri possit, nos oporteat. Cæterum cum Julius Cæs. minus intercalari quam par esset, intelligeret, anno certum modum adhibere voluit. Sed antequam ipsum in eam, quam etiam hodie retinemus formam, redigeret: id est, antequam mense intercalario sublato (ut loquitur Suetonius) annum dierum 365. efficeret: unumque diem ex quadrantibus 4. conflatum, quarto quoque anno intercalandum ordinaret, quia ante sua tempora mitius intercalatum fuerat, defectum dierum supplevit, duosque menses, priorem 29. dierum, posteriorem 30. inter Novembrem & Decembrem, ut docet Suetonius, intercalavit, cum intercalario etiam mense dierum 30. qui in fine octavi cujusque anni Græcorum more, statim scilicet post Decembrem intercalari solebat, ut ille annus (*annum confusionis* vocat Macrobius) menses tres intercalatorios contineret, menses vero illi tres, in summa dies 89. continerent: quæ dierum summa addita summæ anni, id est, diebus 354. (nam plures tunc non capiebat) eum annum assurgere faciebat ad dies tot, quot scribit loco paulo ante citato Macrobius, nempe ad dies 443. Et sic annus satis bene constabat, ni sacerdotes sibi errorem novum ex ipsa emendatione fecissent. Nam cum oporteret diem, qui ex quadrantibus confit, quarto quoque anno confecto antequam quintus inciperet, intercalare: illi quarto non peracto, sed incipiente intercalabant. *Hic error*, inquit Macrobius [1], *sex & triginta annis permansit, quibus annis intercalati sunt dies duodecim, quum debuerint intercalari 9. Sed hunc errorem sero deprehensum correxit Augustus, qui annos* XII. *sine intercalari die transigi jussit: ut illi tres dies qui per annos 36. vitio sacerdotalis festinationis creverant, sequentibus annis duodecim nullo die intercalato devorarentur.* Utcunque sit, in eum modum eamque rationem annus adductus est, ut mensibus duodecim integretur. quorum quatuor, triginta dies; septem, dies XXXI. unus vero, dies XXVIII. caperet: sic ut in summa annus assurgeret ad 365. dies supra quadrantem. quod & adnotavit Galenus Comment. 1. in 1. Epidem. Hippocratis. Quia autem præter prædictos 365. dies, quotannis horæ sex supererant, voluit Cæsar, ut ex illis horis sex quarto quoque anno & expleto & confecto dies unus coalesceret & conficeretur: qui, quod & ante dixi, ad sextum Kalendas Martii seu ad XXIIII. diem Februarii super litera F. intercalaretur. In quam sententiam Ovidius de Cæsare cecinit Fastorum 3.

*Ille moras Solis quibus in sua signa rediret,*
*Traditur exactis disposuisse notis.*
*Is decies senis tercentum & quinque diebus*
*Jungit & e pleno tempora quinta die.*

Annus ergo Julianus anno Bissextili (Bissextilis autem est quartus quisque) dies continet 366. unum scilicet diem supra annum communem.

Notant vero hujus temporis Mathematici, Julium Cæsarem Solaris anni quantitatem non exacte præfiniviffe, ut quæ undecim fere minutiis horæ major sit quam oporteat. Annus enim, qui Solis circuitus est a puncto Æquinoctii Verni ad idem punctum, exactiore calculo continet dies 365. horas 5. minuta 49. cum secundis 16. qua ratione motus Ovidius, ut ante dixi, cecinit *& e pleno tempora quinta die.* per *tempora quinta e pleno die* horas quinque intelligens de XXIIII. quæ plenum diem & integrum efficiunt. In considerationem non adducens Poeta minuta & secunda horas 5. superexcedentia. Eadem ratione motus Augustus Cæsar unum illum diem intercalarium, quem quarto quoque anno incipiente sacerdotes intercalabant, quinto quoque anno incipiente intercalari jussit, ut scribit Macrobius [2], & omnem hunc ordinem æreæ tabulæ ad æternam custodiam mandavit. Sane ratio supplementi Bissextilis a Julio ordinata non ita exacte quadrat, quin quatuor anni usuales pauxillo quodam superent totidem annos Solares. unde fit, ut hoc nostro ævo Æquinoctia & Solstitia plus æquo anticipent & in anteriora ferantur: ita ut a tempore Dionysii ad nostram usque ætatem Æquinoctium Vernum per dies fere X. anticiparit, & a vicesimo Martii in XI. ejusdem retrocesserit. Adeo ut si hoc anno, verbi gratia, 1570. Æquinoctium Vernum fuerit exacte in meridie undecimi diei Martii, quatuor an-

1 Satur. 1. cap. 14.

1 Cap. 17. 1. Satur. 2 Cap. 17. lib. 1. Satur.

nis usualibus exactis idem Æquinoctium jam non erit in meridie XI. diei Martii, sed tanto anticipabit, quantus est excessus quatuor annorum usualium supra quatuor annos Solares. Non ergo exacte capit annus horas sex integras supra 365. dies, sed de sex horis deficiunt secundum Alfonsum minuta fere undecim: secundum Albategni minuta XIV. secundum Ptolemæum minuta circiter V. Secundum Alfonsi vero supputationem annus capit dies 365. & adhæc minuta quinquaginta uno fere minus. Itaque cum sex horas integras singulis annis supra dierum numerum anno damus, certe minuta fere undecim singulis annis plus quam oporteat, anno adjungimus. quo fit ut quarto quoque anno minuta fere 44. superflua esse videantur. At licet ejusmodi excessus atque adeo Æquinoctiorum anticipatio (tanto enim, ut dictum jam est, Æquinoctia anticipant, quantus est excessus minutorum) admodum parva sit & paucis annis vix sensibilis, successu tamen annorum sensibilis evadit. Nam undecim minuta quotannis superexcedentia horas sex, in annis centum triginta & uno, unum diem (minuto uno minus) conficiunt naturalem. Unde futurum, ut Æquinoctium, quod hodie x. Martii contingit, elapsis annis 1400. retrolabatur & recidat in ultimum Februarii diem. Quod non continget tamen, si annis 131. elapsis Februario nullus dies, ut asso let, intercaletur: sed qui primus post illos 131 annos debebat esse Bissextilis, communis fiat & civilis, non autem intercalaris. Et exinde tamen de more intercaletur: ut, verbi gratia, primi anni Bissextiles qui effluent post annos 1791. & 2063. sinantur effluere communes, quanquam deberent esse Bissextiles. At qui hos sequentur Bissextiles, quarto quoque anno pro more solito suum locum & ordinem retinebunt. Nec vero desunt, qui de sex horis centesimam sextam diei partem detrahant, ut in centum sex annis tantum unum diem subtrahendum esse hac ratione intelligamus. Astrologi tamen Hipparcho antiquiores Solis eodem reditum, quem annum vocant, trecentis sexaginta quinque diebus & plus quarta unius diei parte constare voluerunt: neque tamen quantum supra quartam diei addendum sit, explicarunt. Thebit minuta IX. secunda XII. Alii minuta VII. secunda IX. supra sex horas anno adscribunt. Sane Galenus in ea est opinione, ut putet aliquam particulam temporis ad horas sex accedere, cum scribit [1]: *Ut igitur annus ad 365. dies particulam diei quarta majorem habet adjunctam, &c.* Idem alibi [2] docet, *annum non 365. dierum tantummodo esse, sed etiam quartæ partis diei & adhæc partis cujusdam propemodum centesimæ.*

Cæterum anni Juliani initium more Romano pendet a media nocte antecedente Kalend. Januarias, non a meridie Kalendarum ejusdem, cujus rei rationem reddit Plutarchus problem. Rom. 82. vel, ut quidam notant, 84. his verbis: *Cur diei principium* (Romani) *a media nocte numerant? An quod respub. ab initio militari more & instituto constituta est, in re autem militari multa noctu utiliter occupantur? An diei ortum agendi principium esse voluerunt, noctem vero consilii & præparationis? oportet autem præparatos rem aggredi, non vero contra, agentem præparari, ut ad Chilonem unum de septem sapientibus dixisse fertur Myson, dum per hyemem vannum conficeret. An quemadmodum meridies multis est finis reipub. gerendæ, sic noctem intempestam actionum omnium initium oportere esse statuerunt? cujus rei maximum argumentum, magistratum Romanum post meridiem fœdus facere non soler. An occasu quidem & ortu & finem & principium diei capere licet? Nam si multitudinis judicio diei principium, cum Sol emergere cœperit, incipit; noctis vero initium, cum penitus occiderit, terminaretur, æqualitatem diei ac noctis (quod Æquinoctium dicimus) non habebimus. Quam enim noctem diei parem maxime videmus, ea, die cui comparatur, Solis spatio ac magnitudine brevior reperietur. Nam quod Mathematici huic rei medicinam afferentes diei ac noctis verissimam rationem constituunt, centrum Solis cum finientem attingit, omnem evidentiam & perspicuitatem penitus tollit. Necesse est enim accidere, cum multum lucis etiam sub terra est, & nos radiis suis jam Sol undique collustrat, ut nondum diem esse fateamur. Quare cum ob dictas causas ortus diei & occasus principium difficillime capi possit, relinquitur aut ut medium diem aut mediam noctem principium diei statuamus. Potius autem secundum. Fertur enim a nobis a meridie ad occasum: a media vero nocte versus orientem ad nos redit.* Hæc Plutarchus. Quin etiam initium diei more Rom a media nocte incipere docet M. Varro apud Gellium his verbis: *Homines*, inquit, *qui media nocte ad proximam mediam noctem in his horis 24 nati sunt, una die nati dicuntur. Quibus verbis*, inquit Gellius, *ita videtur dierum observationem divisisse, ut qui post Solem occasum ante mediam noctem natus sit, is ei dies natalis sit, a quo die ea nox cœperit; Contra vero qui in sex horis posterioribus nascatur, eo die videri natum, qui post eam noctem diluxerit.* Idem etiam Varro ait: *Sacra Romana, quæ sex horis posterioribus noctis fiunt, eo diei fieri dicuntur, qui proximus eam noctem illucescit.* Virgilius etiam idipsum non exposite neque aperte, sed ut hominem decuit poeticas res agentem, recondita & quasi operta veteris ritus significatione docet, cum inquit:

*—— torquet medios nox humida cursus:*
*Et me sævus equis Oriens afflavit anhelis.*

Hic vero etiam monere non erit alienum Julii Cæsaris ordinationem, quod ad anni rationem attinet, ad hæc nostra usque tempora tota Europa, quæ Christum agnoscit, fuisse observatam: nec ullam adhuc (etsi ab illo in hunc diem mille quingenti & septuaginta anni effluxerint) emendationis curam diligentiamque fuisse adhibitam, licet res ipsa jam pridem emendationem efflagitet & correctione egere videatur.

Joannes Genesius Sepulveda in fine Commentariorum in cap. 12. lib. 5 Politicorum Aristot. scribit se libello separatim huic quæstioni dicato declaravisse, anni Romani multifariam depravati initium ab ipsa Bruma seu Brumali Solstitio (quo die, inquit, Christus natus est) novo sc. Sole faciendum esse, & ita redigendum, ut in eundem diem Bruma & Christi Natalis & Kalendæ Januarii congruerent. Id an præstiterit nescio: & ut præstiterit, quomodo id fieri aut possit aut debeat, non video.

Mensium Romanorum tota fere Europa usurpatorum nomina, ordo, & dierum numerus:

| | | |
|---|---|---|
| Januarius. A. | *Dies habet* | XXXI |
| Februarius. D. | | XXVIII |
| *& in Bissexto* | | XXIX |
| Martius. D. | | XXXI |
| Aprilis. G. | | XXX |
| Majus. B. | | XXXI |
| Junius. E. | | XXX |
| Julius. G. | | XXXI |
| Augustus. C. | | XXXI |
| September. F. | | XXX |
| October. A. | | XXXI |
| November. D. | | XXX |
| December. F. | | XXXI |

[1] Cap. 9. l. 3. de diebus decretoriis. [2] In c. 4. l. 3. progno.

De his XII. mensibus Ovidius Fastor. I. sic cecinit:

*Martis erat primus mensis, Venerisque secundus:*
*Hæc generis princeps, ipsius ille pater.*
*Tertius a senibus, juvenum de nomine quartus:*
*Quæ sequitur numero turba notata suo est.*
*At Numa nec Janum nec avitas præterit umbras,*
*Mensibus antiquis præposuitque duos.*

Jam quod ad dies singulorum mensium attinet, Romani eos in tres ordines distribuebant, in Kalendas, Nonas & Idus, a quibus nominibus dies ipsi denominationem accipiebant. Ac primus quidem dies cujuslibet mensis Kalendæ dicebatur. Sequentes ut minimum quatuor, ut summum sex, (nam quidam menses Nonas tantum quatuor habent, quidam sex) Nonarum nomen accipiunt. Qui inde sequuntur dies, Idus vocantur, qui in quolibet mense octo sunt. Reliqui in finem mensis dies numero addito Kalendæ dicuntur. ut decimoquinto, & sic deinceps ordine retrogrado & imminuto, seu numeros diminuendo, dum ad ultimum diem mensis veniatur. Sed pridie Kalendas dicimus, non secundo Kalendas, quod *secundus* a verbo *sequor* dicatur; ultimus autem dies mensis præcedat primum diem seu Kalendas sequentis mensis, non autem sequatur. Macrobius [1] hac de re ita: *Latii vero veteres incolæ, quia nihil jam tum ab Ægyptiis discere licebat, ad quos nullus illis commeatus patebat, morem Græciæ in mensium numerandis diebus sequuti sunt, ut retroversum cedente numero ab augmento in diminutionem computatio resoluta desineret. Ita enim nos decimum diem, deinde nonum, ut Athenienses δεκάτην καὶ ἐννάτην φθίνοντος μηνὸς soliti sunt dicere.* Notandum vero est, quod in his formulis dicendi, *decimo septimo Kalendas*, *decimo sexto Kalendas* & similibus, compendiose loquimur & defectuose. deficit enim præpositio *ante*, a qua accusativus *Kalendas* dependet & regitur. ut integra sit oratio, *decimo septimo* aut *decimo sexto die ante Kalendas*, hoc est, ante primum diem mensis denominati, Maii verbi gratia, aut Junii, aut alterius. Similiter cum dicimus *ad octavum*, *ad septimum Kalendas Aprilis*, subaudimus *diem ante*: ut sit, *ad octavum* vel *ad septimum diem ante Kalendas Aprilis*. Unde liquet Kalendas mensis esse in mense antecedenti: sic Kalendæ Januarii in Decembri sunt, Kalendæ Februarii in Januario, & sic de cæteris.

Quot autem Kalendas, quot Nonas, quot Idus quilibet mensis habeat, his versibus disces:

*Sex Majus Nonas October Julius & Mars,*
*Quattuor at reliqui. tenet Idus quilibet octo.*
*Inde dies reliquos omnes dic esse Kalendas:*
*Nomen sortiri debent a mense sequenti.*
*Versibus bis noscas mensis cujusque Kalendas:*
*Tantum, Tendebat, Quod, Regni, Summa, Regebat,*
*Sanctus, Rex, Talis, Sapienter, Regna, Subegit.*

Duo ultimi versus (ut de prioribus satis facilibus taceam) artis sunt, suis tantum primis & capitalibus literis utiles & notandi, cætera nullum sensum habentes. Ambo versus duodecim dictionibus constant, quarum singulæ singulis mensibus attribuuntur, prima scilicet *Tantum*, primo mensi scilicet Januario: secunda dictio scilicet *Tendebat*, secundo mensi Februario: & tertia tertio mensi: & sic deinceps. *Tantum* ergo, quæ pri- A ma est dictio, Januario attribuitur: *Tendebat*, Februario: *Quod*, Martio: *Regni*, Aprili: cæteræ dictiones cæteris mensibus eodem ordine. Dictio ergo *Tantum*, quæ Januario attribuitur, & dictio *Tendebat*, quæ Februario, significat Januarium & Februarium tot Kalendas habere, quota T earum dictionum litera capitalis, est in ordine Alphabeti. T autem in Alphabeti ordine decima nona est: unde colligere licet Januario & Februario Kalendas novemdecim esse tribuendas. Sic quia litera Q capitalis tertiæ dictionis in primo versu, in ordine literarum decima sexta est, quæ Martio tribuitur, fit ut Martio sedecim Kalendas tribuere B oporteat. Id quod in cæteris quoque mensibus pro dictionum ordine & literarum initialium seu capitalium numero observandum & faciendum est. Sed memineris *Tantum* Decembri attribuendum: *Tendebat* Januario: *Quod* Februario: *Regni* Martio: *Summa* Aprili. quod in Decembri Kalendæ sint Januarii: in Januario Februarii: in Februario Martii: in Martio Kalendæ Aprilis sint, & cæterorum similiter.

Kalendæ ergo primus cujusvis mensis dies est. deducta vero dictio est a verbo Græco καλῶ, quod *voco* significat: quia antiquitus primo cujuslibet C mensis die populus in Calabram curiam *calabatur*, id est, *vocabatur* per præconem, accepturus causas feriarum a rege sacrorum; qui præter cætera etiam quot dies a Kalendis ad Nonas essent, pronunciabat. Item & quid eo mense faciendum esset, quod ad religionem spectaret. Apud Varronem libro secundo de lingua Latina, ubi de Kalendis agit, locus adeo corruptus est, ut ei medicinam facere non potuerim. Nonius Marcellus: *Itaque Kalendis kalendabantur, id est, vocabantur, & ab eo Kalendæ appellatæ. quod a Græcis tractum est qui καλεῖν vocare dixerunt.* Cum autem in enumeratione menstruorum dierum Nonæ D & Idus Kalendas antecedant, eaque Kalendarum conditio sit, ut præter unum, primum scilicet cujusque mensis diem, reliquæ alterius mensis sint: in enumeratione tamen trium illarum mensis partium cavebant diligenter Romani, ne ante Nonas & Idus Kalendas nominarent. Itaque Nonas, Idus, Kalendas dicebant, ne si secus nominarent, male ominosum esset. Cicero tamen in Verrem Kalendis, Nonis & Idibus dixit. In quem locum Asconius quædam annotat, quæ subobscura sunt. credo quia ea vetustas delere conata est. verba Asconii [1] sunt hæc: *Religioso omine nominat multitudo Nonas, Idus, Kalendas: Cicero Kalendis,* E *Nonis, Idibus dixit. quamvis hoc pronuntiatione solvatur, ac temporum divisione hoc dici videre possimus.* Ea Asconii verba sive integra sint, sive corrupta, hunc tamen sensum habere mihi videntur, quod Cic. contra vulgi consuetudinem, religionis parum memor (si ea religio ac non potius superstitio dicenda est, qua diligenter cavebant Romani, ne Kalendas primo loco; secundo, Nonas; tertio, Idus nominarent; quod id & male ominosum esse & nescio quid sinistri portendere existimarent) Kalendis, Nonis & Idibus dixerit, consuetum ordinem invertens, id excusari usquequaque posse videatur. Nimirum hoc pronuntiatione, in- F quit Asconius, solvi possit, id est, excusari Cicero possit, quod cursu orationis abreptus, quod superstitionis esset, minime servarit. aut vero quod ipsemet Cicero ad divisionem temporis potius (sic enim mensem dividimus, ut Kalendis primo loco, Nonas secundo, Idus tertio nominemus) quam ad vel religionem, ne dicam superstitionem, respectum habere voluerit.

1 Cap. 19. l. 1. Satur.

1 In Verrem.

Nonæ dictæ sunt, vel ab eo quod a Nonis ad Idus *novem* dies supputentur, vel quod Nonæ initium essent *novæ* observationis, vel a *nundinis* quæ per tot dies durabant, quot essent Nonæ. Scribit Columella [1], Manifestum esse nundinarum conventus propterea usurpatos, ut nonis tantummodo diebus res urbanæ agerentur, reliquis administrarentur rusticæ. *Illis enim temporibus*, inquit, *Proceres civitatis in agris morabantur & cum consilium publicum desiderabatur, a villis in Senatum accersebantur.*

Idus a verbo antiquo & Hetrusco *iduare*, quod *dividere* significat, quidam deducunt. quod scilicet Idus mensem medium dividant. quod tunc temporis fere fiebat, cum Kalendæ & Neomenia in eundem diem recidebant. & in mensibus sex Nonas habentibus id semper contingebat.

Plutarchus [2] aliam horum nominum rationem reddit his verbis: *Cur tria mensis principia & dies quasi quosdam legibus præstitutos habent* (Romani) *qui dierum idem intervallum in medio capiunt? An illud verum est, quod Juba in historia scribit, Magistratus Kalendis populum vocare & in quartum diem Nonas indicere solitos esse? Idus enim diem religiosum putabant. An illud magis, quod Lunæ varietatibus tempora describentes, treis* [3] *omnino singulis mensibus Lunæ mutationes fieri animadvertebant: primam, cum Soli congressa penitus occultatur: deinde cum Solis radios ac lumen elapsa ab occasu incipit apparere: postremo cum Solaribus radiis collustrata plenilunium efficit. Nominant autem* (Romani) *Lunæ occultationem, cum scilicet non apparet, Kalendas* [4]: *quicquid enim occulte fit*, clam *fieri &* celari *Latine dicitur. Primam vero Lunam Nonas appellant, justissimo quidem nomine* Νουμηνίαν οὖσαν· καὶ αὐτὸ δὲ νέον καὶ καινὸν ὥσπερ ἡμεῖς προταγορεύουσιν. *id est, ut quæ Neomenia sit. etenim ipsi* (Romani) *novum, ut & nos* νέον *&* καινὸν, *vocant. Idus autem aut propter speciem & undique collucentis Lunæ pulchritudinem, aut cognomen illud Jovi attribuentes. Sed certissimum dierum numerum exequi non opus est, aut ex eo quod parum abest, calumniari, quandoquidem vel hoc tempore, quo ad summum Astrologiæ perventum est, inæqualitas tamen temporum, Mathematicorum peritiam vincit, ac eorum numeros & supputationes sæpissime fallit & fugit.* Hactenus Plutarch. qui forte ridiculus cuipiam videri possit, quod Kalendas inepta & tanto viro indigna etymologia a verbo Latino *celo* deduci posse scribit. Quasi vero Luna Kalendis semper occultetur, & *clam* fiat, ac non etiam aliquando iisdem plena, aut, ut contingit, alio aliquo modo affecta sit. Idem & de nomine Idus dici etiam possit. nam *Idus* quasi ἀπὸ τοῦ εἴδους, id est, a specie & pulchritudine, propter Lunæ tunc collucentis speciem & pulchritudinem, nomen illi tertiæ parti mensis attributum esse dicit, unde & quidam *Eidus* per diphthongum EI potius quam *Idus* per simplex I scribendum esse censent. Nonas vero quasi *novas* a νέῳ, id est, *novo*, idem auctor derivare videtur. Verum enim Plut. a calumnia forte vendicari possit, siquis consideret ipsum respexisse ad id, quod veteres Rom. ad Lunæ cursum menses suos exigebant. & tum primam Lunæ visitationem primumque ejus lumen diem Kalendarum effecisse, id est, Kalendas cum Novilunio seu Νουμηνίᾳ concurrisse. item & Nonis ipsam cavam seu falcatam in sinum fuisse & quasi *novam*, Idibus autem ipsam plenam & pleno orbe lucentem eoque speciosissimam & pulcherrimam fuisse.

Porro Καλανδῶν Ἰουλίων καὶ Ἰδῶν, id est, *Kalendarum Julii & Iduum* meminit Galenus ex Hera. c. 2. lib. 1. compositionis pharma. secundum locos, numero 2.

1 Lib. 1. rei rusticæ numero 7. præfationis. 2 In problem. Romanis 23. aut 24 problem. 3 1. Σύνοδος Νουμηνία. 2. Μηνοειδής. 3. Πανσέληνον. 4 Plutarchi codex corruptus est, quem defectu codicis Græci restituere non potui.

*Nominum mensium Romanorum ratio.*

## JANUARIUS. A.

Januarius a *Jano* bicipiti deo dictum volunt. quod & adnotat Varro lib. 2. de lingua Lat. apud quem *principe deo* pro *bicipiti* male legitur. Scribit Macrobius, Januarium esse bicipitis dei mensem respicientem ac prospicientem transacti anni finem, futurique principia, a Numa introductum, qui, ut & ante in anno Numæ ex Plutarcho dictum est, ordinem mensium immutavit, Martio, qui ante primus fuerat, tertium tribuens locum. De hoc Plutarch. problematum Rom. problemate 19. ita proponit & quærit,

*Quid est quod Januarium Romani principium anni faciunt? Antiquis enim temporibus Martius primus omnium numerabatur. quod cum multis signis perspici potest, tum eo maxime quod quintum a Martio & sextum, & reliquos deinceps usque ad extremum a Martio numerant: Decembrem enim novissimum appellant, a Martio scilicet recensentes. Ex quo nonnulli opinati sunt, veteres Romanos non* XII. *sed decem mensibus annum complesse, & ob eam rem quibusdam mensibus plures quam triginta dies addidisse. Sunt qui monimentis literarum mandarunt Decembrem a Martio decimum computari: hunc & deinceps sequi Januarium: Februarium esse, in quo & purgationibus utuntur & mortuis parentant anno finiente. Hunc postea ordinem immutatum esse constat, & Januarium primum omnium numerari cœptum, quod primo ejus mensis die* (*quem Kalendas Januarias appellant*) *primi Consules exactis Regibus creati sunt.* unde Plutarchus [1] scribit, Marium Kalendis Januarii (quod initium, inquit, anni Romani est) ex Africa cum exercitu transvectum, Consulatum occepisse, &c. *Verisimilius illud quod quidam dicunt, Martium a Romulo primum fuisse numeratum, quod homo acer & bellicosus atque adeo bellandi amore insanus, Marte satum se esse existimans, parentis sui cognomen cæteris mensibus præponendum censuit. Numa Pompilius deinde vir pacatus & pacis atque ocii studiosus, cum civium animos a bello ad agriculturam traducere contendisset, Januario inter menses principatum dedit: & Janum quasi civilem & agriculturæ magis quam rei bellicæ studiosum ad summos honores cultumque provexit. Sed vide, ne Numa Pomp. magis consentaneum naturæ, quantum ad nos attinet, anni principium sumpserit. Omnino enim eorum quæ in circulo circumferuntur, nihil est, quod aut natura extremum sit, aut primum: sed lege factum, ut alii aliud statuant anni principium. Optime vero qui post hybernum tropicum annum inchoant, cum Sol finem ulterius progrediendi facit & rursus ad nos se recipit. fit enim naturale quodammodo hujusmodi principium quo & lucis tempus nobis augetur, tenebrarum vero & noctis diminuitur, princeps denique & totius substantiæ fluxæ auctor propius accedit.*

Idem etiam ibidem quærit [2], *Cur Janum bifrontem esse autumant? sic enim eum & fingunt & pingunt. An quod Græcus Perrhebus fuit? sic enim literis proditum est. Is postea cum in Italiam trajecisset & apud Barbaros consedisset, linguam simul cum victu commutavit. An illud potius, quod Italos agrestes ac barbaros ad vitæ humanitatem cultumque traductos, & agros colere & rempub. administrare instituit?*

Meminit & idem auctor ejusdem mensis etiam problemate 53. *Quid est*, inquit, *quod Idib. Janua-*

1 In Mario. 2 Problem. Rom. 22.

*riis permissum est, ut tibicines muliebri habitu urbem lustrent?* Tu, si placet, vide locum apud ipsum Plutarchum.

FEBRUARIUS. D.

Hunc secundum mensem instituisse Numam Februoque deo, qui lustrationum potens creditur, dicavisse tradit Macrob. [1] Lustrari autem eo mense necesse erat civitatem, quo statuit, ut justa diis manibus solverentur. Varro, [2] *Februarius*, inquit, *ab diis inferis appellatus, quod tum his parentent. ego*, inquit, *magis arbitror Februarium dici a die Februato, quod tum februatur populus, id est, a Lupercis nudis lustratur.* & idem alio loco: *Cum rex ferias menstruas Nonis Februarii edicit, hunc diem Februatum appellat. Februum Sabini purgamentum.* Hæc Varro. Cæterum Februum deum nonnulli Plutonem vocant. Plutarch. [3] *Februarius quasi Lustralis dictus est. Expiationem enim Februa significant, & tunc mortuis parentant.* Unde Ovidius:

*At Numa nec Janum nec avitas præterit umbras.*

Sciendum vero etiam est, veteres Romanos Februarium non solum duodecimum & ultimum constituisse, sed & vicesimum tertium ejusdem diem ultimum totius anni effecisse, eoque quia terminus anni esset, *Terminalia* appellavisse. ac post ipsa eorum dierum numerum, qui ad annuam Solis rationem deessent, intercalavisse. cujus dicti & Varronem & Ovidium testes habeo. Varro [4]: *Terminalia, quod is dies anni extremus constitutus. duodecimus enim mensis fuit Februarius*, &c. Ovidius Fastor. 2.

*Qui sequitur Janum, veteris fuit ultimus anni.*
*Tu quoque sacrorum, Termine, finis eras.*

Sed & Cicero [5] hæc habet: *Sed mensem, credo, extremum anni, ut veteres Februarium, sic hic (Decius Brutus) Decembrem sequebatur.* Hujus rei rationem reddit Plutarchus in problemat [6]. Rom. his verbis: *Quid est quod cum cæteri Romani Februario mortuis inferias mittere & parentare consuevissent, [7] Decius Brutus, ut Cicero scribit, id Decembri faciebat? Hic autem fuit primus, qui Lusitaniam invasit, qui Lethen flumen primus trajecit. An quia ut vesperi & mense exacto multi parentare consueverunt, sic in fine anni mense novissimo mortuos honore & inferiis prosequebantur? est autem December mensium omnium extremus.* & quæ sequuntur. Sane in fragmentis legum duodecim Tabularum sic habetur: *Ut mensis Februarius qui Numæ instituto postremus erat, deinceps esset. utique eo mense post Terminalia alternis eorum dierum, qui ad annuam Solis rationem deessent, intercalatio fieret*, &c. Hanc vero intercalationem alternis annis dierum viginti duorum: alternis viginti trium fuisse notat Macrobius [8]. Porro hos dies Cato ille M. Porcii filius, (quem egregios de juris descriplina libros reliquisse auctor est Gellius) *mensem intercalarium* nominat, quem addititium esse putat, omnesque ejus dies pro momento observat, extremoque diei mensis Februarii attribuit. ff. tit. De rerum & verborum significatione, l. 98. Id vero Macrobius Græcorum imitatione factum credit, qui menses suos Embolimos ad anni sui finem, ut ante dictum est, intercalabant. Quanquam una re, inquit ille, a Græcis differebant Romani, quod illi confecto mense ultimo, Romani non confecto Februario, sed post vicesimum tertium ejus diem

A intercalabant, Terminalibus jam peractis: ac tum reliquos mensis Februarii dies, qui erant quinque, subjungebant, vetere suæ religionis more, ut Februarium omnino Martius sequeretur. Hunc vero intercalarium mensem Julius Cæsar postea sustulit, effecitque ut annus tandem dierum trecentorum sexaginta quinque esset, ac unus dies quarto quoque anno intercalaretur, ut est apud Suetonium in Julio. Cæterum anno in eam etiam quam hodie retinemus formam redacto, vicesimus quartus Februarii dies, qui intercalationi dicatus est, *priores Kalendæ intercalares* dicebatur, sicuti & vicesimus quintus, ut conjicere est, *posteriores*.
B quanquam totos reliquos a vicesimo quarto dies in finem mensis ita etiam appellatos fuisse, jure fortasse quis contendat. Cicero [1] ad Ligarium, *Ego idem*, inquit, *cum ad secundum Kalendas intercalares priores rogatu fratrum tuorum venissem ad Cæsarem*, &c. Significat Cicero se diebus duobus ante Kalendas intercalares priores, id est, ante vicesimum quartum Februarii venisse ad Cæsarem: id autem est vicesimo secundo Feb. Nam hic dies biduo antecedit XXIIII. Februarii: ut priores dixerint ad differentiam posteriorum Kalendarum intercalarium, id est, vicesimi quinti, revera interposititii & intercalarii,
C vel etiam illorum dierum qui ab illo sunt ad Kalendas usque Martias. Cæterum vicesimus quartus *Kalendæ priores intercalares* abusive dicitur. quippe re vera posterior, non prior intercalatur: sed quia is intercalationem proxime antecedit, imo vero unus & idem est cum intercalario, iccirco *priores Kalendæ intercalares* dicitur. Quod & notandum in posterioribus Kalendis, id est, his diebus quibus a vicesimo quarto incipientes dicimus sexto, quinto, quarto, tertio, pridie Kalendas Martias. quod sc. ii dies intercalationem sequantur potius quam quod intercalentur.
D quo sensu mensis Februarius etiam mensis intercalaris dicitur: non quod totus intercaletur, sed quod eo ipso intercalatio fiat. Juxta quem significatum vere Q. Mutius dixit: *Mensis*, inquit, *intercalaris constat ex diebus* XXIX. Contra alio sensu mensis ille dierum viginti duorum aut viginti trium (quem alternis annis solitum esse intercalari supra dixi) intercalaris dicebatur, quod totus scilicet intercalaretur! ut intercalaris mensis duplicem hunc intellectum habeat, sitque vel qui totus intercalatur, vel etiam quo fit intercalatio. De intercalatione seu Bissexto Celsus [2] Jureconsultus in hæc verba: *Quum Bissextus Kalendis*
E *est, nihil refert, priore an posteriore die quis natus sit: & deinceps sexto Kalendas ejus natalis dies est. Nam id biduum pro uno die habetur: sed posterior dies intercalatur, non prior. Ideo quo anno intercalatum non est, sexto Kalendas natus: cum Bissextus Kalend. est, priorem diem natalem habet.* Hæc verba satis implexa & concisa brevitate antiquitati toti consueta eoque obscura, hunc mihi sensum habere videntur [3]: Quoties Bissextus est (is autem quarto quoque anno in sextum Kalendas Martias incidit & is dies *Kalendæ intercalares* dicitur) duo dies pro uno occurrunt, prior ac posterior intercalarius. Etsi autem duo dies esse vi-
F dentur, unius tamen loco habentur & in unum coincidunt: ita ut posterior solum momentum temporis occupet, & cum priore ita confundatur, ut non absurde, si quis, verbi gratia, posteriore natus sit, is & sexto Kalendas Martias & priore die natus esse dicatur. ut in summa nihil referat utro quis natus sit, priore an posteriore: cum utrovis natus priorem semper natalem habeat. Certe uter-

1 Cap. 14. 1. Satur. 2 De Ling. Lat. 2. 3 In Numa. 4 Locus hic corruptus apud Varronem l. 2. de lingua Latina. 5 Lib. 2. de legibus. 6 Probl. 34. 7 Legendum *D. Brutu.* & mox *fac ebat.* 8 Cap. 15. Satur. 1.

1 Epistola 14. l. 6. epistolarum ad Lentulum & alios. 2 L. Digestorum 28. leg. 98. 3 Locus Jurisc. explicatus.

que dies in Ephemeridibus eadem Alphabethi litera notatur, nempe F. quæ anno Bissextili in iisdem geminari solet, eoque tum bis sexto Kalendas Martias (unde & Bissexto nomen [1]) dicere compellimur, utrique diei eandem appellationem tribuentes. ut iis argumentis id biduum pro uno eodemque die haberi constet, ac neque posteriorem computari. Porro intercalationis etiam meminit Cato [2] in lib. de re rust. numero 150. ejus dico intercalationis, quæ fere solidum mensem capiebat.

### MARTIUS. D.

Hunc primum mensem in Romuli ordinatione fuisse ac eundem Marti suo genitori dicavisse pluribus ante in Romulo & post sparsim in Januario ex Plutarcho & Ovidio ostendimus. Festus Pomp. *Martius mensis initium anni fuit & in Latio & post Romam conditam, eo quod gens erat bellicosissima: cujus rei testimonium est, quod posteriores menses, qui annum finiunt, a numero appellati ultimum habent Decembrem.*

### APRILIS. G.

Hunc mensem alii ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ, id est, a spuma unde Venus orta creditur: alii ab ipsa Venere, quam *Aphroditum* Græci dicunt, deductum volunt. Sacra enim huic deæ hoc mense fiunt. Plutarchus in Numa. Et Varro [3]: *Secundus mensis (scilicet Aprilis) ut Fulvius scribit & Junius Gracch. a Venere, quod ea sit* Αφροδίτη. *Cujus nomen*, inquit, *magis puto dictum, quod Ver omnia aperiat, Aprilem*. Hanc Romuli rationem fuisse asserunt, ut hunc Aprilem nominaret qui secundus esset, quod primum a patre suo Marte: secundum a Venere Æneæ matre nominandum putaret. Alii Aprilem quasi *Aperilem* dictum volunt. Nam cum fere ante Æquinoctium Vernum triste sit cælum & nymbis obductum; sed & mare navigantibus clausum, terra etiam ipsa sit aut aqua aut pruina aut nivibus contecta, aut gelu etiam indurata, ut omnia emortua videantur: ea tamen omnia Verno tempore ita mitescunt, ut Aprili terra se se aperiat, & plantæ cum flores tum folia pandant & ipsæ etiam aperiantur. Cum ergo plantæ omnes hoc tempore aperire se in germen incipiant, idque maxime Aprili contingat, his de causis Aprilem quasi Aperilem dictum esse merito quis credat. Quod & notat Plutarchus in Numa, & Ovidius libro Fastorum:

*Sed Veneris mensem Græco sermone notatum*
*Auguror, a spumis est dea dicta maris.*

De Aprili plura vide eo loco apud Ovidium.

### MAJUS. B.

[4] Hunc tertium Romulus posuit in anni ordinatione. quem, quia populum in majores junioresque divisisse ferunt, ut altera pars consilio, altera armis rempublicam tueretur, in honorem utriusque ætatis hunc Majum, illum Junium nominavisse. Alii a Majo deo qui idem Jupiter est. Alii a Maja Vulcani matre & Mercurii, cui sacer est hic mensis, dictum volunt. quod etiam notat Plutarchus [5]: qui etiam in Problematis Romanis quærit, *Quid est*, inquit, *quod Majo mense circa plenilunium, de ponte Sublicio simulacbra in Tiberim*

A *jacientes, Argeos ea quæ dejiciuntur, appellant?* &c. Et ibidem post [1]: *Cur mense Majo uxores non ducunt* (Romani?) *An quod inter Aprilem & Junium medius interjectus est: quorum quum alter Veneri, Junoni alter dicatus sit, deabus scilicet quæ nuptiis præsunt, aut parum ante capiunt, aut parum expectant? An quod hoc mense maximo piaculo utuntur, effigies modo de ponte dejicientes, cum prius homines consuevissent? Unde flaminicam Junonis sacerdotem tristem esse eo tempore: quippe quæ ut eo mense nullo cultu utantur; moris est. An quod plerique Latinorum hoc mense mortuis parentant, & ob eam causam Mercurium quoque eodem mense venerantur, qui Majæ* B *cognominis est? An, ut quidam dicunt, Majus a majoribus natu appellatus est, Junius a junioribus? Nuptiis vero accommodatior est junior, ut inquit Eurip. nam senectus Venerem valere jubet, ipsaque Venus senibus infensa est. Abstinent igitur Majo nuptiis, Junium expectantes qui Majum ordine excipit.* Hactenus Plutarchus. Varro: *Tertius a majoribus Majus: Quartus a junioribus Junius.* Festus Pomp. *Majus mensis in compluribus civitatibus Latinis ante Urbem cond. fuisse videtur: qua ex causa, utrum a majoribus, ut Junius a junioribus, dictus sit, an Maja quod scilicet Mercurio filio ejus res divinæ fiant solennes?* C *an quod ipsi deæ in multis civitatibus sacrificia fiebant ipso mense desinente?* Idem: *Idus Maii*, inquit, *mercatorum dies festus erat, quod eo die Mercurii ædes esset dedicata.*

### JUNIUS. E.

Junius [2] vel a *junioribus*, ut supra dictum est, vel per syncopen a *Junonius* & *Junonialis*, quo nomine antea vocabatur. Nam Junonis Monetæ ædes Kalendis Junii dedicata est. Alii a *Junio Bruto* qui primus Romæ Conf. factus est, dictum volunt. quod hoc mense, id est, Kalendis Junii, pulso Tarquinio sacrum Carnæ deæ in Cælio monte voti D reus fecerit. Vide quæ paulo ante ex Ovidio citavimus de hoc mense.

### JULIUS. G.

Hic mensis in Romuli ordinatione quintum in ordine locum tenebat. unde & *Quintilis* tum dicebatur. Varro: *Dehinc quintus, Quintilis, & sic deinceps usque ad Decembrem a numero* [3]. Sed postea in honorem Julii Cæs. Imperatoris primi *Julius* est appellatus, & quod ad quartum Idus ipsius mensis idem Julius esset procreatus. Plutarch. in E Problematis Romanorum [4]: *Cur Idibus Sextilis diem festum agunt servi ac servæ omnes? Uxores autem capita nudare ac lavare consueverunt? An propter Servium regem, quem eo die serva natum & in lucem editum ferunt, vacationem ab opere habent servi? Capitis autem lavatio ab ancillis cœpta propter diem festum ad liberas quoque processit?*

### AUGUSTUS. C.

Hic & *Sextilis* etiam antea vocabatur, quod sextum in anni ordinatione a Martio inita supputatione locum tenebat. Mutato tamen postea nomine F in honorem Augusti Cæsaris Imperatoris secundi *Augustus* dictus est de ejus nomine, & quod Augustus eo mense primum consulatum iniisset, & tres triumphos in urbem intulisset: quod item Ægyptus hoc mense in populi Romani potestatem ab eo redacta esset. Plutarchus in Problema. Rom [5]. *Quid est quod Metellus Pont. Max. factus*

1 Bissexti appellatio unde. 2 Intercalatio apud Catonem. 3 2. de ling. Latin. 4 Plutarch. in Numa. 5 In Numa.

1 Probl. 29. & 84. 2 Fest. Pomp. 3 Festus Pomp. 4 Problem. 98. 5 Probl. 37.

*alioqui prudens ac civilis post Sextilem mensem, qui* A *nunc Augustus dicitur, vetuit auspicari?* &c.

SEPTEMBER. F.

OCTOBER. A.

Septembrem & Octobrem Domitianus suis cognomentis insignivit. sed non diu ita vocati sunt, statimque post cædem ejus pristina nomina recuperaverunt. Soli postremi duo suas semper appellationes retinuerunt.

NOVEMBER. D.

DECEMBER. F.

Hi quatuor postremi menses ordinis quisque sui nomen retinuere. Ex quo facile intelligere licet Romanos initio non duodecim, sed decem tantum menses habuisse, & Martium primum fuisse. quod & notat Plutarchus in Numa. iccirco enim September dicitur, quod a Martio septimus sit: October quod octavus: November quod nonus ab *imbre*, id est, a bruma seu post brumam sit, id est, imbrem & hyemem. Est enim *imber* pluviæ aut grandinis lapsus & agmen. qua significatione *imbrem pluviæ* & *imbrem grandinis* dicimus. Erat vero tunc Martius post imbrem primus, & ab eo inita supputatione mensis hic, verbi gratia, September, ille October B dictus est, ordinis videlicet quisque sui nomen a Martio retinentes ex numero. Sed quod ad Decembrem attinet, vide quæ de eo ante ex Plutarcho in Februario diximus.



JOAN-

# JOANNIS LALAMANTII
# KALENDARIUM
## ROMANUM.

### JANUARIUS

habet dies xxxi.

1 KALENDÆ Januarii
2 Quarto Nonas
3 Tertio Nonas
4 Pridie Nonas
5 NONÆ
6 Octavo Idus
7 Septimo Idus
8 Sexto Idus
9 Quinto Idus
10 Quarto Idus
11 Tertio Idus
12 Pridie Idus
13 IDUS
14 Decimo nono Kalendas Februarii
15 Decimo octavo
16 Decimo septimo
17 Decimo sexto
18 Decimo quinto
19 Decimo quarto
20 Decimo tertio
21 Duodecimo
22 Undecimo
23 Decimo
24 Nono
25 Octavo
26 Septimo
27 Sexto
28 Quinto
29 Quarto
30 Tertio
31 Pridie Kalendas Februarii

### FEBRUARIUS

dies habet xxviii. & Bissexto xxix.

1 KALENDÆ Februarii
2 Quarto Nonas
3 Tertio Nonas
4 Pridie Nonas
5 NONÆ
6 Octavo Idus
7 Septimo
8 Sexto
9 Quinto
10 Quarto
11 Tertio
12 Pridie Idus
13 IDUS
14 Decimo sexto Kalendas Martii
15 xv. Kalend. Mart.
16 xiiii
17 xiii
18 xii
19 xi
20 x
21 ix
22 viii
23 vii
24 vi
25 v
26 iiii
27 iii
28 ii Pridie Kalendas Martias

B

### MARTIUS

habet dies xxxi.

1 KALENDÆ Martii
2 Sexto Nonas
3 Quinto Nonas
4 Quarto Nonas
5 Tertio Nonas
6 Pridie Nonas
7 NONÆ
8 Octavo Idus
C 9 Septimo
10 Sexto
11 Quinto
12 Quarto
13 Tertio
14 Pridie
15 IDUS
16 xvii Kal. Apr.
17 xvi
18 xv
19 xiiii
20 xiii
21 xii
D 22 xi
23 x
24 ix
25 viii
26 vii
27 vi
28 v
29 iiii
30 iii
31 Pridie Kalend. Aprilis.

### APRILIS

E habet dies xxx.

1 KALENDÆ Aprilis
2 Quarto Nonas
3 Tertio Nonas
4 Pridie Nonas
5 NONÆ
6 Octavo Idus
7 Septimo Idus
8 Sexto Idus
9 Quinto Idus
10 Quarto Idus
F 11 Tertio Idus
12 Pridie Idus
13 IDUS
14 xviii Kal. Maii
15 xvii
16 xvi
17 xv
18 xiiii
19 xiii
20 xii
21 xi

22 x
23 ix
24 viii
25 vii
26 vi
27 v
28 iiii
29 iii
30 Pridie Kal. Maii

M A J U S

dies habet xxxi.

1 KALENDÆ Maii
2 Sexto Nonas
3 v
4 iiii
5 iii
6 Pridie Nonas
7 NONÆ
8 Octavo Idus
9 vii
10 vi
11 v
12 iiii
13 iii
14 Pridie Idus
15 IDUS
16 xvii. Kal. Junii
17 xvi
18 xv
19 xiiii
20 xiii
21 xii
22 xi
23 x
24 ix
25 viii
26 vii
27 vi
28 v

A 29 iiii
30 iii
31 Pridie Kalendas Junii

J U N I U S

dies habet xxx.

1 KALENDÆ Junii
2 Quarto Nonas
3 Tertio Nonas
4 Pridie Nonas
5 NONÆ
B 6 Octavo Idus
7 Septimo
8 Sexto
9 Quinto
10 Quarto
11 Tertio
12 Pridie
13 IDUS
14 Decimo octavo Kalendas Julii
15 xvii
16 xvi
17 xv
C 18 xiiii
19 xiii
20 xii
21 xi
22 x
23 ix
24 viii
25 vii
26 vi
27 v
28 iiii
D 29 iii
30 Pridie Kal. Julii.

Et hæc hactenus. Reliquos sex menses ad eandem methodum ac supputationem exigere poterit Lector.

# F I N I S.

# M. JACOBUS CHRISTMANNUS

# DE

# KALENDARIO ROMANO.

# M. JACOBUS CHRISTMANNUS
## DE
# KALENDARIO
## ROMANO.



AB Urbe condita usque ad ordinationem Divi Julii Cæsaris, primi Romanorum Imperatoris, varia fuit annorum supputandorum ratio; sed duo præcipue Kalendaria extiterunt, Romuli scilicet & Numæ Pompilii, juxta quæ tempora notari solebant, ex motu solis lunæque inter se exæquato. C

Romulus Urbis conditor, primusque Romanorum Rex, anno decem menses attribuit, qui 304. dies efficiebant. Mensium ordo & numerus dierum hic est:

| | | | |
|---|---|---|---|
| 1 | Martius | dierum | 31. |
| 2 | Aprilis | — — — | 30. |
| 3 | Majus | — — — | 31. |
| 4 | Junius | — — — | 30. |
| 5 | Quintilis | — — — | 31. |
| 6 | Sextilis | — — — | 30. |
| 7 | September | — — — | 30. |
| 8 | October | — — — | 31. |
| 9 | November | — — — | 30. |
| 10 | December | — — — | 31. |

D

Id expresse testatur Censorinus, cum ait: *Annum vertentem Romæ Licinius quidem Macer & postea Fenestella statim ab initio duodecim mensium fuisse scripserunt: sed magis Junio Gracchano & Fulvio & Varroni & Suetonio aliisque credendum, qui decem mensium putaverunt fuisse. horum quatuor majores pleni, cæteri sex cavi vocabantur.* Ex quibus verbis animadvertere licet, quatuor menses, scilicet Martium, Majum, Quintilem & Octobrem, *plenos* fuisse appellatos, quod haberent singuli triginta unum dies: sex vero reliquos, videlicet, Aprilem, Junium, Sextilem, Septembrem, Novembrem & Decembrem, nominatos fuisse *cavos*, quod constarent tantum triginta diebus. Ex ordinatione itaque Romuli Martius erat primus mensis, Aprilis secundus, Majus tertius, Junius quartus: & reliqui a numero appellabantur Quintilis, Sextilis, September, October, November, December. Ubi observandum est, Martium incidisse in principium veris, & durasse hanc rationem mensium annos 38. quot Romulus regnavit, ut testatur Aurelius Cassiodorus. Etsi autem annus lunaris tunc esset imperfectus, habens 304. dies, tamen intercalatione quinquaginta & unius dierum fuit exæquatus ad annum integrum lunarem. E F

Numa Pompilius secundus Romanorum Rex, *ad annum Romuli adjecit unum & quinquaginta dies* (teste Censorino) *qui quia menses duos non implerent, sex illis cavis mensibus dies sunt singuli detracti, & ad eos additi, factique sunt dies quinquaginta septem: & ex his duo menses Januarius undetriginta dierum, Februarius duodetriginta. atque ita omnes menses pleni & impari dierum numero esse cœperunt, excepto Februario, qui solus cavus & ob hoc cæteris infaustior est habitus.* Ex quibus intelligitur, kalendarium Pompilii habuisse duodecim menses, qui 355. dies efficiebant. Mensium ordo & numerus dierum hic est:

| | | | |
|---|---|---|---|
| 1 | Januarius | dierum | 29. |
| 2 | Februarius | — — — | 28. |
| 3 | Martius | — — — | 31. |
| 4 | Aprilis | — — — | 29. |
| 5 | Majus | — — — | 31. |
| 6 | Junius | — — — | 29. |
| 7 | Quintilis | — — — | 31. |
| 8 | Sextilis | — — — | 29. |
| 9 | September | — — — | 29. |
| 10 | October | — — — | 31. |
| 11 | November | — — — | 29. |
| 12 | December | — — — | 29. |

Fuisse hanc dispositionem mensium Pompilianorum, ex citatis verbis Censorini manifestissime apparet. si enim Numa in kalendario Romuli, sex cavis mensibus subtraxit dies singulos; utique Aprilem, Junium, Sextilem, Septembrem, Novembrem & Decembrem dierum fecit viginti novem. Diebus illis sex ad unum & quinquaginta adjectis, explevit Januarium 29. & Februarium 28. diebus constantem: in quatuor autem mensibus plenis priscum numerum dierum observavit, & Martio, Majo, Quintili & Octobri reliquit dies triginta unum.

Posset hic aliquis quærere, quare Pompilius ad annum Romuli adjiciendos putarit unum & quinquaginta dies? Respondendum est, annum Romuli nec ad solem nec ad lunam habuisse menses dispositos, & justo breviorem fuisse. Etsi enim intercalatione quinquaginta & unius dierum ad motum lunarem fuerit redactus, non tamen intercalatio illa congruit ad periodum solarem, quo minus menses ab epocha sua recederent. Quamobrem ne Martius a principio veris multum dimoveretur, aut anni ab Urbe condita incertis legibus numerarentur; visum est Pompilio integram rationem anni lunaris instituere, eumque intercalatione Mercedonii ad annum solarem revocare. Cum ergo dicimus Numam Pompilium anno veteri adjecisse quinquaginta & unum dies, volumus ipsum ex 51. diebus intercalari solitis, duos menses ordinarios conflasse, nimirum Januarium & Februarium. Ut autem annus lunaris exacte responderet solari, in Februarium intercalari voluit Mercedonium, de quo paulo post plura dicemus. Numa præposuit Januarium & Februarium mensibus decem Romuli: hinc factum est, ut Martius, qui antea primus erat, deinceps habitus sit pro mense tertio, Aprilis pro quarto, &c. Hoc ipsum

testatur Macrobius, cum ait: *Sequitur Julius, qui cum secundum Romuli ordinationem, Martio anni tenente principium, Quintilis a numero vocaretur, nihilominus tamen etiam post præpositos a Numa Januarium ac Februarium, retinuit nomen, cum non videretur jam quintus esse, sed septimus: sed postea in honorem Julii Cæsaris Dictatoris, legem ferente M. Antonio Marci filio consule, Julius appellatus est, quod hoc mense, ad quartum Idus Quintilis Julius procreatus sit.* De eodem hæc refert Cassiodorus: *Numa Pompilius regnavit annis* XLI. *qui duos menses anno addidit, Januarium & Februarium, cum ante hunc* X. *tantum menses apud Romanos fuissent: Capitolium quoque a fundamentis construxit.* Ex his apparet, annum vere lunarem, constantem trecentis & quinquaginta quinque diebus, a Numa Pompilio demum fuisse institutum, & hinc cœpisse kalendas, nonas, & idus mensium, quæ juxta motum lunæ, seu juxta novilunia & plenilunia potissimum dirigebantur. Ut illi fallantur, qui contra historiarum fidem, & auctoritatem viri præstantissimi Censorini, Licinio Macro & Fenestellæ adstipulantur, asserentes annum vertentem Romæ statim ab initio fundationis duodecim mensium fuisse. Scribit enim Censorinus, magis Junio Gracchano & Fulvio & Varroni & Suetonio aliisque credendum, qui annum a principio Urbis conditæ decem mensium putaverunt fuisse: nisi enim res ita habuisset, frustra adjecisset Numa Pompilius Januarium & Februarium. Quod autem dicunt mensem intercalarium 22. aut 23. dierum, inter terminalia & regifugium insertum, facere annum tredecim quasi mensibus constantem: verum quidem est, sed non probat annos priores Romanorum ab Urbe condita numeratos, fuisse duodecim mensium. Non enim statim a fundatione Urbis locum habuit mensis intercalaris: alias Numa Pompilius non fuisset coactus adjicere ad annum Romuli unum & quinquaginta dies. Hinc etiam sequitur, festa Romana referenda esse ad ordinationem anni Pompiliani. Itaque cum Censorinus ex sententia Varronis refert Urbem conditam esse ipsis Parilibus; accipiendum id est ex hypothesi, quatenus kalendarium Pompilianum extenditur ad fundationem Romuli. Alias enim sentiendum est, Romulum a fundatione Urbis suos decem menses numerasse, ut kalendas Martias inchoaverit ab ipsa fundatione Urbis, hoc est, a phasi lunari, quæ incurrit post æquinoctium vernum, ut in tabulis chronologicis ostendemus. Duravit hoc kalendarium Pompilianum usque ad Divum Julium Cæsarem: etsi enim constaret, duodecim horum mensium lunarium periodum non attingere anni solaris quantitatem, tamen intercalatione dierum aliquot subinde annus lunaris reducebatur ad annum vertentem solis.

Cum autem Julius Cæsar, opera mathematicorum institutus, didicisset anno lunari deesse 10. dies, & quadrantem diei, quo minus periodo solari responderet, decem dies intrusit in menses lunares, ut Januario, Sextili & Decembri a fine adjiceret dies binos, quo tres menses isti, qui prius habebant 29. dies, nanciscerentur 31. dies: quatuor reliquos dies adjecit Aprili, Junio, Septembri & Novembri, ut haberent 30. dies, qui prius constabant duntaxat 29. diebus. Ita septem mensibus concessit 31. dies: hisce autem quatuor Aprili, Junio, Septembri & Novembri assignavit 30. dies. In Martio, Majo, Quintili, Octobri & Februario servavit pristinum statum, ut illi retinerent 31. dies; solus autem Februarius constaret 28. diebus quasi inferis & diminutio & par numerus conveniret. Quamobrem ex correctione Juliana orti sunt duodecim menses solares, complectentes 365. dies. Mensium horum Julianorum ordo & numerus dierum hic est:

| | | dierum |
|---|---|---|
| 1 | Januarius | 31. |
| 2 | Februarius | 28. |
| 3 | Martius | 31. |
| 4 | Aprilis | 30. |
| 5 | Majus | 31. |
| 6 | Junius | 30. |
| 7 | Julius | 31. |
| 8 | Augustus | 31. |
| 9 | September | 30. |
| 10 | October | 31. |
| 11 | November | 30. |
| 12 | December | 31. |

Fuisse hanc mensium Julianorum ordinationem, perspicue docet Censorinus hisce verbis: *Nam, intercalario mense sublato, Cæsar annum civilem ad solis cursum formavit. itaque diebus trecentis quinquaginta quinque addidit decem, quos per septem menses, qui dies undetricenos habebant, ita distribuit, ut Januario & Sextili & Decembri bini accederent, cæteris singuli: eosque dies extremis partibus mensium apposuit, ne scilicet religiones sui cujusque mensis a loco summoverentur.* Id non minus clare testatur Macrobius lib. 1. Saturnalium, cap. 14. cum ait: *Dies autem* X. *quos ab eo additos diximus, hac ordinatione distribuit. In Januarium & Sextilem & Decembrem binos dies inseruit. In Aprilem autem, Junium, Septembrem, Novembrem singulos. Sed neque mensi Februario addidit diem, ne Deo infero religio mutaretur: & Martio, Majo, Quinctili, Octobri servavit pristinum statum, quod satis pleno erant numero, id est, dierum singulorum tricenorumque.*

Hinc intelligitur, mensem Sextilem in primo statim ordinationis Julianæ anno habuisse 31. dies, & Februarium constitisse 28. diebus, ut illi fallantur, qui scripserunt, Sextilem habuisse 30. dies & Februarium 29. dies, quasi anno demum Juliano tricesimo septimo, quo mensis Sextilis in honorem Augusti, dictus est Augustus, fuerit detractus Februario dies, & oppositus ad mensem Augustum. Si historias consulamus, inveniemus quidem in kalendario Romuli Sextilem habuisse triginta dies, sed Februario a Numa Pompilio primum fuisse assignatos 28. dies, & hos deinceps fuisse constanter servatos comperiemus. Falsam autem & absurdam esse hanc opinionem, ostendet in kalendario Ægyptiaco Thoth Actiacus, qui anno Juliano decimo sexto incidit in 29. Sextilis, feriam primam, quæ erat dies quartus Kal. Septembrium. Sed quis erat ille mensis intercalarius, quem Cæsar sustulit? Macrobius sane cum Censorino testatur, eum fuisse viginti duum vel viginti trium dierum. hic Plutarcho μερκηδῖνος & μερκηδόνιος dicitur: Latinis appellatur *Februarius intercalaris*. Hujusmodi Mercedonio utebantur Romani ante Julium Cæsarem, ut per eum annos suos lunares aptarent ad solis cursum, qui 365. diebus & quadrante zodiacum conficit. Etsi autem annus lunaris haberet trecentos & quinquaginta dies, ipsi tamen Romani censebant lunam duodecim suis mensibus trecentos quinquaginta quatuor dies explere: ideo excessum anni unius solaris supra lunarem constituebant undecim dierum, qui spacio biennii excrescebat ad 22. dies, & suppeditabat quantitatem mensis intercalarii. Verisimile itaque est, Romanos exacto uno biennio intercalasse 22. dies, altero autem biennio elapso intercalasse 23. dies, siquidem quadriennii circuitu peracto dies una accedebat anno solari. Hæc ratio intercalandi cum sæpius intermitteretur, & ob odium vel gratiam, (quo quis magistratu citius

**A** abiret diutiusve fungeretur, aut publici redemptor ex anni magnitudine in lucro damnove esset) multis modis depravaretur, Cæsar mensem Mercedonium, cum omnibus veterum intercalationibus sustulit, menses lunares abrogavit, & pro illis solares substituit, novumque modum intercalandi invenit, ut scilicet pro quadrante diei, qui mensibus solaribus deerat, quarto quoque anno in Februarium dies insereretur. hinc prodiit cyclus bisextorum, ut annis tribus continuis numerarentur 365. dies: quartus autem quisque annus haberet 366. dies.

*Hoc modo Julius Cæsar decem dies observationi veteri superadjecit, ut annum trecenti & sexaginta quin-* **B** *que dies, quibus sol lustrat zodiacum, efficerent. Et ne quadrans deesset, statuit, ut quarto quoque anno, sacerdotes qui curabant mensibus ac diebus, unum intercalarent diem, eo scilicet mense ac loco, quo etiam apud veteres mensis intercalabatur, id est, ante quinque ultimos Februarii mensis dies: idque bisextum censuit nominandum*, teste Macrobio. De intercalatione Juliana idem scribit Censorinus, hisce verbis: *Præterea pro quadrante diei, qui annum verum suppleturus videbatur, instituit, ut peracto quadriennii circuitu, dies unus, ubi mensis quondam solebat, post Terminalia intercalaretur, quod nunc* **C** *bisextum vocatur*.

Porro in kalendario Juliano duplex est observandum principium: unum est totius anni, alterum intercalationis. Dum enim Julius Cæsar annorum suorum initium sumsit a Januario, secutus est ordinem mensium veterum, qui a Numa Pompilio fuerat introductus, & annis fere septingentis usurpatus: quando vero post peractum quadriennium diem unum intercalari voluit, respexit principium mensium in kalendario Romuli designatorum, ut a Martio quadriennii circuitum jusserit numerari: nam ante Martium proprius erat intercalationis locus, quem etiam **D** Cæsar sibi observandum esse putavit. Cum igitur ante principium mensis Martii, in anno confusionis, inter terminalia & regifugium intercalatum esset; voluit Cæsar ut anno quarto Juliano currente, post vigesimum & tertium diem Februarii, Terminalibus scilicet jam peractis, bisextum intercalaretur, quia a veteri intercalatione ad id tempus elapsum erat integrum quadriennium. Verum sacerdotes non recte mentem Cæsaris perceperunt, & anno quarto a veteri intercalatione non peracto, sed incipiente, hoc est, anno labente tertio Juliano, inter 23.& **E** 24. Februarii diem bisextum intercalarunt, quod deinceps pluribus erroribus causam præbuit.

Hic autem operæ pretium est considerare, in quem annum ab Urbe condita, ab initio Olympiadum, & a regno Nabonasari inciderit annus primus Julianus: & quæ deinceps fuerit annorum Julianorum ratio usque ad emendationem Augusti Octaviani. Annus qui præcessit emendationem Julianam, teste Suetonio, habuit menses quindecim: in eum enim incidit Mercedonius 23. dierum, & Cæsar alios duos menses intercalarios dierum sexaginta septem inter Novembrem & Decembrem interposuit, teste Censorino. Quare annus iste tres **F** menses intercalarios habuit, qui effecerunt nonaginta dies, qui adjecti ad annum communem lunarem, constantem 355. diebus, summam gignunt quadringentorum quadraginta quinque dierum. *Annum confusionis* vocat Macrobius, quod in eo Cæsar exordium novæ ordinationis initurus, dies omnes, qui confusionem adhuc poterant facere, consumserit. Cum enim propter neglectam aut per imprudentiam factam intercalationem menses lunares a priscis sedibus multum recessissent, & in anteriora fuissent nimis prolapsi, Cæsar coactus est præter ordinariam Mercedonii intercalationem, quæ tunc forte incidit, insuper sexaginta septem dies anno lunari inserere: hisce diebus 67. intercalariis locum assignavit inter Novembrem & Decembrem, quo scilicet retraheretur Mercedonius cum Martio & reliquis mensibus ad sedem antiquam: unde postea kalendarii fixi solaris, & intercalationis Julianæ initium sumeretur. Fuit hic annus confusionis tertius consulatus Cæsaris, M. Æmilio collega, de quo eleganter hæc scribit Censorinus: *Adeoque aberratum est, ut C. Cæsar Pontifex Maximus suo III. & M. Æmilii Lepidi consulatu, quo retro delictum corrigeret, duos menses intercalarios dierum sexaginta septem in mensem Novembrem & Decembrem interponeret, cum jam mense Februario dies tres & viginti intercalasset: faceretque eum annum dierum quadringentorum quadraginta quinque, simul providens in futurum, ne iterum erraretur. nam intercalario mense sublato annum civilem ad solis cursum formavit*, &c.

Hunc secutus est annus primus Julianus, qui simplex fuit, sine intercalari die, constans 365. diebus: ut merito explodendi sint illi, qui annum primum Julianum intercalarem statuunt fuisse. Cum enim annus confusionis non tantum Mercedonium ordinarium, verum etiam duos extraordinarios admisisset menses intercalarios; voluit Cæsar, ut annus proximus solaris cum reliquis duobus sequentibus simplex esset, quartus autem ordine acciperet novum bisextum, quod ille veteri intercalationi substituerat. Ut autem ita fieret, etiam res ipsa postulabat: nam Cæsar in anno confusionis intercalationem ordinariam revocaverat ad locum illum, qui illi ratione conversionis cœlestis competebat, ita ut principium Martii incideret in novilunium, & reliqui novem menses lunares prisco more neomenias cœlestes indicarent. Itaque voluit cyclum bisextilem inire mense Februario, ipso anno confusionis, inter Terminalia & Regifugium, hoc est, inter 23. & 24. Februarii diem, ut Macrobius interpretatur, quo deinceps elapsis decem mensibus lunaribus, inchoaret annum suum solarem, a Januario in ipsam quoque neomeniam cœlestem incidente. Cum ergo a veteri intercalatione quadriennium nondum esset elapsum, nequaquam anno primo Juliano fieri debuit intercalatio. Hic annus primus Julianus fuit quartus consulatus Cæsaris, ut ex Censorino animadvertere licet, cum ait: *Ex hoc anno ita a Julio Cæsare ordinato cæteri ad nostram memoriam Juliani appellantur, eique consurgunt ex IIII. Cæsaris consulatu*. Scribit autem idem Censorinus in annum ducentesimum octogesimum tertium Julianum incidisse annum ab Urbe condita nongentesimum nonagesimum primum, annum Olympiadicum millesimum & quartum decimum, & annum Nabonasari nongentesimum octogesimum sextum. Unde consequitur in annum primum Julianum incidisse annum a Roma condita 709. annum Olympiadicum 732. & annum Nabonasari 704. ut annus primus Julianus a novo sole, id est, bruma: annus a Roma condita 709. ab ortu proxime sequenti vergiliarum: annus Olympiadicus 732. ex diebus duntaxat æstivis: annus autem Nabonasari 704. circa æquinoctium autumnale in anno primo Juliano cœpisse intelligatur. Quamobrem datis annis Julianis, facile est invenire annos ab Urbe condita, & Olympiadicos: si enim ad datos annos Julianos labentes adjiciantur anni 708. ab Urbe condita elapsi, vel si adjiciantur anni 731. a prima Olympiade absoluti, habetur quæsitum. Sed in annis Nabonasari indagandis res paulo aliter habet: nam ad datos annos Julianos labentes adji-

cindi sunt anni Nabonasari 703. completi, donec perveniatur ad annum Julianum 985. qui cum habeat geminum Thoth, duobus quoque principiis annorum Ægyptiacorum respondet, ut necesse sit anno subsequenti Juliano 986. labenti dato adjicere annos Nabonasari completos 704. quia in istum annum Julianum 986. incidit principium anni Nabonasari 1690. ut suo loco ostendetur. Si ergo anni aliqui Juliani dentur, qui sunt post annum Julianum 985. tunc oportet ad eos adjicere completos annos Nabonasari 704. alioquin unius anni error continget.

In annum secundum Julianum, qui fuit quintus Consulatus Cæsaris, M. Antonio collega, teste Censorino, incidit annus a Roma condita septingentesimus decimus. Eodem anno secundo Juliano, Idibus Martii interemtus est Julius Cæsar in senatu, cum jam per integrum annum, duos menses, & quatuordecim dies in usu fuisset kalendarium Julianum. At hic discrepant auctores, ut incertum videatur esse, an cædes Cæsaris referenda sit ad annum Urbis conditæ septingentesimum nonum, ut communis fert opinio; an vero ad annum U. C. septingentesimum decimum, ut Fasti marmorei Romæ effossi indicant, sicut ex antiquitatibus Romanis Onufrius Panvinius ostendit Julium Cæsarem interfectum esse anno U. C. 710. quando fuit dictator IIII. & Cos. V. Sane dubium non est, quin annus Urbis conditæ septingentesimus decimus inciderit in annum secundum Julianum, (hoc enim e Censorino manifestissime colligitur) sed non semper idem initium fuit computatum ab Urbe condita. De sententia Varronis & Censorini Urbs condita est ipsis Parilibus, hoc est, XI. Kal. Maii. Quamobrem si annorum Urbis conditæ principium inde sumamus, non potuit cædes Cæsaris incidere in annum U. C. 710. sed incidit sub finem anni ab Urbe condita septingentesimi noni, ut opinio vulgaris est accipienda. Si autem a Kalendis Martiis Romuli initium annorum Urbis conditæ numeremus, sicut illustres quidam auctores Romani fecerunt; tunc cædes Cæsaris incidet in principium anni ab Urbe condita septingentesimi decimi: neque absurdum est, ut unus idemque locus diverso respectu habet rationem principii & finis.

In annum tertium Julianum incidit annus a Roma condita 711. qui ex ordinatione Divi Julii Cæsaris debuit esse simplex, sed sacerdotes bissextum in eum intruserunt, & deinceps usque ad annum Julianum trigesimum septimum, singulis trienniis elapsis intercalarunt. Hinc factum est, ut per triginta sex priores annos Julianos duodecies sit intercalatum, cum ex instituto Cæsaris novenæ tantum fuissent intercalationes celebrandæ. Testatur id Macrobius lib. I. Saturnalium, cap. 14. cum ait: *Et huc usque error stare potuisset, nisi sacerdotes sibi errorem novum ex ipsa emendatione fecissent. Nam cum oporteret diem, qui ex quadrantibus confit, quarto quoque anno confecto, antequam quintus inciperet, intercalare, illi quarto non peracto, sed incipiente intercalabant. Hic error sex & triginta annis permansit, quibus annis intercalati sunt dies duodecim, cum debuerint intercalari novem. Sed hunc quoque errorem sero deprehensum correxit Augustus, qui annos duodecim sine intercalari die transigi jussit, ut illi tres dies, qui per annos triginta & sex vitio sacerdotalis festinationis excreverant, sequentibus annis duodecim, nullo die intercalato, devorarentur. Post hoc unum diem, secundum ordinationem Cæsaris, quinto quoque incipiente anno, intercalari jussit, & omnem hunc ordinem æreæ tabulæ ad æternam custodiam incisione mandavit.* Idem affirmat Solinus dicens: *Et tunc quoque vitium admissum est per sacerdotes. Nam cum præceptum esset anno quarto, ut intercalarent unum diem, & oporteret confecto anno quarto id observari antequam quintus auspicaretur, illi incipiente quarto intercalarunt, non desinente. Sic per annos sex & triginta, cum novem tantum dies sufficere debuissent, duodecim sunt intercalati. Quod deprehensum Augustus reformavit, jussitque annos 12. sine intercalatione decurrere, ut tres illi dies, qui ultra novem necessarios, temere fuerant intercalati, hoc modo possent repensari: ex qua disciplina omnium postea temporum fundata ratio est.*

Ex his omnibus apparet annum quinquagesimum secundum Julianum accepisse bisextum emendatum, secundum ordinationem Cæsaris, quam Augustus Octavianus censuit revocandam esse. Cum enim Divus Julius Cæsar instituisset, ut anno quarto, octavo, duodecimo, &c. labente Juliano intercalaretur, rectissime fecit Augustus, qui in annum 52. Julianum labentem, bissextum immisit, siquidem anni quique quaterni Juliani intercalares esse debuerunt.

Ut autem integram dispositionem annorum 52. priorum Julianorum habeamus, prorsus necessarium est, ut distinctionem feriarum hebdomadicarum adhibeamus, & a quibus diebus septimanæ singuli anni inceperint, consideremus. Sane apud Romanos nulla tunc erat destinctio temporis in hebdomades dierum, ea tamen apud Babylonios & Ægyptios statim a regno Nabonasari in usu fuit, cum septem planetarum nominibus dies septimanæ appellarentur. Proinde si unius anni Nabonasari, qui in hos 52. annos Julianos incidit, characterem hebdomadicum noscamus, eumque cum certo die mensis alicujus Juliani conferamus, statim innotescent reliquorum annorum feriæ. Ad hoc autem maxime accommodatus est Thoth Nabonasari 719. qui juxta Censorinum incidit in annum Julianum decimum sextum, & in diem 29. Sextilis, hoc est, in quartum kal. Septembris, cœpitque die solis, ut testatur Hebræus quidam in scripto de æris & intervallis temporum. Is Thoth est Augusti Octaviani Actiacus, a quo Ptolemæus deducit monarchiam Augusti.

Si ergo septem literas hebdomadicas distribuamus in contextum kalendarii Juliani, ut prima dies Januarii habeat A, secunda B, tertia C, quarta D, quinta E, sexta F, septima G, octava iterum A, nona iterum B. &c. sicut solet fieri in computo ecclesiastico, tunc ex ordine litera C incidet in 29. mensis Sextilis: cumque is dies fuerit Solis, C dicitur character Dominicus anni prædicti 16. Juliani. Quamobrem etiam tertia dies Januarii ejusdem anni, quæ obtinet literam C, est feria Dominica sive Solaris: unde sequitur kalendas Januarias anni decimi sexti Juliani, in quas incidit litera A, cœpisse die Veneris. Hujus anni 16. Juliani inventa dispositione, si retrorsum & antrorsum numeremus, per idem examen hebdomadicum deprehendemus annum primum Julianum cœpisse die Sabbati: annum vero 52. Julianum, qui accepit bissextum Augustale, etiam cœpisse die sabbati, & propter interjectum bissextum geminas habuisse literas Dominicales BA. Quin etiam apparebit, quæ fuerit ratio intercalationum & feriarum, ipsorumque characterum Dominicorum in annis interjectis, sicut ex sequenti tabella cernere licet.

| *Anni Juliani.* | *Literæ Dominicæ.* |
| --- | --- |
| 1 | B |
| 2 | A |
| 3 | GF |
| 4 | E |

| | |
|---|---|
| 5 | D |
| 6 | CB |
| 7 | A |
| 8 | G |
| 9 | FE |
| 10 | D |
| 11 | C |
| 12 | BA |
| 13 | G |
| 14 | F |
| 15 | ED |
| 16 | C |
| 17 | B |
| 18 | AG |
| 19 | F |
| 20 | E |
| 21 | DC |
| 22 | B |
| 23 | A |
| 24 | GF |
| 25 | E |
| 26 | D |
| 27 | CB |
| 28 | A |
| 29 | G |
| 30 | FE |
| 31 | D |
| 32 | C |
| 33 | BA |
| 34 | G |
| 35 | F |
| 36 | ED |
| 37 | C |
| 38 | B |
| 39 | A |
| 40 | G |
| 41 | F |
| 42 | E |
| 43 | D |
| 44 | C |
| 45 | B |
| 46 | A |
| 47 | G |
| 48 | F |
| 49 | E |
| 50 | D |
| 51 | C |
| 52 | BA |

Ex hac tabella evidenter apparet, quomodo per annos 36. Julianos priores duodecies fit intercalatum, siquidem anni 3. 6. 9. 12. 15. 18. 21. 24. 27. 30. 33. 36. vitio sacerdotalis festinationis intercalares fuerunt, cum juxta Cæsaris ordinationem, anni 4. 8. 12. 16. 20. 24. 28. 32. 36. bisextiles esse debuissent. Quare Octavius Augustus animum adjecit ad bisexti emendationem anno Juliano trigesimo septimo, quo mensem Sextilem, teste Suetonio, Augustum appellavit, & hos annos 12. Julianos, videlicet 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. voluit esse simplices, ut sine ulla intercalatione transigerentur, quo triduum illud, quod plus justo excreverat, eximeretur: deinde sancivit, ut ab anno quadragesimo nono Juliano fieret initium, & quarto quovis anno bisextum intercalaretur. Itaque anni continui quindecim sine intercalatione fluxerunt, unamque duntaxat habuerunt literam dominicalem: & annus 52. Julianus accepit primum bisextum correctum, annus vero 56. Julianus accepit secundum bisextum, &c. Atque hæc ratio intercalandi continuo ordine observata fuit usque ad annum Julianum 508. quando cyclus bisextorum Augustalium ex contentione Paschali fuit solutus: ut suo loco ostendemus.

A Ostensum est in superioribus, quæ sit connexio annorum Olympiadicorum, Urbis conditæ, & Nabonasari, cum annis Julianis: restat jam, ut videamus, quomodo anni Christi connectendi sint cum annis Julianis, siquidem hoc fundamentum est totius Chronologiæ nostræ. Hac in parte diligentiam & fidem historicorum maxime desidero. Quid enim ad certitudinem & defensionem Christianæ religionis magis pertinere potest, quam ut æram sive tempus conceptionis, nativitatis & circumcisionis Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi exacte intelligamus, cum hinc annos Christi usitatos numeremus? Videmus, quam curiosi B sint alii populi in principio annorum suorum consignando: diligentissime spectant Arabes Hegiram, Syri & Hebræi æram Alexandri Dhilkarnain, Ægyptii initium annorum Nabonasari & Diocletiani: veteres Romani respiciunt attente ad fundationem Urbis: Græci ad primam Olympiadem: nos vero Christiani, proh dolor! solliciti non sumus, ut certam annorum Christi connexionem percipiamus, satis esse putantes, si numerum annorum a majoribus acceptum in futura secula continuemus. Ut autem annorum Christi cum Julianis certam connexionem intelligamus, C solus Eusebius & Censorinus nos erudire possunt. Nativitatem enim Salvatoris nostri incurrisse in annum quadragesimum quintum Julianum, probari potest ex historia ecclesiastica Eusebii Cæsariensis Episcopi, qui lib. 1. scribit Dominum & Salvatorem nostrum Jesum Christum natum esse anno secundo & quadragesimo imperii Cæsaris Augusti, qui fuerit annus vigesimus octavus ab Antonii & Cleopatræ interitu, Ægyptoque subjugata. Ejus verba hæc sunt: *Φέρε δὴ μετὰ τὴν δέουσαν ἤδη προκατασκευὴν τῆς προτεθείσης ἡμῖν ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας, ἤδη λοιπὸν ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἐπιφανείας, οἷά τινος ὁδοιπορίας ἀ- D ψώμεθα, τὸν τοῦ λόγου πατέρα θεὸν, καὶ τὸν δηλούμενον αὐτὸν Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν σωτῆρα καὶ κύριον ἡμῶν τὸν οὐράνιον τοῦ θεοῦ λόγον, βοηθὸν ἡμῖν καὶ συνεργὸν τῆς κατὰ τὴν διήγησιν ἀληθείας ἐπικαλεσάμενοι. ἤδη οὖν τοῦτο δεύτερον καὶ τεσσαρακοστὸν ἔτος Αὐγούστου βασιλείας, Αἰγύπτου δ' ὑποταγῆς καὶ τελευτῆς Ἀντωνίου καὶ Κλεοπάτρας, εἰς τὴν ὑστάτην ἡ κατὰ Αἴγυπτον τῶν Πτολεμαίων κατέληξε δυναστεία, ὄγδοον ἔτος καὶ εἰκοστὸν. ὁπηνίκα ὁ σωτὴρ καὶ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐπὶ τῆς τότε πρώτης ἀπογραφῆς, ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου τῆς Συρίας, ἀκολούθως ταῖς περὶ αὐτοῦ προφητείαις, ἐν Βηθλεὲμ γεννᾶται τῆς Ἰουδαίας.* hoc est, *Age post factam convenientem præparationem propositæ nobis Ecclesiasticæ historiæ, jam restat, ut a Salvatoris nostri in carne manifestatione, quasi viam aliquam* E *sternamus, invocaturi Deum patrem Verbi, & exhibitum ipsum Jesum Christum Salvatorem & Dominum nostrum cœleste Dei Verbum, ut nobis auxiliator & cooperarius sit in explicatione veritatis. Erat tunc secundus & quadragesimus annus imperii Augusti: ab Ægypto vero subjugata, & morte Antonii ac Cleopatræ, in quam postremo desit Ptolemæorum in Ægypto potentia, erat annus octavus & vigesimus, quando Salvator & Dominus noster Jesus Christus, facta tunc prima descriptione, Syriæ imperante Cyrenio, juxta editas de ipso prophetias, in Bethlehem Judææ nascebatur.*

F Hic vero diligenter considerandum est, unde petendum sit initium imperii Augusti Octaviani, secundi Romanorum Imperatoris: hoc enim ignorato, nunquam pervenire possumus ad veram annorum collationem. Itaque ante omnia in memoriam nobis revocandum est, Julium Cæsarem interfectum esse sub finem anni Urbis conditæ 709. vel quod idem est, in principio anni ab Urbe condita septingentesimi decimi, cum Cæsar quintum

gereret conſulatum, M. Antonio collega. Atque hic annus, teſte Cenſorino, fuit ſecundus Julianus. In eo poſt cædem Cæſaris ſuffectus eſt in conſulatu P. Cornelius Dolabella, quem Cæſar ante deſignaverat in hunc annum, & ſi vixiſſet diutius, ſibi fuiſſet ſubſtituturus. Eodem anno C. Octavius ſororis Cæſaris nepos, teſtamento Cæſaris hæres ex parte dimidia eſt inſtitutus, & in nomen adoptatus. Anno tertio Juliano, in quem incidit annus ab Urbe condita ſeptingenteſimus undecimus, conſulatum geſſerunt Panſa & Hirtius, qui etiam ante a Cæſare deſignati fuerant, quam interficeretur. Ex his Hirtium in prælio civili Mutinenſi contra Antonium: Panſam vero aliquot diebus poſt, ex vulnere in eodem bello accepto Bononiæ mortuos, Dio, Appianus, & alii referunt. In locum Panſæ XIII. kal. Septembris hujus anni, C. Octavius, qui Romam ex Epiro venerat, quo eum Cæſar præmiſerat bellum in Parthos illaturus, ſuffectus eſt ante decimum nonum ætatis annum expletum: qui in Hirtii locum collegam ſibi Q. Pedium cooptavit. C. Octavius conſulatum adeptus, ut patris interfectores ulciſceretur, Q. Pedium collegam legem ferre juſſit de quæſtione habenda in eos, quorum opera ille occiſus eſſet, poſtulatique ea lege M. Brutus, C. Caſſius, & D. Brutus, qui conſules deſignati erant in ſequentem annum, abſentes damnati ſunt. Quos cum ſolus armis ulciſci non poſſet, cum M. Antonio & M. Æmylio Lepido pace facta, utrumque ex Gallia in Italiam cum exercitibus accerſivit. Qui in agro Bononienſi congreſſi, conſultationes ſummas de ordinanda corrigendaque Republica habuerunt. Itaque ſe III. viros Reipublicæ cum ſummo imperio V. kal. Decembris in quinquennium renunciarunt. Ab hoc ergo tempore, quo triumviratum iniit Octavianus, numerandi ſunt anni imperii Auguſti: ſed ut æqualis fiat comparatio, proximis kalendis Januarii anno quarto Juliano labente, inchoandus eſt triumviratus, ut Romani ſoliti ſunt computare, & Euſebium id imitatum eſſe apparet. Itaque annus quartus Julianus habendus eſt pro primo anno imperii Auguſti, cum fuerit annus primus triumviratus: ſic annus quadrageſimus quintus Julianus eſt annus quadrageſimus ſecundus imperii Auguſti, quo Chriſtum natum eſſe aſſerit Euſebius. Hoc ipſum confirmat diſpoſitio anni 45. Juliani, & traditio Græcorum Patrum, qui ſenſerunt Chriſtum conceptum eſſe 25. Martii, die Veneris, natum 25. Decembris, die Solis, & circumciſum ſubſequentibus kalendis Januariis, die Solis. Nam annus 45. Julianus, quo Chriſtus conceptus & natus perhibetur, literam dominicalem habuit B. cum fuerit annus nonus illorum duodecim, quos Auguſtus ſine intercalatione tranſigi voluit: ideo 25. Martii incidit in diem Veneris, & 25. Decembris incurrit in diem Dominicam. Subſequens autem 46. annus Julianus literam dominicalem habuit A, quæ ponitur in kalendis Januariis ejuſdem anni, idcirco Chriſtum octavo poſt nativitatem die feria prima, kalendis Januariis circumciſum eſſe credimus, & in memoriam circumciſionis Dominicæ quibuſque kalendis Januariis feſtum circumciſionis & auſpicium novi anni celebramus. Hinc ſequitur annum 46. Julianum, principium eſſe annorum Chriſti uſitatorum, quatenus illi a circumciſione Domini ſupputantur: ſi vero ab incarnatione, h. e. a die conceptionis, qui incidit in 25. Martii anno Juliano 45. numerentur, more Dionyſii, ut olim factum eſt, & nunc in quibuſdam locis id conſuetudo obtinuit, teſte Joanne Lucido & Petro Cameracenſi: tunc primus annus Chriſti maxima ex parte reſpondet anno 45.

[A] Juliano. Si vero anni Chriſti numerentur a die nativitatis, qui incidit in 25. Decembris anno 45. Juliano, ut ſuperioribus ſeculis factum eſt, tunc per ſeptem dies antevertit principium annorum Chriſti circumciſionem, ex qua nos numeramus. Quamobrem diligenter notanda eſt ἀκυρολογία: quando enim nos a circumciſione, h. e. a kalendis Januariis annos Domini ſupputamus, eos improprie annos nativitatis vel incarnationis vocamus; ſicut contra anni Domini, qui a die conceptionis numerantur, improprie dicuntur anni a nativitate.

Jam videndum eſt, qua ratione annus Julianus 45. idemque 42. ab imperio Auguſti, fit annus 28. [B] ab Antonii & Cleopatræ interitu, & Ægypto in poteſtatem populi Romani redacta, ut vult Euſebius. Anno decimo ſexto Juliano Octavius Cæſar ad Actium Epiri promontorium Antonium & Cleopatram navali prælio ſuperavit. Factum id eſt die ſecunda Septembris, ut Dio & Joannes Xiphilinus referunt: ſed Ægyptii victoriam Actiacam aſſignarunt IIII. kalend. Septembris, hoc eſt, 29. Sextilis, in quem diem Thoth Nabonaſari 719. currebat, ut ex Ptolemæo colligere licet. hinc Thoth Nabonaſari 719. dictus eſt Thoth Auguſtalis, vel Thoth Actiacus, ſeu æra Auguſti. Anno 17. Juliano Auguſtus Alexandriam recepit: [C] deinde anno decimo Octavo Juliano, cum maximo triumpho Urbem ingreſſus, ſalutatus eſt victor Auguſtus & totius orbis monarcha. accidit hoc, ut Cenſorinus vult, XVI. kalend. Februarii. Hunc annum decimum octavum Julianum Cenſorinus dicit eſſe primum annorum Auguſtorum apud Romanos, & tertium annorum Actiacorum ſecundum Ægyptios. Quamobrem intelligitur duplex uſurpari principium Actiacæ Auguſti victoriæ: unum quod ſumitur a Thoth Nabonaſari 719. ut Ptolemæus cum Ægyptiis numerat: alterum quod capitur a triumpho Actiacæ victoriæ, ſeu appellatione Auguſtorum, & hoc juxta [D] Romanos incurrit in principium anni 18. Juliani. Hujuſmodi intelligit Cenſorinus, quando ſcribit anno vigeſimo Auguſtali, h. e. trigeſimo ſeptimo Juliano, menſem Sextilem appellatum fuiſſe Auguſti: & Suetonius hujuſmodi intelligit, cum indicat Auguſtum Octavianum eo anno Juliano animum ad correctionem kalendarii adjeciſſe, quo menſem Sextilem ſibi cognominem appellarit: hujuſmodi etiam intelligit loco citato Euſebius Cæſarienſis, quando ab Antonii & Cleopatræ interitu, & ab Ægypto per deditionem Alexandriæ ſubjugata, anno 28. Chriſtum natum eſſe ſcribit. [E] Si enim ab anno Juliano 18. deſcendamus ad annum 45. Julianum, manifeſte cernimus annum vigeſimum octavum Auguſtorum, juxta Romanam conſuetudinem incidere in 45. Julianum: qui ab imperio Auguſti & a triumviratu initio eſt quadrageſimus ſecundus.

Quamobrem diligenter ex Cenſorino animadvertendum eſt, Actiacam Auguſti victoriam Ægyptiis biennio antiquiorem eſſe, quam ſit triumphus Auguſtalis Romanorum. Scribit enim Cenſorinus, *annum ducenteſimum octogeſimum Julianum, Romanis eſſe annum Auguſtalem ducenteſimum ſexageſimum quintum: ſed Ægyptiis, qui bien-* [F] *nio ante in poteſtatem ditionemque populi Romani venerunt, eſſe ducenteſimum ſexageſimum ſeptimum.*

Neque audiendus eſt Joannes Lucidus, qui textum Cenſorini mendoſum eſſe contendit: quem tamen ipſe non intelligit, & in manuſcripto neſcio quo exemplari, fingit extare *annum ducenteſimum ſexageſimum ſeptimum*, ubi textus impreſſus habet *annum Auguſtanum ducenteſimum ſexageſimum quintum*: & ſcribi *annum ducenteſimum ſexageſimum*

*nonum*, ubi in textu impresso habetur *annus ducentesimus sexagesimus septimus* Augustorum. Si enim lucidius attendisset ad distinctionem annorum Actiacorum, quam hoc loco affert Censorinus, non opus fuisset eum biennium anticipare.

Neque hoc prætereundum est, in annum Julianum 45. incurrisse annum ab Urbe condita septingentesimum quinquagesimum tertium circa æquinoctium vernum, & annum Olympiadicum septingentesimum septuagesimum sextum circa solstitium æstivum: ut ex regula supra tradita intelligi potest. Quare si ex Patrum sententia statuamus, Christum natum esse 25. Decembris anno 45. Juliano: atque ex Varronis & L. Taruntii & Censorini hypothesibus existimemus Urbem conditam esse ipsis Parilibus, hoc est, XI. kal. Maii, circa finem tertii anni sextæ Olympiadis, utique dicemus Christum natum esse, cum transiissent anni ab Urbe condita septingenti quinquaginta duo cum octo fere mensibus: item Christum anno ultimo Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ, cum ex illo anno menses fere sex elapsi essent, natum. Proinde Onufrius Panvinius in Fastis suis non recte ait, Christum natum esse anno Urbis conditæ septingentesimo quinquagesimo secundo, siquidem ex superioribus constat, eum natum esse labente anno U. C. septingentesimo quinquagesimo tertio.

Porro annus Julianus quadragesimus sextus initium est annorum Christi hodie usitatorum. quare si ad annos Domini labentes, adjiciamus annos 45. præteritos, proveniunt anni Juliani: ut si ad annum fundationis Casimiriani, qui est annus Christi 1588. addantur anni 45. producitur annus Julianus 1633. qui respondet anno Christi 1588. Vel si ab annis datis Julianis auferamus 45. annos, qui ab emendatione Juliana usque ad epocham annorum Christi sunt elapsi, vicissim prodeunt anni Christi usitati: ut si ab anno Juliano 283. quo Censorinus aureum suum conscripsit libellum de die natali, auferamus annos 45. remanet annus Christi 238. qui respondet anno Juliano 283.

Quod autem annus quadragesimus sextus Julianus principium sit annorum Christi usitatorum, qui a circumcisione Domini nostri numerantur, non tantum ex commemoratis historiis apparet, verum etiam ex annis Nabonasari perspicue demonstrari, multisque clarissimorum virorum testimoniis comprobari potest. Ptolemæus enim asserit a Nabonasaro usque ad mortem Alexandri fluxisse annos Ægyptios quadringentos viginti quatuor: & Græcorum Fasti ostendunt, a morte Alexandri usque ad Christum natum elapsos esse annos Ægyptios trecentos viginti tres. Ergo a Nabonasaro usque ad Christum elapsi sunt anni Ægyptii 737. Sed Arabes exactius commemorant intervallum inter Nabonasarum & Christum, dum in fine lib. 3. Almagesti scribunt, a Nabonasaro usque ad Christum transiisse annos Ægyptios 747. & 131. dies. hoc est, in universum 272786. dies: ponunt enim intervallum inter Nabonasarum & æram Persarum annos Ægyptios 1379. & tres menses Ægyptios, hoc est, in universum 503425. dies: a quibus si auferatur intervallum, inter Christum & æram Persarum, quod est 230639. dierum, ut Alfonsini docent, emergit intervallum inter Nabonasarum & Christum 272786. dierum. Hic autem observandum est, Arabes æram Christi non sumere a die conceptionis, nativitatis, aut circumcisionis, sed a meridie ultimi diei Decembris, qui præcessit circumcisionem, seu kalendas Januarias anni 46. Juliani, unde politice deducitur principium annorum Christi usitatorum. Cum ergo Arabes affirmant in appendice libri 3. Almagesti, quod ex Græco in sermonem Arabicum converterunt circa annum Christi 827. inter Nabuchodonosarem sive Nabonasarum & Christum elapsos esse annos Ægyptios 747. & 131. dies, indicant Thoth Nabonasari 748. incidisse in annum 45. Julianum, qui fuit annus conceptionis & nativitatis Christi, literam dominicalem habens B. Quin immo satis ostendunt idem principium anni Nabonasari 748. incidisse in 22. diem mensis Sextilis, feriam secundam. Si enim ab hac inclusive, usque ad Kalendas Januarias anni 46. Juliani exclusive dies numeremus, reperiemus interjectos 131. dies, quatenus a meridie ultimi Decembris more astronomorum æram Christi auspicamur. Incidisse autem Thoth Nabonasari 748. in 22. diem mensis Sextilis, probari quoque potest ex Censorino: cum ipsius seculo in annum 283. Julianum inciderit Thoth Nabonasari 986. in 25. diem Junii, ut suo loco plenius explicabitur. Quamobrem astronomi nostri in uno die sunt hallucinati: nam Joannes Regiomontanus lib. 3. propositione 21. epitomes in Almagestum Ptolemæi scribit ante epocham Christi elapsos esse annos a Nabonasaro Ægyptios septingentos quadraginta septem, & dies centum & triginta. Copernicus lib. 4. revolutionum cap. 7. a morte Alexandri usque ad initium annorum Christi (quod ipse more Romano sumit a media nocte, quæ præcessit kalendas Januarias anni 46. Juliani) asserit elapsos annos Ægyptios 323. & $130\frac{1}{2}$ dies: Ad quos si adjiciantur anni Ægyptii 424. qui a Nabonasaro usque ad mortem Alexandri fluxerunt, conflatur summa 747. annorum Ægyptiorum, & $130.\frac{1}{2}$ dierum, quos elapsos existimat a Nabonasaro usque ad æram Christi. Ut autem nullo modo dubitari posset, annum quadragesimum sextum Julianum initium esse annorum Christi usitatorum, subjunxit Copernicus a Cæsare ad Christum elapsos esse annos Ægyptios 45. & 12. fere dies, hoc est, annos Julianos quadraginta quinque.

Postquam declaravimus ordinationem kalendarii Juliani, simulque ostendimus in quem annum Olympiadicum, Urbis conditæ, Nabonasari, principium ejus inciderit: superest, ut aureum numerum Julii Cæsaris, quem kalendario a se promulgato inscripserat, consideremus: & quem is usum habeat etiam nostro seculo, diligenter expendamus. Aureus numerus dictus est, quod aureis literis notisve in ephemeridibus scribi sit solitus. Est autem nihil quam periodus lunæ, ad 19. annos solares juxta ordinarium cyclum bisextorum comparata, quibus exactis luna ad pristinas sedes redire creditur. Hujus periodicæ observationis auctorem Hipparchus facit Metonem Atheniensem & Calippum, ut videre licet apud Ptolemæum lib. 3. Almagesti, cap. 1. Censorinus vocat annum Metonicum, in quo asserit dies contineri 6940. hoc est, novendecim annos Julianos: unde etiam dicitur cyclus decennovennalis sive enneadecaetericus. Cum ergo Julius Cæsar opera summorum astronomorum cycli Metonici peritiam esset consecutus, summamque illius intellexisset utilitatem; in anno confusionis menses lunares politicos direxit ad menses cœlestes, & in hoc incubuit, ut ordinationem anni sui inchoaret a neomenia cœlesti. Quamobrem kalendis Januariis adscripsit unitatem, ut ostenderet hinc deinceps rationes lunares petendas esse.

Sciendum autem est, ad periodum enneadecaetericam non requiri integros 6940. dies, sed sufficere 6939. dies, cum 16. horis & 595. scrupulis horariis, ut in Kalendario Hebræo ostendemus. Ex quo sequitur, annis exactis 19. solaribus lunam antevertere priorem epocham, per horam

unam & 495. scrupula. Si ergo more Hebræorum A placeat annos solares 247. æquare 13. cyclis lunaribus: continget per id tempus lunam anticipare 18. horas & 905. scrupula, hoc est, integrum diem: cum, juxta Hebræorum astronomorum consuetudinem, tempus 18. horas excedens pro integro die numeretur. Quamobrem si in annis datis Julianis anticipationem lunarem cognoscere velimus, dividantur illi, si fieri potest, in 247. numerus in quotiente proveniens dies anticipatos indicabit. Exempli gratia, annus fundationis Casimiriani, est annus 1633. Julianus: qui per 257. divisus, sex dies ostendit, quos luna suo motu a principio editi kalendarii Juliani, usque ad B annum propositum anticipavit.

Cognita anticipatione lunari, & adhibito kalendario Juliano, cui inscripta sit enneadecaeteris: non difficile est cognoscere, ubi nostro seculo neomeniæ cœlestes hæreant. Exempli gratia: si annus Julianus 1633. dividatur per 19. residuum exhibet 18. qui est anni propositi aureus numerus Atqui 18. cernuntur in kalendario Juliano adscripta 24. diei Januarii: hinc si exclusive in antecedentia numeremus sex dies pro anticipatione lunari, ascendimus in decimum octavum Januarii diem, anno labente Christi 1588. ubi neomeniam in ephemeridibus astronomorum assignatam esse vi- C demus. Quare & hoc certissimum est indicium, nos annos Christi legitime cum annis Julianis conjunxisse. Proinde Petrus de Aliaco Cardinalis & Episcopus Cameracensis in tractatu super Kalendarii correctione per integrum biennium aberrat in applicatione annorum Julianorum ad annos Christi: quia putavit ab ordinatione Julii Cæsaris usque ad imperium Augusti Octaviani elapsos esse annos quinque, cum tantum elapsi fuerint anni tres: siquidem ab anno quarto Juliano putandum est principium imperii Augusti, ut nos ante probavimus. Quod autem integro biennio aberret, D inde apparet, dum anno Christi 1411. comparat annum Julianum 1458. cum tamen illi anno Christi respondeat annus Julianus 1456. ut ex tabulis nostris chronologicis patebit.

Exemplum numeri aurei Juliani, ut inventum est Romæ in vetustissimo marmore incisum, teste Luca Gaurico, habes in quatuor prioribus mensibus: octo tamen reliquis mensibus etiam numerum aureum adscribere potes, si lunationi uni, ut fieri solet, alternatim tribuas 30. & 29. dies.

## JANUARIUS.

E

| | *Aureus num.* |
|---|---|
| Kal. | I. |
| 4 Non. | |
| 3 Non. | IX. |
| Pridie Non. | |
| Nonis. | XVII. |
| 8 Idus | VI. |
| 7 Idus | |
| 6 Idus | XIV. |
| 5 Idus | III. |
| 4 Idus | |
| 3 Idus | XI. |
| Pridie Iduum. | |
| Idibus | XIX. |
| 19. Kal. Feb. | VIII. |
| 18 Kal. Feb. | |
| 17 Kal. Feb. | XVI. |
| 16 Kal. Feb. | V. |
| 15 Kal. Feb. | |
| 14 Kal. Feb. | XIII. |
| 13 Kal. Feb. | II. |
| 12 Kal. Feb. | |
| 11 Kal. Feb. | X. |
| 10 Kal. Feb. | |
| 9 Kal. Feb. | XVIII. |
| 8 Kal. Feb. | VII. |
| 7 Kal. Feb. | |
| 6 Kal. Feb. | XV. |
| 5 Kal. Feb. | IV. |
| 4 Kal. Feb. | |
| 3 Kal. Feb. | XII. |
| Pridie Kal. Feb. | I. |

F

## FEBRUARIUS.

| | |
|---|---|
| Kal. | IX. |
| 4 Non. | |
| 3 Non. | XVII. |
| Pridie Non. | VI. |
| Nonis. | |
| 8 Idus | XIV. |
| 7 Idus | III. |
| 6 Idus | |
| 5 Idus | XI. |
| 4 Idus | |
| 3 Idus | XIX. |
| Pridie Iduum | VIII. |
| Idibus | |
| 16 Kal. Mart. | XVI. |
| 15 Kal. Mart. | V. |
| 14 Kal. Mart. | |
| 13 Kal. Mart. | XIII. |
| 12 Kal. Mart. | II. |
| 11 Kal. Mart. | |
| 10 Kal. Mart. | X. |
| 9 Kal. Mart. | |
| 8 Kal. Mart. | XVIII. |
| 7 Kal. Mart. | VII. |
| 6 Kal. Mart. | |
| 5 Kal. Mart. | XV. |
| 4 Kal. Mart. | IV. |
| 3 Kal. Mart. | |
| Pridie Kal. Martii | XII. |

## MARTIUS.

| | |
|---|---|
| Kal. | I. |
| 6 Non. | |
| 5 Non. | IX. |
| 4 Non. | |
| 3 Non. | XVII. |
| Pridie Nonarum | VI. |
| Nonis. | |
| 8 Idus | XIV. |
| 7 Idus | III. |
| 6 Idus | |
| 5 Idus | XI. |
| 4 Idus | |
| 3 Idus | XIX. |
| Pridie Iduum | VIII. |
| Idibus. | |
| 17 Kal. Apr. | XVI. |
| 16 Kal. Apr. | V. |
| 15 Kal. Apr. | |
| 14 Kal. Apr. | XIII. |
| 13 Kal. Apr. | II. |
| 12 Kal. Apr. | |
| 11 Kal. Apr. | X. |
| 10 Kal. Apr. | |
| 9 Kal. Apr. | XVIII. |
| 8 Kal. Apr. | VII. |
| 7 Kal. Apr. | |
| 6 Kal. Apr. | XV. |
| 5 Kal. Apr. | IV. |
| 4 Kal. Apr. | |

| | |
|---|---|
| 3 Kal. Apr. | XII. |
| Pridie Kal. Apr. | I. |

APRILIS.

| | |
|---|---|
| Kal. | IX. |
| 4 Non. | |
| 3 Non. | XVII. |
| Pridie Non. | VI. |
| Nonis | |
| 8 Idus | XIV. |
| 7 Idus | III. |
| 6 Idus | |
| 5 Idus | XI. |
| 4 | |
| 3 Idus | XIX. |
| Pridie Iduum | VIII. |
| Idibus. | |
| 18 Kal. Maii | XVI. |
| 17 Kal. Maii | V. |
| 16 Kal. Maii | |
| 15 Kal. Maii | XIII. |
| 14 Kal. Maii | II. |
| 13 Kal. Maii | |
| 12 Kal. Maii | X. |
| 11 Kal. Maii | |
| 10 Kal. Maii | XVIII. |
| 9 Kal. Maii | VII. |
| 8 Kal. Maii | |
| 7 Kal. Maii | XV. |
| 6 Kal. Maii | IV. |
| 5 Kal. Maii | |
| 4 Kal. Maii | XII. |
| 3 Kal. Maii | I. |
| Pridie Kal. Maii | |

Ut autem perfecte intelligamus ordinationem Julianam, sciendum est, Cæsarem in quatuor mensibus, scilicet Martio, Majo, Quintili & Octobri, usurpasse sex nonas, in reliquis quatuor. Præterea Cæsar in singulos menses distribuit octo idus; reliquos dies numero kalendarum designavit.

*Ex duodecim mensibus Julianis*, teste Censorino, *duorum tantum nomina sunt immutata. nam qui Quintilis fuit, Julius cognominatus est, C. Cæsare* v. *& M. Antonio* Coss. *anno Juliano secundo.* (post mortem scilicet Cæsaris.) *Qui autem Sextilis fuerat, ex S. C. M. Censorino & C. Asinio Gallo* Coss. *in Augusti honorem dictus est Augustus anno Augustano* XX. *quæ nomina etiam nunc ad hanc permanent memoriam.* Idem testatur Macrobius de Julio, ut supra retulimus: quin imo lib. I. Saturnalium cap. 11. de Augusto hæc scribit: *Augustus deinde est, qui Sextilis antea vocabatur, donec honori Augusti daretur ex Senatus consulto, cujus verba subjeci: Cum imperator Cæsar Augustus mense Sextili, & primum consulatum inierit, & triumphos tres in Urbem intulerit, & ex Janiculo legiones deductæ secutæque sint ejus auspicia ac fidem, & Ægyptus hoc mense in potestatem populi Romani redacta sit, finisque hoc mense bellis civilibus impositus sit, atque ob has causas hic mensis huic imperio felicissimus sit ac fuerit, placere senatui, ut mensis Augustus appelletur.* In quibus verbis tria scitu dignissima notantur: I. Octavianum Cæsarem primum consulatum iniisse mense Sextili, anno scilicet tertio Juliano: quamvis alii scribant id factum fuisse XIIII. kal. Septembris. II. Ægyptum redactam esse in potestatem populi Romani mense Sextili, anno scilicet Juliano decimo sexto, die 29. mensis Sextilis, in quam inciderat Thoth Nabonasari 719. qui dicitur *Thoth Actiacus*, seu *Thoth monarchiæ Augusti*: a quo deinceps annos Augustales Ægyptii cœperunt numerare. III. Octavianum Cæsarem fuisse appellatum *Augustum*, postquam de Epiro, Alexandria, & Hispania victa triumphos tres in Urbem intulisset, finemque bellis civilibus imposuisset: hoc autem biennio accidit, post Actiacam Augusti victoriam, ut Censorinus scribit. Quamobrem triumphus Augustalis, in quo Cæsar Octavianus est appellatus *Augustus*, apud Romanos celebratus est sub initium anni decimi octavi Juliani, ut etiam prius ostendimus.

# F I N I S.

# FRANCISCUS ROBORTELLUS

## UTINENSIS

## *DE*

# MENSIUM APPELLATIONE

## *EX*

## NOMINIBUS IMPP.



Ausas quatuor reperio fuisse propter quas olim Impp. Rom. menses de suo nomine appellari voluerunt; vel propter insignem aliquam victoriam; vel in memoriam mortui alicujus, quem ipsi diligerent; vel quod eo mense essent ipsi nati; vel quod eo tempore imperium suscepissent. Sextilem Imp. Augustus appellavit Augustum, quia eo mense insignes victoriæ ipsi obtigerant, ut Suetonius testatur, potius quam Septembrem quo fuerat natus. ex quo patet altera causa, sicuti superius exposui. Nonnulli tamen Impp. tales rejiciebant appellationes, etiamsi S. C. fierent. Id factum a Tiberio scribit idem Suet. num. 26. his verbis: *Et ne mensis September Tiberius, October Livius vocarentur, intercessit*. Livium enim a matris ipsius nomine dici volebant. Altera causa explicatur ab eodem num. 15. in Cajo, ubi ait: *In memoriam patris Septembrem mensem Germanicum vocavit*. Tertiam vero, & quartam cognosce eodem num. 13. in Domitiano, ubi ait: *Septembrem mensem & Octobrem ex appellationibus suis Germanicum, Domitianumque nominavit, quod altero suscepisset imperium, altero esset natus*. Etiam Antoninus Pius S. C. tale de se fieri vetuit. Vide Julium Capitolinum: *Menses Septembrem, atque Octobrem Antoninum, & Faustinum, appellandos decrevit Senatus; sed id respuit Antoninus*. D De tertia & quarta causa itidem lege Vopiscum in Tacito: *Hic idem mensem Septembrem Tacitum appellari jussit, quod eo mense & natus & Imperator factus esset*. Nullus vero plures appellationes mensibus indidit, quam Commodus Imp. Nam pro Augusto mense Commodum, pro Septembri Herculem, pro Octobri Invictum, pro Novembri Exuperatorium, pro Decembri Amazonium appellavit. Vide Ælium Lampridium, qui ita scribere etiam solitos tunc omnes testatur: *Idibus Herculeis, Kalendis Exuperatoriis, Kalendis Amazoniis*. Neque vero hæc nomina S. C. indita, sed potius ex adulatione nefariorum hominum.

## F I N I S.

# JOSEPHUS SCALIGER
## JULII CÆSARIS F.
## DE
# VETERI ANNO
# ROMANORUM.

# JOSEPHUS SCALIGER
## JULII CÆSARIS F.
## DE
# VETERI ANNO
# ROMANORUM.



Annum veterum Romanorum ante ordinationem Julianam a Numa institutum fuisse, omnes fere prisci Romani persuasum habebant, qui omnes ritus & alia ejusmodi ad Numam referre solent. M. quoque Varro, & alii annum ante ordinationem Pompilianam non solum decimestrem fuisse, sed a Romulo cum ipsa Roma conditum prodiderunt. Caussam afferebant suspicionis suæ, cur decimestrem fuisse crederent: quod nimirum Martius antiquitus fuerit primus, de quo nemo unquam dubitaverit, decimus autem ab illo est December. qui cum a numero & ordine ita appellatus sit, nullus autem post eum a numero cognominetur, ex eo sequi, nullum mensem post Decembrem fuisse. Plutarchus etiam hanc suspicionis illius caussam fuisse scribit, his verbis: ἐξ ὧ δὴ καὶ παρέστη τισὶν οἴεσθαι καὶ λέγειν, ὡς ὐ δώδεκα μησὶν, ἀλλὰ δέκα συνεπλήρων οἱ τότε Ρωμαῖοι τ̀ ἐνιαυτόν. Sed hanc futilem & puerilem conjecturam refellit primum ratio. quia si inde sequitur, nullum mensem post Decembrem fuisse, quia nullus post Decembrem notatus sit a numero: sequitur Martium, Aprilem, Majum, & Junium antea non fuisse, quia Martius non dicitur primus, Aprilis secundus, Majus tertius, Junius quartilis. Deinde optimi & vetustissimi scriptores, Fenestella, & Licinius Macer hanc opinionem ut antiquitati adversantem confutarunt. Contendunt enim annum Romanorum veterem statim ab initio XII. mensium fuisse, & a Latinis petitum, apud quos totidem mensibus, iisdem appellationibus, eodemque situ annus ante Urbem conditam in usu fuerit, & ad ultima usque tempora Reip. Rom. duraverit. Si quid ex veteri consuetudine petitum huic opinioni favere potest, ego nihil aliud video, quam quod Saturnalia virorum mense Decembri erant: matronalia vero Saturnalia Kal. Martiis. ut propterea in illos duos menses utraque Saturnalia conjecta esse viderentur, quod continui essent. Deinde quod Laurentes omnibus Kalendis a Martio ad Decembrem Junoni sacrificabant, quia omnes Kalendæ dicatæ essent Junoni, ut nemo nescit. Quod si duodecim menses fuissent, duodenis Kalendis, non denis antiquitus sacrificassent. Favere etiam huic sententiæ videntur veteres Critici Græci, qui divinant annum veteribus Æolibus decimestrem fuisse, freti testimonio Homeri, quem Æolem fuisse volunt. Apud eum enim Neptunus Nympham a se compressam ita adfatur:

*Χαῖρε γυνὴ φιλότητι, περιπλομένȣ δ' ἐνιαυτȣ̃*
*Τέξεις ἀγλαὰ τέκνα.*

Nam si, inquiunt, a compressu ad partum est περιπλόμενος ἐνιαυτὸς, ergo annus tot mensium est, quot menses uterum gestat mulier: & propterea Romulus, ut scribit Ovidius,

*Quod satis est, utero matris dum prodeat infans,*
*Hoc anno statuit temporis esse satis.*

Ausonius quoque mensium decem annum veteri Æolidi fuisse testatur:

*Aut ter ut Æolidi menses tenet ignicomus Sol.*

Sed hæc frivola sunt. Quia igitur exploso illo decimestri anno ad omnia & per omnia inutilissimo, præterea exsibilata sententia, quæ Romulum ex pastore & rustico Metonem & Calippum constituebat, ad veras rationes confugiendum est, nos veram & antiquitati consentaneam viam insistemus, quæ convincit, annum ab initio non solum duodecim mensibus, sed & iis ad Lunæ cursum descriptis constitutum fuisse. Testis appellatio Nonarum, Eiduum & Kalendarum. Nam Nonæ dies dictæ, quæ antecedebant Eidus, sive plenilunium. Quippe ἀπὸ τȣ̃ διχομηνίȣ σχήματος εἰς τὴν πανσέληνον, octo dies interjecti sunt solidi, ita ut dies primus τ̀ διχομηνίȣ sit nonus retro ab Eidibus. ἀπὸ τ̀ πανσελήνȣ, hoc est, ab Eidibus, ad intermenstruum tempus, sunt nunc XVI. nunc XV. dies. Ab intermenstruo ad Nonas, sive τὴν διχόμηνον, nunc septem, nunc sex. Hæc satis aperiunt veterem anni descriptionem Lunarem. Præterea cur Romani a media nocte diem ordirentur, nisi Lunam nocturni temporis ducem in dierum civilium divisione sequerentur? Hinc natæ illæ locutiones: A.D. IIII. EID. hoc est, *ante diem quartum Eidus*. item: EX A.D. IIII. *ex ante diem quartum Eidus*. Nam dies vulgariter est tempus inter ortum & occasum Solis interjectum. Locutio autem illa, ANTE DIEM, comprehendit etiam tempus proximum ante ortum, imo a media nocte ad ortum. Ergo ANTE DIEM KALENDAS, quia nimirum a media nocte principium diei. Cujus moris eruditissimum interpretem dabimus Ausonium nostratem. Is igitur ad Paulinum scribens primum hos versus apponit:

*Transierant Idus. medius suprema December*
*Tempora venturo properabat jungere Jano.*
*Et nonas decimas ab se nox longa Kalendas*
*Jupiter acciri celebranda ad festa jubebat.*

Deinde illos verſus ita interpretatur: *Jam prima nox erat ante diem nonum decimum Kalendarum Januariarum, cum redditæ ſunt mihi literæ tuæ oppido quam literatæ*. Vides manifeſto, quid ſit ante diem Kalendarum, aut Kalendas: a nocte ſcilicet. Præterea anno Romano depravato, opus fuit Lunæ dies populo per Pontificem calari, quos ante depravationem ex ordine menſium etiam ruſtici ipſi tenebant. Nam anno in menſes imparis numeri dierum redacto, Pontifex in Curia Calabra, ſi Nonæ ſeptimanæ futuræ erant, hoc ſignificabat populo, ſepties dicto, KALO JANA NOVELLA. ſi autem quintanæ eſſent, quinquies dicto, KALO JANA NOVELLA. Apage apage JUNO COVELLA, quod in veteribus tam ſcriptis, quam excuſis Varronis libris legitur. Nam tametſi Kalendæ Junoni erant dicatæ, tamen Nonæ nulli Deo erant dicatæ, de quibus agitur. De Luna quippe, non de Kalendis hic ſermo. Præterea illud COVELLA, quod pro cæleſti accipiunt, qui hanc lectionem defendunt, quam ridicule faciunt? COVUM quidem veteribus erat cælum, non autem cæleſte. Nam ſi COVUS a veteribus uſurpatum eſſet pro cæleſti, tunc fortaſſe COVELLUS poſſet derivari. Sed, ut dixi, viri docti hic non ſunt audiendi. De Luna igitur eſt ſermo, non de Junone. JANAM enim Lunam vocabant. Varro in libris Rerum ruſticarum: *Nunquam rure audiſti*, OCTAVO JANAM CRESCENTEM, *& contra* SENESCENTEM? *& quæ creſcente, & quæ ſeneſcente fieri oporteret? & tamen quædam melius fieri* POST OCTAVO JANAM *quam ante*? Ubique ſemper in Varronianis editionibus appoſitum eſt gloſſema, LUNA, & in textum irrepſit. Nam JANA eſt Luna: & adjecto DEA, facta DEIANA: & cum DEIVA erat DEIVIANA. Unde Varro Divianam potius, quod divia Luna in latitudinem, quam quod Deiva Jana. Sed norunt ſtudioſi omnes, qui & quanti pretii ſit Varro in Etymologiis. Eodem modo JANUS erat Sol. qui, ut illa DEIVA JANA, ſic DEIVOS JANOS in carmine Saliari vocabatur: DUONOS MANOS CERUSES DEIVOS JANOS VENET. Non dubium igitur, veterem annum Romanum Lunarem fuiſſe, quatenus illorum temporum ingenia motum Lunæ medium deprehendere quiverunt. Quid? modus dierum illius anni Romani, cujus generis annum propius referre videtur, Lunarem, an Solarem? Lunarem profecto, ſi quid in his rebus videmus. Annus Lunaris verus eſt dierum 354. cum triente, & paulo plus quam duorum horæ trientium. Modus anni Romani eſt major vero anno Lunari horis 15. 16. non admodum magna differentia, ſaltem quæ poſſit diverſum genus conſtituere anni Romani & Lunaris, inter illos veteres rupices & Aſyli incolas. Quiſquis igitur annum Latinum, unde Romanus propagatus eſt, 355. dierum conſtituit, is eum Lunarem facere in animo habebat; quem utique putavit eſſe dierum 355 quemadmodum tribus ſeculis poſtea Democritus totidem dierum definivit, ut ſupra diſputatum eſt. Quare menſis Lunaris, ſecundum Democritum & conditorem anni veteris Romani, erit dierum 29. horarum 14. Ad eum modum menſes prius diſpoſiti erant. Primus, ſecundus, tertius, quartus, quintus, ſextus, alternis cavi & pleni: ſeptimus, octavus, nonus, decimus, undecimus, alternis pleni & cavi. Februarius ultimus plenus, ita poſtulante horarum ratione, ut vides in diagrammate, in cujus prima columna Martius eſt dierum 29. cum 14. horis. Hic numerus duplicatus conſtituit ſecundum menſem triginta dierum cum quatuor horis appendicibus. Atque hoc modo adhibita modica ἐξαιρέσει Lunarem curſum aſſequi poterant. Nam in triginta annis, 19. dies

| MENSES ROMANI | Dies collecti. | Horæ. | Dies menſium priſcorum. | Dies menſium Romanorum. |
|---|---|---|---|---|
| Martius. | 29 | 14 | 29 | 31 |
| Aprilis. | 59 | 4 | 30 | 29 |
| Majus. | 88 | 18 | 29 | 31 |
| Junius. | 118 | 8 | 30 | 29 |
| Quintilis. | 147 | 22 | 29 | 31 |
| Sextilis. | 177 | 12 | 30 | 29 |
| September. | 207 | 2 | 30 | 29 |
| October. | 236 | 16 | 29 | 31 |
| November. | 266 | 6 | 30 | 29 |
| December. | 295 | 20 | 29 | 29 |
| Januarius. | 325 | 10 | 30 | 29 |
| Februarius. | 355 | 0 | 30 | 28 |

eximendi erant, quemadmodum in totidem Arabicis undecim ſunt addendi. Poſtea ſive Pompilius Numa, ſive quis alius ſuperſtitione imparis numeri omnes pares numeros ex illis menſibus ſuſtulit, aliis in alios menſes invicem traductis. Nam ſemper pro 29. poſuit 31. & contra 29. pro 30. uſque ad Decembrem, qui cum eſſet 29. dierum, non potuit fieri 31. quia jam plures 31. dierum fieri non poterant. Itaque manſit 29. At 30 Januarii itidem, ut in aliis, facti ſunt 29. De Februario neceſſario eximendi fuerunt duo, quia alioquin annus fuiſſet 357. dierum. Hæc profecto eſt ratio, quam ſecutus eſt emendator ille anni Romani ſuperſtitioſus, quiſquis tandem is fuit. Nam ex hac poſitura menſium antiquorum videmus, cur Martius, Majus, Quintilis, interjectis ſingulis cavis, pleni manſerint: ſolus autem October, binis utrinque cavis lateronibus ſtipatus, plenus ipſe relictus ſit. Cujus rei rationem ſine diagrammate propoſito nemo reddere poſſit. Nam ad omnes impares menſes efficiendos, ex 29. facti ſunt 31. ex 30. autem 29. præterquam in Decembri. quia hactenus nullus menſis fieri potuit 31. dierum. Si hoc conſideraſſet Varro, ut debuit, & veriora de hoc anno protuliſſet, & fortaſſe quædam hodie nobis ignota ex antiquitate depromſiſſet. Hic ſitus & ſtatus fuit veterum menſium Romanorum. Nunc intercalationis modum conſideremus. Macrobius & alii ejus notæ ſcriptores, ajunt Romanos a Græcis didiciſſe modum alternis bienniis menſem intercalandi, nunc XXII. nunc XXIII. dierum, quia exceſſus Solis ſupra Lunam eſt dierum XI. cum quadrante. Undecim autem dies poſt biennium fiunt 22. cum ſemiſſe. Poſt quadriennium fiunt 23. dies ſolidi. Sed ſive Macrob. legit Græcos ejuſmodi intercalatione uſos, ſive hoc finxit ipſe, ut veterum ſcriptorum alter fucus Solinus, qui ambo hac in re multum mentiti ſunt, multum hallucinati, præſertim in iis, quæ de Græcorum intercalatione ſcribunt, ſi, ut ipſi ſcribunt, Græcorum annus merus Lunaris fuit, quid opus fuit 22. & 23. dies alternis bienniis intercalare, ut Lunæ rationes cum Solaribus componerentur? Nam ſi illa intercalatione Solis curſum aſſequebantur, ergo ille annus Lunaris non fuit. nunquam enim facies, ut intercalaris 22. aut 23. diebus poſt unum biennium Arabicum, annus Lunæ cum Solari in gratiam redeat, niſi anno 19. exacto. Ro-

mani igitur mensem alternis bienniis viginti duum & viginti trium dierum intercalabant : quem mensem Plutarchus a Numa institutum & ab eodem MERKEDONIUM vocatum scribit in Numa: Νυμᾶς δὲ τὸ παράλλαγμα τῆς ἀνωμαλίας ἡμερῶν ἕνδεκα λογιζόμενος, ὡς τοῦ μὲν σεληνιακοῦ τριακοσίας πεντήκοντα τέσσαρας ἡμέρας ἔχοντος, τοῦ δὲ ἡλιακοῦ τριακοσίας ἑξήκοντα πέντε, τὰς ἕνδεκα ταύτας ἡμέρας διπλασιάζων, ἐπήγαγε παρ' ἐνιαυτὸν ἐπὶ τῷ Φεβρουαρίῳ μῆνα τὸν ἐμβόλιμον, ὑπὸ Ῥωμαίων ΜΕΡΚΕΔΙΝΟΝ καλούμενον εἴκοσι καὶ δυοῖν ἡμερῶν ὄντα. In Cæsare vocat Μερκηδόνιον. οἱ δὲ ἱερεῖς, inquit, μόνοι τὸν καιρὸν εἰδότες, ἐξαίφνης καὶ προῃσθημένου μηδενὸς, τὸν ἐμβόλιμον προσέγραφον (παρεισέγραφον) μῆνα, ΜΕΡΚΗΔΟΝΙΟΝ ὀνομάζοντες, ὃν Νυμᾶς ὁ βασιλεὺς πρῶτος ἐμβαλεῖν λέγεται. Mirum hoc nomen apud unum Græcum scriptorem rerum Romanarum exstare, apud ipsos Romanos hujus ne vestigium quidem apparere, nisi nescio quid apud Festum : quod quidem ejusmodi est, ut huic loco nullam lucem afferat. Scribitur autem antiquitus *Merkedonius*, & *Merkedinus* per N. Neque mensem tantum Merkedonium, aut Merkedinum, sed & dies Merkedinos fuisse constat ex Festo. Ii dies in veteri Kalendario Romano signati sunt, MERK: ut prid. Eid Julii, & aliquot sequentibus. Denique XIIII Kal. Decemb. & sequenti biduo. Dicti a dea MERKEDONA, quæ præerat mercedibus & pensionibus solvendis: ut apparet in mense Julio, in quo inquilini τὸ ἐνοίκιον pendebant, & migrabant ex ædibus in alias. Similiter in Teutonismo *Zins-tag*, dies Mercedonius, dies census. In veteribus Glossis: *Mercedonius, qui solvit mercedem*. Intercalabant autem post Terminalia, hoc est, post vicesimum tertium diem Februarii. Varro : TERMINALIA, *quod is dies anni extremus constitutus. Duodecimus enim fuit mensis Februarius, & cum intercalatur, inferiores quinque dies demuntur mense*. Ex quibus verbis constat primum post Terminalia intercalari : deinde Terminalia esse XXIII. diem Februarii, quia quinque dies de viginti octo relinquunt viginti tres. Postremo, qui mensis Merkedonius Plutarcho, is in his verbis Varronis dicitur Februarius, qui tamen proprie est intercalaris. Anno igitur embolimæo, de XIII. mensibus, is, qui propior erat mensi Martio, hoc est, tertiusdecimus, is, inquam, mensis dicebatur intercalaris, siquidem verum dicit Varro, anno intercalario mensem duodecimum fuisse Februarium, quamvis mutilum, & nunc XXII. nunc XXIII. dierum. Quod sane verum est. Nam Asconius Pedianus in illa pro Milone scribit Pompejum cos. III. creatum ab interrege Ser. Sulpitio, V. Kalend. Martias, mense intercalario. Legimus in veteribus monumentis, P. Scipionem Asiaticum anno DLXIV. triumphasse, mense intercalari, prid. Kalend. Martias. Item P. Cornelium Lentulum Caudinum, anno DXVII. de Ligurib. Eidib. interc. anno U. C. DXV. Denique C. Duillium cos. primum triumphum navalem de Siculis & classe Pœnica egisse anno CDXCIIII. K. interkalar. Idus intercalares accipio, quæ ante Martium proxime erant, in XIII. mense. Et vetustiss. Jurisconsultus Cato de Verb. Signif. etiam testatur, cum ait, mensem intercalarem constare ex diebus XXVIII. Quæ verba si intellexisset Tribonianus, non ea in suo Pandecte posuisset, cum illa locum non habeant hodie in Kalendario Juliano. Cicero ad Leptam, libro VI. Epistolarum, manifesto Kal. priores intercalares, diem primum Merkedonii vocat, tanquam uterque mensis intercalaris diceretur: *Cum*, inquit, *ad XV. Kalend. intercalares priores rogatu fratrum tuorum venissem*. Ea epistola scripta fuit anno Confusionis, in quem intercalatio Merkedonii ex consuetudine inciderat, teste Suetonio. Sane in anno embolimæo dies Merkedonii mensis putabantur ex ante diem Terminalia. Cicero ad Atticum lib. VI. statim initio : *Ac epistolas tuas A. D. quintum Terminalia, Laodiceæ*. Scribit enim Cicero tanquam eo anno intercalatum esset. Quare eadem epistola ita scribit : *Quinto togam puram Liberalibus cogitabam dare. mandavit enim pater. Ea sic observabo, quasi intercalatum non sit*. Dubitabat autem Cicero, Romæ intercalatumne esset eo anno. Nam in illa, quam ante hanc scripsit, rogat Atticum, certiorem se faciat, intercalatum sit, necne. Ex verbis Varronis cognoscimus, mensem tertium decimum fuisse justum Februarium, hoc est, XXVIII. dierum. Quare non semper Terminalia erant dies XXIII. Februarii. Cum enim Merkedonius erat XXII. dierum duntaxat, tunc Terminalia erant in XXII. & Regifugium semper erant Kalendæ mensis XIII. quemadmodum Terminalia erat ultimus dies Merkedonii. Quando autem Romæ primum intercalatum sit, ne Varro quidem ipse sciebat, qui scripsit mentionem intercalationis fieri in quadam ænea tabula sub coss. L. Pinario & Furio, anno A. U. C. ducentesimo primo. Cicero Numam ejus auctorem facit, quemadmodum ea omnia, quæ propter vetustatem ignorantur, ad auctorem Numam referri solent, etiam quæ ante, aut post, facta sunt. Scribit enim Cicero in libris de Legibus, diligenter habendam rationem intercalandi. idque institutum perite a Numa posteriorum Pontificum negligentia dissolutum esse. Hactenus de intercalatione Romana. Omnes autem illæ veteres nationes, quamvis anno Solari non uterentur in tributione temporum civilium, tamen annum illum in arcanis observabant, & 365 ¼ diebus constare sciebant. Testes Græci, qui modum intercalationis ad Epocham Solstitii temperabant. Quomodo autem Solstitii diem tenere potuissent illo numero dierum non observato? Sane & anno Solis dies CCCLXV. attribuebant, & quarto quoque anno exacto diem intercalabant post CCCLXV. illos dies. eumque observabant Hierophantæ Athenis, Pontifices Romæ, eodem anno, quo Merkedonius XXIII. dierum intercalabatur, ante initium anni primi Olympiadis. Quod enim diem intercalarent Romani extra Merkedonios suos, testis Macrobius, qui scribit a quibusdam veteribus scriptoribus non solum mensem apud Romanos sed etiam diem intercalatum fuisse. quanquam Macrobius ea non intelligit. Quod autem Olympiadibus intercalaretur, & ratio postulat, propter quadriennium Solare, cui accrescit dies, & quia a Græcis id accepisse videntur. Sed Cicero diserte ac clare ita expressit, ut dubitandum amplius non sit. Ejus verba apponam ex libro XV. ad Atticum : *De meo itinere variæ sententiæ. Multi enim ad me. Sed tu incumbe, quæso, in eam curam. Magna res est. An probas, si A. D. Kalend. Jan. cogitamus? Meus animus est æquus: sic tamen, ut si nibil offensionis sit. Et tu etiam scito, quo die Olympiadum mysteria. Ilicet, ut ut res sit, casus consilium nostri itineris judicabit. Dubitemus igitur. Est enim hiberna navigatio odiosa. eoque ex te quæsieram mysteriorum diem*. Meminimus nos dixisse diem ex quadrantibus consurgentem a Basilis ante IX. Julii intercalari solitum. Cujus sententiæ minime nos pœnitet. sed cum Cicero diem insititium, quem Romæ, brumæ tempore, in anno Solari intercalabant, vocet Olympiadum mysteria, eo labimur, ut credamus, quemadmodum Athenis, ita etiam in Elide, mense Posideone, intercalari solitum. Cum enim periodus omnium Græcarum nationum penderet ab una Olympica, imo

| | | PERIODUS PRIOR. ANNI ROMANI. Dies collecti. | Dies superflui. | Horæ. | DIES SOLARES. Dies collecti. | Horæ. | PERIODUS ALTERA. ANNI ROMANI. Dies collecti. | Dies superflui. | Horæ. | ANNI SOLARES. Dies collecti. | Horæ. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | Anni. | | | | | | | | | | |
| | 1 | 355 | 11 | 6 | 365 | 6 | 355 | 11 | 18 | 365 | 18 |
| Emb. | 2 | 732 | 0 | 12 | 730 | 12 | 733 | 0 | 0 | 731 | 0 |
| | 3 | 1087 | 11 | 18 | 1095 | 18 | 1088 | 11 | 6 | 1096 | 6 |
| Emb. | 4 | 1465 | 0 | 0 | 1461 | 0 | 1466 | 0 | 12 | 1461 | 12 |
| | 5 | 1820 | 11 | 6 | 1826 | 6 | 1821 | 11 | 18 | 1826 | 18 |
| Emb. | 6 | 2197 | 0 | 12 | 2191 | 12 | 2198 | 0 | 0 | 2192 | 0 |
| | 7 | 2552 | 11 | 18 | 2556 | 18 | 2553 | 11 | 6 | 1557 | 6 |
| Emb. | 8 | 2930 | 0 | 0 | 2922 | 0 | 2931 | 0 | 12 | 2922 | 12 |
| | 9 | 3285 | 11 | 6 | 3287 | 6 | 3286 | 11 | 18 | 3287 | 18 |
| Emb. | 10 | 3662 | 0 | 12 | 3652 | 12 | 3663 | 0 | 0 | 3653 | 0 |
| | 11 | 4017 | 11 | 18 | 4017 | 18 | 4018 | 11 | 6 | 4018 | 6 |
| Emb. | 12 | 4395 | 0 | 0 | 4383 | 0 | 4396 | 0 | 12 | 4383 | 12 |
| | 13 | 4750 | 11 | 6 | 4748 | 6 | 4751 | 11 | 18 | 4748 | 18 |
| Emb. | 14 | 5157 | 0 | 12 | 5113 | 12 | 5128 | 0 | 0 | 5114 | 0 |
| | 15 | 5482 | 11 | 18 | 5478 | 18 | 5483 | 11 | 6 | 5479 | 6 |
| Emb. | 16 | 5860 | 0 | 0 | 5844 | 0 | 5861 | 0 | 12 | 5844 | 12 |
| | 17 | 6215 | 11 | 6 | 6209 | 6 | 6216 | 11 | 18 | 6209 | 18 |
| Emb. | 18 | 6592 | 0 | 12 | 6574 | 12 | 6593 | 0 | 0 | 6575 | 0 |
| | 19 | 6947 | 11 | 18 | 6939 | 18 | 6948 | 11 | 6 | 6940 | 6 |
| Emb. | 20 | 7325 | 0 | 0 | 7305 | 0 | 7326 | 0 | 12 | 7305 | 12 |
| | 21 | 7680 | 11 | 6 | 7670 | 6 | 7681 | 11 | 18 | 7670 | 18 |
| o | 22 | 8035 | 0 | 12 | 8035 | 12 | 8036 | 0 | 0 | 8036 | 0 |

A annus Solaris omnium Græcorum idem esset, qui Olympicus, totidem dierum, nempe 365 $\frac{1}{4}$, consentaneum rationi est, eodem tempore intercalari solitum. Cicero profecturus, non audet itineri accingere se ante, quam dies Olympiadum intercalatus esset. quod omnis intercalationis dies religiosus, nefastus, & infaustus haberetur: ut patet ex Macrobio & Ammiano. Ideo cum dies Olympiadum, hoc est, dies ex quadrantibus horæ conflatus, intercalaretur, quædam mysteria fiebant, ante quæ nefas esset aliquid suscipere. Idem Cicero ad Atticum libro v. *Cum scies Romæ intercalatum, velim ad me scribas certum, quo die mysteria futura sint.* Et lib. 6. *Sed ut tibi placebit. Faciesque me, in quem diem Romana incidant mysteria, certiorem, & quomodo hiemaris.* Indicat post brumam eum diem intercalari solitum, ut Athenis fiebat ante Gamelionem. Alibi ipse Cicero vocat *Olympia*, propria notione. Ita enim scribit libro XVI. *Pisonem ferebat in cœlum: se autem lætari, quod effugissem duas maximas vituperationes. Unam, quam itinere faciendo me intelligebant suscipere, desperationis ac derelictionis Reip.* paulo post: *Alteram, de qua Brutus, & qui una erant, lætabantur: quod eam vituperationem effugissem, me existimari a. d. Olympia.* Hæc ille. Si Cicero migrasset ante diem Olympia, quod is dies *ἀνένδημος* sit, & peregrinationi non idoneus, difficile fuisset ipsum Ciceronem effugere vituperationem populi religionem illi objicientis. Quia vero jam effugisset, propterea Brutum, & qui una erant, lætari. Nihil est manifestius, quam ea mysteria Olympiadum, quæ Romæ obibantur post intercalationem, B ut ex Cicerone declaravimus, & ante quæ nefas esset iter suscipere, fuisse quadriennia a Pontificibus tam Romanis, quam Atticis observata. quibus exactis diem intercalabant, ut anni Solaris cursum, solstitii, æquinoctiorum, & brumæ metas tuerentur. Romani igitur ad annum Solarem suum civilem exigebant, ut ex illius excessu Mer-

kedonios suos colligerent. Habebat enim annus Romanus menses XII. dies XI. horas VI. Sed illi appendices dies & horæ cum alteris totidem, biennio desinente, intercalabantur. & annus præter duodecim menses, habebat dies XXII. horas XII. Ex viginti duobus diebus mensis fiebat, quem vocabant Merkedonium. XII. vero horæ reservabantur. Itaque sequenti biennio exeunte, bis XI. dies, & bis XII. horæ fiebant dies XXIII. hoc est, Merkedonius secundus. & sic deinceps, ut in Tabula superiore annotatum est. Hoc modo singulis bienniis, quibus mensis intercalabatur, duo dies supra rationes Solis succrescebant. Exemplum. Ponamus ab ordinatione hujus anni sex biennia fluxisse. Colliguntur dies 4395. Duodecim anni Juliani fiunt dies 4383. Differentia, 12. dies; tot nempe, quot sunt anni. Quod si semper continuentur intercalationes per singula biennia, brevi fiet, ut menses brumales traducantur in sedes æquinoctiorum, & sic vicissim reliqui menses non competent temporibus anni definitis. Hoc ita temperatum. Exspectarunt, donec justus Merkedonius ex illis diebus accresceret, quem omitterent. Nam si plus aut minus intercalarent, quam justus Merkedonii modus postulat, hoc esset semper actum agere. Diximus singulis annis diem succrescere. undecim ergo biennia producent dies XXII. qui est justus modus Merkedonii, dierum XXII. Retinentur XII. horæ, quæ in sequenti biennio cum diebus XXII. horis XII. producent Merkedonium XXIII. dierum. Quare legitimus locus omittendæ intercalationis competit fini anni XXII. ubi annus Romanus exæquatur cum Sole. Quia vero XII. horæ Soli supersunt supra dies anni, nunquam exæquabuntur, nisi alteris XII. annis, post quos nihil relinquitur. Itaque periodus Romana fuit annorum XXII. Livius de Numa: *Atque omnium primum ad cursum Lunæ in duodecim mensibus describit annum. Quem, quia tricenos dies singulis mensibus Luna non explet, desuntque dies solido anno, qui Solstitiali circumagitur orbe, intercalares menses interponendo, ita dispensavit, ut vicesimo quarto quoque anno ad metam eandem Solis, unde orsi essent, plenis annorum omnium spatiis dies congruerent. Plena spatia* vocat intercalationes Merkedonii, quibus inania spatia anni Romani explentur, ut cum Solstitiali cursu æquentur. Vult autem interventu intercalationis vicesimi quarti anni, &, ut ipse loquitur, omnibus spatiis anni ad finem usque vicesimi quarti expletis, annum Romanum ad metas Solis redire. Quod falsissimum est. Nam non omissa intercalatione vicesima quarta, tot dies superant, quot sunt anni, ut jam explicatum est. Sane ipse diserte ait, plenis omnium annorum spatiis vicesimo quarto æquationem fieri. Quod si verum est, quod quidam interpretantes hunc locum, annotarunt, hic intelligi omittendam esse intercalationem vicesimi quarti anni: quomodo hoc fiat, non video.

A Nam omittebatur Merkedonius: qui cum XXIII. dies nunquam excedat, minor est dierum XXIIII. Ita unus dies abundaret, aut duo, si in XXIIII. annum incideret, Merkedonius XXII dierum. Atqui, ut dixi, Romani tot annos sustinebant, donec justus Merkedonius omitti posset. Id autem fiebat XXII. anno. Ergo vicesimus secundus annus, fuit periodus Romanorum, in qua decem erant biennia ἐμβόλιμα, & unum sine embolismo. Hoc modo fiebat, ut ex XII. horis residuis anni XXII. Merkedonius primus secundæ periodi esset XXIII. dierum, cum Merkedonius primæ fuisset tantum dierum XXII. horarum XII. Atque ita deinceps Merkedonii dispensabantur, ut ex anni
B Solaris ratione nihil reliquum esset, quod Merkedonii paris & imparis commutatione non compensaretur. Quia vero lustrum Romanum erat minor periodus, ut Olympias Græcorum: periodus, quæ aliunde incipiebat, quam a primo anno lustri, erat imperfecta. Prima periodus incipiebat ab anno primo lustri: secunda a tertio: tertia a quinto: quarta a secundo: quinta a quarto. In sexta lustrum redibat in orbem suum. Atque hoc tempus Romani vocabant SÆCULUM: quod erat lustrorum XXII. periodorum quinque, anno-
C rum centum, & decem. Horatius in Carmine Sæculari:

*Certus undenos decies per annos*
*Orbis ut cantus referatque ludos.*

Ob eam enim causam anno centesimo decimo vergente, ineunte centesimo undecimo, ludi Sæculares instituti, quo tempore annus in solem, lustrum in annum, periodus in lustrum conveniret. Quam rationem verissimam & a nulla fabularum affectatarum origine petitam, neque Varro, neque omnis Senatus Criticorum intellexit. Nam intervallum illud centum & decem annorum sum-
D ma veneratione a veteribus Romanis observatum fuisse constat, cum eo confecto ex Quindecimvirum commentariis ludi instaurarentur. Ab illis enim ludis, quos libri Quindecimvirales primos celebratos prodiderunt, anno CCXCVIII. M. Valerio, Sp. Verginio coss. ad alteros, qui anno CCCCVIII. repetiti sunt, M. Valerio Corvino, C. Pœtelio coss. anni præcise interjecti sunt CX. Totidem anni ab istis ad tertios, P. Clodio Pulchro, L. Junio Pullo coss. A. U. C. quingentesimo decimo octavo. A tertiis ad quartos sub coss. Aimilio Lepido, L. Aurelio Oreste, ut Quindecimvirum libri annotarunt, teste Censorino, anno A. U. C. sex-
E centesimo vicesimo nono, idem intervallum est annorum CX. Totidem anni ab his ad illos, quos Augustus Cæsar edidit, anno Urbis DCCXXXVII. C. Furnio, Pub. Junio Silano coss. Octavos autem ludos sæculares celebrarunt Impp. Septimius & M. Aurelius, Chilone & Libone coss. auctoribus Nummis & Censorino. Horum mentio est in hac veteri inscriptione agri Casinatis:

M E M O R I Æ

SEX. VIGELLI. AQVINAT. QVI
ANN. ATTIGIT. CENTENS
SET. ALTERVM ET NONAGENES
PERPET. INOFFENSA. VALETVD.
EXEGIT. RELIQVOS. SEPTEM. ET. DIES. XIIX.
DECVBVIT. ET. OCCVBVIT.
NAT. LVD. SÆCVL. VII. OBIIT. SEQVENT.

Hactenus Sæculi Romani intervallum recte a Romanis obſervatum. Qui ſecuti ſunt Principes, Sæculi modum libidine ſua finiverunt. Primi Sæculares ludi editi, anno Urbis CCXCVIII. De quibus deducto unius Sæculi intervallo, relinquitur annus Urbis CLXXXVIII. qui erat annus Servii A Tullii Regis decimus. quo tempore non dubitamus, primum luſtrum ab eo conditum. Nam quod ſcriptum exſtat apud Cenſorinum, a luſtro primo ad ultimum, quod conditum eſt anno Urbis DCCCVI. Imperatore Veſpaſiano Patre quintum, Filio tertium coſſ. annos interfuiſſe paulo

## SERIES SÆCULI ROMANI,

IN ANNIS ET LUSTRIS SUIS.

| Anni Sæculi. | Anni Luſtri. | Luſtra. | Anni Sæculi. | Anni Luſtri. | Luſtra. | Anni Sæculi. | Anni Luſtri. | Luſtra. | Anni Sæculi. | Anni Luſtri. | Luſtra. | Anni Sæculi. | Anni Luſtri. | Luſtra. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 1 | 1 | 23 | 3 | | 45 | 5 | | 67 | 2 | | 89 | 4 | |
| 2 | 2 | | 24 | 4 | | — | — | — | 68 | 3 | | 90 | 5 | |
| 3 | 3 | | 25 | 5 | | 46 | 1 | 10 | 69 | 4 | | — | — | — |
| 4 | 4 | | — | — | — | 47 | 2 | | 70 | 5 | | 91 | 1 | 19 |
| 5 | 5 | | 26 | 1 | 6 | 48 | 3 | | — | — | — | 92 | 2 | |
| — | — | — | 27 | 2 | | 49 | 4 | | 71 | 1 | 15 | 93 | 3 | |
| 6 | 1 | 2 | 28 | 3 | | 50 | 5 | | 72 | 2 | | 94 | 4 | |
| 7 | 2 | | 29 | 4 | | — | — | — | 73 | 3 | | 95 | 5 | |
| 8 | 3 | | 30 | 5 | | 51 | 1 | 11 | 74 | 4 | | — | — | — |
| 9 | 4 | | — | — | — | 52 | 2 | | 75 | 5 | | 96 | 1 | 20 |
| 10 | 5 | | 31 | 1 | 7 | 53 | 3 | | — | — | — | 97 | 2 | |
| — | — | — | 32 | 2 | | 54 | 4 | | 76 | 1 | 16 | 98 | 3 | |
| 11 | 1 | 3 | 33 | 3 | | 55 | 5 | | 77 | 2 | | 99 | 4 | |
| 12 | 2 | | 34 | 4 | | — | — | — | 78 | 3 | | 100 | 5 | |
| 13 | 3 | | 35 | 5 | | 56 | 1 | 12 | 79 | 4 | | — | — | — |
| 14 | 4 | | — | — | — | 57 | 2 | | 80 | 5 | | 101 | 1 | 21 |
| 15 | 5 | | 36 | 1 | 8 | 58 | 3 | | — | — | — | 102 | 2 | |
| — | — | — | 37 | 2 | | 59 | 4 | | 81 | 1 | 17 | 103 | 3 | |
| 16 | 1 | 4 | 38 | 3 | | 60 | 5 | | 82 | 2 | | 104 | 4 | |
| 17 | 2 | | 39 | 4 | | — | — | — | 83 | 3 | | 105 | 5 | |
| 18 | 3 | | 40 | 5 | | 61 | 1 | 13 | 84 | 4 | | — | — | — |
| 19 | 4 | | — | — | — | 62 | 2 | | 85 | 5 | | 106 | 1 | 22 |
| 20 | 5 | | 41 | 1 | 9 | 63 | 3 | | — | — | — | 107 | 2 | |
| — | — | — | 42 | 2 | | 64 | 4 | | 86 | 1 | 18 | 108 | 3 | |
| 21 | 1 | 5 | 43 | 3 | | 95 | 5 | | 87 | 2 | | 109 | 4 | |
| 22 | 2 | | 44 | 4 | | — | — | — | 88 | 3 | | 110 | 5 | |
| | | | | | | 66 | 1 | 14 | | | | | | |

minus ſexcentos quinquaginta: id potius librarii, quam Cenſorini error eſt. Nam hoc modo Servius Tullius initio regni ſui luſtrum condidiſſet; quod falſum eſſe omnes mihi concedent. Nos omni aſſeveratione contendimus, non ſolum primum luſtrum conditum anno Tullii decimo, ſed etiam E hinc repetendam eſſe originem ludorum Sæcularium. Quod enim origo ludorum Sæcularium huc referenda ſit, quid melius probaverit, quam tempus præciſum, & intervallum Sæculi definitum a primo luſtro ad primos ludos Sæculares? Luſtrum autem primum eo anno, quo diximus, conditum, patet ex monimentis Faſtorum Capitolinorum. Nam in illis, anno A. U. C. DLIIII. luſtrum XLVI. conditum; & DLXXIIII. luſtrum quinquageſimum. Quinquaginta luſtra fiunt anni 250. qui ab annis 574. abjecti relinquunt 324. Rurſus abjice 189. annos Urbis, poſt quod tempus proxime cenſemus primum luſtrum conditum, remanent anni 135. F Quæ ſunt luſtra 27. intermiſſa, poſt primum illud Servianum. Unde colligimus, luſtra, quæ ab Auguſto condita ſunt, longe differre ab illis Servianis. Quippe in inſtaurandis luſtris nullam rationem habuit luſtrorum Servianorum, ſed annorum Urbis. Nam, verbi gratia, luſtrum Auguſtus condidit, C. Martio Cenſorino, C. Aſinio Gallo coſſ. cum octo ante annis ludos Sæculares ediſſet. Quod non convenit inſtituto Servii Regis, quem conſtat primo luſtro periodi cenſum egiſſe. Diſputatis emboliſmi & periodi Romanæ rationibus, nunc ſpectandum caput anni. Et quidem a bruma cœpiſſe tum Ovidius teſtis eſt, tum etiam Cæſar ipſe, qui vetus initium anni Romani obſervavit in ordinatione ſua. Præterea & alia exſtant hujus rei argumenta non levia. ut ſidus Palilitium. quod dictum, quia Palilia in ejus ortum incidebant, qui temporibus Julianis incurrebat circiter in XXI. diem Aprilis. Quare non dubium, quin Cæſar veterem epocham in novo condendo obſervaverit. Accedit ad hæc veterum Criticorum, in his etiam Varronis, de etymo Aprilis ſententia. Qui cum cenſeant ab *aperiendo* dictum, manifeſto indicant, Aprilem vernum menſem fuiſſe, qualem etiam Cæſar ſtatuerit. Sed & obſervatio fabæ refrivæ non parum hæc illuſtrare videtur. Nam fabam e frugibus domum referre mos erat auſpicii cauſa. Hoc autem fiebat Kal. Juniis. quo nomine dictæ Kalendæ fabariæ; quod

hoc mense fabæ adultæ divinis rebus adhibebantur. Quod non fieret, nisi Januarius in brumæ tempus incideret. Denique Vinalia, quæ & aliter Veneralia, mense Sextili redeuntia, quæ ob pendentem vindemiam celebrabantur, satis arguunt Sextilem mensem in tempus pendentis vindemiæ incurrere non potuisse, nisi Januarius a bruma incepisset. Non dubium igitur, si rite intercalationem obibant, quin Merkedonii interventu annus in caput suum recurreret. Sed eam non rite obiri solitam, testis M. Tullius in iis, quæ ex libris de Legibus supra produximus: nempe intercalationem recte a Numa institutam, vitio Pontificum depravatam fuisse. Quo tandem modo? Suetonius, Censorinus, Macrobius scribunt, Pontifices, ad quos intercalandi atque annum corrigendi cura traducta erat, ob odium vel invidiam, quo quis magistratu citius abiret, aut fungeretur, aut quo publici redemptores in lucro damnove essent, dum plus minusve ex libidine sua intercalant, rem sibi mandatam vitiose tractasse. Itaque ingens turbatio inde consecuta est in anno Romano, adeo ut neque messium feriæ æstati, neque vindemiarum autumno competerent. Nam ex hac licentia omittendæ aut celebrandæ ex libidine intercalationis, nunquam anni Romani ratio constabat. Ideo Cicero scribens Attico sæpe rogat, ne intercalando sibi prorogetur imperium in annum sequentem: *Per fortunas*, inquit, *quoniam Romæ manes, primum illud præfulci atque præmuni, quæso, ut simus annui. ne intercaletur quidem*. Alibi; *Memento curare per te, & per omnes nostros, in primis per Hortensium, ut annus noster maneat suo statu, nequid novi decernatur. Hoc tibi ita mando, ut dubitem, an etiam te rogem, ut pugnes, ne intercaletur*. Cælius Ciceroni: *Levissime Curio: quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum, & pro Cæsare loqui cœpit*. Si igitur ita impune intercalabant Pontifices, ut intercalandi fines non tempus ipsum, sed voluntatem suam statuerent, vix aliter fuerit, quam ut anni caput prisca epocha luxatum in contraria tempora pessum ierit, neque feriæ messium æstati, neque vindimiarum autumno competerent, quod jam ex Suetonio dicebamus. Atque hoc quidem verum est. Anno primo Olympiadis XCVIII. Roma a Gallis capta, referente Dionysio Halicarnassensi, XV. Kal. Sextilis, auctore Livio, plenilunio circiter Solstitium imminente, teste Plutarcho. Jam ea Olympias erat tertia periodi. Si plenilunio Solstitiali primi anni Olympiadis casus hic contigit; ergo capta fuit ipso die ludicri Olympici. Neomenia mensis Olympici XI. Julii. Ergo XXV. Julii sine dubio capta fuit Urbs. Ut vanum & futile sit, quod ait Plutarchus, plenilunium in Solstitium incidisse. Nam Solstitium Græcia vocabat VIII. Julii, id est, τὸ κέντρον θερινόν, ut constat ex iis, quæ libro primo, capite de periodo Olympica diximus. Nam cum omnis neomenia Olympica, & aliarum Græciæ civitatum post VII. Julii inciperet, nunquam efficietur, ut plenilunium Solstitiale in Solstitium incurrat. Sed quanta fides, & quatenus Plutarcho in istis adhibenda, alibi docuimus. Alii dicunt mense ultimo anni quarti Olympiadis 97. captam. Ergo XV. Scirrophorionis, quæ incidebat in XXV. Junii non longe a loco Solstitii. Sed Plutarchus nullum aliud Solstitium norat præter Olympicum. Fortasse, (quod verisimile est) cum quidam retulissent tempus captæ Urbis competere diei XXV. Junii Juliani, in quo Cæsar statuit Solstitium, propterea Plutarchus dixerit circa Solstitium captam Urbem. Ab ante diem XV. Kal. Sextiles in anno vetere, ad exitum anni, dies 160. A plenilunio illo, id est, a XXV. Julii in anno Juliano, ad exitum anni, dies 159. Differentia dies unus. Uno die igitur tantum luxatus erat annus. Et fortasse ne uno quidem die. Nam hoc potuit in XXIIII. Julii accidere, jam plenilunio prope confecto. Apud Catonem quoque lex vini pendentis hujusmodi extat: *Locus vinis ex A. D. Kal. Octob. primas dabitur. Si non ante exportaverit, dominus vino, quod volet, facito*. En vindemiam pendentem Kal. Octobris, tempore Catonis, quæ antiquitus Veneralibus pendebat, & Volcanalibus calcabatur. Item Lex vino in doliis apud eundem Catonem; *Vinum accipito ante Kal. Januar. primas. Si non ante acceperit, dominus vinum admetiatur*. Ex his cognoscimus eo sæculo Octobrem Romanum in Septembrem Julianum, & Januarium in Decembrem convenisse. Anno A. U. C. DLXI. Manio Acilio Glabrione, Publio Cornelio Scipione Nasica coss. defecit Sol a. d. v. Eid. Quintil. anno periodi Julianæ 4524. XIIII. Martii, feria VI. Ex a. d. v. Eid. Quint. ad exitum anni sunt dies CLXIII. qui a XIIII. Martii putati desinunt in XXIV. Augusti. Ergo Januarius sequens cœpit XXV. Augusti Juliani. Rursus anno A. U. C DLXXXIII. L. Aimilio Paulo II. C. Licinio Crasso coss. defecit Luna pridie Nonas Septembris, anno periodi Julianæ 4546. Junii XXI. feria tertia. A prid. Non. Sept. ad exitum anni Romani, dies CXIIII. qui a XXI. Junii putati desinunt in XII. Octobris Juliani. Ergo Januarius vetus tunc cœpit XIII. Octobris Juliani. Temporibus Ciceronis, cum Julius emendationem suam aggressus est, sine dubio idem fuit caput Januarii, nempe circiter XIII. aut XIIII. Octob. Quare lib. II. ad Quintum fratrem ita scribit: *Cura, mi Frater, ut valeas, &, quanquam est hiems, tamen Sardiniam istam esse cogites*. Scribebat XV. Kal. Martias. Sequenti Epistola scribens post III. Eid. Mart. *Spero*, inquit, *nos ante hiemem contubernales fore*. Si Martius est hibernus, Januarius fuit autumnalis. Attico scribens post Martium: *Infero mari nobis, incerto cursu, hieme maxima navigandum est*. Ecce hiems maxima post Martium. Eodem libro: *Non esse nobis faciles ex Italia exitus, cum ea tota armis præsidiisque teneatur, hieme præsertim*. Scripsit hanc post illam superiorem. Libro sequenti ait milites in hiberna deduci mense Aprili. Et libro v. a Sextili incipit putare menses æstivos. Tanto intervallo abfuit finis anni Romani a priscis metis brumæ. Postremo idem scribens ex a. d. XVII. Kal. Jun. ait se æquinoctium moratum esse, quod valde perturbatum erat. Ut appareat illis temporibus, Januarium Romanum in Octobrem Julianum incurrisse. Sed verba sunt apponenda; *Nunc quidem æquinoctium nos moratur, quod valde perturbatum erat. Id si cras erit. Utinam idem maneat Hortensius, siquidem adhuc erat. Liberalius esse nihil potest*. Scribe: *Nunc quidem æquinoctium nos moratur, quod valde perturbatum erat Id. Si cras erit, utinam idem maneat. Hortensio (siquidem adhuc erat) liberalius esse nihil potest*. Quo anno scribebat hæc Cicero, intercalatum fuerat. Ait Idibus Maiis æquinoctium fuisse. Idus vero Majæ, quo tempore intercalabatur, a Kalendis Junarii putatæ desinunt in diem 154. Æquinoctium Julianum XXV. Martii. Aufer a diebus 154. dies 84. nempe a Kal. Januarii, ad XXV. Martii, supersunt dies 70. qui deducti de 366. diebus anni bisextilis (erat enim cycli Solaris annus XVII.) relinquunt dies 296. hoc est, diem 23. Octobris. Ergo cum intercalabatur, annus Romanus desinebat in 23. Octobris Juliani; & sine intercalatione in 13. Annus primus Julianus est quintus ab eo, quo hæc scribebat Cicero. Annus Confusionis habuit dies 444. Anni duo Juliani sunt 730. dies; de quibus 444. deducti relinquunt

286. nempe diem 13. Octob. Juliani. Quare in Commentario de bello Africano ſcribitur, poſt Januarium confectum ſidus Vergiliarum fuiſſe, & ingentem grandinis nimbum ingruiſſe. Quod autem in exemplo a nobis adducto Cicero dixit, SI CRAS ERIT, hoc idem eſt cum eo Catulliano:

*Nam ſi luxerit, ad librariorum*
*Curram ſcrinia.*

Item cum Virgiliano:

*Craſtina ſi radiis Aurora retexerit orbem.*

Quæ interpretatio loci Ciceroniani mirifice confirmatur tempore ſcriptionis. Data enim fuit epiſtola XVII. Kal. Junii. Hæc eſt mens Ciceronis. Si cras erit, utinam idem maneat. Id eſt, utinam ſudum ſit, ut quidem nunc eſt. Atque is erat an-

A ni Romani ſtatus, cum C. Cæſar ei manum admovit: qui ex Lunari non malo in peſſimum a Numa, aut alio rupice & ruſtico depravatus, vitio intercalationis, veteres fines ſuos tamen tueri non potuit. Ut non ſemel miratus ſim, orbis terrarum dominam gentem, quæ generi humano leges dabat, ſibi unam legem anni ordinati ſtatuere non potuiſſe, ut poſt hominum memoriam nulla gens in terris ineptiore anni forma uſa ſit. Si tamen vitio Pontificum intercalatio depravata non fuiſſet, facile erat tempora & faſtos Romanos ex illius anni obſervatione propagare. Cum igitur ex iis, quæ ſupra diſputata ſunt, pateat Januarium priſcum B in Octobrem Julianum temporibus ultimis conveniſſe: miraberis tamen Ciceronem Tironi ſcribentem menſe Nomembri hibernam navigationem eo tempore timere, atque adeo ipſi Tironi interdicere, Novembri hiberno menſe navigare. Quod quid, cujuſve modi ſit, quærendum relinquimus.

# F I N I S.



DIONY-

# DIONYSIUS PETAVIUS
## AURELIANENSIS
## *DE*
# VETERI ANNO
## ROMANORUM.

Ex Libro II. de DOCTRINA TEMPORUM cap. LXXI.
ex libro IX. caput XLV.

# INDEX CAPITUM.

## LIB. II.


CAPUT LXXI.

*De veteri anno Romanorum, ac primum quæ de eo Scaliger explicavit.*

CAPUT LXXII.

*Scaligerianæ Doctrinæ de anno veteri Romanorum confutatio.*

CAPUT LXXIII.

*De anno Romano vetere accurata disquisitio.*

CAPUT LXXIV.

*Expenditur Livii locus, deque commentitia Periodo Romanorum agitur.*

CAPUT LXXV.

*De sæculi Romani origine Scaliger.*

CAPUT LXXVI.

*De sæculi Romani origine absurda Scaligeriana commenta discutiuntur, ac vera de lustris Romanis doctrina proponitur.*

CAPUT LXXVII.

*De Romani anni veteris labe.*


## LIB. IX.


CAPUT XLV.

*De Romæ conditu, sive primis Palilibus Urbis. Scaligerianæ doctrinæ summa ex lib. v. Emend. pag. 362.*

CAPUT XLVI.

*De duplici Urbis epocha, quarum alteram Catoni falso & a Scaligero & a plerisque tributam asseritur.*

CAPUT XLVII.

*De Halicarnassensis opinione, ac duplici ejus hallucinatione, quarum posterior hactenus non animadversa.*

CAPUT XLVIII.

*Variæ Scaligeri hallucinationes, nec non Livii, Onuphrii, Calvisii, & aliorum error.*

CAPUT XLIX.

*De Romuli conceptu, ac tam ejus, quam Urbis natali ex L. Tarrutii Firmani sententia: & eclipsibus, quæ utriusque natalibus attributæ sunt. tum in iis multorum errata castigantur. Urbem videri autumno conditam Manilius explicatur.*

CAPUT L.

*De variis annorum Urbis rationibus, ac duabus præsertim, quæ reliquis celebriores sunt. deque iis Veterum quorundam opiniones expensæ. tum Onuphrii, & aliorum.*

CAPUT LI.

*De capite annorum ab U.C. deque epochæ illius characteribus Chronologicis. Solini locus illustratur.*

# DIONYSIUS PETAVIUS
## AURELIANENSIS
## *DE*
# VETERI ANNO
# ROMANORUM.

### CAP. LXXI.

*De veteri anno Romanorum, ac primum quæ de eo Scaliger explicavit.*



Annum Romanorum ante ordinationem Julianam a Numa institutum fuisse mensium XII. cum Romulus decimestrem constituisset, omnes fere prisci Romani persuasum habebant; quod & Martius princeps mensium fuisset, & December ab eodem decimus, September septimus numeraretur. Sed potior est Fenestellæ & Licinii Macri sententia, qui contendunt annum Romanorum statim ab initio XII. mensium extitisse, & a Latinis petitum, penes quos ante conditam Urbem totidem mensium fuerit. Quod enim lunarem secuti sint Romani, argumento sunt appellationes Nonarum, Kalendarum, & Eiduum. nam εἶδος est plenilunium, a quo ad intermenstruum tempus sunt nunc XVI. nunc XV. dies. Ab intermenstruo ad Nonas, sive τὴν διχόμηνον, nunc VII. nunc VI. ἀπὸ τῆς διχομήνου ad πανσέληνον, octo solidi.

II. Præterea cur Romani a media nocte diem ordirentur, nisi Lunam nocturni temporis ducem in dierum civilium divisione sequerentur? Hinc natæ illæ locutiones, *A. D.* IV. *Eid.* Item *ex A. D.* IV. nam dies vulgariter est tempus inter ortum Solis & occasum. locutio autem illa, *ante diem*, comprehendit tempus inter mediam noctem & ortum Solis. ergo *ante diem* nihil est aliud quam a media nocte ante lucis exortum. quod & Ausonius in epistola ad Paulinum indicat, dum ita loquitur: *Jam prima nox erat ante diem* XIX. *kal. Jan. cum redditæ sunt mihi literæ tuæ.*

III. Non dubium est igitur veterem annum Romanorum lunarem extitisse, cum esset dierum CCCLV. cujusmodi qui primus instituit, lunarem facere habebat in animo, cum tanto post Democritus totidem dierum esse putaverit. Itaque mensis lunaris secundum Democritum, & anni Romani conditorem, fuit dierum 29. 14. Ad eum modum menses dispositi prius erant, ut primus cavus esset, secundus plenus; & ita deinceps, secundum horarum rationem, ut in diagrammate vides.

Hoc modo adhibita ἐξαιρέσει, Lunam assequebantur. Nam in XXX. annis dies XIX. detrahebant. Priores columnæ mensium dispositionem continent, cujusmodi apud Latinos veteres, & Romuli temporibus extitit. Postrema institutam a Numa rationem exhibet.

| Mensium nomina. | Dies collecti. | Horæ. | Dies mensium priscorum. | Dies mensium Romanorum. |
|---|---|---|---|---|
| Martius. | 29 | 14 | 29 | 31 |
| Aprilis. | 59 | 4 | 30 | 29 |
| Majus. | 88 | 18 | 29 | 31 |
| Junius. | 118 | 8 | 30 | 29 |
| Quintilis. | 147 | 22 | 29 | 31 |
| Sextilis. | 177 | 12 | 30 | 29 |
| September. | 207 | 2 | 30 | 29 |
| October. | 236 | 16 | 29 | 31 |
| November. | 266 | 6 | 30 | 29 |
| December. | 295 | 20 | 29 | 29 |
| Januarius. | 325 | 10 | 30 | 29 |
| Februarius | 355 | 0 | 30 | 28 |

Qui imparis numeri superstitione ductus, omnes pares numeros sustulit, nam semper pro XXIX. posuit XXXI. & pro XXX. XXIX. usque ad Decembrem; qui cum esset XXIX. dierum, non potuit fieri XXXI. quia plures dierum XXXI. fieri non poterant. De Februario necessario eximendi fuerunt duo, ne annus esset dierum CCCLVII.

IV. Si hoc considerasset Varro, ut debuit, veriora de hoc anno protulisset; nunc intercalationis modum consideremus. Macrobius, & alii ejus notæ scriptores, ajunt Romanos a Græcis didicisse modum alternis bienniis intercalandi, nunc XXII. nunc XXIII. dies, quia excessus Solis supra Lunam est dierum XI. cum quadrante. Sed tam Macrobius, quam Solinus multum hac in re mentiti sunt, multum hallucinati. Quid autem necesse fuit Græcos alternis XXII. & XXIII. dies intercalare, si annus mere lunaris fuit? Nam si illa intercalatione Solis cursum assequebantur, non potuit esse lunaris. Igitur Romani mensem unum alternis bienniis XXII. & XXIII. dierum intercalabant, quem *Merkedonium* nominabant. Intercalabant post Terminalia, hoc est, post XXIII. diem Februarii, ut ex Varrone colligitur; qui insuper Merkedonium appellat Februarium. Anno igitur embolimæo e XIII mensibus is, qui propior erat Martio, dicebatur *intercalaris*. siquidem verum dicit Varro anno in-

tercalario mensem XII. fuisse Februarium, quamvis mutilum, & nunc XXII. nunc XXIII. dierum. Asconius Pedianus in illa pro Milone, scribit Pompejum coss. III. creatum V. Kal. Martias mense intercalario. Legimus item in veteribus monimentis Scipionem Asiaticum triumphasse mense intercalari pridie Kal. Martias. Cato de verborum significatione testatur mensem intercalarem diebus constare XXVIII.

V. Ex verbis Varronis cognoscimus, mensem XIII. fuisse justum Februarium XXVIII. dierum. Quare non semper Terminalia erant dies XXIII. Februarii. Cum enim Merkedonius erat XXII. dierum, tunc Terminalia erant in XXII. & Regifugium semper erant Kal. mensis XIII. uti Terminalia dies ultimus Merkedonii. Auctor intercalationis Numa, auctore Cicerone lib. I. de Legib.

VI. Omnes illæ veteres nationes, etsi anno solari non uterentur in tributione temporum civilium, tamen annum illum in arcanis observabant, & 365 ¼ diebus constare sciebant; uti Græci, qui modum intercalationis ad epocham solstitii temperabant. Quomodo autem solstitii diem tenere potuissent illo numero dierum non observato? Sane & anno Solis dies CCCLXV. attribuebbnt, & quarto quoque anno diem intercalabant post CCCLXV. illos dies, & Hierophantæ Athenis, & Romæ Pontifices eodem anno, quo Merkedonius XXIII. dierum intercalabatur, ante initium anni primi Olympiadis. Quod enim extra Merkedonios Romani diem intercalarent, testatur Macrobius, qui id ex veteribus asserit. Quod autem Olympiadibus intercalaretur, & ratio postulat ob quadriennium solare, & quia a Græcis id accepisse videntur. Sed Cicero diserte ac clare ita expressit, ut dubitandum amplius non sit, lib. XV. Epist. ad Atticum, cum ait: *Et tu etiam scito, quo die Olympiadum mysteria*. Nam cum intercalabatur dies ille, quædam mysteria gerebantur; de quibus etiam libro V. & VI. Aliter hæc mysteria vocat *Olympia* lib. XVI. quæ erant arcana quadriennia a Pontificibus tam Romanis, quam Atheniensibus observari solita, quibus exactis diem intercalabant.

VII. Romani igitur annum habebant mensium XII. dierum XI. hor. VI. quæ appendices dies & horæ cum alteris totidem post biennium intercalabantur. Ex XXII. diebus Merkedonius fiebat, horæ vero in alterum biennium reservatæ sunt; eratque tunc Merkedonius dierum XXIII. ut ex diagrammate, quod proposuit, apparet. Hoc modo singulis bienniis biduum accrescit. Quare Merkedonium unum omittebant, cum ex illis diebus superfluis legitimus MerKedonii modus conflatus esset. Undecim biennia dies XXII. superfluos producunt. Hic omittitur intercalatio MerKedonii. retinentur horæ XII. quæ insequenti biennio cum diebus XXII. horis XII. conficient Merked. XXIII. dierum. Itaque post XXII. annos omittitur intercalatio. sed justa cum sole peræquatio non nisi post alteram Periodum XXII. annorum existet.

Ergo Periodus Romana fuit annorum XXII. non, ut Livius indicat, XXIV. Scribit enim, *vicesimo quarto quoque anno ad metam eandem Solis, unde orsi essent, plenis annorum omnium spatiis dies congruere*; quod est absurdum. Nam sive anno XXIV. intercaletur, totidem dies supra rationem Solis excrescent: sive omissam anno XXIV. intercalationem significet, ne istud quidem recte. Nam omittendus Merkedonius, qui XXIII. nunquam excedat, si XXIV. anno prætermittatur, unus dies superfluus erit, aut duo, si in illum incidat Merkedonius.

A

## CAP. LXXII.

*Scaligerianæ doctrinæ de anno veteri Romano confutatio.*

I. Si quæ a vetustis auctoribus de anno Romano prodita sunt, sequenda sibi proposuisset Scaliger, non in divinationibus ac conjecturis suis explicandis tam multa verba perdidisset. Nunc ab illorum auctoritate consensuque discedens, annum ordinavit, non qualem veteres usurpavere Romani, sed qualem ipse commentus est. quod ut cuilibet obvium ac facillimum est, ita B minime est tolerandum. Jam primum quod communem illam de X. mensibus opinionem frivolam & commentitiam esse tam confidenter pronuntiat, suo quidem more atque instituto facit, hoc est, leviter ac temere. Neque enim video, cur non denis mensibus circumscribi annus a Romulo potuerit, quot apud Albanos constabat; cum nonnulli Græcorum etiam populi pauciores constituisse dicantur. Nam quod Scaliger asseverat, annum mere lunarem tam penes Latinos ante conditam Urbem, quam Romanos post eandem conditam exititisse, ita ut nullus tum Merkidinus post alte- C rum annum intercalaretur; est illud quidem probabile, non ejusmodi tamen, ut, tam constanter velut certum & indubitatum affirmari debeat. Neque enim manifestis, aut necessariis ullis argumentis illud ostenditur. Quod enim primum id ex appellationibus certorum dierum, ut puta Nonarum, & Iduum, ac reliquis vestigiis colligi videtur, contra illud excipi potest, Latinos aut Romanos dierum illa vocabula ex Græcorum imitatione transtulisse, atque a Græcis illis colonis accepisse, qui sæpius in Italiam e Græcia transmearunt, Pelasgis videlicet, Arcadibus, & Aboriginibus: tametsi lunares annos, mensesque simplices nequaquam D retinerent, sed solaris etiam cursus rationes assequi studerent, atque altero quoque anno superfluos dies attexerent. Non aliter, opinor, quam, ex ipsius Scaligeri sententia, iidem illi Græci, licet annos mensesque populares non ad Lunam conformarent, nihilominus dierum in mensibus appellationes ex lunaribus ratiociniis petebant. Unde & *νουμηνίας*, & *φθίνοντος δεκάτην*, *ἐνάτην*, &c. id genus usurpabant, quæ lunaribus mensium descriptionibus competunt. Quemadmodum igitur si quis ex eo, quod & *νουμηνίαι* mensium tricenariorum primi dies vocantur, & cæteri deinceps translatis a lunaribus mensibus vocabulis notan- E tur, negaret alios, quam mere lunares menses a Græcis adhibitos fuisse, reclamaret Scaliger, ac suam illam & confictam anni popularis, ac mensium æquabilium rationem opponeret; ita & ex Romanorum mensium appellationibus negari potest id effici, quod concludit Scaliger. Quanquam ab ea conjectura nequaquam abhorremus, deque ea pluribus postea.

II. Sed & levissimum est argumentum illud ex eo depromptum, quod a media nocte Romani diem auspicati sint. Nam id Solis potius rationem illos habuisse demonstrat, quia post mediam noctem ad finitorem nostrum propius ille succedit, ac tum F velut oriri incipit. Quo illud Virgilianum lib. V. Æneidos pertinet.

*—— Torquet medios nox humida cursus,*
*Et me sævus equis Oriens afflavit anhelis.*

Tum lib. VI. noctem a meridie inchoari significat.

*Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis*
*Jam medium æthereo cursu conscenderat axem.*

Mox Sibylla:

*Nox ruit, Ænea; nos flendo ducimus horas.*

Quod ſi dierum initium ad Lunam exigere voluiſſent, ab occaſu Solis illud repeterent potius, quemadmodum Judæi, & Athenienſes, adeoque Græci: quoniam ingruente nocte Lunæ φάσεις conſpicuæ ſunt. Nimis igitur inepta eſt ratio illa Scaligeri [1]. Sed neque tolerabilior eſt altera illa, quam adfert, cur Romani *ante diem* IV. *Kal.* dixerint pro ipſo die, qui eſt IV. Kal. quia videlicet a media nocte diei principium eſt. Nam ex ea ſequitur vocabulum diei ambigue, ac duplici notione ſumi. Quippe cum dicimus *ante diem*, ſi verum eſt, quod a Scaligero proponitur, dies pro luce ſumitur, ſive ſpatio ab ortu Solis ad occaſum. Et tamen dies Romanorum uſu a media nocte in mediam protenditur. Deinde quæ tandem eſt iſta loquendi formula, *ante diem* IV. *Kal.* hoc eſt, *inter mediam noctem & ortum Solis*? An cum ita Scriptores loquuntur, de intervallo illo, quod eſt ante lucis principium, accipiendi ſunt? Hoc vero perabſurdum eſt. Nec illud dubium, *ante diem* in iiſce loquendi formulis nihil aliud eſſe, quam *ante diem confectum*, hoc eſt, *in ipſo die*.

Auſonii locus, qui allatus eſt, ad rem non facit. Ineunte nocte ſcribit Auſonius, & hoc tempus ait eſſe ante diem nonum decimum Kalendar. Januariarum. Nempe quod nondum media nox appeteret, a qua diei ſumitur initium; ideo prima nox, id eſt, iniens erat ante diem XIX. Kal. Jan. Scaligeriani vero figmenti veſtigium in illis verbis ne tenuiſſimum quidem cernitur.

III. Ex eadem divinandi licentia profectum eſt & illud, quod tanta cum fiducia pronunciat, Romanos annum lunarem conſtituiſſe dierum CCCLV. uti poſtea Democritum. De Democrito parum explorata res eſt, & a ſolo Scaligero tradita, ut ſupra vidimus. Romani vero cum lunarem annum dierum eſſe CCCLIV. a Græcis didiciſſent, imparis numeri deſiderio, non ex accuratiore motus obſervatione, diem unum addiderunt, ut veteres omnes teſtantur, & pluribus poſtea confirmabitur. Nam illa diſpoſitio menſium quo demum auctore defenditur? Quis ejus meminit? Quis, ut optima maximeque conſentanea ſit, a Romanis tamen uſurpatam niſi temere perſuadeat? Uno verbo, negamus illam apud Romanos deſcriptionem menſium aliquando fuiſſe, eamque velut falſam commentitiamque reſpuimus.

IV. Non ſatis habuit Scaliger exploſis vetuſtorum teſtimoniis commenta ſua nobis obtrudere, niſi & illos mentitos & hallucinatos eſſe homo minime mendax aſſereret. Atqui in eo ipſo, quantum veteribus affingat, unus Macrobii [2] locus fidem fecerit. Hunc enim falſo Scaliger affirmare ſcribit, Romanos a Græcis intercalandi menſis unius rationem edoctos, qui alternis dierum eſſet XXII. & XXIII. Hæc vero calumnia eſt. Nam id nuſquam Macrobius docuit. ſed cum Græcos narret in Octaeteride ſua octavo quoque anno tres menſes, ſingulos tricenarios, intercalaſſe, ſubdit Romanos illorum imitatione totidem dies, id eſt, nonaginta in octo annis intercalaſſe; non tamen menſes perinde tres, ſed quatuor, nimirum altero quoque anno ſingulos, qui alternis XXII. diebus & XXIII. conſtarent. Ita enim XC. dierum numerus efficitur. Hæc Macrobius lib. I. c. XIII.

De intercalatione Merkedonii agemus proximo capite. Interim illud animadvertendum eſt, Varronis verba perperam exponi. Non hunc aſſerit eſſe duodecimum, cum Merkedonius ſit XIII. Cum autem intercalatur (non utique Februarius,

A ſed Merkedonius) ait inferiores quinque dies Februario demi cui XXVIII. tribuuntur, & infindi menſem intercalarem ſive Merkedonium. Hæc Varro, quæ planiſſima ſunt. Fruſtra item Scaliger Februarium, ſive XII. menſem XXIII. illos dies a Varrone dici putat; inter quos & V. dies demptos Merkedonius inſeritur, ac modo XXII. modo XXIII. dierum eſſe ſtatuit. Etenim Februarius perpetuo diebus conſtabat XXVIII. Ideoque cum intercalabatur Merkedonius inter XXIII. & XXIV. diem, nunquam pauciores viginti tribus illum antecedebant.

V. Ex quo ſequitur falſiſſime, & contra Varronis ac veterum omnium mentem, exiſtimare Scaligerum Terminalia nonnumquam in XXII. alias in
B XXIII. diem incidere. Nam Merkedonius inter XXIII. Februarii & XXIV. intercalabatur, poſt Terminalia, quæ perpetuo ultimum trium & viginti dierum antecedentium Merkedonii Kalendas occupabant: tum inſititius menſis, cui V. dies appendices Februarii ſubjiciebantur, alternis XXII. & XXIII. dies numerabat. At Scaliger Varronis mentem non eſt aſſecutus, fruſtraque ſibi perſuaſit, primos illos dies Februarii, inter quos & quinque poſtremos Merkedonius infinditur, non ſemper XXIII. eſſe, ſed interdum XXII. quorum poſtremus Terminalibus dicatus eſt. Quam
C hallucinationem initio lib. I. pag. 14. obiter intexuit. Neque vero diffitemur intercalarem menſem nonnunquam apellari non eum, qui proprie infinditur, diebuſque conſtat alternis XXII. & XXIII. ſed eundem ipſum cum appendicibus quinque. Ita quidem, ut alias XXVIII., alias XXVII. dies habeat, pro eo ac Merkedonius XXIII. aut XXII. diebus conſtat, de qua re paulo poſt. Sed abſurdiſſime Ciceronis [1] locum ex V. Epiſtolarum, Epiſt. XIV. ad Ligarium, ad conjecturam ſuam trahit. Nam ut oſtendat utrumque menſem intercalarem eſſe dictum, tam XXIII. illos dies, qui ante inſitionem Merkedini tranſiguntur, quam Mer-
D kedinum ipſum, qui inter Terminalia & Regifugium intercalatur, Ciceronem teſtem laudat, qui Epiſtola illa ſic loquitur: *Cum ad* VI. *Kal. intercalares priores rogatu fratrum tuorum veniſſem mane ad Cæſarem.* Hæc enim Epiſtola, inquit, ſcripta eſt anno ipſo Confuſionis, quo eſt intercalatum. Non aliud æque Scaligerianum παραλογισμὸν convincit, atque obſervatio anni Confuſionis. Si enim eo anno ſcripta eſt Epiſtola, non poteſt intercalaris ille prior eſſe Merkedonius, qui in Februarium infindebatur. Nam Cæſar eodem anno neque Februario, neque ſequentibus menſibus,
E Romæ fuit, ſed in Africa; ſiquidem XIV. Kal. Jun. in Lilybæum pervenit: inde in Africam profectus, non ante III. Kal. Quint. in Italiam rediit. Propterea Kal. Quint. in Italiam rediit. Propterea Kal. intercalares priores unius menſis ſunt ex duobus illis, in quos anno Confuſionis Julius Cæſar LXVII. dies, quos inſeruit, partitus eſt, ut libro IV. plenius exponetur. Ita recte Aldus Manutius Ciceronem interpretatus lib. I. de Quæſ. per Epiſt.

Eſt illud præterea Scaligeri caſtigatione dignum, quod Regifugium ait fuiſſe Kal. ipſas menſis XIII. Nam nullius omnino menſis Kalendas Regifugium
F obtinet. Quippe Varro diſertis verbis aſſeverat, cum intercalatur Merkedonius, quinque poſtremos Februarii dies detrahi, qui poſt finem Merkedonii pertexuntur. Horum quinque dierum primus eſt Regifugium. Ergo non poteſt in Merkedonii Kalendas incurrere, ſed eſt ab illis viceſimus tertius, aut viceſimus quartus.

1 De formula illa loquendi *ante diem* IV. *Kal.* &c. 2 Macrobius aliique Scriptores defenſi.

1 Ciceronis locus excutitur ſuper *Kal. Intercalaribus*.

Cum autem innumera sint in hac Temporum doctrina Scaligeri commenta, haud scio, an ullum sit ineptius, quam quod & hoc loco de Romanis, & alibi passim de Atheniensibus, Elidensibus, Græcisque cæteris exposuit. Quos omnes arbitratur diem unum intercalasse, Juliani bisextilis instar, quo civilis anni descriptio solaribus metis & cardinibus responderet. Unde Julium Cæsarem putat, id quod a plerisque nationibus fieri consueverat, sed tacite duntaxat, & apud sacrorum Antistites ac Sacerdotes, primum omnium populari usu & observatione sanxisse, & bisextilem diem inculcasse. Atqui totum illud commentitium est, neque fando unquam est auditum. Nam quod ad Græcos attinet, satis in libro priore disputatum est, annum civilem habuisse lunarem, qui, ut cum solari epactarum & embolimorum mensium beneficio conciliaretur, certis periodis includebatur. Ita factum, ut sine præcipua aliqua diei unius insitione utriusque anni ratiocinia vertente Periodo concordaverint. Exempli caussa, cum Octaeteridem lunarem cum solari paria facere sibi persuasissent, quemcumque demum solaris anni modum constituerent, ad eum lunares calculos trium mensium intercalatione, & paucorum dierum προϑαφαιρέσει facillime revocabant. Hierophantarum autem arcana illa intercalatio ex officina Scaligeriana profecta est, de qua nemo præter illum mentionem facit. Simillimum est & quod de Romanis Pontificibus affirmat; quos negamus omnino ante Julii Cæsaris editionem diem illum bisextilem intercalasse, ut ad epocham solarium cardinum civilia intervalla temperarent. Nam quod unum quotannis diem inseruisse ex Macrobii auctoritate colligit, id cujusmodi fuerit, proximo capite dicetur.

Hoc vero præclarum, quod Pontifices ait Olympiadibus ipsis unum intercalasse diem, eumque propterea ex quadrantibus quatuor collectum *diem Olympiadum* fuisse nominatum, & in eo certa mysteria celebrata. Quæ omnia cassa, frigida, & aperte commentitia sunt. Sed Ciceronis [1] verba, unde ista colliguntur, præstat hic adscribere. Sic igitur lib. xv. Epist. ad Atticum, epist. xxiv. loquitur: *De meo itinere variæ sententiæ. Multi enim ad me. sed tu incumbe quæso in eam curam. Magna res est. An probas, si ad Kal. Januarias cogitamus? Meus animus est æquus. Sic tamen ut, si nihil offensionis, sit & tuus. Etiam scribe, quo die Olympia: cum mysteria scilicet, ut tu scires. Casus consilium nostri itineris judicabit. Dubitemus igitur. Hiberna enim navigatio odiosa; eoque ex te quæsieram mysteriorum diem.* Cicero profecturus, inquit, non audet itineri accingere se, antequam dies Olympiadum intercalatus esset; quod omnis intercalationis dies religiosus & infaustus haberetur. Ideo cum dies Olympiadum, hoc est, dies ex quadrantibus horæ conflatus intercalaretur, quædam mysteria fiebant. Sequuntur loca alia duo, in quibus & mysteriorum ejusmodi, & intercalationum, & temporis, quo fiebant, meminit. Primus est lib. v. Epistolarum ad Atticum epistola xxi. *Cum scies, Romæ intercalatum sit, nec ne, velim ad me scribas certum, quo die mysteria futura sint.* Alter ex epistola i. lib. vi. *Faciesque me, in quem diem Romana incidant mysteria, certiorem.* Postremo dies idem proprio nomine vocatur *Olympia* l. xvi. Epistolarum epist. vii. *Alteram, de qua Brutus, & qui una erant (multi autem erant) lætabantur, quod eam vituperationem effugissem, me existimari ad Olympia.* Corrigit Scaliger *a. d. Olympia.* Si Cicero, inquit, migrasset ante diem Olympia, quod is dies ἀνέκδημος sit, & peregrinationi non idoneus, difficile fuisset ipsum Ciceronem effugere vituperationem populi, religionem illi objicientis. Hæc Scaliger. Quorum eo summa redit: Romanos Pontifices ante Julianam editionem arcana quadriennia servasse, ac diem unum intercalasse, ut anni solaris cursum, solstitii, æquinoctiorum, & brumæ metas tuerentur. Eum diem *Olympia* nominarunt, eoque mysteria quædam celebrabant.

In hac omni Scaligeri disputatione quantum communis sensus ac judicii insit, ex sequentibus animadvertes. Decimus quartus Epistolarum ad Atticum liber scriptus est post Julii Cæsaris necem, anno Urbis conditæ DCCX. ut ex earum lectione quivis agnoscet. Illa quidem, unde primus est allatus locus, ex itinere scripsit, quando æstate profectus est in Græciam, post Kal. Jan. Romam novis coss. rediturus, ut in prima Philippica testatur. Igitur Kal. Sextilibus Syracusas venit. Postea meliori spe per suorum literas ostensa, Romam eodem Sextili mense properavit. At liber v. & vi. Epistolarum scripti sunt ante Cæsaris mortem. Ac vicesima prima quidem libri quinti data est a Cicerone, cum Ciliciæ præesset, anno Urbis DCCIII. Nec longe postea scripta est prima libri vi. quam datam in fine significat die septingentesimo sexagesimo quinto post Leuctricam pugnam, id est, post necem Clodii, quæ contigit anno Urbis conditæ DCCII. Itaque duo posteriores libri scripti sunt ante Julianam formam editam, cum vetus Kalendarium adhuc usurparetur: decimus quintus & decimus sextus post Julii cædem, quæ incidit in annum secundum editionis Julianæ, quæ anno Urbis ex Varroniana putatione DCCIX. cœpit. Igitur Scaliger, ut ante Julianam editionem in veteri anno Romano diem unum ex quadrantibus horariis collectum intercalatum esse demonstret, Epistolæ illius verbis abutitur, quæ constituto jam ac recepto novo Kalendario, & abrogato vetere scripsit Cicero. Quo quidem anno bisextilis nondum intercalari potuit, uti nec sequenti, qui erat Julianus tertius. Quare mirifica est oscitantia. Enimvero infelicissimum se Criticum in his locis castigandis & interpretandis præbuit: atque a communibus & veteribus notionibus ad inusitatas & confictas significationes usum vocabulorum transtulit. Ut cum *Olympia* diem appellari putat illum, qui a Pontificibus intercalabatur in anno Romano vetere, & *mysteria*, opertanea sacra, quæ tum celebrari mos fuit. Atqui nihil aliud *Olympia* istic sint, quam agones Olympiaci, qui commodum in Græcia per illud tempus indicebantur, quo Cicero ex Italia solvebat in Græciam. Incidit enim in annum Julianum secundum, Varronianæ putationis DCCX. annus Iphiti DCCXXXIII. Olympiadis CLXXXI. primus. Quocirca cum in Græciam navigaturus esset Cicero, suspicabantur ipsum illo se potissimum conferre, ut Olympicis ludis interesset; quod minus ex dignitate esse videbatur. Propterea statim in epistola vii. libri xvi. subjicit: *Ego vero Austro gratias miras ago, qui me a tanta infamia averterit.* Sed de ludis Olympicis loqui se clarius docet in epistola v. libri ejusdem: *Sed tamen*, inquit, *rumoris nescio quid afflaverat, commissione Græcorum frequentiam non fuisse. Quæ quidem me minime fefellit. Scis enim, quid ego de Græcis ludis existimem.* Jam *Romana mysteria* sacra quædam occulta fuerunt, quæ tum celebrabantur, cum mundus patere dicebatur, idque quotannis ter; de quibus Festus. Ac tum nefas arbitrabantur publice ac privatim aliquid capessere. In primo loco epistolæ xxiv. libri xi. pro eo, quod vulgo legitur: *Etiam scribe, quo die Olympia*, &c. Bosius ita reponit: *Et tu etiam scito*;

1 Ciceronis locus alius pessime acceptus a Scaligero.

*quo die olim piaculum*. mysteria scilicet. Et est alioqui minus integer ille locus. Denique alienissima est emendatio illa Scaligeri, qui in postremo loco Ciceronis *a. d. Olympia*, pro *ad Olympia* rescribit: & de intercalari illo die accipit, qui tum certe nullus esse debuit, recepta jam Juliana forma, & abrogata vetere; nec unquam ullo in Romanorum usu fuit. Etenim cum vetus ille modus altero quoque anno biduo redundaret, & post annos XXIV. dies eximendi fere totidem essent, quid erat causæ, cur novum, & ex quadrantibus collectum diem adjicerent? Ita enim post XXIV. annos XXX. dies superflui, non XXIV. fuissent. Apage commentorum absurda ista portenta.

VII. & VIII. Ejusdem modi est anni Romani explicatio, cujus descriptionem minime intellexit. Nam Romanus annus dierum fuit CCCLV. solaris CCCLXV$\frac{1}{4}$. Redundant igitur dies quotannis X$\frac{1}{4}$. Sed Romani, perinde ac si CCCLIV. duntaxat dierum annum suum fecissent, quotannis supra Lunæ ratiocinia dies accrescere putabant XI$\frac{1}{4}$. qui cum anno Romano conjuncti conficiunt dies CCCLXVI$\frac{1}{4}$. Quo circa lunarem annum existimabant esse præcise dierum CCCLXV$\frac{1}{4}$. Igitur quotannis diebus XI$\frac{1}{4}$. hunc illo majorem esse censebant. Sed ob imparis numeri superstitionem diem unum ad lunarem annum adjungebant. Ita solaris annus super lunarem epactas habuit XII$\frac{1}{4}$. sed quod unus ex illis dies ad lunarem accederet (erat enim dierum CCCLV.) ideo non plures quam XI.$\frac{1}{4}$. epactæ numerabantur. Porro si excessum illum vicies bis multiplices, confient dies CCXLVII. horæ XII. qui ad 7810. qui sunt anni Romani simplices viginti duo, additi conficiunt dies 8057. hor. 12. in annis Romanis XXII. At Juliani totidem dies habent 8035. horas 12. Differentia amborum est dierum 22. Sed propter horarum redundantiam præcisa æquatio fieri non potest. Ea vero fit in annis XXIV. Nam Romani anni XXIV. dies colligunt 8790. solares 8766. discrimen amborum est dierum XXIV. Totidem igitur eximuntur post annos XXIV. Quare non annis XXII. ut perperam ariolatur Scaliger, sed XXIV. definita est Romana Periodus; in quo veteres omnes consentiunt. At enim Merkedinus non plures diebus XXIII. habuit. Verum præter Merkedinum, diem insuper unum inserebant, qui annum compleret dierum CCCLV. isque dies post annos XXIV. una cum Merkedino eximi consueverat. Qua de re paulo est accuratius modo disputandum, unaque Romani anni ratio ex veterum Scriptorum testimoniis, non ex absurdis, & Scaligerianarum similibus conjecturis eruenda.

## CAP. LXXIII.

### *De anno Romanorum vetere accurata disquisitio.*

UTrum decem, an duodecim mensibus priscus Romuli annus evolveretur, dubitatum est a veteribus. Nam Licinius Macer ac Fenestella, ut auctor est Censorinus cap. XX. jam tum ab initio duodenum mensium extitisse putabant. Alii, ut Junius Gracchanus, Fulvius, Varro, Suetonius, Ovidius I. Fastorum, quos reliqui sequuntur omnes, Plutarchus in Numa, Solinus cap. III. Censorinus, Macrobius lib. I. Sat. cap. XIII. decem tantummodo mensium constitutum annum a Romulo prodiderunt; dierum vero CCCIV. quos ita dispensatos fuisse Solinus, Macrobius, & Censorinus affirmant:

| | |
|---|---|
| Martius dies habet | XXXI. |
| Aprilis | XXX. |
| Majus | XXXI. |
| Julius | XXX. |
| Quintilis | XXXI. |
| Sextilis | XXX. |
| September | XXX. |
| October | XXXI. |
| November | XXX. |
| December | XXX. |

At Plutarchus de Romuli anno, & mensium dispositu aliter sentit: Nimirum menses aliquos XXXV. dierum fuisse, aut etiam plurium; quosdam ne vicenos quidem habuisse, cum id unum spectarent, ut CCCLX. dies anno tribuerent. Sane totidem dies lunari anno a vetustissimis Græcorum attributos, auctores sunt Herodotus, Geminus & alii, ut supra lib. I. planum fecimus. Unde non absurda mihi Plutarchi sententia videtur, qui Romuli ætate censet anno CCCLX. dies imputatos; quod sine dubio a Græcis didicerant. Verum communis est, uti diximus, opinio, non plures, quam & menses X. & dies CCCIV. Romuli anno competisse. Quamquam de mensibus, quod idem Plutarchus commemorat, nonnullos XXXV. dierum extitisse, alios ne XX. quidem ex eo confirmare licet, quod Censorinus cap. XXII. scribit, Albanos, quorum coloni fuere Romani, Martio dies arrogasse XXXVI. Majo XXII. Sextili XVIII. Septembri XVI. eosdemque denos menses constituisse docet idem cap. XX. quod fortasse Romulus militaris gloriæ, quam cœlestis doctrinæ cupidior secutus est. De quo nihil affirmare audeo. Illud constat, Romuli annum a Numa Pompilio, & ab aliis postea castigatum fuisse, ac vel menses additos duos, vel, si jam totidem essent, dierum in illis dispositionem, & ipsorum ordinem esse mutatum. Nam cum primus antea Martius fuisset, tertius ab illo factus est; primus autem Januarius, secundus Februarius: qui ambo vel antea non extiterant, ut plerisque placet, vel undecimum ac duodecimum in locum conjecti fuerant, ut esset postremus omnium Februarius. Cæterum hæc a Numa castigationis inita est ratio, ut iidem illi auctores asseverant. Cum annus esset dierum CCCIV. ad eum numerum LI. dies addidit, annique modum diebus CCCLV. definiit. Tum de senis illis mensibus, qui tricenarii sunt, singulos detraxit, qui ad LI. accedentes LVII. compleverunt; ex quibus menses illi duo formati sunt, Januarius XXIX. Februarius XXVIII. dierum, ut ex sequente laterculo perspicuum est.

Ita numerum imparem, quo tantopere delectatus est, in omnibus adhibuit, uno excepto Februario, qui propterea velut infaustus diis Manibus consecratus est. Modus anni lunaris, Numæ opinione, tum erat dierum CCCLIV. licet imparis amore numeri diem unum superfluum adjecerit, qui suo tempore cum Merkedino, uti mox dicetur, erat eximendus. Solaris annus, ut iidem illi Scriptores existimant, dierum CCCLXV$\frac{1}{4}$. habebatur, de quo valde dubito. Nam nondum per illa tempora Græcis tam accurata anni descriptio fu-

| | |
|---|---|
| Januarius | XXIX. |
| Februarius | XXVIII. |
| Martius | XXXI. |
| Aprilis | XXIX. |
| Majus | XXXI. |
| Junius | XXIX. |
| Quintilis | XXXI. |
| Sextilis | XXIX. |
| September | XXIX. |
| October | XXXI. |
| November | XXIX. |
| December | XXIX. |

oluisse videtur: nedum Romanis, aut Albanis, qui a Græcis, & quidem vetustissimis colonis, potius quam recentioribus, traditam anni formam acceperant. At illi ipsi Græci antiquiores, ac fortassis etiam sub ætatem Herodoti, longe majorem solaris & lunaris anni modum tenuere, uti libro primo demonstratum est. Quare mirum valde est, si quidem est verum, Romanos Lunæ ac Solis, & hujus præsertim, vestigia tam prope consecutos esse, quod nondum Græci obtinere potuerant. Veruntamen quoniam propter scriptorum antiquiorum inopiam, ac temporum illorum obscuritatem, aliter, quam ab recentioribus istis memoriæ proditum est, de Pompiliano anno statuere non possumus, nisi divinationes ac commenta nostra, ex Scaligeriano instituto, venditare malimus, ideo anni utriusque rationem sequamur, quam auctores illi tradiderunt. Hoc modo cum Romanus annus dies haberet CCCLV post biennium dies erant e solari ψηφισμῷ superflui XX. horæ XII. Sed Numa, aut quisquis alius auctor intercalandi fuit, perinde ac si dies nullus supervacuus, hoc est, trecentesimus quinquagesimus quintus, esset adjunctus, XI dies¼ singulis annis, biennio vero XXII. horas XII. attribuit. Ita factum ut alternis intercalaris mensis brevissimus modo XXII. modo XXIII dierum insertus fuerit. Hunc *Merkedinum* Plutarchus in Numa vocat. Macrobius tamen dubium facit, utrum a Numa, an a Tullio, an Decemviris primum intercalatum sit. Varias enim de ea re veterum sententias attulit. Ac mihi quidem probabile videtur, Numam Romanum annum mere lunarem constituisse dierum CCCLIV. cum uno die, qui Januario arrogari consueverat, & embolimæos, Græcorum exemplo, tertio fere anno, interdum & secundo inseri jussisse; sed posterioribus temporibus, cum jam annus mensesque in eum modum ordinati a Numa, publiceque jam recepti forent, placuisse, ut annus propius ac breviori intervallo Solis vestigia premeret; indeque altero quoque anno conflatum ex diebus illis, quibus Lunam Sol excederet, mensem intercalatum fuisse. Movet me, ut ita sentiam, illud in primis, quod primus anni Romani conditor lunaris spatii potissimam rationem habuit, cum & CCCLIV. dies præfiniit cum insititio die, & mensium descriptionem plane lunarem instituit, in iisque dierum appellationes ad lunares φάσεις accommodavit, veluti Nonas, Idus, &c. Quæ omnia argumento esse possunt lunarem initio apud Romanos annum extitisse. Nam si in ipso condendi anni exordio Solis ratiocinia consectari maluissent, id in singulis annis fecissent potius augendo in menses dierum numero, quam post biennium curtis illis mensibus intercalandis. Quamvis similem huic apud Græcos veteres intercalandi rationem fuisse persuadeat Herodotus; sed tum major erat, quam quæ a Numa usurpata dicitur, anni lunaris quantitas, uti superiore libro declaravimus. Non possum igitur ab ea conjectura discedere, quin ab alio posteriore Rege, vel a Decemviris existimem novissimam illam Romani anni methodum, & Merkedini intercalationem excogitatam fuisse. quod nescio an non & Livii locus ille significet, qui ex libro I. citatur a Scaligero, ubi diserte scribit Numam ad Lunæ cursum in XII. menses annum descripsisse, & intercalari mense interponendo post XXIV. annos ad metam eandem Solis, unde orsi essent, annorum spatia revertisse. At ubi intercalaris Merkedonius est admissus, lunaris esse procul dubio desiit. In quo Dionis error castigandus, qui Romanos ante Julianam correctionem menses ad Lunam direxisse scribit: Πρὸς γὰρ τὰς σελήνης περιόδους ἔτι καὶ τότε τοὺς μῆνας ἦγον· *Nam ad Lunæ circuitus adhuc per illud tempus menses dirigebant.* Si altero quoque anno dies XXII. aut XXIII. ad lunarem annum adjungebant, quomodo menses Lunæ motui respondere poterant? Sed quandonam, & a quo primum instituta sit intercalatio Merkedonii, inter veteres ipsos minime constat, uti diximus. Illud perinde est incertum, a quo sit Februarius mensis secundo loco constitutus. Id enim a Numa minime esse factum inde patet, quod utique, postquam institutus est iste mensis, aliquandiu postremus esse debuerit. Nam & duodecimum, & ultimum fuisse plerique initio perhibent; & Terminalia postremum anni diem obtinuisse peræque consentiunt. Ovidius II. Fastorum Decemviris mutationem illam situs Februarii tribuit, his versibus:

*Sed tamen (antiqui ne nescius ordinis erres)*
*Primus, ut est, Jani mensis & ante fuit.*
*Qui sequitur Janum, veteris fuit ultimus anni:*
*Tu quoque sacrorum, Termine, finis eras.*
*Primus erat Jani mensis, quia janua prima est:*
*Qui sacer est imis manibus, imus erat.*
*Postmodo creduntur spatio distantia longe*
*Tempora bis quini continuasse viri.*

Ergo aliquot sæculis Februarius novissimus mensis fuit, unde & in eodem intercalatum est: Martius vero secundus.

De Kalendarum, Nonarum & Iduum vocabulis ita sentit Macrobius[1], lib. I. cap. XV. Romulum, ut erat acri quidem, sed agresti ingenio, initium cujusque mensis ex illo sumpsisse die, quo novam Lunam contigisse videri. Quia vero alias tardius, alias celerius apparet, accidit, ut cum tardius apparuisset, præcedenti mensi plures dies; aut cum celerius, pauciores darentur. Ita casu factum, ut quot cuique mensi dies primum attributi sunt, totidem deinde retenti sint. Verum biduum illud, quo menses aliqui pleniores erant, inter Kalendas & Nonas inserebatur. a Nonis ad Eidus semper octo dies erant, ita ut Nonæ propterea vocatæ sint, quod *nonus* retro dies esset. inter Eidus, ac sequentes Kalendas, sedecim dies perpetuo numerati. At Cæsar cum certis mensibus duos adjiceret dies, ordinem noluit mutare Nonarum. Unde vetus Nonarum numerus in Julianis mensibus perseverat. Nam quatuor illi soli menses sex Nonarum dies habent, qui olim uno & triginta diebus constabant, videlicet Martius, Majus, Julius, October.

[1] De Kalendis, Nonis, & Idibus.

Jam

Jam Kalendarum vox inde deducta, quod Pontifex minor illo die quinquies, aut septies Kalandi vocabulum repeteret, prout quintus, aut septimus a Kalendis dies erant Nonæ. Nam Eidus ἀπὸ τοῦ εἴδους, id est, a plenæ Lunæ specie dictas esse, auctor est Plutarchus Quæst. Rom. Quæst XXIV. ut & Dionys. Halicarn. quem citat Eusebius libro IV. de Præp. pag.96. ubi Eidus interpretatur διχομηνίδα, hoc est, quæ in dimidiatum mensem incurrit, non ἀπὸ τῆς μηνής, sed ἀπὸ τοῦ μηνὸς voce deducta. Quamobrem verisimile est fortuitam varietatis illius originem fuisse, quod plures paucioresve Nonæ certis mensibus addictæ sint. Neque enim Scaligeriana illa ratio satis solida videtur, ex eo, quod ab intermenstrua Luna ad διχόμηνον nunc septem, nunc sex dies sint, accidisse, uti Nonæ alias septimo, alias quinto a Kalend. die ponerentur. Nam si id verum esset, alternis mensibus id oportuit fieri. Deinde nullius mensis Nonæ sextum a Kalendis obtinent diem, sed quintum, aut septimum. Postremo Plutarchus prudenter admonet in istarum rerum indagandis originibus nimium subtiles & exactos esse non oportere.

Nunc de superfluo illo die, qui ad lunarem annum imparis numeri studio accessisse fertur, agendum nobis est. nam de eo non indigna relatu sunt, quæ Macrobius scripsit. Refert enim Pompilium ad annum Romuli, qui quatuor supra trecentos diebus finiebatur, quinquaginta dumtaxat addidisse, & sex e veteribus mensibus detractis diebus, binos menses, singulos XXVIII. dierum conflasse. Postea tamen in honorem imparis numeri unum adjecisse diem, eumque Januario dedisse. Unde accidit, ut cum antea dies supra Lunam undecim cum quadrante solaribus rationibus imputarent, postquam superfluum illum diem adjecerunt, totidem nihilominus tribuerent. Pergit Macrobius, & ista subjicit. Cum sæpe eveniret, ut nundinæ modo in anni principem diem, modo in Nonas caderent, utrumque autem perniciosum Reipublicæ putaretur, quo illud evitari posset, diem illum, quo abundabat annus, eorum arbitrio permissum, qui Fastis præerant, ut cum vellent intercalarent: *Dummodo*, inquit, *eum in medium Terminaliorum, vel mensis intercalaris ita locarent, ut a suspecto die celebritatem averterent Nundinarum*. Hæc Macrobius: quæ sunt sane luculenta, neque a Scaligero prætermitti debuerant. Ex iis vero satis apparet, Romanos tum lunarem annum diebus non CCCLV. sed uno minus constituisse. Deinde superfluum illum diem non certum in Januario locum habuisse, sed nundinarum opportunitate dilatam, vel præcipitatam ejus insitionem. Quod, ut Macrobii verba significant, anno etiam antecedente in sequentem provisum est, quoties alioquin in anni caput incurrerent Nundinæ. Ut si anno sequenti ordinarius dierum decursus Nundinas in Kalend. Jan. conferret, hoc ipso anno dies aliquis auferendus, vel addendus fuerit, ut ne in Kal. Nundinæ conveniant. quod in Januario, vel Februario factitatum Macrobius indicat. Quare anno fere ante provisum istud fuerit. quomodo Judæi, qui ad vitandum certarum feriarum concursum cum Tisri vel Nisan neomeniis, unum addunt, ac detrahunt diem, non abrupte, sed anno ante solido faciunt. Quamvis perobscure sane Macrobius loquatur. Quid enim est diem illum in medio Terminaliorum, vel mensis intercalaris collocatum fuisse? An MerKedinus XXIV. dierum esse quandoque potuit, hoc est, XXIII. ordinariorum cum superfluo illo & addititio? Deinde non satis explicat, quomodo Nundinarum cum anni capite concursus vitatus fuerit; quod sola diei illius intercalatione fieri minime potuit; nisi etiam anno, ut dictum est, antecedente superfluum alterum diem adjecerint, aut ordinarium e contrario aliquem expunxerint. Quocirca mihi non aliter Romani priscis illis temporibus egisse videntur, quam postea, Juliana forma condita, instituisse Dio refert, lib. XLVIII. ubi scribit anno Urbis DCCXIV. Domitio Calvino & Asinio Pollione Coss. ne Kalendæ Januarii sequentis in Nundinas inciderent, unum esse diem præter morem intercalatum, ac deinde alium exemptum, uti annus Julianæ ordinationi responderet. Quod & olim usurpatum fuisse idem significat. Ad eundem itaque modum suspicamur, quoties Nundinæ in Kalend. Jan. incurrerent, diem unum præter ordinem in Decembrem inculcatum esse, & alterum postea de Januario, vel altero mense detractum; aut contra Decembri subtractum, & Januario restitutum. itidemque ne in Nonas, vel alterum religiosum diem Nundinæ convenirent, unum in Januario insertum diem, hoc est, superfluum illum, qui non statam certamque Romano in Kalendario sedem occupabat, sed ex Pontificum arbitrio opportune dispensari solebat, quo Nundinarum cum Nonis concursus evitaretur. At Macrobius unum illum superfluum diem in medio Terminaliorum, vel mensis intercalaris locatum perpetuo fuisse demonstrat. Quod si verum est, jam Februarius, non Januarius XXIX. diebus constabit, cui veteres omnes repugnant; aut certe MerKedinus numquam XXII. dierum extitit, sed aut XXIII. aut XXIV. Nam quotannis ille dies intercalatus est, ut esset annus dierum CCCLV. Potest & illud occurrere; nonnumquam Romanum annum dies habuisse dumtaxat CCCLIV. cum scilicet ne insequentis anni Kalendæ in Nundinas caderent, superfluus omitteretur dies: aut vero CCCLVI. dies anno alicui iisdem de causis attributos, exolescente paulatim imparis numeri superstitione. ut propterea Macrobius dicat, Pontificum arbitrio permissam diei illius intercalationem fuisse, quoniam alias intercalabantur, alias omittebatur intercalatio, prout illis visum fuerat. Sed eæ omnes conjecturæ, quamlibet verisimiles, pro confessis ac liquidis minime sanciendæ sunt; sed ut probabiles ambiguis de rebus opiniones Lectoribus offerendæ.

Illud sane ex Macrobii testimonio non absurde colligitur, Romani conditorem anni modum lunarem diebus CCCLIV. non, ut Scaliger, CCCLV. definiri voluisse, ac superfluum diem non pro legitimo & ordinario habuisse, sed pro alieno, ac propter superstitionem intruso, cui nullus certus locus esset addictus. Denique Scaliger libro IV. pag.430. cum de bisexto disserit, locum illum Macrobii vexat, in eoque declarando multa suo more vaticinatur. Primum illud repetit, quod & hoc libro docuerat, Romanos perinde ut Græcos diem unum intercalasse, eamque intercalationem appellasse *Olympiadum mysteria*. Eundem porro diem unum ex MerKedonii diebus fuisse censet, nempe vicesimum tertium: ita tamen ut non semper in fine MerKedonii diem illum intercalarent, sed interdum extra ordinem in fine anni communis, ejusque Decembri, qui tum dierum fieret XXX. pro ordinariis XXIX. Sed hæc falsa sunt. Primum dies iste intercalaris non eo modo, quo Scaliger arbitratur, insertus fuit a Romanis, videlicet quod solarem annum Juliano modo constare crederent: sed ex superstitione redundabat, ut auctor est Macrobius, a quo solo illum didicit diem. Sed nec unus fuit ex MerKedonii diebus. Nam MerKedonius altero tantum anno, dies autem ille quotannis inserebatur. Fallitur præterea cum asserit Terminalia, cum fiebat ἐξαίρεσις, anticipata esse. Nam immota consistebant in XXIII. Februarii.

## CAP. LXXIV.

*Expenditur Livii locus, deque commentitia Periodo Romanorum agitur.*

QUod de superfluo illo die ex Macrobii auctoritate didicimus, non parum nobis ad Romanæ Periodi rationem intelligendam præsidii & utilitatis affert. Hanc enim Scaliger duobus & viginti dumtaxat annis circumscriptam fuisse magna cum fiducia disputat, nec Livium & antiquos omnes arguere veretur, qui XXIV. annos eidem Romanæ Periodo tribuunt. Livius quidem primo libro his verbis illud exponit: *Atque omnium primum ad cursum Lunæ in XII. mensibus describit annum: quem quia tricenos dies singulis mensibus Luna non explet, desuntque dies solido anno, qui solstitiali circumagitur orbe, intercalares menses interponendo, ita dispensavit, ut vicesimo quarto quoque anno ad metam eandem Solis, unde orsi essent, plenis annorum omnium spatiis dies congruerent.* Hæc Livius, cui Macrobius suffragatur: qui cap. XIII. tertio quoque octennio dies ait XXIV. fuisse subtractos, quot superfluus ille quotannis insertus spatio illo cumulaverat. Scaligero tamen exploratum est, omnes illos auctores esse mentitos, falsissimumque esse, Romani anni circuitum XXIV. annis absolvi, sed XXII. contineri. Sic enim differit: *Merkedonius nunquam* XXIII. *dies excedebat. non igitur* XXIV. *dies exempti: proindeque nec annus* XXIV. *ad peræquandas anni rationes expectatus est, in quo* XXIV. *dies superflui colliguntur.* Verum perspicuum est XXIV. annis aptissime cum solari & Juliano anno Romanum conciliari potuisse. Anni Romani XXIV, si Merkedonius non omittatur, dies colligunt 8790, totidem Juliani 8766: differentia dierum est XXIV, quibus omissis præcisa fit æquatio. Nam Merkedonius anni vicesimi quarti diebus constat XXIII; quo cum superfluus quoque ille dies prætermissus est, nempe trecentesimus quinquagesimus quintus. Ita ad eandem Solis metam anni intervalla revocantur. Quod in XXII. annis fieri non potuit. Nam horæ XII. abundant, quas in alterius Periodi finem reservatas divinat Scaliger. Atqui si id verum est, non XXII. annis, sed XXIV. Romana Periodus definienda fuit. Præterea nimis insulse ac temere quantumvis probabilis conjectura expressis antiquorum Scriptorum testimoniis opponitur. Explodatur itaque vana illa Scaligeri sententia de XXII. annis Romanæ Periodi, ex qua ludicra Sæcularium ludorum, ac temporum origo proficiscitur; ad cujus convincendam falsitatem transferenda nobis est oratio.

---

## CAP. LXXV.

*De Sæculi Romani origine Scaliger.*

I. EX Periodo Romana, quæ duorum & viginti annorum erat, & Romano lustro, natum est nobis annorum illud, quod sæculum appellarunt, quodque CX annis constabat. Continet enim Periodos quinque, quarum prima anno primo lustri quinquennalis incipit, secunda a tertio, tertia a quinto, quarta a secundo, quinta a quarto. In sexta lustrum redibat in orbem suum. Hoc tempus Romani vocabant *Sæculum*, quod erat lustrorum XXII, Periodorum V, an-

A norum CX, ut Horatius testatur in sæculari carmine:

> *Certus undenos decies per annos*
> *Orbis ut cantus, referatque ludos.*

II. Ob eam causam anno centesimo decimo vertente, ineunte centesimo undecimo, ludi sæculares celebrabantur; quo tempore annus in Solem, lustrum in annum, Periodus in lustrum conveniret. Quam rationem verissimam, & a nulla fabularum affectatarum origine petitam, neque Varro, neque omnis Senatus Criticorum intellexit.
B Nam intervallum illud CX annorum summa veneratione a veteribus Romanis observatum est, cum eo confecto ex Quindecimvirum commentariis ludi instaurarentur. Ab illis enim ludis, quos Quindecimviri primos celebratos prodiderunt, anno CCXCVIII, Marco Valerio, Sp. Virginio Coss. ad alteros, qui anno CCCCVIII. repetiti sunt, intervallum est annorum CX, & sic deinceps ad reliquos ludos, quos Censorinus commemorat, usque ad postremos, quos Severus Imperator indixit.

III. Primi ludi sæculares editi sunt anno Urbis CLXXXVIII, qui erat annus Servii Tulli decimus,
C quo tempore lustrum primum ab eo conditum. Nam quod scriptum extat apud Censorinum, a lustro primo ad ultimum, quod conditum est anno DCCCVI. ab U. C. annos interfuisse paulo minus sexcentos quinquaginta, id potius Librarii, quam Censorini error est. Nam hoc modo Servius Tullus initio regni sui lustrum condidisset, quod falsum est. Nos omni asseveratione contendimus, non solum primum lustrum conditum anno Tulli decimo, sed etiam hinc repetendam esse originem ludorum sæcularium.

IV. Quod autem primum lustrum eo anno, quo diximus, conditum sit, patet ex Fastis Capitoli-
D nis. Nam in illis anno U. C. CDLXXIV. lustrum XLVI. conditum, & anno DLXXIV. lustrum quinquagesimum. Quinquaginta lustra fiunt anni 250. qui ab annis 574. abjecti relinquunt 324. Rursus abjice annos Urbis 189. post quod tempus proxime censemus lustrum esse conditum, remanent anni 135. quæ sunt lustra 27. intermissa post primum illud Servianum. Unde colligimus lustra, quæ ab Augusto condita sunt, longe differre ab illis Servianis. Quippe in instaurandis lustris nullam rationem lustrorum Servianorum habuit, sed annorum Urbis. Nam, verbi gratia, lustrum Augustus condidit C. Martio Censorino, C. Asinio Gallo Coss.
E cum octo ante annis ludos sæculares edidisset: quod non convenit instituto Servii Regis, quem constat primo Periodi censum egisse.

---

## CAP LXXVI.

*De Sæculi Romani origine absurda Scaligeriana commenta discutiuntur, ac vera de lustris Romanis doctrina proponitur.*

F I. SPeciosam illam sæculi Romani descriptionem meram esse fabulam ad pompam & ostentationem ordinatam, patet ex eo, quod nullo veteris ullius auctoris testimonio, sed sola commenti jocularis lascivia nititur. Nam ex eo pendet omnis, quod paulo ante refutatum est, Periodum Romanam, qua vertente, Merkedini exemptione cum Sole Romanus annus in concordiam redibat, XXII. annis comprehensam fuisse. Hoc vero solus excogitavit Scaliger; veteres omnes

XXIV. annos præfiniunt, ut Livius, & Macrobius. Quid est autem minus ferendum, quam sibi tantum assumere, ut quod opinione sua finxerit, id testatis & vetustate corroboratis antiquorum decretis anteponendum existimet? An de Romano anno Livio potius, ut de Macrobio taceam, non assentiar, Romano utique Scriptori, quam Scaligero, qui mendacii Livium arguit, eique non Scriptoris alterius auctoritatem, sed commentum suum, hoc est, meras fabulas opponit? Quamobrem tota illa sæculi Romani, & lustrorum enarratio ficta est & fabulosa, quam omnis retro antiquitas ignoravit: Romana quippe Periodus non XXII, sed XXIV. annis evoluta, nihil commune cum lustris habuit.

Præterea quæ de sæculi spatio ad opinionem suam comprobandam attulit, parum certa sunt, ut ex Censorino liquet. Ex quo nonnulla hic exponam, quibus tota res illustretur. De Romano itaque sæculo disputans Censorinus cap. XVII. modum ejus incertum esse docet. Nam alii, ut Antias & Varro, centesimo quoque anno sæculares ludos institutos existimant. Quibus accedit & Livius lib. CXXXVI. qui & sæculi terminum centesimo anno circumscribit. Alii centesimo & decimo definiunt sæculum, ut Horatius, & commentarii Quindecimvirales, qui in describendis ludorum sæcularium intervallis ab Antiate discrepant. Etenim. primos ludos sæculares a Valerio Publicola institutos esse Valerius Antias ait, anno Urbis CCXLV. Quindecimvirales libri anno CCXLVIII, M. Valerio, Sp. Verginio Coss. Rursus alteri ludi celebrati sunt, ut Antias refert, anno CCCV. at Quindecimvirorum libri in annum conferunt CCCCIII, Marco Valerio Corvino II & Cajo Pœtilio Coss. Tertii ludi fuerunt, Antiate Livioque auctoribus, Publio Claudio Pulchro, C. Julio Pullo Coss. anno DV. ex Varrone. At Quindecimviri notant eos anno DXVIII, Pub. Cornelio Lentulo & C. Licinio Varo Coss. de quartorum ludorum anno triplex opinio est. Antias Varro, & Livius relatos esse prodiderunt anno DCV. L. Martio Censorino, M. Manilio Coss. At Piso Censorius, Cn. Gellius, Cassius Hemina, qui illo tempore vivebat, anno DCVIII, Cn. Cornelio Lentulo, Lucio Mummio Achaico Coss. In Decemvirorum commentariis notantur sub anno DCXXVIII, Marco Æmilio Lepido, L. Oreste Coss. Quintos C. Furnio, C. Julio Silano Coss. anno DCCXXXVII. Cæsar Augustus & Agrippa fecerunt. Sextos egit Tiberius Claudius Cæsar se IV. & L. Vitellio III. Coss. anno IϽCCC. Septimos Domitianus, se XVI. & L. Minutio Rufo Coss. anno IϽCCCXLI. Octavos Impp. Septimius & Marcus Aurelius Antoninus, Chilone & Libone Coss. anno IϽCCCLVII. Hæc ex Censorino. Hinc, ut idem concludit, animadvertere licet, neque post centum, aut centum ac decem annos statum fuisse, ut hi ludi referrentur, neque, ut id verum sit, satis argumenti esse, quo quis his ludis sæcula discerni constanter affirmet. Quare nutat illa Scaligeri ratio, qui præterquam quod falso de Romana Periodo judicat, incertam rem velut firmam atque exploratam assumit, nempe sæculare spatium CX. annorum fuisse: cui vetustissimi ferme ex Romanis Superioribus repugnant, qui centenis annis sæculum includunt. Alterius autem sententiæ propugnatores longe quam illi recentiores videntur, nec ante Augusti imperium extitisse. Ac mihi sane attentius de ea re cogitanti, ita veniebat in mentem, sæculares illos ludos priscis temporibus certa nulla lege, ac definito intervallo fuisse redditos. Nam veriora illa credimus, quæ antiquissimi Scriptores, utputa Valerius Antias, memoriæ prodiderunt, quam quæ ab Quindecimviris notata feruntur. At secundum illos, a primis ludis ad secundos intervallum est annorum LXI. Ab his ad tertios CCI. Hinc ad quartos C, vel CIII. Ab his ad Augusti ludos, anni sunt CXXX, vel CXXIII. Deinceps vero non minor perturbatio fuit. Tiberius Claudius Cæsar in sæcularibus ludis instaurandis non superiorum, sed annorum Urbis, & centenariorum rationem habuit. Domitianus vero ad quartos respexit, qui anno DCV. habiti feruntur, quemadmodum & secundi CCCV, sic quasi post annos Urbis centenos quosque ac quinos indici legitimum foret. Qua ratione centum annis definitum est sæculum. Quod ad Quindecimvirorum commentaria spectat, in quibus ludi sæculares per CX annorum spatia digesti sunt, eis sacerdotes arbitror ex ingenio atque opinione sua intervallum ejusmodi constitisse, ac ludos ad illos annos adnotasse, non ut ex veteribus fastis didicerant, sed quemadmodum collocandi erant, ut & post CX annos redirent & Augusti sæcularibus congruerent. Igitur ad epocham Augusti sæcularium ludorum intervalla direxerunt, ac primos ludos in eo anno fixerunt, a quo deinceps ad Augusteos quater CX annorum spatium intercederet, ut ludi quinti in annum DCCXXXVIII. inciderent. Ita Scaligeriana conjectura refellitur.

III. De primo lustro a Servio Tullio condito idem non sine ingenti hallucinatione disputat. Annum quippe decimum Tullii comparat cum anno Urbis CLXXXVIII: quod est falsissimum. Nam ex eo consequens erit Reges ad annum usque CCXLVI, vel CCXLVII imperasse. Servius Tullius annos regnavit XLIV. Tarquinius Superbus XXV. Fiunt demptis Tullii prioribus decem anni LX, qui cum CLXXXVII. conjuncti annos dant CCXLVII. Primus itaque Tullii incidit in annum CLVXVI, decimus in CLXXXV. Nam si ad hos annos adjeceris reliquos Tullii XXXIV. & Tarquinii XXV, hoc est, LIX, consient anni CCXLIV, quod videlicet Romanis Regibus, ipso adstipulante Scaligero, ab Auctoribus assignantur. Proinde triennio toto is aberrat, dum annum decimum Tullii Urbis esse dicit CLXXXVIII. Ac si id est verum, quod Onuphrius sentit, eumque secuti cæteri, Tullium anno CLXXXVI. lustrum condidisse, si annos CX. adjicias, primi sæculares ludi incidere debuerunt in annum Urbis CCXCVI, non in CCXCVIII, ut Quindecimvirales commentarii referebant. A decimo autem anno Tullii, id est, Urbis CLXXXV, numerati anni CX. desinunt in CCXCV, quo nulli sæculares commissi sunt.

Sed de primi lustri [1] a Servio conditi tempore accuratius modo disputandum quod perperam, ut vidimus, Scaliger in annum Regis illius decimum contulit. Onuphrius id ipsum anno ejusdem XI, vel XII. contigisse scribit, qui est Urbis CLXXXVI, vel CLXXXVII. Quod quidem duplici argumento confirmat. Alterum est quod Censorinus cap. XIII. inter primum lustrum a Tullio conditum, & septuagesimum quintum, quod a Vespasiano V & Tito Cæsare III. Coss. factum est, annos intercessisse refert plus minus DCXL. Atqui ab anno Urbis CLXXXVI. ad annum DCCCXXVI, in quo Vespasianus & Titus lustrum condiderunt, anni intersunt DC. Igitur anno CLXXXVI, vel sequente, lustrum est a Tullio conditum. Alterum argumentum ex Livio desumptum est, qui post victos Etruscos Ser. Tullium censum fecisse scribit. Porro in Tab. Capitolinis secundus Ser. Tullii de Thuscis triumphus notatur anno Urbis CXXCVI. Quo acto verisimile est, statim censum a Tullio conditum fuisse. Atqui

[1] De origine lustrorum.

neutrum Onuphrii argumentum primi lustri tempus illud adstruit. Primum enim Censorinus non annos DCXL. sed paulo minus sexcentis quinquaginta intercessisse scribit. Quos si de annis DCCCXXVII. detrahas, (nam consulatus Vespasiani v. & Titi III. una cum censu conjicitur ab ipsomet Onuphrio in annum DCCCXXVII.) reliqui sunt anni CLXXVII, qui est secundus Tullii. Unde anno fere primo, vel secundo census ab illo conditus videtur. Sed quoniam Censorinus non plenos DCL, sed paulo minus intercessisse docet, actus est census anno fortasse Tullii IV, vel V, vel VI. neque enim certo definiri potest. ante decimum quidem peractum fuisse, Censorini auctoritas suadet, cujus verba mendosa esse temere divinat Scaliger. Nos itaque contra Onuphrium & Scaligerum pertendimus, ante annum regni decimum, primum lustrum instituisse Tullium, Censorini loco freti, in quo DCL. numerum agnoscit Onuphrius ad annum Urbis DCCCXXVII, cum de lustro Vespasiani agens eundem citat auctorem. Nam quod ex Livio colligit Onuphrius, post Etruscos debellatos censum a Tullio factum esse, negamus id ex Livio concludi posse. Hic enim res a Tullio gestas sine illo temporum ordine percensens, primum bellicas, deinde civiles commemorat, *Cum Vejentibus & Etruscis*, inquit, *primum bellum sumpsit: quibus fortissime victis insignis gloria victor rediit*. Tum subdit: *Censum primus instituit*, &c. Non dicit, post fortissimam illam victoriam tum demum censum institutum. Ac si pro eo quod de censu post bellum Etruscum meminit, hoc illum posteriorem fuisse licet colligere, eadem nos argumentandi vi prius a Tullio conditum esse probabimus; quoniam Dionysius Halicarnasseus lib. IV. priore loco de censu ac lustro, deque civilibus Tullii institutis, quam de bello tractat. Qui insuper Etruscum illud bellum XX. annis perseverasse narrat: Οὗτος ὁ πόλεμος εἴκοσι διέμεινεν ἔτη, συνεχῶς πολεμούμενος. Quibus evolutis. Etrusci sese Tullio penitus subjecerunt. De quo tempore, ac belli totius exitu proculdubio loquitur Livius, cum ait Etruscos fortissime victos fuisse. Quare non ante XX. annum Tullii censum institutum oportuit, si quid Onuphrii ratiocinatio promovet. Enimvero primis regni sui temporibus, & censum ac lustrum instituisse, & cætera Tullium ordinasse quæ ad civilem administrationem attinent, adeoque ante susceptum cum Etruscis bellum, facile mihi persuadeo: quod cum censio illa, præcipuaque civilium institutionum pars ad militiam ordinandam pertineret, quo nimirum ad sumptus bellicos pro virili quisque contribueret, & ad bellum idonea ætas agnosci posset, credibile sit Tullium saluberrimum atque opportunissimum illud inventum ad id quoque bellum, quod unicum, & vero diuturnum ac difficile gesserit, imprimis transtulisse. Præterea cum ter in Fastis triumphasse de Etruscis Tullium notetur, ac primus triumphus anno CXXCII. sit adscriptus, cur post secundum potius, quam post primum; imo vero post ultimum institutum esse lustrum Onuphrius affirmat? Vides quam levi conjectura ducti hactenus Chronologi omnes lustrorum originem certa illa epocha defixerint.

Sed Scaligerum audiamus, qui alio quodam argumento lustrum primum eo, quo dixerat, anno conditum ostendit; nempe quod in Fastis Capitolinis anno Urbis DCLIV. lustrum XLVI. conditum & anno DLXXIV. lustrum quinquagesimum dicatur. Quinquaginta autem lustra fiunt anni CCL, qui ab annis 574. abjecti relinquunt 324. Rursus abjice 189. annos Urbis, remanent anni 135, quæ sunt lustra 27. intermissa post primum illud Servianum. Hæc Scaliger. Cujus ratiocinationis quod acumen sit, quantum Dialecticorum est, non capiat. Quæ est enim hujus consequentiæ vis? Anno DLXXIV. lustrum quinquagesimum est conditum, qui sunt anni 250. hi dempti de 574. dant 324. Ergo post annum 189, primum lustrum est conditum. Itane argumentari didicit Scaliger? Nam quid annus ille CCCXXIV. ad propositum facit? aut unde XXVII. lustra prætermissa colligit potius, quam XXVIII, vel XXIX? Quem auctorem ejus rei testem attulit? In eo quippe collectionis cardo consistit, ut XXVII. lustra prætermissa fuisse planum faciat. Deinde vero quemadmodum ex eo, quod in fastis adnotatum sit anno DLXXIV. lustrum quinquagesimum fuisse conditum, horum initium ab anno CCCXXIV. repetit: ita cum anno CDLIV., lustrum XLVI. iidem illi fasti conditum esse memorent, propterea quod anni XLVI. per quinque multiplicati annos faciunt 230, iique de 454. abjecti relinquunt annos 224. non minori jure licebit ad eum annum lustrorum illorum revocare primordium. Quod si XXVII. lustra prætermissa sint, ut putat Scaliger, sive anni CXXXV, detractis totidem e 224, relinquentur anni 89, longe ante natum Tullium, ac sub Tullo Hostilio lustra Romæ constituta fuerunt. Quod ut absurdissimum est, ita ex Scaligeri argumentatione non minus recte, quam illud alterum, sequitur. Ad hæc lustrum Romanum, sive quinquennium quodlibet sequens post ea sacra lustrationesve, quibus conditum esse dicitur antecedens, procedere incipit. Exempli caussa, si primum lustrum a Servio conditum est anno CLXXXVIII, annus quinquennii primus vel est is ipse, quo certis expiationibus ac ceremoniis conditum dicitur lustrum, nempe centesimus octogesimus octavus, vel ei proximus CLXXXIX. Itaque anno CXCIII. primum lustrum finitum erit; anno CXCVIII. secundum, atque ita deinceps. Unde si anno CLXXXVIII. lustrum primum a Servio conditum fuit; itemque anno 574. alterum: debuit hoc a priori esse septuagesimum octavum, siquidem lustra numquam intermissa fuissent. Nam de 547. abjectis 188, restant anni 385, qui sunt lustra solida 77. His adde lustrum anno 188. conditum, septuagies octies conditum fuerit ad annum usque 574, si, ut dixi, post illud Tullii primum servata perpetuo fuissent. Nunc omissa sunt 27, ut putat Scaliger. Igitur 51. reliqua sunt; adeoque anno 574. non quinquagesimum, sed quinquagesimum primum adscribendum erat, si vera esset Scaligeri disputatio. Sed lustra videlicet multis annis omissa, & identidem longo intervallo repetita esse fidem faciunt annales veteres. Fasti vero Capitolini numerum eorum fideliter adnotant; ita tamen ut ex iis nihil de illorum initio possit colligi. Postremo mira est inconstantia, dum post annum CLXXXIX. lustrum esse conditum asseverat; quod paulo ante statuerat anno ipso CLXXXVIII. a Tullio cœptum fuisse.

## CAP. LXXVII.

*De Romani anni veteris labe.*

INterkalaris Merkedonii beneficio Romanum annum cum solari conciliatum fuisse ex superioribus intelligi potuit. Quare si intercalationem diligenter observassent, constans illius anni status, & cum Juliano concordissimus fuisset. Sed Pontificum libidine, penes quos intercalandi provincia fuit, & aliis de causis est factum, ut paulatim anni caput sua sede dimoveretur; sic ut Januarius tandem in Autumnum pervenerit. Auctores hujus rei sunt Suetonius, Censorinus, Macrobius,

& alii, qui hoc docent, Pontifices odio vel amore publicanorum, quo vel citius vel tardius illorum tempora præterirent, aut ut magistratibus perinde tempus prorogarent, aut e contrario minuerent, sæpe intercalatione aut omissa aut præcitata annum evertisse. Quod Januarius pedetentim sede sua luxatus sit, certis ex conjecturis colligit Scaliger. Quarum nonnullæ recte ab eo disputantur, alias contagione doctrinæ suæ ac falsitatis infecit. Hujus generis est exemplum illud, quod ex Urbis captæ tempore deducitur; quod quidem Plutarchus plenilunio solstitiali contigisse memorat. Refellit autem ex eo Scaliger, quod tum Olympiadici mensis Neomenia inciderit in XI. Julii & ideo XXV. Julii Urbs capta sit. At solstitium Græcia vocabat VIII. Julii, post quam diem Neomenia omnis Olympica, atque adeo Græciæ totius incipiebat. Quare fallitur, inquit, Plutarchus. Verum & recte sensisse Plutarchum & Scaligerum perperam de captæ Urbis anno statuisse, suo loco docebitur, cum de anno captæ Urbis agetur. Hæc autem, quæ ad negotium istud ex annis Olympicis, & Græcis, ac methodo Græcæ Tetraeteridos assumit, quam sint falsa, & conficta, satis in primo libro demonstratum est.

Igitur ex aliis exemplis Romani anni corruptela deducitur, quorum nonnulla hic adscribam. Ad primum ille ipse captæ Urbis annus suo loco planum faciet, Januarii principium in Decembris fere VI. incurrisse. Item Livius [1] est auctor anno Urbis conditæ DLXIV, Scipione & Lælio Coss. ante diem v. Eid. Quintiles obscuratum Solem. Convenit tempus XIV. Martii Juliani, feria II. Si igitur Julii Romani dies XI. in Martii XIV. inciderat, ejusdem Kalend. in IV. Juliani Martii conveniebant; atque ideo Januarius Romanus Septembris Juliani die circiter octavo congruebat, sequens vero Augusti XXVIII. Ad hæc, ut idem Livius refert Dec. v. lib. IV. Coss. Æmilio Paulo & Licinio Crasso, Urbis CLXXXVI. nocte, quam pridie Non. Septemb. consecuta est dies, defecit Luna; inter III. & IV. Septemb. At in anno Juliano contigit illud idem deliquium inter XXII. & XXI. Junii, feria III. Per. Julianæ anni 4546. Proinde September iniit XVIII fere Junii: Januarius circiter Octobris XXIV. At prioris anni Januarius Octobris XIII.

Cæterum in ambobus illis exemplis aberravit Scaliger pag. 177. Nam primam eclipsin, quæ a. d. v. Eid. Quintil. in anno vetere Romano accidit, Martii Juliani XIV., confert in annum Urbis DLXVI. Per. Jul. 4524. Atqui anno isto Per. Jul. ex ipsius Scaligeri sententia, cœpit annus Urbis DLXIV. quo etiam deliquium illud incidit, Coss. Lucio Cornelio Scipione & Lælio, ut perspicue Livius docet; non utique Acilio Glabrione & Nasica Coss. qui anno superiore Consulatum gesserunt, anno DLXIII. non DLXI. Præterea feria II, non VI, eclipsis accidit. erat enim litera Dominicalis B. In priori editione hoc ipso in cap. paululum diversam, sed non minus gravem hallucinationem commiserat. Etenim anno Urbis conditæ DLXII, Coss. Marco Acilio Glabrione & P. Corn. Scipione Nasica defectum illum Solis a. d. v. Eid. Quintil. contigisse scribit, Cyclo Solis XV. Cyclo Lunæ XIX, feria V, anno Nabon. 556, Mechir XXVI. Quod tempus ait congruere IV. nocti Aprilis. Quæ sunt ἀσύστατα. Annus Urbis in eadem priori editione pag. 214. ut & in posteriori editione, tribuitur anno Per. Jul. 3961. Ex quo sequitur, annum Urbis DLXII. incurrere in annum Per. Jul. 4522. qui cyclum habuit Solis XVI, lit., D, Lunæ cyclum XIX. Pessime itaque cum cyclo Lunæ XIX. cyclus Solis XV. componitur a Scaligero. Quod si IV. nocte, sequente quinto die Aprilis, eclipsis contigit, cadet in feriam VII, vel I. Sed eclipsis ista non Coss. Acilio & Nasica, sed Scipione & Lælio contigit, anno Urbis DLXIV, cyclo Lunæ II. Solis XVI, Martii XIV, ut & Buntingus observat pag. 159. Quamquam alia Solis defectio convenit post Aprilis IV. diem, anno illo, quem Scaliger exhibet. Nam latitudo Lunæ in Frisicis Tabulis est 5, 24, 46, quæ est ecliptica. sed non est illa ipsa, cujus meminit Livius.

Secundum Solis defectum accidisse putat Scaliger in posteriori editione, anno U. C. DLXXXIII. Per. Jul. 4546. Junii, XXI, feria III. cyclus erat Solis X, Lunæ V, littera B. Sed hic annus Urbis ex Varroniana, quam Scaliger amplexus est, putatione, est DLXXXVI. Itaque in priori editione confertur in annum Urbis conditæ DLXXXV. Recte quidem, ex Fastorum Capitolinorum, & ea quam Catonianam appellat Scaliger, sententia. Pessime autem, si, ut ipse sentit, condita Urbs est anno Per. Jul. 3961. Nam ex eo necesse est annum illum Urbis esse DLXXXVI. Plura sunt exempla, quæ ex Ciceronianis epistolis cumulat Scaliger, ut labem illam veteris anni, & luxationem mensium affirmet, quæ nos consulto præterimus. Luculentissime vero illud idem astruit Confusionis annus, & emendatio Juliana, de qua libro quarto dicetur.

Quod autem miratur in libri hujus fine Scaliger, cum Januarius in Octobris finem incideret, Ciceronem nihilominus in quadam ad Tyronem epistola hunc hortari, ut ne Novembri hiberno mense naviget, nihil cur tantopere miraretur, caussæ admodum fuit. Locus est epistola VIII. lib. XVI. ad Famil. ubi nulla temporis nota, nullus mensis exprimitur. Verba Ciceronis ista sunt: *Tamen te penitus rogo, ne tam longæ navigationi & viæ per hiemem, nisi bene firmum, committas*, &c. Quoto mense ac die scripta sit hæc epistola non constat; sed ex antecedenti, & sequenti colligas, Novembri datam fuisse. Tyronem ægrotum reliquerat Patris, & longior morbus fore videbatur; itaque initio hujus epistolæ sibi nunciatum indicat. Quare non eodem Novembri mense convaliturum sperabat, atque ad se rediturum: sed post unum aut alterum a Novembri mensem. Fingamus eo quo scribebat anno Cicero, Januarium incidisse in Octobrem exeuntem, vel ineuntem Novembrem Julianum. Igitur intempestiva aliqua intercalatione potuit Januarii & anni caput in Novembrem exeuntem summoveri; atque hoc pacto Novembri ineunte, Octobri vero Juliano itidem exeunte, scribi ad Tyronem epistola potuit, admonerique, ne post recuperatam valetudinem Decembri videlicet Juliano navigaret. Ita belle omnia constant; nec est adeo nodus ille vindice, aut Scaligeriana hæsitatione dignus.

[1] Livius IV. Dec. lib. VII.

F I N I S.

# DIONYSIUS PETAVIUS
## AVRELIANENSIS
### *DE*
# VETERI ANNO ROMANORUM.

## CAP. XLV.

*De Romæ conditu, sive primis Palilibus Urbis. Scaligerianæ doctrinæ summa ex lib.v. Emend. pag. 362.*



Rimus Romanorum omnium M. Porcius Cato ex Censoriis tabulis collegit annum primorum Consulum creatorum, & Regifugii, & inde retro dinumeratis annis CCXLIV, per quæ Romæ regnatum est a VII. Regibus, pervenit ad initia Urbis. Reperit enim in Censoriis tabulis, anno penultimo ante captam a Gallis Urbem, lustrum Romæ auctum, Valerio Potito & Mallio Capitolino Coss. anno post exactos reges centesimo undevicesimo; adeo ut annus captæ Urbis Dionysio teste sit centesimus vicesimus primus Jam Cato annos a Romulo ad exactos reges numerabat CCXLIII; Varro CCXLIV. Et quia immutabilis est annus primorum Coss. validissime ex Censoriis tabulis demonstratus, qui incidebat in annum Iphiti CCLXVII. currentem; hinc sequitur secundum Catonem Romam conditam anno Iphiti XXIV., duobus mensibus ante initium XXV; secundum Varronem anno Iphiti XXIII. tertio Olymp. VI. Hinc quasi in factiones duas res discessit, ut altera Palilia sint Catoniana, altera Varroniana. Varronis auctoritas plures sectatores habuit.

Subjicit aliquot exempla Scaliger, quibus utramque computandi rationem experitur, de quibus agetur postea. Tum illud adjicit, Plutarchum & anno Iphiti XXIII. condi cœptam Urbem asserere, & quo die primum jacta sint fundamenta, Solem defecisse. Sed falso. Nam nulla, inquit, tum Eclipsis fuit.

Reliqua partim recte, partim secus ab Scaligero disputata in Elencho discutientur.

---

## CAP. XLVI.

*De duplici Urbis epocha. quarum alteram Catoni falso & a Scaligero & a plerisque tributam asseritur.*

EX innumeris de Urbis natali sententiis celeberrimæ sunt imprimis duæ, quarum una conditam Urbem statuit anno Olympiadis sextæ quarto; altera ejusdem Olypiadis tertio. Prioris auctor est, ut Plutarchus asserit, Varro: posterioris Verrius Flaccus, in Fastis Capitolinis. Scaliger hanc secundam Catonianam identidem appellat, & ut ita nominarent, omnibus fere hac ætate persuasit. In quo tam ipsum, quam eos, qui ἀβασανίστως illius auctoritatem sunt secuti, deceptos esse non dubito. Quæ enim conjecturæ istius occasio satis firma sit, non video: & contrarium ex eo ipso firmamento, quo nititur, perspicue demonstratur. Etenim Cato nullum certum Olympiadis definit annum, quo Roma

C condita fuerit: sed hoc unum memoriæ prodidit, quod refert Dionysius [1] lib. I. posteriorem esse Romam excidio Trojano annis quadringentis triginta duobus. Ex quo varie licet argumentari, & diversos annos colligere, pro eo atque Trojanum excidium locaveris. Nam de hujus anno plurimum inter se Scriptores discrepant, ut in ejus epocha docuimus. Quare cum nihil extet a Catone scriptum, unde explorari possit, quot annis Olympiadem primam antecessisse velit Trojanæ urbis excidium, temere, ac præter Catonis mentem annus Iphiti vicesimus quartus

D a Scaligero computatur. Et vero perspicua est hac in re hominis oscitantia. Siquidem Trojanam ἅλωσιν anno refert accidisse Periodi Julianæ 3531. Numeretur hic annus primus post excidium a Solstitio cœptus. Quippe sub anni finem urbs est capta. Igitur quadringentesimus tricesimus secundus inibit anno 3962. a Solstitio æstivo: cumque Roma condita sit Palilibus, quæ verno tempore & ante Solstitium ponuntur, rejiciendus est in sequentem annum 3963 ejus conditus. Ita videlicet anno primo septimæ Olympiadis, sive quinto & vicesimo Iphiti exeunte, condita fuerit, biennio post Varronis epocham.

E Nec aliter Dionysius Halicarnassensis ex Catone [2] concludit. Qui cum ejus opinionem, quam modo retuli, commemorasset, & Urbem annis CCCCXXXII. posteriorem esse Trojana clade; subjecit, ex Canonibus Eratosthenis congruere tempus in annum primum Olympiadis septimæ. Ἔπεσιν, inquit, ἀποφαίνει δυσὶ καὶ τριάκοντα, καὶ τετρακοσίοις ὑστερῶσαν τῶν Ἰλιακῶν. ὁ δὲ χρόνος οὗτος ἀναμετρηθεὶς τῷ Ἐρατοσθένους χρονογραφίαις, κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος πίπτει τῆς ἑβδόμης Ὀλυμπιάδος. *Annis quadringentis triginta duobus Trojana clade posteriorem Urbis conditum facit. Quod tempus ad Canones Eratosthenis Chronicos exactum in annum*

F *primum incidit Olympiadis septimæ*. Ex nostra quidem, & sine dubio probabiliore sententia, quæ Trojanam calamitatem anno ante Scaligerianam epocham collocat; nempe Jul. Per. 3530, adamussim quadrat annus ab excidio quadringentesimus tricesimus secundus anno Iphiti XXII, qui desiit anno Per. Jul. 3962. Cum Scaligeri vero sententia nullo pacto convenit. Quocirca quæ fuerit Catonis opinio de Olympiadis anno, penitus incertum est, quamdiu non constat, quem

1 pag. 60. Edit. Wech. 2 Catonis opinio unde collecta.

A in annum ante primam Olympiadem Trojanam cladem contulerit. Dionysius porro, qui anno primo Olymp VII. jacta Urbis fundamenta, sed ex Eratosthenis canonibus & hypothesibus ita ratiocinatus est, ut in annum caderet Urbis conditus Iphiti XXV. Qua ratione Trojanum excidium incidit in annum Per. Jul. 3531. Verum Dionysius aliud sentit, aliud argumentis suis ac reliqua ratione demonstrat. Hujus enim disputatio eo fere rem adducit, ut in annum Iphiti XXIV. hoc est, quartum Olympiadis VI. Urbis initia concurrant; quod subinde constabit. Verumtamen ex hac hallucinatione Dionysii [1], affirmari non debet Catonem anno Iphiti B XXXIV. Urbis conditum illigasse, ut Catoniana ob id epocha illa dici meruerit. Onuphrius certe inter eos Scriptores, qui in anno primo VII. Olympiadis Romam ædificari cœptam putarunt, Catonem recenset. Quod utrum Cato in opinione sua posuerit, nemini exploratum esse potest. Quid si enim Trojanum excidium quinque aut sex annis, aut pluribus, infra nostram vel Scaligerianam epocham summovit, ut esset annus iste Per. Jul. 3536. vel 3537. tum postea Consulibus aliquot expunctis, eadem, qua Trojanam ἅλωσιν, proportione Palilia prima tardius locaverit? Nam & Onuphrius L. C Cincii & Fabii Pictoris opinionem reliquis anteponit, qui Romam conditam afferebant anno primo Olympiadis octavæ, & quinque annos de serie Fastorum vulgarium expungebant. Quamobrem desinant eruditi deinceps homines Scaligerum secuti Catoniana illa vocare Palilia, quæ anno uno Varronianis posteriora sunt.

Quin etiam vel illud falso, vel temere, ac sine argumento ullo Catoni Scaliger attribuit; quod ex anno Consulum illorum, qui ante captam a Gallis Urbem penultimo loco censebantur, ex tabulis Censoriis eruto, ad Urbis initia pervenerit. Nam neque Catonem hac methodo progressum Dionysius D affirmat, sed ipse potius usum se illa esse significat, de qua mox viderimus, & Scaliger ipse, paucis interjectis verbus, contraria de Catone & Varrone subjicit: *Nam quomodo*, inquit, *& ipse & Varro, qui hæc postea diligentius perp ndit, illud tempus exploraverint, nemo in literas retulit*. Si via & methodus, qua M. Cato illius temporis rationem indagaverit, a nemine prodita est; unde scire potuit Scaliger, annum illum post exactos reges centesimum & vicesimum primum a Catone esse numeratum, quo Galli Urbem occuparunt, aut eundem ducentos quadraginta tres annos Regibus imputasse? Quis ista de Catone prodidit? Cur CCXLIII. E annos potius, quam plures, vel pauciores assignasse dicitur?

Præterea falso putat annum primorum Coss. immutabilem esse, & ex omnium sententia in annum Iphiti CCLXVII. currentem incidere. Huic enim contraria est Halicarnassensis opinio. tum a plerisque vocatur in dubium. De Halicarnassensi facile probatur. Scribit enim ille primos Consules Romæ creatos ineunte Olympiade LXVIII. hoc est, ut postea declarabitur, anno quarto exeunte Olympiadis LXVII. sive Iphiti CCXVIII. Non igitur in ducentesimo sexagesimo septimo immobilis hæret captæ Urbis annus. Deinde qui octava, vel, ut L. Cin F cius arbitratus est, XII. Olympiade conditam esse voluerunt, si quidem in annis Regum a communi fere sententia non discreparent, longe alium annum captæ Urbis statuerunt, quam Olympiadis LXVII. quartum. Frustra itaque de Catone divinat Scaliger, cum, quid senserit, exploratum omnino esse non possit.

1 Dionysii hallucinatio.

## C A P. XLVII.

*De Halicarnassensis opinione, ac duplici ejus hallucinatione, quarum posterior hactenus non animadversa.*

IN Urbis investigandis initiis veterum nemo diligentiorem operam adhibuit, quam Dionysius Halicarnassensis suavis accuratusque Scriptor. Is certam viam ac methodum aperuit, qua ad epocham illam perveniri possit. Quare nemo fere deinceps aliis argumentis usus est, quam quæ ille in sua ratiocinatione posuit. Verum duo sunt per imprudentiam ab eo commissa, quorum alterum Scaliger animadvertit; de altero nullus, quod sciam, admonuit.

Principio cum annus ab illo conditæ Urbis statuatur primus Olympiadis septimæ, & anni primordium more Atheniensium insuper ab æstivo Solstitio, debet ejus opinione Iphiti annus esse quintus & vicesimus. Et tamen illius argumenta nihil aliud colligunt, nisi quartum esse Olympiadis sextæ, sive Iphiti XXIV. exeuntem. Itaque aliud dicit, aliud probationibus suis efficit. Quod ad hunc modum ostendimus. Dionysius annum Urbis conditæ hac ratione definit. Quoniam capta est Urbs anno post exactos Reges centesimo vicesimo primo ineunte, & primo Olymp. XCVIII. æque ineunte (quippe Augusto mense Urbis ἅλωσις incidit) si ante captam Urbem anni solidi CXX. decurrerunt, ii triginta solidas Olympiadas efficiunt. Adde ducentos quadraginta quatuor, quibus Romæ regnatum esse docuit, quæ sunt Olympiades LXI. fiunt Olympiades XCI. Ut igitur fiant nonaginta septem completæ, & nonagesima octava iniens, adjiciendæ sunt Olympiades sex, & annus unus septimæ. Ita anno primo septimæ Olympiadis Urbis conditus inciderit. Atqui nihil aliud argumentatio ista convincit, quam anno illo Urbem esse conditam, quo desiit Iphiti XXIV. & XXV. incœpit. Cum enim captæ Urbis annus, quem centesimum vicesimum primum a Regifugio computat, in eum annum conveniat, quo ludicrum Olympicum celebratum est, hoc est, Iphiti trecentesimum octogesimum nonum, qui est Per. Jul. 4326. oportet annum Regifugii convenire anno illi, quo desiit Iphiti ducentesimus sexagesimus octavus & nonus inchoatus est, qui erat primus Olymp. LXVIII. Per. Jul. 4206. Nam ducentesimus sexagesimus nonus iniens primus est illorum centum viginti & unius, qui ad captam Urbem interlapsi sunt. Restant itaque anni CCLXVIII. ex quibus detractis CCXLIV. supersunt XXIV. Quare ineunte anno XXV. sive desinente XXIV. Urbem necesse est fuisse conditam. Potest & brevius ita demonstrari. Capta est Urbs auctore Dionysio anno ab ejus conditu CCCLXV. Iphiti CCCLXXXIX. Detrahe 365. de 389. supersunt XXIV. Itaque vicesimo quinto ineunte, id est, vicesimo quarto desinente Galli Urbem invaserunt. Ad hæc lib. V. initio, scribit Halicarn. annum ducentesimum quadragesimum quintum cœpisse primo Olymp. LXVIII. qui est Iphiti CCLXIX. incipiens. Deductis annis CCXLV. restat vicesimus quartus. Si enim anno exeunte Iphiti CCLXVIII. iniere Palilia ducentesima quadragesima quinta, sequitur exeunte Iphiti vicesimo quarto, prima Urbis Palilia cœpisse. Hoc enim animadvertendum est, cum Palilia duobus circiter mensibus Iphiti annum præcedant, & Con-

A ſulatus, quibus anni ſinguli notantur, majori parte Olympiadicorum annorum epocham anteverterint (certe ita κατ' προσθαφαίρεσιν, & æquandi gratia ſumantur) nihilominus Dionyſium Coſſ. illos, qui proxime ante Olymp. aliquam inierint, ad hanc ipſam Olymp. referre. Quod ex anno patet Urbis CCLX. Docet enim lib. V. Aulum Virginium & T. Veturium Coſſ. fuiſſe, ἔτει ἑξηκοστῷ καὶ διακοσιοστῷ κατὰ τὴν κτίσιν, μελλούσης εἰς τοὐπιὸν τῆς οβ' Ὀλυμπιάδος. *anno ſexageſimo ſupra ducenteſimum Urbis conditæ, inſtante in ſequentem annum Olympiade ſeptuageſima ſecunda*, Archonte Themiſtocle. Tum ſequenti anno, Poſtumo Cominio, Sp. Caſſio Coſſ. B celebratam eſſe narrat Olympiadem ſeptuageſimam ſecundam, in qua ſtadio victor renunciatus eſt Tiſicrates Crotonienſis, Archonte Diogneto. Contigit hæc Olympias anno Julianæ Periodi 4222. Quocirca cum anno Iphiti CCLXXXIV. competat annus Urb CCLX. & anno Iphiti CCLXXXV. hoc eſt, primo Olympiadis LXXII. Urbis annus CCLXI. auctore Dionyſio, atque & ille anno Per. Jul. 4221. & iſte anno 4222. inierit: neceſſe eſt primum annum Urbis in eum cadere Julianum, quo Iphiti cœpit annus vigeſimus quintus, poſt deſitum quartum & viceſimum. Ita conſtat ex Dionyſii argumentatione, anno viceſimo quarto exeunte Iphiti, C ſive quarto Olymp. VI. prima Urbis incurriſſe Palilia: ac præterea eundem Hiſtoricum annos Urbis Olympiadicis illis annis tribuere, qui æſtate proxima poſt Palilia ſecuti ſunt. Ex quo planum illud eſt, cum dicit Olympiade VII. anno primo Urbem eſſe conditam, ad Julianum illum referri, quo & quartus ſextæ deſiit, & ſeptimæ primus inchoatus eſt.

Altera Dionyſii [1] hallucinatio a nobis animadverſa eſt ejuſmodi. Lib. I. initium Urbis conditæ hac fere ratiocinatione colligit. Annus ille, quo Urbs eſt capta, centeſimus & viceſimus primus eſt a pulſis Regibus; quod ex Cenſoriis Ta- D bulis liquere dicit, in quibus legitur anno ſecundo ante cladem Urbis cenſum Romæ inſtitutum, L. Valerio Potito & T. Manlio Capitolino Coſſ. poſt exactos Reges centeſimo undeviceſimo. Verba Dionyſii: Ἐν οἷς εὑρίσκω δευτέρῳ πρότερον ἔτει τῆς ἁλώσεως τίμησιν ὑπὸ τοῦ Ῥωμαίων δήμου γενομένην, ᾗ παραγέγραπται καθάπερ καὶ ταῖς ἄλλαις χρόνος οὗτος· Ὑπατεύοντος Λευκίου Οὐαλερίου Ποτίτου καὶ Τίτου Μαλλίου Καπιτωλίνου, μετὰ τὴν ἐκβολὴν τῶν βασιλέων ἑνὸς δέοντι εἰκοστῷ καὶ ἑκατοστῷ ἔτει. *In quibus* (tabulis) *invenio tertio ante captam Urbem an-* E *no, cenſum Pop. Rom. habitum: cui, quemadmodum & cæteris, tempus hoc adſcriptum erat: L. Valerio Potito, & Manlio Capitolino Coſſ. poſt expulſos reges anno centeſimo undeviceſimo*. Pro δευτέρῳ ἔτει πρότερον τῆς ἁλώσεως, non *altero ante captam Urbem anno*, ut Interpres, ſed *tertio* reddidimus. Hunc enim Dionyſius intelligit, qui tertius eſt retro numeratus ab eo, in quem ἅλωσις incurrit, nimirum centeſimus undeviceſimus, cum capta ſit Urbs centeſimo viceſimo primo. Quod & Glareano viſum fuerat, & Dionyſius ipſe ſtatim indicat; qui ſubjicit, expletis annis CXX. adeoque ineunte centeſimo vigeſimo primo expugnatam eſſe a Gallis Ur- F bem. Cum igitur Urbis ἅλωσις acciderit anno I. Olymp. XCVIII. Archonte Pyrgione, ſi retro computes ad Conſulatum L. Junii Bruti & L. Tarquinii Collatini, annos reperies CXX. Hæc Dionyſius: qui annum illum, qui tertius eſt ante ἅλωσιν, numerat centeſimum undeviceſimum a primo Conſulatu, poſt expulſos Reges; & eum, quo clades Urbis accidit, centeſimum viceſimum primum, hoc eſt, tertium a centeſimo undeviceſimo, & proximum ab expleto & vertente centeſimo viceſimo. Quod inſuper ex iis, quæ ſubjunxit, evidentius apparet. Poſtquam enim docuit annum captæ Urbis incurrere poſt expletos CXX. a primis Coſſ. hoc intervallo conflari dicit Olympiadas ſolidas XXX. Ex quo neceſſe eſt primos Coſſ. convenire in annum primum Olymp. LXVIII. quandoquidem anno I. Olymp. XCVIII. Urbis vaſtitas incidit. Si tam annus primorum Coſſ. quam captæ Urbis in primum Olympiadis cadit, oportet annos utroque termino comprehenſo numerari centum viginti & unum; & in centeſimo viceſimo primo Conſulatu Urbem eſſe captam. Annus primus Olympiadis XCVIII. eſt Iphiti CCCLXXXIV. Detractis centum viginti ſolidis, remanet annus CCLXIX. ſive primus Olympiadis LXVIII. quem primis Coſſ. aſſignat. Ita verum eſt ex Dionyſii ſententia captam Urbem ineunte anno centeſimo viceſimo primo a Conſulatu Bruti & Tarquinii. Atqui falſum iſtud eſt, nec mediocriter hallucinatus eſt Dionyſius. Nam captæ Urbis annus in centeſimum dumtaxat Conſulum par incidit, ſive Capitolinos Faſtos relegas, ſive alios quoslibet. Annus primorum Coſſ. eſt annus Urbis Varronianus CCXLV. annus vero captæ Urbis eſt CCCLXIV. ut eſt in Faſtis Onuphrii. Deductis annis CCXLIV. de CCCLXIV. reliqui ſunt CXX. At in Capitolinis Faſtis & Sigonianis annus primus Coſſ. eſt Urbis CCXLIV. captæ vero Urbis, eſt CCCLXIII. Detractis annis CCXLIII. reſtant non plures, quam CXX. Sane captam Urbem eſſe liquet Tribb. Mil. Fabiis tribus & Sulpicio Longo, Q. Servilio IV Ser. Cornelio Maluginenſi, qui eſt Varronianus Urbis annus CCCLXIV. Capitolinus CCCLXIII. At Potiti & Manlii Conſulatus cadit in annum Varronianum CCCLXII. Capitolinum CCCLXI. qui eſt centeſimus decimus octavus annus a primis Coſſ. non centeſimus decimus nonus. Quoniam vero in numero annorum ab U. C. Dionyſius cum Varrone conſentit, quatenus anno CCXLV. exempli gratia, primos uterque Coſſ. locat, ſed uno anno tardius epocham Urbis aſſignat, videlicet Iphiti XXIV. inde fit, ut ſecundum Dionyſium L. Valerii Potiti & T. Manlii Conſulatus, quemadmodum & Varroni, debeat eſſe CCCLXII. ab U. C. captæ autem Urbis CCCLXIV. ſed utrobique Iphiteum tempus uno anno moretur. Quippe Varronianus annus CCCLXIV. eſt Iphiti CCCLXXXVI. Dionyſianus vero eſt CCCLXXXVII. Unde Romæ ἅλωσις ex opinione Dionyſii convenit anno Olympiadis XCVII. quarto. in Varroniana putatione, ejuſdem Olympiadis tertio: utrobique ineunte anno. Siquidem Auguſto menſe captam Urbem, & proxime ab Iphitei anni epocha, teſtantur hiſtoriæ. Ut autem annus CCCLXIV. conveniret anno primo Olymp. XCVIII. oporteret Urbem conditam fuiſſe anno primo deſinente Olymp. VII. Per. Jul. 3963. Atqui nos oſtendimus argumenta omnia Dionyſii nihil aliud efficere niſi anno IV. exeunte ſextæ Olymp. Urbem eſſe conditam, Per. Jul. 3962. Non poteſt igitur ἅλωσις incidere in annum primum Olympiadis XCVIII. ſed in quartum antecedentis, qui eſt Iphiti CCCLXXXVIII.

Hujus autem Dionyſiani erroris ejuſmodi cauſam extitiſſe puto. Regifugii dies antecedebat illud tempus, quo Magiſtratum novi Coſſ. inibant. Cum ergo Potitus & Mallius Coſſ. quorum Conſulatus eſt CXVIII. iniiſſent poſt Regifugium centeſimum decimum octavum, deſiit illorum annus poſt Refugium in centeſimum decimum nonum. Porro cenſus ab illis inſtitutus eſt ſub finem Conſulatus ſui, poſt Regifugium CXIX. Ideo in Faſtis adſcriptus eſt annus a pulſis Regibus, ſive Regifugio, centeſimus decimus nonus, cum non niſi cente-

1. Dionyſii error alter. pag. 6c. Ed. Wech.

A centesimus decimus octavus Consulatus is esset. Hæc Dionysio hallucinationis occasio fuisse potest, qui cum in Fastis legisset, anno ab exactis Regibus CXIX. censum a Potito & Mallio celebratum, arbitratus est Consulatum perinde illum centesimum decimum nonum esse numerandum. Unde anno uno tardius captæ Urbis epocham assignavit.

## CAP. XLVIII.

B *Variæ Scaligeri hallucinationes, nec non Livii, Onuphrii, Calvisii, & aliorum error.*

DE Capitolinis [1] Fastis disputans Scaliger ostendit, id quod verum est, primum Urbis annum ex illorum calculo cadere in annum Iphiti XXV. exeuntem. Sed idipsum ratione falsa concludit: *Annus*, inquit, *quo C. Claudius Nero & M. Livius Salinator Coss. fuerunt, est in Fastis illis Urbis conditæ* DXLVI. *Ergo Coss. qui proxime antecesserunt, M. Claudius Marcellus*, V. *T. Quintius Crispinus, gesserunt magistratum anno Urbis*
C CXLV. *At Livius illis Coss. ait ludicrum Olympicum celebratum: quam nemo negavit esse Olympiadem* CXLIII. *anno Per. Jul.* 4506. *Palilia igitur illorum Coss. incidunt in annum quartum Olympiadis* CXLII. *hoc est, in annum Iphiti* DLXVIII. *Ergo Roma condita anno Iphiti* XXIV. *secundum Fastos Capitolinos*. Onuphrius in Fastis ad A. DXLV. quo undecimus annus belli Punici contigit, iisdem Coss. Marcello V. & Crispino: *Hujus*, ait, *anni æstate Olympiæ ludicrum fuisse testatur Livius, ad quod legatum missum L. Manlium scribit. Fuit autem Olympias, ut ego recte scripsi*, CXLIII. Ego vero ambos istos, & qui eos secutus est, Calvisium ab Livii mente & histo-
D ria aberrare dico. Hoc, inquam, defendo, Livium non in anni illius æstatem, quo Coss. fuere Marcellus & Crispinus, sed sequentem. Coss. Nerone & Livio, ludicrum Olympicum conferre; eaque in re ipsummet fortassis hallucinatum esse Livium. Hic enim lib XXVII. post medium fere librum, postquam res gestas Marcello & Crispino Coss. exposuit; ista pertexit: *Exitu hujus anni T. Quintius Crispinus Cos. Dictatore comitiorum ludorumque faciendorum causa dicto L. Manlio Torquato, ex vulnere moritur.* Postea narrat, mortuo Quintio creatos esse Coss. Livium & Neronem; inde Prætores, ac deinde L. Manlium trans mare pro-
E ficisci jussum, *ut viseret, quæ res ibi gererentur, quod Olympiæ ludicrum ea æstate futurum erat, quod maximo cœtu Græciæ celebraretur*. Igitur æstate illa celebrata sunt Olympica certamina, quæ in Consulatum Livii & Neronis incurrit; non in eam, qua Coss. fuere Marcellus & Crispinus. Annus, quo Coss. erant Livius & Nero, secundum Varronem erit Urbis DXLVII. secundum Fastos DXLVI. Si hoc anno celebrati sunt Olympici agones CXLIII. consequens est Urbem conditam esse anno Iphiti XXII. ex Varronis mente: ex Fastis anno XXIII. Quare aut Livius hallucinatus est, aut ex anni Romani
F labe, quoad licet, excusandus est. Etsi difficile est credere, usque eo depravatum anni Romani contextum fuisse, ut anno solido a metis aberraverit. Ac Januarius quidem Romanus per illud tempus in Septembrem fere cadebat. Martius in Novembrem; cujus Idibus circa bellum Punicum secundum, quo Consulatum illi gesserunt, Coss. inibant. Unde ab Novembri Juliano, qui agonem Olympicum CXLIII. proxime præcessit, videlicet anno Per. Jul. 4505. Marcellus & Crispinus Magistratum ceperunt. Ut autem vera sit historia Livii, non κατὰ προέμπτωσιν, sed κατὰ μετέμπτωσιν unius anni Romanum annum necesse est a Palilibus recessisse: quam quidem ἀνωμαλίαν Julianus annus æquabili προσθαφαιρέσει apud posteros peræquavit. Potuerunt & agones a Græcis certis de causis alieno anno celebrari; quod & alias factum. Nihil tamen certius, quam ex Julianorum annorum ratione, citra vitium aut perturbationem, Olympiadem istam æstati illi congruere, in quam Crispini & Marcellini Consulatus incurrit.

Iisdem de Fastis Capitolinis [1] agens porro Scaliger nescio quid inconditum ac perplexum posuit. Nam cum probasset ex L. Cornelii Scipionis Consulatu, in quem Solis eclipsis incidit, quique anno Urbis DLXIII. in Fastis tribuitur, primum annum Urbis ex iisce Fastis cadere in annum Iphiti XXIV. mox ista subjicit: *Sed nodus restat. Nam Piso Consulatum Scipionis Asiatici & Lælii conjicit in annum Urbis* DXCVI. *Intervallum* XXXIII. *Coss. At in Cassiodoro & Fastis Onuphrianis*, XXXII. *tantum. Quare unum par. Coss. hinc effugisset. Sed falsum est. Nam Fasti Capitolini comparant hos duos Coss. in annum Urbis* DXCV. *non autem* DXCVI. *ut Piso & eum secutus Onuphrius.* Hæc mendosa sunt. Quis enim ex istis sensum aliquem eliciat? Verum sic opinor scribere in animo habuit: Quoniam Piso in Annalibus Consulatum L. Cornel. Scipionis, & C. Lælii in annum Urbis DLXIII. conjicit: in annum vero DXCVI. Consulatum M. Æmilii & C. Popillii: intervallum autem paria Coss. XXXIII. fit'a ut tricesimum quartum sint Æmilius & Popillius: unum excidisse videtur, cum in Fastis Consules isti tricesimum secundum locum habeant. Quod ita corrigit Scaliger, ut Æmilii & Popillii Consulatum in annum Urbis DXCV. convenire dicat, non, ut Piso & Onuphrius, in DXCVI. Verum unde tandem Pisonis sententiam illam exculpserit, nescio. Hoc quidem video; in Fastis Capitolinis anno Urbis DLXIII. Coss. poni L. Scipionem & C. Lælium; in Onuphrianis, qui Varronis epocham sequuntur, anno CLXIV. Rursus anno DXCV. in Fastis Coss. fuisse Æmilium & Popillium; apud Onuphrium, anno DXCVI. Utrobique tricesimum tertium par in Æmilium & Popillium incurrit. Sed Pisonis locum illum spectasse Scaligerum arbitror, qui apud Censorinum extat capite XVII. ubi de sæcularibus ludis & Romano sæculo scribens hæc ex Annali septimo illius verba profert: *Roma condita anno* IƆXCVI. *sæculum accipit, his Coss. qui proximi sunt Consules M. Æmilius, M. F. Lepidus, C. Popillius* II. *absens*. Quæ Pisonis verba depravatissima sunt: ut Sigonius & Cuspinianus observant.

Ex illis vero certo colligi non potest, utrum anno DXCVI. Æmilii & Popillii Consulatus ex sententia Pisonis inciderit. Nam ut verba ipsa præferunt, in DXCVII. rejiciendus fuit. Quamquam Cuspinianus & Sigonius apud Censorinum, *qui proximi sunt*, legunt; non ut in emendatioribus libris extat, *quis*. De Scipionis & Lælii Consulatu, Piso verbum nullum.

1 pag. 363. D.

1 pag. 364. 2 Censor. pag. 55.

## CAP. XLIX.

*De Romuli conceptu, ac tam ejus, quam Urbis natali ex L. Tarrutii Firmani ſententia: & eclipſibus, quæ utriuſque natalibus attributæ ſunt. tum in iis multorum errata caſtigantur. Urbem videri autumno conditam. Manilius explicatur.*

PLutarchus in Romulo de conditu Urbis ita ſcribit: Ἐκείνην δὲ τὴν ἡμέραν, ᾗ τὴν πόλιν ὁ Ῥωμύλος ἔκτιζεν, ἀτεχνῶς τριακάδα τυχεῖν λέγουσι, καὶ σύνοδον ἐκλειπτικὴν ἐν αὐτῇ γενέσθαι σελήνης πρὸς ἥλιον, ἣν εἰδέναι καὶ Ἀντίμαχον οἴονται τὸν Τήιον ἐποποιόν, ἔτει τρίτῳ τῆς ἕκτης Ὀλυμπιάδος συμπεσοῦσαν. *Diem illum vero, quo Romulus Urbem condere cœpit, veram triceſimam fuiſſe narrant, eodemque die Solis ac Lunæ coitum eclipticum incidiſſe; quem Antimachus poeta Tejus agnovit. Id autem anno contigiſſe ſextæ Olympiadis tertio.* Subjicit his Tarrutii Mathematici præſtantis de Romuli & urbis natali ſententiam, cum Varronis rogatu ex apoteleſmatis utriuſque geneſin indagavit. Hic igitur εὖ μάλα τεθαῤῥηκότως καὶ ἀνδρείως ἀπεφήνατο τὴν μὲν ἐν τῇ μητρὶ τοῦ Ῥωμύλου γεγονέναι σύλληψιν ἔτει πρώτῳ τῆς δευτέρας Ὀλυμπιάδος, ἐν μηνὶ κατ' Αἰγυπτίους Χοιάκ, τρίτῃ καὶ εἰκάδι, τρίτης ὥρας, καθ' ἣν ὁ ἥλιος ἐξέλιπε παντελῶς. τὴν δὲ ἐμφανῆ γένεσιν, ἐν μηνὶ Θώθ, ἡμέρᾳ πρώτῃ μετ' εἰκάδα, περὶ ἡλίου ἀνατολάς. Κτισθῆναι δὲ τὴν Ῥώμην ὑπ' αὐτοῦ τῇ ἐνάτῃ Φαρμουθὶ μηνὸς ἱσταμένου, μεταξὺ δευτέρας ὥρας καὶ τρίτης. *Audacter & conſtanter pronunciavit, conceptum in matris utero Romuli contigiſſe anno primo ſecundæ Olympiadis,* XXIII. *die Choiac Ægyptii menſis, hora tertia, qua Sol penitus defecit. In lucem autem editum fuiſſe* XXI. *die Thoth ſub ortum Solis. Romam porro conditam a Romulo nona de Pharmuthi, inter ſecundam & tertiam horam.* Si ex veteris alicujus aſtronomi, vel idonei ſcriptoris obſervatione de cœleſtibus iiſce φαινομένοις conſtaret, plus aliquanto res ea Chronologiæ noſtræ negotii faceret. Neque tamen ſolus id Plutarchus memoriæ commendavit,

Dionyſius Halicarn. [1] l. II. refert, tam in conceptu ipſo Romuli, quam in ejus obitu defeciſſe Solem penitus, ſic ut mundus tenebris obduceretur. At Cicero lib. II. de Divinat. unum illud ex Tarrutii deſcriptione profert, Romam, cum in jugo eſſet Luna, conditam fuiſſe. Utramque illam Solis obſcurationem ex tabulis inveſtigare plerique ſunt aggreſſi: ſed irrito hactenus conatu. Nicolaus Mullerius [2] in Examine Temp. quæ eſt appendix Friſicarum Tabularum, utramque ſe ex Tabulis ſuis deprehendiſſe putat, & quidem illo ipſo tempore, quod Tarrutius deſignavit. Nam prima incidit in annum Per. Jul. 3942. Junii XXIV. Choiac XXIII. Verum nulla tum Solis defectio Romæ fuit, quoniam apparens latitudo Lunæ ſemidiametrorum ſummam ſuperabat: ut ex illa deſcriptione conſtat, quam libro VIII. pag. 770. exhibemus. Quod ſi alicubi commiſſa ſit, ea perexigua fuerit oportet, quoniam motus latitudinis maximus fuit. Buntingus anno mundi 3199. qui eſt Per. Jul. 3944. cyclo Lunæ XI. eamdem aſſignat. Nam Maii V. feria I. defecit Sol. Sane verum Novilunium, quod cum apparente Romæ convenit, contigit hora poſt mediam noctem XI. 9'. Motus item latitudinis fuit 0. 0. 8'. 47". ut in ipſo συνδέσμῳ ἀναβαίνοντι, id eſt, *nodo aſcendente*, vel *capite Draconis* Luna fuerit. Sed parallaxis eclipſin ſuſtulit. Fuit enim apparens latitudo eadem cum parallaxi, ſcrup. 30'. quæ ſumma ſemidiametrorum major extitit. Quare ad Heliopolitanum, vel Æthiopicum tractum Buntingus confugere cogitur, ut eclipſin illic digitorum 7. 13'. hic integram inveniat. At ne ſic quidem obtinet, ut in XXIII. Choiac eclypſis illa congruat.

[1] Pag. 119. Edit. Wech. [2] Pag. 68.

Quocirca [1] de priore illo Solis deliquio, quod ſub Romuli conceptum a Tarrutio conſtitutum eſt, falſum ipſum arbitrior: ſi quidem reliqua temporum ratio conſtet, quam ex ejus ſententia Varro definivit. itaque ex hiſtoria potius, quam obſervatione, natalis Romuli defigendus videtur in anno Per. Jul. 3944. Etenim Dionyſius ſcribit illum deceſſiſſe anno ætatis LV. Atqui mortuus eſt anno 3999. Igitur in lucem editus fuerit anno 3944. ut annum ageret XVIII. quo tempore Urbem condidit. quod idem auctor affirmat. Neque vero audiendus eſt Temporarius, [2] qui non ſolum Tarrutii conatum omnem irridet, ſed audacter inficiatur, Romulum in rerum natura unquam extitiſſe, uno illo fretus argumento, quod neque certi illius parentes edi poſſint, neque de obitu conſtet, & reliqua ipſius parum comperta ſint. Quid ea ratiocinatione vanius? Eodem enim argumento infinitarum hiſtoriarum veritatem everteris, & quæ magno omnium conſenſu recepta ſunt, mendacii conviceris.

Auctor vero Novæ Chronologiæ defectionem illam rejicit in annum octavum, id eſt, Periodi Julianæ 3949. ante Chriſtum 765. quo Sol defecit Februarii 10. Romæ ante meridiem horis 3. 29'. 26". in Aquario; digitis 10. 45'. Ex quo novam illam ſuam opinionem aſſeverare nititur. Olympiadas ſex annis tardius a veteribus putatas eſſe, quam hactenus exiſtimatum fuerit: quandoquidem annus primus deſinens Olympiadis ſecundæ incurrit in annum Periodi Julianæ 3949. proindeque cœpit anno 3948. ac primus annus Iphiti iniit anno ejuſdem Periodi 3944. Verum de hoc metachroniſmo annorum V. dicetur libro XII. Interim cum egregie cum hiſtoria conſentiat annus ille, qui eſt ante Chriſtum 770. fruſtra aliud tempus inquiritur. Nam & viceſima tertia dies Choiac in Februarii decimum nullo modo convenit anno ante Chriſtum 765. ſed Junii XXII. Neomenia quippe Thoth Martii ſecundo contigit.

Atenim (inquit capite CX. [3]) *ſi Februarii decimum diem ante Chriſtum 765. ponamus fuiſſe viceſimum tertium diem Choiac; tunc dies* XXI. *Aprilis, ſive* XI. *Kal. Maii, natalis Urbis anno ante Chriſtum 744. (quo anno & ipſe Tarrutius & Varro cum auctoribus compluribus Romam conditam tradidere) juxta rationem anni Ægyptiaci exacte in* IX. *Pharmuthi coincidit.* Nono vero Pharmuthi conditam eſſe Romam Tarrutius afferebat.

Hæc qua mente dicta ſint ab erudito viro, neſcire me fateor. Nam nulla ratione fieri poteſt, ut aut anno 765. ante Chriſtum, id eſt Per. Jul. 3949. aut 3970, qui eſt 744. ante Chriſtum, viceſima tertia Choiac in X. Februarii, vel IX. Pharmuthi in XXI. Aprilis congruat. Id, inquam, neque ex rei veritate, & Ægyptiaca putandorum temporum ratione accidit: neque, ut falſa ex hypotheſi, anno ante Chriſtum 765. Choiac XXIII. fuerit Februarii X. dies; propterea anno ante Chriſtum 744. nonus Pharmuthi dies cadet in Aprilis XXI. Oſtenſum eſt paulo ante viceſimum tertium Choiac Ægyptii anno Periodi Julianæ 3949. qui eſt ante Chriſtum 765. conveniſſe in Junii XXII. unde Pharmuthi nonus incurrit in Octobris VI. Anno vero 3970. ſive 744. ante Chriſtum, cum Noemeniæ menſium quinque dies anticipaſſent, viceſima tertia Choiac ad XVII. Junii; nona Pharmuthi ad Kalendas Octobris aſcenderat. Quod

[1] Eclipſis Solis nulla in conceptu Romuli. [2] Temporarii abſurda ſententia. [3] Refellitur nova Chronologia eruditi viri, cap. CVI. & CVII. & deinceps.

si de anno Actiaco Plutarchum intelligendum velimus; cum Thoth Augusti XXIX. die fixus sit; XXII. dies Choiac in Decembris XIX. nona Pharmuthi, Aprilis IV. consistit. Porro etsi anno Periodi Julianæ 3949. fingamus XXIII. Choiac in X. Februarii transportatam fuisse: post annos inde XIX. vertentes, id est, anno 3970. eadem XXIII. Choiac ad Februarii V. transitum fecerit oportet: nona vero Pharmuthi a XXVII. die Maii, ubi tum ex falsa hypothesi versabatur, ad XXII. promota fuerit anno 3970. Quare nulla ne falsa quidem hypothesis conjecturæ illi suffragatur. Quomodo enim, ut XXIII. dies Choiac fingatur in X. Februarii consistere, centesima & sexta dies ab illa, hoc est, nona Pharmuthi in XXI. Aprilis diem potest incurrere? Ita falsum & istud est, Tarrutium & Varronem annum primum conditæ Urbis eum statuisse, qui est 744. ante Christum sive Periodi Julianæ 3970. Nam ex Varronis [1] sententia annus ante Christum 753. primus est Urbis, periodi Julianæ 3961. Sed nec suppositiius ille Messalla libro de Progenie Augusti significationem ullam dedit, anno ante Christum 744. conditam Urbem fuisse. Id enim asserit unum, conditam esse Romam anno 433. a Troja capta. De reliqua vero auctoris ejusdem putatione, suo loco dicetur.

Nunc de altera Solis defectione videamus: quam sub Urbis conditum accidisse Plutarchus memoriæ prodidit, Phamenoth nono, ejusque meminisse Antimachum Tejum. In ea quærenda eruditi Chronologi plurimum sese torserunt. Nonus dies Pharmuthi anno Periodi Julianæ 3960. incurrit in Octobris IV. anno sequenti, in III. At neutro anno Sol die illo defecit. Duplex anno 3960. Solis eclipsis accidit. Altera Julii V. Novilunium medium Romæ ex Parisinis nostris Tabulis, Julii VI. hora 3. 47'. a media nocte. Verum autem novilunium Julii V. hora 17. 47'. duabus horis circiter ante Solis occasum. Apparens novilunium hora una & $\frac{1}{4}$ secutum est verum, contingitque hora post meridiem 6. 32'. Eclipsis autem fuit digitorum 3. $\frac{2}{12}$ Duravit hora 1. 10'. 20'. Cœpit hora post meridiem 5. 56'. Desiit hora 7. 7'. Altera Solis defectio commissa est Novembris XXX. Novilunium medium Romæ hora 19. 27'. a media nocte. Verum autem hora 20. 16. Itaque Romæ non est conspecta.

Nicolaus Mullerius [2] Plutarcheam illam Solis eclipsin confert in Maii XXVI. diem anno 3961. cyclo Lunæ IX. Solis XIII. Athyr XXIX. Sole in Tauri XXVI. gradu constituto. Hanc vero nequaquam ait in Italia conspectam, sed in Asia minore ubi Antimachus Tejus degebat. Hoc vero posito, declarat, quemadmodum XI. Kalend. Maii, sive Palilia in XXVI. Maii Juliani convenire potuerint. Verum ne in Asia quidem conspectam fuisse, Tabulæ demonstrant. Novilunium quidem eclipticum illo die contigit. Verum enim vero ex Parisinis Tabulis in meridiano graduum 68. longitudinis, hoc est, in extremis minoris Asiæ finibus, velut in Cicilia, adeoque Cypro, contigit Maii XXVI. hora 5. 38'. a media nocte: post ortum Solis hora 1. $\frac{1}{2}$ fere. Apparens syzygia veram antecessit hora 1. contigit enim hora 4. 45'. Motus latitudinis verus fuit Signorum XI. 22. 30'. 31". Latitudo vera 38. 54". australis. Parallaxis latitudinis in quarto climate, sive altitud. grad. 36. est 43'. 50'. addenda. Ita fit apparens latitudo scrupulorum 82'. 44". longe major semidiametris ambabus Solis & Lunæ quarum summa est 29'. 19". In quinto vero climate ad altitudinem Romæ, parallaxis latitudinis 47'. 25". Unde apparens latitudo major, 86'. 49". Cum igitur Asia minor in 4. & 5. climate consistat, non potuit in illa regione Sol deficere: quoniam latitudinem alioquin eclipticam parallaxis exclusit. Ut omittam nonum diem Pharmuthi minime congruere in XXVI. Maii. Nam incidit anno illo in Octobris III.

Eodem anno Periodi Julianæ 3961. eclipsis alia Solis deprehenditur. Sed cum novilunium verum Novembris XIX. paulo ante noctem mediam, in eo situ longitudinis, qui est 68. graduum, commissum fuerit; nullo modo conspici in Asia potuit.

At novæ veræque Chronologiæ Scriptori, [1] (ita enim Opus inscribit suum) quod Solis eclipsin ante Christum 744. id est, Per. Jul. 3970. accidisse reperit Romæ ante meridiem, horis fere tribus, Sole in duodecimo gradu Sagittarii versante, nona die Decembris Juliani, adeoque inter horam secundam & tertiam diei: hanc ipsam a Plutarcho designatam fuisse contendit, eumque natalem Romæ habitum non politicum quidem, sed astronomicum, ex quo Urbis fata penderent. Ex quo consequens est, annum primum conditæ Romæ octo fere annis serius collocandum videri, quam fasti vulgares exhibent. Atqui ne ista quidem Solis eclipsis ad Tarrutianam descriptionem facit. Neque enim nona dies Pharmuthi in illam convenit: Sed in Kalendas Octobris. Deinde non potest Urbis epocha Varroniana sive Tarrutiana, in illum annum cadere: uti paulo post plenius explicabo.

Quamobrem falso id a Plutarcho [2] proditum est, eodem die, quo jacta sunt fundamenta Romæ, Solem defecisse: quod sane Tarrutius non dixit. Ciceronis de Tarrutio verba sunt lib. II. de Divinat. *L. Tarrutius Firmanus familiaris noster, imprimis Chaldaicis rationibus eruditus, urbis etiam nostræ natalem repetebat ab iis Parilibus, quibus eam a Romulo conditam accepimus, Romamque, cum in jugo esset Luna, natam esse dicebat. Lunam in jugo esse*, id est, quod Græci vocant ἐν συζυγίᾳ, vel ἐν ζυγῷ. quod de sola Lunæ synodo citra defectionem Solis accipi debet. At Solinus cap. II. Romulum ait *auspicato fundamenta murorum jecisse duodeviginti annos natum. XI. Kal. Majas, hora post secundam, ante tertiam; sicut L. Tarrutius prodidit Mathematicorum nobilissimus, Sole in Tauro, Luna in Libra constitutis*. Nescio, an ζυγὸν Libram verterit Solinus. Eadem & in Excerptis leguntur, quæ sub C. Sempronii titulo in Annianam farraginem intrusa sunt. Quod autem Sole in Libra posito Roma condita fuerit, Manilius cecinit lib. IV. his versibus:

*Hesperiam sua Libra tenet, qua condita Roma,*
*Et propriis frænat pendentem legibus orbem:*
*Orbis & imperium retinet, discrimina rerum*
*Lancibus & positas gentes tollitque premitque:*
*Qua gentius cum fratre Remus hanc condidit Urbem.*

Tam Romulum Remumque sub Libra genitos, quam Romam conditam affirmat. Quod ad Urbem attinet, si ea Pharmuthi nono fundari cœpta, ut Plutarchus ait; in Libra utique natalis illius accidit. Nam Pharmuthi nonus anno Per. Jul. 3960. convenit in Octobris IV: Sole tum in Libræ gradu 3. 35. commorante secundum Tabulas nostras. Eodem die Novilunium ἀκριβὲς Romæ commissum hora 3. 22'. nec tamen eclipticum: Pharmuthi IX. Nam Neomenia Thoth incidit in Februari XXIX. Valde itaque probabile mihi videtur, [3] Urbem Ro-

1 Qui citatur ab eodem cap. XCII. 2 Expenditur Nicolai Mullerii descriptio.

1 Cap. CXI 2 Error Plutarchi. 3 Urbs Roma Octobri mense condita.

mam, ex Tarrutiana descriptione, conditam esse anno sextæ Olympiadis tertio, ejusque mense quarto circiter ineunte, Per. Jul. 3960. Octobris IV. quem in diem undecimus Kal. Majas anni Albani, vel Romulei forte ceciderat, eoque κατὰ προέμπτωσιν delatus fuerat. quod in anno Romano etiam a Numa castigato identidem postea contigit. Credibile est enim annum veterem Albanorum a bruma cœpisse. Sed quoniam paucioribus justo mensibus, aut certe diebus constabat, in anteriora lubricum illius progressum fuisse. Romani porro, cum Januarium anni caput circa brumam constituissent; primum Urbis annum a Januario sequente numerarunt, qui in eundem Iphiti & Olympiadis annum incidit, in quem ille Romæ natalis October. Nonnulli tamen, quia Parilia, sive XI. Kalend. April. qui dies Urbi natalis extitit, ad quartum ab Januario mensem pertinere videbant; annos Urbis non a Januario, sed ab Aprilis XXI. putare maluerunt. Sane non temere Manilius & Plutarchus in idem tempus natalis Romæ consentiunt, dum ille conditam in Libra; iste nono die Pharmuthi, & quidem novilunio refert. quod non alio anno quam qui Per. Jul. numeratur 3960. convenire potest, cujus Octobris IV. commodum & IX. Pharmuthi dies & novilunium incurrit & præterea sextæ Olympiadis annus tertius. Hoc modo ab erroris suspicione Manilium purgabimus, cujus eum vir eruditus [1] incusat. Quamquam de Romuli ac Remi natali minus eidem assentiri Manilio possum. Nam ex Tarrutii sententia in id tempus, quo in matris utero geniti sunt, Solis deliquium incidit. Hoc vero ex iis, quæ supra demonstravimus, apparet Maii XXVI. die Choiac XXIII. contigisse. Quare cum Thoth sequentis XXI. die natos illos ex Tarrutii definitione Plutarchus asseveret, consequens est, Februarii circiter XXIII. in lucem prodiisse, in Aquario, non in Libra. Scaliger [2] in Notis ad Manilium pessime in illius loci interpretatione versatus est. Menses enim Ægyptiorum fixos, & Actiacos intelligit eos, quos a Varrone consultus Tarrutius edidit. Quare XXIII. Choiac XIX. Decembris esse statuit: Thoth vero XXI. Septembris XXIII. Quæro quomodo Tarrutio, vel Varroni Actiaci anni atque fixi venire in mentem potuerit, qui tot annis postea constitutus est. Atqui non in Romuli tantum, sed in Urbis etiam natali eodem mensium genere designando hoc in V. de Emend. Temp. libro similiter peccat. Fixos enim ibi quoque menses & Actiacos nescio quid cogitans Tarrutii descriptioni tribuit. Itaque Actiaci Pharmuthi diem XXI. cadere dicit in XXVI. Maii. quod profecto falsum est. Etenim Thoth Actiacus & fixus habet Neomeniam in XXIX. Augusti Juliani. Ab hac ducentesimus undecimus dies, hoc est, Neomenia Pharmuthi, cadit anno simplici in XXVII. Martii. Sed perplexa & incondita sunt Scaligeri verba: *Si Kalendæ*, inquit, *Januariæ anni prisci Romanorum eo tempore cœperunt ab* VIII. *Januarii, ut certissimum est aliquando hinc cœpisse, quæ fuit epocha prisci anni Attici; vicesima sexta Aprilis Juliani convenerit in Palilia prisci anni, cum Luna esset in jugo, c clo Lunæ nono, quod convenit sententiæ Tarrutii in vicesimam primam Pharmuthi Actiaci natalem Urbis conferentis, quæ est* XXVI. *Maii, feria secunda. Neomenia Sivan* 3008. *cujus character* 2. 7. 484. Sed falsum est Actiacum Pharmuthi in idem tempus convenire. Præterea Tarrutius natalem Urbis non contulit in XXI. Pharmuthi, sed in IX. si vera Plutarchus scripsit. Ad hæc a XXVI. Aprilis transit ad XXVI. Maii, quæ anno Per. Jul. 3991. habuit feriam II. cyclo Solis XIII. Concurrit & Neomenia Sivan anni 3008. Judaici embolimæi: cujus Tisri cœpit anno 3960. Sept. III. ejusque character est, 2. 13. 27. Adde characterem IX. mensium, Neomenia Sivan incurret in XXVI. Maii, cujus character 2. 7. 684. Denique primam Januarii Romulei conjicit in VIII. Januarii. Tempore autem Romuli Januarius & Februarius tricenarii erant; Martius XXIX. Aprilis XXX. diebus constabant, uti Scaliger [1] docuit lib. II. Palilia in XXI. Aprilis incidebant, undecimo Kal. Majas. Ab VIII. die Januarii Juliani ad XXI. Apr. Juliani, dies sunt CIV. A Kalendis Januarii Romulei ex Scaligeri opinione dies intercedunt ad usque XXI. Aprilis ejusdem Romuli CX. Proinde omnis ista Scaligeriana ratio impedita est ac dissona.

De Solis defectu, quem Thales prædixisse fertur, quemque Scaliger hoc in capite refert in annum III. exeuntem Olympiadis XLVIII. sub Astyage, anno Urbis CLXX. aut in annum II. Olymp. XLIX. agemus postea, & quantum in eo non modo Scaliger, sed etiam veteres quidam Scriptores aberraverint, liquido monstrabimus.

1. Cap. CXVI. 2 Scaligeri in Notis Manilianis fœdus error.

1. pag. 167.

## CAP. L.

*De varis annorum Urbis rationibus, ac duabus præsertim, quæ reliquis celebriores sunt. deque iis Veterum quorundam opiniones expensæ, tum Onuphrii, & aliorum.*

FASTOS Consulares jam tum florentis Reip. temporibus mendosissimos, ac parum inter se consentaneos fuisse, Livii & aliorum historicorum monumenta confirmant. Sæpius enim diversis ex Annalium scriptoribus diversa Coss. paria eosdem in annos injicit: tum nonnullos omittit, quos Dionysius, aliique commemorant. Et omnino multum in hac parte Fasti invicem, Annalesque discrepant; quod ex Capitolinis, Cassiodoreis, ac Siculis, & si qui alii reliqui sunt antiqui vel recentiores Consulum laterculi, perspicuum est. Ex quo factum apparet, ut in annorum ab U. C. numero mirum quantum Auctores invicem dissiderent.

Quam quidem opinionum varietatem Onuphrius in Fastis accuratissime disputans, omnes propemodum Scriptores, qui annorum Urbis utcunque meminissent, suas in sectas & factiones distribuit: causas etiam scrutatus est, cur antiquiores præsertim tanto recentiorem Urbis originem fecerint. Itaque supervacaneam hanc ille nobis operam diligentia sua industriaque reddidit: neque tamen abstinebimus, quin & ex illo paucissima delibemus, & quædam insuper, quæ tam in ejus, quam in Sigonii Fastis, animadversione digna sunt, adnotemus.

Hic igitur ille optimus Romanæ antiquitatis & historiæ vindex Consulum fastos longe depravatissimos, & annos complures dubios esse postquam admonuit, in Fabii Pictoris sententiam propendere se dicit, qui Urbem conditam asseruit anno primo Olympiadis octavæ, Dionysio ac Solino testibus: ac parum abfuisse, quin eam opinionem in Fastis suis ipse sequeretur. Etenim cum plures anni sint, quorum sunt Magistratus ambigui, tum quinque ex illis præ cæteris expungendos videri; nimirum anno CCCXXXVI. quo nulli Coss. Dictatores fuere duo: item an. CDXXI. quem Sigonius, & ex eo Onuphrius certis de causis inferciendum pu-

tarunt: nec non annis CDXXX. CDXLV. & CDLIII. Præter hos annos alii sunt, quorum in plerisque fastis Consules omittuntur: velut annus CCXLVIII quo Sp. Laertius, T. Herminius a Dionysio recensiti, a Livio & Capitolinis prætermissi sunt. Tum CCLXIV. CCLXV. quibus Coss. nullos Livius assignat, uti nec anno CDXXXIX. Annum vero CDXLV. sine Coss. exhibent Capitolini fasti, reliqui prætereunt. Anno itidem CDXLIX. Livius notat Consulatus duos a Pisone dissimulatos esse, nempe annorum CDXLVII. & CDXLVIII. Itaque præter hos duos, tres alios omisisse Piso videtur, videlicet CCCLXXXVI. CDXXI. CDXLV. Denique varia & inconstans apud omnes annorum est putatio usque ad annum ferme quingentesimum, ut ait Sigonius; ut Onuphrius, ad DLX. Quare conditæ Urbis annus nonnisi conjecturis, ac probabili ratione potest elici. De quo duæ fere sunt primariæ, ac plerisque probatæ sententiæ: altera Capitolinorum fastorum, quæ anno Olympiadis sextæ exeunte quarto conditam ponit Urbem: quam Scaliger, & Scaligerum secuti mortales hodie omnes *Catonianam* vocant. Perperam, ut ostensum est. Neque enim quid Cato senserit, explorari potest, cum id unum scripserit, annis post Trojæ cladem CDXXXII. Urbem esse fundatam. Itaque Onuphrius Catonis auctoritatem ad eam opinionem trahit, quam Dionysius sequi se dicit, cum reipsa idem cum fastis Capitolinis tradiderit: videlicet anno primo septimæ Olympiadis Romæ fundamenta esse jacta. Altera Varronis [1] est, quæ longe est celebrior, & fautores habet tam ex antiquis, quam ex recentioribus priore illa plures. Ea conditam Urbem asserit anno Iphiti labente XXIII. tertio Olympiadis sextæ. His accedere potest tertia illa, quam Dionysium amplecti voluisse modo dixi, etsi revera aliud suis argumentis efficiat. Annum quippe Julianum, in quem sextæ Olympiadis quartus annus desiit, & primus sequentis iniit, huic ipsi Olympiadi septimæ tribuit. Unde quarto exeunte sextæ, non primo septimæ, conditum Urbis posuit. Sic & Polybium arbitror, eidem, quem Dionysius sequi se docuerat, anno epocham Urbis illigasse, primo scilicet Olympiadis VII. sequente secundo. Hoc enim illius verba volunt, *circa secundum annum Olympiadis septimæ*, quæ a Dionysio referuntur. Ergo injuria plerique Scriptorum ab Onuphrio, & ab aliis ad Dionysii partes vocantur, cum tam ipse Dionysius, quam illi ipsi fastorum Capitolinorum opinionem amplexi sint. Sed de reliquis minus admiror.

Diodorum Siculum valde miror ab Onuphrio inter eos relatum, qui anno primo Olymp. VII. natalem Romæ collocarunt; quod vereor, ut ei concedi possit. Ille in Præfatione Historiæ suæ a Trojano excidio ad Heraclidarum κάϑοδον annos putat LXXX. Inde ad primam Olympiadem CCCXXVIII Hinc ad initium belli Gallici a Cæsare suscepti DCCXXX. quem annum primum appellat Olympiadis CLXXX. Archonte tum Athenis Herode. Colliguntur a Trojanæ Urbis excidio ad finem historiæ & Gallicam expeditionem C. Cæsaris, anni MCXXXVIII. qui & revera ex intervallis illis tribus conficitur. Verum manifesta est ἀλογιςία Diodori [2], cum a prima Olympiade ad centesimam octogesimam annos numerat septingentos triginta. Sunt enim septingenti duntaxat & septemdecim. Onuphrius pro XXX. scripsisse putat XX, ut a prima Olympiade ad initium bellici Gallici C. Cæsaris, quod Pisone & Gabinio Coss. accidit, anno Urbis Varroniano DCXCV. vertente, sive ineunte

1. Varronis sententia longe celebrior, & a nobis adhibita.
2. Diodori hallucinatio.

A DCXCVI. anni computentur DCCXX. absoluti. Nihil Onuphrianis istis calculis perversius est. Primum enim Diodorus aperte annum, in quem historiam desivit suam, quo & Gallicum bellum a Cæsare susceptum est, Herode Archonte, primum nominat Olympiadis centesimæ octogesimæ. Itaque CLXXIX. duntaxat solidæ Olympiades numerandæ sunt, & iniens centesima octogesima, non, ut Onuphrius facit, CLXXX. integræ per quatuor multiplicandæ. Annus vero primus Olymp. CLXXX. est Iphiti DCCXVII. non DCCXX. Periodi Julianæ 4654. in quem Palilia Varroniana incidunt DCXCIV. At Palilia DCXCVI. quæ Gabinii & B Pisonis Consulatui tribuuntur, incurrunt in annum Per. Jul. 4656. exeunte anno secundo Olympiadis CLXXX. Iphiti DCCXVIII. Ex eo porro divinari non potest, quæ Diodori sententia de spatio annorum ab U. C. fuerit. Neque enim horum numerum exprimit. Et gratis Onuphrius ex illis Præfationis verbis colligit, Urbis conditum ab illo conjectum in primum annum Olymp. VII. quasi ex annorum Olympiacorum summa deducendi sint XXV. Quod neque Diodorus voluit, & longe profecto aliter de Urbis initio sensit. Ac videtur ad Pisonis potius sectam, opinionemque revocandus. C Nam quinque fere annis; alias pluribus; a Varronis Palilibus dissidet. Ostendatur id exemplis aliquot. Diodorus lib. XI. scribit Olympiadem septuagesimam quintam incidisse in Coss. Spurium Cassium, Proculum Virginium Tricostum. Coss. isti cadunt in annum Varronianum CCLXVIII. Porro Varonis Palilia prima, uti mox probabitur, competunt anno Per. Juliani 3961. atque ideo ducentesimus sexagesimus octavus annus est Per. Julianæ 4228. Olympiadis vero septuagesimæ quintæ primus, sive Iphiti CCXCVII. iniit anno 4234. at anno 4228. cœpit annus tertius Olymp. LXXIII. sive Iphiti CCXCI. Itaque si ad annum primum Olympiadis LXXV. Sp. Cassii & Virginii Consulatus D redigitur, sex annis tardior erit epocha Diodori, quam Varronis, & anno XXIX. Iphiti congruet, Olympiadis octavæ anno primo. Rursus anno primo Olympiadis LXXVIII. qui cadit in annum Per. Jul. 4246. ponit Coss. L. Æmilium Mamercum & Vopiscum Julium. Est is annus Varronianus CCLXXXI. qui convenit anno Per. Juliani 4241. quo iniit quartus Olympiadis LXXVI. Igitur quinquennio solido epocham Varronis moratur. Sic anno primo Olymp. LXXIX. Per. Jul. 4250. Iphiti CCCXIII. Coss. assignat A. Verginium, T. Minucium, qui cadunt in annum Varronianum CCLXXXV. Si E dea annis 4250. detrahas annos CCLXXXV. restabunt 3965. Ita anno 3966. prima Palilia ex Diodori mente cœperint, quinquennio post Varroniana. Idipsum & in annis sequentibus apud eundem Historicum observare licet. Anno primo Olymp. LXXX. Archonte Phaaclide, Coss. tribuit Q. Fabium, T. Quintium Capitolinum. Incurrunt iidem in Varroniana Palilia CCLXXXIX. Periodi Julianæ 4249. Verum annus primus Olymp. LXXX. convenit anno Per. Jul. 4254. Itaque quinquennio post Varronis Palilia Diodori epocha sequitur. Sic anno primo Olymp. LXXXI. Coss. affingit Ser. Sulpitium, P. Volumnium. Olympias ista competit anno Per. Jul. 4258. Coss. au- F tem illi Palilibus Varronianis CCXCIII. Deductis annis CCXCIII. de 4258. cadet epocha Urbis in annum 3966. Item anno I. Olymp. LXXXIII. Coss. nominantur a Diodoro T. Romelius Vaticanus, C. Veturius Cicerinus. Olympias ista cœpit anno Per. Jul. 4266. at vero Coss. anno Varroniano CCXCIX. qui deducti de 4266. conjiciunt Palilia Diodori in annum 3968. septem annis post Varroniana. Anno primo Olymp. CVII. Iphiti

cccv. Per. Jul. 4362. Diodorus Coss. assignat C. Sulpitium, M. Valerium, qui in Varroniana Palilia ccccI. cadunt, anno 4361. Hac ratione Diodori Palilia uno anno Varronianis posteriora sunt, & Capitolinis congruunt Anno primo Olymp. cix. quadriennio. At anno primo centesimæ decimæ quartæ biennio duntaxat. Ponit enim Coss. C. Pœtelium, L. Papyrium. Ad hos spectant Varronis Palilia ccccxxvIII. Olympias cxIv. qua mortuus est Alexander, commissa est anno 4390. Deductis annis 428. cadent Diodori Palilia in annum 3963. Verum exemplorum fatis est. Reliqua per se quivis periclitari poterit. Neque vero supervacanea hæc nostra diligentia est. Nam ex ea summorum virorum duorum error agnoscitur, Sigonii & Onuphrii, qui sub annorum pæne singulorum titulis notare solent, *Hoc anno Coss. hos vel illos nominant Dionysius, Livius, Diodorus:* cum plerumque Diodorus quinque vel sex annis dissentiat, ut qui Varroni annus est exempli causa CCLXVIII. ab U. C. is Diodoro sit CCLXII. Auctor Novæ Chronologiæ cap. c. Diodorum asserit annis octo communem Olympiadum epocham antevertisse. Quoniam enim a prima Olympiade ad bellum Gallicum annos elapsos ait 730. additis 54. qui ab eodem bello ad Christum interjecti sunt, consiunt 784. cum sint anni duntaxat 776. Sed cum anno Urbis 695. Gallicum bellum inierit, a quo ad Christum 58. anni numerantur, plane 788. anni conflantur: ac 12. vel 13. annis non sine errore verum Olympiadum initium prævertit. Totidem annis Ausonius e contrario communem moratur epocham. Scribit enim in Epigram. ad Consulatum suum annos ab U. C. fluxisse 1118. cum 1131. absoluti sint. Consul enim fuit anno Christi 379. At idem ille vir doctus octo duntaxat annorum metachronismum agnoscit in Ausonio. Sed utrumque suo loco postea discutietur.

Nunc Scaligerianæ cuidam hæsitationi tempus est occurrere. qui initio lib. v. pag. 333. Fastorum Capitolinorum, Dionis, ac Velleii Paterculi fidem nonnihil suspectam habet. Quorum ille recte quidem Consulatum quartum Octaviani Cæsaris in annum ab U. C. confert DCCXXV. sed Domitii Calvini triumphum de Thracibus & Getis alieno tempore posuit, quem saxum Capitolinum ponit anno DCCXVII. Hæc Scaliger. Sed fallitur, cum a Dione credit anno Urbis DCCXXV. tribui Consulatum Iv. Augusti. Hic enim anno DCCXXIV. potius assignatur. Siquidem initio lib. XL. anno Urbis septingentesimo Coss. ait fuisse L. Domitium & Appium Claudium. Post istos vero vicesimum quartum Consulatum obtinent Augustus Cæsar Iv. & Licinius Crassus. Quod ad triumphum Domitii spectat, quem ex Hispania retulit, non ex Thracia, ut perperam scribit Scaliger, meminit hujus Dio, anno U. C. DCCXV. sed alieno loco. Convenit enim, ut ex Fastis Capitolinis apparet, anno DCCXVII. qui est Varronianus DCCXVIII.

De Vellejo Paterculo habet ista Scaliger: Numerare ipsum a Consulatu Claudii Marcelli & Cornelii Lentuli ad Consulatum M. Vinicii Quartini & C. Cassii Longini annos LXXXVIII. cum sint tantum LXXVI. Verum apud Vellejum, lib. II. cap. XLIX. Lentulus & Marcellus Coss. ponuntur anno U. C. DCCIII. cum tamen Varroniana Palilia sint DCCV. Iidem consulatum gessisse dicuntur Vellejo anno LXXVIII. quam M. Vinicius Quartinus Consulatum iniret. Porro ab Urbe condita ad Consulatum Vinicii Vellejus lib. I. annos esse refert DCCLXXXII. Ubi & Urbem conditam asserit sexta Olympiade, post annos duos & viginti, quam prima constituta fuerat; ut videatur ex Varronis sententia prima Palilia desixisse anno Iphiti XXIII. qua ratione expletis annis DCCLXXXII. ineunte septingentesimo octogesimo tertio Palilia Consulatus Vicinii consurgent. Lentulus & Marcellus Coss. fuerunt anno Varriano DCCV. Adde LXXVIII. paria, postremum in annum incidet DCCLXXXIII. quo Consulatum gessit Vinicius. Itaque legendum apud Vellejum LXXVIII. pro LXXXVIII. neque Consulatus tantum LXXVI. sed LXXVII. inter utrumque terminum interjecti sunt. At perperam Vellejus Lentulum & Marcellum Coss. locat in anno ab U. C. DCCIII (male apud Scaligerum DCCIV) Biennio enim aberrat; cum isti Coss. cadant in annum Varronianum DCCV. non DCCVI. quod scribit Scaliger. Huic biennii prochronismo consentaneus est alter, quo Vellejus cap. LXVI. Augustum refert pridie quam XX. annos expleret, X. Kalend. Octobres cum collega Q. Pedio Consulatum iniisse, occisis Hirtio & Pansa, anno Urbis septingentesimo nono. Contigit enim anno DCCXI. & ita sine dubio apud Vellejum scribendum esse, demonstrat quod addit ante annos septuaginta duos id accidisse, quam M. Vicinius Consulatum iniret. Iniit autem anno DCCLXXXIII. Pessime itaque Scaliger LXX. tantum annos a primo Consulatu Octaviani ad Vinicii Consulatum putat, cum septuagesimus secundus post illum sit Vinicii Consulatus. Postremo Vellejus refert Coss. Sex. Ælio Cato & C. Sentio Saturnino, anno U. C. DCCLIV. annis ante Consulatum Vinicii XXVII. adoptatum ab Augusto esse Tiberium. Tribus annis minus dicit, quod ad annos conditæ Urbis attinet. Est enim DCCLVII. a quo ad Vinicium Cos. anni sunt XXVI. & XXVII. si ipsum Cati & Saturnini Consulatum velis complecti. Quare legendum est apud Vellejum DCCLVII. pro DCCLIV. & falsum est biennio amplius esse annos XXVII. quod ait Scaliger.

## CAP. LI.

*De capite annorum ab U. C. deque epochæ illius characteribus Chronologicis. Solini locus illustratur.*

ROMÆ conditum in Palilia conferunt Scriptores, qui dies XI. Kal. Majas, id est, Aprilis XXI. in Juliano Kalendario constitutus est. Olim vero, & sub ipsum Natalem Urbis cui Juliano men ac diei competeret, investigare difficile est. Verum quemadmodum Juliana forma tanto post Urbem conditam intervallo usurpari cœpta propter anni commoditatem προληπτικῶς ad anteriora porrigitur, ita & Palilia, sive Natalis Urbis, fictione quadam in Apr. XXI. die retinetur. Quin etiam post eundem Julianum annum receptum, qui a Kal. Jan. orditur, annorum Urbis epocha ab iisdem Kalendis fere procedit; nisi aliter Scriptores quosdam intellexisse, certis ex conjecturis possit colligi. Ad hæc varia annorum civilium initia consideranda sunt; ut in Olympiadico anno monuimus. Nam plerique ut anni popularis, ita & Romani Urbisque conditæ primordium ab autumno deducunt. Quorum omnium singillatim exempla percensere, longum est & molestum. Hæc tantum studioso Lectori proponenda fuit cautio, ut in eruendis Scriptorum sententiis judicio opus esse sciret. Solinus ecce cap. II. *Collatis,* inquit, *nostri & Græcorum temporibus invenimus incipiente Olympiade septima Romam conditam, anno post Ilium quadringentesimo tricesimo tertio.* Hæc est Fastorum Capitolinorum sententia, ut recte Onuphrius animadvertit. Cur enim diceret, *incipien-*

*te Olympiade septima*, nisi anno quarto sextæ desinente conditam arbitraretur? At idem paulo post: *Huic*, inquit, *argumento id accedit, quod C. Pompejus Gallus & Q. Veranius anno U. C. octingentesimo primo fuerunt Coss. Consulatu eorum Olympias septima & ducentesima actis publicis annotata est. Quater ergo multiplicatis sex & ducentis Olympiadibus, erunt anni octingenti viginti quatuor. quibus de septima Olympiade annectendus est primus annus, ut in solidum colligantur* DCCCXXV. *anni. Ex qua summa detractis viginti annis, & quatuor Olympiadum retro sex, manifeste anni* DCCCI. *reliqui fiunt*. Annus, quo Coss. fuerunt Pompejus Gallus & Veranius, est Varronianæ putationis DCCCII. ex Fastis Capitolinis DCCCI. qui iniit anno Christianæ æræ XLIX. Per. Jul. 4762. quo annus primus Olymp. CCVII. ex diebus æstivis inchoatur; Urbis autem, Varronianus DCCCII. ex Palilibus. Solinus [1] ex annis Iphiti DCCCXXV. deduci jubet XXIV. ut reliqui sint DCCCI. Hoc modo falsum colliget. Neque enim anno quarto Olymp. sextæ; sed anno primo septimæ Natalis Urbis congruet. Itaque annum Iphiti, sive Olympiadicum ab eadem epocha, a qua & Urbis annum, exorsus est; nempe a Kal. Jan. Alioquin XXIII. duntaxat anni solidi & vertentes de summa detrahendi fuerant, ut in sequentem, vicesimum quartum exeuntem Natalis Urbis incurreret. At secundum Varronem annis DCCCXXIV. Iphiteis absolutis, deducti anni DCCCII. relinquunt XXII. Unde vicesimo tertio labente Urbs est condita. Ac si Actuarii isti publici, de quibus Solinus loquitur, annum Urbis DCCCI. cum Olymp. CCVII. composuerunt, Fastorum Capitolinorum computationem secuti sunt. Nisi forte notatam Olymp. illam Romæ dicamus anno Christi XLIX. inter Kal. Jan. & Palilia, cum annus Urbis a Palilibus octingentesimus primus adhuc curreret, cui mox ab XXI. Aprilis successurus erat annus DCCCII. Ita cum illorum Consulatus anno Urbis Varroniano, si a Palilibus incipias, DCCCI. cœpisset, & cum anno Urbis DCCI. & comparatus fuisset; Olympias vero CCVII. iisdem Coss. postea celebrata, anno Urbis DCCCII. Solinus quem annum Urbis ineunte illorum Magistratu notatum viderat, eundem & ad æstivum mensem, quo Olympiaci agones commissi sunt, accommodavit. Ut ut vero se res habet, ex eo manifestum est, recte a nobis Olympiadum epocham conjectam esse in annum Per. Jul. 3938. Si enim Olympias CCVII. hoc est, annus Iphiti DCCCXXV. iniit anno Per. Jul. 4762. deductis annis 825. relinquuntur 3937. Itaque anno 3938. cœpit annus Iphiti primus.

Superest ut antequam ab Urbis annorum epocha discedamus, certis illam notis & characteribus, nostro more, fulciamus. Primum igitur Livius lib. XXIII. sub initium refert, Cn. Servilium & C. Flaminium Romæ Eidibus Martiis Magistratum iniisse: & inter alia prodigia Solis orbem in Sardinia minui visum. Ea Solis eclipsis contigit cyclo Solis XVII. Lunæ XIII. Februarii XI. Per. Jul. 4497. Iphiti DLIX. sive Olympiadis CXL. anno tertio exeunte. Vera conjunctio ex Parisinis Carali in Sardina contigit hora post meridiem 1. 34'. Apparens hora 2. 52'. Initium hora 1. 41'. post meridiem. Finis hora 4. 8'. Digitorum fuit circiter septem: & horas 2. 27'. fere tenuit. Annus porro tum agebatur Urbis Varronianus DXXXVII. post istos vero Coss. novem paria sequuntur usque ad annum Urbis DXLVI. quo Coss. fuere Crispinus & Marcellus, quo cœpit annus Iphiti DLXIX. Olympiadis CXLIII. primus. Quare si de 4497. deducas annos 537. restant 3960. & sequentes, 3961. Varroniana Palilia prima cœperunt.

Rursus auctore [1] eodem Libio lib. XXXVII. L. Cornelio Scipione & C. Lælio Coss. ante diem v. Eid. Quint. obscuratus est Sol, Luna sub orbem ejus subeunte. Convenit defectus ille anno Per. Jul. 4524. cyclo Solis XVI. Lunæ II. Martii XIV. feria II. Verum Novilunium ex Parisinis Tabulis Romæ contigit hora 7. 13'. Sole tum in Piscibus, eorumque gradu 19. 43'. consistente. Apparens conjunctio sub ipsum fere Solis ortum, hora 6. matutina scrup. 19'. 44''. Duravit horas fere duas. Sed Romæ nonnisi dimidia conspecta. Annus quo defectio ista contigit, numeratur a Varrone Urbis annus DLXIV. cum annus secundus Olympiadis CXLVI. in cursu esset. Porro ab anno DLXIX. Iphiti, sive primo Olympiadis CXLIII. ad Iphiti ineuntem DLXXXVII. qui anno 4524. Per Jul. cœpit, anni sunt XVIII. ita ut decimus nonus sit septingentesimus octogesimus septimus. Totidem Consulatus sunt in Fastis Romanis a Consulatu Crispini & Marcelli ad Scipionem & Lælium. Quocirca cum annus U. C. Varronianus DLXIV. cœperit anno Per. Jul. 4524. necesse est primum iniisse anno 3961.

Tertio memorabilis est defectus ille Lunæ, qui Coss. L. Paulo Æmilio & Licinio Crasso contigit, nocte, quam prid. Non. Sept. insecuta est dies, ab hora secunda noctis ad quartam deficiente Luna, ut refert Livius lib. XLIV. meminitque Plutarchus in Æmilio. Annus hic Urbis erat DLXXXVI. cyclus erat Lunæ v. Solis x. Per. Jul. 4546. quo eclipsis accidit inter XXII. & XXIII. Junii in anno Juliano.

Ex Parisinis Tabulis vera luminarium oppositio cadit in horam circiter 21. a media nocte diei XXII. Junii. Sole in Germinorum gradu 26. versante. Duravit horas 4. 6'. nempe ab hora sexta, scrup. 53'. post meridiem ad horam usque 11. 21'. ac digitorum fuit amplius 15. Tota porro in umbram immergi cœpit hora 8. 35'. quæ est secunda καιρικὴ noctis hora. emergere autem ex umbra cœpit circa horam æquinoctialem 9. 18'. paulo ante quartam καιρικήν. Ideoque a secunda ad quartam noctis horam defecturam esse πλατικῶς in militari concione prænunciavit Sculpitius Gallus, uti Livius refert. Luculentissimus hic annorum Urbis est character, & ad communem adstruendam Chronologiam validum inprimis argumentum, quod flagrante jam æstate defectio illa contigerit, ut ex Livio & Plutarcho postea disputabitur, cum novam eruditi viri sententiam de hoc anno reliquisque Fastorum communium expendemus ac refutabimus.

Quartum annorum Urbis characterismum alia Solis defectio suppeditat, quam Cn. Servilio & C. Flaminio Coss. anno U. C. DXXXVII. in Sardinia conspectam inter alia prodigia, quæ cladem ad Thrasumenum lacum a Romanis acceptam antegressa sunt, refert libro II. Decadis III. Livius, cum ita loquitur: *In Sardinia Solis orbem minui visum, & Arpis Lunam cum Sole pugnantem*. Hanc vero nos defectionem Solis ad Parisinas tabulas exigentes, anno Per. Jul. 4497. comperimus accidisse Carali in Sardinia Februarii XI. Vera syzygia commissa est hora post meridiem 1. 34'. 19''. Apparens hora 2. 52'. 19''. Fuit digitorum fere 7. duravitque horas 2. 27'. Cœpit enim hora post meridiem 1. 31'. 49''. Desiit hora 4. 8'. 19''.

Quinta Solis itidem eclipsis a Livio Dec. IV. lib. VIII. significatur; cum ait anno U. C. DLXVI. M. Valerio Messala, C. Livio Salinatore Coss. lu-

1. Solini locus expenditur.

1. Pag. 318.

ce, inter horam tertiam fere & quartam tenebras obortas esse. At nos e tabulis nostris eruimus anno Per. Jul. 4526. Solem defecisse Julii XVII. Novilunium verum Romæ hora 7. 46'. 36". Apparens hora 6. 26'. 36'. Duravit horas circiter duas. digitorum autem fuit ferme 8. Maxima Solis obscuratio circa horam diei tertiam *καιρικὴν*.

A

Postrema, Lunæ defectio a Polybio [1] memoriæ prodita est l. IV. ubi eo anno, quo Livius Salinator & Æmilius Paulus Coss. fuerunt, lunam defecisse scribit: eaque re animadversa, Gallos mercenarios, qui in Attali exercitu merebant, progredi ultra noluisse. Hanc vero e Tabulis nostris deprehendimus anno Per. Jul. 4465. Novilunium verum in Mysia, ubi tum erat Attalus, contigit Martii XX. hora post mediam noctem 2. 4'. Cœpit Luna deficere hora 0. 9'. Tenuit horas 3. 50. Desiit hora 3. 59'. 40". ac digitorum fuit 12¼ fere; totaque

B

videlicet obscurata est. Atque iis Coss. annus notatur ab U. C. Varronianus DXXXV.

Ex iis omnibus indubitata conditæ Urbis epocha secundum Varronem adstruitur anno Per. Jul. 3961. ante Christum 752 quod intelliges si annos Urbis cœlestibus illis observationibus insignes de annis Periodi Julianæ detraxeris. relinquentur enim 3960. Quare anno sequente primus annus, sive Palilia prima Varroniana ab Aprili mense cœperunt. Capitolina vero, quæ uno minus anno numerant, annos 3962. Nos Varronem cum plerisque sequi maluimus. Cui & Censorini egregius ille locus, qui a nobis est supra propositus, adstipulatur. Etenim anno Christi CCXXXVIII. quo libellum suum scribebat, initio docet annum U. C. nongentesimum nonagesimum primum a Palilibus. Hic est annus Per. Jul. 4951. Si igitur inde 991. annus detrahas, residui erunt 3960. Quare anno 3961. Palilia prima Varronis inierunt.

[1] Polyb. lib. IV. p. 420.



SAMUEL

# SAMUELIS PETITI
# ECLOGÆ CHRONOLOGICÆ
*DE*
# ANNO ET PERIODO
## VETERUM ROMANORUM.

# SAMUELIS PETITI
# ECLOGÆ CHRONOLOGICÆ
## DE
# ANNO ET PERIODO
## VETERUM ROMANORUM.

### CAPUT I.



Multa, eaque eximia Illustrissimus Heros in divino de Emendatione Temporum opere, observavit de Romanorum anno, ejusque modo; sed quo minus in ejus sententiam eamus, & Periodum a Romanis, quam illis adscribit, usurpatam fuisse nobis persuadeamus, facit, quod non conveniat cum minore Romanorum Periodo, id est, Lustro, quod erat quinque annorum intervallum, sed in partes secet. Deinde nullus interkalaris mensis omittebatur; quod tamen in hac Periodo omnino necessum est fieri. Nullum *Merkedonium* omitti testis est omni exceptione major T. Livius Historia I. de Numa agens: *Atque omnium primum ad cursum Lunæ in duodecim menses describit annum: Quem, quia tricenos dies singulis mensibus Luna non explet, desuntque dies solido anno, qui Solstitiali circumagitur orbe, interkalares menses interponendo, ita dispensavit; ut vicesimo quoque anno ad metam eandem Solis, unde orsi essent, plenis annorum omnium spatiis, dies congruerent*. Livius vocat *plena spatia* interkalationes *Merkedonii* mensis, quibus inania spatia anni Romani explentur, ut cum Solstitiali cursu æquentur. Omnium vero annorum plena fuisse spatia asserit. Ergo nullus fuit annus embolimæus, cui interkalaris mensis non sit interpositus, ac proinde *Merkedonius* nullus omissus est. Plena autem sunt omnium annorum spatia, etiamsi decem dies e tribus mensibus deducantur, quia anni diebus tantum aliquot, non autem aliquo mense sunt decurtati: itaque plena sunt omnium annorum spatia, quia nulli desunt menses. Sed quomodo fiet, ut anni tempestates in alias sedes non transducantur, si duos dies singulis bienniis supra rationes Solis succrescant? Minor Romanorum Periodus fuit annorum quinque. *Lustrum* appellant. E duobus *Lustris* conflata est major Periodus *annorum decem*, intra quam Solis rationes cum Romanorum annopariant & exæquantur. Periodum fuisse *annorum decem* probat maxime Livii locus, ut infra, Deo dante, dicemus. Ea vero illius est ratio: Singulis bienniis *Merkedonius* mensis interkalatur vigintiduorum aut viginti trium dierum alternis: atque ita in hac *decem annorum* Periodo quinquies interkalatur *Merkedonius*. At vero, cum intra hoc decennium dies decem succrescant supra rationes Solis, huic malo medicina facta est modo: Ex anno nono exemti sunt dies decem. Meminit hujus ἐξαιρέσεως Macrobius his verbis: *Verum fuit tempus, cum propter superstitionem interkalatio omnis omissa est; nonnumquam vero per gratiam Sacerdotum, qui cum publicanis proferri vel imminui consulto anni dies volebant, modo auctio, modo retractio dierum proveniebat, & sub specie observationis emergebat major confusionis occasio*. Quamquam enim observet Macrobius, ista facta fuisse per Sacerdotum gratiam, tamen hinc constat observatum fuisse e more dies aliquot anni imminuere & retrahere, quemadmodum moris quoque erat, nonnullos intercalare. Retractio autem ista dierum erat, non quidem mensis *Merkedonii*, (neque id dicit Macrobius, sed contrarium potius. nam observat dies esse retractos, qui alioqui numerati fuissent, quippe qui anni illius essent sine ulla intercalatione, nisi Pontifices intercessissent & illos retraxissent; at vero *Merkedonius* mensis non intercalabatur nisi ex eorundem Pontificum auctoritate) plena enim erant mensium intercalarium spatia, sed in tribus mensibus anni, nempe *Quintili*, *Septembri*, & *Novembri*, e mense *Quintili* dies eximebantur *quatuor*, e *Septembri* vero *tres*, e *Novembri* denique *totidem*: Atque ita annus imminuebatur diebus *decem*, qui, meo judicio, appellantur in veteri illo Kalendario Romano MERKEDONII. Id enim significat, ut volunt viri magni, nota MERKED. quæ quibusdam diebus mensis *Quintilis*, *Septembris*, & *Novembris*, adscribitur in illo Kalendario: factaque est appellatio MERKEDONII communis mensi, qui interkalabatur, & diebus, qui eximebantur. Neque id sine causa. Nam non minus conducit hæc dierum aliquot exæresis ad exæquandum annum Romanum cum rationibus Solis, quam embolimi mensis intercalatio, indeque τὸ MERKEDONIUS nomen accepit: nam Μερκηδόνιος est παρὰ τὸ μὴν, Æolice μεὶς, in veteri Latio MER, & κηδέω, unde κηδόνιος. Nam de exæquando anno Romano cum Sole solliciti sunt, qui vel mensem embolimum intercalant, vel dies de mensibus eximunt. Sed in Kalendario Romano male quadratarius quinquies adscripsit notam MERK. in mense *Quintili*: quatuor enim tantum erant in mense Quintili MERKEDONII dies. Præterea neque in hoc mense, neque in duobus item aliis, adscripti sunt suis locis hi dies. Apponenda enim est hæc nota diebus tantum illis, qui a Nonis ad Eidus numerantur. Ratio in promptu est, quia definitus est Nonarum & Kalendarum numerus, ut constat e Macrobio: (nam quamquam menses nonnulli plures numerent Nonas aut Kalendas, quam alii, numerus tamen illarum certus est, & perpetuæ observationis, ita ut qui Nonas habet quintanas, qui septimanas, toti-

dem ſemper habeat; quod de Eidibus dici non poteſt, quia non idem ſemper earum numerus in quibuſdam menſibus, cum ex illo ſemel atque iterum in annorum xx. Periodo dies aliquot eximerentur.) Quintilis enim ſeptimanas Nonas, September & November quintanas habebant: in omnibus vero ad ſeptendecim Kalendæ computabantur. Eximendi igitur fuerunt dies, qui a Nonis ad Eidus numerantur: ſed tamen mihi certum eſt atque indubitatum, diem ipſum Eidus exemtum non fuiſſe. oportebat enim numerari Eidus ipſas. Nonum vero annum Periodi ἐξαιρεσιμαῖον facimus, non tantum rationibus moti, quæ e ſuperioribus poſſunt colligi, ſed etiam exemplo admodum illuſtri de quo in ſequentibus, σὺν θεῷ δ' εἰπεῖν, dicemus: atque ita annus nonus habebat tantum dies trecentos quadraginta quinque. En autem Periodi Diagramma:

PERIODUS ROMANORUM ANNORUM DECEM.

| ANNI ROMANI. | | | | | ANNI SOLARES. | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| *Periodi.* | | *Dies collecti.* | *Superflui.* | *Horæ.* | *Dies collecti.* | *Horæ.* |
| | I. | 355. | 11. | 6. | 365. | 6. |
| Embol. | II. | 732. | 0. | 12. | 730. | 12. |
| | III. | 1087. | 11. | 18. | 1095. | 18. |
| Embol. | IV. | 1465. | 0. | 0. | 1461. | 0. |
| | V. | 1820. | 11. | 6. | 1821. | 6. |
| Embol. | VI. | 2197. | 0. | 12. | 2191. | 12. |
| | VII. | 2552. | 11. | 18. | 2556. | 18. |
| Embol. | VIII. | 2930. | 0. | 0. | 2922. | 0 |
| Ἐξαιρ. | IX. | 3275. | 11. | 6. | 3287. | 6 |
| Embol. | X. | 3652. | 0. | 12. | 3652. | 12. |

Quod vero Livius docet, viginti annorum fuiſſe Periodum, nihil adverſum nos facit, imo contra valide noſtram confirmat ſententiam, de annorum decem Periodo. Nam cum ſimplex Periodus eſſet annorum decem, duas conjungit, quia duodecim horæ ſuperſunt ſupra rationes anni, ut videre eſt in Tabella; quæ nunquam, niſi alteris decem annis, poſt quos nihil relinquitur, exæquabuntur, ut hic habes:

ALTERA PERIODUS.

| ANNI ROMANI. | | | | | ANNI SOLARES. | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| *Periodi.* | | *Dies collecti.* | *Superflui.* | *Horæ.* | *Dies collecti.* | *Horæ.* |
| | XI. | 355. | 11. | 18. | 365. | 18. |
| Embol. | XII. | 732. | 0. | 0. | 730. | 0. |
| | XIII. | 1087. | 11. | 6. | 1095. | 6. |
| Embol. | XIV. | 1465. | 0. | 12. | 1461. | 12. |
| | XV. | 1820. | 11. | 18. | 1821. | 18. |
| Embol. | XVI. | 2197. | 0. | 0. | 2191. | 0. |
| | XVII. | 2552. | 11. | 6. | 2556. | 6. |
| Emb. | XVIII. | 2930. | 0. | 12. | 2922. | 12. |
| Ἐξαιρ. | XIX. | 3275. | 11. | 18. | 3287. | 18. |
| Embol. | XX. | 3652. | 0. | 0. | 3652. | 0. |

Redit hoc modo ad eandem Sol metam, unde orſi erant Romani, nec quicquam relinquitur, & qui primus rurſum interkalatur, *Merkedonius* eſt dierum viginti duorum. atque id docet Livius his verbis: *Quem quia tricenos dies ſingulis menſibus Luna non explet, deſuntque dies ſolido anno, qui Solſtitiali circumagitur orbe, interkalares menſes interponendo,*

A *ita diſpenſavit, ut* viceſimo *quoque anno ad metam eandem Solis, unde orſi eſſent, plenis annorum omnium ſpatiis, dies congruerent.* Nuperus ſcriptor negat legendum eſſe, *ut viceſimo anno*, & male a nobis ita emendari & reponi contendit, cum vera & germana lectio ſit, *ut viceſimo quarto quoque anno.* At contra illud *viceſimo quarto* eſt a correctorum manu, primuſque, puto, M. Antonius Sabellicus auſus eſt ita hunc locum interpolare, cum tamen in ejus libris, quemadmodum & in Aldino codice, & in præſtantiſſimis quibuſque editionibus legatur: *ut viceſimo quoque anno.* Vide notas V. Cl. Caroli Sigonii ad hunc locum. Sed hæc ſatis. B Periodum aſſeramus illuſtri exemplo. Anno ſecundo Olympiadis nonageſimæ octavæ ineunte, Theodoto Athenis Prætore, capta eſt Roma a Gallis Senonibus. id docet Polybius lib. I. cui Strabo aſſenſum præbet, lib. VI extremo: Ἐγένετο τοῦτο, ὥς φησιν Πολύβιος, ἔτει ἐννεακαιδεκάτῳ μετὰ τὴν ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς ναυμαχίαν, κατὰ τὴν ἐπ' Ἀνταλκίδου γενομένην εἰρήνην. Diodorus lib. XIV. eundem Archontem præſcribit Theodotum anno, quo pax ab Antalcida Lacedæmoniorum nomine cum Perſarum Rege inita eſt, & Urbs a Gallis capta: fuit igitur annus ſecundus Olympiadis nonageſimæ octavæ. Idem aſſerit Juſtinus lib. VI. *Hic annus non eo tantum inſi-* C *gnis fuit, quod repente pax tota Græcia facta eſt: ſed etiam eo, quod eodem tempore urbs Romana a Gallis capta eſt.* Et fruſtra eſt nuperus ſcriptor, qui Polybianam putationem minus exactam eſſe pronunciat, non enim meliora ille, nec certiora. Nam vere obſervat Plutarchus, nihil eſſe adeo certi in aſſignando hujus rei anno, ut omnis eximatur ſcrupulus: ecce enim tibi Livium, cui neque cum putatione Polybiana, neque cum calculo nuperi ſcriptoris convenit, ut liquido conſtat ex eo, quod Camillum viginti quinque annos vixiſſe poſt reſtitutam ſecum patriam ſcribat lib. VII. mortuum autem D eſſe L. Genutio & Q. Servilio Coſſ. Verum ad Polybium redeamus, cujus verba hic deſcribenda duximus, ut obiter emendemus: Ἔτος μὲν οὖν ἐνειστήκει μετὰ τὴν ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς ναυμαχίαν ἐννεακαιδέκατον, πρὸ δὲ τῆς ἐν Λεύκτροις μάχης ἑκκαιδέκατον, ἐν ᾧ Λακεδαιμόνιοι μὲν τὴν ἐπὶ Ἀνταλκίδου γενομένην εἰρήνην πρὸς βασιλέα τῶν Περσῶν ἐκύρωσαν. Γαλάται δὲ κατὰ κράτος ἑλόντες αὐτὴν τὴν Ῥώμην κατεῖχον πλὴν τοῦ Καπιτωλίου. Capta non eſt Urbs *per vim*, ut tamen præfert hæc Polybii ſcriptura, κατὰ κράτος ἑλόντες αὐτήν: neque quiſquam veterum, quod ſciam, id memoriæ prodidit. Vide contra Livium l. V. cujus hæc ſunt verba: *Galli, & quia interpoſita* E *nocte a contentione pugnæ remiſerant animos, & quod nec in acie ancipiti uſquam certaverant prælio, nec tum impetu aut vi capiebant Urbem, ſine ira, ſine ardore animorum ingreſſi poſtero die Urbem, patente Collina porta in forum perveniunt.* Urbem tamen ingreſſi Galli eam diripuerunt; & igni ferroque vaſtarunt non minus, quam ſi per vim cepiſſent. Livius ibidem: *Poſt principum cædem, nulli deinde mortalium parci, diripi tecta, exhauſtis injici ignes.* Atque idem docet Polybius, ſi reſcribas: Γαλάται δὲ, καθὰ κράτος, ἑλόντες αὐτὴν, &c. hic καθὰ κράτος idem eſt ac ſi ſcriptum foret, καθὰ κατὰ κράτος. ſenſus vero *perinde ac ſi cepiſſent.* Sed de his ſatis. Anno igitur F ſecundo Olympiadis nonageſimæ octavæ ineunte, Theodoto Athenis Archonte, Roma a Gallis capta eſt. & peccat Dionyſius Halicarnaſſeus lib. I. unius anni prochroniſmo, aut confundit ineuntem annum ſecundum cum primo jam affecto, quod verius puto. Idque accidit Julio menſe, cujus rei auctorem habemus Plutarchum, Livium, Tacitum, quamquam videantur diſſentire de die Julii, quo capta eſt Urbs, quo item ad Aliam eſt pugnatum. Sed id jam non quærimus. Expendamus

Plutarchi verba. de Alienſi clade iſta habet in Cauſſis: Οτι μετὰ τὰς Κυντιλίας Εἰδὰς, ἃς νῦν Ιυλίας καλᾶσιν, ἐξάγοντες οἱ Χιλίαρχοι τὸ ςράτευμα, περὶ τὸν Αλίαν ποταμὸν ἐκρατήθησαν ὑπὸ τῶ Κελτῶν μάχῃ. Ecce confert Plutarchus in diem decimum ſeptimum Kalendas Sextileis. Hoc tempus idem deſcribit in Camillo duobus characteribus: Εγένετο δ' ἡ μάχη περὶ τροπὰς θερινὰς περὶ πανσέλληνον. Pugnatum fuiſſe dicit circa ſolſtitium, itemque plenilunio. An ex vero hos characteres appoſuerit, inveſtigemus, cum bono Deo. Annus erat ab Orbe condito termilleſimus quinquageſimus ſexageſimus tertius, Cyclo Solis XIV. litera Dominicali C. Novilunium commiſſum eſt in Kalendario Juliano die viceſimo octavo Junii, feria ſecunda.

| *Anni.* | *Dies.* | *Feriæ.* | *Horæ.* | I. | II. | ☉. | ☽. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 3563. | | | | | | | |
| 3496. | | | | | | | |
| 67. | 102. | 7. | 3. | 20. | 48. | 19. | 14. |
| 3496. | 11. | 2. | 4. | 55. | 28. | 4. | |
| | 90. | 4. | 22. | 25. | 20. | 15. | |
| | 88. | 4. | 14. | 12. | 10 | | |
| | 179. | 2. | 12. | 37. | 30. | | |

Plenilunium igitur fuit in Kalendario Juliano die tertio decimo Julii, feria tertia. Idem annus erat ab Urbe condita tercenteſimus ſexageſimus ſextus, ſive nonus Periodi noſtræ, cujus initium ducimus ab anno Urbis centeſimo octogeſimo octavo, qui erat annus ab Orbe condito termilleſimus tercenteſimus octogeſimus quintus. Nonum eſſe patet annum Periodi, quia centeſimus ſeptuageſimus nonus annus eſt a primo Servii Luſtro. Eſt igitur annus nonus decimæ octavæ Periodi vertentis. Kalendæ Januariæ anni noni noſtræ Periodi Kalendis Januarii Juliani poſteriores ſunt diebus octo ſolidis. Quare Kalendæ Quintileis veteris hujus anni cadunt in diem quintum Quintilis Juliani, feria ſecunda. Sed hic annus habet ἐξαιρεσίμους dies quatuor in menſe Quintili; ergo tres ſunt tantum Eidus dies. Eidus igitur Quintileis hujus anni, ſive undecimus hujus Quintilis dies, cadunt in quintumdecimum Quintilis Juliani diem. Atqui tertiodecimo Quintilis Juliani die fuit plenilunium, ut jam diximus. Poſtridie harum Eiduum, id eſt, ſextodecimo Quintilis Juliani die pugnatum eſt, περὶ τὴν πανσέληνον, ut habet Plutarchus, qui libro de Iſide auctor eſt, die decimoſeptimo maxime apparere plenilunium: Εβδόμῃ ἐπὶ δέκα τὴν Οσίριδος γενέσθαι τελευτὴν Αἰγύπτιοι μυθολογᾶσιν, ἐν ᾗ μάλιςα γένεται πληρυμένη κατάδηλος ἡ πανσέληνος. Idem autem dies poſtridie Eidus Quintileis hujus anni Romani, ſive ſextus decimus Quintilis Juliani erat octavus a ſolſtitii ſede die octavo Quintilis Juliani. Atque hæc quidem, quamdiu inſtitutus a Numa turbatus non eſt ordo. Verum Sacerdotes, quorum arbitrio intercalandi ratio erat permiſſa, ob odium vel gratiam omnia depravarunt: itaque toties fines ſuos migravit anni caput. Quotieſcumque autem rem in integrum reſtitui curatum eſt, hic anni modus, & dierum *Merkedoniorum* uſus reſtitutus eſt.

Unum hic exquirendum reſtat, quid appellet Cicero *Myſteria*, & *Myſteriorum diem*, quod maxime confirmabit noſtram ſententiam de diebus *Merkedoniis*, Libro v. ad Atticum: *Cum ſcies Romæ intercalatum, velim ad me ſcribas certum, quo die myſteria futura ſint.* Libro vi. *Sed ut tibi placebit. Facieſque me, in quem diem Romana incidant myſteria, certiorem, & quomodo hyemaris.* Libro xv. *Et tu etiam ſcito, quo die Olympiadum myſteria. Ilicet, ut res ſit, caſus conſilium noſtri itineris judicabit. Dubitemus igitur. Eſt enim hiberna navigatio odioſa, eoque ex te quæſieram myſteriorum diem.* Loci duo priores e libro v. & vi. priores quoque ſunt emendatione anni Juliani: ille vero e libro xv. ea poſterior eſt. Neſcit autem ante emendationem Julianam, an menſis *Merkedonius* ſit intercalatus, an dies *Merkedonii* imminuti ſint, & hoc utrumque *intercalare* appellat. Quærit igitur, an intercalatum ſit, & exempti aut eximendi dies *Merkedonii* menſis Quintilis & Septembris, itemque Novembris, unde diſcat, in quem diem cadant *Myſteria*, quæ niſi dies *Merkedonii* eximerentur, inciderent ſemper in eundem & ſtatum Novembris diem: at quia e Novembri dies ſunt eximendi, quod pro Pontificum arbitrio, non e Periodi lege, ſæpius fiebat, quærit in quem Novembris diem incidant *Myſteria*. Nam *Myſteria* appellat diem Novembris, de quo Plutarchus in Marcello: Τότε τῶ πολέμυ συμπεσόντος ἠναγκάσθησαν εἶξαι λογίοις τισὶν ἐκ τῶν Σιβυλλίων, δύο μὲν Ελληνας, ἄνδρα καὶ γυναῖκα, δύο δὲ Γαλάτας ὁμοίως ἐν τῇ καλυμένῃ βοῶν ἀγορᾷ κατορύξαι ζῶντας, οἷς ἔτι καὶ νῦν ἐν τῷ Νοεμβρίῳ μηνὶ δρῶσιν Ελλησι καὶ Γαλάταις ἀπορρήτυς καὶ ἀθεάτυς ἱερυργίας. Quod vero emendato jam anno quærit de *Myſteriorum* die, factum eſt, quia poſt Cæſaris cædem, antequam Auguſtus manum admoveret, non videtur a Pontificibus obſervatus admodum certe religioſe hic anni modus.

## CAPUT II.

Video eruditiſſimis viris eſſe perſuaſum, cum annum (*Confuſionis* appellant) qui præceſſit primum annum Julianum, fuiſſe dierum quadringentorum quadraginta quatuor: idque & veterum ſcriptorum auctoritate, & exemplis ex hiſtoria petitis demonſtrare contendit Vir Illuſtris magni operis l. ii. itemque iv. Sed ejus ſententiæ non poſſumus accedere, quia rationes, quibus illam tuetur, nobis quidem non faciunt ſatis, ut liquido in ſequentibus, ſi Deus dederit, demonſtrabimus.

Annum *Confuſionis* quindecim menſium facit in D. Julio Suetonius cap. XL. *Converſus hinc ad ordinandum Reipublicæ ſtatum, faſtos correxit, jampridem vitio Pontificum per intercalandi licentiam adeo turbatos, ut neque meſſium feriæ æſtati, neque vindemiarum autumno, competerent: Annumque ad curſum Solis accommodavit, ut trecentorum ſexaginta quinque dierum eſſet, & intercalario menſe ſublato, unus dies quarto quoque anno intercalaretur. Quo autem magis in poſterum ex Kalendis Januarii nobis temporum ratio congrueret, inter Novembrem & Decembrem menſem interjecit duos alios: fuitque is annus, quo hæc conſtituebantur, quindecim menſium cum intercalario; qui ex conſuetudine in eum annum inciderat.* Modulum hunc trium menſium Dio lib. XLIII. ſcribit fuiſſe dierum ſexaginta ſeptem tantum, & falli, qui plures dies a Cæſare, ſive ex conſuetudine, ſive ut in poſterum ex Kalendis Januariis ratio temporum congrueret, intercalatos eſſe proderent: Ταῦτά τε ἐνομοθέτησε, καὶ τὰς ἡμέρας τὰς ἐτῶν ὐ πάντη ὁμολογύσας σφίσι (πρὸς γὰρ τὰς τῆς σελήνης περιόδυς ἔτι καὶ τότε τὰς μῆνας ἦγον) κατεςήσατο ἐς τὸν νῦν τρόπον, ἑπτὰ καὶ ἑξήκοντα ἡμέρας ἐμβαλὼν, ὅσαιπερ ἐς τὴν ἀπαρτιλογίαν παρέφερον. ἤδη μὲν γάρ τινες καὶ πλείυς ἔφασαν ἐμβληθῆναι, τὸ δ' ἀληθὲς ὕτως ἔχει. Tres igitur menſes, qui huic anno *Confuſionis* a Cæſare ſunt adjecti, fuerunt ſinguli ejuſdem moduli, cujus erant intercalarii: nempe unus atque alter viginti duorum dierum quiſque, tertius viginti trium dierum. De hoc anno iſta habet Macrobius.

lib. I. cap. XIV. *Ergo C. Cæsar exordium novæ ordinationis initurus, dies omnesqui confusionem adhuc poterant facere, consumsit, eaque re factum est, ut annus* confusionis *ultimus in dies* CCCXLIV. *protenderetur*. Quod hic habes de quadringentis quadraginta quatuor diebus, refert quoque Censorinus: *Adeoque aberratum est, ut C. Cæsar Pontifex Maximus, suo* III. *& M. Æmilii Lepidi Consulatu, quo retro delictum corrigeret, duos menses intercalarios dierum sexaginta septem in mensem Novembrem & Decembrem interponeret, cum jam mense Februario dies tres & viginti intercalasset, faceretque eum annum dierum quadringentorum quadraginta quatuor*. Sed omnino verum non est, duos illos menses intercalarios, quos in mensem Novembrem & Decembrem interposuit Cæsar, fuisse dierum sexaginta septem. Quis enim fuisset hic mensis modus? Neque verisimile est, intercalatos fuisse a Cæsare menses alterius moduli, quam ejus qui obtinebat, aut ipse in vulgus editurus erat: & certe intercalavit tantum, ut testatur Dio, dies sexaginta septem qui distributi sunt in tres menses intercalarios Romanos, quorum unus e consuetudine in eum annum inciderat: alii duo a Cæsare interpositi sunt in Novembrem & Decembrem mensem, ut retro delictum corrigeret. atque ita factus est hic annus mensium quindecim, sive dierum quadringentorum viginti duorum: neque pluribus diebus opus fuit, ut omnis confusio tolleretur, & ex Kalendis Januariis temporum ratio congrueret, quod his argumentis demonstratur.

Anno ab Orbe condito termillesimo octingentesimo nonagesimo sexto, qui erat annus ab Urbe condita sexcentesimus nonagesimus nonus, L. Domitio Ahenobarbo & Ap. Claudio Pulchro Coss. dies sextus Kalendas Octobris anni Romani incidit paulo ante æquinoctium autumnale. constat ex his M. Tullii lib. IV. ad Atticum, Epistola XVII. *A Quinto fratre, & a Cæsare accepi A. D.* IX. *Kalend. Novemb. literas confecta Britannia, obsidibus acceptis, nulla præda, imperata tamen pecunia, datas a littoribus Britanniæ. proximo A. D.* VI. *Kalend. Octob. exercitum Britannia reportabant.* Gesta ista sunt eo, quo diximus, L. Domitii Ahenobarbi & Ap. Claudii Pulchri Consulatu; & ex ante diem sextum Kalendas Octobreis Cæsar suum exercitum Britannia reportavit, idque paulo ante æquinoctium autumnale. Cæsar ipse testis est lib. V. de Bello Gallico: *Quas cum aliquamdiu Cæsar frustra expectasset, ne anni tempore navigatione excluderetur; quod æquinoctium suberat, necessario angustius milites collocavit, ac summam tranquillitatem consecutus; secunda inita cum solvisset vigilia; prima luce terram attigit, omnesque incolumes naves perduxit.* Æquinoctii nomine hic non intelligo illud ipsum, quod Cæsar postea constituit, sed potius, quod a Romanis observabatur. Quodnam autem æquinoctium fuerit ab illis adnotatum si quis a me quærat, respondebo suspicari esse illud Eudoxi: suspicionis meæ hæc ratio est, quod e Sicilia videntur accepisse Romani bello Punico primo ea, quæ anni tempestates & dierum horas spectant. de horologiis quidem id nominatim e Varrone docet Plinius lib. VII. cap. ultimo: *M. Varro primum statutum in publico secundum Rostra in columna tradit, bello Punico primo, a M. Valerio Messala Consule Catana capta in Sicilia, deportatum inde post* XXX. *annos, quam de Papyriano horologio traditur*. Habebant autem tunc Siculi in usu Eudoxi parapegma, qui & in Sicilia & in Italia observavit. Ptolomæus: Εὔδοξος ἐτήρησεν ἐν Ἀσίᾳ, καὶ Σικελίᾳ, καὶ Ἰταλίᾳ. Statuit autem, ut conjicere licet e bruma & æquinoctio verno, quorum observationes tradidit Geminus: Eudoxus, inquam, statuit æquinoctium autumnale circiter Kalendas Octobres Julianas. Sed hæc satis. Comparandus est igitur cum Cæsare Cicero. Cadit dies sextus Kalendas Octobreis hujus anni paulo ante Kalendas Octobreis Julianas. Erat autem hic annus embolimæus: nam duodecimus erat Periodi nostræ Romanæ annorum viginti, ut hinc colliges. Erat annus A. U. C. sexcentesimus nonagesimus nonus. abjice e perpetua methodo annos centum octoginta septem, supersunt anni quingenti duodecim, quibus per viginti divisis, reliquantur duodecim. Est ergo annus duodecimus nostræ Periodi, quo anno Merkedonium parem intercalarunt, id est, viginti duos dies. Hoc igitur anno intercalari dies sextus Kalendas Octobreis est ducentesimus octogesimus quartus a Kalendis Januariis. Quare ratiociniis Dionis de anno *Confusionis* moti, itemque iis, quæ refert de anno U. C. septingentesimo primo, suspicamur annum Consulatus L. Domitii Ahenobarbi & Ap. Claudii Pulchri cœpisse die duodecimo Decembris Juliani anni ab Orbe condito termillesimi octingentesimi nonagesimi quinti, diesque sextus Kalendas Octobreis hujus anni cadit in diem vicesimum primum Septembris Juliani anni ab Orbe condito termillesimi octingentesimi sexti: paulloque post fuit æquinoctium Eudoxi. Ne autem retro ante caput statuamus, facit, quod nimis recederet ab æquinoctio dies hic sextus Kalendas Octobris. Atqui, auctore Cæsare, *æquinoctium tunc suberat*. Quod vero Uranologus asserit sub Augusti Juliani finem Cæsarem potuisse id consilii capere, nobis non potest probari, quia pauci tantum dies ad æquinoctium supererant, ut vel inde constat, quod angustius milites collocavit, nempe vel paululum moratus navigatione exclusus fuisset ob anni tempus, quod solet excipere æquinoctium.

ANNUS A. U. C. septingentesimus, qui erat tertius decimus Periodi Romanæ, cœpit die vicesimo quarto Decembris Juliani anni ab Orbe condito termillesimi octingentesimi nonagesimi sexti, Cyclo Solis XII. litera Dominicali G. Id liquet. Nam annus proxime præcedens cœpit die duodecimo Decembris Juliani, fuitque embolimæus dierum trecentorum septuaginta septem. Quare annus sequens omnino cœpit die vicesimo quarto Decembris Juliani anni CIↃ CIↃ CIↃ IↃCCCXCVI.

ANNUS A. U. C. septingentesimus primus erat quartus decimus Periodi Romanæ, ac proinde intercalaris, eoque anno intercalatum est, ut constat ex Asconio Pediano in Milonianam: *Pompejus ab Interrege Ser. Sulpitio* V. *Kal. Mart. mense intercalario Consul creatus est*. Die scilicet vicesimo quinto mensis intercalarii Pompejus sine Collega Consul creatus est. Unde colliges intercalarium mensem dictum non fuisse, qui diebus viginti duobus, aut viginti tribus explicabatur, sed qui viginti octo dierum erat. Cœpit hic annus die tertio decimo Decembris Juliani anni ab Orbe condito termillesimi octingentesimi nonagesimi septimi. Præcedens enim annus, qui erat dierum trecentorum quinquaginta quinque, cœperat die vicesimo quarto Decembris anni CIↃCIↃCIↃIↃCCCXCVI. Hunc anni Romani modum deme, superest, ut die tertio decimo Decembris Juliani an. CIↃCIↃCIↃIↃCCCXCVII. novus annus Romanus incipiat. Id comprobat quod de *Nundinis*, quæ in Kalendas Januarias Romani hujus anni inciderunt, scribit Dio lib. XL. Καὶ τοῦτο οὔτε τι ἄλλο χρηστὸν συνέβη, καὶ ἡ ἀγορὰ ἡ διὰ τῶν ἐννέα ἀεὶ ἡμερῶν ἀγομένη, ἐν αὐτῇ τε τῇ τοῦ Ιανουαρίου νουμηνίᾳ ἤχθη. Quomodo *Nundinæ* in Kalendas Januarias anni Romani inciderint, a nobis, Deo dante, investigandum est. *Nundinas feriarum*

A

*diem esse voluerunt antiqui*, inquit Festus, *ut rustici convenirent mercandi vendendique causa, eumque nefastum, ne, si liceret cum populo agi, interpellarentur nundinatores*. Eratque nonus dies *Nundinis* deputatus, in orbem perpetuo vertens. Ovidius:

*Est quoque, qui nono semper ab orbe venit.*

Verum unde sit initium ducendum numerandi hunc nonum diem, sive *Nundinas*, cum altum sit apud veteres silentium, quærendum est. Fuit olim apud Romanos mensis Martius anni caput, a cujus mensis nova Luna, id est, ἀπὸ τῆς φάσεως, &

B

prima novæ Lunæ visione, sive biduo post commissum secundum medios motus Novilunium, numerare incipiebant *Nundinas*, easque toto vertente anno ad nonam rursus Lunam mensis Martii anni sequentis observabant: τὴν φάσιν diximus, quia olim, teste Macrobio, minor Pontifex novæ Lunæ primum observabat adspectum, visamque Regi Sacrificulo nunciabat, & quot dies a Kalendis superessent ad Nonas, pronuntiabat. Martii vero mensis rationem habuimus, quia is princeps olim mensium, ut jam diximus. Conjecturæ prætere nostræ fundus est hic Dionis locus de Ka-

C

lendis Januarii anni A. U. C. septingentesimi primi, in quas inciderunt *Nundinæ*; quod argumento est, non ab ipso anni capite, id est, Kalendis Januariis, numerari *Nundinas*, sed earum aliunde iniri numerum, a prima nempe novæ Lunæ Martii mensis visione. Nam anno ab Urbe condito termillesimo octingentesimo septimo commissum est secundum medios motus Novilunium die penultimo, sive vicesimo octavo (nam annus erat bissextilis) Februarii Juliani, fera quinta.

| *Anni.* | *Dies.* | *Feriæ.* | *Horæ.* | I. | II. | ☉. | ☽. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 3896. | | | | | | | |
| 3876. | | | | | | | |
| 20. | 82. | 5. | 8. | 2. | 19. | 28. | 5. |
| 3876. | 12. | 4. | 10. | 9. | 19. | 16. | |
| | 69. | 0. | 21. | 53. | 0. | 12. | |
| | 354. | 4. | 8. | 48. | 38. | | |
| | 424. | 5. | 6. | 41. | 38. | | |
| | 366. | | | | | | |
| | 58. | | | | | | |

D

E

Cœpit autem annus septingentesimus die vicesimo quarto Decembris Juliani anni CIƆCIƆCIƆIƆCCCXCVI. Quare Martius Romanus hujus anni cœpit decimo nono die Februarii Juliani anni CIƆCIƆCIƆIƆCCCXCVII. Kalendæ Martiæ Julianæ dies erant φάσεως sive primæ visionis novæ Lunæ, in quem diem cadit duodecimus Martii Romani; ab illo autem die ineundus est numerus orbis *Nundinarum* hujus anni vertentis ad primam novæ Lunæ visionem Martii sequentis proxime. Unde patet Kalendas Januarias anni veteris Romani A. U. C. septingentesimi primi in *Nundinas* incidisse, quod

F

testatur Dio; nam fuerunt hæ Kalendæ Januariæ anni IƆCCI. A. U. C. die tertio decimo Decembris Juliani ab Orbe condito CIƆCIƆCIƆIƆCCCXCVII. qui dies omnino cadit in *Nundinas*, si earum ordinem repetas a Kalendis Martii Juliani. definit enim tricesimus secundus orbis *Nundinarum* in hunc tertium decimum Decembris Juliani diem, qui primus est Januarii Romani:

*Dies anni Juliani.*

31. Martii.
30. Aprilis.
31. Maii.
30. Junii.
31. Julii.
31. Augusti.
30. Septembris.
31. Octobris.
30. Novembris.
31. Decembris.

288. x. 288. 88. } 32.

*Dies Anni Romani.*

20. Martii.
29. Aprilis.
31. Maii.
29. Junii.
31. Julii.
29. Augusti.
29. Septembris.
31. Octobris.
29. Novembris.
29. Decembris.
1. Januarii.

288.

Hoc ipsum afferemus alio exemplo. Sed res paullo altius est repetenda. Refert Livius libro XLIII. paullo ante quam Magistratum inirent Consules Q. Marcus Philippus II. & Cn. Servilius Cæpio, interkalatum fuisse: *Hoc anno interkalatum est: tertio die post Terminalia Kalendæ interkalares fuere*. Qui locus miras offudit tenebras viris præstantissimis; ex eo enim colligunt mensem interkalarem fuisse dierum viginti quinque. Anno sequenti, qui Consules habuit L. Aimilium Paullum II. & C. Licinium Crassum, Eclipsis Lunæ contigit die vicesimo primo Junii ad Kalendarium Julianum, feria tertia: *Nocte*, inquit, *quam pridie Nonas Septembris insecuta dies, edita hora Luna cum defecisset*. Eclipsin hanc contigisse volunt viri incomparabiles pridie Nonas Septembris anni Romani, quod verum non est; sed tertio Nonas Septembris, aut Livii verba non capio. Convenit ergo tertio Nonas Septembris Romani cum die vicesimo primo Junii Juliani anni ab Orbe condito termillesimi septingentesimi octogesimi secundi, litera Dominicali B. Cyclo Solis x. Lunæ v. Annus erat ab Urbe condita quingentesimus octogesimus quintus. Itaque erat annus octavus nostræ Periodi, si initia repetamus a primo Servii Lustro. Sed tamen non est interkalatum, verum anno præcedenti. Luna defecit tertio Nonas Septembris Romani, qui dies erat vicesimus primus Junii Juliani anni ab Orbe condito CIƆCIƆCIƆIƆCCLXXXII. feria tertia. Inde facile deveniemus ad illius anni caput. Dies tertius Nonas Septembris est dies ducentesimus quadragesimus a Kalendis Januarii Romani. Idem dies, ut qui esset vicesimus primus Junii Juliani, erat centesimus septuagesimus secundus a Kalendis Januarii Juliani. Ergo cœpit annus hic die vicesimo quinto Octobris Juliani anni ab Orbe condito CIƆCIƆCIƆIƆCCLXXXI. Ea quæ diximus, probat modulus anni præcedentis, quo interkalatum est tertio die post Terminalia, ut habet Livius. Erat annus interkalaris, cui dies viginti tres interkalabantur. Fuit igitur dierum trecentum septua-

ginta octo. Itaque cœpit terciodecimo Octobris Juliani die anni ab Orbe condito CIↃCIↃCIↃIↃCC-LXXX. Quod vero dicit Livius, Kalendas interkalares hujus anni fuisse tertio die post Terminalia, illustrandum est a nobis, Deo dante. Refert Macrobius diem illum, qui Januario est additus in honorem imparis numeri, e Januario exemptum, interkalatum fuisse post Terminalia, ne *Nundinæ* in suspectum aliquam diem caderent. Verba Macrobii sunt: *Unde dies ille, quo abundare annum diximus, eorum est permissus arbitrio, qui Fastis præerant, ut cum vellent, interkalarent, dummodo eum in medio Terminaliorum vel mensis interkalaris ita locarent, ut a suspecto die celebritatem averterent Nundinarum.* Dicit Macrobius hunc diem locatum fuisse *in medio Terminaliorum & mensis interkalaris*, (ita emendamus Macrobii verba) quod omnino verum est. En testem locupletissimum Livium hoc loco. Diximus *Nundinas* numerari solitas ἀπὸ τ̃ φάσεως, sive a prima visione novæ Lunæ mensis Martii, id est, biduo post commissum secundum medios motus Novilunium. Hinc præferenda lux Livio Macrobioque. Annus, qui interkalarem hunc præcessit, cœpit die vicesimo tertio Octobris Juliani anni ab Orbe condito CIↃCIↃCIↃIↃCCLXXIX. Age vero investigemus Novilunium Martii Romani hujus anni:

| *Anni.* | *Dies.* | *Feriæ.* | *Horæ.* | I. | II. | ☉. | ☽. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 3779. | | | | | | | |
| 3724. | | | | | | | |
| 55. | 85. | 3. | 1. | 57. | 0. | 7. | 2. |
| 3724. | 11. | 4. | 22. | 27. | 47. | 0. | |
| | 73. | 5. | 3. | 29. | 13. | 7. | |
| | 295. | 1. | 7. | 20. | 31. | | |
| | 368. | 6. | 10. | 49. | 44. | | |
| | 365. | | | | | | |
| | 3. | | | | | | |

Novilunium igitur est commissum tertio Januarii Juliani die anni ab Orbe condito CIↃCIↃCIↃIↃCC-LXXX. eratque dies sextusdecimus Martii Romani. Quare a die quinto Januarii Juliani, sive decimo octavo Martii Romani ineundus est orbis *Nundinarum* hujus anni Romani ad primam novæ Lunæ visionem mensis Martii proxime sequentis. Ex his parebit *Nundinas* cadere in Nonas Februarii Romani proxime sequentis, quæ sunt die quinto decimo Novembris Juliani.

*Dies anni Juliani.*

27. Januarii.
28. Februarii.
31. Martii.
30. Aprilis.
31. Maii.
30. Junii.
31. Julii.
31. Augusti.
30. Septembris.
31. Octobris.
15. Novembris.

315. 35.

*Dies Anni Romani.*

14. Martii.
29. Aprilis.
31. Maii.
29. Junii.
31. Julii.
29. Augusti.
29. Septembris.
31. Octobris.
29. Novembris.
29. Decembris.
29. Januarii.
5. Februarii.

315.

Vides tricesimum quintum *Nundinarum* orbem desinere in hunc quintum decimum Novembris Juliani diem, in quem cadunt Nonæ Februarii Romani, quam *Nundinarum* celebritatem, ut averterent ab hoc Nonarum die, dies de Januario exemtus est, & intersertus inter Terminalia & interkalarem mensem. Unde factum est, ut Kalendæ interkalares fuerint tertio die post Terminalia, si utrumque numeres terminum. Alioqui Kalendæ erant post Terminalia. Optime his cum nostra convenit Periodo, quamquam paululum turbatus est interkalandi ordo; anno enim Periodi septimo est interkalatum. Sequentes duo anni sine interkalatione sunt transmissi. Decimo denique, qui erat Urbis conditæ IↃXXXVII. paullo ante quam C. Sulpicius Gallus & M. Claudius Marcellus Consulatum adirent, interkalatum est. Livius l. XLV. *Interkalatum eo anno: postridie Terminalia interkalares fuere.* Sed de his satis. Restat unus, qui ad *Nundinas* spectet, expendendus e Dione locus lib. XLVIII. Ἔν τε τῷ πρὸ τούτου ἔτει ἡμέρα ἐμβόλιμος παρὰ τὰ καθεστηκότα ἐνεβλήθη, ἵνα μὴ ἡ νουμηνία τοῦ ἐχομένου ἔτους τὴν ἀγορὰν τὴν διὰ τῶν ἐννέα ἡμερῶν ἀγομένην λάβῃ· ὅπερ ἀπὸ τοῦ πάνυ ἀρχαίου σφόδρα ἐφυλάττετο, καὶ ὅτι ἀνθυφῃρέθη αὖθις, ὅπως ὁ χρόνος κατὰ τὰ τῷ Καίσαρι τῷ προτέρῳ δόξαντα συμβῇ. Verba Macrobii sunt: *Quotiens incipiente anno dies cœpit, qui addictus est* Nundinis, *omnis ille annus infaustis casibus fuit luctuosus; maximeque Lepidiano tumultu ista opinio firmata est.* Quare ne Kalendis Januariis *Nundinæ* celebrarentur, anno antecedenti dies adjiciebatur, & ejus vicem alius e sequenti detrahebatur ante Terminalia, ut habes in hoc Dionis exemplo, quod est anni ab Orbe condito termillesimi nongentesimi decimi, Cn. Domitio Calvino II. & C. Asinio Pollione Coss. ejusque anni Kalendas Januarias in *Nundinas* incidisse Dio testatur: quod ne fieret, extremo anno præcedenti additum fuisse unum diem, ut a Kalendis Januariis celebritatem *Nundinarum* averterent. Sed unde cœperunt numerare orbem *Nundinarum?* nam constat non numerasse a prima novæ Lunæ mensis Martii visione. Dicam quod suspicor. Quamdiu Romani veteri suo anno, qui ad Lunarem proxime accedebat, sunt usi, orbem *Nundinarum* numerarunt a prima visione novæ Lunæ mensis Martii; postquam vero Juliani anni modum admiserunt, aliunde numerarunt. Diximus in præcedentibus Romanos a Siculis accepisse bello Punico primo παραπήγματα, in quibus erant siderum observationes, itemque significationes. Erat autem octaeteris observata a Siculis. neque aliam Periodum Eudoxus, qui, ut e Ptolemæo dicebamus, ἐτήρησεν ἐν Σικελίᾳ, præter octaeteridem instituit: videturque ex eo, quod refert Plutarchus in Nicia, & Thucydides Historia VII. de eclipsi Lunæ, quæ incidit in diem vicesimum septimum Augusti desinentem, & capto Nicia die vicesimo septimo mensis Karnii, (is Metagitnioni respondet) colligi hic fuisse octaeteridis Siculorum contextus, cujus caput statuemus e diebus

diebus æstivis hujus anni, quo in manus Syracusanorum venit Nicias. is annus erat ab Orbe condito termillesimus quingentesimus tricesimus septimus, litera Dominicali A G, Cyclo Solis XVII. Lunæ VII. En octaeteridis Diagramma:

### OCTAETERIS SICULORUM.

| *Anni periodi.* | *Dies a quo incipiunt.* | | *Litera Domin.* |
|---|---|---|---|
| I. | XIV. | Julii. | AG. |
| II. | III. | Julii. | F. |
| III. Embol. | XXII. | Junii. | E. |
| IV. | XI. | Julii. | D. |
| V. Embol. | XXIX. | Junii. | CB. |
| VI. | XVIII. | Julii. | A. |
| VII. | VII. | Julii. | G. |
| VIII. Embol. | XXVI. | Junii. | F. |

Hanc octaeteridem Lunarem Julius Cæsar videtur voluisse usurpari a Romanis, ubi illis annum suum Solarem Julianum imperavit. Id ut suspicemur, facit, quod adnotat B. Hieronymus in Chronico, *Lunæ secundum Romanos cursus inventus*. Observabamus in superioribus ad Judæos ista referenda esse, qui Lunares suos annos interkalarent observata illa æquinoctii sede, quæ a Julio Cæsare est statuta; sed id præterea observandum est, eandem Judæos exinde Neomeniam primi mensis observasse, quæ a Romanis quoque observabatur in octaeteride Lunari, nisi ubi necesse erat interkalare Judæos, ne in celebrando Paschate æquinoctium anteverterent. Primus annus Julianus est termillesimus nongentesimus quintus ab Orbe condito, litera Dominicali CB. Cyclo Solis XXI. Lunæ XIV. eodemque anno a diebus æstivis cœpit primus annus octaeteridis Siculorum, sed illius caput statuit Cæsar in mense Martio, suamque octaeteridem Lunarem inde contexuit. En illius Laterculum:

### OCTAETERIS LUNARIS ROMANORUM.

| *Anni periodi.* | *Dies a quo incipiunt.* | | *Litera Domin.* |
|---|---|---|---|
| I. | XVIII. | Martii. | CB. |
| II. Embol. | VII. | Martii. | A. |
| III. | XXVI. | Martii. | G. |
| IV. | XV. | Martii. | F. |
| V. Embol. | III. | Martii. | ED. |
| VI. | XXII. | Martii. | C. |
| VII. Embol. | XI. | Martii. | B. |
| VIII. | XXX. | Martii. | A. |

Atque hinc videre est, optime Hieronymum observasse, Judæos anni sui Lunaris cursum instituisse secundum Romanos, si mensis interkalaris situm in octaeteridis annis excipias. cujus mutationis causam jam diximus fuisse legem illam *πατροπαράδοτον*, de qua Anatolius, *τὴν τοῦ Πάσχα καὶ τῶν Αζύμων ἑορτὴν δεῖν πάντως μετ᾽ ἰσημερίαν ἄγεσθαι*. Nam ubi Herodes rerum in Judæa potitus est, octaeteridem Lunarem imperavit secundum Romanos anno ab Orbe condito termillesimo nongentesimo quarto decimo, Cyclo Solis II. litera Dominicali E. eratque annus secundus octaeteridis Romanorum, cujus ecce tibi comparationem in hoc Laterculo cum octaeteride Judæorum:

### OCTAETERIS
### ROMANA — JUDAICA.

| *An. periodi.* | *Dies Neomeniæ.* | *An. periodi.* | *Dies Neom.* |
|---|---|---|---|
| II. Embol. | VII. Martii. | I. | VI. Aprilis. |
| III. | XXVI. Martii. | II. | XXVI. Mart. |
| IV. | XV. Martii. | III. Emb. | XV. Martii. |
| V. Embol. | III. Martii. | IV. | II. Aprilis. |
| VI. | XXII. Martii. | V. | XXII. Martii |
| VII. Embol. | XI. Martii. | VI. Emb. | XI. Martii. |
| VIII. | XXX. Martii. | VII. | XXX. Martii. |
| I. | XVIII. Martii. | VIII. Em. | XVIII. Mart. |

Atque ex hac octaeteride Lunari Romanorum petenda est ratio numerandi orbes *Nundinarum*, postquam D. Julius annum Romanorum e Lunari non bono fecit Solarem non malum. Quanquam etiam hic quædam sunt observanda: nam quemadmodum olim dies ille, qui post observatam primam Lunæ novæ visionem primus numerabatur, dicebatur Kalendæ, ut e Macrobii lib. I. & Varronis lib. V. de L. L. constat, & tamen *Nundinarum* orbis ducebatur a prima novæ Lunæ mensis Martii visione; ita etiam ubi a D. Julio imperata est Romanis hæc octaeteris, orbis *Nundinarum* numerari cœpit ab eo die, qui pridie est Kalendarum mensis Lunaris, qui in mensem Martium Julianum incidit. Exemplo est is annus, cujus causa institutus est a nobis hic sermo. Annus erat ab Orbe condito termillesimus nongentesimus decimus, in cujus Januarii Kalendas incidisset *Nundinarum* celebritas, nisi eam avertissent addendo unum diem anno extremo præcedenti, qui est ab Orbe condito termillesimus nongentesimus nonus, a cujus mense Lunari, qui mense Martio cœperit, ineundus est primus *Nundinarum* orbis illius anni vertentis. Annus erat quintus octaeteridis Lunaris Romanorum, cujus primus mensis cœpit die tertio Martii Juliani feria tertia e Cyclo Solis emendato, ut & e vitioso: nam eodem plane res recidit, si rationem dierum anni præcedentis habeas & conjungas. Quod si ab eo die, qui pridie est harum Kalendarum, id est, a die secundo Martii ineat orbis *Nundinarum*, cadet tricesimus quartus *Nundinarum* orbis in Kalendas Januarias anni sequentis.

*Dies Anni.*

30. Martii.
30. Aprilis.
31. Maii.
30. Junii.
31. Julii.
31. Augusti.
30. Septembris.
31. Octobris.
30. Novembris.
31. Decembris.
1. Januarii.

———
306.  3. / 306. / 99. } 34.

Sed de his satis.

ANNUS A. U. C. septingentesimus secundus erat quintus decimus Periodi Romanæ. Cœpit die vicesimo sexto Decembris Juliani, anni ab Orbe condito termillesimi octingentesimi nonagesimi octavi, Cyclo Solis XIV. Nam annus proxime præcedens, ut qui habuerit mensem *Merkedonium* imparem, erat dierum trecentorum septuaginta octo, cœperatque die tertio decimo Decembris Juliani anni CIƆCIƆCIƆIƆCCCXCVII. Quare necesse est, ut annus sequens, qui est IƆCCII. A. U. C. cœperit die vicesimo sexto Decembris Juliani anni CIƆCIƆCIƆIƆCCCXCVIII. Hujus anni A. U. C. septingentesimi secundi est epistola M. Tullii XIV.

ad Atticum libro v. in qua hæc legis: *In provincia fore me putabam KAL. Sextilibus*. & paullo post: *Erat mihi in animo recta proficisci ad exercitum; æstivos menses reliquos rei militari dare, hibernos jurisdictioni*. Sed hinc male, ut videtur, colligunt Viri incomparabiles, Ciceronem incipere putare menses æstivos a Sextili: imo contra colliges, Sextilem mensem primum æstivorum non fuisse, sed alium præcessisse. Nam si Sextilis mensis unus est e reliquis æstivis mensibus, alius unus æstivus præcessit: & certe Kalendæ Sextileis hujus anni IↃCCII. in diem vicesimum secundum Julii Juliani anni CIↃCIↃCIↃIↃCCCXCIX. cadunt.

ANNUS A.U.C. septingentesimus tertius Consules habuit L. Æmilium Paullum & C. Claudium Marcellum: erat annus sextus decimus Periodi Romanæ, ac proinde interkalatum non est, ut constat e Dionis libro LXI. Cœpit hic annus die sexto decimo Decembris Juliani anni ab Orbe condito termillesimi octingentesimi nonagesimi noni: nam annus proxime præcedens cœperat die vicesimo sexto Decembris Juliani an. CIↃCIↃCIↃICCCCXCVIII. Adde modum anni Romani: Reliquum est, ut sequens annus incipiat die sextodecimo Decembris Juliani anni CIↃCIↃCIↃIↃCCCXCIX. Hujus anni sunt epistolæ ad Tironem ex itinere scriptæ, cum e provincia in Italiam rediret M. Tullius: qui cum Novembri mense scribat, cujus Kalendæ cadunt hoc anno in nonum Octobris Juliani diem, nil mirum est, si eo mense extremo (nam non potuit Tiro citius viæ se dare) Tironi propter hyemem navigare interdicat.

ANNUS A. U. C. septingentesimus quartus Consules habuit C. Claudium Marcellum & L. Cornelium Lentulum Crurem. Annus erat decimus septimus Periodi Romanæ, cœpitque die sexto Decembris Juliani anni ab Orbe condito termillesimi nongentesimi, Cyclo Solis XVI. litera Dominicali B. Nam annus præcedens cœperat die sextodecimo Decembris Juliani an. CIↃCIↃCIↃIↃCCCXCIX. Adde anni Romani modum: Ergo annus sequens cœpit die sexto Decembris Juliani anni CIↃCIↃCIↃIↃCCCC. Hujus anni sunt epistolæ Ciceronis ad Atticum libris VIII. IX. & X. scriptæ. Scripserat Tullio Pompejus, ut ad se Luceriam veniret, quam epistolam accepit Cicero a. d. XV. Kal. Mart. Formiis, ut constat ex ejusdem epistola ad Pompejum. Idem Pompejus literis Domitii, quas accepit a. d. XIII. Kal. Mart. est factus certior, Cæsarem apud Corfinium castra posuisse. id docent literæ Pompeii ad Domitium hoc exemplo: *Literæ mihi redditæ sunt A. D. XIII. Kal. Mart. in quibus scribis Cæsarem apud Corfinium castra posuisse*. Hoc idem nuntiatum M. Tullio eadem ipsa nocte, qua epistolam XII. libri VIII. scripsit ad Atticum. habes in ea: *Sed ecce nuncii, scribente me hæc ipsa noctu in Caleno, ecce literæ, Cæsarem ad Corfinium, Domitium Corfinii cum firmo exercitu, & pugnare cupiente*. Scripta igitur est hæc epistola circiter diem tertiumdecimum Kalendas Martias. Itaque non adeo mirandum est, si in eadem legas epistola: *Infero mari nobis, incerto cursu, hieme maxima, navigandum est*. Nam dies tertius decimus Kal. Martias hujus anni Romani cadit in diem vicesimum Januarii Juliani anni CIↃCIↃCIↃIↃCCCCI. Erat igitur hiems maxima. Die septimo vel sexto Eidus Martias scripsit Cicero ad Atticum libro IX. epist. III. *Nam ad id, quod delibero, pertinet, si ille certe nusquam discessit, intelligere Cnæum non esse faciles nobis ex Italia exitus, cum ea tota armis præsidusque teneatur, hieme præsertim. nam si commodius anni tempus esset, vel infero mari liceret uti*. Dies sextus Eidus Martias hujus anni cadit in diem decimum Februarii Juliani anni CIↃCIↃCIↃIↃCCCCI. Quare erat adhuc hiems. Quod vero epistola XIX. libri ejusdem, quæ circa Kalendas Aprileis scripta est, scribat Attico M. Tullius, *Delectus habentur, in hiberna deducuntur*, non dicitur a Cicerone, quasi copiæ deducendæ essent in hiberna, ut ibi totam hiemem, quæ tunc primum inciperet, essent: neque enim delectus fuissent habiti, ut totam hiemem in hibernis desiderent, neque certe ita fuit, ut constat e rebus gestis Cæsaris Massiliæ, in Hispania, alibi. Sed quia paululum suos milites respirare volebat Cæsar, ut rebus urbanis prospiceret, in hiberna deduxisse dicitur, quia adhuc supererat hiemis pars aliqua; nam Kalendæ Aprileis hujus anni cadunt in diem tertium Martii Juliani. Uno autem ut absolvam verbo, dixit Cicero, quod his verbis expressit Cæsar ipse lib. I. de Bello Civili: *His rebus confectis Cæsar, ut reliquum tempus a labore intermitteretur, milites in proxima municipia deducit, ipse ad urbem proficiscitur*. Scripsit ad Atticum Cicero epistolam, quæ est V. libri X. in ea hæc leguntur: *De die nihil sane potest scribi certi, præter hoc, Non ante Lunam novam*. Videtur hæc epistola scripta esse die quinto decimo Kalendas Maii Romani; nam in fine illius legitur etiam in emendatissima Cl. Gruteri editione *A. D. XV. Kal. Maii*, quod cum adtextum esset sequenti epistolæ, malo consilio in hujus finem retraxit Victorius. Optime vero Junius sequenti epistolæ restituit, legitque ex duorum laudatissimorum MSS. Palatinorum fide: *Ad XV. Kal. Maii me adhuc nihil, præter tempestatem, morabatur*. Præcedenti igitur epistola dicebat Cicero se expectaturum novam Lunam. Novilunium commissum est eo anno die quarto decimo Martii Juliani, feria quarta:

| *Anni.* | *Dies.* | *Feriæ.* | *Horæ.* | I. | II. | ☉. | ☽. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 3901. | | | | | | | |
| 3876. | | | | | | | |
| 25. | 86. | 2. | 5. | 33. | 34. | 5. | 10. |
| 3876. | 12. | 4. | 10. | 9. | 19. | 16. | |
| | 73. | 4. | 19. | 24. | 15. | 17. | |

Novam hanc Lunam expectabat Cicero, cum epistolam V. scriberet. At vero quando epistolam sextam scribebat, visa jam erat nova hæc Luna; nam dies quintus decimus Kalendas Maii Romani hujus anni cadit in diem decimum octavum Martii Juliani. Itaque sola tempestas Ciceronem morabatur die XV. Kal. Maii Romani, sive decimo octavo Martii Juliani, non autem nova Luna, quæ jam erat visa, Dies sextus Nonas Maii Romani hujus anni, de quo M. Tullius epistola VIII. hujus libri X. *Is ad Misenum* VI. *Nonas venturus dicebatur, id est, hodie*, cadit in diem secundum Aprilis Juliani. Sequitur locus ex eodem libro epistola XVII. ita habet editio Gruteriana: *Nunc quidem æquinoctium nos monatur, quod valde perturbatum erat. id si ἀκραὲς erit, utinam idem maneat Hortensius: siquidem adhuc erat: liberalius esse nihil potest*. In his exponendis duo, quæ a Viris magnis adferuntur, nobis non placent. Unum est, quod putent intelligi æquinoctii sedem a Julio Cæsare postea e Sosigenis consilio definitam a. d. octavum Kal. April. Julianas. Alterum est, quod scribunt hoc anno interkalatum non fuisse. Atqui non debebat hoc anno interkalari mensis *Merkedonius* e consuetudine: annus enim hic non erat interkalaris, sed præcedens. interkalatum vero fuisse nullo auctore probant. Extremæ huic epistolæ adscribitur, XVII. *Kal. Jun.* Sed hoc mendosum esse asserit

Manutius, putatque esse initium sequentis epistolæ, & legendum fortasse XIV. Kal. quod sine caussa repetitum est post verbum *peperit*. Sed nihil esse mutandum docemur e primis epistolæ verbis: *Prid. Idus Hortensius ad me venit scripta epistola*, nempe præcedenti. Dies decimus septimus Kalendas Junii Romani hujus anni cadit in diem decimum septimum Aprilis Juliani; æquinoctium ex Eudoxi sententia commissum est die vicesimo nono Martii Juliani, viginti diebus ante scriptam hanc epistolam, & tamen, quia valde perturbatum fuerat, adhuc Ciceronem morabatur. Quod vero addit, *id si ἀκραὲς erit*, alludit ad hæc Homeri Odyssea β.

Τοῖσι δ᾽ ἴκμενον οὖρον ἵει Γλαυκῶπις Ἀθήνη,
Ἀκραῆ Ζέφυρον κελάδοντ᾽ ἐπ᾽ οἴνοπα πόντον.

Itemque ejusdem operis ξ.

Επλέομεν, Βορέῃ ἀνέμῳ ἀκραέϊ καλῷ
Ῥηϊδίως, ὡσεί τε κατὰ ῥόον.

*Utinam*, inquit, *idem maneat Hortensius: siquidem adhuc erat*. id est, utinam promissis stet Hortensius, si tamen adhuc in ea est sententia. Sed de his satis, superest ut pauca dicamus, quia tam commoda se offert occasio, de fuga Pompeii quæ est hujus anni: nonnullam enim parit difficultatem quod de ea a veteribus scriptoribus in literas est relatum. Hirtius de *Mundensi* pugna: *Ipsis Liberalibus fusi fugatique sunt hostes*. atque eo die ab Urbe Pompejus fugerat. Orosius: *Et quidem eo die bellum hoc actum est, quo Pompejus pater ab Urbe bellum gesturus aufugerat*. Paria facit Plutarchus in Cæsare: Τὴν μάχην ἐνίκησε τῇ τῶν Διονυσίων ἑορτῇ, καθ᾽ ἣν λέγεται καὶ Πομπήϊος Μάγνος ἐπὶ τὸν πόλεμον ἐξελθεῖν. Verum si Cæsari, si Ciceroni fides, Pompejus Magnus ab Urbe profectus est novo anno, mense Januario: quomodo igitur *Liberalibus*, quæ in sextumdecimum Kalendas Aprileis conferuntur? cum etiam, si CL. virum audimus, scripserit Cicero, *Pompejum Brundisii conscendisse naves, & reliquisse Italiam quarto Kalendas Martias*. Sed posterius istud verum non est, idque ex fama scribebat M. Tullius, non ex rei veritate. Et tibi exemplar epistolæ Cæsaris ad Oppium, Cornelium. *A. D. VII. Id. Mart. Brundisium veni: ad murum castra posui. Pompejus est Brundisii*. Die vero sextodecimo Kalendas Aprileis Pompejus Brundisio solvit cum omnibus suis copiis. habes in epistola Matii & Trebatii ad Ciceronem: *Cum Capua exissemus, in itinere audiimus Pompejum Brundisio A. D. XVI. Kalendas Aprileis cum omnibus copiis, quas habuit, profectum esse; Cæsarem postero die in oppidum introisse*. Ergo *Liberalibus* Brundisio fugit Pompejus Magnus. atque id est, quod scribit Plutarchus, meo judicio. nam ista verba, καθ᾽ ἣν λέγεται καὶ Πομπήϊος Μάγνος ἐπὶ τὸν πόλεμον ἐξελθεῖν, ita interpretor, *quo etiam dicitur Pompejus sub ipsius belli principia fugisse*. & forte ab Orosio olim scriptum, *quo Pompejus pater ab urbe Brundisio bellum gesturus aufugerat*; deinde librarii descripserant, *ab urbe B. bellum*, sed postea qui non intellexerunt, B illud expunxerunt. Certum igitur est, Pompejum Magnum Brundisio fugisse *Liberalibus*, id est, sexto decimo Kalendas Aprileis, eodemque die ejus filios ad Mundam fusos & fugatos esse.

ANNUS A. U. C. septingentesimus quintus Consules habuit C. Julium Cæsarem & P. Servilium Vatiam Isauricum. Annus erat decimus octavus Periodi Romanæ; itaque interkalandus erat mensis *Merkedonius*, sed interkalatum non est, ut ex anno *Confusionis* constat. Cœpit hic annus die vicesimo quinto Novembris Juliani anni ab Orbe

A condito termillesimi nongentesimi primi, Cyclo Solis XVII. Nam annus proxime præcedens cœpit sexto Decembris Juliani anni CIƆCIƆCIƆCCCCC. Adde anni Romani modum. Ergo annus sequens cœpit die vicesimo quinto Novembris Juliani anni CIƆCIƆCIƆCCCCCI. Hujus anni est, quod refert Plutarchus, nempe Cæsarem novo mense Januario, imminente bruma, Jonium mare transmisisse, ipso Cæsare & Servilio Isaurico Coss. Χειμῶνος ἐν τροπαῖς ὄντος, ἱσταμένου Ιανουαρίου μηνὸς (οὗτος δ᾽ ἂν εἴη Ποσειδεὼν Ἀθηναίοις) ἀφῆκεν εἰς τὸ πέλαγος. Quamquam misere confundit Plutarchus Januarium Julianum cum veteri Romano: nam Julia-
B num designat, cum dixit tunc fuisse circa brumam; brumam autem intelligit veterum Græcorum suorum, quæ statuebatur die septimo Eidus Januarii Juliani. Pridie autem Nonas Januarias, id est, tertio ante veterum Græcorum brumam die, naves solvit Cæsar, ut putabat Plutarchus, qui confundit, quod jam diximus, Januarium Julianum cum veteri Romano: nam verum est Romano Januario, non Juliano, ut qui nondum esset, naves solvisse. Habes diem ipsum adnotatum apud Cæsarem ipsum lib. III. de bello Civili: *Pridie Non. Jan. naves solvit, impositis, ut supra demonstratum est, legionibus* VII. ubi emendandum est, *legionibus* V.
C Asserit Plutarchus: Ἱππεῖς μὲν ἔχων λογάδας ἑξακοσίους, καὶ πέντε τάγματα. Astruit quoque idem ipse paullo ante: *Sed tantum navium reperit, ut anguste* XX. *millia legionariorum militum, &* DC. *equites transportare possent*. Quinque legiones plusquam viginti millia militum dabunt, sed attritæ fuerant bello. Sed ad rem. Pristie Nonas Januarias naves solvit Cæsar. Cœpit hic annus, ut diximus, die vicesimo quinto Novembris Juliani. Ergo pridie Nonas Januarias fuit die vicesimo octavo ejusdem mensis Novembris Juliani.

ANNUS A. U. C. septingentesimus sextus erat
D decimus nonus Periodi Romanæ. Cœpit die quinto decimo Novembris Juliani ab Orbe condito termillesimi nongentesimi secundi, Cyclo Solis XVIII. Cœpit namque annus proxime præcedens die vicesimo quinto Novembris Juliani anni CIƆCIƆCIƆCCCCCI. Adde anni Romani modum. Ergo cœpit annus sequens die quinto decimo Novembris Juliani anni CIƆCIƆCIƆCCCCCII. Observandum autem est, huncannum debuisse esse ἐξαιρεσιμαῖον, sed nulli dies exempti sunt, quemadmodum præcedentibus duobus annis, quibus interkalandum erat, nulli *Merkedonii* inserti sunt.

ANNUS A. U. C. septingentesimus septimus
E erat vicesimus Romanæ Periodi. Cœpit die quinto Novembris Juliani anni ab Orbe condito termillesimi nongentesimi tertii, Cyclo Solis XIX. Nam annus proxime præcedens cœperat die quintodecimo Novembris Juliani anni CIƆCIƆCIƆCCCCCII. Adde anni Romani modum; superest, ut annus sequens incipiat die quinto Novembris Juliani anni CIƆCIƆCIƆCCCCCIII. Vertente Januario hujus anni confectum est sidus Vergiliarum, idque die decimo, siquidem ex Eudoxi sententia die quarto decimo Novembris Juliani Πλειάδες ἑῷαι δύνουσι. Unde intelligenda sunt ista e libro de bello Africano, quæ extremo Januario acciderunt: *Per id tempus*
F *fere Cæsaris exercitui res accidit incredibilis auditu. namque Vergiliarum sidere confecto, circiter vigilia secunda noctis, nimbus cum saxea grandine subito est exortus ingens*. Erat autem hic annus vicesimus Romanæ Periodi, ac proinde interkalatum erat: interkalatum igitur est ex consuetudine, mensisque interkalaris fuit viginti trium dierum, ut e Sueton. Censorino, aliis, constat. Sed quia duo præcedentes alii anni sine interkalatione transmissi fuerant, quo retro delictum corrigeret Cæsar, & ut in posterum ex

κάδα. Hanc vero conditam fuisse die primo ejusdem mensis: ἐν α μηνὸς ἱσαμένου. Sed quia dies mensium sua habebant apud Ægyptios cognomina, hunc diem suo designavit cognomine τῇ Φὰρ Μοὺθ. Quid significet istud Φὰρ juxta cum ignarissimis scimus; neque enim indulgere volumus conjecturis ex Hebraica lingua petitis, quanquam arridere possit originatio ἐκ τοῦ פר. Hoc unum dicere possumus, vestigia hujus vocis in τῷ Φαρὸς, similibusque reperiri, & forte etiam in Φαραώ. Quod vero ad τὸ Μοὺθ attinet, unum est ex Isidis nominibus apud Ægyptios, teste Plutarcho de Iside & Osiride: Ἡ δ' Ἶσις ἔστιν ὅτε καὶ Μοὺθ, καὶ πάλιν Ἀθυρὶ, καὶ Μεθύερ προσαγορεύεται, σημαίνει δὲ τῷ μὲν πρώτῳ τῶν ὀνομάτων μητέρα.

## C A P. IV.

FUit vetus opinio, Romulum excessisse e vivis defectione Solis. Sed Ovidius confert tempus mortis Romuli in Quirinalia, mense Februario: alii in Nonas Quintileis, ut Plutarchus, item Lampridius in vita Commodi: *Indutus toga est Nonarum Juliarum die, quo in terris Romulus non apparuit*. Mire hæc turbare videntur, sed nos facile, Deo dante, componemus & conciliabimus. Quot annos imperaverit Romulus, non omnino convenit inter veteres scriptores: alii enim annos triginta septem ei adscribunt, alii triginta octo. Sed hæc inter eos differentia oritur propter Palilia Varroniana & Catoniana: nam idem est annus ab Orbe condito apud utrosque, quo periit Solis defectione Romulus. verum idem est a Palilibus Varronianis tricesimus octavus, a Palilibus Catonianis tricesimus septimus. Rursum alii excessisse Romulum referunt circa Quirinalia, quæ die decimo septimo Februarii celebrantur; alii ejus mortem conferunt in Nonas Quintileis. Priores illi non dum exactum fuisse tricesimum octavum (a Varronianis Palilibus numerum inimus) regni annum sentiunt. Plutarchus Romulo: Λέγεται δὲ Ῥωμύλος, τέσσαρα μὲν ἔτη καὶ πεντήκοντα γεγονὼς, ὄγδοον δὲ βασιλεύων ἐκεῖνο καὶ τριακοστὸν, ἐξ ἀνθρώπων ἀφανισθῆναι. Quamquam hic turbat, qui excessum Romuli in Nonas Quintileis confert. Atqui si periit Romulus Nonis Quintilibus, Solis defectione, omnino periit anno imperii tricesimo octavo exacto, ut infra, Deo dante, sumus dicturi. Annus veterum Romanorum, cujus Palilibus Roma condita est, cœpit tertio Eidus Novembreis Julianas anni ab Orbe condito CIƆCIƆCIƆCXCVI. Nostram Periodum abhinc usurpatam fuisse fingimus. Cœpit igitur annus tricesimus nonus die tertiodecimo Kalendas Decembreis Julianas anni ab Orbe condito termillesimi ducentesimi tricesimi quarti. Kalendis autem Decembribus Julianis hujus anni termillesimi ducentesimi tricesimi quarti defecit Sol, ut ab eruditissimis viris est observatum. Kalen. vero Decemb. Julianæ hujus an. CIƆCIƆCIƆCCXXXIV. cadunt in diem tertium decimum Januarii veterum Romanorum: atque hoc ipso die, & hac Solis defectione, periisse Romulum intelligunt, qui memoria ejus excessus consecrata fuisse Quirinalia produnt. Nam quod ipsis Quirinalibus veteris hujus anni perierit, longe aberrat a vero, siquidem Quirinalia hæc cadunt in diem tertium Januarii Juliani anni ab Orbe condito termillesimi ducentesimi tricesimi quinti. Neque quicquam juvat Ovidius, qui caussam quidem aperit, cur instituta sint Quirinalia:

*Est locus, antiqui Capreæ dixere paludem:*
*Forte tuis illic, Romule, jura dabas.*
*Sol fugit & removent subeuntia nubila cœlum,*
*Et gravis effusis decidit imber aquis.*
*Hinc tonat, hinc missis abrumpitur ignibus æther.*
*Fit fuga: Rex patriis astra petebat equis.*

Sed tamen non dicit ipsis Quirinalibus excessisse: imo contra, si quid ejus mentem capio, ante Quirinalia periisse affirmat. Nam primo docet post Romuli excessum, Patres venisse in crimen cædis illius, cujus absoluti sunt, cum aliquot post diebus Alba rediret Julius, (nam quando rediit, Luna fulgebat, idque forte totam noctem: prima enim luce, ut ipse testatur Julius apud T. Livium, apparuit Romulus. atqui Romulus excessit Solis defectione, id est, interlunio.) nunciaretque Romulum cœlo receptum fuisse. Hujus dictis fides est habita, atque ædes Quirino facta, ejusque nomini dies decimus septimus Februarii sacratus, & Quirinalia dictus: atque ita inter Romuli excessum, & sacratum illi diem Quirinalia, intercessit intervallum dierum triginta trium. Expendant eruditi hos Ovidii versus, in nostram ibunt sententiam:

*Lucus erat, falsæque Patres in crimine cædis,*
*Hæsissetque animis forsitan ipsa fides.*
*Sed procul e longa veniebat Julius Alba:*
*Lunaque fulgebat, nec facis usus erat.*
*Cum subito motu sepes tremuere sinistræ:*
*Rettulit ille gradus, horruerantque comæ.*
*Pulcher, & humano major, trabeaque decorus,*
*Romulus in media visus adesse via,*
*Et dixisse simul: Probibe lugere Quirites,*
*Ne violent lacrymis numina nostra suis.*
*Thura ferant, placentque novum pia turba Quirinum,*
*Et patrias artes, militiamque colant.*
*Jussit: & intenues oculis evanuit auras.*
*Convocat hic Patres, jussaque verba refert.*
*Templa Deo fiunt, Collis quoque dictus ab illo est:*
*Et referunt certi sacra paterna dies.*

Qui vero Romulum periisse referunt anno imperii tricesimo octavo exacto, conferunt ejus excessum in diem vicesimum sextum Maii Juliani ab Orbe condito termillesimi ducentesimi tricesimi quinti, quo die Sol defecit, ut observatum est: idemque dies est, qui appellatur Nonæ Quintileis. Vicesimus sextus Maii Juliani dies est centesimus quadragesimus sextus a Kalendis Januariis. Annus tricesimus nonus veterum Romanorum cœpit tertio decimo Kalendas Decembreis Julianas anni CIƆCIƆCIƆCCXXXIV. Adde sex primos menses veterum Romanorum, cœpit Quintilis Eidibus Maii Juliani anni CIƆCIƆCIƆCCXXXV. Quare dies decimus septimus Kalendas Sextileis veterum Romanorum (erat enim hic annus ἐξαιρεσιμαῖος) cadit in diem vicesimum sextum Maii Juliani anni CIƆCIƆCIƆCCXXXV. eoque die excessit Romulus, ex illorum sententia, Solis defectione. Jam vero quod memoriæ excessus Romuli adscribitur Nonis Quintilibus, in causa est, quod idem est intervallum a Kalendis Januariis anni primi Juliani, qui bissextilis est, ad Nonas Quintileis, quod fuit a Kalendis Januariis veteris anni Romani, quo periit Romulus, ad decimum septimum Kalendas Sextileis, nempe dies centum octoginta novem. Digessit autem Fastos Cæsar, & ad primi sui anni formam ordinavit.

F I N I S.

# WILHELMUS LANGIUS

DE

# VETERI ANNO ROMANORUM.

Ex Lib. I. de ANNIS CHRISTI.

## CAPUT XV.

*De anno Romanorum antiquo. Diversæ antiquorum de anno Romuli opiniones explicantur, & inter se conciliantur. Emendatio Numæ prior & posterior. Utriusque ratio accurate exponitur. De Cyclo Numæ. De genuina loci cujusdam Liviani lectione & explicatione. Macrobius contra Petavium & Leonem Allatium explicatur. Cyclus Numæ qualis fuerit. De Epocha anni Romani & ad Julianum applicatione. Illustri exemplo Urbis, a Gallis Senonibus captæ, Cyclus ac Methodus anni Romani demonstratur, quod frustra ab aliis tentatum est. Quando primum & qua occasione Romanus annus depravari cœperit? Emendatio Cæsaris Dictatoris. Cardines ejusdem. De mensibus Macedonum & Syrorum ad Juliani anni formam applicatis.*

# WILHELMUS LANGIUS DE VETERI ANNO ROMANORUM.

## LIB. I. CAP. XV.

*De anno Romanorum antiquo. Diversæ antiquorum de anno Romuli opiniones explicantur, & inter se conciliantur. Emendatio Numæ prior & posterior. Utriusque ratio accurate exponitur. De Cyclo Numæ. De genuina loci cujusdam Liviani lectione & explicatione. Macrobius contra Petavium & Leonem Allatium explicatur. Cyclus Numæ qualis fuerit? De Epocha anni Romani, & ad Julianum applicatione. Illustri exemplo Urbis, a Gallis Senonibus captæ. Cyclus ac Methodus anni Romani demonstratur, quod frustra ab aliis tentatum est. Quando primum & qua occasione Romanus annus depravari cœperit. Emendatio Cæsaris Dictatoris. Cardines ejusdem. De mensibus Macedonum & Syrorum ad Juliani anni formam applicatis.*



Ntiquissimam temporum mensurandorum rationem, eam esse, quæ a φάσει sive prima visione Lunæ dependeret, inde satis liquere arbitror, quod & omnium simplicissima sit, & omnibus paulo antiquioribus gentibus usurpata. De Judæis, Græcisque hactenus demonstratum est, illos quidem semper ad usque supremum civitatis excidium, hos vero antiquitus, juxta visionem menses ordinasse. Idem de antiquis Albanis Romanisque dicendum erit: quippe qui non solum mensium dies juxta species Lunæ denominaverint, sed etiam, post admissam fixam anni rationem, juxta φάσιν Nonas ordinaverint. Equidem illud omnes gentes a Diluvii temporibus retinuisse existimaverim, ut primum apparente Luna mensem inchoarent. Sed cum cælo minus, quam in oriente, puro ac nubibus libero viveretur; contigit Lunam quandoque multis post jugum diebus occultari, quandoque ipso Neomeniæ die, aut saltem sequenti apparere. Hinc inæqualis ac plane incerta mensium, annique ratio orta fuit, in qua nemo mortalium quantitatem anni mensisve præscire poterat. Nec in uno saltem die, aut biduo error committebatur, sed nonnunquam in sex, nonnunquam & in decem, ut ex iis liquet, quæ de Albano ac Tusculano anno antea diximus. Hoc ergo cum civilibus negociis magnum adferre detrimentum Albani animadverterent, juxta phases uno anno in luna observatas, omnes omnium annorum menses ordinabant, eamque quantitatem quæ intra binas visiones deprehensa fuit, postea semper illi mensi tribuerunt, cui primo anno convenerat. Ita ergo Albanis alii menses XXXVI. dierum erant, alii XXII. September XVI. saltem, & Sextilis XVIII. ut Censorinus cap. XXII. docet. Idem in anno Romuli fuisse, Plutarchus indicat: Ῥωμύλου γὰρ βασιλεύοντος ἀλόγως ἐχρῶντο τοῖς μησὶ καὶ ἀτάκτως, τοὺς μὲν οὔτε εἴκοσιν ἡμερῶν, τοὺς δὲ πέντε καὶ τριάκοντα, τοὺς δὲ πλειόνου λογιζόμενοι, &c. *Romulo namque imperante menses habuerunt temere confusos, quum partim nec viginti dierum, partim quinque & triginta computarent.* Sed diversa de Romuli anno Censorinus & Macrobius referunt, qui decem saltem mensium principio fuisse arbitrantur, quorum quatuor XXXI. dies habebant; reliqui sex XXX adeoque totus annus dierum erat CCCIV. cum juxta Plutarchi mentem dierum esset CCCLX. ut in Numa loco laudato refert. Et utraque sententia optimos ac Romanæ rei peritissimos scriptores sibi faventes habet. Nam Licinius Macer & Fenestella annum vertentem Romæ statim ab initio duodecim mensium fuisse scripserunt. Junius vero Gracchanus, & Fulvius, & doctissimus Togatorum Varro, decem mensium fuisse putaverunt, ut tunc Albanis erat, unde orti Romani. Sed ne præstantissimi Scriptores frustra inter se committantur, videndum est, numne ratio aliqua dari possit illos conciliandi. Notum est Urbem Romam ex duobus populis unam factam fuisse, Romanis, (qui partim ex Albanis, partim ex colluvie variorum hominum constabant, qui primum Urbem cum Romulo habitabant) & Sabinis, qui cum Tito Tatio in Urbem allecti sunt. Et priores quidem Romuli ac Albanorum instituta sequebantur; posteriores vero Sabinorum. Hinc duplex in una civitate anni ratio erat. Albani namque quibus decem menses inæquales in anno erant, hanc sub Albano rege Romulo sequebantur. Contra Sabinis duodecim in anno menses erant, minori quam Albanorum inæqualitati obnoxii. Hoc tamdiu obtinuisse videtur, quamdiu Tatius Sabinorum rex pari cum Romulo imperio præesset. Postquam vero ille sublatus erat, videtur Romulus omnes ad eandem anni formam reduxisse. Atque tum quidem Albanam, quam a majoribus acceperat, proposuisse, nonnihil tamen emendatam. Nam cum observaret XXX. fere, aut ad summum XXXI. post φάσιν die rursum Lunam novam apparere: sex menses XXX. dierum constituit, reliquos quatuor XXXI. Decem namque menses Romulum in anno constituisse, Ovidius Fastorum lib. I. testatur:

*Tempora digereret cum Conditor Urbis, in anno*
*Constituit menses quinque bis esse suo.*

Et lib. III. causas hujus rei has recenset:

*Annus erat decimum cum Luna receperat orbem:*
*Hic numerus magno tunc in honore fuit.*
*Seu quia tot digiti, per quos numerare solemus,*
*Seu quia bis quino fœmina mense parit.*

Nec quisquam inter omnes antiquos scriptores ita ab his dissentit, quin commode satis explicari possit. Neque enim Fenestella aut Julius Gracchanus aliud dicunt, quam annum principio XII. mensium fuisse: quod & verum esse demonstravimus, quamvis postea a Romulo aliter constitutum fuerit. Menses ergo quam proxime cum Lunaribus convenientes, vel a Sabinis acceperit, vel juxta diligentem Lunæ observationem emendaverit. (namque Lunam ab Romulo in mensibus constituendis observatam fuisse Macrobius auctor est..

| | |
|---|---|
| Martius | XXXI. |
| Aprilis | XXX. |
| Majus | XXXI. |
| Junius | XXX. |
| Quintilis | XXXI. |
| Sextilis | XXX. |
| September | XXX. |
| October | XXX. |
| November | XXX. |
| December | XXX. |
| Dies omnes anni | CCCIV. |

Talis ergo anni & mensium Romuli tempore ratio fuit, qualem nos in adjuncto laterculo ex Censorino & Macrobio proposuimus, quæ tamen non diu duravit. Statim enim a Numa Pompilio sublata fuit, ac in ejus locum alia introducta. Et in hoc omnes fere scriptores consentiunt, inter quos Censorinus totam hanc emendationem pulcherrimis hisce verbis expressit: *Postea sive a Numa, ut ait Fulvius, sive, ut Junius, a Tarquinio duodecim facti sunt menses, & dies* CCCLV. *quamvis Luna duodecim suis mensibus* CCCLIV. *dies videatur explere. Sed ut unus dies abundaret, aut per imprudentiam accidit, aut, quod magis verum, ea superstitione, qua impar numerus plenus & magis faustus habebatur. Certe ad annum priorem unus & quinquaginta dies accesserunt: qui quia menses duos non implerent, sex illis cavis mensibus dies sunt singuli detracti & ad hos additi, facti que sunt dies quinquaginta septem: & ex his duo menses, Januarius undetriginta dierum, Februarius duodetriginta. Atque ita omnes menses pleni, & impari dierum numero esse cœperunt, excepto Februario, qui solus cavus, & ob hoc ceteris infaustior est habitus. Denique, cum Interkalarem mensem viginti duum, vel viginti trium dierum, alternis annis addi placuisset, ut civilis annus ad naturalem exæquaretur, in mense potissimum Februario, inter Terminalia & Refugium interkalatum est.* Macrobius verbis paulo aliis hæc refert, idem tamen dicit cap. XIII. lib. I. Saturnal. *Sed secutus Numa, quantum sub cœlo rudi & seculo adhuc impolito, solo ingenio magistro comprehendere potuit: vel quia Græcorum observatione forsan instructus est, quinquaginta dies addidit, ut in trecentos quinquaginta quatuor dies, quibus duodecim Lunæ cursus confieri credidit, annus extenderetur: atque bis quinquaginta a se additis, adjecit alios sex, retractos illis sex*

A *mensibus, qui triginta habebant dies, id est, singulis singulos, factosque quinquaginta & sex dies, in duos novos menses pari ratione divisit: ac de duobus priorem Januarium nuncupavit, primumque anni esse voluit, tanquam bicipitis Dei mensem, respicientem ac prospicientem transacti anni finem futurique principia: secundum dicavit Februo Deo .... Paulo post Numa in honorem imparis Numeri, secretum hoc & ante Pythagoram parturiente natura, unum adjicit diem, quem Januario dedit, ut tam in anno quam in mensibus singulis, præter unum Februarium, impar numerus servaretur,* &c. Numa igitur optime quidem cognitum habebat, Lunarem annum non plus quam CCCLIV. solidos dies habere, atque talem principio annum instituerat. quod ipsum &
B Plutarchus confirmat: Νυμᾶς δὲ τὸ παράλλαγμα τῆς ἀνωμαλίας, ἡμερῶν ἕνδεκα γίνεσθαι λογιζόμενος, ὡς τοῦ μὲν σεληνιακοῦ τριακοσίας πεντήκοντα τέσσαρας ἡμέρας ἔχοντος, τοῦ δὲ ἡλιακοῦ τριακοσίας ἑξήκοντα πέντε, τὰς ἕνδεκα ταύτας ἡμέρας διπλασιάζων, ἐπήγαγε παρ' ἐνιαυτὸν ἐπὶ τῷ Φεβρουαρίῳ μηνὶ τὸν ἐμβόλιμον ὑπὸ Ῥωμαίων Μερκιδῖνον καλούμενον εἴκοσι καὶ δυοῖν ἡμερῶν ὄντα. *Numa vero discrimen inæqualitatis cursus Solis & Lunæ undecim dierum esse animadvertens, quod Lunaris trecentis quinquaginta quatuor diebus constet, Solaris vero expleat* CCCLXV. *geminatis undecim hisce diebus, mensem intercalarem duorum &*
C *viginti dierum, quem Romani* Merkidinum *vocant, mensi Februario, alternis quibusque annis, inseruit*. Hæc ergo anni Pompiliani prima ordinatio erat. Annus Solaris juxta Numam dies habebat 365. & quadrantem; qualis istis temporibus & Ægyptiis & Chaldæis pro accuratissimo habebatur. Annus vero Lunaris dierum est 354. præcise. differentia dierum 11. & horarum 6. hoc est, in binis annis 22. dierum, horarum 12. in quaternis 45. præcise. Cum ergo Numa id præcipue in sua civitate observaret, ut tempora sementis ac messis, cæteraque quæ in usu civili probe sciri debebant, certis anni mensibus certo convenirent; ad quar-
D tum aut tertium annum intercalationem differre non poterat, eo quod tempora civilia ultra mensem a tempestatibus differrent. Ita ergo ordinavit, ut secundo anno 22. dies, quarto anno 23. intercalarentur. Et hic annus civilis, Lunaris quidem erat, magis tamen cum Sole, quam cum Luna conveniebat. Nam quamvis primus & secundus annus satis bene cum Luna convenirent, tertius tamen, propter Epactas Solis secundo anno adjectas, minime illud faciebat, nec nisi post multa sæcula ἀποκατάστασις in his fieri poterat. Quia tamen annua quantitas non Solaris erat, sed Lunaris, Romanos
E juxta Lunæ rationes tempora sua agere, & alii arbitrati sunt, & ipsimet profitebantur. Unde Dio perhibet, Romanos ad tempora usque Cæsaris Dictatoris mensibus Lunaribus fuisse usos, ubi ita scribit: πρὸς γὰρ τὰς τῆς σελήνης περιόδους καὶ τότε τοὺς μῆνας ἦγον. *Nam ad Lunæ circuitus etiam tum menses agebant*. Sed quicunque totam anni rationem paulo diligentius consideraverit, animadvertet statim, optime quidem eam cum Solaribus rationibus, minime vero cum Lunaribus convenire. Nam anno quovis quarto Civilis & Solaris annus plane conveniebant. Et tum peræquatio tam accurata ab Numa facta fuit, ut ne in minimis quidem dis-
F sentirent: juxta primam ergo Numæ institutionem annus Civilis Lunaris cum Solari plane post quartum annum conveniebat, adeoque Cyclus quatuor saltem annorum erat. Sed postea Numa, vel quod revera deprehenderet, annum Lunarem 354. diebus triente & ultra majorem esse, vel contemplatione imparis numeri, quod Censorinus & Macrobius tradunt, anno civili diem unum adjecit: ut annus sic esset dierum 355. cætera vero, ut ante

ordinaverat, permiſit. Atque ſic 51. dies anno Romuli additi ſunt, qui antea dierum fuerat 304. In omnibus autem imparem numerum obſervavit Quippe quaternos menſes, qui juxta Romuli inſtitutum XXXI. dierum erant, tales permiſit; reliquis vero ſex, qui ſub Romulo tricenarii fuerant, ſingulos dies detraxit, ut ſic XXIX. ſaltem dies haberent. Et ſic decem menſes dierum erant 298. reſidui ex anno erant dies 57. quos in duos menſes diſtribuit, & uni quidem dies dedit XXIX. alteri vero XXIIX. ut ſic omnes menſes impari dierum numero eſſent, præter Februarium, qui ob id infauſtus & Diis inferis ſacratus erat. Sed additio illa unius diei totam Cycli rationem perturbavit. Nam antea quaternis annis reſtitutio & æquatio Solaris & Civilis anni contingebat, nunc poſt quatuor annos quaternum dierum diſcrimen erat. Unde & alium Cyclum inſtituere coactus fuit, quo dies debito modo tollerentur. Quod & ab ipſo factum fuiſſe, Livius graviſſimus ſcriptor teſtis eſt. Verba ejus de Numa hæc ſunt, lib. I. *Atque omnium primum ad curſum Lunæ in duodecim menſes deſcribit annum, quia tricenos dies ſingulis menſibus Luna non explet, deſuntque dies ſolido anno, qui Solſtitiali circumagitur orbe, intercalares menſes interponendo ita diſpenſavit, ut vigeſimo quoque anno ad metam eandem Solis, unde orſi eſſent, plenis annorum omnium ſpatiis dies congruerent.* Magna de genuina hujus loci tam lectione quam explicatione inter Doctos contentio eſt: quæ ex diverſitate librorum nata fuit. Alii enim *vigeſimo* legunt, cum quibus Codex Mſſ. Buslidianus convenit, teſte Nannio Συμμίκτων v. & ſic omnes fere editiones Belgicæ. Alii *vigeſimo quarto*, quam lectionem Petavius ſequitur. Unicam vero cauſam, propter quam hanc lectionem priori præferant, ex Macrobio petunt. Quippe is capite XIII. Saturnal. I. refert Romanos ad Græcorum exemplum in octo annis dies 90. intercalaſſe, tertio autem octennio ſaltem dies 66. *compenſatis ita viginti diebus pro illis, qui per totidem annos ſupra Græcorum numerum creverant.* Ex quibus verbis illud colligi videtur, Romanos Cyclum 24. annorum habuiſſe, juxta quem ultimo anno dies XXIV. detrahebant. Sed omnino verba ipſius Macrobii accuratius expendenda erant, quæ ob id integra adſcripſi: *Cum ergo Romani ex hac diſtributione Pompilii ad Lunæ curſum, ſicut Græci, annum proprium computarent: neceſſario & intercalarem menſem inſtituerunt more Græcorum. Nam & Græci cum animadverterent temere ſe trecentis quinquaginta quatuor diebus ordinaſſe annum, quoniam appareret de Solis curſu, qui trecentis ſexaginta quinque diebus & quadrante Zodiacum conficit, deeſſe anno ſuo undecim dies & quadrantem, intercalares ſtatuta computatione commenti ſunt. Ita ut octavo quoque anno nonaginta dies, ex quibus tres menſes tricenum dierum compoſuerunt, intercalarent. Id Græci fecerunt, quoniam erat operoſum atque difficile, omnibus annis undecim dies & quadrantem intercalare. Itaque maluerunt hunc numerum octies multiplicare, & nonaginta dies, qui naſcuntur, ſi quadrans cum diebus undecim octies componatur, inſerere in tres menſes, ut diximus, diſtribuendos. Hunc ergo ordinem Romanis quoque imitari placuit, ſed fruſtra: quippe fugit eos, diem unum, ſicut ſupra admonuimus, additum a ſe ad Græcum numerum in honorem imparis numeri. Ea re per octennium convenire numerus atque ordo non poterat. Sed nondum hoc errore comperto, per octo annos nonaginta quaſi ſuperfundendos, Græcorum exemplo, computabant dies: alterniſque annis binos & vicenos, alternis ternos vicenoſque intercalares expenſabant intercalationibus quatuor. Sed octavo quoque anno intercalares octo affluebant dies ex ſingulis, quibus vertentis anni numerum apud Romanos ſuper Græcum abundaſſe jam diximus. Hoc quoque errore jam cognito, hæc ſpecies emendationis inducta eſt. Tertio quoque octennio ita intercalandos diſpenſabant dies, ut non nonaginta, ſed ſexaginta ſex intercalarent.* Sed quæ de Græcis heic narrat, vera non ſunt, qui nunquam *octavo quoque anno nonaginta dies* intercalabant. Id enim inſtitutis ipſorum quam maxime contrarium erat. Duo enim Græcis propoſita fuere, dies nempe & menſes juxta Lunam, annos vero juxta Solem agere; idque ob eam cauſam, quod ſe alias rite Diis ſervire non poſſe exiſtimarent. Juxta Solem vero ſacrificare eſt ita annos agere, ut iiſdem tempeſtatibus eadem ſacrificia peragantur, ut ex Gemino antea cap. XII. probavimus. At ſi octavo quoque anno nonaginta dies intercalare debebant, utique ſeptimo anno feſta duos integros menſes debitum tempus in anno Solari anticiparent. Sic enim feſtivitas, quæ ſtatim poſt æquinoctium vernum menſe Munychione celebrari debebat, ea quidem primo anno in debitum tempus ſtatim poſt æquinoctium incidet. Septimo autem anno longe ante æquinoctium, ac ultra duos menſes debitum tempus anticipabit: quod omnium Græcorum inſtitutis plane adverſatur. Sed Macrobius, cum alicubi legerat, Græcos in octo annis dies ὑπερβαίνοντας numeraſſe 90. ex quibus tres menſes ἐμβολίμους ſive intercalares conſtituerent, arbitratus eſt, omnes hos 90. dies, ſive tres menſes, octavo anno intercalatos fuiſſe. Eundem cum ipſo errorem Solinus erravit, qui ſcribit, *Græcos ſingulis annis undecim dies & quadrantem detraxiſſe, eoſque octies multiplicatos in nonum annum reſervaſſe, ut contractus nonagenarius numerus in tres menſes per tricenos dies ſcinderetur. Qui anno nono reſtituti efficiebant dies quadringentos quadraginta quatuor, quos ἐμβολισμοὺς vel ὑπερβαλλοντας nominabant.* Abſurdiſſime quidem ac ineptiſſime, ſicut in aliis multis, ut a ſummo Viro Claudio Salmaſio in erudito opere, quod Exercitationes Plinianas inſcripſit, multis in locis demonſtratum eſt. Facile igitur nobis eſſet fidem heic Macrobii atque auctoritatem elevare; aut aliter ſaltem verba ejus interpretari, cum ipſe non explicet, qua ratione XXIV. illi dies detracti ſint. Sed habuerit is hæc optime cognita, veriſſimaque de iis protulerit; at nihil iſta ad Livii locum explicandum faciunt. Macrobius dicit Romanos Græcorum in octaeteride intercalandi rationem ſequutos, hunc Cyclum inſtituiſſe. At ab Græcis nihil hac in re diſcere poterant, antequam ipſimet Græci aliquid de his cognitum haberent. Octaeterida equidem ab Endymione inventa antea capite XIII. diximus, ſed non talem quæ ex tam ſubtili dierum computo dependeret; ſed aliam, quæ ſuper plenas lunæ φάσεις eſſet fundata. Altera illa ſubtilis & accurata, in qua annus quilibet 354. dierum conſtituebatur, tertius vero, ſextus & octavus dierum 384. multis ſeculis poſt a Cleoſtrato Tenedio (qui poſt Solonis tempora vixit) eſt inventa. Nec tum ſtatim in uſum Græcorum recepta fuit, ſed varias mutationes ac emendationes ſubiit, ut habes apud Cenſorinum & Geminum. Saltem ergo poſt hæc tempora hanc intercalandi rationem inſtituerunt Romani. Imo ne tunc quidem, quandoquidem diu, eodem quo Græci modo, intercalaverunt: nec maximum committi errorum animadverterunt. Tandem poſtea iſto errore cognito Cyclus hic XXIV. annorum inſtitutus fuit. Quid hic ergo ad tempora Numæ, quid ad locum Livii pertinet, qui de Numæ invento loquitur? Imo ex eo ipſo demonſtratur, alium ſacerdotes Cyclum a Numa accepiſſe, cum

adeo in his errarent. Nam modum in annis intercalandi, non a Græcis, sed multo antea quam vel Græcorum vulgus, quid octaeteris essent, haberet cognitum, ab Numa acceperant, ut ex Censorino optimo scriptore, & Plutarcho antea probavimus. Is enim primus docuit rationem alternis annis XXII. alternis XXIII. dies, ut ait Macrobius, intercalandi. Nec dubium est, diei illius, quem anno propter imparis numeri præstantiam adjecerat, habita ratione, alium Cyclum instituisse, quo ista inæqualitas tolleretur: quandoquidem prior Cyclus quaternum annorum propter illum plane inutilis esset redditus. Quod & Livius expressis verbis testatur. At si Cyclus hic Numæ XXIV. annorum fuisset, cujus extremo anno 24. illi dies essent auferendi, convenisset utique plane cum illo, quem Macrobius descripsit. Falsus ergo is fuisset, qui ab Græcis Romanos hunc habuisse diceret, siquidem a Numa institutus esset, longe antequam octaeteris inventa fuit. Sed manifestum est, de alio Cyclo Livium, de alio Macrobium loqui. Unde ruit Petavii assertio, qua hunc Cyclum a Numa inventum fuisse asserit. Id enim contra Macrobium est, quem unicum sibi patronum elegerat. Sed Petavius ipse parum huic sententiæ fidit, unde tandem modestissime concludit: *Sed eæ omnes conjecturæ quamlibet verisimiles, pro confessis ac liquidis minime sanciendæ sunt; sed ut probabiles ambiguis de rebus opiniones Lectoribus offerendæ*. Sed Leo Allatius Vir Doctissimus, at quantum ego perspicio nimis forte partium studiis deditus, sententiam quidem Petavii optime affectus est: an vero modestiam ejusdem imitari hac in re noluerit, ego quidem nescio. Satis quidem audacter ac gloriose Scaligero & heic & alibi passim insultat, Viro de re literaria multisque bonis optime merito, homini tamen & errori obnoxio, quod nec ipsemet dissimulavit. Verba ejus de Scaligero hæc sunt: *Hæc omnia ex sola anni Pompiliani ignoratione nata sunt. Attamen, talia se ignorasse, cum fateri pro modestia sua nollet, nova nobis commenta, quæ nec somniavit antiquitas, comfingit*. Age, mi Allati, quandoquidem tanto supercilio Scaligero summo Viro ignorationem anni Pompiliani objectas, modestiamque ipsius sollicitas, ipse nos annum Pompilianum doce. Nam quem proponis, Pompilianus plane non est. Livius sane ne vel unum verbum de 24. dierum detractione facit. Macrobium laudas. At ille Cycli istius rationem, non a Pompilio, sed a Græcis acceptam prodit; adeoque diversus ab hoc Numæ Cyclus fuerit. Quis ergo antiquorum hunc annum Numæ vel per somnium unquam tribuit? Alius ergo Numæ Cyclus erat, ac plane ab hoc diversus. Unde patet, meliorem lectionem eam esse, quæ *vigesimo anno* habet. Fraudi locus fuit, quod qui Macrobium legerant, rati de eodem Cyclo ambos hos loqui, Livium ex Macrobio emendare, aut saltem explicare fuerint conati. Unde ad oram forte *quarto* annotabant, quod posteriores textui ipsi intruserunt. Alia ergo ratio dies hos superfluos eximendi a Numa instituta est: qualis tamen illa fuerit, dicere non æque est facile. De Cyclo quidem Numæ diebusque eximendis, nullum ultra dubium esse potest. Nam si constet XX. annis Cyclum totum fuisse absolutum, etiam cognitum erit, XX. dies toti Cyclo esse auferendos. Utrum vero simul & semel, an separatis vicibus, id nunc videndum est. Varro lib. v. de ling. Latin. explicat, cur XXIII. Februarii dies *Terminalia* vocetur: *Terminalia*, inquit, *quod is dies anni extremus constitutus. Duodecimus enim mensis fuit Februarius, & cum intercalatur, inferiores quinque dies duodecimo demuntur mense*. Terminalia

A igitur juxta Varronem a *termino* dicebantur, quod, si quando quinque dies extremi mensis Febr. propter intercalationem demerentur, annum ipsum terminarent. Non ergo semper Terminalia ultimum anni diem constituebant. Simplici enim anno XXVIII. Febr. qui post Terminalia quintus erat, ultimus anni dies est. Sed nec omnibus annis intercalaribus illud contingebat. Quamvis enim dies intercalares non ad finem anni adderentur, sed inter Terminalia ac Refugium (hic est VI. Kal. Mart. ut Verrius apud Festum testis est) infinderentur; quini tamen superflui dies non demebantur, sed post XXII. dies intercalares rursum numerabantur, & ad finem addebantur:
B *idque vetere religionis suæ more, ut Februarium omnino Martius sequeretur*, ait Macrobius cap. XIII. lib. I. Saturnal. Ergo nec semper intercalari anno Terminalia ultimum diem Februarii constituebant. At Varro docet, Terminalia inde appellationem invenisse, quod Februarium clauderent. Quod tum contigisse refert, quando intercalabatur, & quinque dies anno demebantur. Ergo aliquando quinque dies posteriores (qui, ut ex Macrobio audivimus, post Intercalares addebantur) plane omittebantur; atque sic ultimus dies anni cum Terminalibus conveniebat. Cognitum ergo ex his habemus, quinque dies detractos fuisse. Unde
C vitiosa est Clar. Viri Samuelis Petiti methodus, quæ in Cyclo minori 10. annorum ex binis lustris composito, 10. dies nono auferri jubet. Nam cum toto Cyclo XX. saltem superflui sint, quater ergo hæc detractio in uno Cyclo fieri debet. Varro autem hos dies demi ait, quando Intercalatur. Unde nec quinto, nec quinto decimo anno detrahi possunt; quandoquidem isti anni non sunt intercalares. At neque quarto aut decimo quarto id contingere potest. Quamvis enim hi anni intercalares sint, dies tamen quinque demi non possunt, antequam superflui fuerint. At in quatuor annis
D quatuor saltem dies abundant. Sexto ergo anno illud fieri debebat, quo quidem post ordinariam intercalationem quinque ultimi dies omittebantur: quod etiam decimo anno fiebat, & rursum decimo sexto, ac tandem vigesimo. Equidem si quatuor singulis quadrienniis fuissent detracti, Cyclus quaternis annis fuisset absolutus. Sed Numa, sicut in diebus anni augendis imparem numerum sequutus fuit, ita quoque in iisdem imminuendis idem observasse videtur. Sane quemcunque numerum quinario minorem sumpsisset, breviori Cyclo rem expedivisset. Sed cum quinarium huic negotio delegerat, non minus quam XX. annis Cyclus
E absolvi poterat. Post primam namque dierum subtractionem integer dies supra rationes Lunæ abundat, post alteram horæ 12. post tertiam rursum integer dies, post quartam denique perfecta est æquatio. Hæc ut melius percipiantur, ac facilius ad usum applicentur, integram Periodum cum cujusvis anni diebus exscripsi. Adposui differentiam dierum, quæ inter Civilem & Solarem quolibet anno intercedat, cum appositis notis S. hoc est, *Subtractionis*, quando Civilis Solari minor est; & A. hoc est, *Additionis*, quando Civilis Solarem excedit. Ipsos quoque anni Solaris dies, una cum horis, adjunxi, ut statim videri posset
F Cyclum ante XX. annum non finiri. Hæc ergo ita se habent:

Cyclus Romanus Numæ xx. annorum.

| *Anni Cycli.* | *Dies annorum Civilium.* | *Different.* | *Dies & horæ annorum Solarium.* |
|---|---|---|---|
| I. | 355. | 10. S. | 365. 6. |
| II. | 732. | 2. A. | 730. 12. |
| III. | 1087. | 8. S. | 1095. 18. |
| IV. | 1465. | 4. A. | 1461. 0. |
| V. | 1820. | 6. S. | 1826. 6. |
| VI. | 2192. | 1. A. | 2191. 12. |
| VII. | 2547. | 9. S. | 2556. 18. |
| VIII. | 2925. | 2. A. | 2922. 0. |
| IX. | 3280. | 7. S. | 3287. 6. |
| X. | 3652. | 0. A. | 3652. 12. |
| XI. | 4007. | 10. S. | 4017. 18. |
| XII. | 4385. | 2. A. | 4383. 0. |
| XIII. | 4740. | 8. S. | 4748. 6. |
| XIV. | 5117. | 4. A. | 5113. 12. |
| XV. | 5472. | 6. S. | 5478. 18. |
| XVI. | 5845. | 1. A. | 5844. 0. |
| XVII. | 6200. | 9. S. | 6209. 6. |
| XVIII. | 6577. | 3. A. | 6574. 12. |
| XIX. | 6932. | 7. S. | 6939. 18. |
| XX. | 7305. | 0. | 7305. 0. |

A Vides in omnibus hisce annis, semper differentiam quandam esse, usque ad XX. Decimo quidem anno nullius diei differentia est, sed propter duodecim horas abundantes Cyclus ibi terminari non poterat. Nunc Epocha tam Anni quam Cycli demonstranda erit, cum alias ad usum applicari minime possit. Numam a Martio annum inchoasse, optimi quique & Romanæ rei peritissimi scriptores testantur, ex quibus duos saltem omnium præstantissimos, Varronem & Ciceronem, testes citabo. Varronis verba antea ex lib. v. de lingua Latina adduxi, quæ ita habent: *Terminalia, quod is dies anni extremus constitutus sit. Duodecimus enim mensis fuit Februarius.* Si Februarius ultimus ac duodecimus mensis anni est, ergo Martius o-
B mnium primus. Clarius Cicero lib. 2. de leg. *Februario autem mense, qui tunc extremus anni mensis erat, mortuis parentari voluerunt, quod tamen D. Brutus, ut scriptum a Sisenna est, Decembri facere solebat. Cujus ego rei causam cum mecum quærerem, Brutum reperiebam idcirco a more majorum discessisse, ( nam Sisennam video causam, cur is vetus institutum non servavit, ignorare: Brutum autem majorum nostrorum institutum temere neglexisse, non sit mihi verisimile, doctum hominem sane, cujus fuit Accius perfamiliaris) sed mensem credo extremum anni, ut Veteres Februarium, sic hic Decembrem sequebatur.* Cicero probat, Brutum
C (non antiquum illum, qui Reges exegit, sed alium quendam Accii Poetæ σύγχρονον) mensem Decembrem anni ultimum existimasse, eo quod illo mense sacra Diis Manibus faceret, quod ultimo mense fieri antiquitas voluit. At teste Macrobio (qui tamen ipse Januarium primum anni Pompiliani mensem designat) Numa Februario mense *statuit, ut justa Diis Manibus solverentur.* Saturn. I. cap. XIII. Ergo ex mente Ciceronis Numa Februarium ultimum anni mensem prodidit. Scio quidem Plutarchum, Numæ transmutationem illorum mensium tribuere, qua Martius tertius, & Januarius primus constitutus fuit, sed is Ciceroni & Varroni & longe antiquioribus & harum rerum peritioribus, opponi non potest. Primus ergo mensis Martius erat. Sed non illud novisse satis est, nisi una tempus cognitum habeamus, cui præcipue in anno Solari vulgari sive Juliano convenerit. Macrobius lib. I. Saturnal. cap. XII. ubi nomina mensium Romanorum explicat, varias nominis Aprilis origines recenset. Quosdam enim existimasse ait, Aprilem dictum esse, quasi *Aphrilem*, a Venere, quæ ex spuma, ( hæc est Græcis ἀφρὸς ) orta perhibetur. Sed recte hæc etymologia auctoritate Cincii & Varronis postea rejicitur: alia vero causa ex ipsa natura ac tempore petita hujus originationis datur. Verba ipsa Macrobii, quoniam apprime ad rem faciunt, integra adscribam: *Sed Cincius in eo libro, quem de Fastis reliquit, ait imperite quosdam opinari Aprilem mensem antiquos a Venere dixisse, cum nullus dies festus, nullumque sacrificium insigne Veneri per hunc mensem a majoribus institutum sit. Sed ne in carminibus quidem Saliorum Veneris ulla, ut cæterorum cœlestium, laus celebratur. Cincio etiam Varro consentit, affirmans nomen Veneris ne sub regibus quidem apud Romanos vel Latinum vel Græcum fuisse: & ideo non potuisse mensem e Venere nominari. Sed cum fere ante Æquinoctium vernum triste sit cœlum & nubibus obductum, sed & mare navigantibus clausum, terræ etiam ipsæ aut aqua aut pruina aut nivibus contegantur, eaque omnia verno, id est, hoc mense aperiantur, arbores quoque nec minus cætera quæ continet terra, aperire se in germen incipiant: ab his omnibus mensem Aprilem dici merito credendum quasi* Aperilem. Ex quibus verbis satis liquet, antiquorum Aprilem primum vernalem mensem esse, imo & vernum tempus inchoare. Ideoque primus Aprilis dies in vernum Æquinoctium incidit, quod ipsum ex Cæsaris emendatione confirmatur, ut statim videbimus. Apparet autem Numam & mensuram anni Solaris & ipsos cardines a Græciæ sapientibus habuisse. Nam multas Græci in Italiam colonias partim ante, partim

post bellum Trojanum transmiserant, inter quas forte quædam cardinem ab Ægyptiis acceptum, & in solemnitatibus Olympiadum ab Heroibus Græciæ observatum, diligentius observarint ac postmodum retinuerint. Etiam opinio fert Pythagoram Spartiaten, qui sextam decimam Olympiada vicit, cum Italiam peragraret, consuetudinem habuisse cum Numa, ex quibus forte tum alia sapientiæ præcepta, tum ea quæ ad cardines anni Græci & Olympici spectant, didicerit. Erant vero cardines Græcorum istis temporibus in octavis signorum partibus. Et juxta eam rationem, A qua Solstitium in VIII. Julii conficiebatur, Æquinoctium vernum in VI. Aprilis contingebat. Quod & antea secuti sumus. His ita constitutis facile erit dies mensium Julianorum, a quibus menses Romani primo Cycli anno inceperint, investigare. Cognito enim, primum Aprilis diem in VI. Aprilis Juliani incidere, (quodadmodum verisimile esse, ex iis quæ hucusque disputata sunt, satis patet) una & illud cognitum erit, Martium qui in anno Romano XXXI. dies habet, a VI. Martii Juliani inire. Adeoque omnium mensium Romanorum primo anno Cycli hic ordo erit:

| *Romani menses.* | *Num. dier.* | *Dies Mensium Julianorum.* | |
|---|---|---|---|
| Martius. | 31. | 6. | Mart. |
| Aprilis. | 29. | 6. | April. |
| Majus. | 31. | 5. | Maii. |
| Junius. | 29. | 5. | Junii. |
| Quintilis. | 31. | 4. | Julii. |
| Sextilis. | 29. | 4. | Augusti. |
| September. | 29. | 2. | Septemb. |
| October. | 31. | 1. | Octobris. |
| November. | 29. | 1. | Novemb. |
| December. | 29. | 30. | Decemb. |
| Januarius. | 29. | 29. | Januar. |
| Februarius. | 28. | 27. | Februar. |

Deducuntur vero omnes Cyclorum anni a sexto Numæ. Primo namque alterum Cyclum proposuerat, in quo annus Civilis 354. dierum erat. Post annos quosdam unum diem adjecit, ut satis probabile fit, a sexto anno Numæ Cyclum hunc inchoari. Est vero annus Numæ sextus Per. Jul. 4006. ut postea volente Deo in Epochis demonstrabimus. Ideoque perpetua methodo pro inveniendis annis Cyclis Romani ab anni Per. Jul. 4005. auferendi sunt: residuum per 20. divisum dat annum Cycli Romani. Sed cum posteriora hæc nonnihil incerta videantur, illustri aliquo exemplo totam methodum probabimus, ut & veritas methodi, & usus ejusdem, certius innotescat, ac facilius percipiatur. Paucissima, imo nulla fere in Romanorum historia exempla occurrunt, quæ ad hunc annum applicari possunt. Nam quamvis sæpius dierum anni Romani apud Historicos mentio fiat, raro tamen iis characterismis signatur, ut certus illorum in anno Juliano situs investigari possit. Sunt equidem duæ apud Livium Eclipses, quæ ad dies anni Romani applicatæ sunt: sed illæ post transitum Romanorum in Græciam contigere, quo tempore priscus Numæ annus ad Græcorum rationes reformatus, misere fuit depravatus, ideoque alia plane tum anni forma erat. Una autem est omnium illustrissima Epocha, qua Urbs Roma ab Gallis Senonibus capta & incensa fuit. Id vero omnes scriptores unanimi consensu contigisse perhibent XV. Kalendas Sextileis. Livius namque refert postridie Idus Quintileis Posthumium sacra fecisse; & triduo post, Urbem captam fuisse. De sacris consentiunt Gellius Annal. XV. & Cassius Hemina Historiarum II. qui referunt: *Anno ab U. C. CCCLXIII. a Tribun. Milit. Virgulo Manlio, Ebulio Posthumo, collegisque eorum, in Senatu tractatum, quid esset propter quod toties intra paucos annos male esset afflicta respublica: & ex præcepto Patrum L. Aquinium aruspicem in Senatum venire jussum religionum requirendarum* D *gratia, dixisse, Q. Sulpitium Tribunum Militum ad Aliam adversum Gallos pugnaturum rem divinam dimicandi gratia fecisse postridie Idus Quintileis.* Eodem die ad Aliam pugnatum esse Plutarchus in Causis tradit, ὅτι μετὰ τὰς Κυιντιλίας Εἰδοὺς, ἃς νῦν Ἰουλίας καλοῦσιν, ἐξάγοντες οἱ Χιλίαρχοι τὸ στράτευμα περὶ τὸν Ἀλλίαν ποταμὸν ἐκρατήθησαν ἀπὸ Κελτῶν μάχῃ, *quod Tribuni militum post Eidus Quintileis, quas nunc Julias vocant, educentes exercitum victi sint a Gallis ad Aliam fluvium.* Tertio vero post pugnam die Galli Urbem occuparunt. Plutarchus in Camillo: Τρίτῃ δὲ ἀπὸ τῆς μάχης ἡμέρᾳ παρῆν ὁ Βρέννος ἄγων ἐπὶ τὴν πόλιν τὸ στράτευμα, καὶ τάς τε πύλας εὑρὼν ἀνεῳγμένας καὶ τὰ τείχη φυλάκων ἔρημα, E πρῶτον μὲν ἔδεισεν ἐνέδραν καὶ δόλον, ἐπεὶ δὲ ἔγνω τὸ ἀληθὲς, εἰσελάσας διὰ τῆς Κολλίνης πύλης εἷλε τὴν Ῥώμην. *Tertio vero post pugnam die Brennus aderat exercitum ducens contra Urbem. Cum vero & portas apertas & mœnia defensoribus vacua videret, insidias primum veritus, postea veritate comperta, per Collinam portam ingressus Romam cepit.* Livius tertio demum, post peracta a Tribunis sacra, die pugnatum fuisse refert, & statim fusis Romanis Brennum contra Urbem exercitum duxisse, & sequenti demum die eam occupasse, quod XV. Kalendas Sextileis sequenti libro contigisse refert. Tacitus XV. Annalium incensam ab Gallis Urbem fuisse narrat XIV. Kal. Sextileis. Ergo uno ad minimum F die aut biduo forte antea capta fuit. Quicquid sit, nonnisi unius saltem diei, aut ad summum bidui discrimen hinc nascitur, quod in tali re nihil est. Refert vero Plutarchus pugnam commissam esse περὶ τὰς τροπὰς θερινὰς καὶ περὶ τὴν πανσέληνον. *circa Solstitium æstivum & circa Plenilunium.* Videtur Plutarchus characteres hos a binis scriptoribus antiquis habuisse, quorum unus ipso die quo sacra peracta erant, alter tertio post, prælium commissum voluit. Neque enim vel anno illo quo capta est, vel præcedenti Plenilunium & Solstitium, exacte convenerunt, sed ad minimum

quatriduo differebant. Anno enim Per. Jul 4327. (quo Urbem ab Gallis captam fuiſſe, ſequenti libro contra Petavium probabimus.) Plenilunium XII. Julii contigit hora poſt med. noct. 8. Solſtitium vero civile, quod ſolum iſtis hominibus cognitum erat VIII. Julii: differentia quatuor dierum. Antecedenti anno plenilunium XXIII. Julii contigerat, & prius Junii 23. procul a Solſtitio. Inter Solſtitium ergo & plenilunium pugna contigerit, atque Urbs ipſa capta fuerit. At juxta anni Romani rationem pugnatum eſt, ex mente Plutarchi, XVIII. Kalendas Sextileis. Videbimus, cui diei in anno Romano hic character conveniat. Eſt annus Per. Jul. 4327. ablati hinc juxta Methodum 4005. reſiduos dant 322. annos, qui per 20. diviſi dant annum Cycli ſecundum. Decem igitur Epactæ ſuperioris anni, hoc eſt, primi, a IV. Julii, quo Julius ſive Quintilis primi Cycli Romani iniit, abſtractæ, dant initium Quintilis in XXIV. Junii Juliani. adde dies XV. habebis XVI. diem Quintilis, hoc eſt, XVIII. Kalendas Sextileis, convenientem IX. Julii Juliani, uno die poſt Solſtitium, quo prælium juxta Plutarchum contigit. Tertio vero die poſt XI. nempe Julii Juliani, XVI. Kalendas Sextilis Romani, prælium ex Livii mente contigit, cujus diei veſpera, Luna plena facie, occidente Sole, oriebatur. Sequenti die XV. Kalendas Sextileis, XII. Julii, Urbs capta eſt, & XIV Kalendas, ſive Julii XIII. combuſta. Hæc eſt nobiliſſima Epocha, quam & Scaliger & Petitus fruſtra tentarunt: quis magis catus Petavius eam plane omiſit, nec ullo exemplo ſuam experiri Methodum voluit. Noſtra vero, ut vides, exactiſſime convenit. Unde illius certitudo ſatis demonſtratur. Poſt hæc vero tempora ratio anni mirum in modum perturbata fuit. Qui enim æſtati convenire debebant menſes, primo vere agebantur. Manifeſtum id ex Livio eſt, qui lib. XXXVII. refert, V. Eidus Quintileis L. Scipione & C. Lælio Coſſ. anno Urbis Varronian. DLXIX. Per. Jul. 4524. Solem defeciſſe, Luna ſub orbem ejus ſubeunte. At vero iſto anno Eclipſis Solis contigit Martii XIV. quæ Romæ viſa fuit hora poſt med. noctem ſeptima, ut ex calculo patet. Juxta rationem Cycli Romani V. Eidus Quintileis conveniret ſeptimo Julii Juliani. Differentia 115. dierum. Sed non injucundum erit tantæ diverſitatis ac corruptelæ cauſas, quantum poſſumus, inquirere. Macrobius dicit, Romanos, cum Græcorum in anno intercalando inſtitutum imitari vellent, nec eorum ritus ac morem recte cognitum haberent, mirum in modum erraſſe, annumque ſuum corrupiſſe. Et dubium ſane non eſt, quin Romani Græcos, quos ſemper ut omnis ſapientiæ Magiſtros colebant, in anni ratione fuerint imitati. Nec tamen ea in re primum a Romanis erratum fuit, quod diem trecenteſimum quinquageſimum quintum anni non ſatis obſervarent; tum enim annus juſto major fuiſſet, ipſique menſes ac menſium dies non in antecedentia retracti fuiſſent, ſed potius in conſequentia progreſſi. At non hoc, ſed illud factum fuiſſe, ex Livio patet, ubi Quintilis centum & quindecim diebus ante tempus debitum init. Quod igitur Macrobius dicit, heic locum habere non poteſt. Exiſtimo, Romanos, cum audirent Græcos ter ſaltem quovis octennio menſem intercalare, id etiam ita imitatos fuiſſe, ut ſolidos dies XXIII. in intercalatione omitterent. Nam cum audirent, Græcos tertio, ſexto & octavo annis menſem unum intercalarem addere; nec alium menſem intercalarem cognitum haberent, præter ſuum Merkedonium aut Merkedinum, qui alternis annis XXII. alternis XXIII. dierum erat: hunc ad Græcorum exemplum quovis octennio intercalarunt, tertio quidem anno dies XXII. ſexto XXIII. octavo autem XXII. addentes. Atque ſic quodvis octennium XXIII. ſolidis diebus juſto minus erat. Hoc tum primum ab Romanis factum fuiſſe arbitror, cum primam Græcam urbem Corcyram occupaverant, quod anno Per. Jul. 4485. L. Poſthumio Albino, Cn. Fulvio Centumalo Coſſ. Urbis Cond. DXXIV. contigit. Quippe ante illud tempus rara Romanis cum Græcis commercia. Equidem antea in Sicilia fuerant, hoſque debellaverant. Sed Siculi ſub proprio Rege Hierone manſerunt. Sic ergo XIII. anno initium anni integro menſe, ſive XXX. diebus retroceſſerat: quod etiam ex Livio patet. Libro namque ſecundo Dec. III. refert, Coſſ. Flaminium II. & Servilium Geminum Idibus Martiis magiſtratum iniviſſe, qui dies iſto anno, hoc eſt, Per. Jul. 4497. convenit cum X. Martii Juliani: & ſtatim poſt Romæ nunciatum fuiſſe, in Sardinia Solem minui viſum, & Arpis Solem cum Luna pugnaſſe. quæ ecclipſin Solis contigiſſe indicant, quæ etiam XI. Februarii iſto anno facta fuit. Quod ſi a X. Martii dies XXX. abſtuleris, habebis VIII. Februarii, quo Coſſ. inivere, & tertio poſt die hæc viſa ſunt, & ſtatim Romæ nunciata. Tandem vero, cum jam ultra integrum anni quadrantem, centum nempe & quindecim diebus, propter unius menſis intercalaris quovis octennio (& forte etiam ſæpius) omiſſionem, a vero termino anni aberraverant, demum animadverterunt, Græcos non XXII. aut XXIII. dies, ſed ſolidos XXX. quavis intercalatione addere: adeoque deprehenſo errore operam dederunt, ut annus priſtinis characteribus reſtitueretur. Quam ob rem Pontifices menſem Intercalarem præter ordinem intercalaſſe videntur. Anno enim viceſimo ſecundo, poſt conſulatum L. Scipionis & Lælii, qui annus Urb. Varron. DLXXXVI. Coſſ. L. Paulo Æmilio & Licinio Craſſo memorabilis ille defectus Lunæ contigit, quem Sulpitius Gallus prædixerat, nocte quam prid. Nonas Septembr. inſecuta eſt dies, ut Livius lib XLIV. refert. Erat vero is dies in anno Juliano XXIII. Junii, differentia 76. dierum, adeoque tum 70. ſaltem diebus a debito tempore diſtabat. Et ſtatim poſt, illud ab Romanis obſervatum crediderim, quod Macrobius refert, eumque Cyclum tum in uſum fuiſſe introductum; de quibus tamen omnibus nihil certo affirmare auſim. Sane menſes in hoc ſtatu manſiſſe, ex anno confuſionis liquere arbitror, cui Dictator Cæſar dies 67. addidit. Sed de anno hoc nimis multa verba fecimus: nunc de emendatione Julii dicendum eſt.

Cum Dictator Cæſar, anni rationem Pontificum licentia admodum corruptam cerneret, ita ut menſes cum tempeſtatibus anni minime convenirent; unaque conſideraret, ſi eadem anni forma maneret, fore ut facillime rurſum corrumperetur; antiqua illa Lunari ſublata, Solarem introduxit, quod hæc minus errori obnoxia eſſet, faciliuſque a vulgo perciperetur. Anno ergo Urbis cond. 707. quo ipſe Conſul III. cum collega M. Æmilio Lepido fuit, emendationem exorſus, XV. illum menſium conſtituit; ita ut totus is annus eſſet dierum CCCCXL. Quod ita factum fuit. Annus ſimplex Numæ, uti diximus, erat 355. dierum, ſive XII. menſium; intercalaris 377. vel 378. dierum, ſive menſium XIII. Cæſar ergo primum auctoritate Pontificali pronunciavit annum hunc Intercalarem eſſe: inde addidit dies LXVII. ut Dio teſtis eſt. Annus ergo totus dierum fuit CCCCXLV. quorum ultimus terminabatur prid. Kalendas Januarii. Verba de his Cenſorini optimi ſcriptoris digna ſunt, quæ adſcribantur: *Pontificibus datum eſt negotium, co-*

*eorumque arbitrio interkalandi ratio permissa. Sed horum plerique ad odium vel gratiam, quo quis magistratu citius abiret, diutiusve fungeretur, aut publici redemtor, ex anni magnitudine in lucro damnove esset, plus minusve ex libidine interkalando, rem sibi ad corrigendum mandatam ultro depravarunt. Adeoque aberratum est, ut C. Cæsar Pontifex Maximus suo* III. *& M. Æmilii Lepidi consulatu, quo retro delictum corrigeret, duos menses interkalarios dierum sexaginta septem in mensem Novembrem & Decembrem interponeret, cum jam mense Februario dies tres & viginti interkalasset, faceretque eum annum dierum* CDXLV. *simul providens in futurum, ne iterum erraretur. Nam interkalario mense sublato, annum civilem ad Solis cursum formavit. Itaque diebus* CCCLV. *addidit decem, quos per septem menses, qui dies undetricenos habebant, ita distribuit, ut Januario & Sextili & Decembri bini accederent, cæteris singuli: eosque dies extremis partibus mensium apposuit, ne scilicet religiones sui cujusque mensis a loco summo verentur. Quapropter nunc cum in septem mensibus dies singuli & triceni sint, quatuor tamen illi ita primitus instituti eo dinoscuntur, quod Nonas habent septimanas: cæteri quintanas. Præterea pro quadrante diei, qui annum verum suppleturus videbatur, instituit, ut peracto quadriennii circuitu, dies unus, ubi mensis quondam solebat, post Terminalia interkalaretur: quod nunc Bissextum vocatur. Ex hoc anno, ita a Julio Cæsare ordinato, cæteri ad nostram memoriam Juliani appellantur, iique consurgunt ex* IIII. *Cæsaris consulatu.* Plenius ac planius hac de re nihil dici potest: ut mirum sit dari homines, qui tam manifestis verbis contradicere audeant. At Dionem pro se adducunt, qui ait, Julium non plus quam 67. dies addidisse, & errare eos qui aliter sentiant. At idem dicit Censorinus: nam Intercalaris mensis XXIII. dierum isti anno ex majorum instituto conveniebat, nec ab Cæsare præter ordinem additus fuit. At dicunt: Quindecim saltem menses in anno isto fuerunt, 67. vero dies faciunt menses Intercalares tres. Si ergo Intercalaris ordinarius isto præterea anno fuit: ergo annus 16. mensium erat, non quindecim. At quis illos docuit 67. dies tres menses constituere? Intercalaris ordinarius quem Merkedinum Romani vocabant, XXII. aut XXIII. dierum erat: ergo etiam illi, quos Cæsar ad explendum annum, præter ordinem, adjecit, tales fuere. Quis antiquorum hoc unquam dixit? adversatur id Censorino optimo scriptori, & satis antiquo, adversatur omnibus aliis. Mirum est, homines ita conjecturis suis indulgere, ut quamvis optimi & antiquissimi scriptores plane iis adversentur, malint tamen eorum fidem damnare, quam sententiam mutare. Sed de his nimis dictum est. Quæri posset, cur Cæsar cardines anni sui non initiis mensium more Macedonum, sed VIII. antea diebus attribuerit? Scaliger respondet, percrebuisse Romæ illam de Æquinoctiis ac Solstitiis in octavis partibus signorum constituendis opinionem, quam cum vulgo extorquere non posset, maluisse potius Cæsarem inveteratæ eorum opinioni ex parte assentiri. Et bene quidem illud, si constaret, Cæsarem, cardines in VIII. semper ante Calendas die constituisse, quod vereor, ne satis firmum sit. De hyberno quidem & verno cardine nullum dubium est. Disertis enim verbis auctores hac de re testantur. Columella libro IX. cap. XIV: *Ab æquinoctio primo, quod mense Martio circa* VIII. *Kalendas Aprilis, in octava parte Arietis conficitur.* Plinius lib. XVII. capite XXV. *Omnesque eæ differentiæ fiunt in* VIII. *partibus signorum. Brumæ Capricorni ad* VIII. *Kalend. Januarii fere.* Sed idem Plinius, etiam in VIII. Kalendas Julias Solstitium æstivum, in VIII. Kalendas Octobris Æquinoctium autumni constituit. Cum tamen Ovidius in Fastis illud in sextum Kalendas conferat, Columella vero & in octavum & in sextum. Ita enim de VIII. Kalend. scribit: *Hoc & biduo sequenti solstitium.* Eadem ejusdem de Æquinoctio autumni sententia est. Sed imperitissime hi omnes Solem, his diebus VIII. signorum partes occupare, arbitrati sunt. Unde semper octo diebus ante cardines illos quos omnium verissimos existimabant, Solis in dodecatemorium ingressum atque accuratum ac Astrologicum Solstitium aut Æquinoctium fieri docent. De octavis signorum partibus res manifesta est. Germanicus Cæsar præfatione in Aratea: *Medius est æquinoctialis, qui octavam partem Arietis tenens Æquinoctium vernum facit: octava Libræ autumnale constituit.* Idem habes apud Plinium loco laudato. Quo ergo die æquinoctia aut solstitia omnium accuratissima fieri audiverant, eum pro vero Solstitiali habebant; ita tamen ut VIII. parti signi alicujus illum tribuerent, & VIII. diem antea, ingressui Solis in Dodecatemorion assignarent. Patet hoc ex Columella, qui lib. XI. cap. V. hæc scribit: *Nono Kalendas Januarias Brumale Solstitium, sicut Chaldæi observant, significat.* Nam cum Chaldæorum observationes omnium accuratissimas arbitraretur, illud potius quam Julii Solstitium pro vero habuit. Sed hoc in VIII. parte Capricorni confici credidit. VIII. enim dies antea ad XVI. Kalendas hæc notat: *Sol in Capricornum transitum facit. Brumale Solstitium, ut Hipparcho placet.* Quod quamvis imperitissime & absurdissime factum sit, scientiæ tamen istorum hominum investigandæ apprime confert. Veri igitur Cardines juxta Columellam illi erunt, qui octavo post Solis in Dodecatemorion ingressum die contingunt. Adeoque juxta Columellam non VIII. sed VI. Kalendas Julias Solstitium, & VI. Kalendas Octobris Æquinoctium autumnale continget. Ad XIII. namque Kalendas horum mensium ipsemet notat, Solem signum Cancri & Libræ ingredi. Imo & juxta accuratam ipsius Plinii recensionem Solstitium æstivum & Æquinoctium autumnale, non in VIII. sed VI. Kalendas incident. Verba ejus ex lib. XVIII cap. 25. hæc sunt: *Cardo temporum, quadripartita anni distinctione constat, per incrementa lucis. Augetur hæc a Bruma, & æquatur noctibus verno Æquinoctio* XC. *diebus,* III. *hor. Deinde superat noctes ad Solstitium diebus* XCIII. *horis* XII. *usque ad Æquinoctium autumni. Et tunc æquata die procedit ex eo ad Brumam diebus* LXXXIX. *horis* III. *Horæ nunc in accessione, æquinoctiales, non cujuscunque diei significantur, omnesque eæ differentiæ fiunt in* VIII. *partibus signorum. Bruma Capricorni ad* VIII. *Kalend. Januarii fere: Æquinoctium vernum Arietis: Solstitium Cancri: alterumque Æquinoctium Libræ.* Si hanc accuratissimam Plinii recensionem sequamur, deprehendemus Solstitium & Æquinoctium autumni non VIII. sed VI. imo V. Kalendas contingere. Ponatur namque Solstitium hybernum in eo die, quo ipse collocat, VIII. nempe Kalendas Januarii sive XXV. Decembris. A Bruma, inquit, ad Æquinoctium vernum, dies sunt XC. & horæ tres. Ergo Æquinoctium incidit in XXV. Martii. Ab Æquinoctio autem ad Solstitium dies sunt XCIII. horæ XII. quos si ad XXV. Martii adjeceris, prodit Junii XXVI. hoc est, sextus Kalendas Julias, non VIII. Æquinoctium autumni distat ab Solstitio diebus XCII. & horis XII. quæ addita ad XXVI. Junii, dant Septembris XXVII. sive V. Kalendas Octobreis. Tandem ab hoc ad Brumam sunt dies LXXXIX. horæ III. quæ ad XXVII. Septembris addita, dant Solstitium in XXV. Decembris. Hæc ergo accuratissima ratio est, quam

juxta Cæsaris partitionem factam fuisse satis liquet. Neque enim accuratiora illis hominibus cognita erant. Dubium igitur illud est, ac plane incertum, quod tamen in priori sententia pro concesso assumitur, Cæsarem Dictatorem VIII. Kalendas cardinibus dicasse. Imo ex iis, quæ hactenus disputata sunt, satis liquere arbitror, Solstitium & Æquinoctium Autumni in VI. Kalendas incidisse. Alia ergo causa fuisse videtur, ob quam Cæsar ab VIII. Kalendas, & non ab ipsis Kalendis annum suum inchoaverit, quam ego hanc esse arbitror. Cæsar, sicut in aliis multis, ita etiam in anni ratione emendanda, majorum ac antiquorum institutis tenacissime adhæsit. Patet illud ex tota anni Pompiliani emendatione, in qua nihil plane emendavit, nisi quod maximis erroribus ac infinitæ in civilibus negociis perturbationi causam dare posset. Sic ergo & Februarium XXVIII. saltem dierum constituit, eundem locum intercalationi unius diei dicavit, qui antiquis observatus fuerat, inter Terminalia nempe & Regifugium. Ipsos quoque menses, quod a situ illo, in quo eos antiqui ac primus institutor Numa collocaverat, recessissent, ad pristinum locum reduxit, duos alios menses interkalando: quod facere opus non fuisset, (quandoquidem a quocunque tempore menses satis bene incipere poterant) nisi annuam rationem ac ordinem, antiquissimi institutoris voluntati convenire voluisset. Cum igitur, ex antiquis commentariis ac Pontificum annalibus, aliisque ejusmodi, cognitum haberet, Numam Kal. Aprilis in Æquinoctio verno constituisse, cum Sol octavum Arietis gradum teneret, id ipsum sibi imitandum ratus, Kalendas Aprileis in VIII. parte Arietis constituit, in qua plurimi ex vulgo Æquinoctium istis quoque temporibus confici crediderunt. Nam cum Sol juxta medios motus (qui soli in civilibus negociis locum habere censentur) XXV. Martii Arietem isto seculo fuerit ingressus, VIII. ergo die post, sive Kalendis Aprilibus, in VIII. parte Arietis juxta medios motus hærere debebat. Ergo cum hunc terminum primo constituisset, juxta rationem Plinianam reliquos exinde deduxit. Intercalarem vero, uti diximus, in pristina sede locavit, atque inter Terminalia & Regifugium interseri jussit. De Terminalibus conveniunt omnes, illum VII. Kalendas Martias, sive XXIII. Februarii convenire. Hunc Regifugium proxime excipere, omnes tradunt, præter Ovidium, qui Regifugium XXIII. contigisse refert. Sed potior reliquorum omnium consentiens auctoritas est. Menses in anno Juliano totidem sunt quot in Numæ, iisdemque nominibus, Januarius nempe, Februarius, Martius, Aprilis Majus, Junius, Julius, (qui ante emendationem *Quintilis* vocabatur) Sextilis, (ab Augusto postea *Augustus* denominatus) September, (*Germanicus* appellatus) October, (quem *suo nomine Domitianus invaserat. Sed ubi infaustum vocabulum ex omni ære vel saxo placuit eradi, menses quoque usurpatione tyrannicæ appellationis exuti sunt.* Macrob. Saturn. lib. I. cap. XII.) November, (hunc ab Commodo denominationem habuisse arbitror: ex quo explicandum illud erit, quod in veteri inscriptione legitur IDUS COMMODAS) & December. Ratio dierum numerandorum eadem erat, quæ temporibus Numæ. Quivis enim mensis in tres partes distribuebatur, Kalendas, Nonas & Idus, ad quas reliqui dies referebantur. Illi namque qui intra Kalendas & Nonas erant, juxta eam rationem numerabantur, qua Nonas antecedebant: qui inter Nonas & Idus, ad Idus referebantur: reliqui omnes ad sequentis mensis Kalendas. Sunt vero in quatuor mensibus Nonæ septimanæ, Martio nempe, Majo, Julio, & Octobri, in quibus Nonæ semper in septimum diem mensis incidunt. Quod a Romulo institutum, & a Numa retentum, etiam ad suum Kalendarium Cæsar applicuit. In reliquis omnibus mensibus Nonæ quintanæ sunt, & in quintum diem mensis incidunt, unde in his statim post Kalendas IV. Nonas sequitur, in illis VI. Nonas. In omnibus vero mensibus Idus sunt octo. Unde si Nonæ septimanæ fuerint, Idus in XV. mensis incidunt; si quintanæ, in XIII. Methodus ergo numerandorum dierum hæc est: cognito, quot dies mensis quilibet habeat, (quod ex vulgari isto versu,

*April ter denos, Jun. Septemberque, November:*
*Uno plus reliqui: viginti Februus octo.*
*At si bissextus fuerit, superadditur unus.*

aut per numerationem digitorum satis bene cognoscitur) vide, an Nonæ quintanæ sint, an septimanæ. Quod si quintanæ sunt, post Kalendas primus dies erit IV. Nonas, qui mensis dies secundus est, tum III. Nonas, Pridie Nonas, Nonæ quæ in V. mensis incidunt. Si septimanæ Nonæ fuerint, secundus dies VI. Nonas vocatur, inde V. IV. III. Pridie Nonas, & demum Nonæ ipsæ, quæ tum septimo mensis conveniunt. Nonas semper excipit VIII. Idus. inde VII. VI. V. IV. III. Prid. Idus. quæ si Nonæ quintanæ fuerint, in XIII. diem mensis incidunt; sin septimanæ, in XV. In quintanis ergo Nonis aufer XIII. ab integro mense, in septimanis autem XV, residuum unitate auctum, numerum diei ante Kal. prioris mensis dabit. In mense verbi gratia Januario, in quo quintanæ Nonæ sunt, adeoque Idus in XIII. diem mensis incidunt, aufer XIII. a XXXI. remanent 18. ergo primus dies post Idus vocatur XIX. Kalendas Februarias, sequens XVIII, tum XVII, & sic retrocedendo ad ultimum mensis, qui Pridie Kal. Februarias, vocatur. Hæc vulgatissima sunt. Sed tamen cum in reliquis annis methodus proposita est, neque hic omitti debebat. Notandum vero est, non solis Romanis hunc annum in usu fuisse, sed una cum imperio ad longe dissitas gentes pervenisse, ac in ipsum orientem penetrasse. Ægyptii quidem annum antea vagum, juxta rationes Julianas fixum reddiderunt, quarto quovis anno, pro quinque Intercalaribus sive Epagomenis sex addendo: menses tamen proprios, atque peculiarem anni Epocham retinuerunt, ut de anno Ægyptiaco postea dicetur. Aliæ vero gentes, non tantum anni rationem, sed etiam menses plane Romanos receperunt. Nomina saltem antiqua mensium retinuerunt; quique proxime cum Julianis convenerant, pro Julianis adhibiti fuerunt. Duo vero mensium genera erant, quorum tum maxime usus vigebat. Etenim omnes fere gentes, qui rationem mensium Julianorum receperant, vel Macedonicis mensibus utebantur, vel Chaldaicis sive Syriacis. Hos igitur ex Lunaribus antea Solares factos, sed aliis diebus in anno Juliano applicatos, e sua sede & loco dimoverunt, paulumque immutatos menses plane Julianos constituerunt. Ita ergo Xanthicus, qui juxta Asianorum rationem a XXV. Martii antea in anno Macedonico inierat, paulum in consequentia protrusus fuit, ut cum Aprili conveniret. Idem a Chaldæis in Nisan mense factum fuit. Hæc ergo mensium Macedonicorum & Chaldaicorum in anno Juliano dispositio est. Mensium horum ratio ex Patribus, atque inter eos Eusebio præcipue demonstratur. Apud eum namque lib. VIII. Hist. Eccl. in actis Martyrum, menses Macedonici ita cum Julianis conferuntur, ut plane iidem sint. cap. namque XX. decimus quartus Apellæi confertur cum XIX. Kalendas Januarii. cap. XIX. in actis

| | | |
|---|---|---|
| Januarius. | Αὐδυναῖος. | Canun secundus |
| Februarius. | Περίτιος. | Schebath. |
| Martius. | Δύστρος. | Adar. |
| Aprilis. | Ξανθικός. | Nisan. |
| Majus. | Ἀρτεμίσιος. | Ijar. |
| Junius. | Δαίσιος. | Haziran. |
| Julius. | Πάνεμος. | Tamuz. |
| Augustus. | Λῷος. | Ab. |
| September. | Γορπιαῖος. | Elul. |
| October. | Ὑπερβερεταῖος. | Tisrin prior, |
| November. | Δῖος. | Tisrin posterior. |
| December. | Ἀπελλαῖος. | Canun prior. |

A Antonii & Zebinæ Martyrum XIII Dii cum Idibus Novembris. In Martyr. Theodosiæ Virginis IV Nonas Aprilis (qui isto anno Paschalis festivitas erat) cum secundo Xanthici: & libro septimo in fragmento Anatolii XXII Dystri cum XI Kal. Aprilis. Sed hæc omnibus obvia sunt. Orientalium vero menses plane Julianos esse, ex Albategnio patet, qui Schebath. 28 dierum facit & quarto quovis anno 29, Romanorum more. Sed & ex illis exemplis id ipsum patet, quæ in Periodo Constantinopolitana citabimus, quæ consulas licet. Atque hæc de anno Romano, tam antiquo, quam Juliano dicta sunto.

# F I N I S.



# ERYCII PUTEANI
*DE*
# BISSEXTO
## LIBER,
## NOVA TEMPORIS FACULA,
*QUA*
INTERCALANDI ARCANA, HACTENUS OBSCURA,
## ILLUSTRANTUR.

# INDEX CAPITUM.


CAPUT I.

*Operis designatio. Annorum annus* BISSEXTILIS: *a Caesare ordinatus: errore exiguo, beneficio magno. Diem, sed* BISSEXTUM, *& formam & faculam anni esse; annum, diei.*

CAP. II.

*Annus duplex, Solis & Lunae: hic Romanus olim, sed diebus* CCCLV. *superstitione imparis numeri computatus. Initium a Martio. Mensis Intercalarius inter Terminalia & Regifugium. Deus Terminus finis anni. Quinque extra annum dies, & tanquam non dies, consumi soliti. Livius correctus, Varro explicatus. Origo intercalandi.*

CAP. III.

*Ratio intercalandi ad Pontifices translata, & mox corrupta. Mensis Intercalaris duplex: alter* XXII. *alter* XXIII. *dierum, & alternis annis. Utriusque caussa, modus, usus. Annus Ennianus dierum* CCCLVI. *Ennio lux. Intercalatio Graecorum, & quatenus ab ea Romani abirent.*

CAP. IV.

*Gentium annus* CCCLX. *dierum. Sic civitatem, sic coelum apte describi. Numeri hujus in partes suas divisio. E senario & denario hunc annum constitui. Romanum quoque talem fuisse: a Kalendis Martiis ad Terminalia, exclusis ἐπαγομέναις, numeratum. Retinuit veterem in novo Caesar anno intercalationis locum, rem ipsam* BISSEXTUM *appellavit.*

CAP. V.

*Apud Graecos quoque idem ille* CCCLX. *dierum annus. Hoc numero Phalerei statuae. Cleobuli aenigma. Magis apud Persas. Tot Pellices Darii, & postea Alexandri. Maxime apud Aegyptios: eorum menses ἐπαγομένων μυθολογία. Rheae puerperium extra annum & mensem. Piaculum apud eosdem, intercalare: festa per totum annum circumducta.*

CAP. VI.

*Annus Aegyptiorum magnus, & triplici calculo. Sine intercalatione quadrantem diei considerari. Quot hic in anno parvo dies, tot in magno anni sunt. Menses quoque in magno magni. De anno maximo: hujus etiam hiemem & aestatem esse; ab hieme summa inundationem mundi, ab aestate conflagrationem. Lacuna in Seneca expleta.*

CAP. VII.

*Menses & Dies magni.* GODEFRIDI VENDELINI *ingenium. Diem magnum quadriennium esse: Mensem magnum, ultimum vitae humanae terminum, a Deo praefinitum. Eodem calculo & diem quarto quoque anno, & centesimo vigesimo mensem* XXX. *dierum intercalari. Usuram mensuram esse, vitam non nisi usuram.*

CAP. VIII.

*Novi Orbis Fasti. Annum Mexicanis* XVIII *mensibus distinctum fuisse, mensem diebus* XX. *Tota Anni partitio expensa. Etiam apud Barbaros hosce ἐπαγόμεναι: laterculum dierum, sed* XIII. *intercalatio: cyclus Solis, sed* LII. *annorum, saeculi loco. Mirus in eo innovando ritus.*

CAP. IX.

*Christianorum ἐπαγόμεναι. Hinc Bacchanalia nostra, ut hodie appellamus, sed Lunae ratione computata & vaga. Veram originem anno nuper* CIↃ. IↃC. XXXIV. *apparuisse. In Bissextili Juliano sex ἐπαγόμεναι. Caesaris edictum: cur Ciceroni grave. Anni Juliani elogium.*

CAP. X.

*Confusionis annus. Macrobii error. Solini hallucinatio. Dies* LXVII. *a Caesare inter Novembrem & Decembrem intercalati, sive menses duo, dies septem. Dio explicatus. Anni Romani & Juliani calculus pariatus. Decem novorum dierum distributio. Initium anni cur non a Bruma?*

CAP. XI.

*Novus sacerdotum, occiso jam Caesare, circa Bissextum error, per annos* XXXVI. *productus. Edictum Augusti. Duodecim sine intercalatione anni. Ammiani Marcellini hallucinatio. Primum Bissextum. Intercalationes vitiosae per annos & Consules computatae.*

CAP. XII.

*In Bissexto prior an posterior dies intercaletur. Iurisconsultorum veterum opinio proposita, examinata, rejecta. Pupillus quomodo Hercules. Dies Intercalaris quando in lucro. Quid sit, Dies Intercalaris proficie Tempori.*

CAP. XIII.

*Verba Celsi J.C. De extremo Februarii die, deque mense Intercalari* XXVIII. *dierum, Diem extremum, non vigesimum octavum, sed vigesimum tertium esse: mensem Intercalarem vel ad Merkedonium, qui intercalari solet, vel ad Februarium, quo intercalatur, referri posse. Cujacii ingeniosa, sed titubans interpretatio: Budaei & Alciati facilis, sed fallax. nostra nova manifestis rationibus firmata.*

CAP. XIV.

*Nundinas Romanas Bissexto etiam dirigi. Cyclus Nundinalis cum nostro Solis comparatus. Istic ogdoades dierum totidem litteris; hic heptades, totidem computari.*

CAP. XV.

*Bissextorum computatio. Christus anno natus Bissextili. In Cyclo Solis septena Bissexta: in saeculo Cycli tres, Bissexta quatuor. Totus ad facillimum & extemporale calculus compendium redactus.*

CAP. XVI.

*Manus litterata, pollice indiceque literas annorum omnium hebdomadicas tam simplicium quam bissextilium citius exhibens, quam numerans. Ordo ac digestio motuum caeli in annis; Solis, in diebus repraesentandis sequitur. Annorum alii singuli, alii decimi, alii centesimi sunt: duplici quoque modo ac methodo, sive Julianos Fastos, sive Gregorianos ineas Fastos, investigandi. Centesimi cur in simplices rursus distinguantur, & quomodo in numerato sint.*

CAP. XVII.

*Absque Cyclo litteras hebdomadicas haberi: Cyclus tamen ad manum relatus. Aliis eum in veteri Kalendario litteris, aliis in novo distingui; sed pari utrobique facilitate litteras cognosci. Indigitamenta temporis. Ad numeros Lector, ut annum sciat Cycli, remissus.*

CAP. XVIII.

*In Bissexto alia mira, alia ominosa. Ventos fere eosdem ac tempestates, quadriennio exacto, redire: foecunditatem vitium explorari. Diversum diei ac anni principium. Quadriennii religio, solennitas, superstitio, error. Dies ipse Intercalaris auspicatus, quia sextus, quia perfectus: Numeri perfecti mysterium, pretium, raritas, denique ratio Geometrica.* JO. STURMII *laus.*

CAP. XIX.

*Annus millesimus sexcentesimus trigesimus sextus peculiari ratione sextus, imo bissextilis. Curiosius & millesimus, & sexcentesimus & trigesimus, ipse denique trigesimus sextus explicatus. Mundus. τετρακτὺς Pythagorica. numerus humanus.*

# PHILIPPO IV.
## REGI CATHOLICO HISPANIARUM ET INDIARUM
# MONARCHÆ,
## ERYCIUS PUTEANUS
## D. C. Q.



*Abentis annus sæculi jam impletus trigesimus sextus suo me numero quasi admonet,* REX MAXIME, *quantum hactenus temporis in vitæ referre rationes deceat; quæ fructu rectius quam spatio expenduntur. Non igitur, quando esse inter homines cœpi, sed quando prodesse, computo: quasi amplius in annis triginta sex, quibus vixi, quam in sexaginta tribus, quibus fui, inveniam. Qui publici, proprie mei sunt: qui mei, obsequio potissimum Regio æstimandi. Hi quidem cum novo initium sæculo capiunt; tantumque est vitæ, quantum sæculi. quo ineunte, publicum Regiumque docendi scribendique munus Mediolani auspicatus sum, & Lovanii deinceps constanti labore sustinui. Quid conatus sim, varia hactenus styli monumenta testantur. Inter alia, & virili jam fœtura, Barbarorum in Italiam Irruptiones sunt, & Majestati Tuæ inscriptæ reluxerunt. Purpuram quoque nuper Austriacam Serenissimo Principi* FERDINANDO *Cardinali, qua ingenii, qua obsequii tesseram advenienti obtuli, totam in Te altero virtutem Augustissimæ familiæ & fortunam veneratus. Obsidionis demum Lovaniensis Historia, quia ad Ordines Brabantiæ ivit, a Majestate Tua nequaquam deflexit. Quartum hoc nunc igitur munus est,* DE BISSEXTO *Liber, infra magnitudinem tuam, si mole quidem sua; non infra bonitatem, si emolumento censeatur. De Die agitur, qui excrescentem anni quarta quaque periodo particulam, omnemque Romani eruditionem temporis continet, & intercalandi arcana. Argumentum ab Auctore pretium sumit: & nonne Magno?* C. JULIUS CÆSAR *est,* capace, *ut cum Plinio dicam,* omnium quæ cœlo continentur, sublimitate. *Clarior ingenio quam bello, virtutibus quam triumphis; quicquid deinceps magni, quicquid pulchri in Romuli posteritate fuit, condidit. Oppressit libertatem, sed jam senio suo laborantem: in libertate vitia, quæ servitute graviora erant. Cum, victo Pompejo, in hanc unam curam incumberet, ut Orbis Imperium beneficiis mereretur, non homines tantum, sed & tempora corrigens, Annum, vitiosa Intercalatione exorbitantem, ad lineam redegit,* BISSEXTUM *instituit, & Solem e cœlo in terram deduxit. Mysteria hæc profecto temporis sunt: sed obscurata postea, & nube nocteque Antiquitatis impedita: digna, quæ Austriaco nunc auspicio novam sideris usuram recipiant, novum sidus. At ego* FACULAM *nominare ausus sum: quæ lucere tamen non potest, nisi tuo lumine, & a Te quasi Sole accendatur. Accendatur igitur, luceat, & Diem ostendat, a quo nox omnis fugiens evanescat. Diem Unum, Bissextum, Intercalarem. Unum, reliquorum ducem & regulam: Bissextum, anni Bissextilis caussam & originem: denique Intercalarem, Fastis apud Indos adhuc laborantibus exæquandis opportunum. Hæc nova Majestati Tuæ materia gloriæ statuitur, nova velut Corona temporis, per tem-*

*pora omnia duratura. In Anno menſes, in Die horæ plenis igneiſque radiis vindicandæ ſunt. Niſi annus tuus ſit, mundus coarctabitur; niſi Dies, annus laborabit. Tanto anguſtior hominibus circuitus terrarum futurus eſt, quanto minus tempore quam imperio complecteris. Vale, vive,* REX MAXIME, *& hoſtes ubique vince, virtute, fortuna, gloria: ſubditos ubique bea, pace, otio, ubertate.*

---

AD AMPLISS. ET CLARISS. V.

# ERYCIUM PUTEANUM,

CONSILIARIUM ET HISTORIOGRAPHUM R.

*DE*

# BISSEXTO

## NOVAM TEMPORIS FACULAM

*EDENTEM.*



HActenus humanæ Te terrenæque ſorores,
Quas regit e cerebro nata Minerva Jovis:
Regnorum Hiſtoriæ, monumenta volubilis ævi,
Vertere perpetuo quæ ſolet orbe dea:
Et priſci ritus primequæ arcana Suadæ,
Quæ tabulis paſſim ſunt adaperta tuis;
In terris, & humi, tantum ſi dicere fas ſit,
Detinuere equidem ſat, PUTEANE, diu.
Nunc juvat in cœlos ſemel exerrare patentes,
Ingeniique aura liberiore frui.
Ea menſum Solis Majores ire meatus,
Lunaque quam vario limite cingat humum.
Pandere BISSEXTI quoque tot myſteria, Phœbi
Quæ lumen tenebris occuluere novis.
Quæque Dies INTER fuerit lex certa CALANDI,
Aut quis in Auguſtum venerit error opus.
Et veluti magnis agitatur legibus Orbis,
Quem videt in poſitum vertice quiſque ſuo;
Curriculo, ſpatiiſque datis frenare vagantem,
Unus ut in terris qui ſit in axe dies.
Hæc Tibi debebunt ſeri, PUTEANE, nepotes,
Et referent: Cœlo mens ea nata fuit.


F. JO. RIVIUS,

*Ord. Eremit. S. Auguſtini, S. Scripturæ Lovanii Profeſſor.*

# ERYCII PUTEANI
## DE
# BISSEXTO
## LIBER,
## NOVA TEMPORIS FACULA,
## QUA
## INTERCALANDI ARCANA, HACTENUS OBSCURA,
## ILLUSTRANTUR.

### CAPUT I.

*Operis designatio. Annorum annus* BISSEXTILIS*: a Cæsare ordinatus: errore exiguo, beneficio magno. Diem, sed* BISSEXTUM, *& formam & faculam anni esse; annum diei.*



NON statim omnia, quæ situ pulchra, usu necessaria sunt, aut hominis ingenio, aut artis compendio perfici, tarda ubique rerum ac scientiarum maturitas ostendit. Tempore opus, ut vel ipsum, in quo sunt omnia, Tempus cognoscatur; annis multis, ut unus præcipue, quem INTERCALAREM Plinius, passim omnes BISSEXTILEM appellant. Hunc ne quidem scire totum potuit, qui instituit: vel ideo, quia instituit: unus instar omnium, C. JULIUS CÆSAR, naturæ quodammodo modum *capace omnium quæ cœlo continentur sublimitate*, ut cum Plinio dicam, excedens. Homo tamen fuit, errare potuit: magis etiam, cum Fastos, quam cum Rempublicam ordinaret. Etenim anni vitia Romani nova intercalandi ratione correcturus, commisit ipse, vel certe neglexit, quod a posteris tandem esset corrigendum. Excessus fuit temporis, sed exiguus, undecim quotannis in Solis periodo definienda quasi scrupulorum; notari cœptus, postquam cumulatus error, relictis a tergo Solstitiis Æquinoctiisque, ad plures etiam dies computationem protrusit. Sed tanti erat, errasse Cæsarem; ut emendata nihilominus apud Rerum Dominos, & sic apud reliquos fere mortales, ratione temporum, DIES INTERCALARIS, sive BISSEXTUS, & ex eo ANNUS BISSEXTILIS nasceretur, nomine, numero, ritu, & occulta naturæ vi tantum non religiosus. Magna quippe temporis pars hic annus est, magna anni hic dies: quem utrumque ut illustrem & explicem, suis adhuc tenebris involutum, novam accensam FACULAM eo, cum fructu, ut spero, publico, aliquid, intercalati, ut sic appellem, temporis, certes subsecivi, occupaturus. Sane, ut diem intelligas, annus examinandus est; ut annum, dies. uterque utriusque caussa, origo, forma est; mensura, modus, meta. Ex anno dies, ex die vicissim annus lucem, quam promitto, ac splendorem accipient.

### CAP. II.

*Annus duplex, Solis & Lunæ: hic Romanus olim, sed diebus* CCCLV *superstitione imparis numeri computatus. Initium a Martio. Mensis Intercalarius inter Terminalia & Regifugium. Deus Terminus finis anni. Quinque extra annum dies, & tanquam non dies, consumi soliti. Livius correctus, Varro explicatus. Origo intercalandi.*

ANnum Antiquitas ut Lunæ aptaret, diebus trecentis quinquaginta quatuor; ut Soli, trecentis sexaginta quinque, & quadrante descripsit; in tot utrumque menses divisum, *quoties Solem*, ut Plinii verbis utar, *ad principia sua redeuntem Luna consequitur*. Minore quidem Romani, quamdiu libertatem, corrupta jam Republica, tenuerunt, usi sunt, sed dierum trecentorum quinguaginta quinque; addito e superstitione die, ut impar numerus esset, & felicitatis omen adferret. Testem Censorinum dabo, luculentæ doctrinæ Scriptorem aureo de die Natali libello: *Sive a Numa, ut ait Fulvius, sive, ut Junius, a Tarquinio duodecim facti sunt menses, & dies trecenti quinquaginta quinque; quamvis Luna duodecim suis mensibus trecentos quinquaginta quatuor dies videatur explere. Sed ut unus dies abundaret, aut per imprudentiam accidit, aut, quod magis credo, ea superstitione, qua impar numerus plenus & magis faustus habebatur*. Pythagoram hic notari, satis Solinus indicat cap. III. sed annum Solis qua nescio hallucinatione describens: *Quadrantem illum & decem dies addiderunt, ut ad liquidum annus trecentis sexaginta quinque diebus & quadrante constaret, hortante observatione imparis numeri, quem Py-*

*thagoras monuit præponi in omnibus oportere*. Pythagoræ enim, ejusque Sectatoribus, numerus impar mas erat, par femina; qui ex utroque compositus, ἀῤῥενόθηλυς, *viro-femina*. Item, impar dexter, par finister: ideoque templa ingredi per loca dextera oportere, egredi per finistra. Imo impar vivorum, par mortuorum: ille Dis Superis adscriptus, hic Inferis; quemadmodum Poeta intelligendus:

—— *Numero Deus impare gaudet*.

Ut omnia dicam, cum Plinio dicam lib. XXXVIII. cap. II. *Impares numeros ad omnia vehementiores credimus: idque in febribus dierum observatione intelligitur*. Cum Festo quoque: *Imparem numerum Antiqui hominibus prosperiorem esse crediderunt*. Non frustra igitur, ut ad annum redeam, Macrobius lib. Saturnal. cap. XIII. *Numa in honorem imparis numeri, secretum hoc & ante Pythagoram parturiente natura, unum adjecit diem, quem Januario dedit; ut tam in anno, quam in mensibus singulis, præter unum Februarium, impar numerus servaretur*. Initium a Martio.

*Martis erat primus mensis, Venerisque secundus*.

quem honorem Romulus Genitori suo tribuit; vel morem potius Latii secutus est. Hanc etiam ob caussam Quinctilis, cæterique a numero menses nominati. Festus: *Martius mensis initium anni fuit, & in Latio, & post Romam conditam: eo quod gens erat bellicosissima. Cujus rei testimonium est, quod posteriores menses, qui annum finiunt, a numero appellati ultimum habent Decembrem*. Eadem, & plura Macrobius lib. I. Saturnal. cap. XII. de Romulo: *Primum anni mensem Genitori suo Marti dicavit. quem mensem anni primum fuisse vel ex hoc maxime probatur, quod ab ipso Quinctilis quinctus est, & deinceps pro numero nominabantur*. Adjungit, *hujus etiam prima die ignem novum Vestæ aris accendi solitum; ut incipiente anno cura denuo novati ignis servandi inciperet. In regia curiisque atque flaminum domibus laureas veteres novis mutari. Publice privatimque hoc mense ad Annam Perennam sacrificatum iri, ut annare perennareque commode liceret*. Hæc fere ex Solino. Sed ut Lunæ ratio (quod omnes conatæ gentes) cum Sole congrueret, undecim dierum defectum mense Romani Intercalario supplevere. Itaque alternis annis nunc viginti duo dies, nunc viginti tres inserti: qui menses ἐμβόλιμοι erant, *Mercedini*, vel *Mercedonii*: an fortassis *Intercidini*? Hadrianus enim Junius, diligens rarioris doctrinæ observator, de Anno & Mensibus scribens, μερκηδίνον, ut est apud Plutarchum in Numa & Cæsare, in ἰντερκιδίνον commutavit. Dies quidem fuisse nonnullos, qui *Mercedini*, sive *Mercedonii* appellarentur, e Veteri Kalendario scimus, prid. Eid. Julii, ac deinceps, ipsis Eidibus, XVII. XVI. XV. XIV. Kal. Aug.

C C MERK.
D EID NP MERK.
E F MERK.
F C MERK.
G C MERK.
H LUCAR NP MERK.

Item XII. XI. X. IX. Kal. Octob.

G C MERK.
H C MERK.
A C MERK.
B NP MERK.

Denique XIV. XIII. XII. Kal. Decemb.

B C MERK.
C C MERK.
D C MERK.

Festi quoque verba huc faciunt: *Merkedonias (dies) dixerunt, a mercede solvenda*. Hæc autem Intercalatio mense facta Februario, quia ultimo, inter Terminalia & Regifugium, post VII. Kalendarum Martii. Diserte Censorinus: *Cum Intercalarium mensem viginti duorum, vel viginti trium dierum alternis annis addi placuisset, ut civilis annus ad naturalem exæquarentur; in mense potissimum Februario, inter Terminalia & Regifugium, intercalatum est*. Terminus enim, ut rerum omnium, ita & anni meta erat; non agrorum tantum, sed dierum quoque & mensium finis, quadam quasi religione constitutus. Festum, Terminalia, & in septimum Kalendarum Martii incidebat, quo annus ille civilis claudebatur. Sic Varro lib. V. de lingua Latina: *Terminalia, quod is dies anni extremus constitutus. Duodecimus enim mensis fuit Februarius: & cum intercalatur, inferiores quinque dies duodecimo demuntur mense*. Accedit Macrobius lib. I. Saturnal. cap. XIII. & quid sit *diem dies* explicat: *Omni autem intercalationi Februarius deputatus est, quoniam is ultimus anni erat*. Mox: *Romani non confecto Februario, sed post vicesimum tertium diem ejus intercalabant, Terminalibus scilicet jam peractis. Deinde reliquos Februarii mensis dies, qui erant quinque, post Intercalationem subjungebant*. Distincte, *dies quinque*, & *post Intercalationem*; ut præcessisse mensem adoptivum videas, inter Terminalia & Regifugium adscitum. Sed an constanti tamen lege ac ritu? Abire Livius videtur lib. XLIII. *Hoc anno intercalatum est. Tertio die post Terminalia Kalendæ Intercalares fuere. Tertio die*? Equidem existimo, verbum potius in Livio, quam tempus in Intercalatione mutatum. Forte Librarius *postriduo* pro *postridie* legerit: unde natum sit, *triduo*, vel *tertio die post*. Vere igitur lib. XLVI. *Intercalatum est eo anno, postridie Terminalia*. At Varro de re Rustica, cap. CL. Kalendas Majas videtur assignare: *Si intercalatum erit Kal. Maiis, agnos XXX. ne amplius promittat*. Sed videtur: sola hic enim distinctione locus lucem capit. Prorsus, non ad Intercalationem Kalendæ Majæ, sed ad agnos referendæ sunt: *Si intercalatum erit, Kal. Maiis*, &c. Quippe si intercalatum non erit, *Kalendis Juniis* (Varronis hæc quoque sunt) *emptor fructu decedet*. Ad quinque dies redeo. Erant illi, tanquam non essent, quia extra anni metas: & Ægyptiorum more (de quo dicturus sum) per lusum & luxum, lasciviam & vitulationem consumi soliti: quasi & Romæ ἐπαγόμεναι celebrarentur. Sed ad originem intercalandi quod attinet, idem Macrobius scribit, fuisse, qui ad Romulum referrent, qui ad Numam (quemadmodum & Cicero lib. II. de Legibus) qui ad Servium, qui ad Decemviros, denique, qui ad Manium Consulem, annumque Urbis ІↃLXII. Fuit hic Manius Acilius Glabrio, & collegam Scipionem Nasicam habuit.

## CAP. III.

*Ratio intercalandi ad Pontifices translata, & mox corrupta. Mensis Intercalaris duplex: alter XXII. alter XXIII. dierum, & alternis annis. Utriusque caussa, modus, usus. Annus Ennianus dierum*

CCCLVI.

CCCLVI. *Ennio lux. Intercalatio Græcorum, & quatenus ab ea Romani abirent.*

JAm in uſu apud Romanos menſis intercalarius erat; ac deprehendi cœpit, annum civilem aliquanto naturali majorem eſſe. Quod vitium, ſcribente Cenſorino, *ut corrigeretur, Pontificibus datum eſt negotium, eorumque arbitrio intercalandi ratio permiſſa.* Quid factum? *Horum plerique ob odium vel gratiam, quo quis magiſtratu citius abiret, diutiusve fungeretur, aut publici redemptor ex anni magnitudine in lucro damnove eſſet, plus minuſve ex libidine intercalando, rem ſibi ad corrigendum mandatam ultro depravarunt.* Breviter Solinus: *Sacerdotes plerumque gratificantes rationibus publicanorum, pro libidine ſua ſubtrahebant tempora, vel augebant.* Et Ammianus Marcellinus lib. XXVI. iiſdem pæne verbis: *Sacerdotes gratificantes publicanorum, vel litigantium commodis, ad arbitrium ſuum detrahebant tempora, vel augebant.* Mantiſſam Macrobius adjiciat lib. I. Sat. cap. XIV. *Nonnunquam vero per gratiam ſacerdotum, qui publicanis proferri vel imminui conſulto anni dies volebant, modo auctio, modo retractio dierum proveniebat: & ſub ſpecie obſervationis emergebat major confuſionis occaſio.* Cæſare opus erat, ut tandem confuſio tolleretur temporum, annuſque ad ſidera exactus, certa lege ac ratione decurreret. Quid etiam? Sole opus erat, ne luxata a Sacerdotibus intercalatio, majore etiam errore deinceps titubaret. Lunæ interim annus alio alioque calculo ſtetit, alterno nunc viginti duorum, ut dixi, nunc viginti trium dierum ſupplemento ad regulam Solis exæquatus. Si prior accederet numerus, a trecentis quinquaginta quinque, ad dies annus aſſurgebat trecentos ſeptuaginta ſeptem; ſi poſterior, ad trecentos ſeptuaginta octo. Sic biennia ſingula alterno incremento, nunc diebus ſeptingentis triginta duobus, nunc ſeptingentis triginta tribus computata. Ad ſchema venio, & numeris potius quam verbis ago, ut quæ adhuc dicenda ſunt, compendio ac ſynopſi repræſentem. Vide igitur, quæ legere fortaſſis longum ſit, & in annis viginti quatuor bis ſena biennia diſtingue; imo in duodecim bis terna, ut bis ſena conficias quæ periodus Numæ erat. Livius lib. I. *Intercalares menſes interponendo ita diſpenſavit, ut vigeſimo quarto quoque anno ad metam eandem Solis, unde orſi eſſent, plenis annorum omnium ſpatiis dies congruerent.*

| Anni. | menſ. int. | Dies. | Biennia. | Anni. |
|---|---|---|---|---|
| I.<br>II. | 22. | 355.<br>377. | 732. | XIII.<br>XIV. |
| III.<br>IV. | 23. | 355.<br>368. | 733. | XV.<br>XVI. |
| V.<br>VI. | 22. | 355.<br>377. | 732. | XVII.<br>XVIII. |
| VII.<br>VIII. | 23. | 355.<br>378. | 733. | XIX.<br>XX. |
| IX.<br>X. | 22. | 355.<br>377. | 732. | XXI.<br>XXII. |
| XI.<br>XII. | 23. | 355.<br>378. | 733. | XXIII.<br>XXIV. |

Anni hic impares trecentorum quinquaginta quinque dierum ſunt: pares, alterna intercalatione, nunc trecentorum ſeptuaginta ſeptem, nunc trecentorum ſeptuaginta octo. Biennia etiam ſingula alterno incremento vel ad dies aſſurgunt ſeptingentos triginta duos, vel ad ſeptingentos triginta tres. Sena igitur biennia minora dies continent 4392: majora, 4378: juncta 8790; qui ſunt anni Solares viginti quatuor Enniani. Ennius enim apud Cenſorinum, ut biennium Romanorum plene exprimeret, annos ſingulos diebus definivit trecentis ſexaginta ſex. Hic numerus bis acceptus, dies reddit 732: totidem primum biennium, ac deinceps impari loco ſumptum; qui dies e 355. & 377. junctis conflantur. Ergo quemadmodum Græci, ita & Romani annum Lunarem ad Solarem revocare conati ſunt. Illi quidem octavo quoque anno nonaginta dies in ternos menſes diſtributos intercalabant, ſcribente Macrobio lib. I. Saturnal. cap. XIII. *Græci, cum animadverterent, temere ſe trecentis quinquaginta quatuor diebus ordinaſſe annum (quoniam appareret de Solis curſu, qui trecentis ſexaginta quinque diebus & quadrante zodiacum conficit, deeſſe anno ſuo undecim dies & quadrantem) intercalares ſtata ratione commenti ſunt; ita ut octavo quoque anno nonaginta dies, ex quibus tres menſes tricenum dierum compoſuerunt, intercalarent. Id Græci fecerunt, quoniam erat operoſum atque difficile omnibus annis undecim dies & quadrantem intercalare. Itaque maluerunt hunc numerum octies multiplicare, & nonaginta dies, qui naſcuntur, ſi quadrans cum diebus undecim octies componatur, inſerere, in tres menſes diſtribuendos. Hos dies ὑπερβαίνοντας, menſes vero ἐμβολίμους appellabant.* Habebat igitur ultimus annus dies quadringentos quadraginta quatuor, e trecentis quinquaginta quatuor, & nonaginta conflatos. Videndus & Solinus, qui *dies octies multiplicatos in nonum annum conſervatos* ſcribit. Romani vero, de quibus ago, alternis maluerunt annis binos & vicenos dies; alternis ternos & vicenos addere, ut e diebus octies mille ſeptingentis nonaginta, anni viginti quatuor, ut ſupputavi, naſcerentur. Adjungenda his, quæ præterire Macrobius noluit, loco ſignato: *Hunc ergo ordinem* (Græcorum) *Romanis quoque imitari placuit. Sed fruſtra; quippe fugit eos, unum diem additum eſſe ad Græcum numerum* (trecentorum quinquaginta quatuor) *in honorem imparis numeri. Ea re per octennium convenire numerus atque ordo non poterat. Sed nondum hoc errore comperto, per octo annos nonaginta quaſi ſuperfundendos Græcorum exemplo computabant dies: alterniſque annis binos & vicenos, alternis ternos & vicenos intercalares expenſabant, intercalationibus quatuor. Sed octavo quoque anno octo affluebant dies ex ſingulis* (quia trecenti quinquaginta quinque, non quatuor computati) *quibus vertentis anni numerum apud Romanos ſupra Græcum abundaſſe jam diximus. Hoc quoque errore jam cognito, hæc ſpecies emendationis inducta eſt. Tertio quoque octennio ita intercalandos diſpenſabant dies, ut non nonaginta, ſed ſexaginta ſex intercalarent, compenſatis viginti quatuor diebus, pro illis, qui per totidem annos ſupra Græcorum numerum creverant.*

## CAP. IV.

*Gentium annus* CCCLX. *dierum. Sic civitatem, ſic cœlum apte deſcribi. Numeri hujus in partes ſuas diviſio. E ſenario & denario hunc annum conſtitui. Romanum quoque talem fuiſſe: a Kalendis Martiis ad Terminalia, excluſis ἐπαγομέναις, na-*

*meratum. Retinuit veterem in novo Cæsar anno intercalationis locum, rem ipsam* BISSEXTUM *appellavit.*

INtercalationum hæ ambages sunt, quibus verus ac naturalis apud Romanos, Græcos, alios, annus olim quæsitus. Civilem interim ad mysticam supputandi rationem pleraque Antiquitas revocavit, contractiore dierum numero, ampliore usu. Annus, inquam, velut Circulus (quod sonat) & constitutus, & divisus est; ut eadem temporis & cœli ratio esset; totque ille diebus, quot hic partibus absolveretur, trecentis nimirum sexaginta. Hic ille numerus est, etiam Reipublicæ regendæ, imo erigendæ accommodatus, quemadmodum Plato l. VI. de Legibus scribit: Βουλὴν εἶναι μὲν τριάκοντα δωδεκάδας. *Consilium triginta constare duodenariis.* Addit enim: *e trecentis sexaginta viris ejusmodi distributionem rite constitui.* Præterea: Μέρη δὲ διανείμαντας τέτταρα κατ᾽ ἐνενήκοντα τὸν ἀριθμόν. *In quatuor hunc numerum partes nonagenarias dispesci.* Nimirum, ut ratione census, quatuor Consiliariorum classes essent, in singulis vero nonaginta. Cæli ecce imaginem civitas Platonica habet; totumque Curia annum, quia Zodiacum, exprimit, in signa duodecim, partes vero sive μοίρας trecentas sexaginta distributum. Sic etiam cum signis menses, cum partibus dies exæquandi erant, ne vacillarent: Annus, inquam, cum cælo; ut dies partes fierent, menses signa. Nullus sane numerus, quod notandum est, cælo, nullus anno aptior erat; nullus, qui in plures, sed æquales posset partes dividi; nullus, qui cœlo dignior erat, & ad annum veniret. Si originem spectes, cum ipso videtur cœlo & anno natus esse: si usum, certe primus est, singularis, unus. Quod dico, ostendo. E trecenis sexagenis 180. sume, partem dimidiam constitues: 120. tertiam: 90. quartam: 72. quinctam: 60. sextam: 45. octavam: 40. nonam: 36. decimam: 30 duodecimam: 24. decimam quinctam: 20. decimam octavam. Contra, sume 18. partem constitues vigesimam: 15. vigesimam quartam: 12. trigesimam: 10. trigesimam sextam: 9. quadragesimam: 8. quadragesimam quinctam: 6. sexagesimam: 5. septuagesimam secundam: 4. nonagesimam: 3. trecentesimam vigesimam: 2. centesimam octogesimam: denique 1. trecentesimam sexagesimam. Sic igitur dividi circulus potest: sic annus, quia circulus est, quia cœli terræque partes accepit, trecentis sexaginta diebus usu civili computatus, Hunc etiam agnoscunt numerum, qui annos mundi primævos, ut est apud D. Augustinum, lib. XV. de Civitate Dei cap. XII. diebus triginta sex definiunt, e senario quadrato eductos. Triginta vero sex dies decies sumpti, trecentos sexaginta componunt. Etenim ut rotundus annus esset, duodecim menses Lunares tricenorum dierum placuere. Dies autem triginta duodecies sumpti, quemadmodum triginta sex decies tre sexaginta reddunt. Verba Augustini sunt: *Unum annum, qualem nunc habemus, in decem partes illi dividebant, & easdem partes annos vocabant. Quarum partium habet unaquæque quadratum senarium; eo quod Deus sex diebus perfecerit opera sua, ut in septimo requiesceret. Sexies autem seni, qui numerus quadratum senarium facit, triginta sex dies fiunt: qui multiplicati decies, ad trecentos sexaginta perveniunt, id est, duodecim menses Lunares.* Quid deinde? *Propter quinque dies reliquos, quibus solaris annus impletur, & diei quadrantem, propter quem quater ductum eo anno, quo* BISSEXTUM *vocant, unus dies adjicitur; addebantur a veteribus postea dies, ut cocurreret numerus annorum: quos dies Romani Intercalares vocabant.* Initium vero anni, ut monui, Martiali placuit genti, quod a Marte & Martio sumitur: finis, qui cum Termino Deo desinit, & septimum Kalendarum Martii occupat. Kalendarium vetus Romæ, ad VII. Kal. Martias: F. TER. NP. Imo hic dies accepit Terminum, quia ultimus erat; & amavit hunc diem Deus, quia suum, ut qui finis rerum esset omnium, anni quoque fieret, & reliqua anni festa suo terminaret. Ad rem Ovidius lib. II. Fastorum:

*Qui sequitur Janum, veteris fuit ultimus anni;*
*Tu quoque sacrorum, Termine, finis eras.*

Hæc igitur Terminalia sunt, annumque claudunt, sed trecentis sexaginta diebus computatum. A Kalendis enim Martiis si numerum ineas, trecentesimus sexagesimus, septimum Kalendarum Martii, sive Terminalia occupabit. Quemadmodum vero inter hunc diem & Regifugium (id enim sequebatur) intercalari mensis olim solet, quem Merkedonium esse dixi; ita postea dies, anno jam Soli congruente, e quater senis horis, toto quadriennio collectus. Quippe *C. Cæsar Pontifex Maximus* (Censorini verba sunt) *Intercalario mense sublato, annum Civilem ad Solis cursum formavit.* Paucis de hac constitutione interjectis: *Præterea pro quadrante diei, qui annum verum suppleturus videbatur, instituit, ut peracto quadriennii circuitu, dies unus, ibi mensis quondam solebat, post Terminalia intercalaretur: quod nunc* BISSEXTUM *vocatur.* Eadem fere apud Macrobium lib. I. Saturnal. cap. XIV. *Cæsar, ne quadrans deesset, statuit, ut quarto quoque anno Sacerdotes, qui curabant mensibus ac diebus, unum intercalarent diem: eo scilicet mense, ac loco, quo etiam apud veteres intercalabatur, id est, ante quinque ultimos Februarii mensis dies: idque* BISSEXTUM *censuit nominandum.*

## CAP. V.

*Apud Græcos quoque idem ille* CCCLX. *dierum annus. Hoc numero Phalerei statuæ. Cleobuli ænigma. Magi apud Persas. Tot Pellices Darii, & postea Alexandri. Maxime apud Ægyptios: eorum menses: ἐπαγομένων μυθολογία. Rheæ puerperium extra annum & mensem. Piaculum apud eosdem, intercalare: festa per totum annum circumducta.*

BEne est, aliquid hactenus lucis anno ab intercalatione, & intercalationi ab anno. Hanc enim post septimum Kalendarum Martii, inter Terminalia & Regifugium usurpatam fuisse, quod mirum erat: illum vero eodem die terminatum, mense non completo, sed abrupto, quod obscurum, ostendi; terminari autem non potuisse, nisi trecentis sexaginta diebus contraheretur. Sic Romani, & quid nisi exemplo aliarum gentium? Græcos quidem hoc numero usos, apud Nonium Varro insinuat: *Demetrius tot statuas est nactus* (ita enim hic locus legendus) *quot luces habet annus absolutus.* Nactum autem fuisse trecentas sexaginta, manifesto Plinii testimonio discimus l. XXXIV. c. VI. *Nulli arbitror plures statuas dicatas, quam Demetrio Phalereo Athenis. Siquidem* CCCLX. *statuere: quas mox laceraverunt, nondum anno hunc numerum dierum excedente.* Lucem hinc jam locus Apocalypseos capite XII. de muliere, in solitudine diebus pasta CIↃ. CC. LX. accipiet, in quo hactenus Interpretes laborant: *Et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum a Deo, ut ibi pascat eam diebus mille ducentis sexaginta.* Annos tres cum dimi-

dio comprehendi, manifestum eſt: Annos autem Tempora, ut ſæpius in Sacris Litteris, appellare. Mox: *Et datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in deſertum, in locum ſuum, ubi alitur per Tempus, & Tempora, & dimidium Temporis.* Sed cujuſmodi hæc Tempora, hi Anni ſunt, diſputatur. Tropicos Solares capies? Dies exſurgent (ut horas prætercam) CIϽ CC. LXXVII. Lunares? Dies tantummodo CIϽ CC. XXXIX. Confer CIϽ CC. LX. iſthic exceſſus erit dierum XVII. hic defectus XXI. Quid igitur? plana omnino ratio erit, ſi Tempus, ſive Annum, diebus CCC. LX. definies. Ita enim Tempora (duo intelligenda ſunt) dies habebunt IϽCC. XX. Dimidium Temporis, CLXXX. Junge Tempus, & Tempora, & dimidium Temporis, dies illos CIϽ CC. LX. conficies. Totidem etiam diebus prophetare teſtes ſuos Deus voluit, cap. XI. *Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis.* Ad calculum pari ratione & menſes XLII. veniunt. Ibidem: *Et Civitatem ſanctam calcabunt Menſibus quadraginta duobus.* Etenim quando Annus dierum eſt CCC. LX. Menſes tricenis ſinguli abſolvuntur. Sed Menſes quadraginta duo ſi tricies ſumantur, Dies quoque CIϽ CC. LX. exſurgunt. Vides Dies, vides Menſes, vides Tempora, his omnibus Annus ille Civilis dierum CCC. LX. a Sacro Myſteriorum Scriptore notatus eſt. Amœnitatis cauſſa ænigma Cleobuli adjungo:

*Εἷς ὁ πατὴρ, παῖδες δὲ δυώδεκα, τῶν δὲ ἑκάστῳ*
*Παῖδες τριήκοντα διάνδιχα εἶδος ἔχουσαι.*
*Αἱ μὲν λευκαὶ ἔασιν ἰδεῖν, αἱ δ' αὖτε μέλαιναι.*
*Ἀθάνατοι δέ τε οὖσαι, ἀποφθινύθουσιν ἅπασαι.*

*Eſt unus genitor, bis ſeni pignora nati:*
*His quoque triginta natæ, ſed diſpare forma.*
*Namque nivem pars una refert, pars fuſca colore eſt:*
*Sunt immortales omnes, moriuntur & omnes.*

Annum vides, Menſes, Dies denique; ſed Civiles, qui & Noctes includunt. Novi hi quotidie ſunt, & nos quoque novos a ſomno facimus; tanquam novam quotidie vitam vigiliamque auſpicemur. Perſis quoque hunc annum obſervatum fuiſſe, numerus pellicum indicat, quæ Dario, ac poſtea Alexandro in deliciis, anno ad voluptatem computato. De Dario Curtius lib. III: *Tum pellices Regiæ trecentæ & ſexaginta vehebantur, & ipſæ regali cultu ornatuque.* De Alexandro idem Curtius lib. VI. *Pellices trecentæ & ſexaginta, totidem quot Darii fuerant, Regiam implebant, quas ſpadonum greges ſequebantur.* Cæterum Perſis in trecentos ſexaginta quinque dies deſcriptum eſſe annum, ut quadrantem prætercam, ex eodem Curtio lib. III. ſcimus: *Magos trecenti & ſexaginta quinque juvenes ſequebantur, puniceis amiculis velati, diebus totius anni pares numero: quippe Perſis quoque in totidem dies deſcriptus eſt annus.* Ad Ægyptios venio; qui ut ſapientiſſimi fuere, ita temporis non periti tantum, ſed religioſi. Annum his computatum *menſibus duodecim τριακονθημέροις*, ſive *tricenum dierum*, Strabo ſcribit lib. XVII. qui dies ſunt trecenti ſexaginta: *Quinos vero quotannis adjectos. Præterea quadrantis incrementum in novam anni formam, die circumducto, exuberaſſe.* Cum igitur ordinarent tempora, quæ occupaturi eſſent, dies aliquot perire quotannis voluerunt. Quippe *ἐπαγόμεναι*, tanquam temporis extorres, imo tanquam non eſſent, habitæ; adeoque & ab anno remotæ, quamvis menſem complerent; & a menſe, quamvis his opus eſſet, ut ad novum annum veniretur. Breviter, dies non dies erant, quia *ἐπαγόμεναι*:

A ſic inſtitutæ aliquando, ut procul laboribus, negotiis, curis, lætæ, feſtæ, feriæ fierent; ſic uſurpatæ deinceps, ut in voluptates, ſordes, fæces deficerent, a ſapientia ad ſtultitiam traducerentur. Fuit igitur Civilis Ægyptiorum annus dierum trecentorum ſexaginta; menſes duodecim, tricenis ſinguli numerati. *Θὼθ, παωφὶ, ἀθὺρ, χοιὰκ, τυβὶ, μεχεὶρ, φαμενὼθ, φαρμουθὶ, παχὼν, παϋνὶ, ἐπιφὶ, μεσωρί·* quæ nomina a Diis, aut Regibus ſumpta, in appellationem quoque privatorum populo placuere. Hinc enim *Pabnutii* poſtea, a *παωφὶ*; *Pachonii* a *παχὼν*, alii ab aliis. Sed principium a Mercurio, qui Ægyptiis *Θωθ* erat, quemadmo-
B dum inter alios & Cicero ſcribit lib. III. de Natura Deorum; *Hunc* (Mercurium Argicidam) *Ægyptii Thoth appellant; eodemque nomine anni primus menſis apud eos vocatur.* Hoc illud vocabulum eſt, quod Martianus Capella lib. II. de Nuptiis Mercurii & Philologiæ, *naſcenti Mercurio ab ipſo Jove ſiderea nuncupatione compactum, ac per ſola Ægyptiorum commenta vulgatum* ſcribit. *Θὼθ*, inquam, eſt, vel potius *Θωὺθ*, quatuor elementis; ut Ternarius, qui numerus eſt nominis, e CIϽ CC. XVIII. ſed ſubductis non ſine myſterio Novenariis, conſtituatur. Θ enim primo & ultimo loco IX. denotat: Ω, quæ cubica eſt, IϽCCC. Ogdoas enim primus
C cubus: Υ, quæ a Pythagora nomen capit, CCCC. Verba adhuc Martiani ſunt, ſed a magni & ingenii & doctrinæ Viro Hugone Grotio emendata, ſic nunc magis intelligenda: *Cyllenii vocabulum in digitos calculumque diſtribuit* (Philologia) *ex quo finalem utrimque litteram ſumit, quæ numeri primum perfectumque terminum claudit. Dehinc illud quod in fanis omnibus ac domibus ſoliditate mortalitatis cubica adoratur. Litteram quoque, quam bivium mortalitatis aſſerere prudens Samius exiſtimavit, loco proximo ſumit: ac ſic mille ducenti decem & octo numeri effulſerunt, quos per novenariam regulam* (Magorum hæc doctrina erat) *diſtribuens, minuenſ-*
D *que per monades decadibus ſubrogatas, in Tertium numerum perita reſtrinxit.* Hoc igitur modo Ternarius Mercurii numerus eſt, illius, inquam, qui Ægyptiis *Θωὺθ* nuncupatur. Hierophantæ quidem, ut ad Solem calculos redigerent, diebus trecentis ſexaginta addi quinque voluere, ſed extra anni terminum limiteſque menſium habendos. Origo rei, ut ſanctior eſſet & inter myſteria, fabulæ involucro adumbrata eſt. Solem ajunt, ut eſt apud Plutarchum de Iſide & Oſiride, Rheæ, e Saturno gravidæ, ac deprehenſæ, diras imprecatum, *μήτε μηνὶ, μήτε ἐνιαυτῷ τεκεῖν, ut neque in menſe, ne-*
E *que in anno pareret.* Prorſus, ne pareret, die pariendi ſublato. Non aliena ſanctiſſimi ſapientiſſimique Jobi imprecatio, qua ſuum ipſius natalem mœſtis proſcribit verbis, & e natura ejicit, capite III. *Pereat dies, in qua natus ſum; & nox, in qua dictum eſt, Conceptus eſt homo.* Inter alia deinde: *Non computetur in diebus anni, nec numeretur in menſibus.* Quid porro fabula? Mercurium ejuſdem Rheæ amore captum, alterum concubitu velut Saturnum fuiſſe. Hunc deinde alea cum Luna ludentem, ac victorem, ſeptuageſimam ſecundam diei cujuſque partem abſtuliſſe. Ergo quinque omnino inde dies confectos eſſe, quibus uterum Rhea deponeret, Nataleſque Deorum Ægy-
F ptiorum celebratos. Primo autem die in lucem editum Oſirin, ſecundo Arverin, tertio Typhonem, quarto Iſidem, quincto Nephthen. Patrem Oſiridis & Arveris fuiſſe Solem, Typhonis & Nephthes Saturnum, Iſidis Mercurium: quæ omnia myſteriis plena ſunt. Annus ſic quidem *ἐπαγομέναις* ſuis, diebus non ſuis, completus eſt, cum pari religione quadrans negligeretur. Neglectus autem, ut novo & magno temporis arcano Annus

ille *magnus* Ægyptiorum, ille κυνικὸς, ille ἡλιακὸς, imo ille θεοῦ conderetur. Sane Reges suos, solenniter inaugurandos, Hierophantæ obstringebant, ne veterem anni formam nova intercalatione perturbarent. Scholiastæ verba ad Germanici Aratea hic repetenda, in Olympiadibus meis annotata: *Deducitur autem Rex a Sacerdote Isidis in locum qui vocatur Adytos, & jurejurando adigitur, neque mensem, neque diem intercalandum, quem in festum diem immutarent; sed trecentos sexaginta quinque dies peracturos, sicut institutum est ab antiquis.* Hoc defectu (an defectu?) quia quadriennium unum uno die minus erat, aliud annus principium, reducto termino, capiebat & se totum totus retrorsum tandem emetiebatur. Nullus igitur toto spatio dies erat, qui non aliquando principium fieret. Tot omnino principia, quot dies; tot quadriennia, quot principia numerata. Hanc unam potissimum ob caussam, ut si vagus annus esset, festa quoque fierent & peculiari per omnes tempestates religione circumducerentur. Videndus est Geminus in Isagoge, cujus pauca verba, hujus potissimum argumenti, excerpo: Οἱ μὲν Αἰγύπτιοι θέλουσι τὰς θυσίας τοῖς θεοῖς μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν τοῦ ἐνιαυτοῦ γίνεσθαι, ἀλλὰ διὰ πασῶν τῶν τοῦ ἐνιαυτοῦ ὡρῶν διελθεῖν, καὶ γίνεσθαι τὴν θερινὴν ἑορτὴν, καὶ χειμερινὴν, καὶ φθινοπωρινὴν, καὶ ἐαρινήν. *Ægyptii quidem* (contra quam Græci) *sacrificia volunt Diis fieri, non secundum idem tempus anni, sed per omnes anni quadrantes circumire; ut idem festum nunc æstivum sit, nunc hibernum, nunc autumnale, nunc vernum.* Rationem simul anni exponens, neglecti quadrantis non aliam fuisse caussam asserit, quam ut laxatis tempori habenis, dies omnes Deorum omnium religionem cultumque reciperent, novum semper, quia luce variatum. Stitit hunc annum, sic vagum, Augustus IV. Consulatu suo, anno Urbis IↃCCXXIII. Juliano XVI. quemadmodum a Scaligero notatum est, cum Θωθ in IV. Kal. Septembris incideret: atque deinceps ἐπαγόμεναι, IX. VIII. VII. VI. V. Kalendas constanter obtinuerunt. Faciunt huc quoque Macrobii verba lib. I. Saturn. cap. XV. *Ægyptii menses tricenum dierum omnes habent: eoque duodecim mensibus, id est, CCC. LX. diebus exactis, inter Augustum atque Septembrem, reliquos quinque dies anno suo reddunt, adnectentes quarto quoque anno Intercalarem, qui ex quadrantibus confit.* Sex igitur ἐπαγόμεναι anno Bissextili erant; atque Augustus triginta duobus constabat diebus.

## CAP. VI.

*Annus Ægyptiorum magnus, & triplici calculo. Sine intercalatione quadrantem diei considerari. Quot hic in anno parvo dies, tot in magno anni sunt. Menses quoque in magno magni. De anno maximo: hujus etiam hiemem & æstatem esse; ab hieme summa inundationem mundi, ab æstate conflagrationem. Lacuna in Seneca expleta.*

UT hæc sunt, annum suum redire per annum Ægyptii voluerunt; magnum per parvum; quo circuitu, eo mysterio. Mireris magnum in parvo, plures in uno contineri. Sed de numero quid statuas? Alius aliusque iniri potest. Etenim si per annum trecentorum sexaginta dierum, quem Ægyptiacum proprie appello, caput sive initium, computatis quadrienniis, reductoque vestigio, circumduxeris; annos mille quadringentos quadraginta cumulabis: si per annum trecentorum sexaginta quinque, adjectis nimirum appendicibus, mille quadringentos sexaginta: si per annum non diebus tantum, sed quadrante completum, mille quadringentos sexaginta unum. Hunc ultimum, quia maximum, Censorinus notavit: *Ægyptiorum annus Civilis solos habet dies trecentos sexaginta quinque, sine ullo intercalari. Itaque quadriennium apud eos uno circiter die minus est, quam naturale quadriennium: eoque fit, ut anno millesimo quadringentesimo sexagesimo primo ad idem revolvatur principium.* Columella pariter l. III. ubi de vindemiæ quadriennio: *Id enim tempus fere virentium generositatem declarat, quo sol in eandem partem Signiferi per eosdem numeros redit, per quos cursus sui principium ceperat: quem circuitum meatus dierum integrorum mille quadringentorum sexaginta unius* ἀποκατάστασιν *vocant studiosi rerum cælestium.* Medium Chalcidius refert, in Timæum: *Quater porro trecentis sexaginta quinque quadrienniis completur annus Cynicus. Completur autem* (quæ verba præcedunt) *annis mille quadringentis sexaginta.* Primum Geminus, in Isagoge: Ἐν δὲ τοῖς ρκ'. ἔτεσι μηνιαῖον ἔσται τὸ παράλλαγμα, καὶ πρὸς τὸν τοῦ ἡλίου ἐνιαυτὸν, καὶ πρὸς τὰς κατὰ τὸ ἔτος ὥρας. *In annis vero centum viginti menstrua erit varietas, sive Solis annum, sive anni tempestates respicias.* Hic enim numerus, duodecies sumptus, annos mille quadringentos quadraginta conficiet. Non injucundum erit, dies considerare, ut annos elicias. Tot enim in anno Ægyptiaco, qui quatuor computatur annis, dies sunt, quot in anno magno anni. Annum Ægyptiacum diebus numera trecentis sexaginta, in quadriennio mille quadringenti quadraginta dies erunt: totidem anni annum magnum primum constituent. Diebus numera trecentis sexaginta quinque, erunt in quadriennio, mille quadringenti sexaginta dies: totidem anni annum magnum secundum constituent. Diebus numera trecentis sexaginta quinque, addito quadrante, in quadriennio mille quadringenti sexaginta unus erunt dies: totidem anni annum magnum tertium constituent. Hæc animi & amœnitatis caussa. Firmicus vero parum hic firmus fuit, maximum illum & mundanum annum cum magno, sive Cynico confundens: illum, inquam, Platonicum, qui sidera omnia ad vices suas longo errore convertit, cum Ægyptiaco, per dies trecentos sexaginta quinque & quadrantem reducto. Verba ejus sunt, procœmio Operis: *Quantis etiam conversionibus major ille, quem ferunt, perficeretur annus, qui quinque has stellas, Lunam etiam ac Solem locis suis originibusque restituit: qui mille quadringentorum sexaginta unius annorum circuitu terminatur.* Maximus hic igitur annus; Maximus, non Cynicus est; Mundanus, non Ægyptius; & incerto annorum numero, quem hactenus Philosophi quærunt. Distingui utrumque, Censorinus annotavit: *Est præterea annus, quem Aristoteles maximum potius quam magnum appellat, quem Solis & Lunæ vagarumque quinque stellarum orbes conficiunt, cum ad idem signum, ubi quondam fuerunt, una referuntur.* Passim Scriptores fere omnes; quamvis nonnulli maximum etiam *magni* nomine efferant, & Platonis exemplo, *perfecti*. Magnum vocat Cicero lib. II. de Natura Deorum: *Annus magnus tum efficitur, cum Solis, & Lunæ, & quinque errantium, ad eandem inter se comparationem, confectis omnium spatiis, est facta conversio: quæ quam longa sit, magna quæstio est; esse vero certam & definitam necesse est.* Ausonius quoque Edyllio de Ætatibus animalium:

—— *Consumpto, magnus qui dicitur, anno,*
*Rursus in antiquum venient vaga sidera cursum:*
*Qualia dispositi steterant ab origine mundi.*

*Præfectum* Chalcidius appellat; & quis nisi Platonis in Timæo interpres? *Est tamen intellectu fa-*

*cile, quod perfectus temporis numerus* perfectum *annum compleat, tunc demum, cum omnium octo circumactionum cursus peracti, velut ad originem & caput circumactionis alterius revertentur: quam semper idem atque uniformis motus dimetietur*. Sed anni hujus mundani & hiemem & æstatem quandam esse; & ab utraque, cum summa est, mundum innovari, doctiores, atque ex eodem Platone, tradidere. Censorinus ad manum est: *Maximi anni hiems summa est κατακλυσμὸς, quam nostri diluvionem vocant: æstas autem ἐκπύρωσις, quod est mundi incendium. Nam bis alternis temporibus mundus tum ignescere, tum exaquescere videtur*. Berosus, ut est apud Senecam lib. III. Natural. Quæst. etiam tempus conflagrationi huic atque diluvio assignat: *Arsura enim terrena, quando omnia sidera, quæ nunc diversos agunt cursus, in Cancrum convenerint, sic sub eodem posita vestigio, ut recta linea exire per orbes omnium possit: inundationem futuram, cum eadem siderum turba in Capricornum convenerit*. Ad rem & elegantiam Flori verba faciunt, huc alludentis lib. IV. de bello Cæsaris & Pompeii: *Cæsaris furor atque Pompeii urbem, gentes, nationes, totum denique qua patebat imperium, quodam quasi diluvio & inflammatione corripuit*. Et Senecæ eodem libro Natural. Quæst. quem Florus respexit: *Quanto potius Deorum opera celebrare, quam Philippi aut Alexandri latrocinia, cæterorumque, qui exitio gentium clari, non minores fuere pestes mortalium, quam inundatio, qua planum omne perfusum est, quam conflagratio, qua magna pars animantium exaruit?* Ejusdem Philosophi mutila periodus est, de re ipsa sententiam suam proferentis, eodem libro: *Origo mundi non minus Solem & Lunam, & vices siderum, & animalium ortus, quam quibus mutarentur terrena, continuit. In his fuit inundatio, quæ non secus quam hiems, quam æstas lege mundi venit*. Lege & supple: *Inundatio quæ non secus quam hiems; & conflagratio, quæ non minus quam æstas lege mundi venit*.

## CAP. VII.

*Menses & Dies magni.* GODEFRIDI VENDELINI *ingenium. Diem magnum quadriennium esse: Mensem magnum, ultimum vitæ humanæ terminum, a Deo præfinitum. Eodem calculo & diem quarto quoque anno, & centesimo vigesimo mensem* XXX. *dierum intercalari. Usuram mensuram esse, vitam non nisi usuram.*

SEd quis modus? a die ad annum progressus sum, hinc ad annum magnum, inde ad maximum. Ut vestigium revocem, a maximo rursus ad magnum flecto sermonis viam, ac descendo; annum mox denuo, diemque, confecto quasi circulo, lustraturus. Annum vero magnum hic jam ordine primum, sive trium magnorum minimum considero, in mille quadringentos quadraginta annos, sive dies toties trecentos sexaginta (qui sunt 518400.) descriptum. Hic quia Annus, imo quia magnus est, in dies quoque suos magnos, mensesque magnos dividitur. Quod temporis secretum in familiari nuper sermone Vir ille mihi vere magnus aperuit, quem maximum fuisse agnoscent aliquando posteri, quando e longinquo admirandi prorsus ingenii jubare fulgebit, sæculo suo altior, GODEFRIDUS VENDELINUS. Cœlum quia intelligere potuit, hic vivet, imo hic illustris, & æternus erit; despecturus quicquid nunc in terra supra se habet, quicquid vanum, ac periturum novit, ideoque negligit. Sed ita est, *Vivos*, scribente Sallustio, *interdum fortuna, sæpe invidia fatigat: ubi anima naturæ cessit, demptis obtrectatoribus, ipsa se virtus magis magisque attollit*. Dies igitur magnus, imo dies Dei, quadriennium est, illud intercalari ratione nobis solenne: imo dies magnus annus est, si Ægyptiorum more annum Civilem quadriennio computamus. Annum enim illi vertentem nostrum picturæ compendio notisque Hieroglyphicis exprimentes, τέταρτον, ut Horus ait, ἀρούρας γράφουσι, *quartam arvi partem pingunt*; quasi quatuor demum anni verum mortalibus annum, diei unius defectu, exhibeant. Itaque negligi parvum putes diem, ut magnus nascatur: magnum esse, quoties parvo annus die principium contrahit, & quadrantes repudiantur. Mensis vero magnus annos comprehendit centum viginti, etiam Gemino notatos, extremum vitæ humanæ terminum, a Deo in Sacris Litteris constitutum, Geneseos cap. VI. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum*. Atque hæc Lactantii explicatio est lib. I. Divinarum Institutionum cap. XIII. *Deinde Orbe siccato, execratus injustitiam prioris sæculi Deus, ne rursus longitudo vitæ, caussa esset excogitandorum malorum, paullatim per singulas progenies diminuit hominis ætatem, atque in centum & viginti annis metam collocavit, quam transgredi non liceret*. D. tamen Hieronymus, imo Augustinus, Scripturæ locum de resipiscendi tempore, hominibus ad Diluvium usque relicto, intelligere malunt. Dies hic etiam (*eruntque dies illius* CXX. *annorum*) anni appellantur trecentorum sexaginta quinque dierum, qui æquabili mensium distributione describi nequeunt, sed solo dierum numero continentur. Hoc igitur Hebræis sæculum fuit, sive spatium vitæ humanæ *Heled*. imo hic magnus Chaldæis Annus, decem dodecaeteribus computatus: quo absoluto, mensis triginta dierum & ipse *magni* nomine intercalari solet. Centum enim viginti quadrantes diei, dies triginta componunt: centum viginti anni, mense peculiari suo, velut charactere, insigniti. Sive igitur quarto quoque anno diem, sive centesimo vigesimo mensem triginta dierum assumas, in ordinem sedemque suam caput periodi promovetur. Quid plura? ultimam illam vitæ lineam decem dodecaeteribus describi, etiam profanæ interpres eruditionis Servius confirmat, ad versum illum Virgilii lib. IV. divini Operis:

*Vixi, & quem dederat cursum Fortuna, peregi.*

*Tribus*, inquit, *humana vita continetur: Natura, cui ultra centum & viginti Solstitiales annos* (insere *vivere*, vel *vitam extendere*) *concessum non est: Fato, cui nonaginta anni, hoc est, tres Saturni cursus, exitium creant, nisi forte aliarum stellarum benignitas etiam tertium ejus superet cursum: Fortuna, id est, casu, qui ad omnia pertinet, quæ extrinseca sunt, ad ruinam, incendia, naufragia, venena*. Nunc & Censorinum audi de sæculo, quod est spatium vitæ humanæ longissimum, ortu & obitu definitum: *Epigenes in centum duodecim annis longissimam vitam constituit; Berosus autem in centum sedecim; alii ad centum viginti annos produci posse; quidam etiam ultra crediderunt*. Si recte igitur vitam mortalium expendis, mensis est, extremo isto temporis ac naturæ spatio divinitus circumscriptus ac mensus: imo hæc vita, hic mensis usura duntaxat vitæ est, quam consensu quodam juris pleræque gentes menstruam esse voluerunt. Magnus enim ille trapezita Deus hanc temporis, velut pecuniæ, usuram a genere humano exigit, justus semper & benignus: imo menses computat, dies expendit, qui in thesauris suis annos omnes, ævum, & æternitatem clausit. Omne ei tempus sors est; fœnus, quan-

tum quisque vivit. sed brevem esse hanc usuram vitæ, omnes ad miseriam homines nati conqueruntur; quasi non satis tot quotidie malis obnoxii, nisi & diu. Hanc etiam persolvimus Deo usuram omnes, quandocumque morimur; & ætatem velut mensem habemus, quibuscumque tandem annis terminatam. Plures in flore ætatis Parca rapit, multos in robore: consenescere paucos admodum sinit. Sed cogita vitam desinere, quando sanitas deficit, non posse citra morbum senium haberi: imo cogita, a mente citius, quam vita plerosque abire, quæ viventium, & ante mortem mors est. Si recte calculum ponis, sæculum, lustrum, annus, ipse denique dies, mensis est: his omnibus vitæ usura continetur. Quid tandem? Mensem, annum, lustrum, sæculum, diem esse dices, si cum æternitate comparabis. Pulchre & plane ad hanc naturæ contemplationem Cicero libro I. Tuscul. Quæst. *Apud Hypanin fluvium, qui ab Europæ parte in Pontum influit, Aristoteles ait bestiolas quasdam nasci, quæ unum diem vivant. Ex his igitur hora octava quæ mortua est, provecta ætate mortua est: quæ vero occidente Sole, decrepita: eo magis, si etiam solstitiali die. Confer nostram longissimam ætatem cum æternitate; in eadem propemodum brevitate, qua illæ bestiolæ, reperiemur.*

## CAP. VIII.

*Novi Orbis Fasti. Annum Mexicanis* XVIII. *mensibus distinctum fuisse, mensem diebus* XX. *Tota Anni partitio expensa. Etiam apud Barbaros hosce ἐπαγόμεναι: laterculum dierum, sed* XIII. *intercalatio: cyclus Solis, sed* LII. *annorum, sæculi loco. Mirus in eo innovando ritus.*

DE Anno magno satis, qui esse non poterat, nisi dies Intercalaris negligeretur: satis de maximo, qui mundum, & ætatem mundi includebat. Ad Civilem nunc illum, & minorem redeo: quem cum Ægyptii, Persæ, Romani trecentis sexaginta diebus absolverent, coronare quinque appendicibus visi sunt, quodam velut temporis intervallo: & tanquam post labores respirarent; ad nova anni auspicia transeuntes. Quid Barbari, & in novo Orbe homines? non Ægyptiis, non Persis, non Romanis cesserint. Tempora Sole & ingenio partiti, suis annum mensibus, suis mensem diebus constituere: annum nostrum, mensem suum, diebus & nostris & suis, lusui paucis, sed post laborem, destinatis. Nimirum, ut sapientes essent, aliquantulum temporis anniversaria dignum stultitia arbitrati sunt: ut Christiani, Christianos cum religione fastos amplexi. De Mexicanis potissimum ago, qui cum a Deo alieni essent, cœlum tamen scrutati sunt: & legem dixere tempori, cum ipsi quodammodo extra legem viverent. Annum igitur trecentis sexaginta coarctatum diebus videas, & Solis fuisse: Menses duodevicenos, vicenis diebus singulos, unde dies illi trecenti sexaginta exsurgebant. Decies octies enim viginti, sive vicies octodecim, 360. conficiunt. Id prorsus actum fuisse arbitror, ne plures in anno menses essent, quam in mense dies: similiter, ne pauciores in mense dies, quam menses in anno. Quia vero æquali numero quot in anno menses erant, tot in menses dies esse non poterant; placuisse verisimile est, ut dierum potius, quam mensium ratio superaret. Menses igitur duodeviginti, dies viginti, mediis proximisque sive anni, sive circuli partibus constitutos esse. Sed ut quæ mediæ sint & proximæ, distinguas, operæ pretium erit omnes exhibere. Tot enim menses esse possunt, quot partes sunt: tot etiam dies. Menses si duo sunt, dies habebant singuli 180. si tres, 120. si quatuor, 90. si quinque, 72. si sex, 60. si octo, 45. si novem, 40. si decem, 36. si duodecim, 30. si quindecim, 24. si octodecim, 20. Hi medii & Mexicani sunt. Deinceps, si viginti, 18. & sic pauciores jam dies, quam menses sunt: si viginti quatuor, 15. si triginta, 12. si triginta sex, 10. si quadraginta, 9. si quadraginta quinque, 8. si sexaginta, 6. si septuaginta duo, 5. si nonaginta, 4. si centum viginti, 3. si centum octoginta, 2. Trecenti denique sexaginta si pro uno sumantur, vel unus pro trecentis sexaginta, annus mensis erit, & mensis annus. Mexicanis vero etiam quinque ἐπαγόμεναι in usu; & ut honeste perirent, extra annum rejectæ. Quadrans quoque, sive dies Intercalaris tam religiose hic observatus, quam Ægyptiis neglectus. Præterea, ut apud Romanos olim ἡ ὀκταήμερος, apud nos vero ἡ ἑπταήμερος: ita apud Mexicanos ἡ τρισκαιδεκαήμερος, quæ in orbem nonnisi post quater tredecim annos, sive quinquaginta duos redit: quot nobis in anno hebdomades sunt. Hunc illi Cyclum Solis poterant appellare, qui nobis viginti octo annis explicatur. Τρισκαιδεκαημέρους vero (si & ἐπαγόμεναι in numerum veniant) habebant viginti octo, accedente die uno, ac diei quadrante: qui vertens annus est. Quadriennia igitur sedulo & constanter observata; quæ singula diem Intercalarem adoptabant. Quemadmodum vero tredecim suo in orbem dies laterculo ducti, ita tredecim majori periodo anni; imo vero, quater tredecim constituti, qui sunt quinquaginta duo anni, Sæculum Mexicanorum, periculiari etiam ritu & finiri & innovari solitum. Etenim mundum aliquando, ejusmodi periodo exspirante, interiturum certo sibi persuaserant: ideoque ultima illa anni magni nocte, incertum an diem redditura, vasa omnia, ad vitæ usum necessaria, confringebant, inter ipsem metumque, extinctis luminibus, simul excubantes. Hoc profecto erat, ultimum quodque sæculum, annum, diem, tanquam non reversurum consumere: si novum Deus daret, in lucrum deputare. Ergo fati mox terrore liberati, nova accendebant cum novo die lumina, novam,

*Dum rosea face Sol inferret lumina cœlo,*

instruebant supellectilem, novam, ut sic dicam, vitam, periodumque ordiebantur. Annum Mexicanum vides, menses, dies. Vides appendices quinque, sive ἐπαγομένας; quæ, ut extra annum essent, hic quoque perire debuerunt; vel certe, ut perirent, ad hunc modum computari.

## CAP. IX.

*Christianorum ἐπαγόμεναι. Hinc Bacchanalia nostra, ut hodie appellamus, sed Lunæ ratione computata & vaga. Veram originem anno nuper* CIƆ IƆC. XXXIV. *apparuisse. In Bissextili Juliano sex ἐπαγόμεναι. Cæsaris edictum: cur Ciceroni grave. Anni Juliani elogium.*

IN novo fuisse Orbe, quod in nostro admiremur, ad laudem & encomium Barbarorum facit. Sed quid? omnibus omnino hominibus cœlum commune est; omnibus, annorum, mensium, dierum ratio, quæ cœlo derivatur. Ἐπαγόμεναι, quia Romæ fuerunt, etiam Christianis receptæ: qui, ut sanctius severiusque reliqua pietatis tempora occuparent, paucos lætitiæ atque hilaritati dies indulsere. Anno jam Roma-

no uti cœperant, quidni & anni more? Imo Romani jam erant; totum Patriæ genium quomodo exuerent? Verumenimvero alia rerum initia sunt, alii progressus: voluptas semel admissa, facili incremento se dilatat, pronis in vitium animis; nutantque mores, ubi exemplo frangimur, & plures sunt qui peccant. Nostra hodie Bacchanaliorum nomine convivia, tripudia, larvæ, & reliqua ubique insanientis lasciviæ scena hinc orta: ἐπαγόμεναι sunt, a quibus ad ferias Esuriales Cinerum pietate transimus. Quinque aliquando dies erant; sed a Sole exules, numerum suum a Lunæ inconstantia auxere, extra annum tum quidem, postea etiam extra legem. Totum enim hoc stultitiæ tempus, quia ratione Paschæ dirigitur ac vagatur, minori obnoxium sideri, in Martium frequenter, limite semper vago, excurrit. Interdum tamen ad quinque rursus dies restringitur, & originem suam indicat, quoties in Kalendas Martias Cineralia nostra incidunt. Id nuper vidimus, anno CIϽIϽC. XXXIV. Februarius enim, quia finem imponebat Comi his solennibus, claudere annum visus est; reddere, quicquid in anno fuit. Cæsar quidem, cum multis Rem Romanam vitiis nævisque liberaret, & adhuc reliquiis belli impediretur, Fastos correxit, qui loco jam suo moti ac confusi erant; quia imperiti, aut maligni Pontifices, penes quos modus arbitriumque intercalandi. Et quis credat, *neque messium ferias æstate, neque vindemiarum*, ut cum Suetonio dicam, *hieme competivisse*? A Bissexto remedium fuit, & die Intercalari, qui ipso loco suo, quia Terminum sequebatur, ostenderet, reliquas, ipsis exceptis Martiis, extra annum Kalendas esse, atque adeo rescindi. Extra annum, sed diebus trecentis sexaginta impletum. Rescindi, tanquam inutiles, & vere abdicatas. Kalendas, & tamen ἐπαγομένας, non jam quinas, sed senas, anno Bissextili, & perfecto numero computatas. Dies igitur Intercalaris inter Kalendas est, & hinc dictus: inter ἐπαγομένας, & simul interit: extra mensem & annum, ut jure videatur interire. Quid tandem? a Cæsare est, qui unus intelligere potuit, sic corrigendos fastos esse; quamvis plene adhuc non corrigeret. Et tamen, ut BISSEXTUM obtineret, & maximum Romani beneficium admitterent, Edicto opus erat: de quo Macrobius lib. I. Saturnal. cap. XIV. *Annum Civilem Cæsar, habitis ad Lunam dimensionibus, constitutum, Edicto palam posito publicavit*. Diebus constitutum CCC. LXV. & quadrante, qui quarto quoque anno, sed desinente, diem impleret:

*Ille moras Solis, quibus in sua signa rediret,*
*Traditur exactis disposuisse notis:*
*Is decies senos ter centum & quinque diebus,*
*Junxit, & e pleno tempora quarta die.*

Sed quomodo *habitis ad Lunam dimensionibus*? Quia a novilunio maluit, quod eo anno septem Brumam diebus sequebatur, quam a Bruma annum auspicari. Addit, *Edicto palam proposito*. Hoc Edictum carpere suo dicto Cicero sustinuit, quia Cæsari infestus. Cum enim anno primo Juliano, ut est apud Plutarchum in Cæsare, nescio quis diceret: *Cras Lyra orietur*, respondit: *Et quidem ex Edicto*. Quam difficulter tempora corrigantur, hinc discimus. Publicum ecce maximumque omnium hominum, omniumque temporum ornamentum traductum & infamatum est; & ab eo, qui scire poterat, cœlum jam Romanis negligi, imo nesciri; qui cum vitia Reipublicæ, quam Cæsaris virtutes facilius ferret, correctum esse annum doluit, privatis aut commodis, aut ambitioni subductum. Nimirum uti Juliano cogebatur, abuti veteri solitus erat. Hinc illæ ad Atticum repetitæ voces: *Ne intercalaretur*. Lib. V. epist. IX. *Memento curare per te, & per omnes nostros, imprimis per Hortensium, ut annus noster maneat suo statu; nequid novi decernatur. Hoc tibi ita mando, ut dubitem, an etiam te rogem, ut pugnes, ne intercaletur. Sed non audeo tibi omnia onera imponere: annum quidem utique teneto*. Item epist. XIII. *Per fortunas (quoniam Romæ manes) primum illud præfulci atque præmuni, quæso, ut simus annui; ne intercaletur quidem*. Ad Marium quoque lib. VII. epist. II. *Nos hic multitudine & novitate judiciorum, & novis legibus ita distinemur, ut quotidie vota faciamus, ne intercaletur; ut quamprimum te videre possimus*. Et hic tamen ille est Cicero, qui lib. II. de Legibus scripsit: *Feriarum festorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium & jurgiorum, in servis operum & laborum: quas compositio anni conferre debet, & perfectionem operum rusticorum. Per quod tempus, ut sacrificiorum libamina serventur, fœtusque pecorum, diligenter habenda ratio intercalandi est: quod institutum perite a Numa, posteriorum Pontificum negligentia dissolutum est*. Negligentia? imo improbitate, ut dixi, & imperitia; quarum alteri obnoxius quoque Orator fuit, cum ne in anno quidem nomen Julii toleraret. Ad Att. lib. XVI. epist. I. *Itane? Nonis Juliis? Dii hercule istis! sed stomachari totum diem licet. Quicquamne turpius, quam Bruto Juliis?* Irascentis, imo exsecrantis hic diras vides, in Nonas, quia Julias, Quinctiles appellari solitas: imo in mensem hoc nomine, ipsumque adeo annum. De mense benignius Varro, apud Priscianum: *A Julio, qui fastos correxit, honoris & virtutum caussa, Julius mensis appellatus est*. Censorinus tempus ipsum suis notis præfinit: *Qui Quinctilius fuit, Julius cognominatus est, C. Cæsare V. & M. Antonio Coss. anno Juliano secundo*. Adjungit Dio Cassius lib. XLIV. imo Festus, in voce *Junium, hoc mense Julium natum esse*. Si & diem quæris, e Macrobio scies lib. I. Saturnal. cap. XII. *In honorem Julii Cæsaris Dictatoris, legem ferente M. Antonio M. Filio, Consule, Julius appellatus est; quod hoc mense, ad IV. Idus Quinctilis, Julius procreatus sit*. Inter caussas tamen cædis hanc *appellationem mensis* Suetonius refert cap. LXXVI. Sed facilius tollere e vita Cæsarem, quam a mense nomen Cæsaris conjurati potuere. Quamdiu res humanæ erunt, mensis erit Julius: & annus Julianus, quamdiu annus; tametsi GREGORII nomen, quia correctus, admisit. Non frustra Censorinus: *Ex hoc anno, ita a Julio Cæsare ordinato, cæteri ad nostram memoriam Juliani appellantur: iique consurgunt ex quarto Cæsaris Consulatu*. Ad tuam, Censorine? imo ad omnem. Quæ enim unquam erit, & Cæsari non obstricta? Qui homines, & tanti beneficii expertes? Æternum est, quod acceperunt omnes: acceperunt annum, quo numerantur omnia, quo durant omnia, & quod non est, continetur. Ergo annos omnes, tanquam suos, Cæsar computabit, æternumque parricidis suis scelus exprobraturus, Lucani versibus gloriabitur:

*—— Media inter prœlia semper*
*Stellarum, cælique plagis, superisque vacavi;*
*Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.*

## CAP. X.

*Confusionis annus. Macrobii error. Solini hallucinatio. Dies* LXVII. *a Cæsare inter Novembrem & Decembrem intercalati, sive menses duo, dies septem. Dio explicatus. Anni Romani & Julian. calculus pariatus. Decem novorum dierum distributio. Initium anni cur non a Bruma?*

Porro quæ ad correctionem Julianam, & ad lucem simul bonorum Scriptorum faciunt, breviter complecti juvat, ut plenior etiam Bissexto lux accedat. Annus ipse, quo Fasti a Cæsare emendati, *Confusionis* nomen ad se totum traxit. Dies nimirum mensesque tunc maxime turbari, misceri, confundi debuere, ut in ordinem cogerentur, qui confusi hactenus fuerant, ac cælo responderent. Quia enim Kalendæ tum temporis Januariæ Pompilianæ, in III. Eiduum Octobris Julianarum, vitio Pontificum, retractæ erant; ad verum non poterant locum protrudi, nisi totus emendatione annus æstuaret. Ergo expensa sideris utriusque ratione, a Nonis, Eidibus, Kalendis, Luna remota est, ut solus Sol luceret; solus & annum, & menses, & dies radiis suis distingueret: relictis sorori noctibus, ut aliquid illæ diei haberent. De confusione ista Macrobius lib. I. Saturnal. cap. XIV. *Sub specie observationis* (veterem Pontificum & perversam Intercalationem intellige) *emergebat major confusionis occasio*. Mox: *Cæsar exordium novæ ordinationis initurus, dies omnes, qui adhuc confusionem poterant facere, consumpsit: eaque re factum est, ut annus Confusionis ultimus in quadringentos quadraginta tres dies tenderetur*. Imo in quadraginta quinque, ut ostendam. Quid Solinus? Non quidem nominat confusionem, sed notat, quamvis male notet. Numeri enim & hic in mendo sunt, si Scriptori hallucinationem imputes; vel certe mendum in numeris, si Librario. Videamus: *C. Cæsar universam hanc inconstantiam* (anni) *incisa temporum turbatione, composuit; & ut statum certum præteritus acciperet error, dies viginti unum & quadrantem simul intercalavit: quo pacto regradati menses de cætero statuta ordinis sui tempora detinerent. Ille ergo annus solus trecentos quadraginta quatuor dies habuit: alii deinceps trecentos sexagenos quinos & quadrantem*. Sane neque dies viginti unum & quadrantem, Cæsar intercalavit; sed vel sexaginta septem, qui duo menses erant, diesque septem; vel nonaginta, si Mercedonium includas. Neque trecentos quadraginta quatuor dies annus ille habuit: sed quadringentos quadraginta quinque. Calculum pone, dices. Annus Romanus Reipublicæ tempore, diebus, ut supra ostendi, constabat CCCLV. mensibus vero XII. adde Mercedonium, illum, teste Censorino, viginti trium dierum, post Terminalia, & more anni intercalatum: duos item illos adde Cæsaris, inter Novembrem & Decembrem medios, quorum alter, more anni Romani, dies habuit viginti novem, alter unum & triginta: denique dies adde septem, anni supplementum; & quadringentos simul quadraginta quinque conficies, qui menses sunt quindeni. Mensium quidem hunc numerum Suetonius extulit, de Cæsare & anno ejus scribens cap. XL. *Quo autem magis in posterum e Kalendis Januarii nobis temporum ratio congrueret, inter Novembrem ac Decembrem mensem, interjecit duos alios: fuitque is annus, quo hæc constituebantur, quindecim mensium cum intercalario* (simul numerato) *qui ex consuetudine in eum annum inciderat*. Menses & simul dies extulit Censorinus: *C. Cæsar Pontifex maximus, suo tertio & M. Æmilii Lepidi Consula-*

A *tu, quo retro delictum corrigeret, duos menses intercalarios, dierum sexaginta septem, in mensem Novembrem & Decembrem interposuit, cum jam mense Februario dies tres & viginti intercalasset; faceretque eum annum dierum quadringentorum quadraginta quinque*. Compendio hic duo menses Intercalarii diebus sexaginta septem computati: cum alteri viginti novem, alteri unus & triginta tribuendi essent; septem autem illi, prorsus tanquam ἐπαγόμεναι, confusioni accederent. Ita jam quoque intelligendus Dio lib. XLIII. *Diebus omnino sexaginta septem auctum a Cæsare annum* asseverans: *Falli eos, qui plures statuerent*. Computa menses
B duos Intercalarios novos, alterum viginti novem, alterum triginta unius dierum, sexaginta invenies: quibus si accedant septem, summa constabit. Si *plures* fuisse contendas, in calculum simul ducendus Mercedonius, alternis solitus annis intercalari. Sed is Cæsaris non erat, erat consuetudinis: dies autem sexaginta septem Cæsar a se, non a consuetudine adjecit. Quid igitur? Junge illos Cæsaris, & non Cæsaris: illos, inquam, 67. & 23. nonaginta erunt, & quomodocumque accipiantur, Intercalares. Adjunge 355. annum, inquam, Romanum, sive Pompilianum; & tota ad dies
C 445. Confusio extendetur. Hic ille numerus est, qui a duobus subductus annis Julianis, sive diebus bis 365. (sunt autem 730.) initia mensium veterum in decursu novorum aperiet: annum ipsum Pompilii in Juliano. Reliqui nimirum erunt dies 285. qui a correcti anni Kalendis numerati, in IV. Eid. Octobris desinent. Hac ratione, sed verissima, Kalendæ Januarii Pompiliani, qui dierum erat 29. in III. cadebant Eidus Octobris Juliani: Kalendæ Februarii, dierum 28. in III. Eid. Novembris: Kalendæ mensis Mercedonii, dierum 23. in Prid. Non. Decembris: initium ἐπαγομένων, dierum 5. in VI. Kal. Januarii anni
D sequentis: Kalendæ Martii, dierum 31. in Kalendas Januarii: Kalendæ Aprilis, dierum 29. in Kalendas Februarii: Kalendæ Maii, dierum 31. in VI. Non. Martii: Kalendæ Junii, dierum 29. in IV. Non. Aprilis: Kalendæ Quinctilis, dierum 31. in Kalend. Maii: Kalendæ Sextilis, dierum 29. in Kalend. Junii: Kalendæ Septembris, dierum 29. in Prid. Kal. Julii: Kalendæ Octobris, dierum 31. in IV. Kal. Augusti: Kalendæ Novembris, dierum 29. in IV Kal. Septembris: Kalendæ mensis Intercalarii prioris, dierum 29. in V. Kal. Octobris: Kalendæ Intercalarii posterioris, dierum 31. in VII. Kal Novembris: Initium Con-
E fusarum ἐπαγομένων, dierum 7 in VI. Kalend Decembris: Kalendæ denique Decembris, dierum 29. in III. Non. Decembris. Atque ita expleto mense, & simul anno, diebus vero CCCC. XLV. tota in ordinem Confusio redibat. Reliqua jam cura, ut in posterum, objecto errori repagulo, Solis modum ac dimensionem annus acciperet, & servaret: non, ut hactenus diebus CCCLV. sed CCCLXV. volveretur. Quid Cæsar? Verbis Censorini dicam: *Diebus trecentis quinquaginta quinque addidit decem: quos per septem menses, qui dies undetricenos habebant, ita distribuit, ut Januario, & Sextili, & Decembri bini accederent,*
F *cæteris singuli: eosque dies extremis partibus mensium apposuit, ne scilicet religiones sui cujusque mensis a loco summoverentur*. Hæc & Macrobio caussa assignata est lib. I. Saturnal. capite XIV. *Peractis cujusque mensis feriis, locum diebus advenis fecit*. Quomodo? ut Nonis, Eidibusque intactis, numerus Kalendarum, sed desinentium, augeretur. *Et Januario quidem* (verba adhuc Macrobii sunt) *quartum & tertium Kalendas Februarias dedit, Aprili sextum* (an & hic *tertium?*) *Kalendas*

Majas,

*Majas, Junio tertium Kalendas Julias, Augusto tertium & quartum Kalendas Septembres, Septembr. tertium Kalendas Octobres, Novembri tertium Kalendas Decembres, Decembri vero quartum & tertium Kalendas Januarias.* Si confusionem correctioni conferas; plus quasi in denis qui distributi sunt, diebus, quam in sexagenis septenis, qui adjecti, negotii fuit. Hi namque semel & simul inter Novembrem & Decembrem inserti, obtinuerunt locum suum. Illi vero, alios aliosque menses sortiti, totum, ut sic dicam, annum occuparunt. Sacerdotes etiam confer Cæsari: ingens vitium, & quasi enorme, facili peritia sublatum est. Omnes enim annos illi confuderant, ut nullus jam quodammodo esset: unum hic, ut omnes ordinaret. Unum etiam fuisse Cæsarem, & singularem cogita, qui posset omnia: cujus cum in omnibus ingenium laudes, in uno consilium mireris. Cur enim, ut cœli limites annus reciperet, initium Brumam non habuit?

*Bruma novi prima est veterisque novissima Solis.*

Nonne potius

*Principium caperent Phœbus & annus idem?*

Verus hic temporis cardo erat, verum Solis initium, vera

——*Anni tacite labentis origo.*

Poterat sic etiam septem diebus Cæsar parcere, solis autem sexaginta annum implere: poterat omnem temporis inconstantiam vincere, omnem in posterum errorem coercere. Quid pulchrius erat, quam, Sole surgente (surgebat autem VIII. Kal. Januarias, teste Servio) nasci annum? menses præterea signis respondere? Sed profecto opportunum ille duxit, utriusque habere rationem sideris, cum uni imperium daret: transire brumam, & Novilunium amplecti, quod septem hoc anno diebus sequebatur. Non frustra Macrobius (repetenda enim hic verba, supra quoque citata) l. I. Saturnal. c. XIV. *Annum Civilem Cæsar, adhibitis ad Lunam dimensionibus, constituit.* Et quam ob causam? ut facilius introduceret. Pleræque enim gentes, quia annum suum hoc tempore, & illum Lunæ, e Kalendis Januariis computabant, promptiores ad illum Solis recipiendum futuri erant, quia a Luna non recedebat. An decepti sint, nescio: sed quia in novo, ac non suo, idem initium invenere, suum arbitrati sunt: amplexi novum, quia Cæsaris erat; quia illius, qui jubere poterat. Quid tamen est? Christianis postea a Bruma auspicia temporis (quia salutis) sumenda erant. Hoc die, ut tum cardo hærebat, VIII. Kal. Januarias novus in terra Sol e Virgine Deus, e Deo homo, & ad salutem hominum, natus est, tempora illustrans, quæ fuerant, erant, futura erant: Dei & Anni quomodo diversus natalis sit? Non potest nisi cum Deo annus nasci, cum brevissimus dies est: non debet nisi cum anno Deus, qui æternitate cingitur, & omnes dies ceu unum habet. Quid vel nunc nobis faciendum sit, declarat epochæ formula: annos Christi, ducto a Natali ejus calculo, numeramus.

## CAP. XI.

*Novus sacerdotum, occiso jam Cæsare, circa Bissextum error, per annos XXXVI. productus. Edictum Augusti. Duodecim sine intercalatione anni. Ammiani Marcellini hallucinatio. Primum Bissextum. Intercalationes vitiosæ per annos & Consules computatæ.*

Bissexti quidem ratio, quia nova, imo quia a Cæsare, partim invisa eo tempore, partim non intellecta. Sacerdotes enim, quorum curæ intercalatio commissa erat, errare citius cœpere, quam intercalare. Dixerim interfectum a Bruto Cassioque Cæsarem, ut non commoda tantum hominum ac vota, sed tempora quoque ac fata turbarentur: cum amplius jam esset, annum Romanis constitutum esse, quam libertatem concussam. Dubium etiam, plus annus, an libertas laboraverit. Indigneris vero, interfectum ab iis, qui, & a quo vitam ipsi acceperant, subsidia, solatia, ornamenta: acceperant tempora, quibus deinceps vitam computarent. Senecam audi lib. II. de Beneficiis, cap. XX. *Disputari de M. Bruto solet, an debuerit accipere a D. Julio vitam, cum occidendum eum judicaret. Mihi, cum vir magnus fuerit in aliis, in hac re videtur vehementer errasse, nec ex institutione Stoica gessisse: qui, aut Regis nomen extimuit, cum optimus civitatis status sub Rege justo sit; aut ibi speravit libertatem futuram, ubi tam magnum præmium erat & imperandi & serviendi; aut existimavit civitatem in priorem formam posse revocari, amissis pristinis moribus, futuramque ibi æqualitatem civilis juris, & staturas suo loco leges, ubi viderat tot millia hominum pugnantia, non an servirent, sed utri.* Stare igitur Respublica non potuit, nisi ut periret. Rursus parit, quia cecidit Cæsar. Quod ad rem nostram facit, Solem sublatum cogita, annum rursus, & novo BISSEXTI vitio, obscuratum. *Vitium admissum est per Sacerdotes*, quemadmodum Solinus scribit: *Nam cum præceptum esset, anno quarto ut intercalarent unum diem, & oporteret confecto quarto anno id observari, antequam quinctus auspicaretur: illi incipiente quarto intercalarunt, non desinente. Sic per annos sex & triginta, cum novem dies tantummodo sufficere debuissent, duodecim sunt intercalati. Quod vitium deprehensum Augustus reformavit, jussitque annos XII. sine intercalatione decurrere, ut tres illi dies, qui ultra novenarios tenere fuerant intercalati, hoc modo possent repensari: ex qua disciplina omnium postea temporum fundata ratio est.* Hæc eadem Macrobius lib. I. Saturnal. c. XIV. & iisdem quasi verbis: *Sacerdotes sibi errorem novum ex ipsa emendatione Cæsaris fecere. Nam cum oporteret diem, qui ex quadrantibus confit, quarto quoque anno confecto, antequam quinctus inciperet, intercalare; illi quarto non peracto, sed incipiente intercalabant. Hic error sex & triginta annis permansit; quibus annis intercalati sunt dies duodecim, cum debuerint intercalari novem. Sed hunc quoque errorem, sero deprehensum, correxit Augustus, qui annos duodecim sine intercalari die transigi jussit; ut illi tres dies, qui per annos triginta sex, vitio sacerdotalis festinationis excreverant, sequentibus annis duodecim, nullo die intercalato, devorarentur. Post hoc, unum diem, secundum ordinationem Cæsaris, quincto quoque incipiente anno intercalari jussit; & omnem hunc ordinem æreæ tabulæ ad æternam custodiam incisione mandavit.* Gravem Plinii elegantiam nolo hic desiderari libro XVIII. c. XXV. *Cæsar Dictator annos ad Solis cursum redigens, Sosigenem, peritum scientiæ ejus, adhibuit. Et ea ipsa ratio postea comperto errore correcta est: ita ut duodecim annis continuis non intercalaretur, quia cœperat sidera annus morari, qui prius antecedebat.* Sacerdotes igitur, quia anno quarto, non exeunte, sed ineunte (quæ a Cæsare præfixa erat regula) Bissextum computabant, e tribus quadrantibus diem conflarunt. Id vero erat, edictum Cæsaris

mera inſcitia, non carpere, ſed violare: vim non Julio, ſed anno inferre. Primum enim & vitioſum Biſſextum anno a Cæſaris cæde ſecundo deſinente celebratum eſt, id eſt, quarto Juliano, non confecto, ſed incipiente, poſt tres duntaxat quadrantes completos: ſecundum, ſeptimo: tertium, decimo: quartum, decimo tertio: quinctum, decimo ſexto: ſextum, decimo nono: & ſic deinceps, continuo trium annorum incremento. Horæ igitur octodecim pleni inſtar computatæ diei; qui non niſi vicenis quaternis conſtituitur, & *νυχθήμερον* abſolvit. Primo namque anno, qui in ſecundum, a ſexto nimirum Kalendas Martii, ad ſextum ſe extendit, horæ ſex ſuperſunt; ſecundo, qui in tertium, duodecim; tertio, qui in quartum, octodecim; quarto demum, qui in quinctum, completo, viginti quatuor. Hac etiam ratione alium tres ordine anni, alium ultimus cujuſque dies finem ſortiuntur. Dies enim omnis, ut a media nocte incipit, ita & in media finitur. At anni variant exceſſu ſuo. Primus ultra mediam noctem ad ortum ſive horam ſextam matutinam procurrit: ſecundus ad meridiem: tettius ad ſextam veſpertinam, ſive ad occaſum: quartus, collectis quatuor quadrantibus, cum ipſo, ſed novo, & trecenteſimo ſexageſimo ſexto die exſpirat. Præcipitatus vero hic Pontificum error ut corrigeretur, novum poſcebat Cæſarem: invenit Auguſtum, qui prolapſos jam faſtos ad legem ſuam reducturus, C. Martio Cenſorino, Aſinio Gallo Coſſ. anno Urbis conditæ IↃCC. XLV. labente, novo Edicto ſanxit, *Duodecim annos proximos ſine intercalatione tranſigendos eſſe*. Hæc emendatio, quemadmodum a Plinio, Solino, Macrobio, aliiſque deſcripta eſt, ita Ammianum Marcellinum fefellit lib. XXVI. de Biſſexto curioſius agentem. Is ſecundum Pontificum errorem cum primo confundens, magnifico verborum apparatu anni auctorem, non Julium, ſed Auguſtum facit; *Octavianus Auguſtus, Græcos ſecutus, hanc inconſtantiam, correcta turbatione, compoſuit, ſpatiis* XII. *menſium &* VI. *horarum magna deliberatione collectis; per quæ duodecim ſiderum domicilia Sol diſcurrens, motibus ſempiternis, anni totius intervalla concludit. Quam rationem* BISSEXTI *probatam, etiam victura cum ſæculis Roma adjumento numinis divini fundavit*. Hoc ſane Julii opus fuit; Auguſtus ſuffulciit. Ille inſtituit BISSEXTUM; hic emendavit. Quomodo? ſuſpenſum eſt, ut producto ſine Intercalatione duodecim annorum ſpatio, tres omnino dies præcipiti calculo exuberantes, tollerentur. Primum igitur poſt hanc emendationem Biſſextum, ut numeros ſequar emendatiores, anno fuit Juliano LIII. ineunte, Urbis Conditæ IↃCC. LX. etiam ineunte, Camillo & Quinctiliano Coſſ. Chriſti Cenſuali VIII. Litteris A. G: quibus & proximus hic noſter CIↃ IↃC. XL. notabitur. Hæc omnia & certiora & clariora, quæ ſequitur, faciet.

# BISSEXTORUM

## SERIES VITIOSA,

*A Confuſione ad primam correctamque ab Auguſto Intercalationem, quæ ſecunda Epochæ Chriſtianæ fuit, per annos Urbis, & Julianos, ipſoſque adeo Conſules, extenſa.*

ANnus confuſionis, qui Urbis fuit IↃCCVII. menſes habuit XV. ſive dies CCCCXLV. Conſules C. Julium Cæſarem III. & M. Æmilium Lepidum. Cenſorinus de Die Natali; *C. Cæſar Pontifex Maximus ſuo tertio, & M. Æmilii Lepidi Conſulatu, annum Civilem ad Solis curſum formavit*. Idem: *Anni Juliani conſurgunt ex* IV. *Cæſaris Conſulatu*.

| ANN. U.C. | JULIANI. | CONSULES. | INTERCALATIONES. |
|---|---|---|---|
| 708. | I. | *Cæſar* IV. *ſine Collega.* | VI. KAL. MART. |
| 709. | II. | *Cæſar* V. *& Antonius.* | |
| 710. | III. | *Panſa & Hirtius. His occiſis, Octavianus & Pedius.* | |
| 711. | IV. | *Plancus & Lepidus.* | INT. VITIOSA I. |
| 712. | V. | *Antonius & Vatia.* | * Locus veræ. |
| 713. | VI. | *Calvinus & Pollio.* | |
| 714. | VII. | *Cenſorinus & Sabinus.* | INT. VITIOSA II. |
| 715. | VIII. | *Pulcher & Flaccus.* | |
| 716. | IX. | *Agrippa & Gallus.* | * Locus veræ. |
| 717. | X. | *Poplicola & Nerva.* | INT. VITIOSA III. |
| 718. | XI. | *Cornificius & Sex. Pompejus.* | |
| 719. | XII. | *Libo & Atratinus.* | |
| 720. | XIII. | *Octavianus* II. *& Tullus.* | INT. VITIOSA IV. |
| 721. | XIV. | *Ahenobarbus & Soſius.* | |
| 722. | XV. | *Octavianus* III. *& Corvinus.* | |
| 723. | XVI. | *Octavianus* IV. *& Craſſus.* | INT. VIT. V. |
| 724. | XVII. | *Octavianus* V. *& Appulejus.* | * Hoc anno fixus eſt annus Ægyptius. |
| 725. | XVIII. | *Octavianus* VI. *& Agrippa* II. | |
| 726. | XIX. | *Octavianus* VII. *& Agrippa* III. | INT. VIT. VI. |
| 727. | XX. | *Octavianus* VIII. *& Taurus.* | |
| 728. | XXI. | *Octavianus* IX. *& Silanus.* | * Locus veræ. |
| 729. | XXII. | *Octavianus* X. *& Flaccus.* | INT. VIT. VII. |
| 730. | XXIII. | *Octavianus Aug.* XI. *& Murena.* | |
| 731. | XXIV. | *Marcellus & Arruntius.* | |
| 732. | XXV. | *Lepidus & Lollius.* | INT. VIT. VIII. |
| 733. | XXVI. | *Appulejus & Nerva.* | |
| 734. | XXVII. | *Saturninus & Veſpillo.* | |
| 735. | XXVIII. | *Marcellinus & Lentulus.* | INT. VIT. IX. |
| 636. | XXIX. | *Furnius & Silanus.* | * Locus veræ. |
| 737. | XXX. | *Ahenobarbus & Scipio.* | |
| 738. | XXXI. | *Druſus & Piſo.* | INT. VIT. X. |
| 739. | XXXII. | *Craſſus & Lentulus.* | |

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 740. | XXXIII. | *Tib. Nero & Varus.* | | * |
| 741. | XXXIV. | *Messalla & Quirinus.* | | INT. VIT. XI. |
| 742. | XXXV. | *Tubero & Maximus.* | | |
| 743. | XXXVI. | *Julus & Fabius.* | | |
| 744. | XXXVII. | *Drusus & Crispinus.* | | INT. VIT. XII. * |
| 745. | XXXVIII. | *Censorinus & Gallus.* | 1 | Anni XII. sine |
| 746. | XXXIX. | *Nero & Piso.* | 2 | Bissexto. |
| 747. | XL. | *Balbus & Vetus.* | 3 | |
| 748. | XLI. | *Augustus XII. & Sulla:* | 4 | CHRISTI NAT. |
| 749. | XLII. | *Sabinus & Crispus.* | 5 | VERUS. |
| 750. | XLIII. | *Lentulus & Messallinus.* | 6 | |
| 751. | XLIV. | *Augustus XIII. & Silvanus.* | 7 | |
| 752. | XLV. | *Lentulus & Piso.* | 8 | CHR. N. CENS. |
| 753. | XLVI. | *Cajus Cæsar & Paulus.* | 9 | I. |
| 754. | XLVII. | *Vinucius & Varus.* | 10 | II. |
| 755. | XLVIII. | *Lamia & Geminus.* | 11 | III. |
| 756. | XLIX. | *Catus & Saturninus.* | 12 | IV. |
| 757. | L. | *Cinna & Messalla.* | | V. |
| 758. | LI. | *Lepidus & Arruntius.* | | VI. |
| 759. | LII. | *Nerva & Metellus.* | | VII. |
| 760. | LIII. | *Camillus & Quinctilianus.* | | VIII. |

BISSEXTUM hoc ab Augusto primum, secundum fuerit Epochæ Christianæ. Annus enim Julianus quinquagesimus tertius, cum ex nova emendatione Bissextilis esset, non potuit nisi in octavum Christi incidere; imo non potuit, nisi in Bissextilem. Omnino, aut octavus, ut & quartus Christi Bissextilis est, ipseque Christus vero natus Bissextili; aut hunc nostrum CIↃ. IↃC. XXXVI. neges esse. Sic vero natum, sic tempora computari, ipse calculus noster & cyclus indicant. Ut enim cujusque sæculi quartus; sic vigesimus, centesimus, millesimus, sic denique noster hic trigesimus sextus Bissextilis est; qui a primo Augusti Bissexto quadringentesimus octavus; a primo Christi, quadringentesimus nonus numeratur. Constanti sic quidem hucusque serie Bissexta extensa esse, inviolatus anni calculus testatur. Quippe ex hac emendatione Augusti, Solino teste, *velut disciplina quadam, omnium postea temporum fundata ratio est.* Quid Ammianus? Solinum exprimit: *Hanc rationem Bissexti probatam etiam v.ctura cum seculis Roma adjumento numinis divini fundavit.* Macrobii de Augusto verba vim hic suam habent, antea allata: *Omnem hunc ordinem æreæ tabulæ ad æternam custodiam incisione mandavit.*

## CAP. XII.

*In Bissexto prior an posterior dies intercaletur. Jurisconsultorum veterum opinio proposita, examinata, rejecta. Pupillus quomodo Hercules. Dies Intercalaris quando in lucro. Quid sit, Dies Intercalaris proficie Tempori.*

REStituto igitur Bissexto, & in usum producto, non una doctis controversia exorta. Prima ac præcipua fuit: prior, an posterior dies intercaletur. Cum uterque Bissextus sit, alter novus, alter vetus, novus dubites veteri, an vetus novo cedat, aut accedat; imo, uter novus. Qui de jure respondent, posteriorem esse novum, & adjungi volunt, atque id biduum pro uno die haberi. Verba Celsi sunt, lege XCVIII. de Verborum significatione: *Cum Bissextus Kalendis est, nihil refert, utrum priore, an posteriore die quis natus sit; & deinceps sextus Kalendas ejus natalis dies est. Nam id biduum pro uno die habetur: sed posterior dies intercalatur, non prior. Ideo, quo anno intercalatum non est, sexto Kalendas natus, cum Bissextus Kalendis est, priorem diem natalem habet.* Verba item Ulpiani, lege III. de Minoribus: *Si Bissexto natus est, sive priore sive posteriore die, Celsus scripsit nihil referre. Nam id biduum pro uno die habetur, & posterior Kalendarum intercalatur.* Nimirum quasi accedat, & priorem duntaxat extendat. Poterat igitur Bissexto Hercules gigni, si biduum satis erat, & sine prodigio fortis esse. Satis, si Propertium audimus lib. II. Eleg. XVI.

*Jupiter Alcmenæ geminas requieverat Arctos,*
*Et cælum noctu bis sine rege fuit.*

Imo si D. Hieronymum, epistola adversus Vigilantium: *Duas noctes Jupiter copulavit, ut magnæ fortitudinis Hercules nasceretur.* Non frustra Tragicus Agamemnone:

*Sensit ortus, sensit occasus*
*Herculem nasci: violentus ille*
*Nocte non una poterat creari.*

Poterat Bissexto; uno tamen die. *Nam id biduum pro uno die habetur.* Pupillum hic respexit Jurisconsultus, & quodammodo Herculem fecit: sed posteriorem, non priorem diem intercalari, id vero quamvis jura statuant, a temporis ratione alienum est. Utrum dicam? Diem legi obnoxium esse? an legem diei? Breviter. Intercalaris Terminalia inter & Regifugium medius est, quemadmodum docui: ergo prior. Item septimus Kalendarum Martii Terminalia habet, sextus Regifugium. sed qui intercalatur ante sextum est, & tamen sextus. ergo prior. An etiam clarius? Regifugium sextus Kalendas est, ut Jurisconsulti formula utar. ante Regifugium dies intercalatus. ergo ante sextum Kalendas. Res manifesta est. Sed Celsus, & ejus auctoritatem secutus Ulpianus, in gratiam pupilli, sive illius, qui natu viginti quinque annis minor est, Bisextum invertit, prioris loco diem posteriorem intercalando. Vis igitur legis, ad restitutionem in integrum referendæ, hæc est: Siquis eo anno, quo intercalatum non est, sexto Kalendas natus sit, quoties de anno deinceps, quo intercalatum est, agitur, priorem diem, natalem ejus censeri. *A momento enim in momentum* (ut formulam Juris sequar) *tempus spectatur.* Siquis vero eo anno, quo intercalatum est, sexto Kalendas natus sit, nihil referre, priorem diem, an posteriorem computes. Totum enim pro die uno biduum accipi. Quæri præterea Marcellus Jurisconsultus ait, lege III. de Diversis temporalibus præscriptionibus: *In tempore constituto judicatis, an Intercalaris dies proficere judicato,*

*nec ne debeat?* Item *De tempore, quo lis perit*. Existimat igitur, *Auctum litis tempus Intercalari die augeri*. Quin etiam, *Augeri, si de usucapione, quæ tempore constituto expleri solet, sit quæstio: aut de actionibus, quæ certo tempore finiuntur, ut ædilitiæ pleræque*. At vero, *Si quis fundum ea lege vendiderit, ut nisi in diebus triginta pretium esset solutum, inemptus esset fundus; diem Intercalarem tempori non proficere*. Ita enim rectius, quam *emptori*. Verba legis sunt: *Dies Intercalaris proficie Tempori. Mihi contra videtur*. T hic magnum, sive Latinum, ut solet, pro duplici ponitur, ut claudat vocem *proficiet*, & incipiat *tempori*. Aliter ergo leges, aliter contrahentes tempora supputant. Addo: aliter Astronomi, aliter Jurisconsulti.

## CAP. XIII.

*Verba Celsi J.C. De extremo Februarii die, deque mense Intercalari* XXVIII. *dierum, Diem extremum, non vigesimum octavum, sed vigesimum tertium esse: mensem Intercalarem vel ad Merkedonium, qui intercalari solet, vel ad Februarium, quo intercalatur, referri posse. Cujacii ingeniosa, sed titubans interpretatio: Budæi & Alciati facilis, sed fallax: nostra nova manifestis rationibus firmata.*

NUnc quoniam in hoc sermone sum, reliqua etiam lubet verba legis, Si BISSEXTUS, de Verborum significatione, qua ad mensem Intercalarem faciunt, examinare. Sunt ista: *Cato putat, mensem Intercalarem additiium esse, omnesque ejus dies pro momento temporis observat: extremoque diei mensis Februarii attribuit Quinctus Mutius. Mensis autem Intercalaris constat ex diebus viginti octo*. Catonis nomen, imo Mutii, etiam hic nobis magnum est. Sed cum totum ille pro momento mensem observet: quid mirum, biduum pro uno die haberi? Extremum vero Februarii diem quem proponit Mutius, non vigesimum octavum, sed vigesimum tertium intellige; pridie nihilominus Kalendas, non Martias, sed Intercalares sive Mercedonias, quemadmodum liquido mox assertum ibo. Mensis etiam Intercalaris definitur: uter obsecro? an Februarius, quo intercalatur? an Mercedonius, qui intercalari tempore Reipublicæ solet? Si Februarius, de die quæstio est; si Mercedonius, de mense, qui diem adhuc extremum quærit. Budæus & Alciatus, alter Galliæ, alter Italiæ insigne decus, Februarium accipiunt; Cujacius, utriusque ad se famam trahens, Mercedonium. Tu vide, unum, an duos, imo plures sequi malis. Cujacius quidem, ad titulum de Verborum significatione scribens, Mercedonium istum, sive Intercalarem, constare existimat partim 27. partim 28. diebus, & Octaeteride Græcorum constitui; qui octavo quoque anno, ut Lunam cum Sole exæquarent, nonaginta dies, in tres menses tricenarios distributos, intercalabant. Quotannis enim dies undecim in summam computati, octennio uno 88. conficiunt: adjunctis bis quaternis quadrantibus, 90. Hæc e Macrobii libro I. Saturnal. cap. XIII. Sed Romanos vult Cujacius, cum annum suum, superstitione imparis numeri, diebus 355. constituerent, octennio uno dies collegisse 82. Octoginta quidem, ratione dierum; duos, ratione quadrantium. Ex hisce tres menses compositos & intercalatos fuisse: duos, 27. unum, 28. dierum. Bis enim 27. & semel 28. facere 82. Mensem igitur istum majorem a Celso hic definiri, & Intercalarem, sive addititium esse. Budæus & Alciatus simpliciter Februarium accipiunt: hunc enim 28. dierum esse, quamvis anno Bissextili 29. recipiat; cum biduum pro uno die habeatur. Celsum etiam numerum dierum mensis Intercalaris, non e Catonis aut Mutii sententia, sed e sua definivisse. Quid dicam? Majori ingenio Cujacius quam fulcro nixus, invenit mensem, qui apud Romanos non fuit. An apud Græcos? At *hi* (ut Macrobii verba, supra cap. XI. citata, sequar, & in compendium contraham) *e nonaginta diebus, octavo quoque anno collectis* (undecim enim quotannis superant) *tres menses, tricenum singulos dierum componebant*. Menses, inquam, intercalares: *quoniam*, ut idem ait, *operosum atque difficile erat, omnibus annis undecim dies & quadrantem intercalare*. Quid Romani? *Hunc ordinem* (trium mensium) *imitari conati sunt, sed frustra: quippe fugit eos, unum diem additum esse ad Græcum numerum, in honorem imparis numeri*. Græci enim annum suum 354. circumducebant diebus; Romani, 355. Ut paucis expediam, *per octo annos nonaginta quasi superfundendos, Græcorum exemplo, computabant dies, alternisque annis binos & vicenos, alternis ternos & vicenos Intercalares expensabant, intercalationibus quatuor*. Bis enim 22. bis item 23. dies nonaginta simul conjungunt. Sed turbabat rationem unus ille, qui octavo quoque anno novos octo ὑπερβαίνοντας cumulabat. *Hoc quoque errore jam cognito, hæc species emendationis inducta est. Tertio quoque octennio* (quo viginti quatuor exsurgebant dies) *non nonaginta, sed sexaginta sex intercalabant, compensatis viginti quatuor diebus, pro illis, qui per totidem annos, supra Græcorum numerum creverant*. An clarius? a 90. diebus dempti 24. relinquebant 66 materiam trium mensium ἐμβολίμων, qui vicenis binis singuli diebus constarent. Ut hæc sunt, satis, ut opinor, liquet, Cujacii calculum, tametsi eruditum, a veri ratione aberrare. Et tamen cum eodem contra Budæum atque Alciatum sentio, mensem Intercalarem Celsi, ad Mercedonium, non ad Februarium referendum esse: non ad eum, quo intercalatur, sed qui ad eum, qui viginti trium dierum est, & vicenis tamen octonis computatur. Alter enim, ille viginti duorum, ad vicenos septenos duntaxat extenditur. Ut paucis dicam, Februarius, qui mensi advenæ locum & hospitium dabat, inter Terminalia & Regifugium, sive post vigesimum tertium diem findi solebat, mensemque Mercedonium, alterna annorum vice recipiebat. Reliqui quinque Februarii dies, sive ἐπαγόμεναι, Mercedonio minori aggregati, viginti septem; majori, viginti octo conficiebant. Aggregari solitos, verba Varronis, supra allegata confirmant: *Duodecimus mensis Februarius: & cum intercalatur, inferiores quinque dies demuntur mense*. Post Eidus igitur Februarias undenæ Kalendæ Intercalares numeratæ. Quinctum Kalendas Intercalares Cicero exprimit pro Quinctio: *Dic Navi diem. Ante* V. *Kalendas Intercalares:* qui est vigesimus Februarii. Item: *Dejicitur de statu Quinctius, pridie Kalendas Intercalares*. id est, Terminalibus, sive vigesimo tertio Februarii; quem ultimum hic appello. Kalendas ipsas Intercalares, sive primum Mercedonii diem in Fastis Triumphalibus invenias, de Duilio: C. DVILIVS. M. F. M N. COS. PRIMVS. TR. NAVALEM. DE. SICVL. ET. CLASSE. POENICA. EGIT. K. INTERCALAR. Post Eidus vero Intercalares mensis Mercedonii, sive diem decimum tertium, Kalendæ Martiæ numerari cœptæ, tanquam posteriores; avulsosque Februarii quinque dies suos jam numero comprehendebant. Eiduum mentio in iisdem Fastis: L. CORNELIVS. L.F.TI. N. LENTVLVS. CAVDINVS. COS. DE. LIGVRIB. IDIB. INTERCAL. Sed mense Interca-

lario Kalendas Martias numeratas esse Asconius asserit, in Milonianam scribens: *Pompejus ab Interrege Ser. Sulpitio, v. Kal. Martias mense Intercalario Consul creatus est*. Livius quoque lib. XXXVII. de L. Scipione Asiatico: *Triumphavit mense Intercalario, prid. Kal. Martias*. Decimo quarto igitur Februarii die Kalendæ Intercalares initium suum capiunt, suntque undecim: decimo quarto vero Mercedonii, Kalendæ Martiæ, & post vigesimum tertium quinque ἐπαγομένας assumunt. Summa hæc est, Februarium, qui viginti octo dierum erat, viginti tribus: Mercedonium, qui viginti trium, viginti octo computari. De viginti duobus frustra dico: uno Kalendæ die deficiebant. Res ad tabulam ducenda est, ut non legi tantum, sed cerni possit, & facilius intelligi.

MENSES ET DIES

## ANNI ROMANI ANTIQUI.

| | | | |
|---|---|---|---|
| *Annus Rom. Antiquus*, | *Simplex*, *in quo* *Menses* XII. | *Januarius*, | XXIX. |
| | | *Februarius*, | XXVIII. |
| | | *Martius*, | XXXI. |
| | | *Aprilis*, | XXIX. |
| | | *Majus*, | XXXI. |
| | | *Junius*, | XXIX. |
| | | *Quinctilis*, | XXXI. |
| | | *Sextilis*, | XXIX. |
| | | *September*, | XXIX. |
| | | *October*, | XXXI. |
| | | *November*, | XXIX. |
| | | *December*, | XXIX. |
| | | | CCCLV. |
| | *Intercalaris*, *in quo* *Menses* XIII. | *Januarius*, | XXIX. |
| | | *Februarius*, | XXIII. |
| | | *Mercedonius*, vel | XXVII. XXVIII. |
| | | *Martius*, | XXXI. |
| | | *Aprilis*, | XXIX. |
| | | Reliqui, ut supra in Anno simplici. | |

ANNI INTERCALARIS

## FEBRUARIUS.

DIES I. KAL. FEBR.
5. NON.
13. EID.
14. XI. KAL. INTERC. *Mensis* MERCEDONII.
15. X.
16. IX.
17. VIII.
18. VII.
19. VI.
20. V. *Hujus diei meminit Cicero, oratione pro Quinctio*.
21. IV.
22. III.
23. PRID. KAL. INTERC. TERMINALIA. *Hujus item Cicero, & eadem oratione*.
*
*
*Hi quinque dies reliqui, loco suo moti, Mercedonio adjungebantur: ut supra cap. II. ostendi*.
*
*

## MERCEDONIUS.

DIES I. KAL. INTERCALARES. *Hoc die triumphum navalem egit Duilius*. Fasti.
5. NON.
13. EID. *Hoc die de Liguribus triumphavit Candinus*.
14. XVI. KAL. MART. *Hic dies, in mense Mercedonio* XXII. *dierum, omittebatur*.
15. XV.
16. XIV.
17. XIII.
18. XII.
19. XI.
20. X.
21. IX.
22. VIII.
23. VII. *Hi sunt* XXIII. *dies Mercedonii*.
*24. VI. REGIFUGIUM. ἐπαγόμεναι.
*25. V. *Hoc die Pompejus* III. *Consul creatur*. Ascon.
*26. IV.
*27. III.
*28. PRID. KAL. MART. *Hoc die Scipio Asiaticus triumphavit*. Fasti.

## CAP. XIV.

*Nundinas Romanas Bissexto etiam dirigi. Cyclus Nundinalis cum nostro Solis comparatus. Istic ogdoades dierum totidem litteris; hic heptades, totidem computari*.

A Mense ad diem redeo, a Republica ad Cæsarem; qui plus uno die suo, quam toto Respublica mense potuit. Die, sed Intercalari, die, sed Bissexto, anni fulcro, temporum fræno, siderum sigillo. Nihil in Romano Hemerologio solennius Nundinis fuit, singulari nobis libro descriptis. Sed hæ cum vagæ & incertæ essent, novamque quotannis sedem sortirentur, suum & cyclum & circulum Bissexti ratione acceperunt. Nundinarum loco, diem Christiani Solis, sive Dominicum, festo ac præcipuo religionis ritu habemus, tanto lætiorem ac illustriorem reliquis, quanto in cœlo sidus est, a quo minora lucent. Sed illæ, Nundinæ erant, quasi *novemdinæ*: nostræ, ut sic appellem, *Octundinæ*. Illæ octo dierum, totidemque litterarum laterculo, quadragies quinquies repetito, quotannis decurrebant, quinque in fine superfluis, cum quadrante. Nostræ, septenario constant numero, tanquam curriculo; quæ hebdomades sunt, & anno vertente quinquagies bis revertuntur, relicto die uno, & unius quadrante. Hinc cyclus Nundinalis, in usum priscum: & Solaris, in nostrum: alter ogdoade sua, alter heptade, annum absolvens magnum, & exæquans. Eo enim usque quadrans diei (qui & unum illum superfluum, & quinque includit) producto annorum numero, cumulandus est, donec in ogdoadem dierum, vel in heptadem excrescens, totum alterutra jam plena annum absolvat: ogdoade quidem, triginta duorum annorum spatio; heptade, viginti octo. Cyclus igitur nundinalis, sua confecta periodo, per octo Bissexta Nundinas in ordinem revolvit: ille noster & Solis, suos quoque implet varietatis annos, priusquam pleno laterculum ordine innovet, septem Bissexta includens. Quadrans enim diei, ut diem constituat, quadriennio indiget. Octo item quadrienniis, & sic totidem Bissextis.

opus, ut ogdoadum; septem, ut heptadum periodus describatur: octo autem, triginta duos annos; septem, viginti octo constituunt. In cyclo sic quidem Nundinarum, anni vertentes singuli ogdoades complectuntur dies 45. dies 5. cum quadrante: in Solis, vertentes singuli heptades 52. diem 1. cum quadrante. Quid tandem? Ex annis 32. qui cyclus Romanus est, sive annus magnus nundinalis, ogdoades dierum proveniunt 1440. ex totidem quinque diebus superfluis, ogdoades 20. ex totidem quadrantibus, ogdoas una. Sunt igitur in annis plenis 32. ogdoades 1461. sive dies 11688. At vero ex annis 28. qui cyclus Christianus est, sive annus magnus Solis, heptades 1456. ex totidem diebus, heptades 4. ex totidem quadrantibus, heptas una. Sunt igitur in annis plenis 28. heptades 1461. sive dies 10227. Mirum profecto: tot heptades vides, quot ogdoades erant: vides utrumque hactenus cyclum quodam velut numerorum mysterio conspirare, Nundinarum, & Solis. Quod caput est, illæ septem dierum litteræ, sive notæ, A B C D E F G, viginti octo annis variantur, & cyclum constituunt: Romanæ octo, A B C D E F G H, totis triginta duobus. Viginti præterea octo anni septem Bissexta constituunt: triginta duo, octo.

## CAP. XV.

*Bissextorum computatio. Christus anno natus Bissextili. In Cyclo Solis septena Bissexta: in sæculo Cycli tres, Bissexta quatuor. Totus ad facillimum & extemporale calculus compendium redactus.*

CYcli Bissextis computantur. BISSEXTORUM initium duplex: profanum, & sacrum. Alterum a vel Julio, auctore suo, vel ab Augusto instauratore; alterum a Christo nato, quæ sanctissima temporum nostrorum epocha est, sumas. Natus autem Christus, qui Homo & Deus est, anno Bissextili, Cycli nono, litteris DC. ut Deum his eisdem notis agnoscas, qui homo factus est; & Christum esse Deum, qui homo hominum caussa mortuus, ut non nisi per ludibria, tormenta, cruciatus, ad se rediret, ab hominibus non discederet. Annum igitur Bissextilem, Dei appello: fuitque primus Christi, primus a Bissextili, quo deinceps calculo quartum Christi, octavum, duodecimum, decimum sextum, vigesimum, omnesque porro quartos, Bissextiles computamus. Quemadmodum vero in Cyclo unoquoque, sive vicenis octonis annis, septem Bissexta: ita in centuria viginti quinque inveniuntur: Cycli, inquam, tres, Bissexta quatuor. In toto igitur Christiano hactenus ævo, sive annis 1636. Bissexta sunt, ut dixi, 400. sed Cycli 58. Bissexta 3. Etenim quaterni quique anni Bissextum unum constituunt; octoni, duo; viceni, quinque; centeni, viginti quinque; milleni, ducenta quinquaginta. Totam seriem tabella exhibeat.

| ANNI. | BISSEXTA. |
|---|---|
| 4. | I. |
| 8. | II. |
| 12. | III. |
| 16. | IV. |
| 20. | V. |
| 24. | VI. |
| 28. | VII. |
| 32. | VIII. |
| 36. | IX. |
| 40. | X. |
| 44. | XI. |
| 48. | XII. |
| 52. | XIII. |
| 56. | XIV. |
| 60. | XV. |
| 64. | XVI. |
| 68. | XVII. |
| 72. | XVIII. |
| 76. | XIX. |
| 80. | XX. |
| 84. | XXI. |
| 88. | XXII. |
| 92. | XXIII. |
| 96. | XXIV. |
| 100. | XXV. |
| 1000. | CCL. |

Sed annos Bissextiles singulos distinguere, & sine numeris, ut sic dicam, numerare, ad argumenti pretium faciet: scire, inquam, in toto unoquoque sæculo, & extempore, quinam Simplices, quinam Bissextiles sint, & quoti a Bissextili. Anni decimi, ut singuli habendi: alii pares, alii impares. Pares sunto, 20. 40 60. 80. 100. quemadmodum, 2. 4. 6. 8. 10. Impares, 10. 30. 50. 70. 90. quemadmodum 1 3. 5. 7. 9. Decimi igitur pares, Bissextiles sunt: Quarti item & Octavi, qui Decimos pares sequuntur: omnes enim quarti sunt. Decimi impares, Bissextiles non sunt, sed Secundi inde, & Sexti: nam & hi quarti. An luce opus?

### ANNI IN QUOVIS SÆCULO BISSEXTILES.

| DECIMI. | QUARTI. | OCTAVI. |
|---|---|---|
| 20. | 24. | 28. |
| 40. | 44. | 48. |
| 60. | 64. | 68. |
| 80. | 84. | 88. |
| 100. | 4. | 8. |

| SECUNDI. | SEXTI. |
|---|---|
| 12. | 16. |
| 32. | 36. |
| 52. | 56. |
| 72. | 76. |
| 92. | 96. |


Paucæ hæ omnino regulæ sunt, & ad unam quoque rediguntur. Etenim dati anni cujuscumque numerus in partes si duas æquales & pares dividi potest, Bissextilis est; si non potest, Simplex. Ut annus XCVI. quia in bis 48. abit, æquales & pares, Bissextilis est. Sic XCII. in 46. LXXXVIII. in 44. LXXXIV. in 42. LXXVI. in 38. LXXII. in 36. quæ & reliquorum ratio est.

## CAP. XVI.

*Manus litterata, pollice indiceque litteras annorum omnium hebdomadicas tam simplicium quam bissextilium citius exhibens, quam numerans. Ordo ac digestio motum cæli in annis; Solis, in diebus repræsentandis sequitur. Annorum alii singuli, alii decimi, alii centesimi sunt: duplici quoque modo ac methodo, sive Julianos Fastos, sive Gregorianos ineas, investigandi. Centesimi cur in simplices rursus distinguantur, & quomodo in numerato sint.*

MAjoris videtur momenti esse, singulorum tam Simplicium, quam Bissextilium litteras Hebdomadicas investigare: non majoris operæ, si manu mea utaris. Alios certe calculos, alias tabulas, alia æra non desideres. Facient digiti, quod numeri; gestus, quod abacus; dies omnes una hebdomade, annos omnes uno septennio repræsentabit. Cum Aristophane dicam: Τί δῆτα χεῖρες ὐκ ἂν ἐργασαίατο: *quid tandem non efficiant manus*? In indicem sinistræ pollicemque heptas litterarum digerenda est. Verticem indi-

A cis A occupet; proximi deinde articuli lineam, B; sequentis, C; radicem, D; imum pollicem, E; medium, F; summum, G. Hic litterarum, imo dierum numerus continuo in orbem ductu revolutus & quinquagies bis sumptus, annum, addito quidem die uno, Simplicem; bis uno, Bissextilem extendet. Sed unus ille quotannis Decembrem claudit, & vere ultimus est, alter, e quatuor quadrantibus conflatus, inter septimum & sextum Kalendarum Martii quarto quoque anno collocatur, & Intercalaris, sive Bissextus est, Græce ἐμβόλιμος ἡμέρα, annumque Bissextilem facit. Singuli sic quidem simplicesque anni suam
B sibi litteram vindicant; Bissextiles, sive quarti, binas. Sane per litterarum hæc vestigia & dies, sed dextrorsum; & anni, sed sinistrorsum eunt. Dies cum cœlo, anni cum Sole. A Christo ordimur, σὺν Θεῷ, & hunc Bissextili, litterisque natum esse DC. dixi. Primus igitur, qui epochæ nostræ caput est, in proximo articulo B constituendus, secundus in A, tertius in G, quartus in FE, quia Bissextilis, quinctus in D, sextus in C, septimus in B, octavus in AG, quia Bissextilis, nonus in F, decimus in E, undecimus in D. Facilis computatio est: sed manus loquatur.




Singuli ad hunc modum anni computati, litteras suas inveniunt. Denarii insuper, Centenariique quærendi, nequid majori in summa aut molestum aut morosum sit. Quærendi compendio, quod inverso numerorum ordine, recto litterarum dirigetur. Ac denarii quidem, cum partim Simplices, partim Bissextiles sint, pares, aut impares; singulis, vel geminis quoque Litteris (quarum prior posteriorem occupat locum) notantur ac constant. Decimus charactere E, Vigesimus FG, Trigesimus A, Quadragesimus BC, Quinquagesimus D, Sexagesimus EF, Septuagesimus G, Octogesimus AB, Nonagesimus C, Centesimus,

DE, qui anno Natali CD innexus est, reliquosque eodem gyro Centenarios ducit. Sequitur Ducentesimus litteris EF, Trecentesimus FG, Quadringentesimus GA, Quingentesimus BC, Septingentesimus CD, Octingentesimus DE, Non-
F gentesimus EF, Millesimus FG, Millesimus centesimus GA, Millesimus ducentesimus AB, Millesimus trecentesimus BC, Millesimus quadringentesimus CD, Millesimus quingentesimus, ultimusque Centenarius Julianus DE, velut desinens, quemadmodum primus fuit. Hinc etiam Denarii, Singulique ad annum LXXXII. quos a GREGORIO XIII. correcti sunt Fasti, numerantur.

Denarii quidem, eodem quo Centenarii vestigio. Post Millesimum enim Quingentesimum DE, Decimus litteram habet F unam, quia Simplex; Vigesimus GA, duas, quia Bissextilis; Trigesimus B, Quadragesimus CD, Quinquagesimus E, Sexagesimus FG, Septuagesimus A, Octogesimus BC. Singuli vero contrario, ut dixi, ordine ac via: Octogesimus primus A, Octogesimus secundus, & ultimus Julianorum G. Hoc enim anno Gregoriani introducti sunt, & decem exemptis diebus, post IV. Non. Octobris, qui Jovis erat, littera D, ipsæ Eidus postridie numeratæ. Venus igitur mutavit sedem, præteritisque E F G A B C D E F G, ad A transmigravit. Idem dies erat, alia littera; idem nomen diei, alius numerus, in suum jam locum Sole, unde præcipitatus erat, cum Æquinoctiis Solstitiisque redeunte. Ab Octogesimo igitur secundo anno, quo mutata Solis est Littera Juliana G, in Gregorianam C nova exordium computatio Cycli habuit. Octogesimo deinde tertio B obvenit, quarto AG, quincto F, sexto E, septimo D, octavo CB, nono A, nonagesimo G, primo F, secundo ED, tertio C, quarto B, quincto A, sexto GF, septimo E, octavo D, nono C, sexcentesimo supra millesimum BA. Novi sic vero sæculi primus annus verticem pollicis, sive litteram G occupavit, secundus F, tertius E, quartus DC, quinctus B, sextus A, septimus G, octavus FE, nonus D, decimus C. Inde reducto secundum litterarum seriem gradu, vigesimus, trigesimus, quadragesimus, reliquique denarii numerantur: cum discrimine tamen annorum Simplicium, Bissextiliumque. Denarii enim pares, ut docui, Simplices sunt, una singuli littera; pares vero, Bissextiles, geminata. In Centenariis alia observatio: qui Bissextiles hactenus omnes fuere, ex Edicto Cæsaris; in posterum distinguendi. Fuere, numeri lege, quia quarti. Et enim vigesimus Bissextilis est, quia quincto loco & conversione quartus: ita centesimus, quia quincto loco vigesimus. Distinguendi vero deinceps in Simplices, & Bissextiles. Quam ob caussam? Ne annus Julianus semel a GREGORIO correctus, in eandem perturbationem incidat; imo, quia incidet, ut errori obviam eatur. Error a fonte est: quippe dies Intercalaris, quia e quadrantibus non plenis conficitur, nec ipse plenus est; cum tamquam plenum computemus. Defectus bis undecim scrupulorum est, quæ quadringentorum annorum decursu triduum componunt; octingentorum, bis triduum; mille ducentorum, ter. Cæsarem an accusem? Sive nesciverit pauca quadranti deesse in plena periodo scrupula, sive neglexerit, quia satis non sciret; viam errori aperuit, quo labi & luxari paullatim anni ratio cœpit, & a cardinibus suis divelli. Hos reduxit Gregorius, & simul emendavit, quicquid inde a temporibus Concilii Nicæni, sive Constantini Magni, excessu intercalari extra legem præcipitatum erat. Hoc erat vere Pontificem esse, injecit manum tempori, cursumque dierum vitiosum nova diorthosi sustaminavit. Frustra nihilominus corrigitur error, si non tollitur, relicta radice, e qua novo incremento anni deformitas pullulet. Quadrans antea, quia plenis partibus computatus, cum deficeret, in dies mala fide crevit, adhuc computatur. Semel temporis usura resecta: an mox denuo resecanda? Frustra cures vitia, si remedia vitia sint: frustra restituas Fastos, si eodem morbo corruant. Quid tamen est? Ingeniosa nos Pontificis cura securos esse voluit, errorem deinceps sine errore habituros. Arcanum hoc nosce, & aliquid ignorasse Cæsarem pronuncia, quod Gregorio deberemus. Ut igitur, undecim semel scrupulorum excessu castigato, ad legem sponte exorbitans rediret Bissexti velocitas, quodam quasi freno ipsa in posterum coercere sæcula placuit; & in hisce singulorum etiam annorum varietatem intercalando observare. Post quartum, octavum, duodecimum, decimus sextus nonne Bissextilis est? Omnino; quia quarto loco quartus. Decimus septimus, octavus, nonus, nonne Simplices? Omnino; quia medii; quia nec diebus pleni. Sæcula confer: Decimum sextum (nuper nobis, atque adeo ante novem quadriennia impletum) quia quarto loco quartum, Bissextile est: Decimum septimum vero, octavum, nonum, quia ratione numeri instar Simplicium sunt, sine injuria temporis, diem illum adoptivum, sive Intercalarem deponant. Adjunge Vigesimum, anno Christi bis millesimo numerandum, & plena rursus trecentorum sexaginta sex dierum luce fulgebit. Hæc omnino cautione opus erit, ne vacillet ratio temporum: tres enim quadringentorum annorum spatio supprimentur dies, quibus a vero calculus Intercalaris excedit. Ut in centesimis igitur, millesimisque Bissexta invenias, & ipsa momento sæcula complectaris; ingenio magis, quam labore opus, manu, quam ingenio. Centesimos, tanquam singulos puta & computa: Millesimos, tanquam decimos, quos in pares & impares separavimus. Etenim decies centeni, ut sic dicam, tricies, quinquagies, septuagies, nonagies, impares sunt; ideoque simplices. Ducentesimi vero, nec non sexcentesimi supra hos centenos impares, quia secundorum & sextorum loco numerantur, Bissextum recipient. Vicies deinde centeni, quadragies, sexagies, octuagies, centeis, pares sunt, ideoque Bissextiles. Quadringentesimi quoque, & octingentesimi, quia quartorum & octavorum vice. Ipsi tandem millesimi, ut de iis seorsim dicam, in pares deinceps & impares distinguendi. Pares, Bissextiles erunt: bis, quater, sexies, octies, decies Millesimus; quia vigesimo, quadragesimo, sexagesimo, octogesimo, centesimo loco centesimus. Impares, Simplices: ter, quinquies, septies, novies millesimus; quia trigesimo, quinquagesimo, septuagesimo, nonagesimo loco centesimus. Ad manum redeo; ut in hisce quoque annis omnibus litteræ, dierum notæ, & ex tempore depromantur. Millesimus sexcentesimus, qui calculo etiam Gregoriano Bissextilis est, quia decimo sexto loco centesimus, in indice elementis A B notatur; quarum B prior est, A posterior. Millesimus septingentesimus, & Simplex, proxima linea, & littera C. Millesimus octingentesimus, in radice pollicis, littera E. Millesimus nongentesimus, in supremo pollice, littera G. Bis millesimus, quia quarto jam loco centesimus, ad indicem, litterasque redit A B, & Bissextilis est. Omnes igitur & centesimi & millesimi Bissextiles, eisdem litterarum notis insigniuntur, tanquam propriis & primis, A B. Centesimus post Bissextilem primus, tertia C: Secundus quincta E: Tertius septima G: Quartus denuo primis A B. Atque ita tota calculi varietas per A B, C, E, G, brevi & constanti periodo circumducitur. Reliquæ duæ, D, F, quia Bissextilium loco sunt, & posteriores, in Centesimis Simplicibus neglectæ, eliduntur. Notandum quoque, iisdem Centesimis Simplicibus Gregorianis Singulos quosque & primos, proxime adhærere, sinistrorsum porrectis numeris: Decimos littera una interjecta, dextrorsum. Etenim annus millesimus septingentesimus litteram occupat C. Sed millesimus septingentesimus

simus

simus primus B, quæ loco & gradu sequitur, atque adeo in ortum. Millesimus septingentesimus decimus, non proximam D, sed proximæ proximam E, in occasum. Sic millesimus octingentesimus litteram occupat E: sed millesimus octingentesimus primus D, in centesimis neglectam.: Millesimus octingentesimus decimus, non F, sed G. Item millesimus nongentesimus litteram G. Primus F, decimus non A, sed B. bismillesimus, quia Bissextilis A B, rationem in Julianis traditam sequitur, primumque annum proxima G, decimum C recipiet. Quare eadem hic quæ decimum, etiam centesimum denotabit.

## CAP. XVII.

*Absque Cyclo litteras hebdomadicas haberi: Cyclus tamen ad manum relatus. Aliis eum in veteri Kalendario litteris, aliis in novo distingui; sed pari utrobique facilitate litteras cognosci. Indigitamenta temporis. Ad numeros Lector, ut annum sciat Cycli, remissus.*

Qui litteras investigant Hebdomadicas, & numerant, Cyclo Solis, tanquam aptissimo hebdomadum instrumento uti solent: quo nos certe non indigemus. In pollice & indice positum est, quicquid & anni omnes & dies continent; imo quotquot in annis Bissextiles, in diebus intercalares continentur. In gyrum imus, uno initio, quod a Christi Natali sumitur; nullo, ut sic dicam, fine, qui extendi semper potest. Sed Cyclum tamen ipsum concludi manu, comprehendi digitis posse, quidni ostendo? Ad lucem Bissexti, & ornatum argumenti faciet seriem extendere, non annulis manum, sed annis; non gemmis, sed diebus; non auro, sed tempore implere. Cyclus est, quia viginti octo annorum circulus: Solis, quia totam litterarum Solarium varietatem comprehendit; quæ Bissexti ratione, non poterat nisi viginti octo annis absolvi. Tantum negotii dierum Heptas habet, quia cum anno desinit. In toto autem Cyclo anni quoque septem Bissextiles inveniuntur; Simplices tersseptem: eodem discrimine litteræ, ter septem singulæ; septem geminatæ. Sed aliter in antiquo Cyclo, aliter in novo & Gregoriano: ob decem dierum exæresi, quos correctioni Fastorum expensos ferimus. Duravit antiquus ad annum CIƆ. IƆ. LXXXII. qui fuit Cycli XXIII. Littera Solari G, secundus ab ultimo Bissextili C B. Sed G in C, decem exemptis diebus, commutata est; ut per has ipsas discas litteras, recte a Gregorio correctum Kalendarium esse: quin & Gregorii Correctionisque vocabulo litteras insinuari.

### CYCLUS ANTIQUUS,

*Litteris, Annisque distinctus.*

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1. | 2. | 3. | 4. | 5. | 6. | 7. | 8. | 9. | 10. | 11. | 11. | 13. | 14. |
| F, | E, | D, | C, | A, | G, | F, | E, | C, | B, | A, | G, | E, | D, |
| G, | | | | B, | | | | D, | | | | E, | |
| 15. | 16. | 17. | 18. | 19. | 20. | 21. | 22. | 23. | 24. | 25. | 26. | 27. | 28. |
| C, | B, | G, | F, | E, | D, | B, | A, | G, | F, | D, | C, | B, | A. |
| | | A, | | | | C, | | | | E, | | | |

### NOVUS.

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1. | 2. | 3. | 4. | 5. | 6. | 7. | 8. | 9. | 10. | 11. | 12. | 13. | 14. |
| B, | A, | G, | F, | D, | C, | B, | A, | F, | E, | D, | C, | A, | G, |
| C, | | | | E, | | | | G, | | | | B, | |
| 15. | 16. | 17. | 18. | 19. | 20. | 21. | 22. | 23. | 24. | 25. | 26. | 27. | 28. |
| F, | E, | C, | B, | A, | G, | E, | D, | C, | B, | G, | F, | E, | D. |
| | | D, | | | | F, | | | | A, | | | |



A Sed quid numeris opus? Litteras ipsas manus numerat. Primo Cycli antiqui anno, & Bissextili vertex pollicis mediusque articulus tribuuntur, sive litteræ GF: secundo radix E: tertio infimus index D: quarto proximus articulus C: quincto, rursus Bissextili, linea sub vertice, & ipse vertex BA: sexto summus pollex G: septimo vicinus articulus F; & sic deinceps. Bissextiles junctim omnes reducto dextrorsum ordine, qui Alphabeti est, invenies: primum FG, quinctum AB, nonum CD, decimum tertium EF, decimum septi- B mum GA, vigesimum primum BC, vigesimum quinctum DE, rursusque primum FG. Sed prior hic in Alphabeto, posterior est in anno. Jam vero primo Cycli novi, & Bissextili, tribuuntur CB, medius, ut sic dicam gemino articulo Index: secundo summus A: tertio vertex pollicis G: quarto medius articulus F: quincto, & rursus Bissextili, radices pollicis indicisque ED: sexto proximi nodi linea C: septimo adhærens B: & sic de reliquis. Compendio quoque Bissextiles junctim omnes, inverso, ut supra, ductu constituuntur. Primus litteris BC; quinctus, DE; nonus, FG; decimus tertius, AB; decimus septimus, CD; vigesimus C primus EF; vigesimus quinctus GA; ac denuo primus, BC. Hic etiam, quæ prior in Alphabeto, posterior in anno. Qua denique ratione, dato quocumque Christianæ epochæ anno, quotus ille in Cyclo fuerit, sit, futurus sit, pronuncies; in Indigitamentis meis, explicatum est. Quod opus de Temporibus, temporum adhuc iniquitas supprimit. Nunc ad numeros te remitto; ut Christi annis, qui nono Cycli natus est, 9. adjungas; collectos per 28. qui totus est Clycus, dispertiaris. Ita enim numerus divisus Cyclos hactenus impletos; reliquus, annum Cycli labentis indicabit. In exemplum vero, nostrum nunc sume, millesimum D sexcentesimum trigesimum sextum, auge, divide: Cyclos quinquaginta octo, annos unum & viginti invenies.

## CAP. XVIII.

*In Bissexto alia mira, alia ominosa. Ventos fere eosdem ac tempestates, quadriennio exacto, redire: fœcunditatem vitium explorari. Diversum diei ac anni principium. Quadriennii religio, solennitas, superstitio, error. Dies ipse Intercalaris auspicatus, quia sextus, quia perfectus. Numeri perfecti mysterium, pretium, raritas, denique ratio* E *Geometrica.* Jo. STURMII *laus.*

Dies sic satis expensus, qui annum auget, & Bissextus appellatur; satis Annus, qui Diem recipit, & Bissextilis est. Expensus, ut originem utriusque, formam, naturam intelligamus. Adde quod mirum est, imo quod ominosum; Mirum est, post quadriennia singula reddi sibi naturam rerum, & quodammodo Intercalarem esse. F De ventis atque tempestatibus Eudoxus apud Plinium lib. II. cap. XLVII. *Omnium redire easdem vices, quadriennio exacto, non ventorum modo, verum & reliquarum tempestatum magna ex parte. Et esse principium lustri ejus semper Intercalari anno, Caniculæ ortu.* Columella de vitis fœcunditate quaternis vindemiis exploranda, lib. III. cap. VI. *Ubi plurimis velut emeritis annorum stipendiis, fides surculo constitit, nihil dubitandum est de fœcunditate: nec tamen ultra quadriennium talis extenditur inquisitio. Id enim tempus fere virentium generositatem declarat, quo Sol*

A *in eandem partem Signiferi, per eosdem numeros redit, per quos cursus sui principium cœperat: quem circuitum meatus dierum integrorum mille quadringentorum sexaginta unius ἀποκατάστασιν vocant studiosi rerum cælestium.* Recte iidem numeri, idemque principium hic nominatur. Quia enim ut in Genialibus ostendi, a media nocte annus Romanis incipit; per ortum, meridiem, occasum circumducendus est, donec desinat, ubi inceperat: desinet autem, si quadriennium productis in diem quadrantibus, computabis. Non igitur idem semper diei & anni principium est, nec alterius meta alter continetur. Ut novum gignat annus diem, B vagus est, & diem percurrit. Recte etiam suo hic spatio ac meatu κατάστασις illa Solis definitur. Annum enim diebus trecentis sexaginta quinque & quadrante si metiaris, dies quadriennio uno 1461. constitues. Ruris hoc mysterium ne a Sacris quidem Litteris exulat, præscribente quasi Deo cælestem periodi Intercalaris religionem, Levitici c. XIX. *Quando ingressi fueritis terram, & plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum. Poma quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. Quarto autem anno omnis eorum sanctificabitur laudabilis Domino. Quincto autem anno comedetis fructus, congregantes poma quæ proferunt.* C Non frustra etiam quadriennii intervallo celebratos esse ludos Olympicos, a quibus Olympiades, ex professo, & libro singulari docui. Verumenimvero ominosum fuisse Bissexti diem, in Antiquitate notatum est. Breviter Macrobius lib. I. Saturnal. cap. XIV. *Fuit tempus, cum propter superstitionem Intercalatio omnis omissa est.* De Valentiniano Imperatore Ammianus Marcellinus l. XXVI. *nec prodire in medium voluit, Bissextum vitans Februarii mensis, tunc illucescens: quod aliquoties rei Romanæ fuisse cognorat infestum.* Infestum sane nuper Maximilianus I. Imperator expertus est, quia ignoratum. D An narro? Tumultu tum temporis, Belgico, cum de tutela filii, Provinciarum hæredis Philippi, ageretur, & refractarios experiretur Ordinum animos, expeditum Brugas versus militum agmen duxit, anno CIↃ. CCCC. LXXXIV. in quo oppido rebus suis addictos cives nonnullos habebat, opem invadenti ex compacto suppeditaturos. Dies constitutus erat, pervigilium D. Matthiæ, quod eo anno, quia Bissextili, in vigesimum quartum Februarii incidebat. Maximilianus Bissexti immemor, pridie, ac præmature advolans, signa explicat, vim parat, opem conjuratorum exspectat. Sed rebus eo adhuc die in urbe imparatis, consilia, E quia perfici non potuere, majori etiam damno detecta sunt. Ad carcerem rapti, quos suspicio; ad supplicium, quos arma accusabant. Pars laqueo, pars gladio puniti, Bissexti culpa perierunt. Sed hic tamen error magis, quam dies accusandus est; casus, quam annus. Quicquid reprehendi potest, Imperator sustinet: tempora ignoravit. Felicem potius, imo bis felicem hunc diem dicam, quia Bissextum; hunc annum, quia Bissextilem. Quid enim? Sextus est, & ipso numero suo æstimandus, quia perfectus: Perfectus autem, quia partibus suis impletus. Et quænam partes illæ? 1. 2. 3. Unum sexies, senarium continet, duo ter, tria bis. F Juge 1. 2. 3. conficies. Apte Boethius, de Arithmetica lib. I. cap. XIX. *Senarius habet partem mediam, id est, 3, & tertiam, id est, 2, & sextam, id est, 1: quæ in unam summam si redactæ sint, par totum numeri corpus suis partibus invenitur.* Addo e Martiano Capella lib. VII. de Nuptiis Philologiæ: *Hic autem numerus Veneri est attributus, quod ex utriusque sexus commixtione conficitur: id est, ex triade, qui mas, quod impar est numerus, habetur; & diade, quæ femina, paritate.* Omnis autem numerus, vel perfectus est, vel major perfecto, vel imperfectus: Græcis τέλειος ὑπερτέλειος, ὑποτέλειος. Perfectus, rarus, & similitudine virtutis censetur: sed qui excedit a perfectione, & qui deficit, vitium uterque denotant. Virtutem igitur apud paucos invenias:

> *Rari quippe Boni: numero vix sunt totidem, quot*
> *Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.*

Contra, nimis illud Biantis verum est: πλεῖστοι κακοί. Quod dico, idem Capella dicit: *Hoc numeri genus* (perfectum) *in aliqua virtute est: cætera in vitio, vel ex ubertate, vel deficiente.* Exuberat partibus suis, ut ad exempla, sed proxima veniam, duodenarius: deficit octonarius. Duodenarii partes sunt, 1, 2, 3, 4, 6, quæ junctæ conficiunt 16. Octonarii, 1, 2, 4: quæ junctæ conficiunt 7. Uterque igitur, teste Boethio, aliquid in se monstri habet, & a naturæ ordine ac pulchritudine recedit: alter copia sive excessu, alter dispendio sive defectu. Centimanum Gigantem finge, vel Gerionem tergeminum, excessus se aperiet: Polyphemum Cyclopem, defectus. *In his autem numerus* (verba Boethii) *velut inter æquales intemperantias, medii temperamentum limitis sortitus est ille, qui perfectus dicitur, Virtutis scilicet æmulator; qui nec supervacua progressione porrigitur, nec contra rursus ita diminutione remittitur; sed medietatis obtinens terminum, suis æquus partibus, nec crassatur abundantia, nec eget inopia, ut 6, vel* 28. Post senarium igitur vigesimus octavus, ille Cyclum Solis continens, perfectus est: cujus partes, 1, 2, 4, 7, 14, 28. Unum in 28. vices octies reperitur; Duo decies quater; Quatuor, septies; Septem, quater; Quatuordecim, bis; Viginti octo, semel. Junge 1, 2, 4, 7, 14, viginti octo exurgent. Tertius perfectorum (lubet enim ad bonorum summam numeros evehere) 496: partes, 1, 2, 4, 8, 16, 31, 62, 124, 248, 496. Unum in 496. quadringenties nonagies sexies; duo, ducenties quadragies octies; quatuor, centies vicies quater; octo sexagies bis; sedecim, tricies semel; triginta unum, decies sexies; sexaginta duo, octies; centum viginti quatuor, quater; ducenta quadraginta octo, bis; quadringenta nonaginta sex semel. Junge, 1, 2, 4, 8, 16, 31, 62, 124, 248. quadringenta nonaginta sex exsurgent. Quartus perfectorum. 8128: partes, 1, 2, 4, 8, 16, 42, 64, 127, 254, 508, 1016, 2032, 4064. Quinctus, 130816: partes, 1, 2, 4, 8, 16, 32, 64, 128, 256, 511, 1022, 2044, 4088, 8176, 16352, 32704, 65408. Sextus (& hic proprie ad Senarium facit) 2096128: partes, 1, 2, 4, 8, 16, 32, 64, 128, 256, 512, 1024, 2047, 4094, 8188, 16376, 32752, 65504, 131008, 262016, 524032, 1038064. Septimus, 33550336: partes, 1, 2, 4, 8, 16, 32, 64, 128, 251, 512, 1024, 2048, 4096, 8191, 16381, 32764, 65528, 131056, 262112, 524224, 1048448, 2096896, 4193792, 8387584, 16775168. Hic sisto, ne aut Nili portus, aut Thebarum portas excedam. Longum etiam ac morosum sit plures expangere, partes invenire, ad summam cogere: quam hoc solo mox extendas fructu, ne intelligas. Mirum interim, in tot numeris, tam paucos Perfectos esse: in tot hominibus pauciores fortassis bonos. Ad synopsin tamen venio, & primos illos septem simul repræsento: qui omnes, ut & reliqui, in 6. vel 8. alternis sedibus desinunt.

NUMERI PERFECTI.

| | |
|---|---|
| PRIMUS. | 6. |
| SECUNDUS, | 28. |
| TERTIUS, | 496. |
| QUARTUS, | 8127. |
| QUINTUS, | 130816. |
| SEXTUS, | 2096128. |
| SEPTIMUS, | 33550336. |

Primum cum ſeptimo confer: ille quantillus eſt! hic quantus! Conſtituere primum non potes, niſi ſex numeres; nec ſeptimum, niſi trecenties tricies quinquies centena quinquaginta millia, trecenta triginta ſex. Noſtro loquendi modo, & numerandi compendio, triginta tres milliones cum dimidio ſunt, quinquaginta inſuper millia, trecenta triginta ſex, qui ultimus numerus a milleſimo ſexcenteſimo epochæ præſentem exhibet. Rari igitur, pretioſi, admirandi hi perfecti ſunt: inventu quoque difficiles ſunt, nec niſi Diogenis lucernula quærendi. Quos ille homines? Bonos: quos ego numeros? qui Bonos exprimant. Quotquot ſunt, toties unum vides. Plures etiam, quantamcumque denario, centenario, millenario, multitudinem faciunt, incrementi terminos a principio capiunt. Vide 1. 10. 100. 1000. & quicquid hinc pendet, termini ſunt, ſed uno omnes conſtant: ſpatia ſunt, & terminis diſtinguuntur. Si percurras omnia, unum ſingula perfectum numerum, alibi ne unum quidem dabunt. Ab uno ecce ad decem, unus & primus eſt; a decem ad centum, unus & ſecundus; a centum ad mille, unus & tertius; a mille ad decem millia, unus & quartus; a decem millibus ad centum millia, nullus; a centum millibus ad decies centena millia, unus & quinctus; a decies centenis millibus ad centies centena millia, unus & ſextus; a centies centenis millibus ad millies centena millia, ſive centum, ut vocamus, milliones, unus & ſeptimus. Ad perfectionem quoque perfectorum facit, triangulares omnes eſſe; quamvis non omnes, qui triangulares, perfecti ſint. Et ſenarius quidem (ut ingenioſe Clariſſ. Vir. JO. STURMIUS, omnem virtutem candore, omnem doctrinam Matheſi complexus, obſervavit) quatuor omnino modis æqualia latera conſtituit, novenario, denario, undenario, duodenario.

| | | | |
|---|---|---|---|
| 1 | 1 | 2 | 4 |
| 6 5 | 6 4 | 5 3 | 3 2 |
| 2 4 3 | 3 2 5 | 4 1 6 | 5 1 6 |
| 9 | 10 | 11 | 12 |

In primo triangulo tres primi numeri angulos occupant, 1. 2. 3. in ſecundo, tres impares, 1. 3. 5. in tertio, tres pares, 2. 4. 6. in quarto, tres ultimi, 4. 5. 6. Meditullium in ſingulis ubique lateribus tres reliqui: 4. 5. 6. poſt primos: 2. 4. 6. poſt impares: 1. 3. 5. poſt pares: 1. 2. 3. poſt ultimos.

CAP. XIX.

*Annus milleſimus ſexcenteſimus trigeſimus ſextus peculiari ratione ſextus, imo biſſextilis. Curioſius & milleſimus, & ſexcenteſimus & trigeſimus, ipſe denique trigeſimus ſextus explicatus. Mundus. τετρακτὺς Pythagorica. numerus humanus.*


AD Diem quia ſenarius facit, ad Annum hoc potiſſimum anno referendus, qui ſextus eſt, qui trigeſimus, qui ſexcenteſimus, qui milleſimus. Millenarius quidem (ὕστερον πρότερον dicam) plenus eſt, quia denarii cubus. Etenim e denario in ſe ducto centum fiunt; in centum, mille, qui numerorum numerus eſt, & abſolutam rerum omnium menſuram continet. Hinc *milliaria*, ſingulis olim lapidibus notari ſolita, & ad viæ tædium ſublevandum; ut in Itinerario ſuo Rutilius lib. II.

*Intervalla viæ feſſis præſtare videtur,*
*Qui notat inſcriptus millia crebra lapis.*

Hinc quæcunque ad infinitum, ſive immenſum accedunt, *mille* appellantur. Jam vero milleſimus ſexcenteſimus, e quadragenario quadragonus eſt. Quadragies enim quadraginta, mille ſexcenta reddunt: quemadmodum & quater quadraginta. Seorſim ipſe ſexcenteſimus, quia a ſenario, aliquid etiam pretii & perfectionis habet: centies enim ſex ſumuntur, vel centum ſexies ſumitur, quoties rem quamcunque, cui addi nihil poteſt, amplificamus. *Sexcenta* quoque *exempla* ſunt. Annus deinde trigeſimus, ad meditullium ætatis proxime accedens, Virum facit, robore & ingenio implet, nuptiis tempeſtivum, curiæ & magiſtratui, militiæ & armis, victoriæ ac triumphis. Ipſe trigeſimus ſextus quia e ſenario ſexies ſumpto, omnibus modis perfectus eſt, noviſque Biſſextilem circumducit. Ratione quoque ſenarii fuere nonnulli olim, qui ut ſupra cap. 14. e D. Auguſtino oſtendi, ſingulos ante Diluvium annos tricenis diebus computarent: quaſi decem partes anni, decem anni eſſent. *Quarum pretium* (verba repeto) *habet unaquæque ſenarium: eo quod Deus ſex diebus perfecerit opera ſua, ut in ſeptimo quieſceret. Sexies autem ſex, qui numerus quadratum ſenarium facit, triginta ſex dies fiunt: qui multiplicati decies, ad trecentos ſexaginta perveniunt, id eſt, duodecim menſes Lunares.* Sed ut ad trigeſimum ſextum redeam, hic ille numerus eſt, qui mundum ipſum, ut Pythagorici putant, ſignificat: imo hæc illa *tetractys* eſt, ſuo quodam myſterio inclyta, quam παγὰν ἀενάου φύσεως, *fontem æternæ naturæ*, appellare ſolitos ſanctiſſimus Philoſophiæ conditor, in jurisjurandi ſolennem formulam uſurpabat. Ne plures laudem, inſtar omnium Plutarchus erit: Ἡ δὲ καλουμένη τετρακτὺς, τὰ ἓξ καὶ τριάκοντα, μέγιστος ἦν ὅρκος, ὡς τεθρύλληται, καὶ κόσμος ὠνόμασται, τεσσάρων μὲν ἀρτίων τῶν πρώτων, τεσσάρων δὲ τῶν περισσῶν, εἰς τὸ αὐτὸ συντιθεμένων, ἀποτελούμενος. *Qui vero* quaternarius *vocabatur, e ſex & triginta conſtans, maximum erat jusjurandum, ut omnium ſermone tritum eſt, & appellabatur* mundus, *e primis quatuor paribus, primiſque quatuor imparibus conſtitutus.* Junge hos pares, 2. 4. 6. 8. & viginti conficies: hos impares, 1. 3. 5. 7. & ſedecim coaleſcent. Junge 20. & 16. jusjurandum habebis. Denique, conjunge ab uno omnes, qui ad triginta ſex protenduntur, & 666. numerus, inquam, *Humanus* & in Thaumatis mihi explicatus, exſurget. Eſt præterea trigeſimus hic ſextus, quia e quaternario novenarioque in ſe ductis

provenit, tetragonorum omnium primus, & sic A peculiaris. Quater enim 9. vel novies 4. triginta sex constituunt. Sed nos τετρακτὺν ad Annos & Bissextum referamus, quaternarium & novenarium inventuri. In annis enim triginta sex, novem Bissexta sunt: & Bissexta singula quadriennio constant. Imo τετρακτὺς Bissextum est, annorum, inquam, quaternarius: & Bissextum, unius incrementum diei est, qui quarto demum completus formatusque, nascitur, toties in lucem rediens, quoties quadriennium Bissextili periodo impletur.

# F I N I S.



# R. P. PETRUS TAFFINUS
## AUDOMARENSIS
*DE*
## VETERUM ROMANORUM
# ANNO SECULARI,
EJUSQUE POTISSIMUM PER
## LUDOS SECULARES
CELEBRITATE, EORUMQUE
## CHRONOLOGIA.
IN DUAS PARTES DISTRIBUTUS.

*Opus Historicum, Chronicum & Criticum.*

Ii iiij

# INDEX
## CAPITUM ET NOTARUM
### in margine, ut sit vice Indicis rerum.

## PARTE I.

### CAPUT I.

*Quid seculum? quot annos complectatur? quid annus secularis apud Romanos.*

NOTÆ. 1. Vocis *seculum* etymologia, & eam scribendi ratio. 2. Seculi variæ significationes, & ejus de quo agitur definitio. 3. Seculi divisio. 4. Opiniones variæ de seculi spatio. 5. Auctoris opinio de seculi spatio. 6. Quid annus secularis. 7. Cur Romani centum annis seculum definierint. 8. Centesimus numerus in pretio apud Græcos. 9. Item apud Romanos. 10. Auctores, qui alia habent, de numeri centesimi dignitate.

### CAP. II.

*Quæ esset celebritas Romæ anno seculari, aut comparatione ad primam lustri institutionem: aut a ludis postremis, aut ab Urbe condita.*

NOT. 1. Auctores, qui de anni secularis celebritate tractarunt. 2. Qualis ea celebritas. 3. Oraculum Sibyllinum Græce & Latine.

### CAP. III.

*De origine ludorum, qui seculares dicti, & eorum auctore.*

NOT. 1. Occasio ludorum. 2. Valerius Poplicola auctor ludorum secularium. 3 Ara Ditis Patris, & Proserpinæ, & ejus inscriptio. 4. Varronis sententia de origine ludorum secularium expenditur.

### CAP. IV.

*Quid Romani, anni secularis celebritate a Diis suis exspectarent, aut peterent.*

NOT. 1. Promissa Romanis Imperii, vel Reipublicæ incolumitas, si celebritatem anni secularis observarent. 2. Quid expectarent Romani a Diis, singulis seculis. 3. Romani anno seculari bona sibi tribui, mala a se depelli postulabant. 4. Quæ bona Romani peterent. 5. Quæ mala a se averti postularent.

### CAP. V.

*De Duumviris, Decemviris, Quindecimviris, ad quos ludorum secularium cura pertinebat.*

NOT. 1. Quid curarent Quindecimviri in ludis secularibus. 2. A quo instituti Duumviri. 3. Quando auctus Duumvirorum numerus usque ad decem. 4. A quo ad Decemviros quinque additi, & deinde plures.

### CAP. VI.

*Quomodo Quindecimviri populum ad ludos seculares, expiatione præpararent.*

NOT. 1. Quæ lustralia, quo tempore, quo loco, populo a Quindecimviris distribuerentur. 2. Triplex hominis purgatio apud Veteres. 3. Lustratio per thedas, sulphur, ova, bitumen. 4. Ritus in expiationibus usitati. 5. Expiatio per aquam marinam, fontium, & fluviorum.

### CAP. VII.

*De distributione tritici, hordei, & fabarum ante ludos seculares.*

NOT. 1. Quo loco, & a quibus fruges populo darentur. 2. Quem in finem fruges distribuerentur ante ludos seculares. 3. Fruges Parcis non offerebantur.

### CAP. VIII.

*De ludis ipsis secularibus.*

NOT. 1. De nominibus ludorum secularium. 2. Præcones quibus verbis ad eos invitarent. 3. Tempus quo edi solebant. 4. Tribus diebus, & totidem noctibus fiebant. 5. De lucernis & ignibus festivis noctu. 6. Successu temporis ludi Apollinares acti anno seculari, cum aliis ludis. 7. An ludi Dianæ, alii ab Apollinaribus anno seculari? 8. Proscripta libidinum occasio in nocturnis ludis tempore Augusti. 9. Histriones producti, item dati Circenses ludi inter seculares. 10. Inter ludos seculares, etiam ludicrum Trojæ. 11. Omnis generis ludi, & spectacula anno seculari.

### CAP. IX.

*De missilibus, conviviis, acclamationibus secularium, aliorum ludorum tempore.*

NOT. 1. Missilia ludorum tempore, & inter hæc nummi. 2. Duplicis generis missilia, & duplex ea jaciendi ratio. 3. Luxuria in missilia paulatim irrepit, & tandem cohibetur. 4. Ex eminenti loco missilia jactari solita. 5. Explicatur & damnatur productio meretricum post ludos. 6. In missilibus rapiendis impediti, quandoque læsi, vel obtriti. 7. De conviviis inter ludos. 8. Acclamationes temporum.

### CAP. X.

*De sacrificiis, quæ anno seculari fiebant, ex præscripto Sibyllini Oraculi.*

NOT. 1. Sacrificium Plutoni & Proserpinæ fiebat noctu seculari anno, & aliis Diis inferis. 2. Quæ victimæ Diti immolarentur, quæ Proserpinæ. 3. Sacrificium in Parcarum honorem. 4. Sacrificium Ilithyis. 5. Sacrificium Telluri. 6. Sacrificium Jovi & aliis Diis superis. 7. Sacrificium Junoni. 8. Sacrificium Apollini. 9. Sacrificium aliis Diis.

### CAP. XI.

*De lectisterniis Deorum, anno seculari.*

NOT. 1. Quid lectisternia. 2. Origo lectisternio-

rum . 3. Quibus de causis lectisternia indicerentur, quibusque Diis? 4. Quinam lectisternia sternerent. 5. De privatis lectisterniis. 6. Epulæ Deorum. 7. Epulæ Deorum initio parabiles, postea in luxuriam abiere. 8. Triumviri Epulonum epulas Deorum curabant.

CAP. XII.

*De Matronarum Romanarum precibus ad Junonem, anno ludorum secularium.*

NOT. 1. Preces Matronarum cur Junoni fierent. 2. Quibus locis Juno coleretur a Matronis Romanis. 3. Quibus corporis gestibus Matronæ Junoni supplicarent.

CAP. XIII.

*De Geniorum cultu anno seculari, ex Sibyllæ jussu.*

NOT. 1. Genius voce Δαίμων significatur. 2. Genius Deus Tutelaris Virorum, Juno natalis, mulierum. 3. Cultus quis Genio impenderetur anno seculari. 4. Quibus locis Genii colerentur. 5. Quomodo Genii exprimerentur. 6. In qua veste viri & fæminæ suis Tutelaribus Diis sacrificarent. 7. Qualis ara Genio die natali extrueretur. 8. Varia ad Genii cultum, die natali fieri solita. 9. Convivia die natali in honorem Genii. 10. Rogabant Veteres, & jurabant per Genios Imperatorum, aut aliorum. 11. Cur die natali Genios Romani colerent.

CAP. XIV.

*De pervigilationibus eodem tempore factis.*

NOT. 1. Pervigilationes honestæ ad Deorum honorem. 2. Pervigilationes Veneris noctibus tribus. 3. Pervigilia plerumque plena turpitudine. 4. Pervigilationes sacræ in Ecclesia.

CAP. XVI.

*De supplicationibus & pompis eodem anno celebratis.*

NOT. 1. Supplicationes supplicia dictæ, a suppliciis damnatorum. 2. Quid supplicatio. 3. Quinam & quibus de causis supplicationes decernerent? 4. Supplicationes decretæ victoribus in bello, togatis quandoque. 5. Quibus Diis supplicationes decernerentur? 6. Quid essent Deorum pulvinaria? 7. In supplicationibus aliquando ex publica largitate Diis sacrificatum. 8. Quanto tempore durarent supplicationes. 9. Supplicationes sine feriis quandoque, & vice versa. 10. Qui in supplicatione procederent, quo cultu. 11. De pompa in supplicationibus. 12. Circensium ludorum pompa. 13. De variis vehiculorum generibus in pompis usitatis. 14. Quid thensæ essent? 15. Quid hamamaxæ essent?

CAP. XVI.

*De carmine seculari.*

NOT. 1. Duplicis generis carmen seculare. 2. Catulli carmen non esse verum seculare. 5. Triplex carmen seculare composuit Horatius. 4. Græca carmina secularia.

CAP. XVII.

*De carminis secularis natura & artificio.*

NOT. 1. Carmen seculare de genere Hymnorum & Pæanum. 2. Quo genere versus scribendum carmen seculare. 3. De artificio præcipui carminis secularis Horatii, post librum Epodon. 4. Quod Patrimi & Matrimi pueri puellæque carmen seculare concinerent. 5. Carmen seculare de memoria cum instrumentis musicis, gestibus, & saltibus concinebatur. 6. De artificio aliorum carminum secularium Horatii.

APPENDIX.

*Numerale anni primi secularis Societatis* JESU.

Carmen seculare JESU & MARIÆ alternis cantatum a choro Virorum probitate atque eruditione illustrium Societatis JESU, anno Christi M. DC. XL. Societatis ejusdem seculari.

PARTE II.

CAP I.

*De varietate Chronologiæ ludorum secularium. Tabulæ tres variarum istarum Chronologiarum.*

CAP. II.

*Refellitur Quindecimvirorum opinio de Chronologia primorum quatuor ludorum secularium.*

NOT. Ratio 1. contra Quindecimviros ex variis indiciis commenti illorum de spatio seculi. 2. Altera ratio ab auctoritate. 3. Tertia ratio a meliore seculi serie, quæ proponitur.

CAP. III.

*Annus primorum ludorum secularium ut in tabula mea Chronologica proponitur, & stabilitur.*

NOT. 1. De anno, quo Reges Roma exacti. 2. An Poplicola primo, an quarto suo Consulatu ludos seculares instituerit. 3. Ludi Taurii qui. 4. Plutarchus perstringitur.

CAP. IV.

*Annus secundorum ludorum secularium proponitur, & stabilitur.*

NOT. 1. Qui de anno secundorum ludorum agant. 2. Censorini quidam locus integer ostenditur contra varios. 3. An inter primos & secundos seculares ludos, seculi intervallum. 4. A quo, & quando primum lustrum Romanum institutum. 5. Ex Zosimi loco correcto annus secundorum ludorum eruitur. 6. Refellitur quorundam recentiorum auctorum opinio, de anno secundorum ludorum secularium.

CAP. V.

*Annus tertiorum ludorum secularium proponitur, & stabilitur.*

NOT. 2. Omissi tertii ludi seculares tempore legitimo, & serius tandem editi. 2. Livius cum Antiate conciliatur, in anno ludorum istorum.

CAP. VI.

*Annus quartorum ludorum secularium proponitur, & stabilitur.*

NOT. 1. Quorundam veterum Historicorum opiniones de horum ludorum anno dissidentes inter se conciliantur. 2. Livii locus quomodo corruptus, variæ conjecturæ. 3. Varietas in nominibus Consulum apud auctores diversos exponitur, atque inter se illi conciliantur.

CAP. VII.

*Annus quintorum ludorum secularium proponitur, & stabilitur.*

NOT. 1. Pluribus annis neglecti ludi seculares quinti tandem ab Augusto celebrati. 2. Seculares ludi suo tempore subinde non fuerunt facti, sed ex libidine Imperatorum. 3. Pertinentia quædam ad ludorum Augusti apparatum & ritus.

CAP. VIII.

*Annus sextorum ludorum secularium proponitur, & stabilitur.*

NOT. 1. Claudius pro libidine ludos seculares fecit. 2. Claudius Imp. ad centesimos annos ab U. C. ludos seculares referri voluit. 3. Onuphrii sententia de F. Pictore, ejusdemque Onuphrii opinio. 4. Varia de ludis Claudii ab auctoribus notata.

CAP. IX.

*Annus septimorum ludorum secularium proponitur, & stabilitur.*

NOT. 1. Auctores, qui de ludis Domitiani meminerunt. 2. Conciliationes variæ auctorum inter se pugnantium, in his, quæ ad Domitiani ludos pertinent. 3. Auctorum recentiorum sententiæ examinantur, & rejiciuntur.

CAP. X.

NOT. 1. Ludi Antonini vix noti. 2. Nummi ludorum secularium Antonini Pii. 3. Inscriptio vetus, quæ verosimiliter ad ludos Claudii & Antonini Pii alludit.

CAP. XI.

*Annus nonorum ludorum secularium proponitur, & stabilitur.*

NOT. 1. Nummi ludorum Septimii Severi Imperatoris, & Aurelii Antonini. 2. Γενεά quot annos contineat. 3. Tertullianus librum de spectaculis cur composuit.

CAP. XII.

*Annus decimorum ludorum secularium proponitur, & stabilitur.*

NOT. 1. Auctores, qui de Philipporum Imperatorum ludis agunt. 2. Auctores aliqui ex citatis vitiati restituuntur pristinæ integritati & dissidere inter se notantur. 3. Disputatur quo anno Imperii sui Philippi ludos seculares ediderint. 4. Difficultas in anno ludorum secularium Philipporum dissolvitur. 5. Conciliantur auctores, qui de anno ludorum Philipporum videntur dissentire. 6. Imperator Philippus cum tota familia Christi fidem amplexus. 7. Philippi Imperatores Christi Martyres. 8. Præclara facta Imperatoris Philippi Gentilibus ingrata. 9. Cur Philippi Imperatores a Gentilibus in Divos relati. 10. Nummi varii ludorum secularium Philipporum.

CAP. XIII.

*De ludis Gallieni Imperatoris, qui numero fuerunt undecimi, si facti fuerunt.*

CAP. XIV.

*Agitur de ludis secularibus aliquoties omissis, deinde annus duodecimorum ludorum secularium proponitur, & stabilitur.*

NOT. 1. Ludos seculares a Constantino Imperatore petierunt Gentiles, sed passi sunt repulsam. 2. Ludi seculares a Philippo & Sabea Consulibus prætermissi. 3. Honorius ludos seculares cum ritibus superstitiosis permisit.

CAP. XV.

*Epilogus totius operis, in quo rationes potissimæ proferuntur, cur anno Christi vulgari* 1640. *Societatis* JESU *seculari, illud opus evulgetur.*

NOT. 1. Rationes suscepti hujus operis. 2. Valet hoc opus ad ostendendum, cur indulgentiæ olim singulis centenis annis darentur. 3. Pontifices Romani profanas cæremonias in sacras iis affines pedetentim mutare soliti. 4. Philippus Imperator indulgentiam scelerum post brevem pœnitentiam publicam obtinuit. 5. Origo prima omnium indulgentiarum. 6. Indulgentia criminum dari solita a Principibus, tempore ludorum secularium & alias. 7. Indulgentiæ horum seculorum, eædem cum indulgentiis primorum seculorum. 8. Origo indulgentiæ singulis centenis annis dari solitæ, non fuit ab Hebræorum jubileo. 9. Rationes, cur Societas JESU annum suum centesimum celebrare voluerit.

# F I N I S.

ADMO-

*ADMODUM REVERENDO PATRI*

EXIMIOQUE DOMINO

# D. ARCHANGELO MICHAELI

## SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORI ET CELEBERRIMI MONASTERII HASNONIENSIS ORDINIS SANCTI BENEDICTI

# ABBATI

LONGE DIGNISSIMO



*UM ex occaſione anni ſecularis* SOCIETATIS JESU, *hoc opus de Veterum Romanorum* SECULARI ANNO, LUDISQUE SECULARIBUS *concinnaſſem*, PRESUL AMPLISSIME, *atque de eo edendo cogitationem ſuſciperem: apud me ſtatui, non poſſe illud exire in publicum, niſi præſtantis cujuſpiam viri patrocinium ſibi depoſceret, qui amaret ingenuas artes, qui hominum Societatis* JESU *litteraria munuſcula non aſpernaretur, qui denique illis eſſet præditus naturæ gratiæque cœleſtis dotibus, ut nominis ſui ſplendore, doctrinæ fama, virtutum ornamentis efficere poſſet, ut meus ille liber omnibus gratus accideret eo nomine, quod in his omnibus illuſtrem patronum inveniſſet: cuique facillimum eſſet, eum ab imperitorum aut malevolorum hominum calumniis vindicare. Sciebam ſiquidem, me in eo res obſcuriſſimas, imo ob antiquitatem earum fere e memoria hominum exemptas, pertractare; ut licet tractando ſperarem illas aliquantum niteſcere poſſe, mihi tamen etiam verendum intelligebam, ne in non paucis hallucinarer. Noveram iis de rebus diverſas atque diſcrepantes eſſe eruditorum hominum ſententias, ut merito ſuſpicarer, ſicut ab aliorum auctorum opinionibus receptis ſubinde recedebam, ita etiam plures ad meas nequaquam acceſſuros. Conſcius eram, me nonnullorum ſcriptorum errores in Chronologia detegere, atque emendare: quæ univerſa mihi non mediocrem invidiam (quotuſquiſque enim eſt, qui æquo animo ferat ſuas opiniones deſeri, aut vocari in dubium, aut corrigi?) conflare poſſe, proſpiciebam. Hæc igitur cum animo obverſarentur meo, circumſpicere cœpi, ut virum ejuſmodi reperirem. Non diu quærendum fuit,* PRÆSUL AMPLISSIME. *Scilicet quamprimum occurriſti, in cujus fidem ac clientelam me, meumque librum ſine hæſitatione conferrem. Etenim nullo negotio adverti, in te eorum omnium, quæ in libri mei patrono deſiderarem, nihil omnino deeſſe; imo alia multa obſervavi animi tui ornamenta, quibus non tantum obtrectatores, ſi qui in me inſurgerent, retundere valeres, verum etiam libro meo, apud cujuſvis generis*

*homines, famam auctoritatemque conciliares. Tu enim a puero in Societatis* JESU *Scholis, non magis bonas litteras, quas humaniores appellant, atque ſublimiores diſciplinas hauſiſti, quam genuinum Societatis* JESU *amorem; ut ego a te, ex eo capite, nihil non debeam mihi polliceri: ſed ex eo maxime, quod e nobiliſſimo illo S. Benedicti Ordine exiſtis, ex quo Societas* JESU *Belgica non ſolum eximios multos Mæcenates atque plurium Collegiorum ſuorum munificentiſſimos numerat fundatores, verum etiam de quo fateri debet, ſeſe a nemine omnino mortalium plura, quam ab illo accepiſſe beneficia, nedum ab ullo majora poſſe expectare. Denique quod ex eo celeberrimo prodiiſti Cœnobio, in quo quam chara ſit Societas* JESU, *quam illius labores in pretio, cum illius Sapientiſſimus Præſul, cujus clariſſimum nomen nunquam Societas* JESU *oblivione deleri patietur: tum Religioſiſſimi Aſcetæ omnes oſtenderunt, quando ad tradendas Philoſophicas diſciplinas, in nobili illo ſuo Academiæ Duacenſis Collegio, profeſſores e Societate* JESU *præ omnibus aliis elegere, quod teſtimonium fuit ſingulare prolixiſſimæ in Societatem voluntatis. Taceo quam conjunctus iiſdem Profeſſoribus, illi Collegio pluribus annis cum dignitate præſederis. Denique ut paucis multa complectar, non poteram a tua admodum* REVERENDA PATERNITATE *non ſperare omnia quæ ad rem meam facerent, qui te eximium Sacræ Theologiæ* DOCTOREM *liberalibus omnibus artibus favere, habebam exploratiſſimum; qui te conſiderabam ad Inſulam celeberrimi Monaſterii Haſnonienſis evectum, ut bonarum artium ſtudioſi magnificum haberent Mæcenatem, ipſæ vero artes ingenuæ ſecuriſſimum certumque perfugium. Quæ cum ita ſint,* PRÆSUL AMPLISSIME, *patere hunc librum meum in ſinum tuum confugere, eique tuum patrocinum ambienti illud concedere non dedigneris, meque ea qua ſoles cæteros omnes, qui de publico ſtudiis ſuis bene mereri deſiderant, benignitate complectere. Erit fortaſſe aliquando tempus, cum tuo nomini, ad ejus æternitatem, majoris momenti opus inſcribam: interea illam me hoc volumine conſectari permitte. Certe ſi illud nominis perennitatem non afferet; ſaltem teſtabitur animum in te meum, & faciet, ut uni tibi dedicatum ſeculum Romanum omnia debeat. Ego præterea a ſupremo ſeculorum omnium Rege majorem in modum contendam, ut poſtquam ſeculum tuum diutiſſime doctrina ac virtute exornaris, te,* PRÆSUL AMPLISSIME, *annis & meritis plenum, ex animi tui voto, in eam domum evocet, de qua Pſaltes Regius:* Beati qui habitant in domo tua, Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te. *Quod ut eveniat, ex animo voveo, atque apprecor,*

Reverendæ admodum Paternitatis Tuæ

*Servus in Chriſto*

PETRUS TAFFINUS.

# R. P. PETRUS TAFFINUS
## AUDOMARENSIS
## DE
# VETERUM ROMANORUM ANNO SECULARI, EJUSQUE CELEBRITATE POTISSIMUM PER LUDOS SECULARES.

*Opus Historicum, Chronicum & Criticum.*

---

## PARS I.

### CAPUT I.

*Quid seculum? Quot annos complectatur? Quid annus secularis apud Romanos?*

I. *Vocis seculum etymologia, & eam scribendi ratio.*



CUM annus secularis a seculo appellationem sortiatur, ut quid sit explicetur, ante omnia quid sit seculum, exponendum est. Nonnulli veteres Grammatici, ut ab ipsa etymologia vocabuli sumam exordium, *seculum* dictum putant a *secando*, quod tempus in præcipuas, ac maximas partes secet. Varro autem l. 5. de lingua Latina: *Seculum dici* existimat *a sene. quod illud spatium sit senescendorum hominum*. Isidorus vero l. 5. Orig. c. 38. *Secula*, inquit, *generationibus constant: & inde secula, quod se sequantur. Abeuntibus enim aliis, alia succedunt*. Et hanc derivationem confirmat, quod consequentes sese mutuo animalium generationes Lucretius vocat *seclum* v. g. *propagando ducere secla, secla ferarum, bucera secla. Et muliebre oritur patrio de semine seclum*. Quare explodenda est Junii sententia, qua has origines Varronis & Isidori rejicit, ut longe petitam aliam seculi notationem, ex ingenio suo confictam, obtrudat, ad librum Tertulliani de Pallio, ubi *seculum a se, hoc est, seorsim, & colo deduci contendit*. Ex tribus his derivationibus manifestum est, vocem *seculum* sine diphthongo scribendam esse, eamque ab imperitis adjectam, ut ejus vocis prior syllaba produceretur, cum primitiva vocabula a quibus derivatur, priorem syllabam brevem haberent. Verum ad id diphthongo opus non fuit, quia novum non erat voces derivatas, a suorum primitivorum quantitate degenerare, atque adeo produci, cum ea brevia essent; neque tamen diphthongum iis adscribi, ac proinde inter eas voces vox *seculum* referenda erat, neque diphthongus adscribenda. Unde Phlegon Trallianus in libro suo περὶ θαυμασίων sine bivocali hanc vocem Græce scribit; dum ludos de quibus extat oraculum Sibyllæ, a Romanis *secularia* vocari annotat his verbis: ἃ Ῥωμαῖοι σεκυλάρια καλοῦσιν. Item Zosimus lib. 2. historiæ novæ, dum vocabulum secula Græca lingua donat, σέκυλα γὰρ τὸν αἰῶνα καλοῦσι. Neque quenquam ab opinione nostra revocare debet Dio l. 54. qui Græce σαικυλάρια scribit, sicuti neque inscriptiones & numismata antiqua quæ voci *s culum* diphthongum addunt; uti avocarunt Scaligerum lib. 1. cap. 29. de Causis linguæ Latinæ, Manutium, & alios, quia, ut notat Dausquius volumine 2. de Orthographia littera S. hæc in seculi barbariem cum aliis multis perperam scriptis conferenda sint. Certe ut omittam exempla quæ ille congerit, Valerius Probus de litteris antiquis littera L. ex editione Basileensi, & manuscriptus, sine diphthongo *seculares ludos* scribit: cum tamen novæ editiones diphthongum præferant. Sic inscriptiones & nummi modo eam habent, modo ea carent, ut ex iis nihil confici possit. Quod ad Dionem attinet, dicendum illum genuinam ejus vocabuli Latinam scripturam neglexisse, atque ad libitum in Græcum transtulisse. Jam vero cum vox *seculum* tum apud Romanos scriptores, tum maxime in sacra Scriptura ac Patribus diversas habeat significationes, quas persequuntur varii, nominatim S. Damascenus l. 2.

Orthodoxæ fidei cap. 1. & in illud caput Jodocus Clicthovæus, Antonius Ricciardus in Commentariis symbolicis, Fabricius Paduanus in Catena temporis, Joannes Langius in Polyantheis, & fusius in lexico Philologico Matthias Martinius vir doctus: ut dolendum sit eum libro suo prava dogmata inspergendo sibi gloriam, operi auctoritatem invidisse. Potissima, eaque de qua agimus, est illa, qua seculum pro certo annorum ambitu usurpari solet. Hinc seculum in ea significatione optime definivit Tertullianus in Apologetico cap. 26. his verbis: *Videte ne ille qui regna dispensat, cujus est, & orbis qui regnatur, & homo ipse qui regnat; ne ille vices dominationum ipsis temporibus in seculo ordinarit, qui ante omne tempus fuit, & seculum corpus temporum fecit.* Sic enim seculum *corpus temporum* dicit, pro multis temporis partibus, quomodo multi libri Juris in unum volumen redacti, & multa Jura variorum Imperatorum, aliorumque magistratuum vocantur, *corpus Juris Civilis*. Quomodo Cajus antiquus Jurisconsultus Latinus, lib. 3 ff. tit. 4. *quod cujuscumque* l. 1. *collegiorum corpus* vocat multa collegia. *Collegia*, inquit, *Romæ certa sunt, quorum corpus Senatusconsultis atque Constitutionibus Principalibus confirmatum est: veluti pistorum, & quorundam aliorum, & navicularıorum, qui & in provinciis sunt.* Sic etiam definiri potest dies corpus horarum, hebdomada corpus septem dierum, mensis corpus aliquot hebdomadarum, annus corpus aliquot mensium, lustrum corpus quinque annorum, seculum corpus plurium lustrorum, aut certe annorum. Quot enim annos præcise complectatur, controvertunt auctores. Quam controversiam ut de seculo Romano decidam, præmitto seculum bifariam dividi juxta gravissimum hac in materia auctorem Censorinum in libro de die natali juxta editionem a Carrione emendatam (quam hic semper sequor) cap. 17. nimirum in *seculum naturale* & *civile*, omissis aureis, argenteisque seculis & hoc genus poeticis. de quibus lege Ovidium 1. Metamorphoseos, Fabium Pictorem libro de Seculo aureo, Joannem Lucidum l. 3. de Emendationibus temporum & alios. Quid sit autem *naturale seculum* idem auctor tradit his verbis: *Seculum est spatium vitæ humanæ, partu & morte definitum*. ex quo apparet Censorinum voluisse seculum naturale appellari ex eo quod a natura ipsa constitutum est. Deinde idem auctor refellit eorum sententiam, qui seculum cum γενεᾷ confundebant, & addit usque ad sua tempora quid esset seculum naturale, ad subtile examinatum non fuisse. Quod probat imprimis ex eo, quod Poetæ (puta Hesiodus & Ovidius in metamorphosi) atque historici Græci, quamvis eos a vero par non fuerit recedere, multa de eo seculo naturali incredibilia scripsere. Citatque Herodotum apud quem legi asserit, Arganthonium Tartessiorum Regem centum & quinquaginta annorum fuisse. Jam apud Herodotum de isto rege nulla mentio est, quamvis Lucianus in Macrobiis illum etiam citet, & præterea Anacreontem. Ejus autem ut hominis longævæ vitæ meminerunt Cicero, Valerius, Plinius, Ausonius & alii. Item citat Ephorum qui tradit Arcades dicere apud se Reges antiquos aliquot ad trecentos vixisse annos: additque se hæc Herodoti & Ephori, ut fabulosa præterire. Deinde probat, eo quod inter astrologos nequaquam conveniat de naturali seculo. Quia Epigenes, inquit, in centum duodecim annis longissimam vitam constituit, Berosus autem in centum sedecim, alii ad centum viginti produci posse, quidam etiam ultra crediderunt. Fuerunt etiam astrologi qui non idem ubique seculum naturale observandum putarent, sed varie per diversas regiones, prout in singulis esset cœli ad circulum finitorem inclinatio, quod *clima* vocatur. Denique probat, eo quod veritas seculorum naturalium in obscuro lateret, ideo quæ essent naturalia secula, rituales Hetruscorum libros videri docuisse. Quod confirmat ex eo quod in illis scriptum fuisse fertur initia sic poni seculorum, ut quo die urbes, atque civitates constituerentur, de his qui eo die nati essent, ille qui diutissime vixisset, die mortis suæ primi seculi modulum finiret. Eoque die, qui essent reliqui in civitate, de his rursum, ejus mortem, qui longissimam ætatem egisset, finem esse seculi secundi. Sic deinceps tempus reliquorum terminari. Sed ea quod ignorarent homines, portenta missa divinitus fuisse, quibus admonerentur, unumquodque seculum esse finitum. Hæc ille, & alia de seculo naturali disputat. Post quæ seculum civile definire debuisset, sed illud omisit (qua de causa incertum) atque disputare cœpit, quot annos complecteretur. Puto ego sic definiri posse: *Seculum civile* est certa plurium annorum compages non rei natura, sed ipso hominum civitatis cujuspiam arbitratu coalescens. Unde civile civitatis Romanæ seculum (de quo nobis, agendum, ut annum secularem Romanorum cognoscere possimus) est tempus, quod civium Romanorum voluntate fuit constitutum, ut eo nomine significaretur: quod tempus, quot annos comprehenderet, inter antiquos ac recentiores maxime ambigitur. Aliqui volunt comprehendere annos centum & decem, alii centum dumtaxat complecti contendunt. Qui priorem sententiam propugnant, sequuntur commentaria illa Quindecimvirorum, de quibus Censorinus loco citato. ubi refert illos censuisse ludos seculares decimo centesimoque anno repetitos, atque idipsum observandum testari edicta Octavii Augusti, ideoque Horatium in carmine seculari post librum Epodon ita canere:

2. Seculi variæ significationes & ejus de quo agitur definitio.

3. Seculi divisio.

4. Opiniones variæ de seculi spatio.

*Certus undenos decies per annos*
*Orbis, ut cantus referatque ludos,*
*Ter die claro, totidemque grata*
*Nocte frequentes.*

Sequuntur, ut existimant, oracula Sibyllina, quæ refert Zosimus lib. 2. Historiæ novæ, Politianus cap. 58. Miscellaneorum, Græce sine accentibus & interpunctionibus, Latine autem ex sua versione versu hexametro, distincta ab ea quæ est Leunclavii interpretis Zosimi. denique Græce & Latine ad verbum Vincentius Opsopæus in libro de Sibyllinis oraculis. nam in eis oraculis sic Græce habetur:

Ἀλλ' ὁπότ' ἂν μήκιστος ἵκῃ χρόνος ἀνθρώποισι
Ζωῆς, εἰς ἐτέων ἑκατὸν δέκα κύκλον ὁδεύων.
*Sed cum longissimum venerit tempus hominibus*
*Vitæ, ad annorum centum decem circulum means.*

Hanc ſententiam hi recentiores amplexi ſunt: Onuphrius in libello de Ludis ſecularibus, Sigonius in libro Emendationum c. 6. Vinandus Pighius in Annalibus, Scaliger l.2. de Emendatione temporum cap. 76. Salianus in Annalibus veteri teſtamenti ad annum mundi 3708. U. C. 407. & plerique Commentatores Horatii, ad carmen ſeculare, ut Porphyrio, Lambinus, Torrentius, Chabotius, Marſilius, & alii. Verum hæc ſententia iſtorum omnium auctorum, parum ſolida eſt, & quindecim-virorum fraude nititur. Cum enim illorum curæ commiſſa eſſet ludorum ſecularium celebritas, atque illi in eo munere adeo ſocordes fuiſſent, ut ad multos annos eos ludos negligi paterentur ultra tempus legitimum, quo edi debuiſſent: (ut conſtat ex Suetonio in Octavio cap.31. in Claudio cap.21. Zoſimo lib.2. Hiſtoriæ novæ, quorum verba adducam agendo de quintis ludis ſecularibus) illi ut ſuam negligentiam occultarent, Octavio Auguſto Imperatori perſuaſerunt, ad ſeculum centum ac decem annos requiri. atque eo commento freti, illi oſtenderunt, nullo tempore legitimo ludos ſeculares omiſſos fuiſſe, ſed eo ipſo quo de ea re Octavius inquirebat tempore, eorum edendorum legitimum annum appetiiſſe. quod ex Zoſimo lib. 2. Hiſtoriæ novæ his verbis ſatis patet. *Eodem Sacrificio* (quod tempore ludorum ſecularium fieri erat ſolitum) *ad tempus neglecto, cum rurſus adverſi quidam caſus accidiſſent, Octavianus Auguſtus ludos renovavit. Faſtos illos quidem ante L. Cenſorino & M. Manlio Puelio Coſſ. tunc autem L. Cenſorino & C. Sabino, cum Atteju Capito leges ludorum expoſuiſſet, ac tempus quo rem ſacram fieri atque edi ſpectacula oporteret, XV viri ad quos oraculorum Sibyllinorum cuſtodia pertinet, inveſtigaſſent*. Quare quod pro hac ſententia Auguſti edicta afferuntur, non eſt ullius momenti: quoniam ille a Quindecimviris in fraudem inductus, centum & decem annos inter quoſque ludos ſeculares interponendos credidit, atque in ſuis edictis expreſſit. Idem de Horatio judicium eſſe debet, quoniam Auguſti tempore, atque ejus juſſu, carmen ſeculare condidit, atque in eodem errore quo ipſe Auguſtus, verſatus eſt, dum cecinit:

*Certus undenos decies per annos*
*Orbis*, &c.

Quæ lectio omnino retinenda eſt, utpote conformis ſententiæ Horatii, & vetuſtiſſimis illius carminis exemplaribus: neque audiendi Vives in lib.3. Auguſt. de Civitate Dei cap.18. Robortellus in annotationibus in varios auctores, quæ habentur 2. parte theſauri Critici, & alii, qui legendum contendunt:

*Certus ut denos decies per annos*
*Orbis*, &c.

ut oſtendant inter ludos ſeculares centum dumtaxat annos intercurriſſe. Fatendum enim eſt Horatium Quindecimvirorum & Octavii Auguſti opinioni adhæſiſſe. Quod vero ſpectat ad Sibyllinum carmen, quod pro hujus ſententiæ confirmatione profertur, nullius etiam eſt roboris: fuit enim a Quindecimviris corruptum, ut per illud ſuæ opinioni probabilitatem accerſerent, atque Auguſtum ſuam negligentiam celarent. quod illis fuit facillimum, cum ipſi Sibyllina carmina aſſervarent, ut teſtatur Dionyſius Halicarnaſſeus l.4. his verbis: *Hi libri* (*Sibyllini*) *manſerunt incolumes uſque ad bellum Marſicum, in templi Capitolini cella ſubterranea, incluſi arcæ lapideæ, aſſervati a Decemviris*. Porro Decemviri aucti fuere poſtea uſque ad quindecim, de quibus nos fuſius infra dicemus. Suſpicor itaque ante Auguſti tempora illum Sibyllinum verſum Græcum ita ſcriptum fuiſſe:

—— εἰς ἐτέων ἑκατοςὸν κύκλον ὁδεύων.

Atque Quindecimviros vocem ἑκατοςὸν, quæ centeſimum ſignificat mutaſſe in ἑκατὸν δέκα, quæ ſignificat *centum & decem*.

Quæ conjectura mea ex eo firmatur, quod credi non poſſit eos verſus Sibyllinos incognitos fuiſſe Valerio Antiati, Feſto Pompejo, Terentio Varroni, Tito Livio, & aliis antiquis ſcriptoribus qui cenſuerunt ludos ſeculares celebrari ſolitos centeſimo quoque anno: quod neutiquam feciſſent, ſi tam clare in Græcis Sibyllæ verſibus expreſſum fuiſſet, eos non niſi poſt centum & decem annos fieri debere, ut in editione eorum verſuum pud Zoſimum & Phlegontem modo conſtitutum deprehenditur. Imo contrarium iis carminibus traditum, aperte oſtendit Varro libro de ſcenicis originibus, verbis illis quæ ex Cenſorino paulo poſt adducemus: in iis enim aſſerit Quindecimviros renunciaſſe ex Sibyllarum libris, ut ludi centeſimo anno fierent.

Quæ cum ita ſint, eam eligo ſententiam, quæ aſſerit ad ſeculi ſpatium centum annos tantum requiri, atque adeo inter ludos ſeculares centum dumtaxat annos fuiſſe interpoſitos. Probatur hæc ſententia vetuſtiſſimorum ſcriptorum auctoritate, qui pluribus ſeculis hoc ita tradiderunt, antequam ſuum commentum adornarent Quindecimviri; nimirum ſub tempora Auguſti Cæſaris, quo tempore etiam ſuos commentarios ſcripſerunt, quibus tantopere nituntur adverſarii. Inter hos antiquos ſcriptores primum locum vendicat Valerius Antias, hiſtoricus longe vetuſtiſſimus, quem ſubinde citat Livius & alii antiqui. hanc enim ejus fuiſſe ſententiam tradit Cenſorinus lib. de die natali cap.17. *Modus*, inquit, *Romani ſeculi eſt incertus. Temporum enim intervalla quibus ludi iſti debeant referri non modo quanta fuerint retro, ignoratur, ſed ne quanta quidem eſſe debeant, ſcitur. nam ita inſtitutum eſſe, ut centeſimo quoque anno fierent, cum Antias, aliique hiſtorici auctores ſunt, tum*, &c. Eodem teſte idem ſenſit Varro lib. 1. de ſcenicis originibus, ubi ita habebat libri enim illi deperierunt: *Cum multa prodigia fierent, & murus ac turris, quæ ſunt intra portam Collinam & Eſquilinam, de cœlo eſſent tacta, & ideo libros Sibyllinos Quindecim-viri adiiſſent, renunciarunt: uti Diti Patri, & Proſerpinæ ludi Terentini in campo Martio fierent, & hoſtiæ furvæ immolarentur, utque centeſimo quoque anno fierent*. Idem lib. 5. de lingua Latina, *Seculum*, inquit, *ſpatium centum annorum vocarunt*. Iiſdem ſubſcribit Piſo hiſtoricus, apud Cenſorinum loco citato, his verbis: *Noſtri majores, quod natura ſeculum quantum eſſet, exploratum non habebant, civile ad certum annorum modulum centum ſtatuerunt. teſtis eſt Piſo, in cujus annali* VII. *ſic ſcriptum eſt: Roma condita anno* DVII. &c. de quo Piſonis loco, lege Robortellum loco citato cap. 10. Fulvium Urſinum in hiſtoricorum fragmen-

5. Auctoris opinio de ſpatio ſeculi.

tis, Aldi Manutii & Carrionis editiones Censorini, ubi hunc Pisonis locum varie legunt. Tuetur eandea sententiam T. Livius lib. 136. referente Censorino. ejus verba sunt: *Eodem anno ludos seculares Cæsar ingenti apparatu fecit quos centesimo quoque anno (bis enim terminis seculum terminatur) fieri mos est.* Cujus loci etiam varia est lectio: nam Onuphrius legit: *quos centesimo quoque anno (is enim terminus seculis) fieri mos est.* Quomodo etiam legit Gyraldus lib. de Annis & mensibus, ubi agit de seculo, Modius epist.6. Lectionum novoantiquarum quæ habentur tom. 5. Thesauri Critici. Ipse Censorinus eodem c.17.eandem opinionem amplectitur, dum ait: *Quoniam igitur civile Romanorum seculum centum annis transigitur, scire licet in hoc decimo seculo, & primum tuum natalem fuisse & hodiernum esse.* Et quamvis auctores hi ad hanc opinionem alteri præferendam sufficiant, tamen ut eo magis confirmetur, lubet alios in medium adducere. Primus sit Sextus Pompejus Festus in lib. de Verborum significatione, ubi sic habet: *Ludi apud Romanos post centum annos fiebant, quia seculum in centum annos extendi existimant.* His subjungi potest Cicero; eum enim fuisse hujus sententiæ colligitur ex his quæ habet lib.2. de Oratore: *Numam*, inquit, *Pompilium Regem nostrum fuisse Pythagoreum ferunt, qui annis permultis ante fuit quam ipse Pythagoras. quo etiam vir major habendus est, cum illam sapientiam constituendæ civitatis, duobus prope seculis ante cognovit, quam Græci natam esse senserunt.* Quod enim dicit *duobus prope seculis*, intelligendum est de seculis centum annorum, cum annis ducentis Numa Pythagoram non præcesserit, ut diserte affirmat Livius l.1. ubi dicit: *Post Numam Pompilium, centum & amplius annis Pythagoram fuisse.* Clare vero isti sententiæ subscribit Claudianus, in Panegyrico de 6. Consulatu Honorii:

*—— Jam flavescentia centum*
*Messibus, æstivæ detondent Gargara falces.*
*Spectatosque iterum nulli celebrantia ludos,*
*Circumflexa rapit centenus secula Consul.*

Augustinus lib.3. de Civit. Dei cap. 18. plane in ea est opinione. *Instaurati*, inquit, *sunt ex auctoritate librorum Sibyllinorum ludi seculares: quorum celebritas inter centum annos fuerat instituta.* His adjungi potest Acron vetus Horatii interpres, qui ad Odam 6. lib.4. aperte eam opinionem tradit. Unde cum ad carmen seculare alteram indicat, a nescio quo ejus sectatore, corruptus deprehenditur, nisi dicatur eo loco in Horatii sententia esse locutus. Accedunt ad hos recentiores non pauci. Joannes de Sacrobosco parte 2. Computi Eccles. Joannes Georgius Heruuart in Nova & vera sua chronologia. Qui notat cap. 230. in Fastis Capitolinis, ubi agitur de ludis Aug. subjungi has litteras C. L. quas explicat *centenarios ludos*. Sed id non placet. Ludovicus Vives in locum citatum Augustini, Volaterranus Philologiæ lib.29. Muretus variarum lect. lib.10. cap. 8. Beroaldus in Domitianum Suetonii cap. 4. Alexander ab Alexandro Genialium dierum lib. 5. cap. 26. Fabricius Paduanus in Catena temporum, annulo XL. P. Dekerius in Chronologia sua manuscripta, P. Sidronius Hosche lib.1.imaginis seculi Societatis. Post P. Tirinum in Chronico sacro c. 32. Benzonius de Anno sancto l.3. c.5. Marcellus Donatus in dilucidationibus in Suetonium cap. 3L. Brissonius de Formulis lib. 8. utramque sententiam refert, & huic se adhærere innuit, atque ex Paulo Jurisconsulto notat finem longissimæ vitæ hominum esse centesimum annum. Farnabius in lib. 4. Mart. epist.1. Elias Venitus in griphum Ausonii, Pulmannus in odam 6. lib.4. Carminum Horatii, & ad carmen ejus seculare, ut etiam ii qui sic legunt hunc versum: *Certus ut denos decies per annos.* Ut Marcellus Donatus, P. Jodocus Desmaretz & alii cum Vives & Robortello citatis. Denique vir in chronologia versatissimus P. Dionysius Petavius in lib.2. de Doctrina temporum cap. 76. Atque hæc de numero annorum, quos seculum continet, dicta sint. Jam breviter quid sit *annus secularis* aperiamus: *Annus ille secularis dicitur, qui inter centum annos, quibus conflatur seculum, est postremus; ita ut ultimi diei sui cursu, seculo finem imponat.* Unde si de anno 1. seculari ab urbe Romana condita agatur, est annus ab urbe Romana fundata centesimus; si vero de secundo seculari anno, est ducentesimus, & sic de aliis. Si autem agatur de anno 1. seculari a ludis institutis Romæ a Valerio Poplicola, est annus centesimus a prima lustrorum vel ludorum institutione, & sic de aliis cum proportione dicendum est. Ex quibus manifestum evadit, ludos seculares Romanos fuisse illos, qui seculo exeunte, anno seculari celebrabantur: licet subinde nondum elapso seculo, sed annis pluribus ante seculare annum, aut pluribus post illum decursum, ex causis quibusdam editi fuisse deprehendantur, ut ex chronologia istorum ludorum patebit. Quod si quispiam inquirat, cur Romani ad spatium centum annorum seculum durare vellent, apud Censorinum causas aliquot reperiet. *Ut hunc*, inquit, *numerum annorum constituerent nostri, nonnihil causæ fuit. Primum quod multos suorum civium ad hanc ætatem vitam producere videbant. Dein quod Hetruscos, quorum prima secula centenum fuerant annorum, etiam hic, ut in aliis plerumque imitari voluerunt.* Hetruscorum secula prima fuisse centum annorum, ut idem Censorinus supra refert, ex historiis Tuscis (quæ octavo eorum seculo scriptæ fuerunt, ut testatur Varro) apparet. *Nam in iis expressum est, & quot secula ei genti data sint, & transactorum singula quanta fuerint, quibusque ostentis eorum exitus designati sint, continetur. Ibique scriptum est quatuor prima secula annorum fuisse centum.* Pergit loco priori: *Præterea fieri potest, quod refert Varro, quodque Dioscorides Astrologus scripsit, Alexandriæ inter eos qui mortuos solent observare, constare hominem plus centum annis vivere non posse. Id cor humanum declarare eorum, qui integri perierunt sine corporis tabe, eo quod id multis annis pendendo, omnis ætatis incrementa & diminutiones observent: & anniculi pendere duas drachmas, bimi quatuor, & sic per annos singulos, usque ad quinquaginta, accedere binas; ab iis centum drachmis ab anno quinquagesimo item decedere in unoquoque binas. ex quo perspicuum fit centesimo anno redire ad anni primi pondus, nec longius vitam posse produci.* Hæc Censorinus. Quamvis autem causa ultima plane futilis sit & superstitiosa, tamen apud Romanos valere potuit, eo quod ejusmodi rebus multum tribuerent, atque satis essent duæ priores causæ, ut rem il-

6. Quid annus secularis.

7. Cur Romani seculum centum annis definierint.

lam in eorum arbitratu positam ita decernerent. 8. Centesimus numerus in pretio apud Græcos. Addo Romanos etiam hac ratione moveri potuisse ad hoc, ut ad seculum centum annos requirerent, quod ea in re Græcos imitati, centesimum numerum in pretio esse voluerunt. Nam apud Græcos centesimum numerum perfectionem rei cui adjectus est, ac dignitatem significare, ex auctoribus perspectum habuisse Romanos, ambigi non potest; cum exempla quæ eam rem probarent, essent obvia. Nam usitatissimus erat hic numerus in eorum sacris. Hinc Græci habebant *ναὸς ἑκατομπέδυς*, quale fuit templum Palladis quod in omnibus lateribus erat centum pedum, a Callicrate & Ictino ædificari cæptum, de quo meminit Plutarchus in Pericle, & vocat *ἑκατόμπεδον παρθενῶνα*. De quo etiam meminit in vita Catonis, Plin. lib. 34. cap. 8. Suidas & alii, post Pausaniam lib. 5. Item *ἑκατόμβη* erat sacrificii genus apud Græcos, a centum victimis quæ in eo immolabantur, appellatum. Quod tamen nonnulli negant, ut refert Gyraldus Historiæ deorum syntagmate 17. dicuntque Hecatomben non a victimarum numero vocatam, sed ex eo quod centum Peloponnesi urbes id sacrum facerent. Ad hoc accedit Daniel Heinsius in notis ad lib. 12. Silii Italici: ubi Hecatomben a Lacedæmoniis qui centum urbes habebant, auctore quodam Conone, profectam asserit. Sed ut hæc vera sint, fatendum tamen est a numero victimarum Hecatomben dictam. Quod ex Julio Capitolino in Maximo & Balbino liquet, ubi illud sacrificium accurate describit his verbis: *Hecatombe autem tale sacrificium est: centum aræ uno in loco cespititiæ extruuntur, & ad eas centum sues, centum oves mactantur. Nam si imperatorium sacrificium sit, centum leones, centum aquilæ, & cetera bujusmodi animalia centena feriuntur. Quod quidem etiam Græci fecisse dicuntur, cum pestilentia laborarent: & a multis Imperatoribus id celebratum constat.* Ab hoc sacrificio princeps Atheniensium mensis dictus est Hecatombæus, ut tradit Suidas, atque apud Gyraldum in libello de annis & mensibus Hyperides & Harpocration. Meminit frequenter hujus sacrificii Homerus. Iliados 1. refert Agamemnonem per Chrysem sacerdotem pro Danais Hecatomben offerri jussisse. Iliados 4. Minerva monet Pandarum, ut voveat Apollini Hecatomben centum agnorum. Odiss. 22. narrantur Græci Hecatomben in honorem Apollinis fecisse: eo de sacrificio plura reperientur iis locis Homeri, apud Interpretes. Messenii Hecatomphonia immolare soliti erant, tanquam si centum ex hostibus interemissent, ut auctor est Plutarchus in Convivio septem sapientum. Et refert Pausanias Aristomenem id sacrum obiisse. Neque in sacris solum, sed in aliis etiam centesimi numeri maximam rationem habebant, eoque rerum præstantiam significabant. Sic Musæus poeta, puellæ Herus pulchritudinem commendare volens, scribit ejus oculum alterutrum, centum gratiis pullulasse Homerus 2. Iliad. ad declarandam potentiam insulæ Cretæ vocat eam *ἑκατόμπολιν, centum urbium.* Et de ea illum imitans Virgilius 3. Æneidos sic canit:

*Creta Jovis magni medio jacet insula Ponto,*
*Mons Idæus ubi, & gentis cunabula nostræ.*
*Centum urbes habitant magnas, uberrima regna.*

A Plato centenarium numerum inter eos numerat, quibus culpæ expiantur teste Rhodigino l. 22. c. 14. non tamen locum citat. Puto eum esse in Dialog. 10. de repub. *Herus autem, mi Glauco, plurima commemorabat, in quibus recensendis longo tempore esset opus: at illorum summam banc esse dicebat, eos omnes quos injuriam aliis intulisse constaret, pœnas singulatim pro unoquoque scelere decies dare, id est, centum annorum spatio.* Græce est: *ὑπὲρ ἑκάστου δεκάκις. τοῦτο δ' εἶναι κατὰ ἑκατονταετηρίδα ἑκάστην*, &c. Ad quem locum allusisse Virgilium asserit La Cerda in 6. Æneid. cum ait:

B

*Centum errant annos, volitantque hæc littora circum:*
*Tum demum admissi stagna exoptata revisunt.*

Notat idem Rhodiginus lib. 28. cap. 23. Græcos per Argum centum oculis præditum, virum sagacem ac perspicacem significasse; per centimanum Briareum, solem qui radiis veluti centenis manibus inferna disponat atque efficiat. Item eos Archimedem vocasse *ἑκατόνχειρα*, quod tanta polleret jaculandi peritia, ut C numerosas sagittas uno impetu excuteret. Sed ne in hac centenarii dignitate probanda quidquam omittam, subjicio locum ex Juliani Apostatæ epistolis, ubi eleganter eam persequitur. Sic igitur in epistola ad Serapionem, postquam pronunciavit centenarium numerum reliquis præstabiliorem esse, atque perfectionem quanda in se numerorum circumscribere, probare est conatus, *Mibi videtur*, inquit, *non temere, neque sine causa, Jovi ἑκατὸν θυσάνοις, centum fimbriis circumdatum vestitum, Homerus tribuisse. Sed meliore quodam & abscondito sermone rem adumbrat, cum id re*D*vera dicat, se perfectissimo potentissimoque Deo absolutissimum etiam numerorum adscribere, quoque solo præ cæteris ornari dignus sit. Aut quod totum mundum, quem in ægidis figuram, propter circumferentiæ imaginem conjecit. Non alius quam centenarius numerus circulari becatontade complectitur intellectum rerum intelligibilium solidum ac absolutum. Idem in suis carminibus centimano Briareo prope Jovem sedem collocat, & potentiæ parentis obluctari atque repugnare permittit. Ostendens se numeri perfectione, virium quoque & roboris in ea soliditatem ponere ob oculos voluisse. Verum & Pindarus Thebanus in* E *Epiniciis, ubi Typhoentis cædem prædicat, maximique gigantis bujus vires potentissimo deorum regi tribuit, non aliam ob causam tot tantisque laudibus eum vebit, quam quod uno ictu gigantem centum capitibus præditum neci dare voluit. Quasi non credibile sit, alium gigantem manus cum Jove conserturum fuisse, quam quem centum capitibus natura armarit. Neque quisquam deorum alius, præter solum Jovem dignus, qui victoriam & laudem ex tanti gigantis cæde reportarit. Simonidi vero Poetæ ad præconium* F *Apollinis sufficere, eum Hecatii cognomine appellare, & quasi alia quadam divina nota cognomentum ejus ornare, propterea quod Pythonem serpentem centum telis, ut inquit, confixum occiderit, eumque majorem voluptatem ex Hæcatii, quam ex Pythii appellatione accipere: eoque quasi bæreditario cognomine nuncupari velle. Creta vero quæ Jovem educavit quasi altrix, particeps laudum Jovis optimi maximi, centenario urbium numero decorata est Thebasque centiportas non alia de causa laudibus Homerus affecit, quam quod centum portis esset spectabi-*

*lis & admiranda. Silentio prætereo Deorum hecatombas, & fana centipeda, arasque centicrepidas, & andronas hecatondocos, terrasque centiplethras: quæcumque denique vel divina, vel humana, sub hujus numeri appellationem cadunt. Hic quidem numerus belli pacisque ordinem ac statum ornat, atque cohortem centum virum decoram atque absolutam efficit. Tum etiam numerandis, qui hac fere circumscriptione continentur, decus, & ornamentum importat.* Hæc ille, de Græcis, nisi in fine. Romanos vero

9. Centesimus numerus in pretio apud Romanos. in ea illius numeri observatione secutos Græcos, non est difficile demonstrare. Quod facere aggrediar, ubi de Græcis annotaro etiam in funeribus ejus rationem habuisse. quod ex Statii his verbis disco, ubi modum in funeribus decurrendi explicat:

*Tum centum numero turma (centenus ubique*
*Surgit eques) versis ducunt insignibus ipsi*
*Grajugenæ reges.* &c.

De qua re etiam Festus in voce *Græca sacra*: *Ex quo liquet*, inquit, *Romanos Græcorum imitatione centum diebus lugere consuevisse.* Iidem Romani etiam imitatione Græcorum Hecatomben celebrarunt. Paulum Æmilium sacrificium centum boum, item Marium solemnia Hecatombes sacrificia vovisse, narrat Plutarchus in eorum vitis. Julius Capitolinus in Maximo & Balbino asserit Imperatores Hecatombem sæpe fecisse, & Maximinum illam celebrasse meminit, in Maximinis. & Gallienum, Trebellius Pollio in Gallienis. clarissime vero Flavius Vopiscus in Tacito, ubi ait: *Ad ordinem amplissimum revertisset, ut supplicationes decernerentur, & Hecatombe promitteretur a singulis.* Romani etiam in aliis sacris ejus numeri mentionem non omiserunt, cum de Græcis agerent, aut eorum rebus. Virg. l.1. Æneidos de Venere templum suum petente cecinit:

*Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque revisit*
*Læta suas, ubi templum illi, centumque Sabæo*
*Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.*

Seneca in Hercule Furente, eum centum tauros voventem inducit:

*Tibi, o Deorum ductor, indomiti ferent*
*Centena tauri colla.*

Locus præclarus est in Silio Italico lib. 12. ubi Phœbus refertur Romanis omnia felicia spondere, ea conditione, ut

*—— altaria fument*
*Centum festa Jovi, centum cadat hostia cultris.*

Atque ut a sacris ad alia transeam, cum Romani Poetæ volunt rei alicujus præstantiam aliquo in genere explicare, id faciunt per numerum centesimum. Virgilius 4. Æneidos exponens donum Didonis Æneæ sociis datum, ac id commendare volens sic habet:

*—— sociis ad littora mittit*
*Viginti tauros, magnorum horrentia centum*
*Terga suum, pingues centum cum matribus agnos*

Sic volentes Poetæ describere gigantum fortitudinem eos centum manibus præditos fingunt, exemplo Græcorum. Virgilius lib.6. Æneid. *Centumgeminum Briareum* appellat. & Ovid.3. Metam.

*Nec quo centimanum dejecerat igne Typhoea.*

Virg.10. Æneid. de Ægeone sic canit:

*Ægeon qualis, centum cui brachia dicunt,*
*Centenasque manus.*

Horatius lib.4. Ode 1. commendare volens Fabium Maximum a præstanti doctrina, vocat eum, *puerum centum artium*. Ovidius lib. 1. Metamorphoseos, volens arctissima vincula significare, cœlo parata, inquit;

*Non ego pro mundi regno magis anxius illa*
*Tempestate fui, qua centum quisque parabat*
*Injicere anguipedum captivo brachia cœlo.*

Et 1. Metam. vigilantiam custodis sus significans, de Argo sic habet: *Centum luminibus cinctum caput Argus habebat.* Imperatores Romani cum populo præsente quædam spectacula ederent, in quibusdam centenarium numerum observabant, uti cum militibus quædam largirentur. Dio Cassius lib.40. in hanc rem adduci potest. Refert enim Claudium Imperatorem, qua die prioris anni Imperator creatus fuit, militibus viritim centenos nummos distribuisse. Item Suetonius in Caligula c. 46. ubi sic scribit: *Caligula pronunciato militi donativo, centenis viritim denariis, quasi omne exemplum liberalitatis supergressus, Abite, inquit, læti, abite locupletes.* Idem in Claudio cap.21. refert Circensium die eum curasse, ut centum missus facile peragerentur. In Domitiano cap.19. eum centenas varii generis feras conficientem in Albano secessu spectatum fuisse. Vopiscus in Tacito, eum columnas centum Numidicas pedum vicenum trium, Hostiensibus donasse. Notum omnibus, in exercitu Romano *Centurias Centurionesque* fuisse. Fuerunt etiam in republica *Centumviri*, quorum judicium *centumvirale* dicebatur. Eorum institutio refertur lib. 2. §. *deinde* ff. de Origine juris, his verbis: *Deinde cum esset necessarius Magistratus qui hastæ præesset, Centumviri litibus judicandis constituti sunt.* Eorum mentio est apud Ciceronem l. 1. de Oratore, Valerium Maximum l. 7. c. 8. Plinium Juniorem l.1. epist.5. & l. 5. ep. ultima, & alios. ex Poetis apud Martialem l. 10. ep.19.

*Dum centum studet auribus virorum.*

apud Ovidium 2. Tristium:

*Nec male commissa est nobis fortuna reorum,*
*Atque decem decies inspicienda viris.*

apud Lucanum in Panegyrico ad Pisonem:

*Seu trepidos ad jura decem citat hasta virorum,*
*Et firmare jubet centeno judice causas.*

Atque ut supra innuit Julianus Apostata sub finem, Centumviri ob centesimi numeri dignitatem ita vocati sunt, cum essent quinque supra centum. Cum enim essent Romæ triginta & quinque tribus, terni in Centumviros ex singulis tribubus fuerunt electi. Lege de iis minus obvia apud Theodorum Marsilium ad vitam Vespasiani Patris cap. 10. Beroaldum ad Suetonii cap.36. in Oct. Augusto. Denique Poetæ teste Persio Sat. 5. cum sibi omnia ad præclarum poema edendum, aut recitandum optabant, petebant *centum voces, centum linguas*:

*Vatibus*

*Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,*
*Centum ora, & linguas optare in carmina centum.*

Hunc morem sequens Virgilius 6. Æneid. ita canit:

*Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,*
*Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,*
*Omnia pœnarum percurrere nomina possem.*

10. Auctores qui alia habent de numeri centesimi dignitate. Atque hæc de centenario numero, quæ sparsim tantum apud auctores reperi, attulisse sufficiet, ut confirmatum maneat imitatione Græcorum centenarium numerum apud Romanos in pretio fuisse: eamque causam videri posse, cur seculum vellent centum annis constare. Qui de hoc numero ex Scriptura & Patribus quædam desiderat, legat Petrum Bungum in lib. de Mysteriis numerorum, Rutilium Benzonium lib. 1. de anno Jub. cap. 11. Matthæum Hostum de Numeral. & alios.

## CAP. II.

*Quæ esset celebritas Romæ anno seculari comparatione ad primam ludorum institutionem.*

1. Auctores, qui de anni secularis celebritate tractarunt. NUlli ex antiquis auctoribus ex professo, quod sciam, egerunt de anni secularis celebritate & ritibus, præter Zosimum lib. 1. Hist. novæ, ubi ex oraculo Sibyllino recenset ea, quæ illo anno seculari a Romanis fieri solerent, quibus annus ille celebris redderetur. Ex occasione tamen varii scriptores antiqui eadem attigerunt, ut ex hujus libri lectione deprehendere poterit, qui illum evolvere non dedignabitur. Ex recentioribus nonnulla scripsit Angelus Politianus in Miscellaneis cap. 58. & longe fusius Onuphrius Panvinius in libro de Ludis secularibus, atque ex illis plærique omnes. Illi tamen quoniam multa prætermiserunt, quæ in antiquorum auctorum monumentis sparsim inveniuntur, & locum mihi reliquerunt, ut de ea celebritate scriberem, ab iis omissa supplerem, atque quæ tantum attigerunt, de ipsis ludis & tempore, quo editi fuerunt, copiosius explicarem, veram deniq; chronologiam eorum confirmarem. Atque ut ab ipsa anni secularis celebritate dicere exordiar, puto eam totam ad hæc capita revocari.

2. Qualis ea celebritas. Inprimis quod anno seculari a prima ludorum institutione fierent peculiaria Diis variis sacrificia; deinde quod ludi omnis generis exhiberentur, qui propterea quod post elapsum seculum repeterentur, *seculares* fuerunt appellati; denique quod piamina a Quindecimviris populo distribuerentur, celebrarentur pervigilationes, supplicationes, lectisternia fierent, a Poetis carmina secularia, atque in laudem Deorum decantarentur hymni, de quibus omnibus mentio est apud veteres Historicos, atque in Oraculo Sibyllino Græco, quod extat apud Zosimum & Phlegontem Trallianum libro de Mirandis & Longævis, quod visum est hic Græce ac Latine subjicere, quoniam toti operi magnam lucem afferet, & singula capita sequentia fere aliquam ejus partem illustrabunt. Reperitur quidem Græce etiam alibi illud Oraculum, ut apud Politianum loco citato sine ullis accentibus, & in face Artium tomo 1. in qua Gruterus eos supplevit, denique in Vincentio Opsopæo de Oraculis Sibyllinis: sed quoniam in iis est varietas lectionum, non ingratum erit viris litteratis, eam ex hac editione deprehendere, atque de erroribus, qui vel Typographorum vitio, vel aliter irrepserunt, judicium ferre. Adscribam enim ad marginem varias lectiones, quas in diversis ejus Oraculi editionibus reperi.

Qui hoc Oraculum versu redditum legere volet, reperiet loco citato Politiani, qui illud vertit; vel apud Onuphrium in fine libri de Ludis secularibus omissis Græcis. Item aliter versum carmine, in Zosimo ab ejus interprete. Denique alteram ejusdem Oraculi interpretationem versu concinnatam a Xylandro interprete Phlegontis Tralliani de Mirabilibus & Longævis. Sed tacendum non est Xylandrum ejus Oraculi priores versus imperitissime vertisse hoc modo:

*Viginti & centum revolutis protinus annis,*
*Quæ sunt humanæ longissima tempora vitæ.*

Quamvis enim non ἑκατοσὸν haberetur, ut legendum est, tamen Græca ἑκατὸν δέκα non *centum viginti*, sed *centum & decem* significant. Unde arguendus supinæ negligentiæ Joannes Meursius, vir doctus, sed hæreticus, dum Phlegontem emendans, atque prælo iterum subjiciendum curans, eam Xylandri versionem cum tam ingenti errore edi passus est; ut nemo sit, qui Græca primis labris degustavit, quin eum possit deprehendere. Ego hic illud Oraculum carmine expressum non subjungo, quoniam parum fideliter multa ex Græco versa continet: & satis esse lectori arbitror, si hic Latinitate donatum apponatur.

### ΣΙΒΥΛΛΗΣ ΧΡΗΣΜΟΣ.

Ἀλλ' ὁπότ' ἂν μήκισος ἵκῃ χρόνος ἀνθρώποισι
Ζωῆς, εἰς ἐτέων [1] ἑκατοσὸν κύκλον [2] ὁδεύων,
Μεμνῆσθαι, Ρωμαῖε, καὶ εἰ μάλα [3] λήσεαι ἑαυτόν.
Μεμνῆσθαι τὰ δὲ πάντα, θεοῖσι μὲν ἀθανάτοισι,
Ρέζειν [4] ἐν πεδίῳ παρὰ Θύβρεϊδος ἄπλετον ὕδωρ,
Ὅππη στεινότατον, νὺξ ἡνίκα γαῖαν ἐπέλθῃ,
Ἠλίου κρύψαντος ἑὸν φάος. ἔνθα [5] σὺ ῥέζειν,
Ἱερὰ παντογόνοις Μοίραις ἄρνας τε καὶ αἶγας
Κυανέας. ἐπὶ τοῖς δ' Εἰλειθυίας ἀρέσασθαι
Παιδοτόκους θυέεσσιν, ὅπῃ θέμις· αὖθι δὲ Γαίῃ
Πληθομένῃ [6] χοῖρός τε καὶ [7] ὗς ἱεροῖτο μέλαινα.
Παλλεῦκοι [8] ταῦροι δὲ Διὸς παρὰ βωμὸν ἀγέσθων
Ἤματι, [9] μηδ' ἐπὶ νυκτί. θεοῖσι γὰρ [10] οὐρανίοισι
Ἡμέριος πέλεται θυέων τρόπος· ὡς δὲ καὶ [11] αὔτως
Ἱερδεύειν [12] δαμάλεις τε. βοὸς δέμας ἀγλαὸν
Ἥρης
Δεξάσθω [13] νηὸς παρὰ σεῦ. ὁ Φοῖβος Ἀπόλλων,
Ὅστε καὶ Ἠέλιος κικλήσκεται. [14] ἶσα δεδέχθω
Θύματα Λητοΐδης. ἀειδόμενοί τε Λατῖνοι
Παιᾶνας, κούροις κούρῃσί τε νηὸν ἔχοιεν
Ἀθανάτων, χωρὶς δὲ κόραι [15] χορὸν αὐταὶ ἔχοιεν
Καὶ χωρὶς παίδων ἄρσην στάχυς. ἀλλὰ γονήων
Πάντων ζωόντων τοῖς ἀμφιθαλὴς ἔτι φύτλη.
Αἱ δὲ γάμου ζεύγλαισι δεδμημέναι ἤματι κείνῳ
Γνὺξ Ἥρης παρὰ βωμὸν ἀοίδιμον ἑδριόωσαι
Δαίμονα λισσέσθωσαν, ἅπασι [16] θελήματα δοῦναι
Ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξὶ, μάλισα δὲ θηλυτέρῃσι.

1 ἕκατὸν δέκα. 2 ὁδεύσας. 3 λήσῃ ἑαυτοῦ. alii αὐτῶν. 4 Ρέξειν. 5 σε. 6 Πληθογένη χόρος. 7 σῦς θρηρδοῖτο. alii ὄϊς ἱερεύοιτο. 8 Ζάλλευκοι. 9 μὴ δέ τε. 10 οὐρανίδαισιν. 11 αὐτοῖς. 12 δαμάλις δέ. 13 νηὸς. παρά. 14 αἴσια δέχθω. 15 κόρον. alii χρόνον. 16 δὲ λύματα.

Πάντες δ᾽ ἐξ οἴκοιο φερέσθων, ὅσσα κομίζειν
Ἐστὶ θέμις θνητοῖσιν ἀπερχομένοις βιότοιο,
Δαίμοσι μειλιχίοισιν ἱλάσματα καὶ μακάρεσσιν
1 Οὐρανίδαις· τὰ δὲ πάντα τεθησαυρισμένα κείσθω,
Ὄφρα 2 δὲ θηλυτέρῃσι καὶ ἀνδράσιν ἑδριόωσιν,
Ἔνθεν πορσυνέῃς μεμνημένος· ἤμασι δ᾽ ἔστω,
Νυξί τ᾽ ἐπασσυτέρῃσι 3 θεοσέπτους κατὰ θώκους.
Παμπληθὺς ἄγυρις· σπουδὴ δὲ 4 γέλωτι μεμίχθω.
Ταῦτά τοι ἐν 5 φρεσὶν ᾗσιν αἰεὶ μεμνημένος εἶναι,
Καί σοι πᾶσα χθὼν Ἰταλὴ καὶ πᾶσα 6 Λατίνη
Αἰὲν ὑπὸ σκήπτροισιν ὑπαυχένιον ζυγὸν ἕξει.

Oraculum Sibyllæ ex versione Opsopæi paucis mutatis.

*Sed cum longissimum venerit tempus hominibus*
*Vitæ, ad annorum centesimum circulum means,*
*Memento, Romane, nec valde obliviscaris ejus.*
*Memor sis horum omnium: Diis quidem immortalibus*
*Ut sacra facias in Campo ad Tiberis immensam aquam,*
*Ubi arctissima, nox quando terræ supervenerit,*
*Sole abscondente suam lucem: hic tu sacrificato*
*Omnium generatricibus Parcis agnos & capras*
*Cœruleas. Post hæc Lucinas placato*
*Puerperas hostiis, ut fas est. Itemque Terræ*
*Feraci & porcus & sus mactetur nigra.*
*Candidi vero tauri Jovis ad aram ducantur:*
*De die, non de nocte. Diis namque cœlestibus*
*Diurnus est victimarum modus. Eadem vero ratione*
*Mactentur juvencæ. Vaccæ corpus purum Junonis*
*Capiat templum per te. Et Phœbus Apollo,*
*Qui & Sol vocatur, paria recipiat*
*Sacrificia, Latonæ filius, cantantesque Latini*
*Pæanas, cum pueris puellisque in æde versentur*
*Immortalium. Seorsum autem puellæ chorum habeant,*
*Et seorsum puerorum masculus ordo: sed parentum*
*Omnium viventium, quibus utrinque virens adhuc sit genus.*
*At nuptiarum copulis vinctæ, die illo*
*Flexo genu Junonis ad aram celebrem sedentes,*
*Divæ supplicent, omnibus ut vota concedat*
*Viris & mulieribus, maxime vero fæminis.*
*Omnes autem e domo ferant, quæcunque ferre*
*Decet mortales, solventes vitæ primitias,*
*Geniis benignis placamina & beatis*
*Cælestibus. Hæc omnia accumulata jaceant,*
*Ut tamen fæminis, quam viris sacris assidentibus,*
*Illinc præbeas memor. Diebus vero esto,*
*Noctibusque crebris, venerandis in pulvinaribus*
*Frequens cœtus. Res autem seriæ risui misceantur.*
*Hæc tibi in animo tuo semper memoria hæreant,*
*Et tibi tellus Itala & tota Latina,*
*Semper sub sceptris subditum jugum habebit.*

1 Οὐρανίοις. 2 τελῇ θυμέλῃσι. 3 θεοσεπτικς. 4 γέλως τε. 5 φρεσὶ τῇσιν 6 Λατίνων.

## CAP. III.

*De origine ludorum, qui seculares dicti, & eorum auctores.*

1. Occasio ludorum. QUi de origine ludorum, qui seculares dicti, cæteris auctoribus antiquis fusius exactiusque egit Valerius Maximus lib. 2. c. 4. A fatetur eam minus esse perspectam: *Non absurdum*, inquit, *videtur secularibus initium suum, cujus generis minus certa notitia est, reddere.* Quare credendum est illum eam originem diligenter examinasse, cum ei tum suppeteret veterum scriptorum major copia, quam postremis his seculis extiterit, atque adeo illam ludorum secularium, quam ille refert, originem cæteris veriorem existimari posse, & debere. Juvat igitur ejus verba, licet aliquantum prolixa, referre: *Cum ingenti pestilentia,* inquit, *Urbs agrique vastarentur, Valesius vir locuples, rusticæ vitæ, duobus filiis & filia ad desperationem usque* B *medicorum laborantibus, aquam calidam iis a foco petens, genibus nixus, Lares familiares, ut puerorum periculum in ipsius caput transferrent, oravit: orta deinde vox est, habiturum eos salvos, si continuo flumine Tiberis devectos Terentum deportasset, ibique ex Ditis Patris & Proserpinæ ara petita aqua calida, recreasset. Eo prædicto magnopere confusus, quod & longa & periculosa navigatio imperabatur, spe tamen dubia præsentem metum vincente, pueros ad ripam Tiberis protinus detulit (habitabat enim in villa sua propter vicum Sabinæ regionis* C *Eretum) ac lintre Ostiam petens, nocte concubia ad campum Martium appulit. Sitientibusque ægris succurrere cupiens, igne in navigio non suppetente, ex gubernatore cognoscit, haud procul apparere fumum, & ab eo jussus egredi Terentum (id ei loco nomen est) cupide arrepto calice, aquam flumine haustam, eo unde fumus erat obortus, jam lætior pertulit, divinitus dati remedii quasi vestigia quædam in propinquo nactum se existimans: in quo sole magis fumante, quam ullas ignis habente reliquias, dum tenacius omen apprehendit, contractis lenibus, & quæ fors obtulerat nutrimentis, pertinaci spiritu* D *flammam emovit, calefactamque aquam pueris bibendam dedit. Qua pota, salutari quiete sopiti, diutina vi morbi repente sunt liberati, patrique indicaverunt, vidisse se in somniis, quos nescio Deorum, spongia corpora sua pertergere, & percipere ut ad Ditis Patris & Proserpinæ aram, a qua fuerat potio ipsis allata, furvæ hostiæ immolarentur, lectisternia ludique nocturni fierent. Is quod eo loci nullam aram viderat, desiderari credens, ut a se construeretur, aram empturus in Urbem perrexit, relictis, qui fundamentorum constituendorum gratia terram ad solidum foderent. Hi domini imperium exequen-* E *tes, cum ad 20. pedum altitudinem humo egesta pervenissent, animadverterunt aram Diti Patri Proserpinæque inscriptam. Hoc postquam Valesius nuntiante servo accepit, omisso emendæ aræ proposito, hostias nigras, quæ antiquitus furvæ dicebantur, Terenti immolavit, ludos & lectisternia continuis tribus noctibus, quia totidem filii periculo liberati erant, fecit. Cujus exemplum Valerius Poplicola, primus Consul fuit, studio succurrendi civibus, secutus, apud eandem aram publice nuncupatis votis, cæsisque atris bubus, Diti maribus, fœminis Proserpinæ, lectisternio-* F *que ac ludis trinoctio factis, aram terra, ut ante fuerat, obruit.* Eandem originem refert Zosimus lib. 2. Hist. novæ, atque diversas nonnullas in Valesii historia referenda addit circumstantias; quas ex auctoribus, qui jam non extant, discere debuit, si eas pro suo arbitratu (quod haud existimo) non confinxit. Præterea refert aræ istius primam originem, & inscriptionem quam addidit Poplicola, & referre omisit Valerius Maximus, quam operæ pretium est cognoscere. Sic igitur habet: *Hæc ara,*

*ſacrificiique ratio, tali quadam ex cauſa, principium habuit. Bellum inter Romanos & Albanos erat, & cum utrimque jam in armis eſſent, quidam prodigioſa facie conſpectus eſt, amictus pelle nigra, & clamans: Ditem Patrem, atque Proſerpinam eis imperaſſe, rem ſacram ſub terra prius facerent, quam ventum ad manus eſſet. atque his dictis evanuit. Romani ſpectro territi, & aram ſub terra ſtruxerunt, & facta re ſacra, defoſſam ad altitudinem viginti pedum aram occultarunt: ut Romanis exceptis, aliis omnibus ignota foret. Hac igitur reperta Valeſius* (ſupra eum eſſe, a quo Valeriorum familia Romana deducitur, affirmavit) *& peracto ſacro, nocturniſque pervigilationibus, appellatus eſt* Manius Valerius Terentinus: *nam Deos inferos Romani* Manes *dicunt, & incolumem eſſe,* valere; Terentini *denique nomen ei datum ob rem ſacram ad Terentum factam. Sequentibus inde temporibus anno poſt exactos reges primo, cum peſtis urbem occupaſſet, P. Valerius Poplicola, mactato in hac ara Diti Patri & Proſerpinæ bove nigro, nigraque bucula, peſte liberavit Urbem inſcriptis aræ verbis hiſce, quæ Græce ſic habent.*

2. Ara Ditis Patris & Proſerpinæ, & ejus inſcriptio.

ΠΟΒΛΙΟΣ ΒΑΛΕΡΙΟΣ ΠΟΠΛΙΚΟΛΑΣ
ΤΟ ΠΥΡ ΑΡΕΙΟΥ ΠΕΔΙΟΥ ΑΔΗ
ΚΑΙ ΠΕΡΣΕΦΟΝΗ ΚΑΘΙΕΡΩΣΑ,
ΚΑΙ ΘΕΟΡΙΑΣ ΗΓΑΓΟΝ ΑΔΗ ΚΑΙ ΠΕΡΣΕΦΟΝΗ
ΥΠΕΡ ΤΗΣ ΡΩΜΑΙΩΝ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ.

*PUBLIUS VALERIUS POPLICOLA*
*IGNEM CAMPI MARTII*
*DITI PATRI ET PROSERPINÆ*
*DEDICAVI,*
*LUDOSQUE DITI PATRI ET PROSERPINÆ*
*PRO LIBERTATE POPULI ROMANI*
*FECI.*

Eadem ludorum ſecularium inſtitutio colligitur ex ſchedis Feſti Pompeii a Fulvio Urſino editis & ſuppletis: *Seculares ludi Tarquinii Superbi regis in agro ſunt primum facti, quem Marti conſecravit P. Valerius Poplicola Coſ. Populus Romanus in loco illo antea repertam aram quoque Diti ac Proſerpinæ conſecraverat in extremo Martio campo, quod Terentum appellatur, demiſſam infra terram pedes fere viginti; in qua pro malis avertendis populus Romanus facere ſacra ſolitus erat. Ludos poſtea ſeculares, & centeſimo* (ſic enim legendum patet ex iis, quæ ſubjicit) *quoque anno facere ibi cœpit, Popilio Lænate Duumviro ſacrorum: in quibus, hoſtiis furvis eſt operatus tribus diebus, totidemque noctibus. ac deinde inſtitutum eſſe, centum poſt annos ut fierent, unde videntur ſeculares appellati, quod centum annorum ſpatium, ſeculi habetur.* Conſentit Cenſorinus ex Valerio Antiate, lib. de Die natali cap. 17. *Primos ludos ſeculares,* inquit, *exactis regibus poſt Romam conditam annis ducentis quadraginta quinque, a Valerio Poplicola inſtitutos eſſe, Valerius Antias ait.* Idem denique tradit Pomponius Lætus in compendio hiſtoriæ, ubi de Philippo Imperatore agens ſic ſcribit: *De ludis ſecularibus referre haud abs re eſt. Eos inſtituiſſe fertur exactis regibus M. Valerius Poplicola.* Neque his obſunt, quæ Varro habet libro de Scenicis originibus (teſte Cenſorino cap. 17.) his verbis: *Cum multa portenta fierent, & murus, ac turris, quæ eſt intra portam Collinam & Equilinam, de cælo eſſent tacta, et ideo libros Sibyllinos Quindecimviri adiſſent, renuntiaverunt uti Diti Patri & Proſerpinæ ludi Terentini in campo Martio fierent, & hoſtiæ furvæ immolarentur; utique ludi centeſimo quoque anno fierent.* Hæc enim Valerio Poplicolæ occaſio etiam eſſe potuerunt, ut ludos illos inſtitueret, præter cauſam a Valerio Maximo & Zoſimo relatam. Quod magis arridet, quam quod Onuphrius lib. de Ludis ſecularibus reſpondet, Varronem nimirum, non agere de prima ludorum origine, ſed de eorum inſtauratione. Sicut etiam diſplicet, quod ille ad verba Varronis hæc addit (*tribus diebus, & tribus noctibus*) quæ a Cenſorino non referuntur. Ex his omnibus, quæ hoc capite diximus, deprehenditur, erraſſe Polydorum Vergilium lib. 4. cap. 14. qui Valerium Poplicolam cum Valeſio ſacrum idem celebraſſe aſſerit, ſed non ſolemni pompa: id ex dicendis magis apparebit.

3. Varronis opinio cum noſtra de ludorum ſecularium origine, conciliatur.

Patet præterea non inanem eſſe conjecturam recentioris auctoris, in libro Imaginis primi ſeculi ſocietatis Jeſu a Patribus Flandro-belgis edito hoc anno, cum ita ſcribit lib. 1. de 2. *Mihi venit in mentem ſuſpicari alios ab initio fuiſſe Terentinos, alios ſeculares ludos, ſed communi tandem nomine permixtos. Et Terentini quidem Diti ac Proſerpinæ, ſeculares Phæbo & Dianæ potiſſimum ſacri perhibentur. Terentinos pro avertenda peſtilentia conſtat primum fuiſſe inſtitutos, ſeculares lætitiæ erant & publicæ gratulationis. Terentini non niſi nocte & furvis hoſtiis peragebantur; ſeculares luce palam, & albis victimis.* Quamvis enim eam diverſitatem, quæ inter ludos Terentinos & ſeculares ab eo affertur, probare non poſſim, atque ex dicendis clarum evaſurum exiſtimem, eam nulla ratione ſubſiſtere; certum tamen mihi eſt ex Valerii Maximi verbis, ſupra citatis, Terentinos primum a Valeſio, inde eoſdem a Valerio Poplicola inſtitutos, & conſequentibus annis ſeculares fuiſſe nuncupatos. Hoc enim manifeſtum eſt ex ſchedis Pompeii Feſti in recitatis paulo ante ejus verbis. Ex illis ſiquidem habetur, in Terento primum ludos factos (ex quo loco fluxit Terentinorum ludorum appellatio) inde quod centum poſt annos fierent, ſeculares nuncupatos. Cœperunt autem centum poſt annos fieri ſecundi dumtaxat ludi, qui ſeculares etiam dicti ſunt præ aliis: nam ludi a Poplicola inſtituti non ſunt facti poſt centum annos ab inſtituto primo luſtro, ut aſſeruit Scaliger lib. de Emendatione temporum, & poſt eum Mathias Martinius in Lexico Philologico; ſed primæva luſtri inſtitutione minime attenta, primum editi fuerunt ex imitatione facti ſacrificii a Vale-

ſo Valeſio, ut ex auctoribus in medium allatis colligitur; atque ex iis, quos proferemus agendo de ſecundis ludis ſecularibus, magis elucefcet. Maxime etiam ex iis rationibus, quibus oſtendemus in ſecundis ludis rationem habitam ſpatii centum annorum a condito primo luſtro per regem Servium Tullium: quod intervallum centum annorum inter primos ludos datos a Poplicola, & primum luſtrum a Servio Tullio conditum non reperitur. Quod ſi dicatur primum luſtrum a Tullo Hoſtilio conditum, ut centum anni inveniantur, Dionyſio Halicarnaſſeo, aliiſque auctoribus contradicetur, qui a Servio Tullio conditum primum luſtrum affirmant.

## CAP. IV.

*Quid Romani anni ſecularis celebritate a Diis ſuis expectarent, aut peterent?*

1. Promiſſa Romanis imperii vel reipublicæ incolumitas, ſi celebritatem anni ſecularis obſervarent.

ROmani ex Libris Sibyllinis, in quibus anni ſecularis a ludorum inſtitutione, celebritas præſcripta erat, in oraculo Sibyllæ a me ſupra citato, expectabant quod illo oraculo promiſſum erat; nempe ſi ea celebritas rite obſervaretur, imperium Romanum incolume ac florens ſemper futurum, atque habiturum mundum prope univerſum ſub ſua poteſtate. Nam poſtquam ſerio his verſibus fuerunt præmoniti Romani, ut eorum, quæ in eo oraculo continebantur, eſſent memores:

Μεμνῆσθαι, Ῥωμαῖε, καὶ οὐ μάλα λήσαι ἑαυτὸν,
Μεμνῆσθαι τούτων πάντων.
*Memento, Romane, nec valde obliviſcaris*
*ejus nempe circuli.*
*Memor ſis horum omnium.*

atque poſt eam monitionem de ritibus iſta celebritate præſcriptis iterum monentur, ut meminerint illorum, utique ut obſervare ſtudeant, tum hæc illis promittuntur:

Ταῦτά τοι ἐν φρεσὶν ᾗσιν ἀεὶ μεμνημένος εἶναι,
Καί σοι πᾶσα χθὼν Ἰταλὴ καὶ πᾶσα Λατίνη
Αἰὲν ὑπὸ σκήπτροισιν ὑπαυχένιον ζυγὸν ἕξει.

Quæ ſic Politianus vertit carmine:

*Quæ tibi ſi ſtabili ſint omnia condita mente,*
*Cuncta tuo Italiæ tellus, cunctique Latini,*
*Subdent colla jugo, & victoris ſceptra timebunt.*

2. Quid exſpectarent Romani a Diis ſingulis ſeculis.

His igitur pollicitationibus permoti Romani, ſtudioſe anni centeſimi a luſtri prima inſtitutione ludorum a Poplicola inſtitutorum celebritatem obſervabant, eamque, quæ promittebatur, imperii incolumitatem ac proſperitatem a Diis exſpectabant, ut patet ex Horatii carmine ſeculari, quod habetur poſt librum Epodon, imprimis in hac ſtrophe:

*Alme Sol, curru nitido diem qui*
*Promis & celas, aliuſque & idem*
*Naſceris, poſſis nihil urbe Roma*
*Viſere majus.*

Item in iſta:

*Voſque veraces cecinisse Parcæ,*
*Quod ſemel dictum eſt, ſtabiliſque rerum*
*Terminus ſervat, bona jam peractis*
*Jungite fata.*

A Item infra de Apolline loquens:

*Si Palatinas videt æquus arces,*
*Remque Romanam, Latiumque felix,*
*Alterum in luſtrum, meliuſque ſemper*
*Proroget ævum.*

Alludit ad hæc S. Auguſtinus lib. 3. de Civitate cap. 18. ubi poſtquam oſtendit Deorum cultum, & ſeculares ludos non eripuiſſe Romanos a cladibus multis, quas commemorat, ſic concludit: *Hæc iſtis (Romanis) nequaquam objicientur a nobis, ſi ſacra illa dicerent, non tuendis his bonis temporalibus inſti-* B *tuta, ſed ſignificandis æternis. Et ideo quanquam ea quod corporalia viſibiliaque eſſent, perire contingeret, nihil his rebus minui, propter quas fuiſſent inſtituta, & poſſe ad eoſdem uſus denuo reparari: nunc vero cæcitate miſerabili, eis ſacris, quæ perire poſſent, fieri potuiſſe exiſtimant, ut ſalus terrena & temporalis felicitas perire non poſſet. Proinde cum illis etiam manentibus ſacris, vel ſalutis contritio, vel infelicitas irruiſſe monſtratur, mutare ſententiam, quam defendere nequeunt, non erubeſcant.* Quæ ſententia Auguſtini, C præter id quod conficit, illud quod probare nitimur, Romanos ut bona conſequerentur temporaria, eam celebritatem ludorum ſecularium & ſacrificiorum, exactiſſime perfeciſſe, etiam valet ad refellendum Zoſimum lib. 2. Hiſt. novæ temere aſſerentem ac falſo, Romanum imperium deficere cœpiſſe ſub tempora Conſtantini Imperatoris, eo quod ludos ſeculares edere prætermiſiſſet: quod infra confutabimus cum Baronio ad annum Chriſti 313. & aliis. Cum igitur ea ſecularium ludorum, ac ſacrificiorum, aliorumque rituum inſtauratione Romani expectarent, a Diis D immortalibus eorum tempore poſcebant, quæ eam in rem conferre cenſebant. Quæ quidem ad duo capita referri poſſunt. primum quod peterent plura bona ſibi conferri, quæ crederent ad florem & bonum reipublicæ plurimum prodeſſe: alterum quod mala a ſe depelli poſcerent, quæ homines maxime affligunt, & rempublicam vaſtant. Atque bona iſta illos petiiſſe conſtat ex Horatio in libro Odarum, & carmine ſeculari poſt Epodon. Inprimis ut matres partus ſuos in lucem feliciter emitterent; in carmine ſeculari:

3. Romani anno ſeculari bona ſibi tribui, mala a ſe depelli poſtulabant.

E *Rite maturos aperire partus,*
*Lenis Ilithya tuere matres.*

4. Quæ bona Romani peterent.

Deinde ut ſoboles multa produceretur, ac leges nuptiales eſſent efficaces. ibidem Dianam alloquens:

*Diva, producas ſobolem, Patrumque*
*Proſperes decreta ſuper jugandis*
*Fœminis, proliſque novæ feraci*
*Lege marita.*

Per *decreta Patrum*, & *legem maritam* Lambinus in eum locum intelligit Papiam Poppæam, ſed male; ut ad eundem locum no- F tant Torrentius & Chabotius. Nam teſte Iſidoro lib. 5. iſtius legis auctores fuerunt M. Papius Mutilus & Q. Poppæus, Conſules: qui conſulatum inierunt multis annis poſt editos ludos ſeculares ab Auguſto, quo tempore iſtud carmen ſeculare compoſuit Horatius, atque idcirco de ea lege agere non voluit. Intelligenda eſt igitur lex Julia de maritandis ordinibus, quæ paulo ante tempora ludorum ſecularium edita eſt ab Octavio Auguſto, quæ *Julia* ideo dicta eſt, quod ille

A testamento Julii Cæsaris adoptatus, *Julius Cæsar Octavianus* vocari consuevit. Causa illius legis ferendæ fuit, vel ad compescenda adulteria, & præposteras libidines, quæ Romæ Augusti tempore grassabantur, teste Horatio lib. 3. ode 6.

*Fæcunda culpæ secula, nuptias*
*Primum inquinavere & genus & domos:*
*Quo fonte derivata clades*
*In populum patriamque fluxit.*

B Vel certe causa fuit, quod summa semper cura fuit Romanis, ut matrimonia inirentur, ut essent, quibus milites supplerent. Unde Cicero lib. de Legibus, inter Censoris officia illud fuisse memorat, ut cælibes esse prohiberet. Quod etiam patet ex Gellio lib. 7. c. 6. ubi mentio est orationis, quam Censor Q. Cæcilius Metellus habuit de ducendis uxoribus. Quare credi potest Augusti tempore matrimonia minus frequentata, eamque legem ideo sancitam fuisse. Quam cum videret lapsu temporis aliquot annorum, ob pacem qua gaudebat Romanum imperium, parum servari, Papius Mutilus &
C Q. Poppæus, aliquot annis ante mortem Augusti, eam renovarunt: unde occasio nata est confundendi eas leges, quæ distinctæ sunt.

Denique ut multa paucis comprehendam: constat Romanos rogasse ab Apolline, ut probos mores juventuti daret, quietem senectuti, populo universo divitias, filios, honores cujusvis generis, quæ in carmine seculari versibus Horatius complexus est:

*Di probos mores docili juventæ,*
*Di senectuti placidæ quietem,*
*Romulæ genti date remque, prolemque,*
*Et decus omne.*

D 5. Quæ mala a se averti Romani peterent. Atque hæc de bonis, quæ Romani a Diis flagitabant anno ludorum secularium. Nunc videamus, a quibus malis liberari peterent. Zosimus scribit ludos seculares profuisse ad pestes, lues, ac morbos sanandos. Et superiori capite ad pestem avertendam vel propulsandam institutos ludos ab auctoribus accepimus. Quare a peste vel maxime immunes esse precabantur, quod ex Horatio liquet ode 21. lib. 1. & carmine seculari, ubi Apollinem rogat, ut, *condito telo*, mitis ac placidus supplices
E pueros audiat: nam Apollo apparens educto telo ex pharetra, iratus ac noxius credebatur, & morbos, maxime pestilentiam immittere. ut habetur ex Homero Iliad. primo, & Festus ait Apollinem *Pæanem* dici, a παίειν *ferire*, & Servius in 5. Eclog. ab ἀπολεῖν, *perdere*, *Apollinem* dici: eumque infensum creare pestilentiam. Hoc petiisse Romanos tradit etiam Acron vetus Interpres Horatii: *Secularis*, inquit, *carminis devotio duplex esse consueverat, aut enim pro sedanda, aut pro vitanda pestilentia, aut pro certo & constituto numero annorum*. Quod ita capiendum est,
F ut cum pro constituto tempore fierent, tamen etiam pro sedanda aut vitanda peste fierent. id clare constat ex Valerio Maximo, Festo Pompejo cap. 3. citatis. Præterea Romani ludis secularibus petebant famem, vel grassantem depelli, vel imminentem arceri, uti etiam belli imminentis periculum dissipari, aut suscitatum sopiri. quæ Horat. Ode 21. lib. 1. quæ est carmen seculare, clare indicat:

*Hinc bellum lacrimosum, hinc miseram famem,*
*Pestemque a populo & principe Cæsare in*
*Persas atque Britannos,*
*Vestra motus agat prece.*

Denique si bella permanerent, petebant, ut sui Imperatores & duces exercitus de hostibus victores evaderent. quo spectat illud in carmine seculari;

*Quique vos bobus veneratur albis,*
*Clarus Anchisæ Venerisque sanguis,*
*Imperet bellante prior, jacentem*
*Mitis in hostem.*

## CAP. V.

*De Duumviris, Decemviris, Quindecimviris, ad quos ludorum secularium cura pertinebat.*

CUram ludorum secularium pertinuisse ad Decemviros & Quindecimviros sacris faciundis, declaratur a Cornelio Tacito lib. XI. Annal. ubi de Domitiano loquens sic habet: *Is quoque edidit ludos seculares, iisque intentius affui, sacerdotio Quindecimvirali præditus, ac tum prætor. Quod non jactantia refero, sed quia collegio Quindecimvirum antiquitus ea cura, & magistratus potissimum exequebatur officia ceremoniarum*. Indicat apud Livium lib. 10. Decius Mus, his verbis: *Decemviros sacris faciundis, carminum Sibyllæ ac Fatorum populi hujus interpretes, antistites eosdem Apollinaris sacri, ceremoniarumque aliarum, plebejos videmus*. Idem testatur Zosimus lib. 2. Hist. novæ, agens de ludis secularibus ab Augusto editis, & referens: *Attejum Capitonem utique, Urbis Romæ Jurisconsultum primarium, leges ludorum exposuisse, ac tempus, quo rem sacram fieri atque edi spectacula oporteret, Quindecimviros, ad quos oraculorum custodia pertineret, investigasse*. Idem confirmat fragmentum Capitolinum, in quo magistri Quindecimvirum, qui Augusti ludis præfuerunt, expressi habentur: quod refertur in Annal. Romanorum Winandi Pighii tomo 3. l. 18. ad annum U. C. DCCXXXVI. atque ab Onuphrio lib. de Ludis secularibus in hæc verba: 1. Quid curarent Quindecimviri in ludis secularibus.

LUDI SECULARES QUINT:
IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTO.
C. SENTIO C. F. C. N. SATURNINO.
M. CLAUDIO M. F. M. N. MARCELLO MAG.
XV. VIR.
M. FUSIO M. F. STRIGONE.
D. LÆLIO D. F. D. N. BALBO.

Denique ex nummis Augusti, quorum unum citat Justus Lipsius ad lib. XI. annalium Taciti in hæc verba:

IMP. CÆS. AUG. LUD. SEC.
XV. S. F.

Hoc est, ut idem explicat. *Imperatoris Cæsaris ludi seculares. Quindecimviri sacris faciundis*. Quæ cum ita se habeant, non erit abs re investigare hoc loco, quid essent Duumviri, Decemviri, & Quindecimviri. Ac Duumviri quidem a quo fuerint instituti, inter auctores controvertitur. Lactantius lib. 1. Divinarum instit. cap. 6. Servius in lib. 6. Æneid. quos sequitur Rosinus Antiquit. Romanarum

lib. 3. cap. 24. censent eos a Rege Tarquinio Prisco institutos, eo quod Sibylla, ad cujus libros asservandos Duumviri fuerant creati, Romam venit (ut narrat Solinus lib. 1. cap. 8.) Olympiade quinquagesima, qua tota Tarquinius Priscus regnavit juxta Eusebii Chronicon. ex quo obiter corrige fœdum mendum in Rosino, loco citato, cum ipse ex Solino tradit, eam Sibyllam Romam venisse Olympiade prima. Alii tenent Duumviros sacris faciundis a Rege Tarquinio Superbo institutos. Ita Dionysius Halicarnasseus lib. 4. Aulus Gellius lib. 1. cap. 19. Solinus lib. 1. cap. 8. Plin. lib. 13. cap. 13. Pomponius Lætus in libello de Sacerdotiis cap. 13. quos sequitur Alexander ab Alexandro Genialium dierum lib. 3. cap. 16. Tiraquellus vero ejus illustrator, utramque proponit sententiam, atque indecisam rem relinquit. Ego sententiæ posteriori subscribendum puto, ob auctoritatem eorum qui illam tradunt, suntque Lactantio & Servio longe anteferendi. Maxime cum nullum fundamentum sit, quo eos tueri nititur Rosinus, asserens ex Solino eam Sibyllam tempore Tarquinii Prisci Romæ fuisse, cujus libri asservabantur a Duumviris: potuit enim ea Sibylla Romam venire tempore Tarquinii Prisci, & libros suos nondum composuisse, sed Romæ tempore Tarquinii Prisci, & Servii eos Romæ, aut alibi conscribere, ac tum demum regnante Tarquinio Superbo Romam redire, & libros suos venales exponere. Alterutrum fecisse sentit Solinus: qui etsi ejus adventum Romæ collocet Olympiade quinquagesima, tamen scribit libros suos venales Tarquinio Superbo exposuisse, atque ab eodem Tarquinio Superbo eosdem Duumviros clare sentit fuisse creatos. Causa cur eos crearet, fuit, ut custodirent libros Sibyllinos, quos ipse emerat. Unde idem Tarquinius alterum Duumvirum M. Attilium teste Dionysio Halicarnasseo loco citato (vocat eum *Tullium* Valerius Maximus lib. 3. cap. 1. num. 13.) eo quod non bona fide munus suum gereret, sive, ut inquit Valerius Maximus, *quia librum* (Sibyllinum) *secreta civilium sacrorum continentem, custodiæ suæ commissum, corruptus, Petronio Sabino describendum dedisset, culeo insutum in mare abjici jussit*. Manserunt Duumviri usque ad annum Urbis conditæ CCLXXXVIII. quo tempore C. Licinius & C. Sextius tribuni plebis effecere, ut Duumviris octo adderentur. Atque ita ex Patribus quinque, ex Plebe quinque Decemviri creari cœperunt, ut refert Livius lib. 6. Pomponius Lætus de Sacerdotiis cap. 13. Liber sub nomine Fenestellæ de magistratibus cap. 13. Decemvirorum numerus postea auctus fuit ad quinque, sed a quonam incertum. Fallitur enim Rosinus lib. 3. cap. 24. qui verisimile putat L. Syllam ad Decemviros quinque addidisse, & Quindecimviros instituisse. Errat eodem modo Alexander ab Alexandro lib. 3. Gen. dierum cap. 16. ubi idem censet: nam nullum illi citant idoneum auctorem, qui id Syllæ attribuant. Jam vero ante tempora Syllæ auctos fuisse Decemviros usque ad Quindecim, diserte affirmat Servius, in librum sextum Æneidos, ad versum:

3. Quando auctus Duumvirorum numerus usque ad decem.

*—— lectosque sacrabo*
*Alma viros, &c.*

Ubi sic scribit: *Sane sciendum est duos librorum Sibyllinorum fuisse custodes, deinde decem, inde quindecim, usque ad tempora Syllana. Post crevit numerus: nam sexaginta fuerunt, sed remansit Quindecimvirorum vocabulum.* Ex quo patet incertum esse, a quo additi fuerint illi quinque, qui ad Decemviros ante Syllana tempora accesserant: ea tamen ad Decemviros accessio virorum quinque, videri potest facta fuisse a Plebe, si Pomponio Læto cap. 13. de Sacerdotiis credere velimus: *Duumviri a Tarquinio Superbo creati fuerunt, qui soli inspicerent libros Sibyllinos. deinde cum plebes creari ex suis instaret, ex plebeiis & patriciis creati decem, & inde quindecim, qui libros inspicerent: sic a Duumviris ad Decemviros & Quindecimviros res devenit.* Hæc ille. Confirmatur ex eo, quod sub Cornelii Syllæ tempora, ad Quindecimviros unus additus sit a Julio Cæsare, ut refert Dio lib. 42. sub finem his verbis: Ἵνα γὰρ πλείους ἀμείψηται, στρατηγούς τε δέκα ἐς τὸ ἐπιὸν ἔτος ἀπέδειξε, καὶ ἱερέας ὑπὲρ τὸ νενομισμένον. τοῖς τε ποντίφιξι, καὶ τοῖς οἰωνισταῖς (ὧν καὶ αὐτὸς ἦν) τοῖς τε καὶ πεντεκαίδεκα καλουμένοις, ἕνα ἑκάστοις προσένειμε. *Ut enim pluribus gratiam referret, decem prætores ad annum insequentem designavit, & numerum eorum, qui rebus sacris præessent, supra præscriptum a legibus, auxit: nam & Pontificum, & Augurum, & Quindecimvirorum collegium, uno addito in singula collegia, ampliavit.* Idem Dio tradit lib. 51. paulo ante finem: *Decretum, ut Augustus sacerdotes, quoscumque vellet, etiam neglecto numero antiquitus recepto, constitueret. quod quidem ab eo acceptum, deinceps in infinitum excrevit.* Vides igitur ex his, pro temporum varietate curam ludorum secularium habuisse Duumviros, Decemviros, aut Quindecimviros, eosque omnes unum idemque collegium Sacerdotum extitisse, quod decursu temporis fuerit auctum: ut mirum non sit Servii tempore (ut tradit ipse loco citato) Duumviros usque ad sexaginta excrevisse.

4. A quo ad Decemviros quinque additi & deinde.

## CAP. VI.

*Quomodo Quindecimviri populum ad ludos seculares expiatione præpararent.*

Quindecimviri monitis magistratibus, quorum intererat, de secularium ludorum tempore vicino, ut munus illorum exigebat, eo tempore appetente etiam populum ad ludos præparabant, lustralia populo distribuendo, quibus expiaretur. Quid vero essent illa lustralia, quo tempore, quo loco populo distribuerentur, aperit Zosimus lib. 2. Hist. novæ his verbis: *Ipso autem messis tempore perpaucis diebus, antequam ludi peragerentur, in Capitolio temploque Palatino, Quindecimviri sedentes in suggestu, lustralia populo distribuebant: ea autem sunt faces, sulphur, & bitumen. Nec participes horum servi sunt, sed liberi dumtaxat homines.* Hoc etiam intelligitur ex nummo antiquo, qui extat apud Achillem Maffæum, teste Onuphrio libro de Ludis secularibus: Is nummus est hujusmodi: in una parte est imago Domitiani cum hac inscriptione: *Imp. Cæs. Domit. Aug. Germ. Cos. XIIII.* in altera imprimis Vir pro amplo suggestu ad lævam ante templi porticum, quatuor columnis Corinthiis fultam, sedens, distribuensque quæpiam manu dextra, atque ante pedes habens duo vasa, sub cujus tribunali, hoc scriptum est: SVF. P. D. (hoc est, *suf-*

1. Quæ lustralia, quo tempore, quo loco, a Quindecimviris populo distribuerentur.

*ſimenta populo data)* ante quem a parte dextra ſunt duo præterea homines, alter parvus prope illum, manus attollens, ut aliquid a ſedente accipiat; alter major, ut ſtans retro ſuſcipiat ſuffimenta, ſive piamina de manu ſedentis. Exiſtimo enim in illa parte in qua ſedens Vir referebatur, fuiſſe repræſentatum modum, quo populo Romano ante ludos ſeculares ſuffimenta, ſive februa diſtribuebantur, atque adeo ejus explicationem non attigiſſe Onuphrium, dum per virum ſedentem dixit Domitianum Imperatorem repræſentari, ea piamina diſtribuentem: nam illud officium non erat Imperatoris, ſed Quindecimvirorum, ut e loco allato ex Zoſimo clarum eſt: atque adeo puto unum aliquem e Quindecimviris, aut eorum ſupremum fuiſſe, illa ſpecie expreſſum. Nec obeſt, quod in illa facie nummi circumſcriptum legitur: ***Pont. Max. Tr. Pot. VIII. Cenſ. P. P. P. Lud. Sec.*** quæ ad Imperatorem Domitianum manifeſte pertinent: hoc enim tantum evincit illum nummum ludis ſecularibus a Domitiano editis fuiſſe excuſum. Porro ut aliquid de enumeratis illis luſtralibus a Zoſimo afferamus, conſtat hæc piaminum genera in uſu alias etiam fuiſſe apud Romanos, ut teſtatur Servius lib. 6. Æneid. ubi ſcribit, triplicem eſſe hominis purgationem: *Aut enim*, inquit, *thæda purgantur, aut aqua abluuntur, aut aere ventilantur*. Fere eadem habet in lib. 2. Georgic. illud enarrans:

2. Triplex hominis purgatio apud veteres.

*Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia pinu.*

Ex quibus patet luſtrationem per faces, ſive thædas uſitatam. De qua etiam Plin. lib. 16. c. 10. *Thæda*, inquit, *ſacrorum lumine grata eſt: ejus uſus in luſtratione notus*. Cum thædis ſulphur adjectum in expiatione, teſtatur Juvenalis Sat. 2.

3. Luſtratio per thædas, ſulphur, ova, bitumen.

*—— cuperent luſtrari, ſi qua darentur*
*Sulphura cum thædis.*

Quam neceſſarium ſulphur ad expiationes, diſce ex Homero Odyſſ. 22.

Οἶσε θέειον γρηῦ κακῶν ἄκος.
*Anus, porta ſulphur malorum medelam.*

& Plin. lib. 35. Nat. hiſtoriæ, ubi ſic ſcribit: *Habet & in religionibus locum ſulphur, ad expiandas ſuffitu domos*. Sulphur libaſſe legitur Columella lib. 8. Etiam ſolo ſulphure uſos fuiſſe veteres pro hominum expiatione, docet Propertius lib. 4. eleg. 9.

*Imperat, & totas iterum mutare lacernas,*
*Terque meum tetigit ſulphuris igne caput.*

Tibullus lib. 4. eleg. 5.

*Ipſeque ter circum luſtravi ſulphure puro.*

Ovid. lib. 4. Faſtor. explicat, quomodo luſtratio per ſulphur fieret, dum de ovium luſtratione loquitur, eamque fumo perfectam innuit:

*Cærulei fiant puro de ſulphure fumi,*
*Tactaque fumanti ſulphure balet ovis.*

Meminit vero puri ſulphuris Tibullus atque Ovidius, quoniam ſulphuri ova ſubinde jungebantur. Ovidius lib. 2. de arte:

*Et veniat, quæ luſtret anus lectumque locumque,*
*Præferat & tremula ſulphur & ova manu.*

Imo etiam ſulphuri & ovis thædam junctam habemus ex Apulejo lib. 1. ubi dicit, ſummum ſacerdotem Iſidis, thæda lucida, ovo, ſulphure, precibuſque in navis expiatione uſum fuiſſe. Alias ſicut ſolo ſulphure, ſola thæda, ita etiam ſolis ovis luſtratio fiebat, ut Juvenalis Satyra 5. indicat:

*Grande ſonat, metuique jubet Septembris & Auſtri*
*Adventum, niſi ſe centum luſtraverit ovis.*

Hinc illud Luciani Εκάτης δεῖπνον ἢ ὠὸν ἐκ καθαρσίῳ explicatum manet, ut advertit Brodæus lib. 5. miſcel. cap. 25. Denique bituminis uſus in expiationibus colligitur ex Proclo nobili Platonico, libro de Sacrificiis, ubi tradit, ſacerdotes in purificationibus uti ſolitos ſulphure atque aſphalto, hoc eſt, bitumine, aqua marina aſperſis. Non eſt credendum ipſos Quindecimviros per ſeſe feciſſe ipſas expiationes, ſed ipſis rebus, quæ illis uſui eſſent, a Quindecimviris acceptis, unumquemque ſeſe, more in aliis expiationibus recepto, expiaſſe. Nimirum ut ſe expiantes ad ſolem orientem converterent, quod uſitatum fuiſſe alias diſcimus, ex Cratino in Chirone:

4. Ritus in expiationibus uſitati.

Ἄγε δὴ πρὸς ἕω πρῶτον ἁπάντων ἵςω,
Καὶ λάμβανε χερσὶ σχῖνον μεγάλην,
Χέε τάδε, τὸ ὕδωρ ἐκ τῶν κρατήρων χέε.
*Age vero ad Auroram primum omnium conſiſte,*
*Et cape manibus juncum magnum:*
*Funde hæc, aquam e crateribus funde.*

Et Ovidius 4. Faſtorum:

*—— hæc tu converſus ad ortus,*
*Dic quater, & vino prolue rore manus.*

Deinde ut luſtrationes ſingulas ter repeterent, erat uſitatum, quod ex Propertii & Tibulli locis ſupra recitatis liquet, atque ex Ovidio lib. 7. Metam.

*Terque ſenem flamma, ter aqua, ter ſulphure luſtrat.*

Quod ſi quis miretur nullam a Zoſimo fieri mentionem diſtributæ aquæ, etſi uſitatiſſima expiatio per aquam etiam ante ſeculares ludos adhiberetur, mirari deſinet, ſi ſecum expendat, non ideo ſequi illam omiſſam fuiſſe, ſed aquam, cum omnibus ad manum eſſet, diſtributam non fuiſſe; eos vero adhibere potuiſſe, quam ipſi ſibi e puris fontibus hauſiſſent. De modo luſtrationis per aquam fontium, hæc Virgilius lib. 6. Æneidos:

5. Expiatio per aquam, maxime fontium & fluviorum.

*Idem ter ſocios pura circumtulit unda,*
*Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ,*
*Luſtravitque viros, dixitque noviſſima verba.*

Fuit etiam aqua marina ad luſtrationes uſurpata, ut ex Proclo jam citato liquet, & obſervat Magius lib. 4. Miſcel. cap. 10. ex Dione lib. 48. & Euripide in Tauris. Jacobus Durantius variorum lib. 1. cap. 3. ex Apulejo 11. Metamor. ubi de ſe loquens: *Alacer*, inquit, *exurgo, meque protinus purificandi ſtudio, marino lavacro tranſdo, ſepties ſubmerſo capite fluctibus*. Ideo Valerius Catullus epig. in Gellium ait, eum tantum crimen ſuſcipere ob Venerem incæſtam,

*—— quantum non ultima Tethys,*
*Non genitor nympharum abluit Oceanus.*

Etiam Cicero pro Roscio Amerino hanc rationem reddit, cur parricidas nollent majores in fluvium abjici, ne cum delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cætera cum violata sunt, expiari creduntur. Julius Obsequens Hermaphroditos solitos refert Aruspicum præcepto in mare deportari, quod nullis, nisi æquoreis undis, ejusmodi portenta expiari posse illi arbitrarentur. & Hippolytus ab noverca flagitatus ad incæstum apud Senecam tragicum, ita exclamat.

*Quis eluet me Tanaïs? aut quæ barbaris*
*Mæotis undis, Pontico incumbens mari?*
*Non ipse toto magnus oceano Pater*
*Tantum expiarit sceleris.*

**6. Expiationes veterum superstitiosæ, & damnandæ.** Hos omnes expiationis modos, & nonnullos alios attingit Procopius in Deuteronomium his verbis: *Quid igitur de purificationibus in lege constitutis dicemus? primum quidem præ se figuram purificationis melioris ferre, insuper vero a Græcanicis differre, quod eæ cum incantationibus, salibus, lauro, bordeo, mari, & transitione per ignem fieri solebant.* Sed quid diutius in his immoror, quæ a stulta Gentilium superstitione profecta, ad purgandos hominum animos, nullam vim obtinebant? Abeo ab illis: si quis de his expiationibus quædam generatim nosse desiderat, legat Alexandrum ab Alexandro lib. 5. Dierum genialium cap. 27. Natalem Comitem lib. 1. cap. 4. & alios. ad extremum mecum Gentiles rideat his Lactantii verbis lib. 5. Instit. cap. 20. *Se pie sacrificasse opinantur, si cutem laverint, tanquam si libidines inclusas ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent.*

## CAP. VII.

### *De distributione tritici, bordei, & fabarum, ante ludos seculares.*

**1. Quo loco, & a quibus fruges populo darentur.** Postquam lustralia Populo Romano distributa fuerant a Quindecimviris, conveniebat iterum populus (relicto Capitolio, aut templo Palatino, in quibus locis fuerant distributa februa) ad templum Dianæ, quod erat in Aventino monte, atque in eo distribuebatur illi triticum, hordeum, & frumentum; idque ex liberalitate eorum, qui ludos seculares edebant. Ambigi potest, an per sese, qui ea largiebantur populo, eadem etiam distribuerent, an vero Quindecimviri, qui piamina distribuerant, etiam illa dona tritici, hordei, & fabarum dividerent in populum. Ex Zosimo nihil certi colligi potest, maxime tamen indicat, id fecisse Quindecimviros, quod uno contextu ea refert cum distributione piaminum per Quindecimviros. Arbitror tamen ex nummo, qui extat apud Arhillem Maffejum, optime colligi posse id ab Imperatore & a Quindecimviris præstitum. Nummus ille æreus est, in ejus una parte est expressum caput Imperatoris cum hac inscriptione: *DOMITIANVS AVG. GERM. P. M. TR. P. VIII. Cens. P. P. P.* in tergo ad dextram Vir sedens in amplo suggestu, ante templi porticum suffultam quatuor Corinthiis columnis. sub suggestu, & ad latus scriptum: FRVG. AC. A. POP. hoc est: *Fruges acceptæ a populo.* ad sedentis pedes tres urnæ sunt, & sedens dextra manu porrecta tenet pateram. Ad sinistram sunt Viri duo stantes, ante suggestum duas pateras manibus tenentes: ex quibus alter pateram sedenti porrigit, ut aliquid accipiat. Idem facere videtur Vir, qui retro stat; nam etiam pateram sedenti porrigit. Verum non existimo idem facere, sed eum, qui sedet, esse Imperatorem; qui manu sua dat populo, stanti ante se, & pateram porrigenti, certam tritici, hordei, atque fabarum mensuram; illum vero, qui retro stat esse unum ex Quindecimviris, qui pateram plenam earum rerum Imperatori porrigat, ut eo citius & facilius distributio fiat ab illo: atque ita per Quindecimvirorum & Imperatoris manus eam frugum distributionem perfectam puto.

**2. Quem in finem, fruges distribuerentur ante ludos seculares.** Quem in finem hæc populo distribuerentur, Zosimus, qui lib. 2. Hist. novæ, quæ superius diximus scriptis mandavit, aperit eodem loco, dum dicit: *Θεωρίαι τε ἱεροπρεπεῖς ἄγονται· κομίζονται) οἱ ταῦτα ποιοῦντες μισθὸν τὰς ἀπαρχὰς τῶν καρπῶν σίτου, καὶ κριθῆς, καὶ κυάμων· αὗται γὰρ, ὡς εἴρηταί μοι, τῷ δήμῳ παντὶ διανέμονται.* Quod Latine sic habet: *Et spectacula consentanea rebus divinis eduntur. Et hæc qui peragunt, pro mercede primitias fructuum, tritici, hordei, fabarum accipiunt: nam illæ, ceu dictum est, populo distribuuntur.* Fuit enim receptum apud veteres, ut merces daretur iis, qui in scena aliquid repræsentarant; unde Horatius de Arte poetica significat, antiquis tragœdis datum hircum in tragœdiæ præmium:

*Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,*

Idem habet Theocritus Idyllio 1. & Virgilius lib. 2. Georgicorum hunc morem his versibus prodit:

*Non aliam ob causam Baccho caper omnibus aris*
*Cæditur, & veteres ineunt proscenia ludi,*
*Præmiaque ingentes pagos & compita circum*
*Thesidæ posuere.*

Nonnus in Dionysiacis libro 19. præmia non tantum victori, sed victo etiam dari solita innuit, cum taurum victori, victo hircum dat, celebrans festa Bacchi. Pausanias in Phocicis significat etiam data præmia iis, qui in canendis hymnis reliquos superassent: *Ἆσαι εἰς τὸν θεὸν ἀρχαιότατον, ἐφ᾽ ᾧ ἆθλα ἔθεσαν. Canere hymnum in Deum antiquissimum est certamen, in quo præmia posuerunt.* Archias in Epigrammate de Græciæ certaminibus, quæ præmia essent, his versibus explicat:

*Τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες ἀν᾽ Ἑλλάδα. τέσσαρες ἱροί,*
*Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ᾽ ἀθανάτων.*
*Ζηνὸς, Λητοΐδαο, Παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο,*
*Ἆθλα δὲ τῶν, κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.*

Hæc in Anthologia epigrammatum Græcorum Hieronymi Megiseri lib. 1. quatuor variis ab eo modis conversa reperientur. Item ab aliis novem diversis auctoribus, Raphaele Volaterrano, Thoma Venatorio, Joanne Baptista Pio, Andrea Alciato, Natali Comite, Nicodemo Frischlino, Luca Fruterio, Henrico Stephano, denique Paulo Stephano. tamen libet mihi, meam versionem præ aliis hic apponere, legat alias qui volet. sic igitur verto:

*Bis duo Græcia dat certamina. sacra quaternis,*
*Sunt duo sacra viris, cœlicolisque duo.*

Hæc

*Hæc Jovis & Phœbi: illa Palæmonis, Archemorique:*
*Præmia sunt, oleæ, poma, apium, picea.*

Hæc de præmiis in tragœdiis, spectaculis, certaminibus, ex occasione dicta sint, ne quis ab Onuphrio in fraudem inducatur, & putet anno seculari triticum, hordeum, & fabas distributas fuisse, ut a populo Parcis offerrentur. nam quamvis Onuphrius in textu Zosimi ita legat: *Coibat populus in ea, quæ supra dixi, loca, tum præterea in Dianæ templum, quod est in Aventino, & cuique triticum & fabas dari mos erat, quæ Parcis offerrent.* Nihil tamen quoad hoc de Parcis, est in versione Leunclavii, nec etiam in Græco Zosimo. quod enim de Parcis habet, refertur ad pervigilia. Imo Zosimus aliam caussam affert, cur populo illa darentur, ut ipse populus daret iis, qui in spectaculis exhibitis egissent, uti jam dixi.

3. Fruges Parcis non offerebantur.

## CAP. VIII.

### *De Ludis ipsis Secularibus.*

1. De Nominibus Ludorum secularium.

LUdos illos, quos a Valerio Poplicola, institutos fuisse ex auctoribus probavi, vocatos decursu temporis *seculares* clarum est ex iisdem auctoribus, ut dixi cap. 3. Ita eos appellat Livius lib. 336. teste Censorino lib. de die Natali cap. 17. sic vocat Censorinus ipse. Puto tamen eos ita vocari cœpisse post 55. annos ab institutione ut summum: ita ut Onuphrio non assentiar, scribenti, primos, secundos, tertios, & forte quartos ludos, quos seculares Quindecimvirorum commentarii, tempore Cæsaris Augusti scripti, appellant, antiquitus nequaquam seculares dictos. Vocati etiam fuerunt Terentini, eo quod in campo Martio celebrarentur, in ea ejus parte, quæ Terentus dicebatur. Hæc appellatio antiquissima fuit, ut ex Varrone lib. 1. de Scenicis originibus, ab eodem Censorino citato intelligitur, qui eos ita vocat. Addit Wolphangus Lazius lib. 10. comment. reip. cap. 6. etiam eos ludos vocatos Herculeos, eo quod dicati essent Herculi. Sed in eo vehementer hallucinatur Lazius: nam ludi illi Herculi dicati non fuerunt, sed Plutoni, ac Proserpinæ; item Apollini, ac Dianæ. Deceptus fuisse videtur, vir cæteroqui doctus, hoc loco Virgilii 3. Æneidos,

*Hinc sinus Herculei (si vera est fama) Tarenti.*

Nam locus ille, de quo Virgilius, fuit vicinus magnæ Græciæ. unde in errorem inductus est, si ab eo Herculeo Tarento, ludos Tarentinos dictos credidit: constat enim ab eo sinu Herculeo dictos non fuisse, sed a Terento Romano, de quo Mart. lib. 4. epig. 1.

*Bis mea Romano spectata est vita Terento.*
Item infra:
*Et quæ Romuleus sacra Terentus habet.*

Fuit autem Terentus ille ad Tiberim in campo Martio, ita juxta aliquos dictus, quod ibi Tiberis *tereret* ripam; quia & ideo Tiberim vocatum *Romonem*, & *Serram* ait Servius, quasi ripas *ruminet* & exedat. Imo in aliqua Urbis parte *Tereotus* dictus, eo quod ripas *terat*. Jam vero ut de eorum ludorum ritibus dicere aggrediar, hæc apud Zosimum l. 2. de iis scripta reperio: *Modus*, inquit, *ludorum hujusmodi relatus est in litteras: circumeuntes præcones universos invitabant ad spectaculum, quod neque vidissent antea, neque visuri post hæc essent.* Ita Suetonius in Claudio cap. 21. *Vox præconis irrisa est invitantis more solemni ad ludos, quos nec spectasset quispiam, nec spectaturus esset.* Herodianus libro 3. Κήρυκες γοῦν κατά τε τὴν Ῥώμην, καὶ τὴν Ἰταλίαν διεφοίτων, καλοῦντες ἥκειν, καὶ θεάσασθαι πάντας ἃ μήτε εἶδον ὄψονται. Quæ ita reddit ejus interpres Politianus: *Urbe tota atque Italia præcones itabant, convocatum omnes ad ludos, quos nec vidissent hactenus, nec visuri postea forent.* Allusit ad hunc morem Ovidius libro 2. Tristium:

2. Præcones quibus verbis ad ludos illos invitarent.

*Jusserat & Phœbo dici, quo tempore ludos*
*Fecit, quos ætas aspicit una semel.*

Et clarius Claudianus in Panegyr. de sexto consulatu Honorii:

*Spectatosque iterum nulli celebrantia ludos*
&c.

Quem versum Heraldus ad epig. 63. libro 10. Martialis putat legendum sic: *spectandosque iterum nulli* &c. quia, inquit, ita in verbis præconis erat. sed nihil immutandum est, cum libri veteres ei non suffragentur, & ratio Heraldi inanis sit. nam uti dicebat præco ludos iterum nulli spectandos, ita dicebat nulli spectatos, ut ex citatis auctorum locis manifestum est. Ex quibus etiam apparet ferendam non fuisse assentationem Vitellii, qui teste Suetonio, Claudio ludos seculares edenti dicere ausus est, *Sæpe facias*. quasi diceret, voveo non tantum spectes iterum istos ludos, quos nemo nisi semel spectat, ob ætatis brevitatem, sed ut tandiu vivas, ut spectes eos, eadsque sæpius. quod erat illi Imperatori plures annorum centurias apprecari. Sed relicto isto adulatore, videamus qua anni tempestate ii ludi exhiberi consuevissent. Illos edi solitos sub tempus messis, innuunt hi versus Claudiani loco citato:

3. Tempus quo edi solebant

*—— Jam flavescentia centum*
*Messibus æstivæ detondent Gargara falces,*
*Spectatosque iterum nulli celebrantia ludos,*
*Circumflexa rapit centenus secula Consul.*

Idem aperte tradit Zosimus lib. 2. Hist. novæ: *Ipso autem messis tempore perpaucis diebus, antequam ludi peragerentur.* Hæc tamen non ita stricte capienda sunt, ut negandum sit eos ludos aliquot diebus ante messis initium ut minimum celebrari solitos, nempe XI. Kal. Maii, de quo recurret dicendi locus, cum agemus de ludis secularibus factis a Philippis Imperatoribus Fiebant autem ludi illi per triduum & trinoctium. Ac per trinoctium quidem factos testatur Ausonius in Gripho de numero ternaria:

4. Tribus diebus, & totidem noctibus fiebant.

*Trina Terentino celebrata trinoctia ludo.*

Cujus rei causa insinuatur a Valerio Maximo lib. 2. cap. 4. dum de Valesio asserit eum continuis tribus noctibus ludos fecisse, quia totidem filii ejus periculo mortis a peste liberati erant. Ejusque exemplum sectatum Valerium Poplicolam, ludorum illorum primum auctorem. Etiam ad noctes dies accessisse habemus ex Horatii carmine seculari, his versibus:

*Orbis, ut cantus referatque ludos*
*Ter die claro, totiesque grata*
*Nocte frequentes.*

Ad quem locum Acron vetus interpres: *Ludi seculares*, inquit, *ternis diebus ac noctibus agebantur, pro cultu Solis, die; & nocte Lunæ.* Idem habet Festus verbo *ludi seculares*, & Zosimus loco sæpe citato, ubi alios ludorum ritus sic persequitur: *Primo ludorum die, cum ludorum tempus appetiit, &c. hostiæ propter ripam Tiberis ad Terentum consecrantur.* Et deinde pergit: *Prima nocte spectaculorum*, inquit, *tribus aris in ripa fluminis extructis, Imperator cum Quindecimviris tres agnos cædit, & aris sanguine respersis solidas victimas adolet.* Sed de his sacrificiis speciali capite agam, quæque de iis habentur in oraculo Sibyllino, aperiam.

5. De lucernis, & ignibus festivis noctu.

Audiamus, quæ subjungit idem Zosimus: *Scena vero sine theatro structa lumina cum rogis accenduntur, & hymnus recens factus canitur, adeoque spectacula consentanea rebus divinis eduntur.* Per lumina, de quibus hoc loco mentio est, quamvis capi possent ea quæ erant necessaria, ut possent videri spectacula, quæ noctu edebantur, cum in Suetonio cap. 4. Domitiani legatur, *illum exhibuisse venationes gladiatoresque noctibus ad lychnuchos*; tamen censeo accipi debere de luminibus, quæ honoris causa in Deorum venerationem accendebantur. Sicut etiam per rogos, quos accensos Zosimus dicit, accipio ignes festivos omnis generis. Veteres enim (ex Pythagoræ præcepto in ejus symbolis, ubi præcipit, non absque lumine ad Diis loquendum) antequam hymnos in Deorum laudem canerent, lumina accendebant. Deinde cum Diti ac Proserpinæ prima nocte ludorum secularium sacrificarent, lumina in iis sacris merito usurpabant, cum ea in Cereris matris Proserpinæ sacris essent usitata; utpote quæ filiam Proserpinam quærens Ceres, noctu faces accendisset. ut Claudianus lib. 3. de raptu:

*Noctivago tædas inflammatura labori.*

Idem lib. 1.

*—— templumque remugit*
*Cecropidum, sanctasque faces atollit Eleusis.*

Seneca in Agam. choro 2.

*Tibi votivam matres Grajæ,*
*Lampada jactant.*

Lactantius Firmianus lib. 1. cap. 21. horum causam reddens: *Quia*, inquit, *facibus ex Ætnæ vertice accensis, Proserpinam Ceres quæsisse in Sicilia dicitur, idcirco sacra ejus ardentium tædarum jactatione celebrantur.* Huc referri possunt illa Statii Thebaidos 12. v. 132.

*Noctivagumque gregem, quamvis sibi luget Eleusis,*
*Flevit, & arcanos errantibus extulit ignes.*

De festivis ignibus excitatis in ludis, nihil ambigendum est. ejusmodi ignes excitatos in Circensibus describit Claudianus in Panegyr. Manlii:

*Mobile ponderibus descendat pegma reductis,*
*Inque chori speciem spargentes ardua flammas*
*Scena rotet, varios effingat Mulciber orbes,*
*Per tabulas impune vagus, pictæque citato*
*Ludant igne trabes, & non permissa morari,*
*Fida per innocuas errent incendia turres.*

Sequeretur ut de Deorum hymnis, qui etiam canebantur, aliquid adjungerem, sed separatim de iis agam postea, ne Zosimi narrationem de ludis sæpius interrumpam. *Proximo*, inquit, *die conscenso Capitolio, & consuetis ibidem victimis oblatis, ad extructum inde theatrum venientes Apollini & Dianæ ludos faciunt.* Quod ut illustretur, sciendum est, non velle Zosimum ab institutione prima ludorum a Poplicola etiam ludos Apollinares celebratos: hoc enim falsum est, quia Apollinarium ludorum institutio longe recentior est: sed quid decursu temporis factum fuerit, exponere.

6. Successu temporis ludi Apollinares aucti anno seculari cum aliis ludis.

Nam institutionem ludorum Apollinarium, ut dixi, recentiorem esse ignorare non potuit Zosimus, qui eam legerat apud Livium l. 25. his verbis: *Tum allatum alterum carmen* (nempe Martii vatis) *non eo tantum obscurius, quia incertiora futura præteritis sunt, sed perplexius etiam scripturæ genere: Hostes Romani si expellere vultis vomicam, quæ gentium venit longe, Apollini vovendos censeo ludos, qui quotannis comiter* (Macrobius legit *communiter*) *Apollini fiant. Cum populus dederit ex publico partem, privati ut conferant pro se, suisque ludis faciendis. Præerit prætor is, qui populo plebique jus summum dabit. Decemviri Græco ritu hostiis sacra faciant. Hæc si recte faxitis, gaudebitis semper, fietque res vestra melior: nam is divus extinguet perduelles vestros, qui vestros campos depascunt placide. Ad id carmen explanandum diem unum sumpserunt; postero die Senatusconsultum factum est, ut Decemviri libros de ludis Apollini, reque divina facienda inspicerent. Ea cum inspecta, relataque ad Senatum essent, censuerunt Patres, Apollini ludos vovendos faciendosque: & quando ludi facti essent, duodecim millia æris prætori ad rem divinam, & duas hostias majores dandas. Alterum Senatusconsultum factum est, ut Decemviri Græco ritu facerent: iisque hostiis Apollini bove aurato, & capris duobus albis auratis, Latonæ bove fæmina aurata. Ludos prætor in Circo maximo cum facturus esset, edicit, ut populus per eos ludos stipem Apollini, quantum commodum esset, conferret. Hæc est ergo origo ludorum Apollinarium, non valetudinis ergo, ut plerique rentur, votorum. factosque populus coronatus spectavit, matronæ supplicavere, vulgo apertis januis in propatulo epulati sunt; celeberque dies omni ceremoniarum genere fuit.* Eandem originem refert Macrobius Satur. libro 1. cap. 17. atque hæc addit: *Cum primum ludi Romæ Apollini celebrarentur, ex vaticinio vatis Martii, carmineque Sybillino, repentino hostis adventu Plebes excitata ad arma hosti occurrit, eoque tempore nubes sagittarum in adversos visa ferri, & hostem fugavit, & victores Romanos ad spectacula Dei sospitalis reduxit. Hinc intelligitur prælii causa, non pestilentiæ (sicut quidam existimant) hos ludos institutos.* Et alludens paullo infra ad locum Livii, clare tempus institutionis exprimit: *Invenio*, inquit, *in litteris hos ludos victoriæ, non valetudinis causa (ut quidam annalium scriptores memorant) institutos. Bello enim Punico hi ludi ex libris Sibyllinis primum sunt instituti suadente Cornelio Rufo Decemviro, qui propterea Sibylla cognominatus est, & postea corrupto nomine primus Sylla cœpit vocitari.* Servius vero ad lib. 6. Æneidos ad hæc verba:

*—— festosque dies de nomine Phœbi,*

A quonam bello Punico instituti Apollinares ludi, explicat, juxta receptiorem sententiam nimirum secundo bello Punico. Ludos Apollinares celebratos in Circo tradit Livius lib. 3. & Macrobius loco citato. Unde cum Zosimus supra dicit a Capitolio ad extructum theatrum venisse, intellige theatrum in Circo: quod vero addit ludos etiam Dianæ factos, suspicari posset quispiam, eum alios ab ludis Apollinaribus intelligere. Tamen id non est necesse, quoniam dici potest eos ludos Apollinares, dum anno seculari ludorum fierent, non tantum Apollini, sed etiam Dianæ dicatos, ut Urbis Romanæ auctoribus. Si tamen B placet eum de diversis ludis intelligere, non video, de quibus ludis accipi possit, nisi de iis, qui fiebant alias Idibus Augusti: cum in nemus Aricinum servi currebant facesque portabant fæminæ, de quo Dianæ cultu meminit Propertius lib. 2.

*Cum videt accensis devotam currere thædis*
*In nemus, & Triviæ lumina ferre Deæ.*

Ovid. 3. Fast.

*Vallis Aricinæ silva præcinctus opaca*
*Est lacus antiqua relligione sacer.*
C *Hic latet Hyppolitus loris direptus equorum,*
*Unde nemus nullis illud aditur equis:*
*Licia dependent longas velantia sæpes,*
*Et posita est meritæ multa tabella Deæ.*
*Sæpe potens voti frontem redimita sacerdos*
*Fæmina, lucentes portat ab Urbe faces.*

Non video, inquam, quomodo ad alios Dianæ cultus referri posset, quia nec ad illum, qui in monte Aventino XI. Kalendas Augusti deferebatur, neque ad illum, qui Kalendis Aprilis eidem Apollini fiebat, qui Targelia dicebatur. Nam præterquam quod Kalendis D Aprilis sola Diana non colebatur, utroque illo tempore sacra, quæ fiebant, ludorum speciem non habebant, sicut habebant illa, quæ fiebant Idibus Augusti. nam præterquam quod faces portarentur, etiam venationes fiebant, ut ex Statio liquet in lib. 3. Sylvarum in Hercule Surrentino:

*Jamque dies aderat profugis cum regibus aptum*
*Fumat Aricinum Triviæ nemus, & face multa*
E *Conscius Hippolyti splendet lacus: ipsa coronat*
*Emeritos Diana canes*

Item exhibebantur gladiatores, quoniam sanguine humano Diana placabatur, ut ex Cassiodoro apparet lib. 5. ep. 42. *Spectaculum non tantum fabricis clarum, sed actione deterrimum in honorem Scythicæ Dianæ repertum, quæ sanguinis effusione gaudebat.* Unde sine duello & cæde Rex Nemoralis Aricini non creabatur, quod innuit Suetonius in Caligula c. 35. *Nemorensi Regi quod multos jam an-* F *nos potiretur, validiorem adversarium subornavit.* nempe ut cum eo duello confligeret. item Valerius Flaccus lib. 2. Argon.

—— *Delubraque sæva Dianæ*
*Advenit: hic illum tristi Dea præficit aræ,*
*Ense dato, & soli non mitis Aricia Regi.*

Et quoniam in his doctorum virorum conjecturis locus est, possent viri litterati tueri Zosimum significare ludos gladiatorios, & venatorios, qui in Amphitheatro dabantur. His enim Diana præsidebat, si Lipsio assentiamur in cap. 4. Amphitheatri, qui Tertullianum lib. de Spectaculis cap. 12. id asserentem producit, cum eum ita legit: *Martem & Dianam utriusque ludi* (nempe gladiatorii & venatorii) *præsides novimus.* nam Martem non solum ludo gladiatorio præfuisse, sed etiam venationi, probari potest, tum eo quod venatio viros bellicosos maxime deceat, unde & delubrum Martis apud Thraces in silva fuit, ut canit Statius lib. 7. Thebaidos:

*Hic steriles delubra notat Mavortia silvas.*

tum ex eo quod Mars, Silvanus subinde vocatur a silvis, ut reor, in quibus venatione feras conficiebat. Cato de Re rustica, ea de causa votum pro bobus faciens scribit: *Marti Silvano in Silva interdius in capita singula boum votum facito.* ut nimirum lupos interficiendo, eos ab iis tutos reddat. Diana vero non soli venationi præfuit, ut ex Martialis Amph. ep. 12. liquet, ubi *Cæsaream Dianam* vocat exhibitam a Cæsare venationem; sed etiam præfuit ludo gladiatorio, ut ea quæ jam ex Cassiodoro & Valerio Flacco adduximus, suadent, atque etiam probant, quod Diana præerat ipsi Amphitheatro æque atque Mars, in quo ludi gladiatorii perinde atque venationes exhibebantur. Unde Claudianus de Consulatu Manlii, solam Dianam invocat, ut Amphitheatrali pompæ faveat:

*Amphitheatrali faveat Latonia pompæ.*

Denique possent suspicari nonnulli Zosimum intelligere ludos scenicos, quales in Junonis & Dianæ honorem apud Livium lib. 4. legimus fuisse aliquando celebratos. Plura de ludis in particulari non habet Zosimus. Ex aliis auctoribus habemus ludorum variorum magnam fuisse frequentiam, tribus illis diebus & noctibus, quibus anni secularis ludorum celebritas peragebatur. Suetonius in Augusto cap. 31. refert eum ludis secularibus juvenes utriusque sexus prohibuisse ullum nocturnum spectaculum frequentare, nisi cum aliquo majore propinquorum. ex quo loco plura nocturna spectacula edita colliguntur, atque ante Augusti tempora, sine ullo comite ex propinquis, juvenes utriusque sexus ea spectacula adiisse, & quoniam, ut inquit Statius,

8\. Proscripta libidinum occasio in nocturnis ludis tempore Augusti.

*Nox fæcunda operum, pulchræque accommoda fraudi;*

ea occasione juvenes in libidinem propensi, inter sese lascivire soliti erant, aut impudici homines teneræ ætati illudere: ut, ejus rei pericula præscinderet Augustus, eam legem tulit. Solent enim juvenes in seniorum, maxime propinquorum præsentia, in officio contineri, & impudici homines a libidine sibi temperare. Idem in Claudio cap. 21. testis est, in ludis secularibus a Claudio editis Histriones productos, ac Circenses ludos factos. in quibus contigit, quod narrat Plin. lib. 8. Nat. hist. cap. 42. *Claudii*, inquit, *Cæsaris Secularium ludorum Circensibus* (quæ phrasis notat ludos seculares unius generis non fuisse) *excusso in carceribus auriga, albati equi palmam occupavere. primatum obtinuere opposita effundentes, omnia, quæ contra æmulos debuissent peritissimo auriga insistente, facientes. Cum puderet hominum artes ab equis vinci, peracto legiti-*

9\. Histriones producti: item dati ludi Circenses inter seculares.

*mo cursu ad metam stetere*. Habet idem lib. 2. cap. 48. *Stephanionem, qui primus Togatas saltare instituit, utriusque secularibus ludis* (Augusti & Claudii) *saltasse*. Noto præterea ex Suetonio in Domitiano cap. 4. in secularibus ludis diem aliquem fuisse, in quo Circenses dari consuevissent. sic enim scribit: *In secularibus ludis Circensium die, quo facilius centum missus peragerentur, singulos a septenis spatiis ad quina corripuit*. Nam ante Domitiani tempora, ut ex Varrone & Servio constat, missus equestres tantum 25. exhibebantur, & septenis spatiis peragi solebant. de septenis spatiis meminit Propert. lib. 2. eleg. 25.

*Aut prius incepto deposcit præmia cursu,*
*Septima quam metam triverit orbe rota.*

Item Sidonius Apollinaris:

*Stringis quadrijugos, & arte summa*
*In gyrum bene septimum reservas.*

S. Cyprianus libro de Spectaculis etiam scribit, *missus Circi septem spatiis perfici*. Præter hæc significat Tacitus lib. XI. Claudium ludis secularibus instituisse ludicrum Trojæ: nam statim atque de secularibus loquutus est, nihil distinguens, subdit: *Sedente Claudio Circensibus* (nempe ludorum secularium) *cum pueri nobiles equis ludicrum Trojæ inirent, interque eos Britannicus Imperatore genitus, & Domitius adoptione mox in imperium & cognomentum Neronis adscitus, favor plebis acrior in Domitium, loco præsagii acceptus est*. Neque vero eorum ætas huic opinioni obesse potest: nam natus annos septemdecim Domitius ille, qui Nero dictus, Imperator est consalutatus, teste Suetonio in ejus vita cap. 8. anno Urbis conditæ octingentesimo septimo. Unde annorum fuisset dumtaxat decem, vel undecimum inchoasset, cum ludicrum Trojæ iniisset ludis secularibus Claudii Drusi Imperatoris, eo quod ille ludos fecit anno Urbis conditæ octingentesimo. Huic Chronologiæ favet Suetonius in Nerone cap. 7. cum dicit, *cum necdum matura pueritia Circensibus ludis Trojam constantissime favorabiliterque lusisse; undecimo ætatis anno a Claudio adoptatum esse*. atque in eo quod refert idem Suetonius, Claudium ludum Trojæ exhibuisse, & non multo post ludos seculares dedisse, ut patebit legenti cap. 21. vitæ ejus. Neque etiam isti opinioni obest ætas Britannici filii Claudii. nam teste Suetonio ejus vita cap. 27. Britannicus natus est Imperii Claudii die 2. in ejus consulatu 2. Jam vero Claudius extinctus est juxta Suetonium ibidem cap. 44. anno Urbis conditæ octingentesimo septimo, cum tredecim annos, menses octo, dies viginti Imperator fuisset, & tum Britannicus totidem annos haberet, menses octo, dies octodecim. Jam vero cum Claudius Imperator ante obitum suum annis septem ludos seculares celebrarit, Britannicus qui tum erat annorum septem, secularibus illis ludis ludicrum Trojæ potuit exhibere. De ludicro Trojæ in Circensibus ludis usitato testis Suetonius in Caligula cap. 18. ubi sic ait: *Edidit & Circenses plurimos a mane usque ad vesperam, interjecta modo Africanarum venatione, modo Trojæ decursione*. Lege quæ de ludicro Trojæ habet Lazius lib. 10. de Repub. cap. 1. & alii. Atque ut de ludis diversis concludam editis seculari anno, dico eo tempore nullum ludi aut

I. Interea [illegible] seculare etiam ludicrum Trojæ.

spectaculi genus fuisse omissum. auctorem habeo mei dicti Herodianum lib. 3. ubi agens de ludis secularibus Imperatoris Severi, ejusque filii ita scribit; *Vidimus & sub illo quosdam omnis generis ludos, cunctis editos theatris, simulque supplicationes & pervigilia ad formam Cereris initiorum. seculares hi tum appellabantur*. Præterea etiam Cassiodorus in Chronico, ubi de ludis a Philippis Imperatoribus editis loquens, scribit eos bestias innumerabiles in Circo magno interfecisse: ludos in Campo Martio theatrales pervigilante populo tribus diebus & noctibus celebrasse, & quadraginta missus cucurrisse, quæ etiam referunt alii, quos agendo iis de ludis adducemus. Superest omnem ludorum secularium, qui sub Philippis Imperatoribus dati sunt, apparatum explicare adductis Metelli Tegeensis odis Quirinalibus, hoc est, de S. Quirino, Philippi Imperatoris filio, Episcopo Laureacensi in Austria, & Martyre, de quo Prudentius in lib. περὶ στεφάνων. & Genebrardus ad annum Christi 252. Editæ sunt illæ Odæ Metelli tomo 1. Antiquarum lectionum ab Henrico Canisio. In illis celebritatem secularis anni pro seculi barbarie quo vixit, non ineleganter describit auctor: ex quo etiam intelligetur, quid in aliis Imperatorum ludis fieri consuevisset. Sic igitur ille habet:

XI. Omnis generis ludi, & spectacula anno seculari exhibita.

*Exit in pompam gradus omnis urbis,*
*Consules, & Patricii, Senatus,*
*Militaris ordo, Tribunus, & Plebs,*
*Verna, Satelles,*
*Circulatores, Pugiles, Equestres,*
*Curruum certamen, agon Palæstræ,*
*Belluarum pugna, genus ferarum*
*Undique rarum.*
*Terna lux & nox podium tenebat,*
*Pervigil cœtus dapis immemor fit;*
*Multa ludorum novitas stuporem*
*Mentibus infert.*
*Et nec auditu satiatur auris,*
*Parva nec pupilla repletur unquam*
*Visibus, nec mens agilis novorum*
*Tædia novit.*
*Hic luto fictos homines recludit,*
*Hic aquis sub Deucalione mersos,*
*Saxeos hic agricolas reformat*
*Auspice Pyrrha.*
*Iste Ledæo memorans ab ovo,*
*Ilion bello capit; ille Thebas*
*Mutua fratrum simulat duorum*
*Cæde cadentes.*
*Fabulæ vivunt, & agunt, loquuntur.*
*Quidquid unquam vixit, ibi resurgit:*
*Insuper quæ nulla fuere, frustra*
*Vivere cogunt.*
*Actibus jussis agitata ludunt,*
*Bruta sentiscunt, & habent loquelas*
*Actus humanus facie ferina*
*Degenerat se.*
*Instruit scenas, imitando gesta*
*Horrido persona tremenda vultu:*
*Acta verbis, verbaque discit actis*
*Consimilare.*
*Hic tragœdias licuit videre,*
*Omnium de tempore seculorum:*
*Si quid admirabile bella, seu pax*
*Egit in orbe.*
*Arbiter sedit populo Quiritum*
*Exhibens spectacula digna Cæsar*
*Filio consorte throni paternum*
*Nomen habente.*

12. Apparatus quo ludi a Philippis Imperatoribus editi.

Non ingratum erit, ut arbitror, ſi aliam ejuſdem odam ſubjiciam, in qua de eadem re plura alia adjungit. ea eſt 21.

*Ibant in theatrum data*
*Auro largiflui munera Cæſaris.*
*Carrucas ibi gemmeas,*
*Thraces regis equi abripiunt feri;*
*It cælo populi fremor,*
*Solem nube tegit pulvis Olympicus*
*Sudant cornipedes citi.*
*Ardent ære rotæ pondere ſtridulæ.*
*Turmas belligeras gerit,*
*Turri diſpoſitas, Indica bellua.*
*Caſtris mobilibus fuit*
*Innox pugna diu, percita beſtiis;*
*Quas curſus vice præpetes*
*Certarunt pedites, vincere velites.*
*Illæ ſed celeres ruunt,*
*Acres horridulo gutture barriunt,*
*Hoſtes ore truci petunt,*
*Et proboſcidibus proxima verberant.*
*Queis nomen vetus hoc erat,*
*Lucas noſſe boves, Plebs amat urbica.*
*Hoc Lucania primitus*
*Verbi victa dedit, ſub duce nobili.*
*Tandem Græcia ſubdita,*
*Romæ dans animal fert elephanteum.*
*Strenæ præterea nitent*
*Plures aureolæ, munere regio,*
*Olim Principibus probis*
*Jani principiis auſpicio datæ.*
*Fauſto temporis omine.*
*Ut ferret ducibus ſtrenua ſtrenuis*
*Annus geſta recentior.*
*Illas nobilitas Cæſaribus piis,*
*Rex dignis procerum dabat:*
*Urbi quas Latiæ tum juveni dedit,*
*Rex Titus Tatius prior,*
*Feſtas accipiens paupere munere*
*Verbenas ſtudio Patrum:*
*Solers poſteritas, quas creat aureas.*
*Servant dona tamen notam.*
*A luco veteri nomine Strenuæ.*
*Præbent applicitas quoque*
*Ludi ſorte feras Iona plurimas,*
*Quæ donaria publica,*
*Nomen ducta trahunt Ionio mari.*
*Pantheræ, tigrides, leo,*
*Campos innumeri ſanguine Martios,*
*Pardi, linx, aper imbuunt.*
*Inſumunt hominum prælia beſtiæ.*
*Id perpes faceret dies,*
*Ludi parturiunt, omne genus ſuum.*
*Totis rebus & artibus*
*Urbs annum ſenii concelebrat ſui.*

## CAP. IX.

*De miſſilibus, conviviis, acclamationibus, ſecularium & aliorum ludorum tempore.*

1. Miſsilia in ludis ſecularibus, & inter hæc nummi.

IN ſecularibus ludis, non ſecus atque in aliis, ſparſa fuiſſe miſſilia, dubitandum non eſt. Conſtat ex nummis, qui in hoc uſque tempus extant, & fuerunt ludis ſæcularibus diverſorum Imperatorum in populum jactati. De Auguſti nummis meminit Juſtus Lipſius in Tacitum lib. XI. de quo ſupra nos egimus. Et alterum de iiſdem ludis extitiſſe apud Antonium Auguſtinum auctor eſt Onuphrius, de ludis Auguſti agens. Meminit etiam plurimorum nummorum ſecularium Auguſti Lævinus Torrentius ad Suetonii Auguſtum. Similiter Adolphus Occo numiſma ſecularium Claudii refert, item nummum ludorum Domitiani; ſicut & numiſma ſecularium Domitiani vidiſſe ſe ait Onuphrius apud Achillem Maffejum. Meminit Pamelius in vita Tertulliani nummi ludorum ſecularium Septimii Severi, & alterius Jacobus Strada in Theſauro numiſmatum, & alii agentes de nummis veterum, atque ex iis Baronius ad annum Chriſti 206. n. 4. Idem vero Baronius ad annum Chriſti 249. refert duos nummos ſecularium ludorum Imperatorum Philipporum, alterum ex muſæo Lælii Paſcalini, alterum ex Pyrrhi Ligorii codice manuſcripto. Refert etiam ſe octo vel decem nummos eorundem ludorum Philipporum Auguſtorum vidiſſe, Onuphrius Panvinius apud Stephanum Magnum Patricium Venetum. Inter cæteros refert unum uxoris Philippi, ſic inſcriptum: *Martia Otacilla Severa Aug.* ab alio latere nota IIII. cum Hippopotamo. eoſdem refert Occo. Ex variis autem nummis, quos ii referunt, liquet Philippum omnia animalium genera exprimenda curaſſe, quæ populo ſecularibus exhibebat. Denique hoc de ſecularibus Philipporum teſtatur Metellus in ode 21. ſuperiori capite relata his verbis:

*Ibant in theatrum data*
*Auro largiflui munera Cæſaris.*

Et ibidem infra:

*Strenæ præterea nitent*
*Plures aureolæ munere regio.*

Miſſilia vero erant munera, quæ ab Imperatoribus, Conſulibus, Prætoribus, Magiſtratibus, Ædilibus, aliiſque qui ludos edebant, ſpargebantur. Ac de Imperatoribus quidem ex dictis res eſt certiſſima, de Conſulibus habetur ex Vopiſco in Aureliano & Probo, & Novella 105. Juſtiniani. & de iis atque Prætoribus ex lib. 2. Inſt. de rerum diviſione §. Amplius: *Ecce jam Prætores & Conſules miſſilia jactant in vulgus: & tamen quia volunt, quod quiſque acceperit, ejus eſſe, ſtatim eum dominum efficiunt.* Denique de Magiſtratibus & Ædilibus Acron in Satyram ſecundam Horatii. *Cicer*, inquit, *faba, lupini, a Magiſtratibus ludis Floralibus jactabantur, ut in Circo ab Ædilibus.* Quoniam vero duplicis generis erant miſſilia, idcirco duplex etiam erat ea mittendi ratio. Alia miſſilia erant ejuſmodi, ut ſparſa reipſa non corrumperentur: alia quæ ſi ſparſa reipſa fuiſſent, fuiſſent quoque corrupta. Miſſilia prioris generis, ordinarie reipſa conjiciebantur in populum. Poſterioris generis ordinarie etiam per teſſeras, quæ rerum loco jaciebantur. erant autem teſſeræ, ut docet Turnebus lib. 19. Adverſ. cap. 26. fruſtilla lignea, certa inſignita & notata forma, quæ dabantur iis, quibus jus erat petendi frumenti publici (addo, ut definitio generalis ſit) vel jaciebantur, ut jus eſſet petendi id, quod illa teſſera accepta petenti promiſſum erat. Dicit Turnebus fruſtilla iſta lignea fuiſſe quadrata. Et teſſeram a τέσσερα quatuor deducit. Certum tamen eſt fuiſſe varias teſſerarum figuras: nam Polybius de teſſera militari ſcribens appellat πλατεῖον, quod ſignificat *tabellam latam*. Dio vocat σφαίριον, hoc eſt, *orbiculum, globulum*. Xiphilinus in Nerone, *Omnia*, inquit, *lautiſſima quæ bo-*

2. Duplicis generis miſſilia, & duplex ea jaciendi ratio.

A *mines edunt, & omnia alia maximi pretii, equos, mancipia, jumenta, aurum, argentum, vestem variam, tesseris dabat. nam globulos parvulos eorum aliquid pictum habentes, in plebem mittebat, & quod quis rapuisset, dabatur.* Ex quo loco patet, cur superius dixi ordinarie missa in populum reipsa, quæ corrumpi ipsa missione non poterant. Nimirum quia per tesseras etiam subinde mittebantur, ut aurum & argentum teste Xiphilino. reipsa etiam mitti solita constat ex Martiali lib. 8. ep. 78. ubi numismatum missionem nimbis comparat:

B *Omnis habet sua dona dies, nec linea dives*
*Cessat, & in populum multa rapina cadit.*
*Nunc veniunt subitis lasciva numismata nimbis.*

Item ex Suetonio Caligulæ cap. 37. *Nummos*, inquit, *non mediocris summæ e fastigio basilicæ Juliæ per aliquot dies sparsit in plebem.* Huc pertinet, quod notat Crucejus in l. 1. Silvarum Statii ex Curopalate de coronatione Imperatoris, Missilia ab Imperatoribus Orientis in populum jacta, ne jactu violento eum offenderent, panni sectionibus fuisse involuta: unde dicta ἐπικόμβια. Item quod Plin. lib. C 33. cap. 10. refert, *Populum Romanum stipem spargere cœpisse Spurio Postumio & Mario Coss. tanta abundantia pecuniæ erat, ut eam conferret L. Scipioni, ex qua is ludos fecit.* Atque ut ea, quæ corrumpi non poterant, subinde per tesseras missa fuisse probavimus, ita etiam, quæ corrumpi poterant, si reipsa mitterentur, sine tesseris reipsa in populum sparsa, v. g. aves, quæ subinde lacerabantur in partes, testis est Martialis epig. citato.

*Sortitur dominos, nec laceratur avis.*

D Lex *si quid.* ff. pro derelicto: *Id, quod quis pro derelicto habuerit, continuo meum fit. Sicuti cum quis æs sparserit, aves amiserit:* (sic enim legendum) *quamvis incertæ personæ voluerit eas esse, tamen ejus fierent, cui casus tulerit.* Aves enim quas quis amisit, non vult esse personæ incertæ, sed quærit, ut reperire, sibique retinere possit. Statius lib. 1. Silvarum:

*Jam noctis propioribus sub umbris,*
*Dives sparsio quos agit tumultus!*
E *Huc intrant faciles emi puellæ.* &c.
*Inter quæ subito cadunt volatu,*
*Immensæ volucrum per astra nubes,*
*Quas Nilus sacer, horridusque Phasis,*
*Quas udo Numidæ legunt sub austro.*
*Desunt, qui rapiant, sinusque pleni*
*Gaudent, dum nova lucra comparantur.*

Constat enim eo loco agere Statium de sparsione Phasianorum, Gallorum, Gallinarumque Numidicarum, ut Gevartius & Crucejus annotarunt contra Domitium, qui male hunc locum interpretatur de Spasio quodam saltandi magistro; & contra Bernartium, qui errat, dum eo loco de sola croci sparsione F agi putat. nam ante manifeste egerat de sparsione variorum bellariorum, his versibus:

*Jam bellaria adorea pluebant,*
*Quidquid nobile Ponticis nucetis*
*Fœcundis cadit, aut jugis Idumes:*
*Quod ramis pia germinat Damascus,*
*Et quas præcoquit Ebosia cannas,*
*Largis gratuitum cadit rapinis.*
*Molles Gajoli, Lagunculique,*
*Et massis Amerina non perustis,*
*Et mustaceus, & latente palma,*
*Prægnantes cariotides cadebant.*

Dixi egisse Statium de sparsione bellariorum: nam per *adorea bellaria* intelligit placentas omnis generis, ac liba: ador enim farris genus est, ex quo illa fiunt, vel certe si illo loco adorea laudem significare putentur, ut Bernartius putat, laudanda bellaria in genere significantur, quæ sigillatim postea explicantur, ut nuces Ponticæ. Nuces enim inter missilia maxime amabantur, ita ut teste Acrone ad illud Horatii de Arte Poetica, *Nec si quid fricti ciceris, aut nucis emptor*, sæpe pro missilibus cujusvis generis nuces ponantur. Ad hæc jactabantur fructus palmarum, quarum ferax Idume, Syriæ Phœnices pars, teste Plin. lib. 5. cap. 3. Hinc Virgilius lib. 3. Georg. palmas vocat *Idumæas:*

*Primus Idumæas referam tibi, Mantua, palmas.*

Et Lucanus. lib. 3.

*—— arbusto palmarum dives Idume.*

Item pruna Damascena mittebantur, de quibus Athenæus lib. 51. Plin. & alii. Item cannæ, e quibus saccarum educebatur, de quibus Lucan. eod. lib. 3.

*Quique bibunt tenera dulces ab arundine succos.*

Ebosiam insulam, unde illæ cannæ afferebantur, fuisse in Hispania ex Isidoro l. 14. c. 6. Ludovico Novio in veteri Hispania, qui in ea saccarum gigni scribit. Ejus etiam meminit Plinius lib. 3 cap. 5. Silius Italicus lib. 3. de Eboso Phœniciæ agens primam syllabam & secundam corripit:

*Jamque Ebosus Phœnissa movet, movet Artabrus arma.*

Et Manilius lib. 4.

*Oceani victricem Ebosum & Balearica regna.*

Rufus Festus in eadem voce in descriptione Orbis secundam producit:

*At dilecta vago pecori consurgit Ebosus.*

Item panes mittebantur saccaro conditi, quos Gajolos & Lagunculos vocat, eo quod iis formæ Gaii & Lagonis puerorum imprimebantur. unde Mart.

*Nos facimus Bruti puerum, nos Lagona vivum.*

Sueton. in Claudio. Seneca epist. 12. Spartianus in Hadriano a forma puerorum, quæ iis imprimebatur, panes dulciarios appellant *Sigillaria*. Si quis contendat in Statio legendum, *Molles caseoli, Lucunculique*, nihil incommodi. Casei inter bellaria numerari solent: item lucunculi, ut patet ex Apulejo lib. 10. Asini. *Hic panes, crustula, lucunculos, hamos, lacertulos, & plura scitamenta mellita.* Varro voce *lucuns* utitur pro genere panis dulciarii. Item Afranius voce *lucunculi:*

*Pistori cur non, cur non scribilitario,*
*Ut mittat fratris filio lucunculos.*

Præterea jaciebantur Amerina pyra, de quibus Plin. lib. 15. cap. 15. quæ erant ita in massis farinæ cocta, ut ipsæ massæ non essent exustæ, quod facile fieri assolet. Gallice *Pate de*

*poires certaines*. Ferri non debet lectio Heinsii, quam refert Bernartius:

*Et passis Amerina cum perustis.*

ut pyra intelligantur missa cum uvis passis; tum quia nimis audacter mutat voces, tum quia ea mutatio minime necessaria est. Insuper inter missilia erat mustaceus, cujus libi confectionem docet Cato de Re rustica: *Mustaceos*, inquit, *sic facito: farinæ siligineæ modium unum musto conspergito, anisum, cuminum, adipis pondo duo, casei libram, & de virga lauri deradito, eodem addito, & ubi definxeris lauri folia subtus addito, dum concoques*. Meminit & Plin. lib. 15. cap. 30. & Juvenalis qui *mustacea* vocat neutro genere Satyr. 6.

*—— ducendi nulla videtur*
*Causa, nec est quare cœnam & mustacea perdas.*

Spargebantur denique cariotides, fructus palmæ Ægyptiacæ, teste Plin. lib. 13. cap. 4. in missilibus admodum frequentes. Martialis lib. 9. epig. 32. vocat *notas cariotides theatri*. Eæ quoniam in ramis, in quibus creverant, iisque auro obductis, spargebantur, ideo illas Statius canit cecidisse in vulgus *latente palma*. Mart. lib. 13. epig. 26. hoc ipsum significat:

*Aurea porrigitur Jani cariota Kalendis.*

Ex quo observes licet missos fructus *jugis Idumæis cadentes*, de quibus supra poeta Statius, fuisse dactylos sine ramis; & hanc postremam cariotarum sparsionem ab illa distinctam. Denique observa, quomodo successu temporis

3. Luxuria in missilibus paulatim irrepit, & tandem cohibetur.

in ea missilia luxuria irrepserit: nam cum Romani pauperiores erant, ciceris aut nucis sparsione in Floralibus contenti erant, ut notat Acron ad locum Horatii de arte supra citatum. & ipse Horatius Sat. 2. addit, in Circis fabas etiam & lupinos sparsos:

*In cicere atque faba, bona tu perdasque lupinis,*
*Lætus, ut in Circo spatiere, aut æreus ut stes.*

Certe cum nondum munificentia Romanorum ad pecunias spargendas sese extendisset, nota infamiæ inusta est Tuditano M. Antonii avo, quod pecuniam in populum ludis publicis sparsisset, quasi muneribus venaretur populi gratiam. Posterioribus autem temporibus, quam Romani in iis muneribus profusi fuerint, constat ex Suetonio in Nerone cap. XI. quem locum eo lubentius cito, quod ex illo patebit, quam multa tesseris mitti oporteret. *Sparsa*, inquit, *& populo missilia omnium rerum, per omnes dies, singula quotidie millia avium cujusque generis, multiplex penus, tesseræ frumentariæ, vestis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, jumenta, atque etiam mansuetæ feræ, novissime naves, insulæ, agri*. Item constat ex eo, quod necesse fuit nimiam in iis rebus profusionem temporibus Martiani Imperatoris cohibere. Testatur id Novella 105. Coll. 8. his verbis: *Martiano itaque Imperatore eximio scripta lex est, quæ volebat pecunias non spargere Consules, & ipsa ejus constitutionum prima fuit*. Ea Martiani constitutio habetur Cod. de Consulibus, estque 2. ejus tituli. in ea sic habetur. *Hoc etiam exemplo cæteros procedere Consules volumus: nec expendere eos sine effectu patimur. Cessante ergo ista spargendi vilitate, amplissimi Consules procedentes deinceps abstineant hoc errore perdendi: optimoque consilio operi necessario proficiat, quod erat incompetenter projiciendum. Ad restaurationem itaque aquæductuum hujus amplissimæ urbis, centena auri pondo præstentur per singulos consulatus, ut & consul patriæ se dedisse noverit, & data notum sit mansura esse perpetuo*. Verum in ea Nov. 105. c. 2. permisit ejus auctor Consules argentum spargere his verbis: *Quid autem oporteat spargere in septem bis processionibus populo Consulem, melius designavimus, quam sicut Martiani Divæ memoriæ constitutio dicit. Illa quidem abrogavit omnino munificentiam: nos autem corrigimus, eam causam voluntate ejus, qui consulatus habet honorem, disponentes. Sive enim nihil voluerit spargere, non cogimus, sive rursus ad hoc venire voluerit, & ex argento muneribus bonorare populum, nec hoc interdicimus: non tamen aurum spargere sinimus, non majoris alicujus, non minoris omnino, non medii characteris, aut ponderis; sed argentum, sicuti prædiximus. Soli enim aurum spargere damus imperio, cui soli etiam aurum contemnere præstat fortunæ fastigium. Argentum vero, quod mox post aurum pretiosissimum fiet, & aliis Consulibus largimur, decens. Et hæc sinimus eos spargere in his quæ vocantur missilia, thymelicis, caveis, & quadrangulis, & talibus, &c.* paullo post addit: *si quis præsumpserit, quod definitum est, egredi, centum librarum auri persolvet pœnam.*

Cæterum missilia in populum jactabantur ex sublimi ac edito aliquo loco. Habetur ex Dione lib. 49. καὶ τέλος σύμβολά τε τινὰ ἐς τὸ θέατρον κατὰ κορυφὴν ἔρριψε. *Denique tesseras in theatrum de sublimi loco projecit*. Alibi de Tito habet, ἄνωθεν, *desuper* tesseras projecisse. Ex Sueton. in Calig. cap. 37. habemus, etiam eum e fastigio Juliæ basilicæ nummos misisse. Herodianus lib. 5. refert Heliogabalum, sacris jam celebritatibusque peractis, maximas altissimasque turres ad id ipsum extructas conscendisse in plebem missilia sparsurum, aurea videlicet, argenteaque pocula, vestesque, & lintea omne genus, bestias præterea cicures omnes, exceptis subus, quibus ipse, ut mos est Phœnicibus, abstinebat. Omittere non possum, quin ex Statio lib. 1. Silvarum annotem ad missilia convenisse fæcem populi, Judæos, servos Syros, homines scenicos, puellas Gaditanas, & meretrices. quod exprimit his versibus:

4. Ex eminenti loco missilia jactantur.

*Huc intrant faciles emi puellæ;*
*Hic agnoscitur omne, quod theatris,*
*Aut forma placet, aut probatur arte.*
*Hoc plaudunt grege Lydiæ tumentes,*
*Illic cymbala, tinnulaque Gades,*
*Illic agmina confremunt Syrorum,*
*Hic plebs scenica, quique comminutis*
*Permutant vitreis gregale sulphur.*

5. Explicatur & damnatur productio meretricum post ludos.

Ne mireris vero meretrices in theatrum venisse, dum missilia spargerentur, quoniam post missilia omnium libidini exponebantur. Testis est S. Isidorus lib. 18. cap. 48. *Idem*, inquit, *theatrum, idem & prostibulum: eo quod post ludos exactos meretrices ibi prosternerentur*. Ex hoc more corrigi debet locus Novellæ 105. ubi sic legitur: *Quintum quoque processum, qui ad theatrum ducit, quem adorna vocant*. legendum *porna*: nam πόρναι, ut inquit Julianus, est productio meretricum. & Græce est ἣν δὴ πόρνας καλοῦσιν. Sed infamem hanc ac detestandam Idololatrarum con-

suetudinem, melius damnare non possum, quam verbis Tertulliani, qui graviter more suo, atque acerbe eam perstringit lib. de Spectaculis cap. 17. *Ipsa etiam prostibula, publicæ libidinis bostiæ, in scenam proferuntur, plus miseræ in præsentia fæminarum, quibus solis latebant, perque omnis ætatis, omnis dignitatis ora transduntur, locus, stipes, elogium, etiam quibus opus non est, prædicatur. Taceo de reliquis ea, quæ in tenebris & in speluncis delitescere decebat, ne diem contaminarent. Erubescat senatus, erubescant ordines omnes, illæ ipsæ pudoris interemptrices sui, de gestibus suis ad lucem & populum expavescentes, semel anno erubescant.* Inter scorta, quod magis abominandum, teste S. Hieronymo in Isaiæ cap. 2. in fornicibus spectaculorum steterunt pueri, publicæ libidini expositi. Sed ea turpitudo sub Constantino Imperatore deleta est. Cum igitur ejusmodi hominum fæx ad missilia convolaret, factum est, ut sibi mutuo aviditate rapiendi verbera, vulnera, ac mortem inferrent.

6. In missilibus rapiendis impediti, quandoque læsi, vel obtriti.

Auctor est Herodianus multos in Heliogabali missilibus periisse: ita enim refert lib. 5. *Multi inter rapiendum periere, partim invicem proculcati, partim militum contis transfixi.* De verberibus ac vulneribus discimus Novella 105. *Ipsis quoque qui hoc* (quod missum est) *accipere consueverunt, maximæ gratiæ in nostra repositæ sunt lege: si enim periculum erat deficientibus Consulibus, neque quidquam accipere, nunc autem accipiendo mediocriter, multam habebunt rite huic legi gratiam, quod sufficiat pro nihil offerente. Et hoc ipsum non permittere nos gloriosissimis Consulibus, aut aurum spargere, aut vasa majora, sed in miliaresiis* (genera sunt nummorum argenteorum, qui militibus erogabantur, ut ex Epiphanio, Cedreno, Suida, lege 7. Cod. de Palat. sacrarum largitionum probat Gothofredus in hunc locum) *& melis, & caveis, & quadrangulis mediocribus, & hujusmodi facere donationem, sanctio ad humanitatem a nobis inventa est, & populo medelam præbens: si enim hoc egerint qui consularem edent munificentiam, & his solis concilient populares, nequaquam de maximis lucris decertantes seditiones exercebunt ad invicem nec venient usque ad alternas plagas, quas per fustes, & gladios, & lapides egerant frequenter, rem omnino nobis odibilem: videbamus eos contendentes quidem, & malis innumeris implentes alterutros, occasione sparsorum & ab eis arreptorum, domum referentes omnino nihil, sed ea die in ebrietatibus & potationibus omnia expendentes. Si vero spe lucri majoris etiam præexpendisse contigerit, postea vero aut nihil, aut minus acceperit, etiam damnum & debitum habens, ex plagis & vulneribus; ex hoc majus incurrere cogetur.* (sic legendum est) *si autem mediocre sit, quod spargitur, nec vehementer contendent, neque quæstus expectantes, abundantia vulnera, aut plagas alterutris ultra mensuram dabunt.* Hæc Novellæ istius auctor, qui ut hoc ex occasione dicam, non videtur fuisse Justinianus, etsi id censeant Jurisconsulti in libris vulgatis, quos sequitur Contius in sua Chronologia. ratio est, quia in præfatione istius Novellæ dicitur: *Videmus periclitari Consulum nomen, quod ex temporibus ita prolixis, & ad millesimum prope annum veniens, cum Romanorum republica pullulavit.* Si enim ea Novella prodiit, cum Consulum nomen ad annum prope millesimum veniebat, non potuit Justinianus ejus fuisse auctor, quoniam Consules Romani cœperunt anno ab Urbe condita 244. juxta probabiliorem auctorum sententiam, de qua nos iterum alia occasione dicemus: Justinianus autem juxta Contii chronologiam vulgari anno Christi 527. cui consentit Onuphrius, Baronius, Gordonus, & alii, Imperator factus, egit primum annum sui Imperii. Jam vero annus Christi 527. concurrebat cum anno ab urbe Romana condita 1279. juxta Onuphrii Chronologiam; quare anno primo Imperii etsi ille hanc Novellam edidisset (quod tamen nec probant, nec probare possunt Jurisconsulti) vere non potuisset in ejus præfatione dicere Consulatum venire ad annum millesimum, cum excederet millesimum annis triginta quinque, juxta sententiam illam, quæ primos Consules anno Urbis conditæ 244. ponit: nam anno Urbis conditæ 1244. incidit eo supposito annus millesimus a Consulibus primis Romæ creatis post Regum expulsionem: a quo anno usque ad primum Justiniani annum sunt anni 35. Quod si quis aliam opinionem de Consulum Romanorum initio sequatur, semper pluribus annis supra triginta millesimus annus urbis Romanæ contigerat ante Justiniani primum Imperii annum. Quod si ut vult Contius, hoc edictum fuerit datum post Belisarii Consulatum anno Justiniani 14. tum a cœpto Consulatu Romanorum anno circiter quadragesimo nono supra millesimum ea Novella prodiisset. Hæc quia nemo hactenus notavit, ideo apud Jurisperitos de auctore istius Novellæ nullus quidquam dubii movit, & Gothofredus ipse credidit editam anno Christi 536. Imperii Justiniani anno decimo. Sed ad alia procedamus, quæ ad rem nostram magis faciunt.

7. De conviviis inter ludos.

Præter missilia posterioribus temporibus etiam convivia celebrata fuere ludis secularibus: cum enim posterioribus ludis omnis generis spectacula nomine ludorum secularium comprehensa sciamus, atque in iis spectaculis usitatum, ut convivia fierent, non est cur de secularibus id revocemus in dubium: nam si verum est, quod scribit Donatus in lib. 5. Virg. *Spectaculorum gratiam debere refectionem corporum sequi,* non est cur suspicemur in ludis inter omnes præcipuos, quales erant seculares, convivia defuisse. Maxime cum sciamus ex Dione lib. 37. Pisone & Messala Consulibus, cum populus olim ludos sine intermissione spectaret anno ab Urbe condita 697. (hoc est, diu ante ludos seculares sub Imperatore Octavio Augusto) morem introductum, ut sub meridiem interquiesceret & prandium sumeret. id vero prandium sequentibus temporibus datum Imperatorum liberalitate liquet ex variis locis auctorum. testis Suetonius cap. 18. in Caligula: *Sparsit*, inquit, *missilia variarum rerum, & panaria cum obsonio viritim divisit. qua epulatione Equiti Romano, contra se hilarius, avidiusque vescenti, partes suas misit.* Domitianus eodem auctore in vita cap. 4. *Inter spectacula muneris largissimum epulum dedit.* Sidonius lib. 1. ep. 11. refert Imperatorem, qui tum agebat, ut epulo suo Circensibus ludis interesset, jussisse. Sed omnium optime, & clarissime ejusmodi epulum explicat lib. 1. Silvarum Statius, a Domitiano datum Kalendis Decembribus:

*Ecce autem caveas subit per omnes*
*Insignis specie, decora cultu*

Plebs

*Plebes altera non minor sedente.*
*Hi panaria, candidasque mappas*
*Subvectant, epulasque lautiores.*
*Illi marcida vina largiuntur,*
*Idæos totidem putes ministros.*

Et paucis interjectis:

*Una vescitur omnis ordo mensa.*
*Parvi, fœmina, plebs, eques, senatus;*
*Libertas reverentiam remisit.*
*Et tu quin etiam (quis hoc vocare?*
*Quis promittere possit hoc deorum?)*
*Nobiscum socias dapes inisti.*
*Jam se, quisquis is est, inops, beatus,*
*Convivam Ducis esse gloriatur.*

8. Acclamationes tempore ludorum.

Denique non defuerunt in ludis secularibus acclamationes: illæ enim in ludos Amphitheatrales introductæ, quos certum est ludis secularibus etiam contineri. Acclamationis meminit Suetonius in Claudio cap. 7. *Præsedit*, inquit, *nonnumquam ludis in Caii vicem, acclamante populo, Feliciter*. Item in Domitiano cap. 13. *Acclamari etiam in amphitheatro epulorum die libenter audiit, Domino & Dominæ Feliciter*. Ex quibus patet vocem, *Feliciter*, fuisse solemnem, quod notat Brissonius de Formulis lib. 8. sub medium, ubi alia auctorum loca citat, atque ex Tertulliano in Apologetico c. 35. notat fuisse acclamationis usitatam hanc formulam, dum congiarium dabatur:

*De nostris annis tibi Jupiter augeat annos.*

Ad quam alludit Ovid. 1. Fastorum:

*Augeat imperium nostri ducis, augeat annos.*

Item Statius initio Thebaidos loquens de Domitiano:

*Quem nova maturi subeuntem exorsa parentis*
*Æternum sibi Roma petit.*

Certe hæ acclamationes a theatro & ludis originem habentes, deinde in forum & senatum penetrarunt. De his multa habes apud Dempsterum lib. 5. antiq. Rosini in Paralipomenis cap. 5. Brissonium loco citato, P. La Cerda, ad Tertulliani locum citatum, Lazium lib. 9. de Republ. cap. 2. sub finem, Fabrum lib. Agonosticon, cap. 11. Casaubonum in notis ad Vulcatium Gallicanum num. 17. & 18. quæ omitto, quia libri obvii sunt.

## CAP. X.

*De sacrificiis, quæ anno sæculari fiebant ex præscripto Sibyllini oraculi.*

PRimum omnium sacrificiorum, quod fieri jubebatur in carmine Sibyllino anno ludorum secularium, ut ex Valerii c. 2. patet, fieri debebat in campo Martio ad Tiberis ripam sito. quibus vero id faciendum, tantum generatim dicitur: *Diis immortalibus*. Colligitur vero ex allata origine ludorum a Valerio Maximo & Zosimo, illud sacrificium fuisse faciendum Diti Patri & Proserpinæ. Et vero erat in campo Martio, ut ex illis patet, Ara Diti Patri consecrata, de qua Statius lib. Silvarum 1. in soteria pro Rutilio Gallico:

*Aut instaurati peccaverit ara Terenti.*

Item Paulus in voce *Terentum*. *Terentum*, inquit, *locus in campo Martio sic dictus, quod eo loco ara Ditis Patris in terra occultaretur*. Item Festus ab Ursino suppletus ideo vocat ludos Ditis Patris, quod ei sacrificia, ut arbitror, fierent, eique ludi dicati essent. Sic habet: *Terentum in campo Martio locum, Verrius ait, ab eo dicendum fuisse, quod terra ibi per ludos seculares Ditis Patris ita leviter terratur ab equis quadrigariis, ut eorum levis mobilitas æquiparet motus rapidos velocis lunæ*. Fiebat illud Ditis sacrificium nocte, ut ex Sibyllæ versibus liquet:

—— *θεοῖσι μὲν ἀθανάτοισι,*
*Ῥέζειν ἐν πεδίῳ παρὰ Θύβριος ἄπλετον ὕδωρ·*
*Ὅππῃ στεινότατον, νὺξ ἡνίκα γαῖαν ἐπέλθῃ.*

Item Zosimus lib. 2. *Prima nocte spectaculorum ad horam secundam tribus aris in fluminis ripa exstructis Imperator cum Quindecimviris tres agnos cædit; & aris sanguine respersis solidas victimas adolet.* Virgilius lib. 6. Æneidos Diti noctu sacrificari solitum significat his verbis:

*Tum Stygio regi nocturnas incohat aras.*

Porro solidæ victimæ, quæ Diti Patri offerrebantur in sacrificio nocturno, erant boves nigri, Proserpinæ vaccæ nigræ. De victimis Ditis fidem facit Tibullus lib. 3. eleg. 5. — 1. Sacrificium Plutoni & Proserpinæ, fiebat noctu seculari anno.

*Interea nigras pecudes promittite Diti,*
*Et nivei lactis pocula mista mero.*

Apud Virgilium idem significat Anchises, qui postquam filio suo Æneæ hæc dixit,

—— *Ditis tamen ante*
*Infernas accede domos.*

subjungit,

—— *huc casta Sibylla,*
*Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.*

De victimis, quæ Proserpinæ offerebantur; idem prodit Virgilius lib. 6. nisi quod nigros *juvencos* pro vaccis aut buculis nigris ponit: nisi forte *juvencas* legere placet, quod magis probo, quia Sibylla nigras pecudes Proserpinæ sacrificandas dixerat, quod exequitur Æneas:

*Quatuor hic primum nigrantes terga juvencas*
*Constituit, frontique invergit vina sacerdos.*
*Et summas carpens media inter cornua setas*
*Ignibus imponit sacris libamina prima,*
*Voce vocans Hecaten, cœloque, ereboque potentem.*

De utriusque numinis nigris victimis tempore ludorum secularium auctor est Valerius Maximus lib. 2. cap. 4. *Apud eandem aram* (loquitur de ara campi Martii) *publice nuncupatis votis, cæsisque atris bubus, Diti maribus, fœminis Proserpinæ, &c. aram terra, ut ante uerat, obruit.* nempe Valerius Poplicola primus ludorum secularium auctor. Consentit Zosimus: *Eodem loco*, inquit, *Valerius Poplicola mactato in ara Diti Patri bove nigro, nigraque bucula, peste liberavit Urbem*. Denique observant sacrorum periti steriles hostias Diti ac Proserpinæ immolatas, quia ab illis nihil gignitur, & quia Proserpina est Virgo. De Proserpina indicat id Virgilius 6. Æneidos:

—— *sterilemque tibi Proserpina vaccam.*

Prudentius lib. 1. contra Symmachum idem observat:

*Rapta ad Tartarei thalamum Proserpina Regis,*
*Placatur vaccæ sterilis cervice resecta.*

Sacrificium in Parcarum honorem. Secundum sacrificium tempore ludorum secularium a Sibylla præceptum fuit in Parcarum honorem

—— ἔνθα σὺ ῥέζειν,
Ἱερὰ παντογόνοις Μοίραις ἄρνας τε καὶ αἶγας
Κυανέας.

Conjungo epithetum, κυανέας, cum superioribus vocibus, ut facit Politianus, & per illud intelligo Parcis offerri debuisse etiam furvas hostias, agnos & capras: nam etsi proprie ea vox cæruleum colorem significet, tamen quia color cæruleus, cum densus est, in nigrum degenerat, ideo pro nigro quandoque ponitur ea vox. Et Eustathius in Homerum eam subinde ita exponit. Parcæ autem fuerunt dictæ juxta nonnullos a *partienda* vita humana: sicut Græce Μοῖραι a Græco μειράομαι, *partior*. Latine tamen Servius dictas putat, ex eo quod minime *parcant*, cum mortis tempus advenit. Sed malim cum Varrone apud Gellium lib. 3. c. 16. Parcas a *partu* derivare. Hinc est quod Sibylla in oraculo Parcas vocet παντογόνους, *omnigeneras*; & apud Pyndarum in Olympicis Apollo jubet Ilithyam cum Parcis assistere Evadne parturienti. Hinc teste Fulgentio tria fata Poetæ attribuunt Plutoni, hoc est, tres Parcas, quarum prima Clotho, altera Lachesis, tertia Atropos. Clotho enim Græce, evocatio Latine dicitur: Lachesis, sors nuncupatur: Atropos, sine ordine. His significare volentes; Primam esse nativitatis evocationem; Secundam, vitæ sortem; Tertiam, mortem, quæ sine ordine venit. κλώθω enim verbum apud Græcos idem est ac *neo*. quod est linum e colo attrahere, ut solet nativitas ex utero fœtum in auras educere. Lachesis a λαγχάνω, *sortior*. Atropos ab alpha privativo & τρέπω, *verto*, quasi rerum ordinem vertat, non ut par est: vel quasi verti non possit in aliam mentem, cum mortem afferre destinavit. Ex his causa deduci potest, ob quam Parcis sacrificia jussu Sibyllæ offerenda essent, post sacra facta Diti atque Proserpinæ. Nempe, quod ut ipsæ Diti semper assisterent, ita sacra earum conjungi deberent ejus sacris. Adde quod Ditis & Erebi essent filiæ, cui Dis dominatur. Sed alia ratio mihi succurrit, quæ magis arridet, quod Parcæ venturis temporibus futura prænuntient, & consequentes etiam sequentium seculorum eventus: imo quod tempora moderentur, iisque præsideant. Unde Plato lib. 12. de Republica scribit de Parcis: *Ea ad Sirenum harmoniam canunt, Lachesis præterita, præsentia Clotho, Atropos futura.* Idem sentit auctor libri de Mundo inter opera Aristotelis, nisi quod apud eum Lachesis futurum tempus, Atropos præteritum moderari dicatur. Apulejus ternarum Parcarum numerum ideo a triplici tempore ductum arbitratur: nam id fili quod in fuso perfectum est, præteriti temporis speciem habere asserit; quod torquetur in digitis, momenti præsentis spatia indicare; quod nondum e colo extractum est, futuri & consequentis seculi posteriora ostendere. Certe nihil tritius apud Poetas, quam Parchas futura prædicere. Hom. Odiss. η.

—— ἔνθα δ' ἔπειτα
Πείσεται, ἅσσα οἱ Αἶσα κατὰ Κλῶθές τε βαρεῖαι
Γεινομένῳ νήσαντο λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ.

—— *illa deinde*
*Cuncta feret, quæ fata dabunt, Parcæque severæ*
*Nascenti nevere, parens quando edidit ipsum.*

Virgilius Eclog. 4. eas de seculis disponere significat his versibus:

*Talia secla suis dixerunt currite fusis,*
*Concordes stabili fatorum numine Parcæ.*

Fusissime Parcas, earumque vaticinia describit Catullus de nuptiis Pelei, cujus versus, quia multa ad rem nostram continent, adscribere non pigebit:

*Interea infirmo quatientes corpora motu,*
*Veridicos Parcæ cœperunt edere cantus.*
*His corpus tremulum complectens undique vestis,*
*Candida purpurea talos incinxerat ora*
*Et roseo niveæ residebant vertice vittæ,*
*Æternumque manus carpebant rite laborem.*
*Læva colum molli lana retinebat amictam,*
*Dextera tum leviter deducens fila supinis*
*Formabat digitis; tum prono in pollice torquens,*
*Libratum tereti versabat turbine fusum.*
*Atque ita decerpens æquabat semper opus dens,*
*Laneaque aridulis hærebant morsa labellis,*
*Quæ prius in levi fuerant extantia filo.*
*Ante pedes autem candentis mollia lanæ*
*Vellera, virgati custodibant calathisci.*
*Hæc tum clarisona pellentes vellera voce.*
*Talia divino fuderunt carmine fata,*
*Carmine perfidiæ quod post nulla arguet ætas.*

Denique ut omittam Tibullum lib. 4. eleg. 5. Ovid. 5. Trist. eleg. 3. & alios, Horatius in seculari carmine rogat Parcas, ut Imperio Romano seculum sequens illud, quo Augustus ludos seculares edebat, sit æque felix ac faustum, atque fuerat illud, quod erat transactum. Ita ut quæ dicta essent de Imperii Romani perpetua felicitate, Terminus Deus conservaret. Hæc autem dicta apud Virgilium lib 5. Æneid.

*His ego nec rerum metas, nec tempora pono:*
*Imperium sine fine dedi.*

Ita igitur habet Horatius:

*Vosque veraces cecinisse Parcæ*
*Quod semel dictum est, stabilisque rerum*
*Terminus servet, bona jam peractis*
*Jungite Fata.*

4. Sacrificium Ilithyis. Tertium sacrificium anno seculari a Sibylla injunctum fuit Ilithyis his versibus:

—— ἐπὶ ταῖς δ' Εἰλειθυίας ἀρέσασθαι
Παιδοτόκους θυέεσσιν, ὅπῃ θέμις.
*Tum Lucinas sive Ilithyas placanto*
*Puerperas hostiis, ut fas est.*

Sic enim visum est cap. 2. corrigere Opsopæi versionem, qui de unica Lucina accipit, & vertit, quia Græca suadent in plurali vertere Ilithyas puerperas. Plures vero Ilithyas cum Sibylla agnoscunt Hesychius, qui Ilithyas interdum deas significare ait, interdum dolores: Phurnutus, qui ideo plures Ilithyas esse ait, eo quod sint varii animantium partus. Per Ilithyas intelligi possunt deæ, quibus aræ a Romanis exstructæ, & sacra facta ad pariendi discrimina evitanda, de quibus Gellius lib. 16. cap. 16. ex Varrone: *Quando infantes contra naturam forte conversi in pedes sunt, brachiis plerumque diductis retineri solent, ægriusque tunc mulieres enituntur. Hujus periculi de-*

*precandi gratia aræ statutæ sunt Romæ duabus Carmentalibus: quarum altera Postverta nominata est, Prosa altera, a recti perversique partus potestate & nomine.* Ilithyam unam varii agnoscunt Latini, & eam puerperis auxilium ferre arbitrantur, atque pro Diana sumunt. Hinc Horatius in carmine seculari sub Ilithyæ nomine Dianam invocat: A

*Rite maturos aperire partus,*
*Lenis Ilithya, tuere matres.*

Ovid. 9. Metam.

*—— Faveant tibi numina saltem,*
*Corripiantque moras, tunc cum matura vocabis* B
*Propositam timidis parientibus Ilithyam.*

Ex his patet, cur Sibylla vocet Ilithyas *puerperas*, nempe eo quod puerperis adsint. Hinc apud Orpheum in Hymno in Prothyream eam solam parturientes invocare dicuntur: item apud Callimachum Ilithyas dicit præfectas parturientibus a Parcis:

*—— ἦσί με Μοῖραι,*
*Γεινομένην τὸ πρῶτον ἐπεκλήρωσαν ἀρήγειν.*
*Ὅττι με καὶ τίκτουσα, καὶ οὐκ ἤλγησε φέρουσα* C
*Μήτηρ, ἀλλ' ἀμογητὶ φίλων ἀπεθήκατο κόλπων.*

Vertit Natalis Comes lib. 4. cap. 1.

*—— hisce levare*
*Vix bene me natum Parcæ statuere labores,*
*Quod me cum pareret, vel me gestaret in alvo*
*Mater non unquam doluit, sine læta labore*
*Deposuit quod ventris onus.*

Ex quo patet aliquam fuisse caussam, cur post sacrificia Parcarum etiam Ilithyarum sacrificia subjungerentur. Quod confirmari potest D ex Pindaro in Nemeis in Sogenis hymno: ubi Ilithyam Parcarum *πάρεδρον* vocat. Atque de tertio sacrificio hactenus.

Quartum sacrificium Sibylla offerri mandat Telluri his versibus:

*—— αὖθι δὲ γαίῃ*
5. Sacrificium Telluri. *Πληθομένῃ χοῖρός τε, καὶ ὗς ἱεροῖτο μέλαινα.*

Paulo aliter legit Politianus a Grutero suppletus in face Artium: E

*—— χοῖρος σῦς θρηρεύοιτο μέλαινα.*

res est eadem. Cæterum porcum, vel porcam Telluri mactari solitam ait Arnobius lib. 7. *Telluri matri ingens scropha immolatur fœta.* Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 12. *Sus prægnans mactatur, quæ est hostia propria terræ.* Ovid. idem testatur:

*Placantur frugum Matres, Tellusque, Ceresque*
*Farre suo, gravidæ visceribus suis.*

De porco Telluri mactato probat illud Horatii lib. 2. epist. 1. nisi forte *porca* legendum est.

*Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant.* F

Quamvis autem hæ hostiæ usitatiores essent, atque anno seculari Telluri immolandæ; tamen Telluri agnam nigram cecinit quandoque offerri Homerus Iliad. 1.

*Οἴσετε δ' ἄρν' ἕτερον λευκὸν, ἑτέρην δὲ μέλαιναν*
*Γῇ τε καὶ ἠελίῳ.*

*Ferte agnum, alterum album: alterum vero nigrum*
*Telluri & Soli.*

R. Tom. VIII.

Romanos etiam mense Aprili eidem Terræ obtulisse Fordam bovem testatur Calendarium vetus, die qui Fordicidia dicebatur, & Ovid. lib. 4. Fast.

*Pontifices, Forda sacra litate bove.*
*Forda ferens bos est, fæcundaque dicta ferendo,*
*Hinc etiam fætus nomen habere putant.*
*Nunc gravidum pecus est, gravidæ quoque semine Terræ,*
*Telluri plenæ victima plena datur.*

Neque vero sine causa Sibylla tam accurate de colore etiam victimarum dat mandata, de sexu, & aliis similibus, quoniam ut ait Cicero 2. de Legibus: *Ex institutis Pontificum & Haruspicum nihil mutandum est, quibus hostiis immolandum cuique Deo, cui maribus, cui fœminis. Majoribus, ut Neptuno immolatur taurus, major hostia: Rubigo lactens catellus: Matri Deum, quæ est tellus, fœmina porca &c.* Atque hæc de sacrificiis, quæ fieri debebant Diis inferis, ex Sibyllæ precepto. Videamus modo, quæ Diis superis facienda præciperet inprimis Jovi mandat sacrificari boves candidos, idque de die, verba sunt: 6. Sacrificium Jovi & aliis Diis superis.

*Πάνλευκοι ταῦροι δὲ Διὸς παρὰ βωμὸν ἀγέσθων*
*Ἤματι μὴδ' ἐπὶ νυκτί.*
*Candidi vero tauri Jovis ad aram ducantur*
*De die, non de nocte.*

Ex quo erroris arguitur Natalis Comes lib. 1. Mythologiæ cap. 17. dum asserit nefas fuisse Jovi taurum immolare, inductus in errorem, ut arbitror, ab Attejo Capitone, qui idem asserit: aut Labeone lib. 78. affirmante, non immolari taurum, nisi Neptuno, Apollini, & Marti. Neque ex hoc Sibyllæ solum carmine, sed etiam Virgilii lib. 10. Æneidos, error iste deprehenditur. nam eo loco Ascanius, Jovi hæc vota facit:

*Et statuam ante aras aurata fronte juvencum*
*Candentem, pariterque caput cum matre ferentem.*

Item ex Seneca in Medea choro 1.

*Primus sceptriferis colla tonantibus*
*Taurus celsa ferat tergore candido.*

Observandum etiam non sine causa offerendos præcipi tauros, omnino candidos, quia ita ex oraculo Apollinis faciendum erat:

*Τρεῖς μὲν ἐπιχθονίοις, τρεῖς δ' οὐρανίοισι θεοῖσι,*
*Φαιδρὰ μὲν οὐρανίοις, χθονίοις δ' ἐναλίγκια χροιῇ*
*Τῶν χθονίων, διάειρε τριχῇ θυσίας ἐναρίζων.*

Quæ ad verbum verti possunt. *Tres autem terrestribus, tres vero cœlestibus Diis: candida cœlestibus, terrestribus similia colori terræ, trifariam hostias occidens.* Eadem vertit Natalis Comes lib. 1. Mytholog. cap. 12. his versibus:

*Terna quidem divis cœlestibus hostia, & ipsa*
*Candida mactanda est, terna & terrestribus, atque*
*Nigra eadem.*

Hinc in Poetis passim exempla occurrunt de victimarum candidarum colore. Hinc iidem Poetæ, quod aqua Clitumni fluvii a Plin. lib. 2. naturalis Historiæ cap. 103. albos boves effecisse scribitur, toties dicunt eum fluvium, vel

aquam pro triumphis albas victimas suffecisse. Virg. lib. 2. Georg.

*Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima taurus*
*Victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro,*
*Romanos ad templa Deum duxere triumphos.*

Claudianus in Panegyr. 6. Consul. Honorii:

*Quin & Clitumni sacras victoribus undas,*
*Candida quæ Latiis præbent armenta triumphis,*
*Visere cura fuit.*

Cur autem Sibylla præcipiat hæc sacrificia immolari de die, rationem subjicit:

—— *θεοῖσι γὰρ οὐρανίοισι*
*Ἠμέριος πέλεται θυέων τρόπος.*
—— *Diis namque cælestibus*
*Diurnus est victimarum modus.*

Idem asserit Callixenus Rhodius de Alexandria his verbis: Τοῖς *δὲ οὐρανίδαις ὑπὸ τὴν ἕω τοῦ ἡλίου ἀνατέλλοντος ἱερεύομεν*. *Diis autem cælestibus auroræ tempore sub exortum solis sacrificamus*. Sibylla de victimarum cornibus auratis in sacrificiis tempore ludorum secularium non meminit, cum tamen hoc in usu esset in aliis sacrificiis, ut ex Ovid. 7. Met. patet:

—— *Indutaque cornibus aurum*
*Victima vota facit.*

ex Valerio Flacco lib. 1. Argon.

—— *Dabit auratis & cornibus igni*
*Colla Pater.*

Item Virgil. lib. 10. versu ante citato, & alii. quare non crediderim in secularium ludorum
7. Sacrificium Junoni. victimis, id Romanos omisisse. Deinde Sibylla vult Jovis sacrificio succedere sacrificium Junonis, eique candidam vaccam mactari:

—— *ὡς δὲ καὶ αὔτως*
*Ἱερεύειν δαμάλεις τε βοὸς δέμας ἀγλαὸν Ἥρης*
*Δεξάσθω νηὸς παρὰ σεῦ.*

*Eadem ratione* (hoc est, de die) *mactentur juvencæ. Vaccæ corpus purum Junonis a te capiat templum.* Junoni fuisse moris candidam vaccam immolari testatur Virg. lib. 4. Æneidos:

*Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ,*
*Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido,*
*Candentis vaccæ media inter cornua fundit.*

Addit Seneca in choro 1. Medeæ non tantum albam esse debuisse, sed aratro etiam nondum fuisse admotam:

*Lucinam nivei fœmina corporis*
*Intentata jugo placet.*

8. Sacrificium Apollini. Tertium superorum sacrificium Apollini fieri debebat, ita monente Sibylla:

—— *καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων*
*Ὅστε καὶ Ἥλιος κικλήσκεται, ἶσα δεδέχθω*
*Θύματα Λητοΐδης.*

—— *& Phœbus Apollo*
*Qui & Sol vocatur, paria* (hoc est, ex bobus albis) *recipiat*
*Sacrificia, Latonæ filius.*

Hoc in seculari carmine observatum fuisse ostendit Horatius his verbis, Apollinem & Dianam alloquens:

*Quique vos bobus veneratur albis*
*Clarus Anchisæ Venerisque sanguis &c.*

Denique etsi in versibus Sibyllæ nullum extet præceptum de offerendis sacrificiis, aliis Diis, quam enumeratis, crescente tamen superstitioso Deorum cultu constat Romanos anno ludorum secularium pluribus aliis Diis sacrificasse. Refert Zosimus his verbis agens de ludis secularibus: *His autem Diis rem sacram faciunt: Jovi, Junoni, Apollini, Latonæ, Dianæ. tum præter hos Parcis, & Lucinis, & Cereri, & Diti Patri, & Proserpinæ.* 9. Sacrificia ... Diis.

CAP. XI.

*De Lectisterniis Deorum, anno sæculari.*

AD Lectisternia Deorum tempore secularium ludorum referenda sunt hæc Sibyllæ monita:

—— *ἀειδόμενοί τε Λατῖνοι*
*Παιᾶνας κούροις κούρῃσί τε νηὸν ἔχοιεν*
*Ἀθανάτων.*

—— *cantantesque Latini*
*Pæanas cum pueris puellisque in æde versentur*
*Immortalium*

Nimirum ad Deorum Lectisternia in templis. Certe ab initio ipsorum ludorum secularium celebrata Lectisternia, etiam publice, auctor est Valerius Maximus lib. 2. cap. 4 Quare non est audiendus Ludovicus d'Orleans in novis cogitationibus ad Tacitum lib. 15. dum celebrasse ea asseruit Poplicolam in domo privata. Lectisternium vero a sternendis lectis dicitur, non quibuscumque, sed illis, in quibus Dii colerentur. Colligitur ex Servio in lib. 12. Æneid. ad hæc verba: 1. Quid Lectisternia.

—— *diri sacraria Ditis.*

Qui locus licet corruptus sit, sic restituendus tamen est: *Sacrarium proprie est locus in templo, in quo sacra reponuntur; sic donarium est locus, ubi reponuntur oblata; sic Lectisternia dicuntur loca, in quibus sternuntur lecti pro Diis, ubi in templo homines sedere consueverunt.* Idem habet expresse S. Augustinus lib. 3. de Civit. cap. 27. *Ubi erant* (nempe Dii) *quando pestilentia exorta est? Diis inutilibus, sine remedio populus diu multumque fatigatus, nova lectisternia, quod nunquam ante fecerat, exhibenda arbitratus est. Lecti autem sternebantur in honorem Deorum, unde hoc sacrum, vel potius sacrilegium, nomen accepit.* Quo loco Augustinus, præterquam quod originem vocis *Lectisternium* affert, etiam affert ipsorum Lectisterniorum originem, ut arbitror ex Livio lib. 5. his verbis: *Tristem hyemem, sive ex intemperie cœli raptim mutatione in contrarium facta, sive alia qua de causa, gravis pestilensque omnibus animalibus æstas excepit, cujus insanabili pernicie, quando nec caussa, nec finis inveniebatur, libri Sibyllini ex Senatusconsulto aditi sunt. Duumviri sacris faciundis, Lectisternio tum primum in urbe Romana facto, per dies octo Apollinem, Latonamque, & Dianam, Herculem, Mercurium, atque Neptunum, quibus, quam amplissime parari poterat, stratis lectis placavere.* Sed quomodo in hæc tempora primam originem retulerint Livius & Augustinus, non satis compertum est, quia difficultatem facit Chronologia ludorum secu- 2. Origo Lectisterniorum.

larium, ne in illud tempus, de quo Livius & Augustinus, referri possit Lectisterniorum origo. Certum enim est diu ante illud tempus ludos seculares primos institutos fuisse, in quibus etiam Lectisternia celebrata, refert Valerius Maximus lib. 2. loco citato. Imo Lectisternia ante primos ludos seculares in usu fuerunt; nam apud Græcos usitata fuisse liquet (quod sese primum notasse jactat Casaubonus in Comment. ad Suetonii librum primum) ex Scholiaste Pindari ode 1. Olymp Athenæo, Valerio Maximo lib. 2. cap. 10. ubi ita habet sub finem: *Rhodii quoque eas* (nempe statuas Harmodii & Aristogitonis, qui erant in Deos relati) *urbi suæ appulsas, cum in hospitium publice invitassent, sacris etiam pulvinaribus collocaverunt*. Est enim pulvinar Deorum idem atque Lectisternium. Patet ex Horatii lib. 1. od. 38.

*—— nunc saliaribus*
*Ornare pulvinar Deorum*
*Tempus erat dapibus sodales.*

Atque ex Æmilii Probi his verbis: *Quæ victoria tantæ Atticis lætitiæ fuit, ut tum primum aræ Paci publice sint factæ, eique Deæ pulvinar sit institutum?* Quare Livius & Augustinus, dum id asserunt, exponendi sunt agere non de prima omnino origine Lectisterniorum, quæ longe antiquior est, ut ex dictis manifestum est, sed de origine Lectisternia indicendi, cum Lectisternia alias essent legitima, singulis annis centum in ludis secularibus: nam ut Servius habet, *feriæ aliæ legitimæ, aliæ indictæ.* vel ut Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 16. *Feriarum publicarum genera sunt quatuor: aut enim stativæ sunt, aut conceptivæ, aut imperativæ, aut nundinæ.* Jam vero Lectisternium Poplicolæ fuit stativum, sive legitimum: illud de quo agit Livius, fuit indictum, sive imperativum, quod nullo negotio probatur ex Macrob. loco citato, ubi stativas ferias asserit fuisse universi populi communes, certis & constitutis diebus, ac mensibus, in fastis, statis observationibus annotatas. Ovid. 1. Fast. statas, ut ipse vocat, ab indictis feriis hoc versu distinguit:

*Cum mihi (sensit enim) lux hæc indicitur,* inquit
*Musa, quid a fastis non stata sacra petis?*

Feriæ quippe indictæ fuerunt, quæ statis temporibus non fiebant, sed pro arbitratu hominum natis occasionibus indicebantur. Ad has feriæ conceptivæ, & imperativæ Macrobii reducuntur: nam conceptivæ erant, eo teste, quæ quotannis a Magistratibus, vel Sacerdotibus concipiebantur, in dies, vel certos, vel etiam incertos. Imperativæ, quas Consules, vel Prætores, pro arbitrio potestatis indicebant. Ad ferias autem pertinuisse Lectisternia patet ex eodem Macrobio: is enim inesse asserit festis, hæc: farrificia, epulas, ludos, ferias. Atque etiam infra, sacra, celebritatem vocat, vel cum sacrificia Diis offeruntur, vel cum dies divinis epulationibus celebratur, vel cum ludi in honorem Deorum aguntur, vel cum feriæ observantur. Jam vero Lectisternium ad epulas Deorum referendum est, ut ex dicendis elucescet. Indictum autem fuisse Lectisternium illud, de quo agunt Livius & Augustinus, ex eorum verbis apparet; scilicet ad pestem sedandam. Indicebantur & alias Lectisternia aliis de causis, ut ex eodem Livio intelligere pronum est lib. 7. ubi pestilentiæ sedandæ causa, & Pacis Deum exposcendæ indictum refert a Consulibus. Item indictum meminit a Senatu, ibidem eadem de causa. lib. 21. & 22. prodigiorum procurandorum caussa. Variis vero Diis indicebatur Lectisternium, pro causarum varietate. Apollini, Latonæ, Dianæ, Herculi, Mercurio, Neptuno habitum fuisse vidimus supra ex Livio lib. 5. quibusdam aliis Diis indictum fuisse idem auctor tradit lib. 22. *Curatum*, inquit, *Lectisternium, & per triduum habitum Decemviris sacrorum curantibus. Sex pulvinaria in conspectu fuere, Jovi & Junoni unum; alterum Neptuno & Minervæ; tertium Marti & Veneri; quartum Apollini & Dianæ, quintum Vulcano & Vestæ; sextum Mercurio & Cereri.* Præterea Ludovicus d Orleans in novis cogitationibus ad lib. 15 annal. Taciti, dicit Romæ in Lectisterniis in eodem lecto positum Jovem cum Junone, Latiam cum Saturno; Horam cum Quirino; Majam cum Vulcano; Salatiam (id est, Tethyn) cum Neptuno; Nerium cum Marte. & citat Gellium, ut suum dictum confirmet; verum non profert locum Gellii. Puto illum respexisse ad caput 22. lib. 13. in quo sic habetur: *In iis scriptum est, Latiam Saturni, Salatiam Neptuni, Horam Quirini, Juriten Quiritii, Majam Volcani, Nerien Junonis, Molas Martis, Nerienem quoque Martis.* Neque enim alius locus in Gellio habetur, ad quem ille respicere potuit. Verum quam male citarit Gellium pro sua assertione, ex collatione utriusque liquet, cum quædam d'Orleans Gellio affingat, quædam ex iis, quæ habet, omittat. Certe falso omnino asseruit, illos Deos in eodem fuisse lecto: & falsius multo id a Gellio dici; siquidem cum Deæ Diis epulantibus, ut fiebat in Lectisternio, adhibebantur, Deæ cum Diis in eodem lecto non collocabantur, quod speciem turpitudinis habuisset; sed in sellis Diis accumbentibus, assidentes. Sic enim habet Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. *Fæminæ cum viris cubantibus sedentes cœnitabant. quę consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit: nam Jovis epulo, ipse in lectulum, Juno & Minerva in sellis ad cœnam invitantur. Quod genus severitatis ætas nostra diligentius in Capitolio, quam in domibus suis servat: videlicet quia magis ad rem pertinet Dearum, quam mulierum disciplina contineri.* vel ut legendum docet Lipsius in notis ad eum auctorem *disciplinam contineri*. Sed d'Orleantium relinquamus, & ad rem nostram redeamus. Lectisternium Juventæ Deæ imperatum auctor est Livius lib. 21. Junoni & Saturno lib. 22. Idææ matri lib. 29. Lectisternium Cereris ridet Arnobius lib. 7. contra Gentes. *Lectisternium Cereris*, inquit, *erit idibus proximis: habent enim Dii lectos, atque ut possint stratis mollioribus incubare, pulvillorum tollitur atque excitatur impressio.* Denique in plurium aliorum Deorum fanis habita Lectisternia refertur ab eodem Livio lib. 35. his verbis: *Patres priusquam de Provinciis agerent, res divinas facere majoribus hostiis jusserunt, in omnibus fanis, in quibus Lectisternium majore parte anni fieri solet.* Lectisternia etiam in locis aliis, quam in templis habita, discimus ex Livio lib. 40. *Terra movit in foris publicis; ubi Lectisternium erat, Deorum capita, quæ in lectis erant, averterunt se.* De

3. Quibus de causis Lectisternia indicerentur quibusque Diis.

qua re etiam mentionem facit Jul Obsequens lib. de Prodigiis cap. 61. *In Lectisternio Jovis terræ motu Deorum capita se converterunt*. Alludit ad Lectisternia in Vicis Tertullianus in Apolog. eaque damnat cap. 35. *Grande videlicet officium, & focos, & thoros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernæ habitu obolescere*. Ita legendum potius, quam *halitu*, ut legit Voverenius: ut sensus sit civitatem ad instar tabernæ olere. Sic Mart. Romam *tabernam* vocat lib. 7. epig. 60. ob frequentiam institorum, cauponum & similium hominum, in plateis publicis:

*Tonsor, caupo, coquus, lanius sua limina servant;*
*Nunc Roma est, nuper magna taberna fuit.*

4. Quinam Lectisternia sternerent.
In Lectisterniis lecti ipsi sternebantur a Senatoribus, ut Livius notat lib. 22. *Lectisterniumque imperatum*, inquit, *& eum lectum Senatores straverunt*. Ordinarie autem sternebantur a Decemviris (ut patet ex eodem lib. 22. lib. 5. & aliis) quorum erat Lectisternia ipsa curare, dum erant publica. Fuerunt enim etiam Lectisternia privata, teste eodem Livio lib. 5. ubi luculenter ea explicat, & quid in iis fieri soleret. Postquam enim explicuit de Lectisterniis publicis, sic de privatis scribit:

5. De privatis Lectisterniis
*Privatim quoque id sacrum celebratum est: tota urbe patentibus januis, promiscuoque usu rerum omnium in propatulo posito, notos ignotosque passim advenas in hospitium ductos ferunt, & cum inimicis quoque benigne ac comiter sermones habitos; jurgiis & litibus temperatum; vinctis quoque dempta in eos dies vincula; religioni deinde fuisse, quibus eam opem Dii tulissent, vinciri*.

6. Epulæ Deorum.
Occasio vero Lectisternia primum usurpandi, ea fuit, quod veteres decumbentes in lectis epulari & comedere solerent: quare cum Diis epulas instruere vellent (credebant enim cæci mortales, suos deos etiam conviviis delectari) eorum simulacra in lectis collocabant, ut ad mensas ipsi solebant accumbere. Cæterum veteres convivia Diis suis exhibuisse atque dapes apposuisse certissimum est. De istis conviviis in Deorum honorem fuse Stuckius de Conviviis lib. 1. cap. 33. ad quem lectorem remitto. Et quidem ludorum causa Jovi epulum appositum, Livius testatur lib. 25. *Ludi*, inquit, *plebeii per triduum instaurati, & Jovis epulum fuit ludorum causa*. Idem habet lib. 27. 30. & 40. Fuit etiam epulum Jovis quotannis, ut ex veteri Calendario liquet, ubi habetur *Epulum indictum*. Meminit etiam Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. jam citato, Ælius Lampridius in Alexandro, & alludit Virg. lib. 8. Æneid.

*Interea sacra hæc, quando huc venistis, amici,*
*Annua quæ differre nefas, celebrate faventes*
*Nobiscum.*

Et infra:

*—— Non hæc solennia nobis,*
*Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram,*
*Vana superstitio, veterumque ignara Deorum*
*Imposuit: sævis, hospes Trojane, periclis*
*Servati facimus, meritosque novamus honores.*

Hæc Jovis convivia irridet Arnobius lib. 7. *Jovis epulum cras est; Jupiter enim cœnat, magnisque implendus est dapibus, jam dudum inedia gestiens, & anniversaria interjectione jejunus*. Quod ea convivia etiam extra templa celebrata fuerint, testatur Josephus lib. 7. de bello Judaico cap. 22. Τρέπεται δὲ τὰ πλήθη πρὸς εὐωχίαν, καὶ κατὰ φύλας, καὶ κατὰ γένη, καὶ κατὰ γειτονίας ποιούμενοι τὰς ἑστιάσεις, ηὔχοντα τῷ θεῷ σπένδοντες, αὐτόν τε ἐπὶ πλεῖστον χρόνον Οὐεσπασιανὸν ἐπιμεῖναι τῇ Ῥωμαίων ἡγεμονίᾳ. *Vertunt se ad epulas turbæ, perque tribus, & cognationes, & vicinias convivia exercentes, Deo libabant, & ab eo precabantur ipsum Vespasianum quam plurimum temporis in Romano Imperio perseverare*. Item Livius lib. 5. verbis ante citatis, & lib. 2. *Postremo Decembri jam mense*, inquit, *ad ædem Saturni immolatum est: Lectisternium imperatum (& eum lectum Senatores straverunt) & convivium publicum, ac per urbem* Saturnalia *die ac nocte clamatum*. De Saturnalibus quoniam ad rem nostram non faciunt, lege Macrobium lib. 1. cap. 10. Lipsium in libello ejusdem nominis, Rosinum lib. 2. cap. 4. & maxime Dempsterum in Paralipomenis ad illud caput. Stuckium lib. 1. de Conviviis, cap. 33. & alios. Noto ex auctoribus, initio in illis conviviis Deorum cibos tenues & parabiles abhibitos. Halicarnasseus lib. 2. Ἐγὼ γοῦν ἐθεασάμην ἐν ἱεραῖς οἰκίαις δεῖπνα προσκείμενα θεοῖς ἐν τραπέζαις ξυλίναις ἀρχαϊκαῖς, ἐν κανοῖς καὶ πινακίσκοις κεραμέοις ἀλφίτων μάζας, καὶ πόπανα, καὶ ζέας, καὶ καρπῶν τινῶν ἀπαρχάς, καὶ ἄλλα τοιαῦτα λιτά, καὶ εὐδάπανα, καὶ πάσης ἀπειροκαλίας ἀπηλλαγμένα. *Ipse certe spectavi in sacris ædibus cœnas Diis appositas, in mensis ligneis antiqui operis, pultemque in canistris & fictilibus quadrulis; liba item, & far, fructuumque quorumdam primitias, & alia hujusmod. tenuia, paratuque facilia, & omnis ineptiæ expertia*. Ita Sylburgius interpres Halicarnassei: sed melius postremum verti potuit sic: *omnis immoderatæ magnificentiæ expertia*. Eadem res patet ex Valerio Maximo lib. 2. cap. 5. *Primitus*, inquit, *ex libamentis victus sui Deos eo efficacius, quo simplicius, placabant. Successu temporis apud Romanos ea frugalitas esse desiit, atque in illis Deorum conviviis tam fuere profusi, ut illa in immanem luxuriam abierint*. Ea ex Athenæo Deipnos. lib. 2. & 8. aliisque probat Stuckius, lib. 1. de Conviviis, cap. 33. ubi Valerii locum præcedentem male citat ex cap. 1. lib. 2. cum sit in eo, quem citavimus. Notandum ad extremum Decemvirorum munus fuisse, ut diximus, curare Lectisternia: non tamen fuit eorum epulas apponendas sufficere, aut de iis providere, sed munus illud fuit Triumvirum Epulonum, qui teste Livio lib. 33. anno urbis Romanæ conditæ DLIII. creati fuerunt, & postea varie aucti. Auctos usque ad quinque memorat Pomponius Lætus de Sacerdotiis cap. 14. deinde ad septem, ut sub nomine Fenestellæ refert vulgatus liber Flocci cap. 14. ex Gellio lib. 1. cap. 12. denique aucti fuerunt usque ad decem, ut auctor est Dio lib. 43. De his Epulonum Triumviris ita Sextus Pompejus. *Epulonos*, inquit, *dicebant antiqui, quos nos epulones dicimus: datum autem est his nomen, quod epulas indicendi Jovi cæterisque Diis potestatem haberent*. Cicero 3. de Oratore: *Ut Pontifices veteres propter sacrificiorum multitudinem tres viros epulones esse voluerunt, cum ipsi essent a Numa, ut illud etiam ludorum epulare sacrificium facerent, instituti*. Idem Cicero lib. de Aruspicum responsis: *Te Lentule*, inquit, *appello, tui sacerdotii sunt tensa, curricula, præcentio, ludi, epulæque ludorum publicorum: vosque, Pontifices, ad quos epulones Jovis optimi maximi, si quid est præter-*

7. Epulæ initio parabiles, postea in luxuriam abere.

8. Triumviri epulonum epulas Deorum curabant.

*missum, aut commissum adferunt, quorum de sententia illa eadem renovata, atque instaurata celebrantur*. Ex quibus patet Triumviros epulonum fuisse sacerdotes, atque collegium habuisse, atque Decemviris Pontificibus subditos fuisse. Cæterum fuisse viros honoratos inter suos, colligitur ex eo, quod narrat idem Fenestella Flocci loco citato: Plinium nempe, dum esset orationem habiturus, cum quasi propter futuros auditores timeret, dixisse: *Stabit modo Consularis, modo Septemvir epulonum*. Ex Livio constat initio in defunctorum locum alios a collegis subrogatos, usque ad legem Domitiam: postea suffragiis populi eum honorem demandari cœpisse. Ridet hos Arnobius lib. 2. *Sacras*, inquit, *facitis mensas salinorum appositu & simulacris Deorum*. Et Augustinus de Civitate Dei lib. 6. cap. 7. *Epulonos etiam Deos parasitos Jovis ad ejus mensam, qui constituerunt, quid aliud quam mimica sacra esse voluerunt? nam parasitos Jovis ad ejus convivium adhibitos si Mimus dixisset, risum utique quæsisse videretur*. Certe adeo a Lectisterniis Deorum atque epulis abhorrebant Christiani primorum seculorum, ut mori mallent, quam ea celebrare, ut planum fiet legenti vitas Sanctorum Martyrum.

## CAP. XII.

*De Matronarum Romanarum precibus ad Junonem anno ludorum secularium.*

DE Romanarum Matronarum precibus hæc in Sibyllino carmine reperiuntur præscripta:

Αἳ δὲ γάμου ζεύγλαισι δεδμημέναι, ἤματι κείνῳ
Γνὺξ Ἥρης παρὰ βωμὸν ἀοίδιμον ἑδριόωσαι,
Δαίμονα λισσέσθωσαν, ἅπασι θελήματα δοῦναι
Ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξὶ, μάλιστα δὲ θηλυτέρῃσι.
*Nuptiarum copulis vinctæ, die illo flexo genu*
1. Preces Matronarum cur Junoni fierent. *Junonis ad aram celebrem sedentes,*
*Divæ supplicent, omnibus ut vota perficiat,*
*Viris ac mulieribus, maxime vero fœminis.*

Idem fere Zosimus: *Insequenti die* (potius *ejusdem diei tempore*: nam oraculum meminit eodem die hæc a Matronis præstanda, quo viri ad Deorum Lectisternia adstabant, atque in æde Immortalium versabantur) *Matronæ nobiles ad horam ab Oraculo constitutam in Capitolium convenientes Deo supplicant* (addit in sua versione Onuphrius, Lectisternia eas celebrasse) *& hymnis eum, ceu fas est, celebrant*. Quod vero ait Zosimus supplices accidisse Deo Matronas, cum Deæ supplicare præciperet Oraculum, duplici ratione conciliari potest. Imprimis ut dicantur Matronæ, antequam a Viris in Capitolio separarentur, atque ad Junonis aram & Lectisternium accederent, Jovem fuisse precatæ; vel certe ut afferatur, in Zosimo vocem, quæ verbo Latino *Deo* respondet, esse communis generis, atque articulum fæmininum habuisse, quem in masculinum per imprudentiam aliquis verterit. Suspicor enim in Græco fuisse vocem θεὸν cum articulo fæminino, quia ea vox est etiam generis fæminini, licet rarius, apud Grecos. Exempla habes in Philostrato lib. 6. cap. 1. ἡ θεὸς Ἀφροδίτη, *Dea Venus*. In Euripide in Tauris: Τὰ τῆς θεοῦ μέμφομαι σοφίσματα. *Deæ accusabo sophismata*. Item 7. Paralip. in fine & alibi. Cæterum cur Junoni jubentur Matronæ sup-

A plicare potius, quam Deorum Dearumve ulli alteri, ratio est, quia Juno in suam fidem matronas recepisse putaretur, atque illa ab eis cultu peculiari semper coli soleret, maxime quod Juno nuptiis nuptisque præesse putaretur, ut ex Martiano Capella probat Gyraldus historiæ Deorum syntagmate 3. nam Martianus, *Junonem Interducam, Domiducam, Unctiam, Cinctiam, mortales puellas debere convocare asserit, ut earum* (in sponsorum domum) *itinera protegat, & in optatas domos* (maritorum) *ducat, & cum postes* (domus mariti)
B *ungent, faustum omen affigat, & cingulum ponentes in thalamis* (conjugalibus) *non relinquat*. Et vero nonnulli Junonem dictam volunt Ἥραν quasi ἱερὰ sacram, quod sacris nuptiis præsit. Et Juno *Juga* appellata, vel *Jugalis*, ut Servius ait in lib. 4. Æneid. ad illa verba:

——— *vellem vinclo sociare jugali.*

*Jugali*, inquit, *propter jugum, quod imponebatur matrimonio conjungendis. Unde etiam Juno Jugalis dicitur*. Junonis Jugæ ara fuit Romæ in Vico, qui ideo dictus fuit *Jugarius*, ut Festus ait. Eandem ob causam Juno a Græcis
C vocatur Ζυγία quod, ut inquit, Halicarnasseus, fæminam mari conjungeret. eam vocem Latinam facit Apulejus lib. 6. Metamorph. & *Junonis Zygiæ* meminit. item γαμηλία appellatur a Plutarcho in Præceptis connubialibus, Eusebio lib. 3. de Præparatione Evangelica, Phavorino, & aliis. Colebatur igitur Juno a Matronis Romanis, idque ordinarie in Aventino monte, ut testatur Livius lib. 21. *Signum æneum Matronæ Junoni in Aventino ædificarunt*. Et lib 27. *Tacta de cœlo æde Junonis Reginæ in Aventino: prodigium ad Matro-* 2. Quibus locis Juno colatur a Matronis Romanis.
D *nas pertinere Aruspices responderunt: illæ pelvim auream illi fieri curarunt, & pure & caste sacrificaverunt*. Ex quibus locis convincitur erroris Tiraquellus ad lib. 6. Alexandri, cap. 4. ubi asserit Livium priore loco agere de Junone Matrona: quod falsum est. Sic enim Livii verba construenda sunt: *Matronæ in Aventino signum æneum Junoni ædificarunt*. quia in eo monte non fuit signum Junonis Matronæ, sed signum Junonis Reginæ, ut ex posteriore loco a me citato liquet: tum ex Livio lib. 5. ubi a Camillo Junoni Reginæ ædes vota & dedicata in Aventino scribitur. Cæ-
E terum Tiraquellus, ut Junonem Matronam etiam dictam probaret, quod eo loco Alexander afferebat, poterat afferre, quod legitur in Servio ad hæc verba lib. Æneid.

——— *tibi, maxima Juno,*
*Mactat sacra ferens:*

*Junonem aliquando vocatam Matronam*. Colebatur etiam Juno a Matronis Romanis in vico Jugario, de quo ante. Item Juno Regina in alio suo templo ædificato in Circo Fla-
F minio: nam Livius lib. 39. sub initium refert votam ædem Junoni ab Æmilio, & lib. 40. ab eodem in Circo Flaminio Junoni Reginæ dicatam. Ex quibus Livii locis deprehendes hallucinatum Marlianum lib. 2. de antiquæ urbis Romæ topographia cap. 5. ubi asserit bello Ligurino Cnæum Flaminium templum in Capitolio vovisse, quod afferunt post eum etiam Gyraldus hist. Deorum Syntag. 3. Rosinus lib. 2. Antiq. cap. 6. & alii, sed male, quia eo loco ædificavit Junoni Reginæ tem-

plum Æmilius, quod bello Ligurino ei votum fuerat. Ædificatum autem fuit in Circo Flaminio, ut Livius expresse habet, non in Capitolio; non est tamen negandum in Capitolio Junonem etiam cultam a Matronis Romanis. Quamvis enim prædictis locis coleretur, anno tamen ludorum secularium a Zosimo culta fuisse in Capitolio scribitur. Fuit vero Junonis sedes etiam in Capitolio, ut Cicero testatur in oratione ad Equites, antequam in exilium iret; & Dionysius Halicarnasseus lib. 3. ubi ait, a Tarquinio Rege templi Jovis, Junonis, ac Minervæ jacta fundamenta, & bonam partem ejus confectam: ac sub Magistratibus, qui post Tarquinii fugam tertio anno consulatum gesserunt, absolutum fuisse.

3. Quibus corporis gestibus Matronæ Junoni supplicarent.

Observandum in Sibyllino carmine Matronis injunctum, ut flexis genibus supplicarent Junoni. Sic quidem fuit mos apud veteres receptissimus, ut flexis genibus, fæminæ præsertim, Deos orarent, Hoc ex Ovidio 4. Fast. apparet, ubi de Claudia agens sic canit:

*Ter caput irrorat, ter tollit ad æthera palmas;*
*Quicumque aspiciunt, mente carere putant.*
*Submissoque genu vultus in imagine Divæ*
*Figit, & hos edit crine jacente sonos:*
*Supplicis alma tuę genitrix fœcunda Deorum,*
*Accipe sub certa conditione preces.*

Quo loco præter genuum flexionem, de qua etiam meminit Apulejus lib. 6. de Asino aureo, ubi Psychen flexis genibus orantem facit, tangit Ovidius alios tres ritus, quos orantes fæminæ observare consueverant; quos etiam servasse Matronas in Capitolio Junoni supplicando, non dubito. Primus, quod fæminæ manibus in cœlum extensis precarentur, quod etiam viri observabant: nam, ut inquit Apulejus lib. de Mundo, *habitus orantium hic est, ut manibus ad cœlum extensis precemur*. Livius lib. 5. agens de Camillo: *Dicitur manus ad cœlum tollens ita precatus esse.* Virgilius lib. 1. Æneid.

*—— duplices tendens ad sidera palmas*
*Talia voce refert.*

& lib. 2. Anchises orans,

*—— cœlo palmas cum voce tetendit.*

& lib. 4. dicitur,

*Multa Jovem manibus supplex orasse supinis.*

Eadem habet Horatius lib. 3. ode 23.

*Cœlo supinas si tuleris manus, &c.*

Alter ritus erat, ut oculos defigerent in simulacrum Deæ, quam orabant, aut, si deesset signum, oculos in cœlum levarent. Virgilius 10. Æneidos, ut loca magis obvia omittam, & lib. 2. Sil. Ital. lib. 1. sic habet:

*Tum breviter supera aspectans convexa precatur.*

Ovid. de Io. lib. 1. Metam.

*Procubuit genibus resupinoque ardua collo,*
*Quod potuit solos tendens ad sidera vultus,*
*Et gemitu, & lacrimis, & luctisono mugitu*
*Cum Jove visa queri, finemque orare malorum.*

Tertius ritus, quod fæminæ passis crinibus, terramque verrentibus, orabant. Livius lib. 3. *Stratæ passim matres crinibus templa verrentes, veniam irarum cœlestium, finemque pesti exposcunt.* lib. 26. *Matronæ in publicum effusæ circa Deum delubra discurrunt, crinibus passis aras verrentes.* Similia leges passim apud Poetas. Pulcher est locus apud Luc. lib. 2.

*Hæ lacrimis sparsere Deos, hæ pectora duro*
*Afflixere solo, lacerasque in limine sacro*
*Attonitæ fudere comas.*

Claud. in Encomio Serenæ:

*Numinibus votisque vacas, & supplice crine*
*Verris humum.*

Superesset, ut hoc capite de votis fæminarum supplicantium aliquid dicerem; sed cum putem non fuisse alia quam ea, quæ in carmine seculari continebantur, ad caput, in quo de eo agam, lectorem meum remitto.

## CAP. XIII.

*De Geniorum cultu anno seculari, ex Sibyllæ jussu.*

ETsi inter Deos, quibus sacra fieri solebant anno ludorum secularium, Zosimus non enumeret Genios, mihi tamen certum est ex Sibylliao carmine, iis eo anno sacra facta fuisse. sic enim in eo habetur:

Πάντες δ' ἐξ οἴκοιο φερέσθων, ὅσσα κομίζειν
Ἐστὶ θέμις θνητοῖσιν ἀπαρχομένοις βιότοιο,
Δαίμοσι μειλιχίοισιν ἱλάσματα, καὶ μακάρεσσι
Οὐρανίδαις.

Quem locum superius, nonnihil recedens a versione Opsopæi, quam sequebar, ita reddidi:

*Omnes autem e domo ferant, quæcumque ferre*
*Decet mortales solventes vitæ primitias,*
*Geniis benignis placamina & beatis*
*Cœlestibus.*

1. Genius voce Δαίμων significatur.

Eo enim loco vocem Δαίμοσι reddo *Geniis*, cum vertat *Diis*: quoniam, etsi non negem eam vocem significare *Deum*, quod ex Homero ostendit Vives ad libri 9. Augustini de Civitate Dei caput 7. Stephanus in Thesauro linguæ Græcæ: puto tamen in versu Sibyllæ sic non posse exponi, eo quod non præcipiat Sibylla de sacris faciendis Diis omnibus, sed explicet, quibusnam sint ea facienda. Nominatim eam vocem Δαίμων pro Genio usurpari asserit Henricus Stephanus loco citato, atque exemplis ab auctoribus Græcis desumptis id probat; quibus adjungo plures auctores Latinos, qui eam vocem ita verti posse confirmant. ut Ammianum Marcellinum lib. 21. sub finem: *Putabatur*, inquit, *Genius quidam, tutelæ salutis appositus, eum reliquisse, mundo citius digressurum. Ferunt enim Theologi, in lucem editis hominibus cunctis, salva firmitate fatali, hujusmodi quædam velut actus rectura numina sociari, admodum tantum paucissimis visa, quæ multiplices auxere virtutes, idque & oracula & auctores docuerunt præclari. Inter quos etiam est Menander Comicus, apud quem hi senarii duo leguntur:*

Ἅπαντι Δαίμων ἀνδρὶ τῷ γενομένῳ
Ἅπαντός ἐστι μυσταγωγὸς τοῦ βίου.
*Genius cuicumque viro nato*
*Totius est administrator vitæ.*

Hæc

Hæc Marcellinus, qui indubie ea carmina in Menandro ita reperit. Citant ex Menandro aliter locum istum Bernartius in Statii lib. 1. Sylvarum de Equo Maximi, Parrhasius Tom. 1. Thesauri critici sylloge 4. annotationum in orationem Ciceronis pro Milone: *δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσαται εὐθὺς γενομένῳ*. sed non plene, ex scholiaste Theocriti Idyllio 2. Fateor hos versus aliter referri ab Eusebio de Præparatione Evangelica lib. 13. cap. 13. sub finem:

*Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσαται*
*Εὐθὺς γενομένῳ μυσταγωγὸς τοῦ βίου.*

Sed sequor optimam Marcellini editionem, quæ habetur Tom. 2. inter Romanæ historiæ Scriptores editos Aureliæ Allobrogum anno M. DC. IX. Idem tradit Lactantius lib. 2. Divinarum institutionum cap. 15. *Adhærent* inquit, *singulis hominibus, & omnes ostiatim domos occupant; ac sibi Geniorum nomen assumunt: sic enim Latino sermone Dæmonas interpretatur*. Martianus Capella lib. 2. de nuptiis Mercurii & Philologiæ: *Genius dicitur*, inquit, *quoniam cum quis hominum genitus fuerit, eidem copulatur. hic tutelator, fidissimusque germanus animos omnium mentesque custodit & quoniam cogitationum arcana sapere annuntiat potestati, etiam Angelus poterit nuncupari Hos omnes Græci* Dæmones *dicunt ἀπὸ τοῦ δαήμονας εἶναι, Latini* Medioximos *vocitabant*. Minutius Felix in Octavio: *Genium, hoc est dæmonem implorant*. Apulejus libro de dogmate Platonis: *Dæmones*, inquit, *quos & Genios & Lares possumus nuncupare*. Denique Tertullianus in Apolog. c. 32. *Nescitis*, inquit, *Genios* Dæmones *dici, & inde diminutiva voce* Dæmonia? Ad quem locum P. Joannes Ludovicus de la Cerda notat bonos interpretes, quoties est in Græco illa vox *δαίμονες* Latina vertere Genios; atque exempla ex recentioribus interpretibus profert, quæ apud eum lege. Item Stuckium libro de Sacrificiis pag. mihi 21. Ex his patet, quanto jure asseram Genios cultos ex Sibyllæ monitu, atque quam justa de causa a versione Opsopæi recedam. Libet tamen hæc confirmare ex ipso carmine Sibyllino. Etenim in eo non propter aliam rationem addi mihi videtur ad vocem *Δαίμοσι* epitheton hoc *μειλιχίοισι*, hoc est, *benignis Geniis*; nisi ut ostendatur non agi de Diis (quoniam opus non fuisset illo epitheto, cum constet eos esse benignos, nisi cum irati sunt, & utroque tempore placari debent). sed de Geniis, quoniam aliqui Genii ex antiquorum opinione erant mali, alii boni. mali autem nullis sacris erant honorandi, aut placandi, sed Genii boni tantum, ut favorem suum impertirentur, & malorum impetus in homines retunderent. Imo apud Græcos cum nomen *Δαίμων* reperitur in bonam partem sumitur; cujus contrarium accidit in scriptura sacra, in qua Dæmonis nomen in malam partem accipi solet, ut testatur Eusebius de Præparatione Evangelica. lib. 4. cap. 3. *Τὰ μὲν γὰρ παρ' ἡμῖν θεῖα λόγια, οὐδ' ὅλως ἀγαθὸν οἶδεν ὀνομάζειν δαίμονα πάντας δὲ πονηροὺς εἶναι, τῆς λέξεως ταύτης, καὶ δὴ καὶ τῆς προσηγορίας μετειληχότας.* Quæ ita vertit Trapezuntius parum fideliter: *Ignorare autem non oportet, nullum Dæmonem a divina scriptura bonum appellari*. & aliqua omittit. sic melius verti possunt: *Juxta nos vero divina eloquia non omnino bonum sciunt ap-*

A *pellare Dæmonem: omnes autem malos esse illos, quibus id vocabuli, atque etiam appellationis, commune sit*: Lege emendatam versionem Francisci Vigeri eodem libro, sed cap. 5. quia Trapezuntii sectiones per capita non observat, sed ea margini adscribit. Agnovisse tamen Græcos Gentiles etiam malos Genios ex eo probari potest, quod illi adjunctis quibusdam epithetis eos distinguerent, vocantes bonos *καλοδαίμονας, ἀγαθοδαίμονας, εὐδαίμονας*, malos autem *κακοδαίμονας*. Hinc etiam de Dæmone Socratis controversia est, quoniam sine ullo ex ejusmodi epithetis Dæ-
B mon appellari solet, an fuerit Genius bonus, an vero malus: nam Tertullianus, & alii malum fuisse pronuntiant, S. Augustinus & alii bonum, qualem revera fuisse relatis sententiis non improbabile esse ostendit R. P. Halloix, vir in Græcis atque Latinis doctissimus, in vita S. Justini tomo 2. Illustrium Græciæ scriptorum, cap. ultimo. Apud Plutarchum mali Genii mentio est, in Bruto. nam Genius ab eo visus & interrogatus quis esset, respondit: *Ο σὸς, ὦ Βροῦτε, δαίμων κακός*. Et alterius apud Valerium Maximum l. 1. c. 7. *Nam Genius*
C *a Cassio visus, & pariter interrogatus quisnam esset, respondit, κακοδαίμονα se esse*. Huc pertinet illud Servii ad illud Virgilii,

*Quisque suos patimur manes.*

*Cum nascimur*, inquit, *duos Genios sortimur, unus est, qui hortatur ad bona; alter, qui depravat ad mala*. Ex his cum, ut puto, evincatur, quod dixi, cultum tutelarium Geniorum a Sibylla præcipi: idque tum viris, tum fæminis, ut ex verbis liquet, vox illa *δαίμοσι* accipienda est ita, ut Deos tutelares fæmi-
D narum significet: nam apud Romanos *Genius* erat deus tutelaris virorum, dea vero tutelaris mulierum *Juno natalis* vocabatur. Quod observatum primum ab Angelo Politiano c. 89. Miscellaneorum ægre persuadet Dempsterus in Paralip. ad caput 6. libri 2. Antiquitatum Rosini. Cæterum de re constat ex Plin. lib. 2. nat. hist. cap. 7. *Major cælitum populus, etiam quam hominum, intelligi potest, cum singuli quoque ex semetipsis totidem Deos faciant, Junones Geniosque adoptando sibi*. Et Seneca epist. 110. *Memineris majores nostros qui crediderunt hoc, Stoicos fuisse: singulis enim vel Genium vel Ju-*
E *nonem dederunt*. Sic legendum est potius, quam ut vult Dempsterus loco citato. De Junone dea tutelari fæminarum extant varia auctorum loca. Tibullus l. 3. eleg. ultima:

2 Genius deus tutelaris virorum. Juno natalis mulierum.

——— *perque suos fallax juravit ocellos,*
*Junonemque suam.*

Idem lib. 4. eleg. 14.

*Hæc tibi sancta tuæ Junonis numina juro.*

Petronius Arbiter in Satyrico:

*Junonem meam iratam habeam, si meminerim*, &c.

F Juvenalis Satyra 2. ridet servos, qui per Junonem Domini jurabant, cum per Genium jurare debuissent:

*Et per Junonem Domini jurante ministro.*

Cultum vero, quem Sibylla præcipit, est, ut omnes e suis domibus afferant ea, quæ decet mortales ferre, dum solvunt vitæ primitias: hoc est, dum diem natalem suum celebrantes,

Diis suis Tutelaribus sacra peragunt, ut gratos se ostendant pro usura vitæ, ab iis conservata. Quod præterea jubet ea, quæ ad sacra illa usui futura, allata fuerant, in unum locum deponi, causa est, ut arbitror, ne illa singulorum manibus retenta, singulis essent impedimento tempore sacri, quoniam varia necessaria erant, & facilius erat, cum opus foret, ad sacrum Genii faciendum, ea ab iis qui curam gererent eorum, unicuique reddi per partes, & Genio Junonive offerri. Sacrum Genio, quonam in loco fuerit factum anno ludorum secularium, nullibi expressum lego. Poterant sacrificare in loco aliquo publico, cum Genios ubique constituerent: erant enim Genii non solum regnorum, ut meminit Genii Regni Claudianus, epist. ad Serenam:

*Vel Genius Regni, vel pietatis amor.*

Prudentius lib. 2. in Symmachum:

—— *Genium cujus moderamine regnet.*

Sed etiam civitatum & locorum Genii: De Geniis civitatum mentio apud Arnobium l. 1 contra Gentes: *Et illi cati, sapientes, prudentissimi videntur, nec reprehensionis ullius, qui Faunos, qui Fatuas, civitatumque Genios, qui Pausos reverentur, atque Bellonas.* Idem habet Symmachus in relatione sua pro restaurando Deorum cultu: *Varios custodes urbibus cunctis divina Mens distribuit.* De Genio loci Virg. 7. Æneid:

—— *Geniumque loci, primamque parentem*
*Tellurem, Nymphasque, & adhuc ignota precatur*
*Flumina.*

Sed Prudentius l. 2. contra Symmachum plures Romæ Genios docet his versibus:

*Quamquam cur Genium Romæ mihi fingitis unum?*
*Cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis.*
*Assignare suos Genios, perque omnia membra*
*Urbis, atque locos Geniorum millia multa.*

Hinc cum veteres primum aliquem locum ingrederentur, aut in illum redirent, solebant Genium religiose salutare, & cum abirent, valedicere; quod probat variis Græcorum ac Latinorum exemplis Joannes Meursius in Commentario Lycophronis, in Alexandræ fine, quem lege. Probabilius tamen judico Romanos eo tempore sacrificasse Geniis in aliquo templo eis dedicato: nam templa dedicata eis fuisse, varii auctores produnt. De templo Alexandriæ Genio sacro narrat Ammianus Marcellinus lib. 22. Item in Dionis Coccejani narratione mentio est templi ei consecrati, his verbis lib. 50. Ἐπὶ τοῦ ναοῦ γενίου τοῦ δήμου ἱδρυθῃ, *in templo Genii populi consedit.* De templis vero in urbe Romana in descriptione regionum Urbis mentio est, ac quidem in regione Urbis sexta *ædiculæ Genii liberorum*, & *ædiculæ Genii larium*. In regione septima *Genii Sangi*.

5. Quomodo Genii exprimerentur. Genii in forma anguis subinde repræsentabantur; unde Virg. lib. 5. post descriptionem elegantem atque accuratam serpentis subjungit:

*Hoc magis inceptos genitori instaurat honores,*
*Incertus Geniumne loci, famulumne parentis*
*Esse putet.*

Neque id sine causa ambigebat Æneas: nam ut ad eum locum notat Servius, nullus locus caret Genio, qui per anguem plerumque ostenditur. Persius Sat. 1.

*Pinge duos angues, sacer est pueri locus; extra Mejete.*

Ad quem locum Persii Casaubonus ex Aristophane in Pluto notat, duos angues pingi solitos ad denotandum locum sacrum Diis. Quod tradit Isidorus lib. 12. Orig. cap. 4. *Angues*, inquit, *apud Gentiles pro Geniis locorum erant habiti semper. Unde & Persius: Pinge duos angues*, &c. Hæc ille. Non est tamen existimandum angues fuisse imagines Geniorum, quo fallitur Rosinus l 2. Antiquit. c. 14. Gyraldus syntagmate historiæ Deorum 15. sed tantum eos significasse. Sicut columba non est imago Spiritus Sancti, sed eum significat tanquam ejus symbolum ac signum. Imago Genii erat juvenis unguentis delibutus, floribusque contextam coronam capite gestans, teste Tibullo lib. 2. eleg. 2.

*Ipse suos adsit Genius visurus honores,*
*Cui decorent sanctas florea serta comas.*
*Illius & puro destillent tempora nardo,*
*Atque satur libo sit, madeatque mero.*

Depingi tamen Genium etiam forma senis, ex Cebete refert Gyraldus loco citato, ubi addit in nonnullis monetis Trajani & Adriani, Genium pateram dextra super aram porricere, læva vero propendulum flagellum tenere, suspicor ad malum Genium abigendum: in aliis Adriani inscriptionibus reperiri talem Numismatis epigraphen, GEN. P. R. hoc est, *Genio populi Romani*. in numismate vero cernitur imago hominis militaris cum veste ad cruris medium circumvoluta: dextera pateram in morem sacrificantis habens, læva cornucopiæ. Ex quibus confici potest, non una forma Genium fuisse depictum, sed diversimode, pro arbitrio eorum, præcipue Imperatorum, qui numismata cudi jubebant. Addit d'Orleans in l. 2. annalium Taciti, Genios in Paganorum mensis fuisse conspicuos, effictos ex cera, ære, auro, & argento. Et l. 6. dicit Geniorum statuas fuisse in editiore loco mensarum. de Deorum statuis id indicat Arnobius l. 2. *Sacras*, inquit, *facitis mensas, salinorum apposita, & simulacris Deorum.* Juno mulierum Dea natalis repræsentabatur specie Virginis cum palla purpurea. Ut Tibullus l. 4. eleg. ad Junonem:

*Annue, purpureaque veni pellucida palla:*
*Ter tibi sit libo, ter dea casta mero.*

8. In qua veste viri, & fœminæ suis tutelaribus Diis sacrificarent. Hinc viri suis Geniis sacrificantes albam vestem assumebant, fœminæ Junoni suæ Deæ sacrificantes togam purpuream, ut in vestium colore sese ipsis numininus, quæ colebant, similes exhiberent. De veste alba virorum colligitur ex Ovidio l. 2. Trist. Eleg. 13. ubi alloquens diem natalem, quo Genio sacrificabant, sic canit:

*Scilicet exspectas solitum tibi moris honorem,*
*Pendeat ex humeris vestis ut alba meis.*

Item ex lib. 5. eleg. 6.

*Quæque semel toto vestis mihi sumitur anno,*
*Sumatur fatis discolor alba meis.*

Horatius Sat. 2. lib. 2.

—— *Natales, aliosve dierum*
*Albatus celebret.*

Persius Sat.1. insinuat:

—— *pexusque togaque recenti,*
*Et natalitia tandem cum sardonyche albus.*

Denique Ælius Lampridius in Severo: *Cum natalem diem commendaret*, (hoc est, natali die Genio sacra faciens vota nuncuparet, ut explicat similem locutionem in Spartiano in notis ad Hadrianum Casaubonus) *hostia cruenta effugit, & ut se civiliter gerebat, ac permixtus populo erat, albam ejus vestem, cum qua constiterat, cruentavit.* De veste mulierum, Junoni natali sacra facientium colligitur ex Propertio lib.3.eleg.9 in qua hortatur Cynthiam ut die suo natali ad sacra Junonis Natalis se comparet, ac vestem sumat, qua sese in amorem sum, pellexit: constat enim eam vestem ostrinam fuisse ex lib. 2. eleg. 29. Ostrina autem vestis est purpurea, de qua clare Tibullus supra citatus; Propertius autem sic habet:

*Tuque o chara mihi felicibus edita pennis*
*Surge, & poscentes justa precare Deos.*
*Ac primum pura somnum tibi discute lympha,*
*Et nitidas presso pollice finge comas.*
*Dein qua primum oculos cepisti veste Properti,*
*Indue, nec vacuum flore relinque caput.*

Certe fæminas die Junonis Natalis sacra facturas solito majorem corporis ac capitis cultum adhibuisse, etiam indicat Tibullus lib. 4. Eleg. ad Junonem:

*Natalis Juno, sanctos cape thuris honores,*
*Quos tibi dat tenera docta puella manu.*
*Lota tibi est hodie, tibi se lætissima compsit,*
*Staret ut ante tuos conspicienda focos.*
*Illa quidem ornandi caussas tibi, Diva, relegat.*

7. Qualis ara Genio die natali extrueretur.

Ara Genio extruebatur ex cespitibus virentibus, ut discimus ex Calpurnii Ecloga 5.cujus carmina infra citabuntur. Ovid. lib.5. Trist. eleg.6.

*Araque gramineo viridis de cespite fiat,*
*Et velet tepidos nexa corona focos.*

De corona aræ meminit Propertius lib.3 Ecl.9.
*Inde coronatas ubi thure piaveris aras.*
Et Ovidius lib.2. Trist. eleg.13. exprimit coronas fuisse ex floribus:
*Fumida cingatur florentibus ara coronis.*
His non obest, quod dicit Martialis lib. 12. epig.40. ubi sic natalem diem, qua Genio sacrificabat, alloquitur:
*Si te rure coli, viridesque pigebit ad aras.*
Nam solum insinuat ex eo, quod rure coleretur, posse pudore affici; non vero, quod aræ virides e cespitibus (quod erat usitatum) ei exstruerentur.

8. Varia ad Genii cultum die natali fieri solita.

Ignis, qui in ipsa ara Genii accendebatur, fuit, ut arbitror, ex platani ramis, quoniam ut Stuckius asserit lib.2. de Sacrificiis, veteres ad ignem sacrificiorum adhibebant ex iis potissimum arboribus, quæ Diis, quibus rem divinam faciebant, erant dicatæ; jam vero platanum dicatam Genio innuit Ovidius l.10. Metam. sub initium, dum platanum *genialem* vocat, ad quem locum Petrus Lanuvius in Commentariis ad Metamorphosin asserit platanum Genio & Voluptati dicatam. Ex quo lux afferri potest obscuro Plinii loco l. 12. cap.1. *Spado Thessalicus prædives, & merito is dici posset Dionysius, transtulit id genus.* Nam cum manuscripti codices haberent vitiose *transtulit ingeniis*, Dalecampius substituit *id genus.* puto tamen melius substitui posse *in Genios*: nam inde ratio peti potest, cur *Dionysius* ille merito vocari possit, quoniam transferendo illas arbores in cultum Geniorum effecit, ut sub illis vino ac voluptati cujus Deus est Bacchus, qui *Dionysus* etiam dicitur, indulgeretur in Genii cultum. De compotationibus sub platano Hor. lib.2. ode XI.

*Cur non sub alta vel platano vel hac*
*Pinu jacentes, &c.*
*Potamus uncti?*

Et Virgilius lib.4. Georg.
*Jamque ministrantem platanum potantibus umbram.*

Et Cicero lib. 1. de Oratore testatur Socratem ea arbore delectatum, non aliam, ut puto, ob caussam, quam quia Geniis ea arbor esset consecrata. Ille autem Dæmonem suum, ut notum est omnibus, maxime amabat & colebat. Sic igitur ille habet: *Me tua platanus admonuit, quæ non minus ad opacandum hunc locum patulis est diffusa ramis, quam illa, cujus umbram secutus est Socrates.* Sed res me monet, ut explicem, quibus rebus Genii placarentur. Imprimis Genii placabantur mola salsa, sive farre salso: quod idem esse, patet ex Plinio lib. 18. cap.11. *Numa instituit Deos fruge colere, & mola salsa supplicare.* Testatur Calpurnius Eclog.5.

—— *Tu cespite vivo*
*Pone focum, Geniumque loci, Faunumque, Laremque,*
*Salso farre voca.*

Mecænas apud Senecam epist. 114. id significat. sic enim lego: *Genium festo vix suo testem, pertenuis cerei fila & crepacem mola focum, mater aut uxor investiunt.* Vocat enim *focum crepacem*, eo quod mola salsa in foco crepitum ob salem edere soleat. Sic etiam accipio, quod habet Plin. lib.18. cap.18. *Prisca sacra, atque natalium pulte fritilla conficiuntur.* Nam puls ex farre fiebat; quod quandoque tostum quandoque frixum erat pro cibo; ut hic est *puls fritilla.*

Offerebantur etiam Genio liba, teste Ovid. lib.3. Trist. Eleg. 13.

*Libaque dem pro te genitale notantia tempus.*

Martiali lib. 10. epig.24.

*Quinquagesima liba, septimamque*
*Vestris addimus hanc focis acerram.*

Tibullus lib.1. Eleg.7.
*Liba & Mopsopiæ dulcia mella feram.*
sic enim legendum. Libabatur præterea Genio vinum, ut habetur ex Persii Sat.2.
*Funde merum Genio.*
Item adolebatur thus, unde Genius in Plauti Aulularia: *Huic filia una est: ea mihi quotidie thure, aut vino, aut aliquo supplicat.* De thure etiam meminit Tibullus lib.4. Eleg. ad Cherintum:

*Magne Geni, cape thura libens, votisque faveto.*

Ovid. lib.5. Trist. Eleg.2. die natali, ut Genio faciat, thus petit:

*Da mihi thura, puer, pingues facientia flammas,*
*Quodque pio fusum stridat in igne merum.*

Afferebantur flores & coronæ, quibus Genius ornaretur. Hor. lib.2. epist. 1.

*Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant,*
*Floribus & vino Genium.*

De coronis, & unguentis, quibus Genius perfundebatur, Tibullus lib.1. Eleg.7. meminit:

*Illius & nitido stillent unguenta capillo,*
*Et capite & collo mollia serta gerat.*

Idem lib.2. Eleg.2.

*Ipse suos adsit Genius visurus honores,*
*Cui decorent sanctas mollia serta comas.*
*Illius puro destillent tempora nardo,*
*Atque satur libo sit, madeatque mero.*

Adhibebantur etiam varii ludi & tripudia tempore, quo Genio sacra fiebant: unde Propertius lib.3. Eleg.9. die natali Amicæ, licet ficto, choreas suadet ad tibiam:

*Tibia nocturnis succumbat victa choreis.*

Et Tibullus eas usurpatas clare docet lib. 1. Eleg.7.

*Huc ades, & centum ludos, Geniumque choreis*
*Concelebra, & multo tempora funde mero.*

Denique etiam in Geniorum honorem accendi solita lumina habetur ex lege *Nullus* 12. Cod. Theod. de pag. sacrif. quam sic lego: *Nullus omnino, ex quolibet genere, ordine, & cœtu secretiore piaculo, Larem igne, mero Genium, Penates odore veneratus, accendat lumina, imponat thura, serta suspendat*. Seneca Epist. 114. etiam *cerei* meminit. verba supra recitavi.

Ambigitur, an Genio ullum animal mactaretur, quoniam ex Varrone Censorinus scribit, *Id moris institutique majores tenuisse, ut cum natali munus annale Genio solverent, manum cæde ac sanguine temperarent, ne die, quo ipsi lucem accepissent, aliis adimerent*. Sed certe mos ille Horatii tempore jam desiisse dicendus est, cum diserte scribat lib.3. ode 17.

*—— cras Genium mero*
*Curabis & porco bimestri.*

Qui explicari non debet, loqui de Genio per metaphoram, quo modo laute epulantes *Genium curare* dicuntur, sed de porco in honorem Genii tutelaris dei, die natali immolato: nam ideo Juven. Sat. XI. *natalitii lardi* meminit, quod ex porco Genio immolato convivis apponebatur:

*Et natalitium convivis ponere lardum.*

Etiam agni mactati meminit Hor. lib.4. od.XI. Phyllidem ad natalem Mecænatis invitans, ubi ita canit:

*—— ara castis,*
*Vincta verbenis, avet immolato*
*Spargier agno.*

Tum quia constat die natali in Genii honorem victimas mactatas, atque falso a Casaubono in Sat. 2. Persii asseri nusquam legi die natali mactatam ullam victimam in honorem Genii, siquidem id legitur in Mart. lib.9. ep.92.

*Si Martis tibi serviant Calendæ,*
*Et cum thure, meroque, victimaque*
*Libetur tibi candidas ad aras,*
*Secta plurima quadra de placenta.*

Et Statius 2. Sylvarum in Genethliaco Lucani insinuat jubens, ut die ejus natali

*Stent altaria, victimæque centum.*

Expresse vero id affirmat Ælius Lampridius in Alexandro Severo duobus locis sub initium, his verbis: *Cum ejus natalem Aruspices commendarent, dixerunt eum summam rerum tenturum, idcirco quod hostiæ de villa, quæ esset Severi Imperatoris, adductæ essent*, & *quas in illius honorem coloni parassent*. Et sub finem his verbis: *Cum natalem diem commendaret, hostia cruenta effugit*, &c. quæ supra citavi. Spartianus in Ant. Geta: *Cum*, inquit, *infantis Getæ natalem Severus commendare vellet, hostiam popa nomine Antoninus percussit*. Postquam veteres sacra Genio fecerant, celebrabant convivia inter sese. Unde Censorinus libro de Die natali notat, quod sacro Genio facto neminem oportebat ante gustare, quam eum, qui fecisset. Plautus in Captivis & Persa, natalitiæ cœnæ mentionem facit. Et Cicero Philippica 2. ridet Antonium his verbis: *Hodie non descendit Antonius. cur? dat natalitia in hortis*. Martialis lib.10. epig. 27. 9 Convivia die natali in honorem Genii.

*Natali, Diodore, tuo conviva senatus*
*Accubat, & rarus non adhibetur eques.*

Et lib. 2. epig.66.

*Sexcenti cœnant a te, Justine, vocati,*
*Lucis ad officium, quæ tibi prima fuit.*

Propertius lib.3. Eleg.9. die natali, ficto licet suadet Amicæ potationes & epulas:

*Sit mensæ ratio, noxque inter pocula currat.*

& paulo post:

*Dulciaque ingratos adimant convivia somnos.*

Huc pertinet vetus inscriptio Reatina, quam refert Ludovicus d'Orleans lib. 6. novarum cogitationum in Tacitum: ubi ob dedicationem statuæ die suo natali quibusdam sportulas, & populo epulum ac oleum datum scribitur. Apud eundem lege varia auctorum loca de natalitiis conviviis Romanorum, & apud Stuckium lib. 7. cap. 26. de conviviis natalitiis apud omnes fere nationes. Apud Romanos autem fiebant illa convivia natalitia in honorem Genii. Unde illa proverbia & locutiones, *Genio vacare, indulgere*, pro epulari; & e contra *Genium defraudare*, pro victu parco.

Veteres Genium colentes prosternebant se, ut colligitur ex Propertio lib.4. Eleg. 9.

*—— Geniumque meum prostratus adorat.*

Facile autem adducor, ut credam, sese ita prostrasse, ut fronte terram tangerent, ex eo quod Servius ad lib. 3. Æneidos asserit ad illa verba, *Dixerat, & genua amplexus*, frontem

Genio sacram fuisse. Rogabant autem Romani per Genium eorum, a quibus volebant aliquid impetrare. Horatius lib. 1. epist. 7.

10. Rogabant Veteres & Jurabant per Genios Imperatorum, & aliorum

*Quod te per Genium, dextramque, Deosque penates*
*Obsecro.*

Imo adjurabant alios, & jurabant ipsi per Genium eorum. Apulejus lib. 9. Milesiarum: *Adjurantes*, inquit, *Genium Principis contendebant*. Minutius Felix in Octavio: *Est eis vilius, per Jovis Genium pejerare, quam regis*. Suetonius in Caligula cap. 27. refert eum quosdam occidi jussisse, *quod per Genium suum nunquam dejerassent*. Tertullianus in Apologetico cap. 28. *Citius*, inquit, *apud vos per omnes Deos, quam per unum genium Cæsaris pejeratur*. & capite 32. *Juramus sicut non per Genios Cesarum, ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus Geniis*. Addo ad eandem rem confirmandam Jurisconsultos: Ulpianus enim lege 12. ff. de Jure jurando: *Si quis*, inquit, *juraverit in re pecuniaria per Genium Principis, dare se non oportere, & pejeraverit, fustibus eum esse castigandum*. Lege etiam legem 40. ff. de Transactionibus lib. 2. Cod. de Rebus creditis, & Glossas, atque ex his disces per Genium & venerationem Principis testes jurare solitos. Ad extremum, ut hoc caput concludam, noto cultum Geniis die natali a veteribus impendi solitum, eo quod crederent Romani die illo Genios, omnia, quæ peterentur, concedere. testis Tibullus lib. 2. Eleg. 2.

11. Cur die natali Genios Romani colerent.

*Annuat &, Cherinte, tibi quæcumque rogabis:*
*Eja age, quid cessas? annuit ille: roga.*

Insinuat Ovid. lib. 3. Trist. Eleg. 13.

*Si tamen est aliquid nobis hac luce petendum.*

Hæc tamen, quæ petebantur, justa esse debuisse innuit Propertius lib. 3. Eleg. 9. dum hortatur Cynthiam die ejus natali ficto:

*Surge & poscentes justa precare Deos.*

Nam ut Plautus in Amphitryone, *Injusta a justis petere insipientia est*. lege Scaligerum in eum locum, & Passeratium, qui inter se de lectione istius versus digladiantur. Probo præ Passeratii contorta explicatione hanc, quam proposui, quæ est Scaligeri. Atque hæc de Genio, quæ ad institutum nostrum facere videbantur, ut agnosci possit, quis cultus anno ludorum secularium Genio a Romanis impenderetur, cum in Sibyllino carmine is non exprimatur. Qui plura desiderat, adeat auctores, quos citavi, eorumque commentarios. Nam ex Apulejo cum Lipsio hic dici potest, hæc de Geniis adeo Græcis Latinisque *frequentata, ut nemo ea commemorare adortus sit, quin multo plura omiserit, quam recensuerit*. lege illum lib. 1. Physiol. Stoicæ diss. 19. Certe Censorinus lib. de Die natali cap. 3. de Genio eadem fere dicit, quæ nos de Angelo custode. v. g. hæc: *Genius est deus, cujus in tutela, ut quisque natus est, vivit. Hic sive quod, ut genamur, curat, sive quod una genitur nobiscum, sive etiam quod nos genitos suscipit ac tuetur, certe a genendo Genius appellatur*. Item illud infra: *Genius autem ita nobis assiduus observator appositus est, ut ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab utero matris exceptos ad extremum vitæ idem comitetur*. His affinia magis Catholicis dogmatibus habent Apulejus & Epictetus, quos lege, vel Andream Victorellum lib. 2. de Angelorum custodia.

## CAP. XIV.

*De pervigilationibus eodem tempore factis.*

De nocturnis pervigilationibus accipio hæc Sibyllæ carmina:

1. Pervigilationes honestæ ad Deorum honorem.

—— ἤμασι δ' ἔςω.
Νυξί τ' ἐπασσυτέρησι θεοσέπτους καὶ θώκους
Παμπληθὺς ἄγυρις. σπυδὴ δὲ γέλωτι μεμίχθω.

*Diebus vero esto, noctibusque crebris, venerandis in pulvinaribus, frequens cœtus; res autem seriæ risui misceantur*. *Serias res* interpretor laudes Deorum, & hymnos, atque alia, quæ ad cultum Deorum, quorum gratia erat pervigilatio pertinebant. Per *risus* vero saltus & tripudia, aliaque ad noctis tædia fallenda. Testatur Herodianus lib. 3. anno ludorum secularium, quos edidit Severus Imperator, celebrata fuisse pervigilia ad instar Initiorum Cereris, sive sacrorum Eleusiniorum, quæ tantæ erant apud Græcos dignitatis, ut præ cæteris aliorum Deorum sacris κατ' ἐξοχὴν *mysteria* appellarentur. Unde Aristoteles l. 2. Rhet. c. 24. de iis ita pronuntiat: Τὰ μυςήρια πασῶν τιμιωτάτη τελετὴ, *Mysteria, omnium honoratissima initiatio*. De his lege Joannem Meursium in libro singulari, cui nomen fecit *Eleusinia*; atque ex Eleusiniorum dignitate præ aliis sacris, secularium ludorum præ ludis aliis celebritatem agnosce In Eleusiniis, non secus atque in secularibus sacris, pervigilia celebrata, habemus ex Aristophanis Scholiaste in Ranis: Νύκτωρ ἐτελεῖτο τὰ μυςήρια. *Noctu perficiebantur mysteria*. Item ex Evagrio lib. 1. hist. Ecclesiasticæ cap. XI. Καὶ τὰ ἐν Ἐλευσῖνι μυςήρια καθ' ἓν μόνον ἐπαινετὰ, ὅτι γε ἥλιος ἐκ ὁρᾶ, ἀλλὰ τῷ σκότῳ συνοικεῖν κατεκρίθησαν. hoc est: *& mysteria in Eleusine celebrata, ob unam rem solum laudanda, quod ea sol non videt, sed in tenebris peragenda decernuntur*. Denique Cicero 2. de Legibus: *Quid ergo aget Iacchus, Eumolpidæque nostri*, (sunt illi Cereris sacerdotes) *si quidem sacra nocturna tollimus*? Hæc illi. Zosimus lib 2. pervigilationes illas factas intra limites honestatis & sanctitatis auctor est, quamvis risus honesti miscerentur, ex Sibyllæ carmine citato. Erant autem pervigilationes sacræ, dum noctes ducebantur insomnes ad colendum quempiam Deorum. Ita Cicero lib. 3. de Legibus: *Novos vero Deos*, inquit, *& in his colendis nocturnæ pervigilationes*. Veneri moris fuisse vovere pervigilia, ea verba Plauti in Curculione denotant:

*Quid tu Veneri pervigilare te vovisti, Phædrome?*

Item carmen inscriptum *Pervigilium Veneris*, ut Lipsius evincit lib. 1. Electorum, cap. 5. ex quo carmine discimus id Veneris pervigilium tribus durasse noctibus. sic enim in eo habetur:

*Ipsa vellet, ut venires, si deceret virginem,*
*Jam tribus choros videres feriatos noctibus*:

2. Pervigilationes Veneris noctibus tribus.

Agit de pervigilio in honorem Junonis Tacitus lib. 5. Annal. *Pervigilia celebravere fæ-*

*minæ, quibus mariti erant*. Et meminit de pervigilio Fortunæ in vita Galbæ Suetonius cap. 4. Lipsius l. citato Electorum putat Livium lib. 23 meminisse pervigilii ad tres noctes. Verum sacrum illud, de quo agit Livius, nocturnum fuit, non tamen pervigilium, quoniam tota nox insomnis non transigebatur. sic enim habet: *Ad Hamas nocturnum erat sacrificium, ita ut ante mediam noctem compleretur*. Neque etiam ipse Livius istud sacrificium vocat pervigilium, sed cum eo dumtaxat comparat. Sic enim scribit infra; *ut in pervigilio neglecta castra*. Pervigilium quoddam egisse Vitellium in Appennini jugis scribit Suetonius in ejus vita, cap. 10. quod Torrentius in eum locum suspicatur egisse in Martis honorem, ob victoriam. Sed ut Sabellicus eodem loco: *Incertum est, metune, an religione, an continua perpotatione, noctem insomnem duxerit*. scribit enim de Vitellio Tacitus: *Apud eum omnia indisposita, temulenta, & pervigiliis ac bacchanalibus, quam disciplinæ & castris propiora*. Laudabiles supra modum fuerunt in ea re anni secularis pervigilationes, ut præ cæteris (quod ex Zosimo attigimus) caste pudiceque illæ agitarentur: alia vero pervigilia infamia plena essent atque turpitudine. constat ex Gellio lib. 2. cap. 23. ubi refert filiam pauperis hominis in pervigilio violatam. atque ex Plauto in Aulularia, in qua fatetur Lyconides sese Euclionis filiæ injuriam fecisse Veneris vigiliis. huc pertinet etiam, quod de Caligula scribit Suetonius cap. 54. *Nec alia*, inquit, *de causa videtur eo die, quo periit, pervigilium indixisse, quam ut initium in scenam prodeundi licentia temporis auspicaretur*. Ab Augusti tempore præterea pervigilia a suo instituto primævo valde degeneraverant, ita ut in iis homines æque dormirent, ac vigilarent, ut narrat Suetonius in Augusto, cap. 94. Primitus siquidem instituta erant, ut tota nocte hymni ac Deorum laudes concinerentur, ut liquet ex pervigilio Veneris, in quo Lipsius legit: *Tota nox est pervigil a cantibus*. Pithœus autem: *Tota nox est pervigilanda cantibus*. Quare has antiquorum pervigilationes merito damnat sacra Scriptura sapientiæ 14. his verbis: *Obscura sacrificia facientes, aut plenas infamia vigilias habentes*. Unde ab ipsis suis incunabulis Ecclesia has fœdas & damnandas pervigilationes abolere conata est, atque sacras vigilias introduxit ad Dei laudes decantandas; quas in usu fuisse in Ecclesia a primo seculo a Christi natali, probat eruditissimus Annalium Ecclesiasticorum scriptor Baronius ad annum Christi 51. eas impugnavit Vigilantius Hæreticus, unde de iis frequenter agit S. Hieronymus, in libris contra eum scriptis, & alibi. Insignis est locus de illis apud eundem, dum scribit ad Sabinianum: *Tota Ecclesia*, inquit, *nocturnis vigiliis Christum personabat, & in diversarum gentium linguis unus in laudibus Dei spiritus concinebat*. Verum cum vigiliæ illæ primis seculis essent frequentes, & sublatæ jam essent Gentilium pervigilationes, etiam illæ sacræ justis de caussis usurpari desierunt ab Ecclesia; nisi quod retenta est Vigilia Nativitatis Christi Domini quoad rem, & aliquot aliæ quoad nomen.

3. Pervigilia plerumque plena turpitudine.

4. Pervigilationes sacræ in Ecclesia.

## CAP. XV.

*De supplicationibus & pompis eodem seculari anno celebratis.*

Indictas supplicationes anno ludorum secularium, habemus ex Herodiano de suæ ætatis Imperatorum vita ac rebus gestis l. 3. ubi de Septimio Severo Imperatore agens: *Vidimus*, inquit, *sub illo quosdam omnis generis ludos, cunctis editos theatris, simulque supplicationes & pervigilia ad formam Cereris Initiorum. Seculares hi tunc appellabantur, &c.* Quare non erit abs re hic de supplicationibus Romanorum, quod ex professo nemo hactenus præstitit, accurate omnino disserere, & quæ sparsim multi habent, in unum locum adducere.

Observandum igitur supplicationes a Sallustio de Bello Jugurthino etiam *supplicia* appellari. sic enim habet: *Senatus ob quædam feliciter gesta Diis immortalibus supplicia decrevit*. Idem vocabulum usurpat de Bello Catilinario. Aliquoties etiam Tacitus l. 3. Ann. *Tum supplicia*, inquit, *Diis, ludique magni ab Senatu decernuntur*. Eadem voce in ista significatione utuntur Varro de Re rustica, Apulejus l. 11. Metam. l. de Deo Socratis, Isidorus lib. 5. c. 27. qui ejus rationem affert: *Supplicium dicitur*, inquit, *de cujus damnatione delibatur aliquid Deo, unde & supplicare*. Et paulo ante dixerat: *Supplicium proprie dicitur, non quo quis punitur, sed quo quis ita damnatur, ut bona ejus consecrentur, & in publicum redigantur*. l. 5. c. ultimo: *Supplicia dicuntur supplicationes, quia fiebant de bonis passorum supplicia*. Eam rationem sumpsisse videtur Isidorus ex Festo, si schedas ejus recte supplevit Ursinus, aut ex Servio ad l. 1. Æneidos ad ea verba:

—— *Divum templis indicit honorem*.

Ubi *honorem* explicat *supplicationes*; & addit Virgilium dixisse *indici*, quia feriæ aliæ sunt *legitimæ*, aliæ *indictæ*. Et subdit, quod *indici* dicantur, *quia prisca paupertas ex collatione sacrificabat de bonis damnatorum. Unde supplicia dicuntur supplicationes, quia sunt de bonis supplicia passorum*. Sed ut a nominis explicatione ad rem veniam, supplicatio erat publica populi, & moderatorum Reipublicæ cujuscumque gradus, ordinis atque ætatis, solemnis profectio ad Deorum, quos illi colebant, templa, indicta ab iis, quorum erat, vel ad gratias pro beneficiis acceptis referendas, aut nova beneficia postulanda, vel toti reipublicæ, vel Imperatori, vel privato cuipiam. Confirmari hæc possunt ex Livio l. 30. ubi de indicta supplicatione agens, sic habet: *Prætor extemplo edixit, ut æditui ædes sacras omnes tota urbe aperirent: circumeundi, salutandique Deos, agendique gratias per totum diem populo potestas fieret*. & lib. 45. *Cum Consul edixisset, ut omnes ædes sacræ aperirentur, pro se quisque ex concione ad gratias agendas ire Diis; ingentique turba, non virorum modo, sed etiam fæminarum conferta, tota urbe Deorum immortalium templa adierunt*. Atque hæc de templorum accessu. Extat & apud eundem alius locus, ad probandam nostram supplicationis descriptionem plane efficax l. 3. his verbis: *Inopsque senatus auxilii humani, ad Deos populum ac vota vertit. Jussi cum conjugibus ac liberis supplicatum ire, pa-*

1. Supplicationes supplicia dictæ, a suppliciis damnatorum.

2. Quid supplicatio.

*cemque exposcere Deum. Ad id, quod sua quemque mala cogebant, auctoritate publica evocati, omnia delubra implent: stratæ passim matres crinibus templa verrentes, veniam irarum cœlestium, finemque pesti exposcunt.* Ex quibus locis etiam intelligas publicas Romæ supplicationes, modo a Prætore, modo a Consulibus, modo a Senatu indictas fuisse. Constat etiam ex auctoribus, hos variorum monitu indixisse supplicationes. Julius Obsequens libro de Prodigiis c. 51. ex responsis Aruspicum supplicationem indictam meminit. Item Livius l. 24. & 27. 32. Ex Pontificum decreto indictam supplicationem, narrat idem auctor l. 27. duobus locis, & l. 39. Item variis locis refert, ex Decemvirorum decreto, monitu, vel responso supplicationem indictam fuisse, nempe vel a Senatu, vel a Consulibus, aut aliis, quorum intererat. lege l. 22. l. 34. & 38. Unde concludi potest Decemviros non tam indixisse supplicationes, quam supplicationes faciendas ex libris Sibyllinis (quos Livius *libros* impliciter nominat lib. 22. lib. 37. lib. 51. alibi *libros fatales*, ut lib. 22. alibi *libros Sibyllinos*, ut lib. 36. ut & Julius Obsequens lib. de Prodigiis cap. 67.) ad Senatum, vel alios, penes quos erat indicendi potestas, retulisse. Lego tamen apud Livium lib. 40. a Decemviris indictam supplicationem; nisi mendum est. nam non tam indixisse illi videntur quam edixisse, ut colligitur ex Livio libro eodem, ubi ait: *Decemviros jussos adire libros, edixisse, ut supplicatio diem unum esset.* Et expresse asserit lib. 45. *Decemviros libros adire jussos, supplicationem in diem unum populo edixisse.* Unde lib. 40. legi posset a Decemviris edicta supplicatio potius, quam indicta. Sed hoc relinquo peritis discutiendum. Solum assero unam ex causis indicendi supplicationes fuisse librorum Sibyllinorum præceptum, aut monitum a Decemviris ad Senatum, aliosque, quorum erat supplicationes indicere, relatum. Alia causa fuit, quod eas valere crederent ad prodigia *procuranda* (ut loquitur Livius lib. 24. & 27. aliquoties, & Julius Obsequens libro de Prodigiis cap. 51.) hoc est, *expianda* (ut loquitur lib. 40.) aut *averruncanda*, ut lib. 10. Certe ea de causa frequentissime decretas supplicationes, nemo est, qui nesciat. Cum Livius lib. 10. lib. 24. lib. 25. lib. 27. aliquoties; lib. 28. lib. 29. lib. 34. lib. 35. lib. 40. ea de causa indictas meminerit. Alias causas supplicationes indicendi habemus in Livio lib. 3. ob reportatam geminam ab hostibus victoriam. lib. 5. ob Vejos captos. lib. 37. victoriæ navalis causa lib. 27. eo quod Consules incolumi exercitu ducem hostium, legionesque occidissent lib. 10. ob rem bene gestam apud Samnites lib. 30. ob debellatam Carthaginem. Ibidem, ob vacuatam hostibus Italiam. lib. 32. ob res prospere gestas in Gallia. Item in Græcia lib. 33. atque in Hispania lib. 34. Item in Æthiopia atque Asia, lib. 36. Denique alibi ob res præclare gestas in aliis provinciis. Alia tangitur causa citato lib. 37. Quod exercitus Romanus tum primum posuisset castra, ut ea res prospere eveniret, vicenis majoribus hostiis in singulas supplicationes sacrificare Consul jussus est. Item alia causa habetur lib. 38. pro valetudine populi, quando gravis pestilentia urbem atque agros vastabat. Item alia lib. 22. ut expiaretur, quod negligentia ceremoniarum, auspiciorumque peccatum esse dictator Q. Fabius edocuerat. Denique Romæ indicebatur supplicatio, in honorem eorum, qui vel victoriam reportarant, vel recte feliciterque ad bonum Reipublicæ fecerant, vel nomen Imperatoris promeruerant. Nam postquam duces exercitus in castris fuerant *Imperatores* appellati, & assumpserant laureatos fasces, litteras laureatas mittebant ad Senatum: quibus nomen Imperatoris atque supplicationes sibi decerni postulabant. Indicebantur autem istæ supplicationes, ut populus Diis pro victoria, aut alia re prospere gesta, gratias ageret, atque ab iisdem pro victoribus nova beneficia flagitaret. Ciceroni in hoc genere singularis attributus est honos, quando ei togato ob detectam ac repressam Catilinæ conjurationem, in ejus gratiam Diis supplicatio decreta est; ut ipse commemorat oratione 3. & 4. in Catilinam, Oratione in Syllam, Philippica 2. & 14. Et refert Quintilianus l. 2. c. 16. ubi de Cicerone agens, *Supplicationes*, inquit, *qui maximus honor victoribus in bello datur, in toga meruit.* Sed ipsum eloquentiæ patrem jucundum erit breviter ea de causa sic gloriantem audire Orat. in Pisonem: *Mihi togato senatus, ut multis bene gestæ, sed ut nemini, conservatæ Reipublicæ singulari genere supplicationis, Deorum immortalium templa aperuit.* Et citata Philippica 14. dicit: *Numquam in civili bello supplicationem decretam, imo ne victoris quidem litteris fuisse postulatam.* Sed quoniam de laureatis fascibus ac litteris mentionem fecimus, de iis ex occasione verbulum his attexendum esset; sed quia non habeo, quod addam ad ea, quæ habet Tiraquellus ad l. 1. Genialium dierum Alexandri Neapolitani c. 27. & alii passim, transeo ad declarandum, quibus Diis supplicationes indicerentur; non enim omnibus semper, sed quibusdam duntaxat decernebantur. Quam in rem sola auctoritate Livii utar; quia etsi alibi alii multi Historici & Poetæ ea habeant, quæ ad eam rem faciunt, ille tamen instar omnium esse potest. Refert ille l. 40. ab fulminibus loca complura deformata, ad ædem Jovis supplicationem ad diem unum fuisse. l. 10. habitam supplicationem Æsculapio narrat. l. vero 37. supplicationem ad Cereris, Liberi, Liberæque fuisse. lib. 27. in Capenate agro ad Feroniæ lucum supplicationem indictam. lib. 21. imperatam supplicationem Fortunæ in Algido, Romæ supplicationem ad ædem Herculis. lib. 38. supplicationem imperatam in omnibus compitis. denique lib. 24. omnibus Diis, quorum pulvinaria essent, indictam. Eadem habet lib. 27. lib. 30. lib. 32. lib. 40. lib. 41. lib. 45. & alibi. *Erant autem pulvinaria Deorum lectuli, in quibus Deorum statuæ reclinabantur*, ut Servius in lib. 3. Georgicorum asserit: aut ut ad odam 37. lib. 1. Horat. Acron tradit: *Erant tabulata, in quibus stabant Numina, ut eminentiora viderentur.* Augustinus lib. 3. de Civitate Dei cap. 17. pulvinar & lectisternium esse eadem docet: item Alexander Neapolit. lib. 5. cap. 27. Sed explicandi sunt, cum Marcello Donato in dilucidationibus in Suetonii Cæsarem, cap. 36. ut velint esse eadem, si conjunctim cum Lectisternio sumantur, quia sunt partes; non vero si divisim, quoniam partes a toto distinguuntur. Errat vero eodem loco Marcellus Donatus, dum dicit pulvinaria fuisse, quæ super lectos

3. Quinam, & quibus de causis supplicationes decernerentur.

4. Supplicationes decretæ victoribus in bello, Togatis quandoque.

5. Quibus Diis supplicationes decernerentur.

6. Quid essent Deorum pulvinaria.

stratos in templis ad simulacra Numinum sublevanda ponebantur. quasi vero illorum capiti duntaxat illa in lectis supponerentur: nam etiam cum extra lectos starent, pedibus eorum fuisse supposita pulvinaria constat ex antiquis statuis. Et tabulata, de quibus Servius loco citato loquitur, erant in formam pulvillorum facta, ut etiamnum videmus in statuis antiquis, & nostrorum Sanctorum simulacris, ex antiquorum imitatione.

7. [illegible] te Diis sacrificatum. Cum supplicationem populus ad alicujus Dei templum indictam institueret, etiam sacrificia offerebat illis Diis, quibus supplicabat, atque eam in rem liberalitate publica sæpe accipiebat, vinum ad libationes, & thus ad suffitus, ut auctor est Livius lib. 10. *Eo anno*, inquit, *multa prodigia fuerunt, quorum averruncandorum causa supplicationes in biduum Senatus decrevit. publice vinum ac thus sacrificiis præbitum.* Primis temporibus supplicationes ad paucos tantum dies indicebantur. Ita Livius lib. 3. lib. 25. lib. 27. l. 28. lib. 29. & aliis, indictas ad diem unum testatur. Indictas ad biduum item narrat lib. 10. & 36. item ad triduum l.27. l.30. lib.32. & 24 item ad quatriduum lib. 5.

8. Quanto tempore durarent supplicationes. *Priusquam*, inquit, *Senatus decerneret, plena omnia templa Romanarum matrum gratias Diis agentium: Senatus in quatriduum, quot diebus nullo ante bello, supplicationes decernit.* Idem asserit l. 30. & 32. Indictas ad dies quinque idem meminit lib. 30. l.33. & 45. Posterioribus temporibus gliscente populi Romani gloria atque opibus, in multo plures dies decretæ supplicationes. Gloriatur Cæsar apud Suetonium c. 24. in Julio, se supplicationem plurium, quam quisquam unquam, dierum impetrasse. Et ipse de se agens lib. 2. belli Gallici, asserit, sibi dierum quindecim supplicationem decretam, quod ante acciderat nulli. Idem refert in ejus vita Plutarchus. Denique ipse scribit lib. 4. belli Gallici, aliam sibi decretam ad dies viginti. Appianus lib.2. & 3. Bellorum civilium tradit decretam Bruto ob profligatum Antonium bello Mutinensi quinquaginta dierum supplicationem. Cicero, ut refert Philippica 14. in Senatu etiam decrevit Octavio dierum quinquaginta supplicationem. Observandum tamen, cum tot dierum supplicationes indicebantur, non fuisse simul omnibus illis diebus indictas ferias: nam feriæ sine supplicationibus, & supplicationes sine feriis decerni potuisse ex Livio patet lib. 40. ubi sic habet: *Consules edixerunt, ut per totam Italiam supplicatio & feriæ essent.* Item ex Julio Obsequente lib. de Prodigiis

9. Supplicationes sine feriis quandoque, & vice versa. cap. 68. *Horum prodigiorum causa supplicatio diem unum instituta, & habitæ feriæ sunt.* Si enim feriæ fuissent eo ipso, quo indicta supplicatio, frustra eas indictas exprimerent. De feriis sive supplicationibus extat locus apud Livium lib. 35. *Terra*, inquit, *dies quadraginta movit. per totidem dies feriæ, in sollicitudine ac metu fuere: in triduum ejus rei causa supplicatio habita est.* Quare existimo dies illos tam multos supplicationum fuisse inter dies, qui nec essent festi, nec profesti, sed dicebantur *intercisi*, de quibus Macrobius lib. 1. cap. 16. *Intercisi*, inquit, *dies sunt Deorum hominumque communes.* Et infra eos magis explicans: *Intercisi*, inquit, *in se, non in alia dividuntur: illorum enim dierum quibusdam horis fas est, quibusdam fas

A non est jus dicere. nam cum hostia cæditur, fari nefas est; inter cæsa & porrecta, fari licet.* Venio ad ipsam supplicationis processionem. 10. Qui in supplicatione procederent quo cultu. Procedebant in supplicatione Senatores, Patricii, omnes Tribus, & Ordines, saltem plerumque, & universus Populus. De Senatoribus, & Patriciis, aliisque privatis urbis Romanæ viris accipio hæc Livii verba l. 3. *Gemina victoria duobus bifariam præliis parta, maligne Senatus in unum diem supplicationes Consulum nomine decrevit. Populus injussu & altero die frequens iit supplicatum; & hæc vaga popularisque supplicatio studiis prope celeB bratior fuit.* Hinc enim conficio non solum Populum, sed Senatores, aliosque primarios Viros primo die supplicationi interfuisse. Eodem libro infra de populo meminit: *Jussi cum conjugibus ac liberis supplicatum ire, pacemque exposcere Deum.* Julius Obsequens l. de Prodigiis c. 22. *Feriæ*, inquit, *proinde sunt indictæ, nec tantum a Romanis tribubus supplicatum, sed a finitimis etiam populis.* Et Livius lib. 22. etiam rusticanos homines supplicationem instituisse memorat his verbis: *Votis rite nuncupatis edicta supplicatio, supplicatumque C iit cum conjugibus ac liberis non urbana multitudo tantum, sed agrestium etiam, quos in aliqua sua fortuna publica quoque contingebat.* Coronatos vero hos omnes supplicasse, saltem plerumque, discimus ex Livio lib. 34. *Supplicatio per triduum fuit, coronati ad omnia pulvinaria supplicaverunt; edictumque est, ut omnes* (id raro factum est) *qui ex una familia essent, pariter supplicarent.* Item l. 36. *Eorum prodigiorum causa libros Sibyllinos ex Senatusconsulto Decemviri cum adiissent, renunciaverunt jejunium instituendum Cereri esse, & id quinto quoque anno servandum, & ut novendiaD le sacrum fieret, & unum diem supplicatio esset, coronatique supplicarent.* Cato apud Gellium l. 7. c. 4. *Populus*, inquit, *sua opera potius ob rem bene gestam coronatus supplicatum eat, quam re male gesta coronatus veneat.* De adhibitis in supplicationibus patrimis & matrimis pueris refert Julius Obsequens l. de Prodigiis cap. 55. *Supplicatio per decem pueros patrimos, matrimos, totidemque virgines habita.* Numerum autem puerorum ac virginum varium fuisse ex eodem Livio apparet. Obsequens cap. 94. *Virgines*, inquit, *ter novenæ E in urbe cantarunt.* cap. 113. *Virgines viginti septem carmen canentes urbem lustraverunt.* Eadem habet cap. 96. & 108. Livius vero innuit illorum puerorum virginumque numerum, cum de decem pueris patrimis meminit, ac totidem virginibus matrimis, lib. 37. tamen de ter novenis virginibus l. 27. & l. 31. etiam meminit. Eos autem pueros patrimos ac matrimos coronatos, cum supplicarent, tradit idem Livius l. 40. *Majores duodecim annis*, inquit, *omnes coronati & lauream in manu tenentes supplicarunt.* Si qui essent minores annis duodecim, hinc colliguntur coronati F non fuisse. De pompa in supplicatione prælata, & ordine procedendi ad sacrificium, saltem primis temporibus urbis Romanæ, hæc Livius lib. 21. 11. De pompa in supplicationibus *Tum septem & viginti virgines longam indutæ vestem carmen in Junonem Reginam canentes ibant, illa tempestate forsitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens & inconditum si referatur. Virginum ordinem sequebantur Decemviri coronati laurea, prætextatique, a porta Jugario vico in forum venere: in foro pompa constitit.* Neque mirere me de pom-

pa

pa supplicationis ista accipere: quamvis enim A
vox *pompa* proprie de apparatu Circensium ludorum dicatur, ut ait Tertullianus lib. de Spectaculis. c. 7. quam imagine expressam habes in Onuphrii libro de ludis Circensibus: constat tamen etiam fuisse pompas funerum, pompas triumphorum, pompas nuptiales, pompas sacrorum, atque etiam supplicationum.
12. Circensium ludorum pompa. Quales autem fuerint illæ supplicationum pompæ, colligi potest ex pompa Circensi, quam fuse describit Halicarnasseus lib. 7. quem lege; & breviter tangit Tertullianus loco citato, sed quia obscurus est atque explicatione
indiget, eam ex occasione adhibebo, lectio- B
nem restituam, atque ut par est, interpungam paulo aliter, quam doctissimi viri Pamelius & La Cerda, qui in eum commentaria ediderunt. *Circensium*, inquit, *paulo pompalior suggestus (quibus proprie hoc nomen pompa) præcedit. Illa, quorum sit, in semetipsa probat de simulacrorum serie, de imaginum agmine, de curribus, de thensis, de harmamaxis, de sedibus, de coronis, de exuviis, quanta sacrificia præcedant, intercedant, succedant, quot collegia, quot sacerdotia, quot officia moveantur,
sciunt homines illius urbis, in qua dæmoniorum C
conventus consedit.* Sensus est: Circensium ludorum augustior apparatus (vocem *suggestus* in ea significatione accipit idem auctor lib. de Idololatria) quibus ludis Circensibus nomen *pompæ* proprie convenit, præcedit reliquorum ludorum pompas: quorum vero sit illa Circensium pompa, an hominum Christianorum, an Paganorum, ex semetipsa probat per simulacrorum seriem (præpositio *de* apud illum usurpatur pro *per*) per imaginum agmen, per currus, per thensas, per harmamaxas, per sedes, per coronas, per exuvias. probat etiam per sacrificia: nam quanta præcedant, intercedant, succedant, sciunt homines ejus
urbis. probat per eos, qui intersunt: nam D
quot collegia, quot sacerdotia, quot officia in ea pompa procedant, ac moveantur, sciunt ejus urbis homines, in qua Dæmoniorum conventus consedit. Hæc ille. quæ ut convenisse in multis cum supplicationum pompa ostendamus, per partes de singulis agendum erit. Ac imprimis, in Circensi pompa Deorum simulacra ferebantur. Unde colligi vult Tertullianus, fuisse paganorum has pompas, non tantum hic, sed etiam infra. *Qualiscunque,*
inquit, *pompa Circi, & si pauca simulacra cir-* E
*cumferat, in uno idololatria est.* De simulacris Deorum in Circensi pompa meminit Halicarnasseus lib. 7. Ovid. 4. Fast.

*Circus erit pompa celebris, numeroque Deorum.*

Et fusius Elegiarum lib. 3. eleg. 2. ubi portatum canit Victoriæ simulacrum, Neptuni, Martis, Phœbi, Phœbes, Minervæ, Cereris, Bacchi, Pollucis, Castoris, Veneris:

*Sed jam pompa venit, linguis, animisq; favete:* F
*Tempus adest plausus, aurea pompa venit.*
*Prima loco fertur sparsis Victoria pennis:*
*Huc ades, atq; meus, fac, Dea, vincat amor.*
*Plaudite Neptuno, nimium qui creditis undis:*
*Nil mihi cum pelago, me mea terra rapit.*
*Plaude tuo miles Marti; nos abdimus arma,*
*Pax juvat, & media pace repertus amor.*
*Auguribus Phœbus, Phœbe venantibus adsit:*
*Artifices in te verte, Minerva, manus.*

*Agricolæ, Cereri, teneroque assurgite Baccho:*
*Pollucem pugiles, Castora placet eques.*
*Nos tibi, blanda Venus, Puerique potentibus armis*
*Plaudimus, inceptis annue, Diva, meis.*

Suetonius in Augusto cap. 16. meminit simulacri Neptuni in Circensi pompa. Dubitari potest, an hæc omnia Deorum simulacra essent lignea, aut alterius materiæ, an vero viri, vel adolescentes, vel puellæ, qui Deos illos Deasque repræsentarent. Certe ex Julio Obsequente lib. de Prodigiis c. 130. ubi sic habet, *Puer in pompa Victoriæ cultu, cum ferretur, ferculo decidit*, ambigi non debet subinde pueros Deos illos repræsentasse. An semper fieret, si quæritur? Puto subinde simulacra ex ligno, aliave materia delata fuisse. Habemus etiam in Juvenalis Sat. 10. Prætorem in cultu Jovis vectum Circensibus in curru triumphali:

*Quid si vidisses Prætorem curribus altis*
*Extantem, & medio sublimem pulvere Circi*
*In tunica Jovis, & pictæ Sarrana ferentem*
*Ex humeris aulæa togæ.*

Ex quibus colligo in supplicationum pompis delatos fuisse subinde etiam viros & pueros in schemate Deorum, & puellas in cultu Dearum, alias simulacra lignea vel ex alia materia. Sic constat ex Livio lib. 27. duo Junonis Reginæ signa cupressea portata in supplicationis pompa. Et ille puer, de quo Julius Obsequens jam citatus, in cultu Victoriæ deferebatur in supplicatione. Omittit Tertullianus in loco citato in Circensi pompa dona, quæ Diis deferebantur; nec immerito, eo quod nulla deferrentur, sed omnia fierent, ut spectarentur. In supplicatione vero, dona Diis offerenda portabantur, ut ex Livio patet lib. 22. narrat Jovi fulmen aureum pondo quinquaginta factum; Junoni ac Minervæ ex argento datum; matronas vero donum Junoni Reginæ in Aventinum tulisse. Item lib. 27. ab iisdem matronis pelvim auream etiam in Aventinum latam narrat. Præter simulacra, imagines etiam in pompa Circensi ferebantur: quę erant, juxta P. La Cerda in Tertullianum, imagines gentilitiæ eorum, qui Circenses edebant, sicuti teste Plinio in pompa funebri ferebantur. ita enim habet c. 2. lib. 35. *Expressi ære vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilia funera: semperque defuncto aliquo totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus.* Constat enim ex Suetonio in Tito, & Tacito lib. 12. Annalium, Britannici equestrem ex ebore statuam in Circensibus fuisse prælatam: atque ex Capitolino in Antonino Pio, etiam imaginem Faustinæ uxoris ejus; atque ex eodem in Antonino Philosopho, ejus filii imaginem auream per Circensem pompam deportatam. Sed has gentilitias imagines, quas fateor in Circensi pompa prælatas fuisse, non puto satis esse ad Tertullianum explicandum, quoniam ex illis imaginibus cognosci non poterat, Christianorumne, an Paganorum esset pompa Circensis; quod tamen Tertullianus asserit. Nihil siquidem erat contra religionem Catholicam, si profanæ quædam imagines in supplicatione deferebantur: nam ut licet Christianis imagines majorum habere, ita nec vetitum in supplicatione profana circumferre. Igitur censeo Tertullianum, per imagines etiam eo loco intellige Deorum depictos vultus in tabu-

lis, aut laminis æreis, aut alterius materiæ. Clarum est enim in usu fuisse apud Romanos etiam pictas in tabulis imagines illustrium virorum ex Sat. 8. Juvenalis:

—— *pictosque ostendere vultus*
*Majorum.*

Quidni & Deorum? Idem ex Apulejo liquet lib. 6. Metamorph. *Depictam in tabula fugæ præsentis imaginem meæ domus atrio dedicabo.* Et Plinius lib. 35. c. cit. *Stemmata* lineis, inquit, *discurrebant ad imagines pictas.* Imo imagines si presse sumantur, distinguuntur a statuis in eo, quod erant picturæ. sic enim definit Imagines Polybius lib. 6. *Imago est insignis alicujus viri* (vel Dei, addi potest) *oris similitudinem artificiose effictam, coloribus pigmentisque adumbratam referens.* Hinc non ægre conficietur ex imaginum agmine, quæ in pompa Circensi deferebantur, eam pompam fuisse Paganorum, cum imagines illæ essent non tantum virorum, sed etiam Deorum. Quod si quis jam quærat, an in supplicationibus ejusmodi imagines deferrentur, sciat non minus mihi videri certum, quam quod statuæ Deorum deferrentur, latas imagines Deorum. De gentilitiis nihil nisi per conjecturas assequor, ac propterea de iis nihil affirmare audeo. Ex his non est difficile colligere, quomodo ex curribus, ex thensis, harmamaxis, sedibus, coronis, exuviis, cognosci posset Circensium pompam ad idololatriam pertinere, quod vult
13. De variis vehiculorum genere [illegible] Tertullianus: nimirum quia hæc omnia ad cultum Deorum pertinebant. Currus ac thensæ ad vehendum Deorum simulacra ac imagines: harmamaxæ devehendis necessariis ad sacrificia solita post pompam fieri, aut ei interjecta, usui erant, atque ita cultui idolorum serviebant. Sed operæ pretium est hic de singulis agere, tum ad eam pompam Circensem, quæ ad ludos seculares pertinebat, tum ad Tertulliani locum magis illustrandum. Currus erat vehiculorum nobilissimum genus; ideo existimo illo Deorum simulacra devecta in Circensi pompa & supplicationibus. Illo utebantur triumphantes. Unde vox *currus* posita simpliciter, sine epitheto, currum triumphalem sæpe significat. Sic Juven. Sat. 10. de triumpho agens:

—— *Magnæque coronæ*
*Tantum orbem, quanto cervix vix sufficit ulla?*
*Quippe tenet sudans hunc publicus, & sibi Consul*
*Ne placeat, curru servus portatur eodem.*

Seneca lib. 2. de Beneficiis: *Quid fasces, quid tribunal, & currus? Nihil horum honos est, sed honoris insigne.*
14. Quid thensæ essent. Thensæ vehiculum sacrum erant, quo Deorum exuviæ vehebantur in Circum, ludis Circensibus; ut habet Paulus. Festus fuisse ex ebore vel argento tradit. Sed cave ne existimes cum multis, thensas solis exuviis Deorum ferendis ad Circum usui fuisse: id enim falsitatis convincitur ex Cicerone orat. ultima in Verrem, ubi Deos (hoc est, eorum simulacra ac imagines) iis deferri solitos insinuat his verbis: *Omnes Dii, qui vehiculis thensarum solemnes cœtus ludorum initis.* Item ex Suetonio in Vespasiano cap. 5. *Nuntiabantur & ex Urbe præsagia, Neronem diebus ultimis monitum per quietem, ut thensa Jovis Optimi Maximi e sacrario in domum Vespasiani deduceretur.* Thensæ vero non deducebantur jumentorum opera, sed hominum, ut ait La Cerda in Tertullianum de Spectaculis c. 7. num. 120. quod probat ex Asconio in orat. 3. Ciceronis in Verrem; ubi ait thensas dictas, quod ante eas lora tendebantur, quæ gauderent manu tenere & tangere, qui eas deducerent. Aliud autem est deducere, aliud thensas agere, trahere, aut movere. Imperatores aut pueri patrimi ac matrimi, thensas deducebant, ut de Imperatoribus habemus ex Suetonio in Augusto cap. 43. ubi lectica cubans thensas deduxisse dicitur. Item ex Tertul. lib. de Corona militis cap. 13. magistratum eas thensas deduxisse constat; & Juvenalis insinuat Sat. 10. De pueris patrimis ac matrimis auctor est Cicero de Aruspicum responsis: *Aut puer ille patrimus & matrimus*, inquit, *si terram non tenuit, aut thensam aut lorum omisit.* sic enim eum locum restituit Marsilius in lib. 1 Horatii ode 21. Ex loco hoc Arnobii contra Gentes lib. 4. *Si patrimus & matrimus ille puer omisit per ignorantiam lorum aut thensam tenere non potuit.* Quo modo etiam corrigit Meursius lib 4. Criticei Arnobiani, in fine. Hi igitur thensas non trahebant; neque enim pueri aut Imperator in lectica recubans, potuissent eas trahere: sed trahere videbantur, eo quod lora manibus tenerent, ut supra citati auctores notant. Ferebantur autem thensæ humeris bajulorum, qui ut suspicor velis cooperti erant, ne apparerent: quo magis viderentur Imperatores, aut pueri, eas trahere. Certe Halicarnassæus lib. 7. in Circensi pompa ait, agmen clausisse simulacrorum bajulos. Stephanus Gallice thensas non inepte interpretatur *Civiere a col.* Suspicari tamen posset quispiam, rotas habuisse prædictas thensas, quæ a bajulis etiam propellerentur, ut magis bajulorum opera celaretur. Thensarum pars erat ferculum, nimirum pulpitum quoddam, cui simulacra imponebantur. Ita ex Acrone Beroaldus in c. 76. Tranquilli Suetonii, in Julio; item Torrentius ibidem. Ferculum tamen per Synecdochen pro thensa ipsa sumit Cicero lib. 1. de Officiis. Sueton. in Cæsare, *Pontico triumpho*, inquit, *inter pompæ fercula trium vocum prætulit titulum: Veni, Vidi Vici.* Livius lib. 1. & alii. Neque his obest, quod Tertullianus eodem c. 7. trahi thensam dicat: *Qualiscumque pompa Circi, etsi pauca simulacra circumferat, in uno Idololatria est: si unam thensam trahat, Jovis tamen plaustrum est.* Nam de re loquitur, non quæ revera fiebat, sed fieri videbatur. Posset tamen concedi thensas etiam ab equis tractas (quo modo in libro suo de ludis Circensibus thensas exprimit Onuphrius, quem vide) sed quæ supra dixi, magis ad verum mihi videntur accedere. Addamus aliquid de harmamaxis. Junius teste P. Ludovico La Cerda in cap. 7. Tertulliani, asserit illas distingui, ab essedis, pilentis, & petoritis: putatque esse vehem gestatorium, qui humeris tolleretur, ad modum sellæ gestatoriæ, aut lecticæ. Sed errat meo judicio, quoniam aliud ex auctoribus colligitur, maxime Plutarcho in Themistocle, qui accipit pro vehiculo, quo mulieres vehi solebant. Quo modo etiam accipit Xenophon Pædiæ lib. 3. Aristides citatus a Budæo, qui *ἁρμάμαξα* vertit *carpentum.* Item Stephanus in suo Thesauro. Carpentum autem fuit vehiculum Matronarum, ut Ovid. lib. 1. Fastorum:

15. Quid Harmamaxæ essent.

*Nam prius Ausonias matres carpenta fere-*
*bant.*

Valla asserit harmamaxas esse virorum currus, sed fallitur, si velit solos viros eis usos. Non citat ille suæ assertionis alium auctorem, quam Etymologicum; sed citare potuisset etiam Athenæum lib. 5. ubi corpus Alexandri in harmamaxa portatum scribit. Ex quo fatendum eum currum utrique sexui in usu fuisse, licet fœminæ maxime uterentur. Itaque Tertullianus loco citato intelligit ejusmodi vehicula, atque ex iis asserit probari, quorum esset Circensis pompa, Christianorumne, an Idololatrarum: quoniam Romani utriusque sexus, qui iis harmamaxis vehebantur, erant in veste, quæ erat in Deorum sacris usitata, & coronas atque exuvias in Deorum honorem ferebant, aut certe aliqua pertinentia ad sacrificia. Puto vero idem esse harmamaxas, quod esseda, pilenta, ac petorita: nam eis sicut harmamaxis in pompis Circensibus, & aliis, viri fœminæque utebantur. Colligitur ex Plinio lib. 34. cap. 13. ubi esseda, & vehicula, & petorita argento curvari scribit. non utique alia de causa, quam ad pompas. Expresse id tradit Horatius lib. 2. epist. 1. ubi de pompa triumphali agens ita canit;

16. Quid Esseda, Pilenta, Petorita.

*Esseda festinant, pilenta, petorita, naves.*

Ad quem locum Porphyrio: *Esseda*, inquit, *fuerunt Gallorum vehicula, quibus tanquam victi Reges vehebantur: pilenta, quibus Regina capta: petorita, quibus familia Regum*. Ex quo Acron in eundem locum sic corrigendus: *Esseda Gallorum vehicula sunt, quibus captivi Reges; pilenta, quibus Reginæ*; (quod transpositum est) *petorita vehicula famularum captivarum*. Neque mirum esseda a Virgilio 3 Georg. *Belgica* vocari, cum Belgæ tum Galliæ populis accenserentur. quare commode intelligendus Servius ad eum locum Virgilii, dum Belgas civitatem Galliæ vocat. hoc est, bene magnam provinciam, imo quartam Galliæ partem. Essedis etiam vecta Deorum signa habetur ex Prudentio in Hymno de S. Romano.

*Lapis nigellus evehendus essedo*
*Muliebris oris, clausus argento sedet.*

Pilentis in sacris usas matronas Romanas, habetur ex Livio lib. 5. his verbis: *Honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilentis ad sacra ludosque; carpentis, festo profestoque uterentur*. Quare melius harmamaxæ, pilenta verti possunt, quam carpenta, ut fecerunt Budæus & Stephanus supra citati. Virg. lib. 8. Æneidos de pilento a matronis in sacris usurpato sic habet:

*—— Castæ ducebant sacra per urbem*
*Pilentis matres in mollibus.*

Prudentius lib. 2. in Symmachum:

*Fertur per medias, ut publica pompa, plateas*
*Pilento residens molli.*

Usum pilentorum etiam fuisse in triumphis, patet ex citato loco Horatii. Item in nuptiali pompa, patet ex Claudiano de nuptiis Honorii his versibus:

*Ante fores jam pompa sonat, pilentaque sacra*
*Præradiant ductura nurum.*

Pilenta, ut aliqui notant, erant ex invento Hispanorum. Constabant quatuor rotis, ut ait Servius in 3. Georgicorum ad hæc verba:

*—— tympana plaustris.*

addit ad lib. 8. Æneid. cujus illa formæ essent, & cujus coloris, explicatque *mollia* fuisse *pilenta*, eo quod pensilia, ut sunt modo nostræ rhedæ: additque ea fuisse, ut erant sui temporis basternæ. quod intelligendum est in superiori parte: nam basternæ non habebant rotas ut pilenta, sed a duobus animalibus portabantur, ut Isidorus scribit. Basternarum meminit Lampridius in Heliogabalo, Ammianus Marcellinus, & alii.

Petorita denique in sacris usitata jam vidimus Horatio. Iis etiam usos viros idem testatur lib. 1. serm. Sat. 6.

*—— Uti ne solus, rusve, peregreve*
*Exirem, plures calones atque caballi*
*Pascendi, ducenda petorita.*

Habuerunt petorita quatuor rotas, ut Paulus & Festus docent. Fuerunt inventa a Gallis, ut affirmat Gellius lib. 15. cap. 30. (contra Grammaticum nescio quem) ex Varrone lib. 14. rerum divinarum. Immerito suspicaretur aliquis cum nostro P. La Cerda ad Tertulliani locum citatum, apud eum auctorem harmamaxas positas pro hamaxis. Nam etsi hamaxarum meminerit Capitolinus in Maximinis, & passim apud Græcos vox *ἅμαξα* vehiculum significet, unde voce *hamaxari* Plautus utitur in Truculento; tamen certum est ex lexicis Græcis, vocem *harmamaxa* esse usitatam. Imo utraque voce utitur in unica sententia, his verbis: Ἀ'λλα ἐφ' ὁμαξῶν περιήεσαν ἐφ' ἁρμαμαξῶν Νομάδες τινὲς βασιλεῖς. Sed de his satis ad rem nostram. Ut caput hoc finiam, addo, cum omnes hi currus in pompa Circensi aut supplicatione procederent, maxime cum thensæ deducerentur, ornari solitum urbis Romanæ forum, ut ex Livio lib. 9. constat. *Inde natum*, inquit, *dicitur initium fori ornandi ab Ædilibus, cum thensæ ducerentur*. Ex quo loco de aliis urbis locis facile fieri potest conjectura.

## CAP. XVI.

### *De carmine seculari.*

INter anni secularis celebritates non vulgaris hæc erat, quod multiplex carmen conderetur a præstantissimis ejus ævi Poetis, quod *seculare* dicebatur ab anno, quo componebatur; qui erat annus seculi unius ultimus, quo ludi ejusdem nominis edebantur. Quamvis enim Acron, vetus Horatii interpres, scribat, *Secularis carminis duplicem devotionem fuisse, alteram pro sedanda aut vitanda pestilentia, alteram pro certo & constituto numero annorum*: tamen prior carminis secularis, ut ille loquitur, *devotio*, non effecit, ut carmen, quod pro sedanda aut vitanda pestilentia, nullo constituto ad illud certo tempore in seculi decursu canebatur, esset revera carmen seculare, licet ita vocaretur, eo quod iisdem modis ac ritibus caneretur, quibus verum seculare carmen, quod erat illud, quod stato tempore decurso ipso anno ludorum secularium fiebat, ad bellum, famem, pestem, arcenda, si grassa-

1. Duplex devotio carminis secularis.

bantur, deprecanda, si fines imperii iis malis erant liberi, ut c. 4. explicui, quoniam eadem erat ratio condendi carmen seculare, quæ ludos seculares edendi. Quare carmina de quibus auctores meminerunt, quæ fuerunt variis de causis recitata Romæ, ut carmen, quod prodigiorum avertendorum causa cantatum refert Livius lib. 31. & 37. Item carmen, quod ad Urbem lustrandam recitatum refert Julius Obsequens lib. de Prodigiis cap. 96. & aliud c. 113. Item illud, quod in honorem Junonis, cui duo signa cupressea portabantur, cantatum a septem & viginti virginibus longam vestem indutis, narrat Livius lib. 27. Et aliud, de quo Julius Obsequens libro citato c. 13. cum populus stipem Cereri & Proserpinæ tulit, virginesque viginti septem dona canentes tulerunt: & alia, de quibus nos capite superiori aliquid tetigimus, a secularium carminum numero eliminanda sunt. sicut & carmen Q. Valerii Catulli, quod est in ordine 35. & *seculare carmen* inscribitur. Nam revera non fuit carmen seculare, quia nullum edendi verum seculare carmen occasionem habuit Catullus, ut facile ex anno, quo natus est, quoque decessit, probari potest: nam natus est Catullus Poeta, ut refert Eusebius Cæsariensis in Chronico, Olympiadis centesimæ septuagesimæ tertiæ anno secundo. Mortuus est Olympiadis centesimæ octogesimæ anno quarto. Unde ab eodem Eusebio triginta annorum fuisse scribitur, cum mortuus est. Ex quo fit, ut si Catullus verum seculare carmen condidisset, debuisset id fecisse pro ludis secularibus quartis, aut quintis, quorum neutrum facere potuit: cum enim annus secundus Olympiadis 173. qua natus fuit Catullus, juxta Petavium concurrerit cum anno ab urbe Romana condita 666. & juxta probabiliorem Chronographorum supputationem, quam amplectitur P. Jacobus Salian. tom. 6. Annalium Ecclesiasticorum veteris Testamenti: non potest ille censeri composuisse verum carmen seculare pro ludis quartis secularibus, quoniam quarti ludi acti fuerunt juxta Fabii Pictoris chronologiam anno 600. & juxta Varronianam quam sequimur chronologiam, anno ab urbe Romana condita 605. unde juxta nos, uno & sexaginta annis post eos quartos ludos celebratos Catullus natus fuit. Neque etiam id credi potest juxta supputationem Onuphrii lib. de Ludis secularibus, quia ponit illos quartos ludos celebratos anno Urbis conditæ 628 atque ita juxta eam natus fuit Catullus annis 38. ante ludos quartos celebratos. Neque etiam illud carmen condere potuit Catullus pro ludis quintis secularibus, quia mortuus est anno quarto Olympiadis centesimæ octogesimæ, qui annus coincidit cum anno Urbis conditæ 697. ludi autem quinti seculares juxta nostram chronologiam celebrati fuerunt ab Augusto anno Urbis 737. unde conficitur quod Catullus ante quintos ludos circiter quadraginta annis mortuus fuerit. Cum igitur Catullus neque hoc carmen secularium ludorum tempore composuerit, cum illo, vel natus non esset, vel mortuus, dicendum est illud alia de causa fuisse compositum, quam ob ludos seculares: sed quænam illa fuerit, est incertum. Neque divinare libet cum Theodoro Marsilio in commentariis ad Horatii odam 21. lib. 7. dum suspicatur compositum, cum libri Sibyllini adirentur; additque infra Catulli tempore eos libros consultos, cum ageretur de ratione, qua Ptolemæus in Ægypti regnum

2. Catulli carmen 35 non esse verum seculare

A posset restitui. Potuit enim illa de causa Catullus illud carmen composuisse, potuit alia de causa: sive cum Dianæ & Apollini dona offerrentur, aut eorum ludi fierent, aut ad eorum ædes supplicatio aut pervigilium celebraretur, aut prodigiorum avertendorum causa, aut denique quia illi placebat in eorum laudem hymnum pangere. Quæ cum ita sint, fatendum est nullum antiqui ullius Poetæ carmen seculare modo extare, nisi Horatii, apud quem non unicum dumtaxat, sed triplex reperiri existimo. Primum est illud, quod extra odarum numerum reperitur post librum Epodon, cum inscriptione carminis secularis, de quo, ut vero seculari, nemo ambigit. Alterum est lib. 1. ode 21. ut innuit Acron vetus Horatii Scholiastes his verbis: *Augustus ludos seculares instituit, quibus hymni Apollini Dianæque dicebantur a nobilibus*, &c. *Hæc ode hoc ipsum docet*. Id diserte asserit Dionysius Lambinus in eam odam. *Carmen est seculare*, inquit, *ἀποτρόπαιον. idest, comparatum ad mala impendentia, aut alioqui timenda, avertenda*. Idem asserit Theodorus Marsilius in eam odam. Et merito; qui enim id negant alii commentatores Horatii, Mancinellus, Torrentius, Chabotius, aliique, atque eam ad ludos Apollinares pertinere putant, nullis firmis rationibus nituntur. nam quod Mancinellus inde conficere vult, hanc odam non esse seculare carmen, eo quod profusius alibi extet carmen seculare, plane frivolum est: quandoquidem plura carmina secularia iisdem ludis secularibus canerentur, ut ex ipso Horatio in carmine seculari post Epodon, non ægre deducitur, ubi petit, ut seculi tempus elapsum

3. Triplex carmen seculare composuit Horatius.

— *cantus referatque ludos*.

D Nam vox *cantus* plures hymnos, ac plura carmina secularia designat. Deinde ex ode 6. lib. 4. elici potest, quoniam eam esse carmen seculare nec adversariorum quisquam negat, nec probare ex Horatio est difficile, ut ex dicendis patebit. Denique id ipsum diserte tradit Zosimus lib. 2. Historiæ novæ, ubi asserit, *tribus diebus, totidemque noctibus, ludos seculares celebratos. Prima nocte ad Terentum in campo Martio: deinde sequenti die in Capitolio: demum tertio die in Apollinis Palatini templo*. Quod confirmari potest ex Acrone in odam 6. lib. 4. Horatii, ubi dicit eam cantatam supra Tiberim, aut in Capitolio. Item ex Porphyrione ad carmen seculare, quod est editum post Horatii librum Epodon. Ubi jam ante tempus ludorum secularium Augusti annotat templum Apollinis Palatini fuisse extructum: nam insinuat ista annotatione potuisse in eo carmen istud seculare cani. quod factum, etiam verba Horatii significant;

*Si Palatinas colis æquus arces*.

F Et redditur verisimile ex eo, quod Zosimus in eo cani solitum scribat. Quæ mirum non considerasse Mancinellum loco citato, cum in carmen seculare eadem fere cum iis, quæ ex Zosimo citavimus, referat: ita ut quamvis eum non citet, ex eo desumpsisse videatur. Sed videlicet, vel ea nondum viderat, cum scripsit in odam 21. lib. 1. vel certe eorum immemor erat. Addit aliud argumentum ad eandem rem probandam, quod nimirum agatur

4. Cur Latonæ mentio in carmine seculari.

in hac ode 27. de Latona, de qua nulla est mentio in carmine seculari post librum Epodon. Sed nullius etiam momenti est illud argumentum: non enim in omnibus versibus secularibus eadem haberi debent, sed multa judicio atque ingenio Poetæ libera sunt. Neque mirum quod Latonæ mentio fiat in hac ode 21. lib. 1. quam carmen seculare assero, quoniam Latona mater erat Apollinis & Dianæ, cujus laudes concinebantur in eo carmine: quid vero est usitatius, quam parentes eorum, quos laudamus, aperire, aut laudibus simul afficere? Sic Horatius in ode 6. lib. 4. quæ etiam est carmen seculare, Latonæ meminit hoc versu,

*Rite Latonæ puerum canentes.*

Et Catullus de Diana, in hymno, quem ostendimus non esse seculare carmen, sed factum ad ejus imitationem, sic canit:

*O Latonia maximi*
*Magna progenies Jovis.*

—— καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων
Ὅστε καὶ Ηέλιος κικλήσκεται, ἶσα δεδέχθω
Θύματα Λητοΐδης.

—— *& Phœbus Apollo,*
*Qui & Sol vocatur, paria recipiat sacrificia*
*Latonæ filius.*

Ad hæc cum Poeta Horatius per *Cynthium* Apollinem in ea ode significaret, eo quod in monte Cynthio haberet templum, non poterat Latonæ matris ejus, cui in eodem monte etiam templum dicatum erat, non meminisse ex occasione. Adde quod cum ludi seculares (ut in superioribus diximus) essent omnis generis, fieri potuisse, ut ea ode cantaretur in ludis Apollinaribus, qui anno seculari dabantur, atque ad ludos seculares pertinebant. Scimus autem ex Macrobio lib. 1. Saturnalium in ludis Apollinaribus sacrum factum *Apollini, bove aurato, & capris duabus auratis; item Latonæ bove fæmina aurata.* Denique potuit saltem Latonę in aliquo carminum secularium meminisse Horatius, cum Latona esset de numero earum Dearum, quæ colebantur anno seculari, ut tradit Zosimus lib. 2. sic enim, ex versione Leunclavii, refert Deos Deasque, quibus cultus aliquis deferebatur ludis secularibus: *His autem Diis*, inquit, *rem sacram faciunt: videlicet Jovi, Junoni, Apollini, Latonæ, Dianæ; tum præter hos, Parcis, & Lucinis, & Cereri, & Diti Patri, & Proserpinæ.* Atque ita haberi in Græco constat. Quare Onuphrius Panvinius deprehenditur in editione fragmenti Zosimi, quod post libellum de ludis secularibus imprimi curavit, mala fide usus, dum Latonam inter Deos Deasque, quibus sacra fiebant illorum ludorum tempore, non enumeravit. His duobus argumentis tertium æque infirmum addit Torrentius, ut probet odam istam 21. lib. 1. non esse carmen seculare; nempe quod ea ode imperii Augusti initio fuerit conscripta, cum ludi seculares ab Augusto editi sint, non initio imperii ejus, sed anno 27. nempe Urbis conditæ 736. ut ille supputat: aut juxta nos, anno Imperii 28. cum dicamus editos ab eo ludos anno Urbis conditæ 737. Sed hæc probare non potest Torrentius. Quod enim adfert ad id proban-

A dum, initio Imperii Augusti fuisse pestilentiam ac famem, bello nempe Siculo, teste Appiano, Suetonio, & Plinio lib. 7. cap. 45. nullius est ponderis: potuit enim esse pestilentia & fames sub initium Imperii Augusti, & tamen hæc ode non fuisse tunc temporis composita. Imo alio tempore illam factam fuisse, ex his versibus conficitur:

—— *Hic miseram famem*
*Pestemque a Populo & Principe Cæsare, in*
*Persas atque Britannos*
*Vestra motus agat prece.*

B quia Octavius Augustus initio Imperii sui ante Actiacam victoriam, cum solus non imperaret, sed cum eo alii Triumviri, non poterat vocari *Princeps*. Propter hanc responsionem, quam prævidit Torrentius, effugium quærit, & dicit, si quis eo tempore Augustum, cum nondum solus præesset, recte Principem dici negaverit, eum ex Dione discere oportere initio lib. 54. M. Claudio Marcello & L. Aruntio Consulibus, qui fuit annus Urbis conditæ 632. pestem tota Italia exarsisse, ita ut agri inculti relinquerentur: atque eo tempore ait existimare se hanc odam 21. ab Horatio scriptam,
C cum forte ex libris Sibyllinis Dii isti placandi essent. Sed quis non videt, nihil prodesse eam evasiunculam, tum quia tunc potuit esse pestilentia & tum scripta non fuisse ea oda: tum quia etsi ei daretur, quod contendit, tamen sibi contradiceret Torrentius. tum enim initio Imperii Augusti ea oda scripta non fuisset, sed anno ejus vigesimo secundo, aut juxta alios vigesimo tertio: tum denique quia Horatius non agit de pestilentia, quæ tum grassabatur, cum scriberet (& ut hoc concederetur, maneret Torrentio probandum, etiam tum famem ac bellum fuisse, quod probare o-
D mittit) sed de peste, fame, bello, quæ timeri possent: quoniam dicit Apollinem ob preces chori, illa mala acturum in Persas atque Britannos, quod de tempore futuro melius, quam de præsenti accipitur. Maneat igitur, eam odam 21. libri 1. esse carmen seculare, ut diximus, ab Horatio editam ludis secularibus Augusti. Tertium seculare carmen apud eundem auctorem reperitur lib. 4. od. 6. ut agnoscunt Acron, Porphyrion, Lambinus, Marsilius, & concedunt Mancinellus, Torrentius, & Chabotius: qui immemor ejus,
E quod dixerat in odam 21. lib. 1. eam etiam esse seculare carmen concedere videtur. Certe de ea ode lib. 4. non est dubitandum, cum ex ipsis verbis satis constet, esse carmen seculare:

*Nupta jam dices: Ego Dis amicum*
*Seculo festas referente luces,*
*Reddidi carmen docilis modorum*
*Vatis Horati.*

Hæc de Latinis carminibus secularibus certa sunt. Meminit etiam Zosimus lib. 2. Historiæ novæ de Græcis carminibus, his verbis: 9. Græca carmina secularia.
F *Die tertio in Apollinis æde Palatina, ter novem illustres pueri cum totidem virginibus, omnes utrimque florentes, hoc est, qui ambos parentes superstites habent, hymnos & Pæanes Græca Romanaque lingua canunt, quibus subjectæ Romanis urbes servantur.* De illis Græcis carminibus quod dicam nihil habeo, nisi quod etiam anno ipso seculari composita fuisse videntur, a Romanis quibusdam, qui in Græca lingua versati erant; quia cum isti linguæ, æque ac suæ Romani addicti essent, non deerant, qui

carmina Græca condere possent. Certe Horatius lib.3. ode 8. Mæcenatem Græcis litteris excultum prodit, cum eum vocat *doctum sermonis utriusque linguæ*. Virgilius, aliique Poetæ ex Græcis Poetis multa desumpserunt. Unde Horatius sic monet Poetices studiosos lib. de Arte Poetica:

*—— vos exemplaria Græca*
*Nocturna versate manu, versate diurna.*

Imo ante tempora Horatii Poetæ Latini sola Græcorum Poetarum imitatione contenti erant: atque illius dumtaxat ætate aliquid proprio Marte adinvenire, resque sui seculi canere cœperunt, quod idem ipse in Arte Poetica annotat his versibus:

*Nil intentatum nostri liquere Poetæ,*
*Nec minimum meruere decus, vestigia Græca*
*Ausi deserere, & celebrare domestica facta.*

Idem fere contigit Oratoribus Latinis: nam usque ad Marci Antonii & Ciceronis ætatem Romæ lingua Græca ex Aristotele, aliisque auctoribus Græcis, præcepta Rhetoricæ juventuti tradebantur: quoniam artis dicendi Latina præcepta nulla extabant. Patet ex initio libri Ciceronis de Partitionibus oratoriis, in quo Cicero filius patrem suum hunc in modum alloquitur: *Studeo, mi pater, ex te audire ea, quæ mihi tu de ratione dicendi Græce tradidisti: si modo tibi est otium*. Et paulo post *Visne igitur, ut tu me Græce soles interrogare, sic ego te vicissim eisdem de rebus Latine interrogem?* Ex quibus præterquam quod conficitur id de quo quæstio erat, præterea pudore suffundi deberent ii, apud quos linguæ Græcæ studia ita jacent, ut vel intermittantur omnino, vel tantum perfunctorie tradantur.

## CAP. XVII.

*De carminis secularis natura & artificio.*

EX triplici vero carmine seculari, quod apud Horatium reperiri jam jam probavi, atque ex Catulli carmine, quod ad imitationem secularium carminum factum est, aliisque auctoribus, qui de hymnis tractarunt, cognosci potest carminis secularis genius atque artificium. Ac genius quidem ex eo discitur, quod illud sit de hymnorum & Pæanum genere, qui lyricis maxime modis delectantur inter Latinos, ut ait Pontanus lib 2. Inst. Poet. cap. 35. Alias hexametris versibus contexi posse, imo Orpheum, Callimachum, Homerum hexametris versibus hymnos conscripsisse, eorum opera testantur. Extat etiam apud Virgilium lib. 8. hymnus longe cultissimus, in quo in choros duos juniorum & seniorum divisi sacerdotes Herculis, ejus laudes & res præclare gestas ad illius aram concinunt. Secularia vero carmina esse de genere hymnorum & Pæanum tradit Zosimus lib.2. Hist. novæ & constat ex inscriptionibus antiquis odæ 21. lib. 1. Horatii, quam esse seculare carmen ostensum est supra: nam in antiquis codicibus *Hymnus ad chorum de Diana & Apolline*, inscribitur. Alias: *Hymnus in Dianam & Apollinem*. Vix differunt hymnus & Pæan, ut Cælius Rhodiginus libro septimo capite quinto se comperisse scribit: sed cantus divinis accommodati dicuntur universim Pæanes & hymni; particulares vero non unam habent nomenclaturam. Siquidem Dianæ hymnus dicitur *Hypingos*: Apollinis, *Hyporchema* vel *Pæan*, qui maxime concinebatur, ut pestis grassantis vis reprimeretur. Unde factum nomen Etymologici autumant, ὅτι καταπαύει τὸν λοιμόν. Dianæ simul & Apollinis hymnus *Prosodia* nuncupatur, Dionysi vero *Dithyrambus*. Et sic de aliis, quæ lege apud eundem Cœlium Rhodiginum lib. 5. cap. 3. ubi asserit tria fuisse hymnorum genera, *Prosodion*, *Hyporchema*, *Stasimon*; quæ explicat, quantum conjicio, ex Athenæo variis locis, ac Theodoreto Sermone 4. ad Græcos, ubi ad hæc alludit. Julius Scaliger de Poetica lib. 1. cap. 44. Pæanes & hymnos inter sese distingui ait, quod Pæanes solis Diis dicti: & hymni eodem argumento fuerint, sed stilo demissiore. Quod si verum est, ut esse existimo, secularia carmina, quæ sunt epipompeutica, ut idem Scaliger paulo infra annotat, magis cum Pæanibus, quam cum hymnis similitudinem habent; quoniam dicendi characterem requirunt pompis idoneum, atque ideo sublimiorem dicendi modum, quam in vulgaribus hymnis reperiatur. Quod est etiam observare in carminibus secularibus Horatianis: nam Catullianum carmen, quod seculare esse contendunt nonnulli, demissiori dicendi charactere, Latino tamen, scriptum est, ut perspicuum cuivis vel mediocriter in his versato. Hinc seculare carmen maxime scribendum lyricis numeris, ut Pæanes & hymnos scribi consuevisse ex Pontano paulo ante diximus, & loco citato confirmat Scaliger. Cum vero duplicis generis Pæan cum eodem Scaligero agnoscendum sit, alterum genus, quo Diis in victoriis gratulabantur cum acclamatione (peculiaris acclamatio erat ἰηπαιάν) alterum, quo eorum laudes celebrabant sine acclamatione; carmen seculare illi Pæanum generi accensendum est, quod sine acclamatione fiebat, ut exemplis Horatianorum carminum secularium comprobatur, cum in eis nulla adhibeatur acclamatio. Quod si roges, quo genere lyrici carminis maxime scribendum videatur seculare carmen, puto ex Horatio aliqua ratione colligi: nam ex tribus odis Horatii, quæ sunt carmina secularia, una est ode tricolos tetrastrophos, constans duobus versibus Asclepiadeis, uno Pherecratio, & uno Glyconio. Reliqua duo carmina secularia sunt odæ constantes Sapphicis tribus versibus, & unico Adonio. Ex quo liquet Horatium pluris fecisse ejus generis odas pro seculari carmine, ex eo quod bis usurparit, & propterea quod eos, qui suum carmen seculare recitabant (quod habetur lib. 4. ode 6.) monet, ut servent Lesbium pedem, hoc est, Sapphicum, quia Sappho ejus inventrix fuit Lesbia. De materia ergo carminis secularis ex dictis jam constat, nimirum eandem esse atque Pæanum ac hymnorum; hoc est, laudes Deorum, nominatim Dianæ atque Apollinis, quia illis ludi seculares erant dicati, ut Urbis Romanæ auctoribus. Quod tradit Horatius in carmine seculari post Epodon, *Roma si vestrum est opus*. Cujus rei causam Virgilius innuit lib. 4. Æneid. dum Æneas significat se jussu Apollinis Italiam petere:

*Sed nunc Italiam magnam Grynæus Apollo,*
*Italiam Lyciæ jussere capessere sortes.*

1. Carmen seculare e genere hymnorum & Pæanum.

2. Quo genere versus scribendum seculare carmen.

Jussum vero Apollinis habetur lib. 3.

*Dardanidæ duri, quæ vos a stirpe parentum*
*Prima tulit tellus, eadem vos ubere læto*
*Accipiet reduces: antiquam exquirite matrem.*
*Hic domus Æneæ cunctis dominabitur oris,*
*Et nati natorum, & qui nascentur ab illis,*

Et lib. 6. Æneas Apollini & Dianæ templum vovet, si in Italiam possit pervenire.

Ratio alia, cur seculares Appollini dicati essent, fuit, quia secula sunt maximæ temporis portiones. Apollo autem & Diana tempori præesse dicebantur a Poetis: nam Apollo est Sol, Diana vero Luna. unde Horatius in carmine seculari sic canit de utroque:

*Phœbe, sylvarumque potens Diana*
*Lucidum cœli decus.*

Et infra de Sole sigillatim:

*Alme Sol, curru nitido diem qui*
*Promis & celas.*

Item de Luna seorsim:

*Siderum Regina bicornis audi*
*Luna puellas.*

Similiter ode 6. lib. 4. vocat Dianam

*Celerem pronos volvere menses.*

Eleganter Ovid. lib. 2. Metamorph. describit Soli adstare omnes temporis partes, & inter cæteras secula:

*—— purpurea velatus veste sedebat*
*In solio Phœbus, claris lucente smaragdis.*
*A dextra lævaque dies, & mensis, & annus,*
*Seculaque, & positæ spatiis æqualibus horæ.*

*3. De artificio carminis secularis Horatii post librum Epodon.*

Hinc Acron vetus interpres carminis secularis Horatii post Epodon, scribit, *Actos ludos seculares pro cultu Solis die, & nocte Lunæ.* Atque hæc de carminis secularis genio. Transeo ad artificium Poeticum, quo illud condidit Horatius, ut cæteri imitari possint. In carmine seculari, quod est post librum Epodon, hoc noto artificium. In eo tacet Poeta, & chorus puerorum ac puellarum (qui patrimi ac matrimi erant) exorditur ab invocatione Apollinis & Dianæ, rogatque sibi concedi, quæ postulat anno seculari, quo ex librorum Sibyllinorum monitu Diis Romanæ urbis præsidibus carmen est concinendum. Deinde pueri & puellæ vicissim a Diis illis postulant varia sibi conferri beneficia, collata conservari. Hunc autem ordinem servant: 1. Pueri petunt ab Apolline, ut ipse, qui Sol est, nihil Romana urbe majus videre possit. Puellæ petunt a Diana, ut mulieres Romanas in partu juvet, legem latam ad augendam Romanam sobolem prosperam reddat, ut liberis succedentibus suis parentibus seculares ludi fiant, secularia carmina nova condantur. 2. Pueri postulant a Parcis, ut rempublicam florentem servent, atque novis beneficiis cumulent; a Tellure petunt, ut agris frugum ubertatem; a Jove ut pluvias salubres det; item ut aer fœtus animalium & alios foveat, ne morbo aut peste intereant. 3. Pueri & puellæ aliquot, vel omnes simul, rogant Apollinem & Dianam A simul, ut ille audiat pueros, hæc puellas. Idque ut faciat, si Romanæ urbis sunt auctores, si eorum auspiciis Æneas ejusque socii in Hetruriam pervenere, ut eis plura darent in Italia, quam alibi reliquissent. Denique a Diis omnibus flagitant, ut juventuti bonos mores, senectuti quietem, omnibus Romanis divitias, honores, & liberos concedant; ipsi vero Imperatori diuturnum Imperium, clementiam in cives, de hostibus victoriam dent. Addunt ejus spem esse, eo quod Medi, Romanorum potentiam experti, eos timeant; Scythæ atque Indi legatione missa de pace responsa B expetant, quod eo tempore virtutes majorum reflorescant, atque rerum omnium sit abundantia. 4. Pueri ab Apolline contendunt, ut populi Romani res meliores (ea est formula solemnis in ludis Apollinaribus, ut ex Macrobio lib. 1. cap. 27. constat) ampliores que faciat, atque in alterum seculum florentem Romanam urbem conservet. Puellæ vero precantur Dianam, ut Quindecimvirorum publicas preces audiat, votis puerorum (qui altera pars chori erant) annuat. 5. Denique chorus universus, pueri nimirum ac puellæ simul, concludunt more solemni, ut notat Acron, dicentes, se C spem concepisse optimam, eamque se domum referre, quod Jupiter, cæterique Dii omnes, vota illorum ac preces exaudiverint. Observandum etiam in eo carmine, quod quotiescumque sive chorus, sive pueri soli, sive puellæ solæ, quod alternis fere fieri ostendimus, aliquid ab Diis sibi indulgeri supplicant, semper aliquod novum vocabulum in istorum Deorum laudem adjiciunt. Pueri Apollinem vocant *almum Solem*, laudantque ex eo, quod nocte elapsa diem revehat. Vocant *augurem decorum arcu, acceptum novem Camœnis*, & D alia ejusmodi nomina attribuunt. Puellæ vocant Dianam, *Ilithyam, Lucinarum, Genialem, Siderum Reginam, Lunam*, & aliis similibus epithetis afficiunt. Quæ ostendunt Horatium servasse morem in Pæanibus & hymnis receptum, ut nominum variorum commemoratione, Deorum potentia ac laudes comprehendantur. Hunc morem variis Græcorum exemplis probat Petrus Victorius variarum lib. 10. cap. 2. & annotat Orpheum in suis hymnis observasse Natalis Comes lib. 1. Mythologiæ cap. 16. Ex Latinis Catullus in 35. carmine ad imitationem secularis, postquam varia Dia- E næ nomina enumeravit, hæc addit:

*Sis quocum placet tibi*
*Sancta nomine.*

Etiam animadversione dignum, quod cum modo chorus totus, modo pueri ac puellæ alternis, in carmine seculari concinant, id fiat ex arte, ob hoc Sibyllæ monitum:

—— ἀειδόμενοί τε Λατῖνοι
Παιᾶνας, κούροις κούρῃσί τε νηὸν ἔχοιεν
Ἀθανάτων· χωρὶς δὲ κόραι χορὸν αὐταὶ ἔχοιεν,
Καὶ χωρὶς παίδων ἄρσην στάχυς, ἀλλὰ γονήων
Πάντων ζωόντων, τοῖς ἀμφιθαλὴς ἔτι φύτλη.

*—— cantantesque Latini*
F *Pæanas cum pueris puellisque in æde versentur*
*Immortalium. seorsum autem puellæ chorum ipsæ habeant*
*Et seorsum puerorum masculus ordo, sed parentum*
*Omnium viventium, quibus virens adhuc utrimque sit genus.*

Pueri porro illi ac puellæ non solum habere debebant utrumque parentem superstitem, ut dicitur in carmine Sibyllæ jam citato, sed

*4. Quod … timi …*

mi, pueri & puellæ carmen seculare concinerent.

præterea debebant esse patrimi: hoc est, confarreatis parentibus geniti, ut Taciti verbis utar lib. 6. Annal. vel ut Servius explicat lib. 1. Georg. orti ex confarreatione, quod est matrimonium flaminis & flaminiæ. Unde in seculari carmine vocantur.

*Virgines lectæ, puerique casti.*

Et ode 6. lib. 4.

*Virginum primæ, puerique claris*
*Patribus orti.*

Huc etiam pertinet, quod peculiari capite supra explicavimus, varia in eo carmine a Diis peti & pro variis; maxime ut famem, bellum, pestem illi averterent a populo, & ut florentem redderent urbem Romanam. & quidem hæc partim a pueris ac puellis seorsim, partim ab integro choro ex illis conflato. hoc enim totum chori officium fuisse testatur Horatius lib. 2. epist. 1. his versibus.

*Castis cum pueris ignara puella mariti*
*Disceret unde preces, vatem ni Musa dedisset?*
*Poscit opem chorus, & præsentia numina sentit,*
*Cœlestes implorat aquas, docta preces blandus:*
*Avertit morbos, metuenda pericula pellit,*
*Impetrat & pacem, locupletem frugibus annum.*

Ex quo loco etiam discimus chorum preces carmine comprehensas edidicisse, atque de memoria recitasse; quo etiam de aliis versibus apparet ex Livio lib. 27. his verbis: *Decrevere item Pontifices, ut virgines ter novenæ per urbem euntes carmen canerent: id cum in Jovis Statoris æde discerent, conditum a Livio Poeta carmen, tacta de cœlo ædes in Aventino Junonis Reginæ.* Sicut vero hoc carmen Livius refert a Poeta quodam, cui nomen Livio, ita lib. 31. aliud simile carmen compositum tradit a Licinio Tegula. Et Tacitus in vita Horatii, narrat eum carmen seculare (quo de agimus) Imperatoris Augusti jussu composuisse. Unde apparet carminum ejusmodi epipompeuticorum componendorum curam præstantissimis Poetis, qui florebant anno seculari, fuisse demandatam. Atque ut de modo hoc recitandi aliquid adjungam, constat non solum illa carmina de memoria pronunciata, sed etiam cum cantu, & musicis instrumentis recitari solita, sicut consueverant recitari omnia lyrica poemata. id Horatius ipse de carmine seculari significat ode 6. lib. 4.

5. Carmen seculare de memoria cum instrumentis musicis, gestibus, & saltu concinebatur.

*Lesbium servate pedem, meique*
*Pollicis ictum.*

Nam per *sui pollicis ictum* Horatius intelligit certam rationem sibi familiarem pollice tangendi lyram, aut aliud musicum instrumentum, quam edocuerat illos, quibus carmen seculare concinendum erat. Est etiam vero simile inter recitandum saltus adhibitos fuisse: ad quid enim memoriæ inculcabantur ea carmina, nisi ut eo liberius cum gestibus ac saltibus concinerentur? Legimus enim in Livio de simili carmine lib. 27. Virgines quæ carmen recitabant in pompa Junonis, *sonum vocis pedum pulsu modulantes, incessisse.* Atque constat in hymnis, quæ post sacrificia canebantur, non solum adhibitum cantum & instrumenta musica, sed etiam saltus. Carmen autem seculare, post sacrificia, quæ anno centesimo fiebant, cantatum fuisse, habetur ex versu Sibyllino de ludis secularibus. Unde Lucianus in lib. περὶ ὀρχήσεως, *de saltatione*, eam vocat exercitium divinum, quod in Deorum honorem fieri soleret: nulla enim sacra, ut ibidem ait, nullæ festivitates, ceremoniæ, initiationes, sine saltatione fieri consueverunt. Adde, quod cum dixerim, carmen seculare idem esse fere cum Pæane sive Hyporchemate, non potuisse sine saltatione recitari, quod Athenæus docet lib. 14. ex Dalecampii versione, his verbis: *Quapropter hoc si ab omni memoria repetatur, Poetæ semper saltationum modos præstituerunt, figuras depingentes, quæ cantionum essent notæ, diligenter id præscribentes, quod virile ac generosum esset: quamobrem & hyporchemata illa nuncuparunt.* Nec refert quod inferius lyricæ poeseos saltationes enumerans, Pyrrichen, Gymnopedicen, Hyporchematicen, postremam asserat non esse absimilem comicæ saltationi, quam *Cordacem* appellant, de qua paulo infra dicit: Κόρδαξ παρ' Ἕλλησι φορτικός. ἡ δ' ἐμμέλεια σπουδαία. *Cordax apud Græcos fuit despicatui, Emmeleia vero in pretio,* ut vertit idem Dalecampius, sed hæc versio non est ad sensum auctoris. Nam sic verti debuit: *Cordax apud Græcos jocosa, Emmelia vero seria.* Si enim Cordax despicatui fuisset, eam non usurpassent toties Poetæ Græci: & male asseruisset Athenæus Hyporchematicen esse Cordaci similem, quę in Deorum laudibus tam fuit frequens, ut ipse saltem fuisse apud Cretenses fatetur lib. 5. & supra. Male etiam dixisset semper Poetas pręscripsisse in cantibus & saltibus, id quod esset generosum ac virile, & Hyporchemata appellasse. Fuisse autem carmen seculare cum jocosis potius quam seriis gestibus & saltibus, dubitandum non est, tum quia in versu Sibyllino hoc præceptum extat, σπουδὴ δὲ γέλωτι μεμίχθω *feriæ res autem risui misceantur*, tum quia pueros ac puellas jocosa decebant. liberales tamen jocos fuisse adhibitos, non dubito, post sacrificia aliasque ferias ceremonias. Erant autem joci illi potissimum in gestibus & saltibus ad verba accommodatis: forte etiam in ipsis verbis. Sicut autem de Hyporchemate dicit Athenæus lib. 14. fuisse illud commune viris ac mulieribus, ita a pueris & puellis saltantibus carmen seculare fuit cantatum. Maxime eo quod saltator ipse Apollo crederetur, cui inter cæteros Deos etiam seculares ludi sacri: nam saltator ideo a Pindaro dictus esse Apollo refertur ab Athenæo lib. 1. atque eam ob causam, quod saltu delectari Apollo & Diana crederentur, Bathyllica (non *Baryllica*, ut vitiose scriptum in Scaligeri lib. 1. Poetices, cap. 18. ubi hæc tradit) in eorum honorem saltabatur a viris atque mulieribus, simul mixtis. Bathyllica, inquam, a Bathyllo, qui saltationem Italicam invenit, ut testatur Athenæus lib. 1. de eodem Bathyllo meminit Juven. Sat. 6.

*Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo.*

Imo Zosimus l. 1. eum Bathyllum Augusti tempore eam saltandi rationem scribit in Italiam introduxisse. Unde facile est cogitare etiam in Augusti ludis secularibus eam non fuisse prætermissam. Causam affert Servius ad Eclog. 5. cur saltationes sacris immiscerent veteres: *Ideo in religionibus*, inquit, *saltabant majores, quia nullam corporis partem esse voluerunt, quæ non sentiret religionem: nam cantus ad animum, saltus ad mobilitatem pertinet corporis.* Qui plura cupit de saltationibus, de quibus hic nos ex occa-

occasione, legat Lucianum, Athenæum locis citatis, Scaligerum 1. Poetices, cap. 18. Wolphangum Lazium de Republica lib. 10. cap. 12. Petrum Fabrum lib. 1. Agonosticon. cap. 12. Meursium in libro, cui nomen Orchestra, & alios. Canebantur autem carmina secularia tribus diebus ludorum secularium, ut Zosimus asserit. Quare existimo seculare carmen Horatii, quod habetur lib. 4. die primo cantatum fuisse: carmen quod habetur lib. 1. odarum, secundo die: tertio denique die, id quod post librum Epodon extat. Imo etiam canebantur ipsis noctibus tribus ludorum, ut Horatius innuit his versibus:

*Certus undenos decies per annos*
*Orbis ut cantus referatque ludos*
*Ter die claro, totidemque grata*
*Nocte frequentes.*

Zosimus etiam tradit matronas secundo die ludorum secularium carmina cecinisse. Quod ita capiendum est, ut illæ suis sumptibus quædam curarent sacrificia, & cum pueris atque puellis canerent, non vero solæ. Venio modo ad alia Horatii carmina secularia, quodque artificium peculiare in iis observavi, breviter perstringo. Imprimis ode 21. lib. 1. quam probavimus esse carmen seculare, hoc diversum ab altero carmine seculari habet, quod in ea chorus puerorum ac puellarum taceat, atque Poeta quasi choragum agens alloquatur chorum, adhortetur puellas, ut Dianam; pueros, ut Apollinem laudibus celebrent. Puto vero, dum Poeta illos alloquebatur, totum chorum gestibus & motibus ea, ad quæ facienda invitabantur, expressisse: subinde vultus precantium, subinde alios assumpsisse. Imo suspicari posset quispiam eos ejus verba paucis mutatis secutos fuisse, & repetiisse, vel certe laudes quasdam consuetas cantasse. Artificium denique odes 6. lib. 4. est hoc: Universus chorus puerorum ac puellarum ex abrupto in laudes Apollinis prorumpit, quas sex strophis integris persequitur. Inde Poeta Horatius loquitur, & laudans eundem Apollinem, ab eo rogat, ut suæ Latinæ Musæ decus contra invidos tueatur: deinde ad chorum conversus, sese illi commendat a peritia artis Poeticæ, & Poetæ nomine, quod Apollo sibi dedit, illum monet ac hortatur, ut suæ odæ Sapphicæ genium, cantus sui lyrici modos, & certam rationem lyram percutiendi sibi familiarem observet, inter canendum laudes Apollinis & Dianæ. Atque ut supra dictum in re simili, chorus respondisse videtur gestibus & motibus corporis, exprimens ea, ad quæ facienda Poeta illum invitabat. Denique Horatius, aliquam ex choro puellarum alloquens præ cæteris, prædicit, eam, cum nupserit, narraturam sese didicisse carmen seculare ab se Horatio compositum, atque recitasse. Ex quibus omnibus conficitur in seculari carmine non modo posse induci chorum solum loquentem, sed etiam solum Poetam, quasi choragum: item ipsum chorum & Poetam. Denique chorum & alternis duas chori partes, nimirum chorum solum puerorum, & chorum solum puellarum. Observant aliqui Horatium puellas pueris semper præposuisse, dum de iis locutus est: sed id non pertinere ad artem poeticam patet ex eo, quod in Sibyllino carmine, ubi chorus, qui cantet carmina secularia ac hymnos, adhibendus scribitur anno seculari, id non observetur; sed prius pueri in eo, quam puellæ nominentur. Atque hæc de carmine seculari, ejusque artificio, quod ii, qui de Poetica scripserunt Antonius Minturnus, Julius Scaliger, Jacobus Pontanus, Alexander Donatus vix obiter attigerunt.

6. De artificio aliorum carminum secularium Horatii.

## Finis primæ Partis.

# R. P. PETRI TAFFINI
## AUDOMARENSIS
## *DE*
# VETERUM ROMANORUM
# ANNO SECULARI,
## EJUSQUE CELEBRITATE POTISSIMUM PER
# LUDOS SECULARES.

*Usque ad eorum abolitionem, & mutationem in Jubilæi sacri celebritatem.*

---

## PARS II.

### CAP. I.

*De varietate Chronologiæ ludorum secularium.*



DE ludorum secularium Chronologia, quæ admodum obscura est, varii varia censent: & duplicem esse maxime celebrem opinionem de vera primorum ludorum secularium Chronologia, nemo in doctrina temporum vel mediocriter versatus ignorat. Prior est illa, quæ ex Historicorum veterum monumentis eruitur, maxime vero Valerio Antiate & Livio, quam ex recentioribus amplectitur Dionysius Petavius doctrinæ Temporum lib. 2. cap. 76. & alii a nobis citati, nosque cum illis amplectemur, atque confirmabimus capitibus sequentibus. Posterior est illa, quæ traditur in commentariis Quindecimvirorum, ut refert Censorinus lib. de Die natali cap. 17. quam qui sequuntur, sunt in tres classes divisi.

Prima Classis est eorum, qui Varronianam annorum supputationem sequuntur in Consulum serie assignanda, eorumque annis ad annorum urbis Romanæ epocham collatis: quam secutum Censorinum loco citato tradit Onuphrius Panvinius in libello de Ludis secularibus, eique sese adjungit, quem deinde alii etiam sequuntur.

Secunda Classis est eorum, qui supputationem Fastorum consularium Verrii Flacci, quæ uno anno Varronianam supputationem prægreditur: ita ut illi a prioribus auctoribus, qui eandem Quindecimvirorum opinionem amplectuntur, anno uno differant. In hac classe sunt Winandus Pighius in Annalibus, Sigonius in libro Emendationum cap. 14. Salianus tomo 5. Annalium veteris Testamenti, Gordonus tomo 1. Chrono-
D logiæ ad annum Mundi 3549. & alii. Et hi quidem omnes, qui hanc posteriorem opinionem sequuntur, cujuscumque sint classis, seculum constare volunt centum & decem annis, sive viginti & duobus lustris. Ad hos accedit Scaliger de Emendatione temporum lib. 2. ubi agit de anno Romano: sed Censorinum ratus non sequi, neque Varronianam, neque Verrii Flaci supputationem, quia in numeris valde diverse legitur, tertiam Classem in hac opinione constituit. Quare tabulas proponam, quibus istarum duarum opinionum diversa annorum ratio in editio-
E ne ludorum & enumeratione consulum appareat. Addam aliam juxta Fabii Pictoris sententiam, ut suggessit R. P. Bucherius vir in Chronologicis & aliis versatissimus, quia eam judico probabilem. Prior ostendet Chronologiam secularium ludorum juxta opinionem nostram de spatio seculi, secundum Varronis opinionem de epocha Urbis Romæ: secunda Chronologiam eorundem ludorum supposita nostra opinione de seculi spatio, juxta opinionem Fabii Pictoris de epocha Urbis Romæ: tertia Chronologiam eorundem ludorum exhibebit, supposita opi-
F nione Quindecimvirorum de seculo, sive auctores, qui eos sequuntur, amplectantur Varronianam sententiam de annis Urbis Romæ conditæ, sive Verrii Flacci in Fastis Capitolinis, sive aliam.

# TABULA PRIMA LUDORUM SECULARIUM

*Est ad mentem nostram, supposita opinione Varronis, de anno Urbis conditæ, Olympiadis sextæ anno tertio sub finem.*

PRimum lustrum suppono institutum a Rege Servio Tullio anno regni sui 30. quod ostendam agendo de secundis ludis secularibus. Item suppono, ut ibidem dicam, Romanos edentes secundos ludos seculares, ad primum lustrum respexisse. Denique suppono annum 30. Servii Tullii incidere, juxta Varronianam supputationem annorum Urbis conditæ, in annum Urbis conditæ 205.

| SERIES LUDORUM. | ANNI ab V.C. quo editi, vel edendi erant. | NOTA, annum, quo edi debuerunt ludi, hac tabula signari; quia ex anno illo legitimo (licet omissi sint) Chronologia ludorum singulis centum annis melius patet. CONSULES, SUB QUIBUS EDITI. |
|---|---|---|
| LUDI I. | 245. | P. VALERIUS POPLICOLA, TITUS LUCRETIUS { Consules. |
| II. | 305. | L. VALERIUS POTITUS, M. HORATIUS BARBATUS { Consules. |
| 3. | 405. | Omissi fuerunt, cum eo anno edendi fuissent, cum Consules essent hi: \| C. MARCIUS RUTILIUS. T. MANLIUS TORQUATUS |
| III. | 505. | P. CLAUDIUS PULCHER, C. JUNIUS PULLUS { Consulles. |
| IIII. | 605. | L. MARCUS CENSORINUS, MARCUS MANILIUS { Consules. |
| 5. | 705. | Omissi fuerunt, cum eo anno fieri debuissent, cum Consules essent hi: \| C. CLAUDIUS MARCELLUS. L. CORNELIUS LENTULUS. |
| V. | Extra ordinem editi anno 737. | CÆSAR AUGUSTUS IMPERATOR. CAJUS FURNIUS, JUNIUS SILANUS { Consules. |
| VI. | 800. | CLAUDIUS CÆSAR IMPERATOR. CLAUDIUS CÆSAR 4um, L. VITELLIUS 3um { Consules. |
| VII. | 846. vel 841. | DOMITIANUS IMPERATOR. DOMITIANUS 16um, VOLUSIUS SATURNINUS { Conf. \| Vel si anno 841. edit. \| DOMITIANUS 14, MINUTIUS RUF. } Conf. |
| VIII. | 900. | ANTONINUS PIUS IMPERATOR. M. VALERIUS LARGUS, M. VALERIUS MESSALINUS { Consules. |
| IX. | 957. | L. SEPTIMIUS SEVERUS: M. AURELIUS ANTONINUS IMPER. FABIUS CHILO, M. ANNIUS LIBO { Consules. |
| X. | 1000. | PHILIPPUS PATER: PHILIPPUS FILIUS IMPERATORES. PATER 3um, FILIUS 2um { Consules. |
| XI. | Incertus annus. Forte facti anno 1016. | GALLIENUS IMPERATOR. Consules incerti, vel illi, qui anno illo Urbis conditæ. \| NUMMIUS ALBINUS. MAXIMUS DEXTER. |
| 11. | 1057. | Omissi, cum ab editis ludis secularibus a SEVERO IMPERATORE, centum anni fluxissent, dum essent Consules hi: \| DIOCLETIANUS AUG. IX. MAXIMIANUS AUG. VII. |
| 11. | 1067. | Omissi, cum ab editis ludis secularibus a CONSTANTINO IMPERATORE, centum decem anni fluxissent, dum Consules essent hi: \| CEJONIUS RUFUS, ANNIANUS { Consules. |
| XII. | 1157. | HONORIUS IMPERATOR & 6um Cos., ARISTÆNETUS { Consules. |

# TABULA SECUNDA LUDORUM SECULARIUM

*juxta Fabii Pictoris epocham Urbis Romæ conditæ Olympiadis octavæ anno primo.*

PRimum Lustrum institutum suppono anno 30. Servii Tullii Romanorum Regis: quod ostendam agendo de secundis ludis secularibus. Item suppono, ut ibidem dicam, Romanos edentes secundos ludos seculares, ad primum lustrum respexisse. Denique suppono illum annum Tullii 30. cum juxta Varronianam supputationem incidat in annum Urbis Romæ conditæ 205. incidere juxta sententiam Fabii Pictoris, qui annis quinque conditam Urbem Romanam serius ponit quam Varro, incidere in annum Urbis conditæ 200. quod manifestum est consideranti.

| SERIES LUDORUM. | ANNUS V.C. quo editi, vel edendi erant. | CONSULES, SUB QUIBUS EDITI LUDI JUXTA FABII PICTORIS OPINIONEM |
|---|---|---|
| LUDI I. | 245. editi. | PUBLIUS VALERIUS POPLICOLA, TITUS LUCRETIUS { Consules. |
| II. | 300. editi. | Quinam fuerint Consules in illis secularibus juxta hanc opinionem F. Pictoris, incertum est: potuit enim eosdem ponere, quos Varro posuit, incipiendo a Valerio Poplicola usque ad Julium Cæsarem, sicuti Thomas Lydyat exprimit illum eosdem posuisse ab Julio Cæsare usque ad Flavium Vespasianum, in calce sui libri, cui nomen *Recensio & explicatio argumentorum, &c.* Potuit enim a Varrone semper annis quinque differre, licet eosdem cum illo Consules poneret: nimirum numerando annum 200. cum Varro postea numeravit 205. & 300. cum Varro numeravit 305. & sic de aliis. Suspicor vero, sic eum fecisse. Potuit etiam Fabius Pictor ponere Consules diversos ab iis, quos posuit postea Varro, si ex Consulum serie Fabius Pictor aliquos putavit omittendos, quos Varro postea non prætermisit; aut aliquos interseruit, quos Varro omisit. Nam de variis paribus Consulum ambigi potest ante Augusti tempora, quos aliqui addunt, aliqui omittunt: cum controversa sit istorum temporum Consulum series. Nos vero defectu auctorum scire non possumus, quam Fabius Pictor Consulum seriem admiserit usque ad sua tempora. |
| III. | 400. omissi. | |
| IIII. | 500. editi. | |
| V. | 600. editi. | |
| VI. | 700. omissi. | |
| VII. | Extra ordinem editi anno 737. | CÆSAR AUGUSTUS IMPERATOR.<br>CAJUS FURNIUS, JUNIUS SILANUS. Vel alii, pro serie Consulum, quam F. Pictor secutus fuisset, si vixisset { Consules. |

Adverte, amice Lector, reliquos ludos seculares editos eo ordine, quem in priore tabula Chronologica repræsentavi: sed quia verosimile est eos Imperatores, qui annis Urbis conditæ secularibus eos ludos seculares ediderunt, ad hanc epocham Fabii Pictoris respexisse, ut Claudius Imperator, qui edidit anno 800. Antoninus Pius Imperator, qui anno 900. Philippi Imperatores, qui anno 1000. ut ex priore tabula nostra Chronologica patet; ideo etiam hic eorum ludos ordine referre visum est, ludis secularibus eorum Imperatorum prætermissis, qui eosdem ediderunt, aut juxta Varronis, aut Verrii Flacci, supputationes de U. C. Epocha.

| | | |
|---|---|---|
| VIII. | 800. | CLAUDIUS CÆSAR IMPERATOR.<br>CLAUDIUS CÆSAR 4um, L. VITELLIUS 3um { Consules. |
| IX. | 900. | ANTONINUS PIUS IMPERATOR.<br>M. VALERIUS LARGUS, M. VALERIUS MESSALINUS { Consules. |
| X. | 1000. | PHILIPPUS PATER, PHILIPPUS FILIUS, IMPERAT.<br>PATER 3um, FILIUS 2um { Consules. |

Adverte etiam, amice Lector, eorum Imperatorum ludos seculares, qui in tabula prima Cronologica a me exhibentur, atque hic omissi sunt, ex Imperatorum libidine, non observato tempore legitimo, fuisse editos: ut patebit hanc tabulam consideranti, & cum illa comparanti.

# TABULA TERTIA LUDORUM SECULARIUM

*ad mentem eorum, qui Quindecim virorum opinionem de ſeculo ampleƈtuntur.*

| SERIES LUDORUM. | ANNUS V. C. quo editi, juxta eos, qui ſequuntur Faſtorum Capitolinorum chronologiam. | ANNUS V. C. quo editi, juxta eos, qui ſequuntur Varronianam ſupputationem. | ANNUS V. C. quo editi, juxta opinionem Scaligeri, & aliorum recentiorum. | CONSULES ET IMPERATORES, ſub quibus ludi editi. |
|---|---|---|---|---|
| LUDI I. | 297. | 298. | 299. | M. VALERIUS MAXIMUS<br>SPURIUS VIRGINIUS TRICOSTUS { Conſules. |
| II. | 407. | 408. | 408. | M. VALERIUS CORVINUS<br>C. POETILIUS LIBO. vel<br>FABIUS DORSO<br>SERVIUS SULPICIUS { Conſules. |
| III. | 517. | 518. | 518. | P. CORNELIUS LENTULUS<br>LICINIUS VARUS. vel<br>T. MANILIUS TORQUATUS<br>C. ATTILIUS BULBUS { Conſules. * |
| | * Scaliger Conſules ponit C. Claudium Pulchrum & Junium Pullum; ſed manifeſte errat, quia illi Conſules non fuerunt anno illo Urbis conditæ. | | | |
| IIII. | 627. | 628. | 629. | M. ÆMILIUS LEPIDUS, L. ORESTES. vel<br>M. PLAUTIUS YPSÆUS, & M. FULV. vel<br>C. CASSIUS LONGINUS, C. SEXTIUS { Conſules |
| V. | 736. | 737. | 737. | CÆSAR AUGUSTUS IMPER.<br>CAJUS FURNIUS, JUNIUS SILANUS. { Conſul.<br>vel alii pro varietate anni & ſeriei Conſulum, quam hi auƈtores ſequuntur. |
| VI. | 800. | 800. | 800. | CLAUDIUS CÆSAR IMPERATOR.<br>CLAUDIUS $4^{um}$<br>L. VITELLIVS $3^{um}$ { Conſules. |
| VII. | 841. | 841. | 841. | DOMITIANUS IMPERATOR.<br>DOMITIANUS $14^{um}$<br>MINUTIUS RUFUS { Conſules. |
| VIII. | 900. | Nihil de illis ludis habent, qui de ſecularibus ludis ſcripſerunt haƈtenus juxta hanc opinionē Quindecimvirorum | | M. VALERIUS LARGUS<br>VALERIUS MESSALINUS { Conſules. |
| IX. | 957. | 957. | 957. | L. SEPTIMIUS SEVERUS<br>M. AURELIUS ANTONINUS { Imperatores.<br>FABIUS CHILO<br>M. ANNIUS LIBO { Conſules. |
| X. | 1000. | 1000. | 1000. | PHILIPPUS PATER<br>PHILIPPUS FILIUS { Imperatores.<br>PATER $3^{um}$<br>FILIUS $2^{um}$ { Conſules. |
| XI. | Incertum an editi; forte editi anno 1016. | Nihil de illis ludis habent, qui de ſecularibus ludis ſcripſerunt haƈtenus juxta hanc opinionem Quindecimvirorum, ſi anno adſcripto editi. | | NUMMIUS ALBINUS<br>MAXIMUS DEXTER { Conſules. |
| II. | 1057. | Omiſſi, cum ab editis ſecularibus ludis a SEVERO IMPERATORE, centum anni fluxiſſent, dum eſſent Conſules hi: | | DIOCLETIANUS AUG. IX.<br>MAXIMIANUS AUG. VIII. { Conſules. |
| II. | 1067. | Omiſſi, cum a ludis SEVERI IMP. centum decem anni fluxiſſent ex opinione Quindecimvirorum, dum Conſules eſſent hi: | | CONSTANTINUS AUG. $3^{um}$<br>LICINIUS $3^{um}$ vel<br>CEIONIUS RUFUS<br>ANNIANUS { Conſules. |
| XII. | 1157. | 1157. | 1157. | HONORIUS IMPERATOR $6^{um}$<br>ARISTÆNETUS { Conſules. |

## Cap. II.

*Refellitur Quindecimvirorum opinio de Chronologia quatuor primorum ludorum secularium, atque alia eligitur.*

1. Opinio Quindecimvirorum proponitur.

Quoniam opinio Quindecimvirorum de ludis secularibus fundamentum habet illud, quod capite primo partis primæ destruxi, nimirum seculum centum & decem annis constare, ideo ad eam refellendam prima ratio sit, quod ea opinio statuit ad seculum centum & decem annos exigi, neque centum sufficere; quod falsum esse probavi, atque a Quindecimviris confictum. Quam rationem affert vir doctissimus, atque inter Chronologos hujus temporis facile primus, R. P. Dionysius Petavius his verbis lib. 2. de doctrina Temporum cap. 76. *Quod ad Quindecimvirorum commentaria spectat, in quibus ludi seculares per CX. annorum spatia digesti sunt, eos sacerdotes arbitror ex ingenio atque opinione sua intervallum ejusmodi constituisse, ac ludos ad illos annos annotasse, non ut ex veteribus fastis didicerant, sed quemadmodum collocandi erant, ut per CX. annos redirent, & Augusti secularibus congruerent. Igitur ad epocham Augusti secularium ludorum intervalla direxerunt, ac primos ludos in eo anno fixerunt, a quo deinceps ad Augusteos, quater CX. annorum spatium intercederet, ut ludi quinti in annum DCC. XXXVIII. inciderent.* Hæc ille, qui licet assertionem suam de Quindecimvirorum commento non confirmarit; puto tamen ab eo

2. Ratio 1. contra Quindecimviros ex variis indiciis, commentum illorum de spatio seculi.

optime confirmari potuisse, ac reipsa confirmo, inprimis ex causa, quæ eos movere potuit, ut id comminiscerentur. Nimirum ne illi in suo officio graviter deliquisse convincerentur, ex eo quod tempus legitimum, quo ludi seculares erant ex more institutoque majorum celebrandi, non indicassent iis, quorum intererat; nominatim Imperatori Octavio Augusto, cum tamen ad munus illorum ea cura pertineret. Animadvertebant siquidem illi, Augustum de ludorum secularium tempore inquirere, atque re diligenter examinata comperiebant annos jam fluxisse triginta duos circiter, ex quo fluxerat legitimum tempus, quo eos edi oportuisset. Quare cum suam culpam non possent non videre, & proinde merito timerent, ne de sua auctoritate multum decederent, eam omni ratione obtegere conati sunt. Quam in rem (cum nihil excogitari posset accommodatius) ad seculum requiri centum & decem annos asserere cœperunt; atque mutato primorum ludorum anno, ad quatuor primorum ludorum spatium, secula quatuor, CX. annorum, ita disposuerunt, ut tempus legitimum edendi quintos ludos seculares incideret in annum, quo de iis Augustus inquirebat: qui erat annus ab Urbe condita (juxta nostram sententiam de ludis secularibus quintis) DCCXXXVII. Id vero præstiterunt, cum ludos seculares primos institutos asseruerunt a Consule quodam M. Valerio, anno Urbis conditæ 297. vel 298. vel 299. juxta diversas opiniones, quæ ex tabula 3. proposita superiore capite apparebunt. Hęc autem quę de negligentia & culpa Quindecimvirorum assero, certa sunt ex auctoribus citatis capite 1. quorum verba citabimus agendo de quintis ludis. Deinde commenti illius de spatio seculi CX. annorum occasio satis est evidens, ex eo, quod M. Valerio Consule id factum dixerint anno jam dicto: cum enim scirent apud omnes eam opinionem de primis ludis invaluisse, quod primum a Valerio quodam essent instituti, ad istum Consulem Valerium se referre posse animadverterunt institutionem ludorum secularium, ne fraus facile detegi posset ob notum passim nomen primi institutoris ludorum. Denique ex eo id figmentum esse detegitur, quod nullus omnino auctor proferri possit, qui ante Augusti ludos floruerit, cum nondum id confinxerant Quindecimviri, qui docuerit seculum constare centum decem annis, neque ullus sit ex antiquis auctoribus, qui Quindecimvirorum opinionem sequatur. Non Valerius Antias, non Varro, non Livius, non Cnæus Gellius, non Cassius Hemina, non Lucius Piso, quorum sententias subinde affert Censorinus loco citato, quæ a supputatione Quindecimvirorum semper discrepant, quam etiam Censorinus, qui longe vicinior erat Onuphrio temporibus Augusti, non est ausus amplecti: quamvis falso eam amplexum asserat Gordonus tomo 1. Chronologiæ ad annum mundi 3549. nam Censorinus opinionem Quindecimvirorum, & alteram aliorum auctorum refert, neque indicat quam sequatur, saltem aperte: nam tacite significat se eam non sequi, cum seculum Romanum centum annorum fuisse dicit cap. 17. cujus verba citavimus cap. 1. partis 1. Sed, ut puto, non advertit Gordonus Censorinum duas illas opiniones persequi, & de singulis ludis agendo exponere; qua ex re etiam deceptus est Cuspinianus. Sensit is primos ludos institutos a Valerio Poplicola post Reges fugatos, & secundos editos a Consulibus M. Valerio & Spurio Virginio Tricosto anno 297. Quod etiam insinuat Robortellus lib. Annot. cap. 13. & 14. Altera ratio est meo judicio valde efficax ad Quindecimvirorum Chronologiam refellendam, quod nullus omnino auctor ex iis, qui extant, quique initium ludorum secularium examinarunt, & scriptis prodiderunt, præter istos Quindecimvirorum commentarios asseruerit, initium illis datum a M. Valerio & Spurio Virginio: sed affirmant eos instituisse P. Valerium Poplicolam, qui fugato Rege Tarquinio Superbo Consulatum paulo post obtinuit. Jam vero, quis non videt alium esse Publium Valerium Poplicolam, alium M. Valerium, licet forte ex Poplicolæ posteris fuerit? Quis non videt Poplicolam vixisse alio tempore, multo ante annum, quem pro illis ludis assignant Quindecimviri? Quod si quis auctores desiderat, qui asserunt primum ludorum auctorem Publium istum Valerium Poplicolam, legat 1. partis caput 3. reperietque Valerium Maximum, Zosimum, Valerium Antiatem, Festum Pompejum, Pomponium Lætum citari, omissis aliis, qui ad hoc probandum citari possent, nisi isti sufficerent.

3. Altera ratio ab auctoritate.

Denique confirmari potest ex eo, quod longe convenientius disponi possit seculum in lustra, & alias suas partes, in nostra quam in istorum auctorum opinione, qui sententiam Quindecimvirorum propugnant. Nam secundum nos, seculum habet centum annos, qui numerus est perfectus, & resolvitur in lustra, quorum duo faciunt decem annos: ita ut bis decem lustris constet, aut decies decem annis. Cum juxta illos seculum constet centum an-

4. Tertia ratio a meliore serie seculi, quæ proponitur.


nis & decem, qui numeri ſunt imperfecti: nam numeri eo ſunt perfectiores, quo per denarios magis efferri ac dividi poſſunt. Annotabit hæc, qui Scaligeri ſeriem ſeculi Romani juxta ſententiam Quindecimvirorum conſiderare volet lib. 2. de emendatione Temporum, in annos ſuos & luſtra digeſtam; atque hanc, quam ex occaſione, ejus imitatione ſubjicio, A cum ea conferet. His ita ſe habentibus in ea opinione ſum, quam capite 1. propoſui, nempe ſeculum fuiſſe centum dumtaxat annorum, atque ea opinione ſuppoſita ſeriem ludorum ſecularium ſequentibus capitibus proponam, atque confirmabo Chronologiam ex bonis auctoribus. Interea hic ſeculi ſeriem in noſtra opinione conſiderandam exhibeo.

## Series ſeculi Romani in annis & luſtris ſuis juxta opinionem noſtram.

| Annorum Decas | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| I. | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |
| | Luſtrum 1 | | | | | Luſtrum 2 | | | | |
| II. | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |
| | Luſtrum 3 | | | | | Luſtrum 4 | | | | |
| III. | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 |
| | Luſtrum 5 | | | | | Luſtrum 6 | | | | |
| IV. | 31 | 32 | 33 | 34 | 35 | 36 | 37 | 38 | 39 | 40 |
| | Luſtrum 7 | | | | | Luſtrum 8 | | | | |
| V. | 41 | 42 | 43 | 44 | 45 | 46 | 47 | 48 | 49 | 50 |
| | Luſtrum 9 | | | | | Luſtrum 10 | | | | |
| VI. | 51 | 52 | 53 | 54 | 55 | 56 | 57 | 58 | 59 | 60 |
| | Luſtrum 11 | | | | | Luſtrum 12 | | | | |
| VII. | 61 | 62 | 63 | 64 | 65 | 66 | 67 | 68 | 69 | 70 |
| | Luſtrum 13 | | | | | Luſtrum 14 | | | | |
| VIII. | 71 | 72 | 73 | 74 | 75 | 76 | 77 | 78 | 79 | 80 |
| | Luſtrum 15 | | | | | Luſtrum 16 | | | | |
| IX. | 81 | 82 | 83 | 84 | 85 | 86 | 87 | 88 | 89 | 90 |
| | Luſtrum 17 | | | | | Luſtrum 18 | | | | |
| X. | 91 | 92 | 93 | 94 | 95 | 96 | 97 | 98 | 99 | 100 |
| | Luſtrum 19 | | | | | Luſtrum 20 | | | | |

## CAP. III.

*Annus primorum ludorum, ut in Tabula mea Chronologica proponitur & stabilitur.*




HUnc annum ludorum primorum secularium assignat Valerius Antias antiquior Livio historicus, cujus sola fragmenta jam restant, sed apud Censorinum lib. de Die natali, cap. 17. ejus de primis ludis secularibus sententia proponitur his verbis ( ut docte emendat Sigonius lib. Emendationum parte 2. cap. 6. & alii, licet ipse opinionem Quindecimvirorum sequatur ) *Primos ludos seculares exactis Regibus constat post Romam conditam annis CCXLV. a Valerio Poplicola institutos esse; at ex Quindecimvirorum commentariis, anno CCXCVIII. M. Valerio, Sp. Virginio Coss.* Nam priori parte istius loci Censorinus refert sententiam Historicorum veterum, maxime Valerii Antiatis, in posteriori parte, Quindecimvirorum. Hunc annum etiam assignare debent ii omnes, qui tenent eos ludos a Valerio Poplicola institutos, si Livii opinionem de anno Urbis Romanæ conditæ, quo Reges exacti (quem ille assignat CCXLIV. ) sequi velint: quæ est celebrior aliis, & plurium auctorum. Eam enim opinionem sequitur Dionysius Halicarnasseus lib. 1. item lib. 5. in fine, & sub initium libri 5. Varro, Messala, Censorinus, & alii, quos citat & sequitur Onuphrius in Fastis & annotationibus ad lib. 1. Fastorum, qui anno interregni non computato Reges asserunt regnasse annos CCXLIII. ut Eutropius & Sextus Rufus. nam eo anno interregni computato existit annus CCXLIV. regifugii. Eodem anno CCXLIV. Reges Roma expulsos posuisse credendus est Valerius Antias & Censorinus: quamvis enim Censorinus dicat cap. 17. ab Urbis primordio ad Reges exactos annos CCXLIV. factos, neminem esse auctorem, credendus est exclusisse annum interregni, & voluisse regnatum annis CCXLIII. & unum fuisse interregni. Nam non potest negari illum eam sententiam in Livio legisse lib. 1. in fine: *Regnatum Romæ anno ab Urbe condita ad eandem liberatam anno CCXLIV. Duo Consules inde comitiis centuriatis a Præfecto Urbis ex commentariis Servii Tullii creati sunt*, **A** *L. Junius Brutus & L. Tarquinius Collatinus.* Neque dici potest velle Livio contradicere in ullo, sed eum oportet exponere de annis, quibus regnatum, & anno interregni post Romulum, ut cum Livio consentiat. Eandem sententiam amplectitur Salianus tom. 5. Annalium ad annum mundi 3545. Urbis conditæ CCXLIV. qui plures citat in scholio ad num. 3. quibus adjunge Dionysium Petavium lib. 10. de doctrina Temporum cap. 21. qui fuse eam rem pertractat & ostendit, & breviter lib. 13. **B** His igitur ita positis facile apparet, non alio anno primos ludos seculares institutos a P. Valerio Poplicola, quam CCXLV. utpote qui illo anno tantum Consul esse cœperit, quo Reges fugati; & quidem non statim, eo quod statim a Regis Tarquinii expulsione Consules creati fuerint L. Junius Brutus & Tarquinius Collatinus. Sed cum Collatinus esset suspectus ob genus & nomen regium, non diu in consulatu fuit, sed Lavinium migrare coactus est: ut tradunt Livius lib. 2. Plutarchus in Poplicola, Cicero 3. de Officiis. Successit autem **C** in ejus locum Valerius Poplicola, atque in decursu sui consulatus ludos primos seculares instituit. Unde liquet fuisse annum Urbis conditæ CCXLV. Sed, inquies, hæc omnia subsisterent, si Poplicola ludos seculares instituisset primo suo consulatu: cum autem instituerit consulatu quarto, nullo modo subsistunt. Eum autem illos Consulatu suo quarto instituisse auctor est Plutarchus in ejus vita his verbis: *Poplicola IV. Consul factus est. Quia Sabini & Latini conspiraverant, erat belli suspicio. Religionem insuper civitati attulerat, quod omnes mulieres, quæ ea hora* **D** *prægnantes erant, partus imperfectos ejicerent, neque esset suo tempore ullus editus. Itaque Poplicola ex libris Sibyllinis placatis Diis inferis, ludisque ex oraculo Apollinis instauratis, & fiducia divini numinis erecta civitate, jam ad hominum se convertit minas*, &c. Ex quo loco Salianus supra citatus, quamvis fateatur Valerium Maximum putasse ludos seculares a Popli-

1. Annus, quo Reges Roma exacti.

2. An Poplicola 1. an 4. suo Consulatu ludos seculares instituerit.

A plicola institutos consulatu suo primo; assentitur tamen potius Plutarcho notanti quartum Poplicolæ consulatum. Henricus Spondanus in Annalibus sacris a mundi creatione ad ejus reparationem, ad annum mundi 3545. ab V. C. 246 in fine, in quartum etiam consulatum ludorum institutionem referendam innuit, ex eodem Plutarcho. Verum certum existimo esse debere apud quemcumque, qui auctorum loca expenderit, ludos primos seculares non fuisse institutos consulatu quarto Poplicolæ, tum quia Plutarchus eo loco non agit de ludorum secularium institutione a Poplicola, sed de aliis ludis editis consulatu B quarto Poplicolæ; quod patet tum ex eo, quod dicit ludos illos ex oraculo Apollinis instauratos, quod primis ludis secularibus non convenit; tum ex eo quod causa eos ludos instaurandi, quam refert, non convenit primæ institutioni ludorum secularium. Non enim ob partus difficiles & imperfectos mulierum ludi seculares fuerunt primum editi, sed iis de causis, quas supra persecuti sumus. Tum denique quia satis ex textu apparet Plutarchum

3. Ludi Taurii quinam. agere de ludis Tauriis, qui, ut ait Festus ab Ursino suppletus, *instituti Diis inferis ex hac* C *causa videntur, Tarquinio regnante, cum magna incidisset pestilentia in mulieres gravidas, quod earum fætus infecti sunt, ex carne divendita populo taurorum immolatorum.* Quæ recte suppleta, patet ex Festi Abbreviatore Paulo Diacono, ubi eadem refert. Taurii vero ludi, distinguebantur a secularibus, ut notat Rosinus lib. 5. cap. 21. in hoc maxime, quod in Circo Flaminio ludi Taurii fierent, teste Varrone lib. 4. de lingua Latina; ludi vero seculares in campo Martio, & in omnibus theatris, & spectaculorum locis fierent. Accedit quod Auctores satis clare insinuant, lu- D dos seculares primo Valerii Poplicolæ consulatu editos. Nam Valerius Maximus lib. 2. cap. 4. sic habet: *Exemplum Valerius Poplicola, qui primus consul fuit, secutus est.* Non enim Valerius Maximus referens secularium ludorum originem addidisset, Poplicolam fuisse primum consulem, nisi ut indicaret id in primo ejus consulatu contigisse. Censorinus etiam cap. 17. dicens *ludos seculares exactis Regibus a Valerio Poplicola esse institutos*, hoc ipsum clarius innuit: neque enim *exactis Regibus institutos* diceret, si censeret institutos quarto consulatu; uti nemo sapiens diceret, E id quod quarto anno Regis fuisset institutum, fuisse institutum Rege alteri in regnum succedente. Denique diserte Zosimus asserit in Græco textu lib. 2. Historiæ novæ, id factum primo consulatu Valerii Poplicolæ, his verbis, ex versione Leunclavii: *Sequentibus inde temporibus, anno post exactos Reges primo, cum pestis urbem occupasset, P. Valerius Poplicola mactato in hac ara Diti Patri & Proserpinæ bove nigro nigraque bucula, peste liberavit Urbem*, &c. Quæ verba Onuphrius ita exposuit, ut incertum relinqueret, quo anno Poplicola

id fecisset, uti incertum esse in ipso libro de ludis secularibus affirmaverat; sed qua fide id fecerit, ipse viderit. Certe viri docti agnoverunt ex solis locis Valerii & Censorini, Poplicolæ primo consulatu ludos seculares institutos. Lege Sigonium lib. Emendationum parte 2. cap. 6. Politianum Miscell. 58. Henricum Lindenbrogium in notis ad Censorinum, Wolfangum Lazium de Republica l. 10. cap. 6. Vives in lib. 3. Augustini de Civitate Dei cap. 18. & alios. Quod si quis his omnibus auditis mordicus tueri velit Plutarchum egisse loco citato de ludis secularibus, duplex occurrit solutio: primo ut dicatur Plutarchus in hac re errasse, dum quarto consulatu primordia ludorum secularium posuit. Neque id esse mirum, cum in eadem vita Poplicolæ etiam erravit in alia re. Cum nimirum asseruit, pridie Kal. Martii Brutum in prælio occisum fuisse: hoc enim falsum apparet ex eo, quod sic Brutus quinto die consulatus occubuisset. quæ non stant cum illis, quæ ab illo in consulatu gesta referuntur. Neque dici possit usque ad Martii sequentis anni diem kalendas antecedentem vixisse, eo quod constet in ejus locum ante finem anni ejus consulatus duos consequenter fuisse suffectos. Deinde constat etiam errasse alibi Plutarchum circa primos consules: nempe in Problematis, dum scribit, Kalendis Januarii creatos primos consules. quod ex auctoribus falsum deprehenditur: atque non ante annum sexcentesimum ab Urbe condita kalendis Januarii fuisse creatos credendum sit, si eo tempore creati sunt. Lege Onuphrii annotationes in lib. 1. Fastorum. Quod si cuipiam hæc solutio minus arridet, secunda hæc solutio adhiberi posset, quod Plutarchus in ea sententia fuerit, ut crederet Reges expulsos anno ab Urbe condita CCXL. (de quo tamen mihi non constat) & vellet eodem anno, quo nos, institutos primos ludos seculares; atque idcirco eos quarto consulatu institutos scriberet. Certe non defuerunt auctores, qui anno CCXL. Urbis conditæ dicerent Tarquinium Regem fugatum. Ita tenet Eusebius in Chronico ad annum Abrahæ 1505. nam quamvis etiam annum CCXLIII. nominet, non tamen eum assignat, quasi eo Reges pulsi sint in sua sententia; sed quia referre vult aliquos ita sentire, & rem obscuram esse. Ita Pontacus Episcopus Vasatensis in doctissimis notis in eum auctorem. Obscura autem res ea videri Plutarcho potuit, tum ex eo, quod alii historici plures uni eidemque Regi annos tribuerent, alii pauciores; tum ex eo quod aliqui non ita distinguerent annos completos ab inchoatis, quoniam annus tempore primorum Regum erat decem dumtaxat mensium. Unde eam etiam opinionem secutus est Cassiodorus in Chronico, Solinus Polyhist. cap. 2. ut colligitur ex annis quos singulis Regibus attribuunt, quamvis cum interregno Romuli CCXLI. numerent.

4. Plutarchus perstringitur.

## CAP. IV.

*Annus secundorum ludorum secularium proponitur & stabilitur.*




1. Qui de anno secundorum ludorum agant.

DUo sunt auctores veteres, ex quibus annus, quem supra notavimus, ludorum secularium cognosci potest; licet non sine auctorum recentiorum diversis super ea re judiciis, eo quod uterque locus corruptus videatur. Imo alter eorum tam obscure e Græco in Latinum vertitur a nonnullis, ut aliqui non adverterint eum de secundis ludis secularibus agere. Id contigit in Zosimo (qui cum Censorino lib. de Die natali est alter ex duobus illis auctoribus) nam Winandus Pighius in Annalibus lib. 4. ad annum V. C 407. dicit, *præter Censorinum neminem, quod sciat, antiquorum auctorum, qui ad nostra tempora pervenerit, secundorum secularium ludorum facere mentionem*. Verum ut patebit ex dicendis, Zosimus etiam agit de illis, sicut Censorinus. De quo ut prius dicere aggrediar, ajo ex illius cap. 17. haberi Valerii Antiatis sententiam genuinam de anno secundorum ludorum secularium, atque eam esse, quam proposui, quando factos asserui V. C. anno 305. sic enim habet Censorinus, agens de ludis secularibus: *Secundi*, inquit, *facti sunt Livio & Antiate auctoribus, anno post Urbem conditam quinto & trecentesimo*. Eum locum corruptum varii auctores produnt; sed nullum aliud in eo vitium admittendum est, nisi quod conjunctio (&) omissa in editione Carrionis, quam sequimur. Quare nulla ratione ferendus est Winandus Pighius loco citato, qui eum locum Censorini ita emendat, ut juxta Antiatis & aliorum sententiam secundi ludi seculares celebrati fuerint anno ab Urbe condita octavo & quadragesimo supra trecentesimum. Neque etiam audiendus Robortellus, qui ita eundem locum corrigit lib. Annotationum cap. 13. ut iidem acti fuerint anno ab Urbe condita 297. Neque denique audiendus Sigonius lib. 2. Emendationum parte 2. cap. 6. qui ita legendum contendit contra Robortellum, ut velit illos anno ab Urbe condita 408. Nam præterquam quod ii tres auctores pro suo arbitratu Censorini locum corrigunt, sine veterum exemplarium auctoritate, & nullo modo favente textu, quem jam habemus ex emendatione Carrionis ad vetera exemplaria,

2. Censorini quidam locus integer ostenditur, contra varios.

A in quo habetur ludos secundos editos anno quinto & trecentesimo; assignant illi annos, qui supposita sententia Antiatis de seculo centum annorum, & anno primorum ludorum secularium defendi non possunt, spectato præsertim Censorini contextu; quod de singulis ordine breviter ostendo. Inprimis non potest sustineri emendatio Winandi Pighii, tum quia, cum Valerius Antias asserat primos ludos seculares celebratos anno 245. ab eo anno usque ad 348. intercederent centum tres anni circiter. Unde distantia inter primos & secundos ludos seculares fuisset tribus annis circiter B major spatio centum annorum, cum centum annos Antias tantum exigat ad seculi spatium: tum quia annus ille cum anno tertiorum ludorum secularium ejusdem Antiatis componi non posset, ut seculum inter secundos & tertios interpositum ostenderetur, ut ex dicendis planum fiet. Neque subsistit emendatio Robortelli, tum ob hanc postremam rationem, tum quia ille in eundem annum confert ludos seculares juxta Antiatis sententiam, atque juxta sententiam Decemvirorum, quam ut distinctam proponit Censorinus, ut eum legenti C patebit, & notat Sigonius contra Robortelli explicationem loco citato; ubi alia contra illam affert, quæ curiosus Lector legere poterit apud eum, vel tomo 3. Thesauri critici. Denique ipsa Sigonii correctio admitti non potest: sic enim inter primos seculares ludos & secundos, ex Valerii Antiatis, aliorumque historicorum sententia, centum & sexaginta tres anni interjecti fuissent, quod tempus omnium omnino auctorum opinione longe excedit seculi spatium. Cum igitur optime propugnari possit annus secundorum ludorum secularium, quem Censorinus adfert, & nos proposuimus, omni- D no id faciendum est. Sed, inquies, ratio magni momenti militat, ne ille annus 305. ludis secundis assignatus retineri possit; nempe quod eo anno assignato, fatendum esset inter primos & secundos ludos seculares non fuisse interpositum unum integrum centum annorum seculum, sed annos dumtaxat sexaginta. Quod manifestum est, si numeretur ab mensis Martii eo die, quo ludi seculares

edebantur (ut supra diximus, & de primis quatuor ludis fatetur Onuphrius lib. de Ludis secularibus) nempe die XI. X. IX. Kalendas Maii. Videtur enim Petavius lib. 2. de doctrina Temp. cap. 76. numerans inter primos & secundos ludos annos sexaginta & unum, in eo a vero aberrasse, quod annos illos quasi completos numeravit, qui revera completi non fuerunt. Nam 245. annus fuerat inchoatus XI. Kalendas Martii: & 305. fuerat eodem tempore in ludos seculares impensus ab XI. Kalendas ejusdem mensis. Verum eam rationem contra ea, quæ dixi, nullius ponderis censeo: nam nihil est, quod cogat inter primos ludos seculares & secundos asserere spatium centum annorum interpositum; cum etiam ex alterius sententiæ propugnatoribus id aliqui concedant, ut Cuspinianus, qui secundos ludos ponit anno ab Urbe condita 297. & Robortellus paulo ante citatus. Item in nostra opinione id teneat Dionysius Petavius, qui instar multorum esse potest. Ad hoc autem concedendum, non improbabilis ratio occurrit. Nempe quod consules edendo secundos ludos seculares ante seculum elapsum ab editis primis, pro secundis ludis reflexerint ad primum lustrum, atque centesimo anno ab eo decurso illos celebrare voluerint, quia seculum lustris constabat: imo seculum lustrum erat maximum juxta Martialem l. 4. epigr. 1. ubi de Domitiani ludis agens sic habet:

3. An inter primos & secundos seculares ludos seculi intervallum.

*Hic colat ingenti redeuntia secula lustro.*

Et clarius Horatius in carmine seculari post Epodon, his versibus:

*Alterum in lustrum, meliusque semper*
*Proroget ævum.*

Accipio autem lustrum pro spatio quinque annorum, ex Appulejo in Apolog. his verbis: *Annos computet, quos mulieri assignabat, probet quinque & quinquaginta; lustro mentitus est.* atque ex l. *Non intelligitur.* 3. *§. Cum quinquennium. ff.* de Jure fisci & sententia communi. Lustrum autem primum a Servio Tullio institutum fuit anno regni ejus trigesimo, qui annus Regis Tullii coincidit cum anno urbis Romanæ conditæ 205. juxta Varronianam supputationem, a quo usque ad annum 305. quo ludos secundos factos dicimus, sunt anni centum. Eo anno Tullii conditum primum lustrum elici potest ex Valerio Maximo lib. 3. cap. 4. ubi refert contigisse Tullio quater lustrum condere: nempe anno regni trigesimo, juxta nostram sententiam, statim initio; anno trigesimo quarto in fine; item anno trigesimo nono in fine; denique anno quadragesimo quarto paulo ante mortem. Nam Servius Tullius regnavit annis quadraginta quatuor, juxta Solinum lib. 1. cap. 2. Livium lib. 1. Dionysium Halicarnasseum lib. 1. & alios, quorum sententia præferenda est aliorum sententiæ, qui triginta quatuor ei tantum tribuunt, ut Messala, Corvinus, Sextus Rufus, Eusebius, Cassiodorus, Beda, & alii: unde etiam eorum opinionem pauci sequuntur, atque eam quam præferendam diximus, amplectitur Onuphrius in Fastis, Jacobus Salianus in Annalibus Ecclesiasticis, & alii. Annum vero quadragesimum quartum exactum, ut lustrum celebrari posset, quod quinque annos exigebat, habemus ex Dionysio Halicarnasseo lib. 4. his verbis: Τοιαύτης τελευτῆς ἔτυχε Τούλλιος, ἔτη τετταράκοντα τὴν βασιλείαν κατασχών. Hæc enim ita interpres vertit: *Hunc exitum sortitus est Tullius, post exactum in regno annum quartum supra quadragesimum.* Neque te moveat, quod in Græco deest annus quartus: illum enim ex Græco excidisse librariorum aut descriptorum incuria convincitur ex lib. 1. ejusdem auctoris, ubi sic habet: Σερβούιος Τούλλιος τετταράκοντα καὶ τέτταρα ἔτη, supple, *regnavit*. Quare in textu Latino merito adjecit *quartum* supra quadragesimum Sylburgius ejus interpres, & potuisset in Græco adjicere, sed hoc vitium, sicut alia, reliquit. Sed hæc breviter ex occasione; sicut & illud, quod ita exactos illos annos quatuor intellexisse videatur Eutropius lib. 1. ut Tullium annis quadraginta quinque regnasse scribat. Unde non plane immerito ab Onuphrio citatur in Commentariis in lib. 1. Fastorum, inter eos, qui tantum illi tribuunt triginta quatuor annos. Idem ex Censorino colligitur, si locus (in cap. 13. ut illi citant, qui editione Aldi Manutii utuntur, aut in emendata editione a Carrione cap. 18.) qui a Scaligero lib. 2. de Emendatione temporum corruptus dicitur librarii vitio, restituatur conformiter ad ea, quæ dixi, hoc modo: *Idem tempus anni magni Romanis fuit, quod lustrum appellabant, ita quidem a Servio Tullio institutum, ut quinto quoque anno, censu civium habito, lustrum conderetur. Sed non ita a posteris servatum. nam cum inter primum a Servio Rege conditum lustrum, & id quod ab Imperatore Vespasiano quintum, & Cæsare tertium Coss. factum est, anni interfuerint paulo minus sexcentis quinquaginta* (legendum est *sexcentis triginta*, & ex eo, quod dicat, *paulo minus*, intelligendus est velle significare annos sexcentos viginti) *lustra tamen per ea tempora non plura, quam septuaginta quinque facta sunt, & postea plane fieri desierunt.* Si, inquam, sic restituatur ille locus, colligitur anno 30. Tullii primum lustrum conditum; quia Vespasiani consulatus quintus, & Titi Cæsaris tertius, incidit juxta quorundam supputationem, quam videtur illic secutus Censorinus, in annum Urbis conditæ 827. juxta alios in annum 827. Interfuerunt autem inter eum annum & primum lustrum a Tullio Rege conditum anni 620. ex quo fit, ut si demantur illi anni 620. ex annis 825. remaneant 205. qui annus fuit regni Tullii 30. quo dicimus primum lustrum conditum. Ex quo planum fit, ab eo primo lustro condito ad secundos ludos seculares editos anno 305. centum annos fluxisse. Scio Onuphrium Panvinium in Fastorum commentariis lib. 1. asserere lustrum a Tullio Rege conditum anno suo 11. vel 12. Scaligerum lib. 2. de Emendatione Temporum lib. 2. putare anno regni 12. id contigisse: Petavium lib. 2. de doctrina Temporum cap. 76. velle lustrum institutum anno Servii Tullii vel 4. vel 5. vel 6. saltem ante decimum. Sed priores duo satis a Petavio refelluntur, & ipse pro sua sententia nihil affert, quod nos cogat eam amplecti, aut quo nostra sententia confutari solide possit. Venio jam ad Zosimi locum, ex quo etiam aliquo modo colligi potest annus secundorum ludorum secularium. Ita igitur ille habet: *Anno ab Urbe condita quingentesimo secundo, senatus iis se malis liberare de Sibyllinis oraculis volens, eos, ad quos hæc cura pertinebat, oracula consulere jussit: illis mali finem fore nuntiantibus, si Diti Patri & Proserpinæ rem*

4. A quo, & quando primum Romanum lustrum institutum.

5. Ex Zosimi loco correcto annus secundorum ludorum eruitur.

*sacram fecissent. Perquisitum locum Diti Patri & Proserpinæ, ceu jussi fuerant, M. Poplio IV. Consule dedicarunt, & peracto sacro, malis urgentibus liberati, rursus aram absconderunt in extremo campo Martio alicubi sitam.* Ac inprimis eo loco agere Zosimum de secundis ludis, dubitandum non est, cum ista subjungat, quando de primis ludis egit; unde eum locum de secundis ludis secularibus plerique capiunt, qui ludos seculares sub consulibus editos in suos annos referunt, ut Politianus Miscell. 58. Onuphrius in libello de Ludis secularibus, Vives in lib. 3. S. Augustini de Civitate Dei cap 18. Zwingerus in Theatro vitæ humanæ volum. 27. lib. 4. tit. de *Ludis*. Deinde eo loco, aliquo modo colligi posse, quo anno celebrati sint secundi ludi seculares, patet ex eo, quod illo loco (emendato, prout exigit sententiæ suæ ratio) auctores citati illum annum exprimere conentur. Dixi *emendato*, quia eum locum corruptum in anno, quem præfert, fatendum est: & advertit Onuphrius loco citato, atque agens de secundis ludis sic restituit, ut secundos ludos anno post Urbem conditam 406. actos Zosimus referat, cum infra in ejusdem libri Zosimi fragmento, editos post annos 400. Zosimum velle exponat. Eam sententiam Livii præterea esse suspicatur, in quo illi nemo, ut puto, assentietur, quia ea illius opinio nullo fundamento nititur, atque ex ea sequeretur inter primos & secundos ludos interpositos annos 161. Quod nemo dixerit, qui inter sese tempora ludorum componere volet, tum quia plus quam seculum interjectum fuisset inter primos & secundos ludos seculares, juxta eam quam sequimur sententiam, Antiatis & Livii, sicque tota sequentium ludorum chronologia non subsisteret, ut patebit ex sequentibus. Illum locum Leunclavius Zosimi interpres etiam vitiatum advertit, & restituit, *anno trecentesimo quinquagesimo secundo*, ad textus marginem. Sed ille numerus non est idoneus, neque ad Antiatis sententiam, neque ad sententiam Livii; quia sic centum & septem anni inter primos & secundos ludos fuissent interpositi, cum illi seculum centum annorum statuant. Neque est idoneus ad Quindecimvirorum sententiam, qui ponunt primos ludos seculares editos anno Urbis conditæ 297. vel 298. vel 299. juxta varietatem sententiarum variorum auctorum, de quibus in tabula 3. post cap. 1. secundæ partis a nobis proposita; quia tum inter primos & secundos ludos reperirentur anni solum 55. vel 54. vel 53. cum juxta illorum sententiam centum & decem anni interjecti fuerint. Restituendus itaque est ille locus ad Antiatis sententiam, sic: *anno trecentesimo quinto*. sic enim a condito primo lustro centum anni reperientur usque ad secundos ludos seculares, in quibus ad lustrum primum attendisse eos, qui illos edebant, supra dixi: atque id sua sententia asserit Scaliger lib. 2. de Emendatione temporum, existimans ludorum secularium originem a primo lustro repetendam esse, atque ab eo usque ad primos ludos seculum centum & decem annorum interjectum fuisse, in quo ab eo recedimus. Favet huic meæ emendationi Zosimus, quod Consul *Poplius* idem videtur esse ac *Poplicola*. Ex sententia enim Varronis, quam proponit Petavius l. 13. de doctrina Temporum, & alii anno Urbis conditæ 305. consules fuerunt M. Horatius Barbatus (qui ex Zosimi textu excidisse, ex littera *M.* conjicitur) & L. Valerius Poplicola Potitus. Pighius, qui Verrium Flaccum sequitur, uno anno dumtaxat ante eosdem consules enumerat. Quæ omnia cum anno a me assignato secundis ludis secularibus belle conveniunt. Atque ut nihil de his ludis intactum relinquam, confutanda superest sententia Ludovici Vives in locum S. Augustini ante citatum, & Zwingeri in loco citato Theatri; qui dicunt ludos secundos seculares editos anno ab Urbe condita 501. primi belli Punici anno undecimo. Verum illi auctores, præterquam quod sine ullo alio a se auctore tenent illos ludos anno undecimo primi belli Punici celebratos; nec certe, nec certo possunt concludere, eos ludos anno Urbis conditæ 501. factos fuisse, quoniam incertum est initium primi belli Punici. Livius lib. 31. in principio asserit inchoatum illud bellum primum Punicum anno Urbis conditæ 488. Florus lib. 2. cap. 1. anno *prope quingentesimo*. Solinus lib. 1. cap. 2. a P. Martino Delrio emendatus anno V. C. 489. cum ante haberet 380. ut annotat Camers in lib. 2. Flori c. 2. Fasti Capitolini anno V. C. 489. ex quibus Solinum correxisse deprehenditur Martinus Delrio. Plinius lib. 33. cap. 3. anno 580. Orosius lib. 4. cap. 7. 483. Hi autem anni primi belli Punici non conveniunt cum anno, quem ejus belli undecimum assignant Ludovicus Vives, & Theodorus Zwingerus, ut patebit supputanti. Dicent Gellium scribere lib. 17. cap. ultimo, illius primi belli Punici annum primum fuisse V. C. 490. ex quo clarum est ejusdem undecimum esse annum ab V. C. 501. Sed cur illi potius Gellio adhærent, quam aliis citatis longe melioris notæ auctoribus? Certe ut suo arbitratu illum eligunt, ita nobis liberum erit, aliam opinionem sequi de hujus primi belli Punici initio. Denique annus ille ludorum 501. non est accommodatus, neque ad Antiatis, neque ad Livii sententiam de secundis ludis secularibus, quia sic inter primos ludos seculares & secundos interfuissent anni 266. & quatuor dumtaxat anni inter secundos & tertios: neque ad sententiam Quindecimvirorum, quia cum illi putent ludos primos institutos annos 297. vel 298. vel 299. ut diximus, a primis ludis ad secundos anni 204. vel 205. fluxissent, quod est abhorrens ab sententia illorum: item inter secundos & tertios ludos seculares tantum interfuissent anni 16. vel 17. vel 18. pro opinionum varietate, quæ nemo non videt esse absurda in illorum sententia. Denique ex ea sententia fere omnia incommoda oriuntur, quæ ex ipso vitiato textu Zosimi, cum proportione ad annum ab eo statutum; quia in eo habetur eos factos anno Urbis conditæ 502. Denique ex his omnibus apparet, quam sit difficile stabilire annum secundorum ludorum secularium, ut mirum non sit, si plerique auctores, qui de ludis secularibus egerunt, de secundis & consequentibus usque ad ludos ab Augusto editos ne verbum quidem dixerunt, ut Wolphgangus Lazius in commentariis Reipubl. lib. 10. cap. 6. Julius Scaliger Josephi pater lib. 1. de Poetica, cap. 38. Raderus in Martialis librum 4. Epig. 1. & lib. 13. Epigr. 63. & alii, qui suos ad Onuphrium amandant lectores: quæ enim desperabant, tractata nitescere posse, vel reliquerunt, vel attentis multis in chronologia

6. Refellitur quorundam auctorum recentiorum opinio, de anno secundo ludorum secularium.

erroribus obiter attigerunt, ut etiam quidam recentiores.

7. Proponitur sententia probabilis, ludos sex priores singulis secularibus annis U.C. editos.

His ita se habentibus difficilis non nemini videri potest ea assertio, qua affirmavi Romanos in edendis ludis secularibus respexisse ad primum lustrum a Tullio institutum, cum potius videantur attendere debuisse, vel ad primos ludos seculares, vel certe annum secundum ab Urbe condita secularem. Sed ejus difficultatis solutio afferri potest, quæ, ut puto, sicut mihi minime displicet, ita nonnullis viris doctis arridebit. Nimirum ad primos ludos seculares non potuisse sese referre eos Consules, qui seculares secundos ediderunt, eo quod manifestum esset non effluxisse seculi spatium eo tempore, quo illi eos celebrandos decernebant: posse vero dici eos respexisse ad primum lustrum a Servio Tullio conditum, a quo seculi spatium ad illud tempus, quo ludi illi dati fuerunt, erat prætersum. Imo concedi potest eos etiam respexisse ad annum Urbis conditæ secularem secundum, quo lustrum institutum fuit: nam si opinionem Fabii Pictoris, antiquissimi annalium scriptoris, illi secuti sunt, annus ille, quo lustrum est conditum, fuit Urbis conditæ ducentesimus; atque annus, quo ludi seculares editi, trecentesimus; annus vero, quo quarti, quadringentesimus, & sic de aliis. Cum enim jam probaverim juxta M. Terentii Varronis supputationem annorum Urbis Romæ (quam ille conditam censuit exeunte anno 3. Olympiadis sextæ) primum lustrum institutum a Servio Tullio annum fuisse ab Urbe condita 205. atque Fabius Pictor posuerit Romam conditam anno 1. Olympiadis octavæ, hoc est, integris quinque annis post Varronem, fit ut lustrum juxta ejus opinionem fuerit institutum a Rege Tullio anno U.C. 200. Ex quo fit, ut si Romani Consules edendo secundos ludos seculares ad lustrum primum attenderint, etiam ad annum secundum secularem attendisse dicendi sint, supposito quod Fabii Pictoris sententiam secuti fuerint in anno urbis Romæ conditæ: eos vero eam Fabii Pictoris sententiam secutos non est improbabile, eo quod Fabii Pictoris sententia iis temporibus maxime probabilis haberetur, quod patet tum quia Dionysius Halicarnasseus lib. 1. testatur illum diligentem fuisse scriptorem sui temporis, res vero superiorum temporum tantum percurrisse, utique ex opinione vulgari. Sic enim habet agens de illo & Cincio, etiam antiquo historico: *Horum uterque ea, quibus ipse interfuit, ut probe cognita, diligenter mandavit litteris: quæ vero olim post Urbem conditam deinceps secuta sunt, contentus fuit summatim percurrere.* Tum quia illam opinionem tradidit Fabius Pictor circiter 150. annis post secundos ludos seculares, ita ut adhuc vulgaris fuisse credi possit. Nam Plinius Naturalis historiæ lib. 35. cap. 4. testatur Fabium Pictorem floruisse anno ab Urbe condita 450. atque ædem Salutis pinxisse, unde nomen *Pictoris* receperit. Adde quod Cicero de Oratore affirmet eum fuisse juris & literarum antiquitatis peritum, atque annales scripsisse, ut mirum non sit eum receptissimam opinionem suis temporibus de conditæ Urbis anno expressisse. Eadem res ex eo etiam confirmari potest, quod tempore sex priorum ludorum secularium nondum quisquam opinionem Varronis de Romæ conditu sequeretur, utpote quæ nondum inventa esset: nam Varro floruit tempore Julii Cæsaris, Ciceroni ætate suppar, septimo Urbis seculo, atque tum diligentius aliis auctoribus, qui eum antecesserant, annum Urbis conditæ investigavit, ut tradunt ejus temporis scriptores: ita ut ex iis, qui post eum scripserunt, nobilissimi auctores ejus opinionem de conditæ Urbis anno amplexi sint. Inter hos Cicero, Vellejus Paterculus, Dio Cassius, Plutarchus, Plinius Secundus, Cornelius Tacitus, Aulus Gellius, Censorinus, Eusebius Cæsariensis, Eutropius, Paulus Orosius, Aurelius Victor, Zosimus, & alii. Sententiam porro Fabii Pictoris de epocha Urbis Romæ refert Solinus lib. 1. cap. 2. his verbis: *Cincio Romam duodecima Olympiade placet conditam, Pictori octava.* Quæ locutio ejus Olympiadis annum primum designat. Unde HerWart *in Chronologia nova & vera* cap. centesimo primo, male asserit Fabium Pictorem putasse Romam conditam anno quarto Olympiadis octavæ. Ejusdem sententiæ Pictoris meminit Sempronius in lib. de divisione Italiæ inter varias opiniones de anno conditæ Urbis Romanæ, unam recensens, quæ asseruerit eam conditam Olympiade octava, quæ fuit Fabii Pictoris, licet eum non nominet. Onuphrius in Commentariis ad librum 1. Fastorum fatetur se in eam propendisse sententiam, cum Fastos edendos pararet, & parum abfuisse, quin eam in illis sequeretur, ut notat Petavius de doctrina Temporum lib. 9. cap. 49. & 46. his verbis: *Onuphrius L. Cincii & Fabii Pictoris opinionem reliquis anteponit, qui Romam conditam asserebant anno primo Olympiadis octavæ,* &c. In quibus verbis Petavius quoad L. Cincium lapsus est memoria: nam L. Cincius, ut constat ex Solino lib. 1. cap. 2. censuit Romam conditam Olympiade duodecima, quod intra eodem capite ipsemet Petavius etiam tradit. Atque hæc ad difficultatem. Ex ejus solutione apparet verosimile esse, Romanos annum secularem secundum (nam de primo nihil ex auctoribus asserere possumus) celebrasse cum lustri primi institutione, conviviis, sacrificiis, forte etiam ludis: tertium vero annum secularem U.C. ludis secularibus secundis: item celebrasse quartum annum secularem U.C. & alios consequentes, nisi quod semel atque iterum omisisse videantur. sic enim longe probabilius id asseritur, quam ea ratione, qua Salianus in epitome Annalium suorum ad annum U.C. 230. asserit his verbis: *Adest Romanæ Urbis alter secularis annus, quem verosimile est multis Romæ ludis, sacrificiis, conviviisque celebratum.* Nam in ejus sententia (taceo ludos seculares necdum institutos fuisse) primi lustri institutio in eum annum non cadebat, quæ eo anno celebritatis asserendæ probabile fundamentum nobis offert, quod ille nullum habet, nisi quod esset ducentesimus in opinione, quam sequitur de annis Urbis. Atque hæc dicta sint de Fabii opinione, quam receptam aliquot priorum secularium ludorum tempore arbitror, quamvis sequar Varronianam supputationem in prima tabula chronographica ludorum, eorumque chronologia explicanda: tum quia Varro fuit doctissimus temporum indagator, teste Censorino de die Natali cap. 21. *De tertio,* inquit, *tempore fuit quidem aliqua inter auctores dissensio, in sex septemve tantummodo annis versata. Sed*

*hoc quodcumque caliginis, Varro discussit, & pro cætera sua sagacitate nunc diversarum civitatum conferens tempora, nunc defectus, eorumque intervalla retro dinumerans, eruit verum lucemque ostendit, per quam numerus certus non annorum modo, sed & dierum perspici possit*. Item teste Cicerone, qui eum lib. 1. Acad. quæst. ita compellat: *Tu ætatem patriæ. tu descriptiones temporum, tu sacrorum jura, tu sacerdotum, tu domesticam, tu bellicam disciplinam, tu regionum & locorum, tu divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti*. Tum quia Var- A ronis supputationem secuti sunt plerique auctores, ex quibus ludorum secularium anni solide eruuntur. Quia tamen ex dictis verosimile factum esse puto, in edendis ludis secularibus veteres secutos supputationem Fabii Pictoris pro anno conditæ Urbis, ideo proposui supra 2. tabulam Chronologicam juxta ejus opinionem, atque de singulis ludis agendo eam ad latus nostræ sententiæ indicavi, ut peritus lector queri non possit, aliquid a me omissum, quod probabiliter dici posse, nonnullis viris doctis videretur.

## CAP. V.

*Annus tertiorum ludorum secularium proponitur & stabilitur.*




Si tertii ludi seculares acti fuissent eo quo debuissent tempore, juxta Antiatis & Livii chronologiam, celebrati fuissent anno ab Urbe condita 405. ut inter secundos & tertios ludos centum anni interponerentur. Sed licet incertum, qua de causa, constat tamen eos non fuisse illo tempore celebratos, cum Valerius Antias & Livius, qui de tertiis ludis meminerunt, alio anno eos celebratos tradant: Zosimus vero de illis nihil habeat, sicut de aliis sequentibus usque ad ludos ab Octavio Augusto editos. Quare putandum est excidisse ex Græco textu ea, quæ de aliis Auctor ille habebat. De tertiorum ludorum omissione accipiendus est Augustinus lib. 3. de Civitate Dei cap. 18. his verbis: *Jam vero Punicis bellis, cum inter utrumque imperium victoria diu anceps atque incerta penderet, &c. tunc magno metu perturbata Romana civitas ad remedia vana & ridenda currebat. Instaurati sunt ex auctoritate librorum Sibyllinorum ludi seculares, quorum celebritas inter centum annos fuerat instituta, felicioribusque temporibus memoria negligente perierat*. Interpretor autem feliciora tempora, de quibus hic mentio est, illa, quæ expulsis Regibus post primos & secundos ludos seculares fluxerunt sub Consulibus, ante bella Punica, quæ crebra fuerunt & periculosa Reipublicæ Romanæ; tum enim illa florebat non admodum metuendis bellis vexata. Libet vero potius de illis tertiis ludis interpretari, quam de secundis (quo D modo explicat Onuphrius) quoniam ut jam insinuavi capite præcedenti, ludi secundi seculares diu ante primum bellum Punicum acti fuerunt, juxta omnium sententias de initio primi belli Punici: hi vero tertii ludi seculares in sententia Livii lib. 31. Flori & aliorum quos citavi capite superiore, primo bello Punico posteriores fuerunt. Augustinus autem bellis Punicis instauratos scribit, atque ita post editos ludos secundos ab uno seculo, tertios seculares ludos neglectos indicat. Omissi itaque tempore legitimo tertii ludi, editi fuerunt postea, ut tradit Censorinus his verbis: E *Tertii ludi fuerunt Antiate Livioque auctoribus, P. Pulchro, L. Junio Pullo Consulibus*. Unde annus, quo editi fuerunt, facile colligitur: nam anno U. C. 505. juxta Varronianam supputationem, quam sequitur Censorinus, & ego cum illo, Consules fuerunt Claudius Pulcher & Lucius Junius Pullus, qui in Fastis Capitolinis Verrii Flacci, quos sequitur Pighius, uno anno ante notantur, nimirum 504. Livius, de quo mentio in Censorino, agebat de tertiis ludis lib. 49. sed cum liber ille perierit, ex eo nihil proferre possum, F maxime cum in epitome, a Floro, ut creditur, confecta, mendum contineri contendant Sigonius in illam epitomen, & Robortellus in Annotationum libro sæpius supra citato c. 7. atque ita corrigant, ut locus ille eorum opinioni suffragetur. Lege eos acriter de eo loco inter sese digladiantes. Ego sic emendo: *Diti*

1. Omissi ludi seculares tempore legitimo & serius editi.

*Patri ludi ad Terentum ex præcepto librorum Sibyllinorum facti, qui an. XVII. primi belli Punici, quingentesimo quinto ab Urbe condita, facti erant.* Quomodo vero mendum irrepserit, non libet cum Robortello divinare: contigisse conficio ex eo, quod non consentiat cum Antiate Livius (ut consentire significat Censorinus) nisi ita emendetur; sic vero emendatum ejusdem esse cum illo sententiæ ostenditur. Livius ponit initium primi belli Punici, ut constat ex initio libri ejus 31. anno Urbis conditæ 488. quem si jam fere finitum accipiamus, addendo 17. annos belli, de quibus non controvertitur ab auctoribus, reperiemus annum Urbis conditæ 505. ut corrigimus, atque annum habebimus, quem Antias ludis tertiis assignat.

2. Livius, cum Antiate conciliatur in anno ludorum istorum.

## CAP. VI.

*Annus quartorum ludorum secularium proponitur & stabilitur.*




Stabilita tertiorum ludorum secularium Chronologia, facile apparet, quo anno quarti ludi seculares celebrati fuerint, nempe centum annis post; atque ita anno ab Urbe condita 605. Et vero Censorinus libro de die Natali cap. sæpe citato, etiam in vulgatis codicibus Aldi Manutii, qui alibi sunt corruptissimi, & in correctis a Carrione eum annum præfert. Ex quo superiorum ludorum Chronologia etiam confirmatur. Sic igitur habet: *De quartorum ludorum anno, triplex opinio est: Antias enim, & Varro, & Livius, relatos esse prodiderunt L. Marcio Censorino & M. Manilio Consulibus, post Romam conditam anno 605. At Piso Censorius, & Cn. Gellius, & Cassius Hemina, qui illo tempore vivebat, post annum factos tertium affirmant, Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio Achaico Coss. id est, anno D. C. III. In Quindecimvirorum autem commentariis notantur sub annis DCXXIX. Æmilio Lepido & Aurelio Oreste Coss.* Hunc Censorini locum incorruptum omnes fatentur, ac propterea eum in annis nihil mutant Sigonius aut Robortellus locis capite superiore citatis: imo ne Robortellus quidem accommodat ad summam Fastorum Capitolinorum, quam sequitur, qui esset pro Antiatis sententia 604. Quod tamen male attentat Onuphrius, quoniam non Fastorum Capitolinorum, sed Varronianam annorum conditæ urbis Romanæ supputationem usurpabant Antias & Censorinus: unde annum 605. posuisse, dubitandum non est. Quod attinet ad sententiam Quindecimvirorum, ea a nobis confutata est universim cap. 1. partis hujus. Altera vero veterum aliorum Historicorum, Pisonis, Gellii, & Cassii Heminæ, mihi videtur ideo ab Antiatis sententia discrepare, quod aliam illi historici sequerentur chronologiam Consulum, quam Varro aut Verrius Flacus in Fastis Capitolinis, ita ut non tam diversas habeant opiniones in anno horum ludorum secularium, quam in tota enumeratione & chronologia Consulum diversas habent ab ea sententia & supputatione, quam sequuntur Antias, Varro, Livius, & alii. Locus in quo Livius de quartorum ludorum anno sententiam suam aperiebat, erat in lib. 49. qui cum perierit, ad epitomen ejus a Floro concinnatam recurrendum est. Sed ea difficultatem facit, eo quod annus, qui in Livio esse debuit, non reperitur. ita enim habet: ***Tertii belli Punici initium, altero & sexcentesimo ab Urbe condita. intra quintum annum, quam cœptum erat, consummatum omnino est.*** & paulo post: *Diti Patri ludi ad Terentum, ex præcepto librorum Sibyllinorum, facti.* Et infra notantur Consules, quibus tertium bellum Punicum est cœptum, his verbis: *Obsideri, oppugnarique cœpta est Carthago L. Marcio & M. Manilio Consulibus.* Quod tradit idem Florus lib. 2. cap. 15. Ex iis enim auctoris verbis colligitur ludos quartos celebratos anno ab Urbe condita sexcentesimo & altero: quæ verba Sigonius capit pro anno 601. sed in eum insurgit Robortellus, & contendit capiendum pro anno 602. sed male. Quamvis enim vox *alter* pro secundo subinde accipiatur, ut in illo Virgilii Eclog. 8.

*Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus.*

1. Quorundam veterum historicorum opiniones de horum ludorum anno dissidentes inter se conciliantur.


hoc eſt, teſte Servio Honorato in eum locum, *annus tertius decimus*, quia unus ab undecimo eſt duodecimus, alter annus ab undecimo decimus tertius; tamen eam ſignificatio- A nem vox *alter* non habet, dum jungitur cum numeralibus, ut exemplis probat Stephanus in ſuo Theſauro linguæ Latinæ, unde errat Robortellus, dum id eſſe falſum loco citato cap. 9. audacter aſſeverat. Ut ut ſit, neque annus ſexcenteſimus primus, neque ſexcenteſimus ſecundus eſt annus, qui in Livio eſſe debuit, ſi cum Antiate & Varrone ſenſit, ut ſenſiſſe tradit Cenſorinus; nam Antias & Varro annum, quo editi quarti ludi ſeculares, fuiſſe ab Urbe condita 605. pronuntiant, ut jam dixi. Deinde Conſules illi, quos Florus recenſet, demonſtrant eum annum ſive B 601. ſive 602. iſtis quartis ludis ſecularibus non convenire: nam ii Conſules fuerunt juxta Faſtos Capitolinos anno ab U. C. 604. juxta Varronianam ſupputationem anno 605. Quare dicendum eſt, vel Florum mutaſſe annum, quem in Livio legerat: vel ejus Epitomes locum eſſe corruptum, atque pro *ſexcenteſimo & altero* legendum *anno ſexcenteſimo quinto*. Quomodo autem error ille in textum fuerit inductus, varia conjici poſſent, variaſque in ſua ſententia conjecturas affert Robortellus, atque unde profluxiſſe putet, ſic declarat: *Erat*, inquit, *apud Livium ſcri-* C *ptum tertii belli Punici initium IV. & DC. anno ab Urbe condita; non intelligentes librarii, qui poſtea deſcripſerunt, illis notis (IV) ſignificari quatuor, putarunt duos ſignificari & ita ſcripſerunt: altero & ſexcenteſimo anno*. Sed ut ſileam jam refutatum errorem Robortelli in ſignificatione illarum vocum: *altero & ſexcenteſimo*, quis credat librarios non intellexiſſe notas has (*IV.*) ſignificare *quatuor*? Quis credat exiſtimaſſe ſignificare *duos*? niſi addat hoc c. 9. quod in ſimili ait eodem lib. Annot. c. 8. mediam partem notæ (*V*) expunctam, ita ut notæ ejuſdem altera pars referret numerum I. Sed hæc conjectura ea facilitate, qua inventa, etiam explodi poteſt, atque idem pro noſtra ſententia aſſeri: nempe fuiſſe ſcriptum in Livio anno, *V. & D. C.* ſed expuncta una parte notæ hujus numeri (*V*) remanſiſſe notam inverſam quidem, aliquo tamen modo numerum *I.* præferentem; unde librarii ſcripſerunt, *altero & ſexcenteſimo*, cum ab auctore ſcriptum fuiſſet *anno V. & D. C.* hoc eſt, *quinto & ſexcenteſimo*. Sed de his nihil aſſero, niſi corruptum textum Livianæ Epitomes, atque ita ut dixi emendandum. Confirmatur, quod annus 605. reponendus ſit, tum ex tota ludorum antecedentium ſerie, tum ex Conſulibus, qui a Cenſorino & Floro in Liviana Epitome eo anno annotantur. Quia juxta Varronianam ſupputationem Conſules illi fuerunt U. C. anno 605. Ex occaſione nota, in horum Conſulum nominibus referendis auctores variare: nam ut non repetam, quomodo eos appellet Florus in Livii Epitome, & Cenſorinus lib. de Die natali, Eutropius vocat eos L. Manlium Cenſorinum, alterum M. Mallium: Oroſius alterum nuncupat Cenſorinum, alterum Manlium: Caſſiodorus Marcium unum, alterum Manilium. Qui ut inter ſeſe concilientur, dicendum alterum vocatum L. Marcium Cenſorinum, alterum M. Manilium: ſic enim inter ſe conciliari, atque a ſeſe invicem emendari poſſunt.

2. Livii locus quomodo corruptus, variæ conjecturæ.

3. Varietas in nominibus Conſulum apud auctores diverſos, exponitur, & ii inter ſe conciliantur.

## CAP. VII.

*Annus quintorum ludorum ſecularium proponitur & ſtabilitur.*




1. Pluribus annis neglecti ludi ſeculares 5. tandem ab Auguſto celebrati.

CElebrari debuiſſent ludi ſeculares quinti anno ab Urbe condita 705. quoniam eo anno ſeculum elapſum erat, a tempore, quo quarti ludi ſeculares fuerant editi. nam eos editos probatum eſt, an. ab Urbe condita 605. Omiſſos vero fuiſſe eo an. 705. negligentia Quindecimvirorum, qui de ludis faciendis ex more Julium Cæſarem tum imperantem non monuerunt, varii teſtantur auctores, impri- D mis Suetonius in Octavio Auguſto, his verbis: *Nonnulla*, inquit, *ex antiquis cæremoniis paulatim abolita reſtituit, ut Salutis augurium, Diale Flaminium, ſacrum Lupercale, ludos ſeculares*. Idem in Claudio cap. 21. refert *Claudium Imperatorem* (fuit ille eruditus, atque hiſtorias ſcripſit) *in ſuis hiſtoriis prodere, intermiſſos ludos ſeculares, Auguſtum multo poſt* (interpretare, legitimo tempore ſerius 32. annis) *dili.*

*diligentissime annorum ratione subducta, in ordinem redegisse*. Ejusdem rei testis est Zosimus lib. 2. Hist. novæ. *Eodem*, inquit, *sacrificio* (agit de sacrificio Diti Patri in ludis secularibus fieri solito) *ad tempus neglecto, cum rursus adversi quidam casus accidissent, Octavianus Augustus renovavit*. Hanc ad rem alludere videtur Horatius in carmine seculari, agens de ludis Augusti, licet Quindecimvirorum opinionem sequatur:

*Jam fides, & pax, & honor, pudorque*
*Priscus, & neglecta redire virtus*
*Audet, apparetque beata pleno*
*Copia cornu*.

Siquidem per neglectam virtutem, quæ rediret in ludis Augusti secularibus, intelligere videtur sacrificia & hymnos in laudem & honorem deorum, legitimo tempore ludorum prætermissa. Eo pertinet etiam alius locus Suetonii in Domitiano cap. 21. in quo dicitur *Domitianus fecisse seculares anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reservatos*. Explicandus enim est, Augustum ludos seculares anticipasse, eo quod, cum anno seculari 705. quo faciendi erant, fuissent prætermissi, non erant rursum edendi ante annum Urbis conditæ 805. quod tempus Augustus suis ludis antevertit, annis sexaginta octo; atque ita factum est, ut cum observari debuisset solum seculi centum annorum spatium juxta Antiatis sententiam, inter ludos quartos seculares & quintos interpositum fuerit intervallum centum triginta duorum annorum. sicut & temporibus posterioribus sæpe non observatum tempus legitimum deprehendet lector, qui annos, quos ludis quibusque secularibus, ab Imperatoribus exhibitis, assignatos attentius considerabit. Illud diserte notavit Pomponius Lætus de Philippi imperio sub libri initium: *De secularibus*, inquit, *pauca referre haud abs re est. Eos instituisse fertur exactis Regibus M. Valerius Poplicola* (corrigendum est *P. Valerius*) *& appellatos, quod plerumque hominis ætas semel intueri potest: idque aliquamdiu servatum est. Postea ambitione Cæsarum cupientium id solemne suis temporibus exhiberi, ordo corruptus est, & pro libidine seculares habiti*. Atque hæc de ludorum secularium omissorum anno; nunc de anno, quo illi ludi quinti seculares ab Augusto facti. Factos porro seculares ab Augusto memorant Suetonius in vita ejus cap. 31. atque in Claudio cap. 21. Eos autem quintos fuisse non male probant aliqui ex Dione Cassio lib. 34. his verbis: τά τε σαικυλάρια πέμπτα ἐπετέλεσε. *Seculares ludos quintos perfecit*. non vero, *quinto perfecit*, ut male vertit Guilielmus Xylander. In his Censorinus lib. de Die natali cap. 17. Cajum Furnium & Julium Silanum Consules fuisse prodit (uti etiam Dio loco citato) & annum diserte exprimit: *Quintos*, inquit, *ludos seculares Cajo Furnio & Junio Silano Consulibus, anno septingentesimo septimo Cæsar Augustus & Agrippa fecerunt*. Eosdem Consules fuisse, etiam habetur ex fragmento cujusdam Senatusconsulti, quod accepisse se a Fulvio Ursino asserit Hercules Giofanius in lib. 2. Tristium Ovidii, ubi ille de Augusti secularibus sic canit:

—— *Quo tempore ludos*
*Fecit, quos ætas aspicit una semel*.

2. Seculares ludi suo tempore subinde non fuerunt facti, sed ex libidine Imperatorum.


A Annus idem, atque a Censorino attribuitur ludis quintis, etiam colligitur attributus a Plinio lib. 7. cap. 48. quia asserit, inter Augusti & Claudii ludos seculares annos sexaginta tres, non amplius, intercessisse. Ludos enim Claudii anno ab Urbe condita 800. celebratos, narrat Tacitus lib. XI. quod fusius capite sequenti probabitur. Quod vero Tacitus dicit eos ludos seculares celebratos annis sexaginta, postquam eos Augustus ediderat, non contradicit Tacitus Plinio, qui sexaginta tribus tantum elapsis id factum memorat, quoniam Plinius loquitur de anno 63. completo; ille de 64. ab aliquot mensibus
B inchoato: vel potius id fit, quia Plinius Varronianam supputationem sequitur, Tacitus vero supputationem Quindecimvirorum. Nam Quindecimviri, qui juxta summam Capitolinam Verrii Flacci annum ludorum assignant, uno anno a nostra summa distant; nempe volunt eos celebratos anno 736. nos 737. quia Varroni hac in re assentimur. In fragmento porro Capitolino referuntur, quinam Quindecimvirum magistri ludis quintis præfuerint. Sic enim in eo habetur: *Ludi seculares quinti | Imperatore Cæsare Divi F. Augusto. | C. Sentio C. F. C. N. Saturnino | M.* 4.
C *Claudio M. F. M. N. Marcello. | Mag. XV. Vir.* Hos ludos quomodo ediderit Augustus, ex Livio cognoscere possemus, si liber ejus 136. extaret: nam Censorinus de Die natali cap. 17. citat Livium asserentem Cæsarem Augustum ludos seculares ingenti apparatu fecisse; quis autem fuerit apparatus, non tradit. in Epitome vero Liviana, de eo nihil habetur. Adolphus Occo ad annum U.C. 736. varios refert nummos aureos & argenteos de ludis secularibus Augusti, eorum ludorum anno excusos. Inter cæteros unus est ejusmodi. Inscriptio est: AVG. D. F. LVD. SEC.
D F. hoc est, *Augustus Divi Filius ludos seculares fecit*. Figura stolata stans, sinistra umbonem, dextra caduceum, in capite videtur habere duas auriculas aut cornua, quæ ut Occo conjicit, non male referuntur ad duo numina, quæ ludis secularibus colebantur. Lege etiam de iis ludis Hubertum Goltzium in Augusto, & nummis ejus. Prodit Suetonius loco citato, eum vetuisse juvenes utriusque sexus in suis ludis ullum nocturnum spectaculum frequentare, nisi cum aliquo majore na-
E tu propinquorum. Habemus etiam in vita Horatii per Suetonium, ut creditur, scripta, Augustum seculare carmen componendum ei junxisse. eum vero scripsisse, & quidem triplex, probavi cap. 16. partis 1. Denique Zosimus lib. 2. Historiæ novæ, narrat, *Attejum Capitonem* (qui fuit Jurisconsultus, &, ut ait Onuphrius, Quindecimvir sacris faciendis.) *leges ludorum exposuisse: tempus vero quo rem sacram atque spectacula edi oporteret, Quindecimviros, ad quos Sibyllinorum oraculorum custodia pertinebat, investigasse*. Errat vero eodem loco Zosimus, dum ludos ab Octaviano Augusto renovatos asserit, L.
F Censorino & M. Manlio Puelio Consulibus. Errat cum eodem Politianus lib. Miscell. cap. 58. qui quintis ludis eosdem Consules assignat: constat enim ex jam dictis alios Consules fuisse; imo hos ante centum triginta duos annos, nempe anno ab U. C. 605. cum quarti ludi seculares editi sunt, Consulatum gessisse. Hunc Zosimi errorem interpres Leunclavius vidit, & monuit legendum *Augu-*

4. Pertinentia quædam ad ludorum Augusti apparatum et ritus.

*stum renovasse ludos, factos illos quidem ante L. Censorino & M. Manlio Consulibus*. Erravit autem ipsemet, dum subjecit, *tunc autem L. Censorino & Cajo Sabino Consulibus*, quia illi in ludis Augusti Consules non fuerunt; sed illi, quos supra assignavi.

## CAP. VIII.

*Annus sextorum ludorum secularium proponitur & stabilitur.*




1. Quo anno Claudius ludos seculares fecit.

De sextis ludis secularibus, anno quo editi, Imperatore & Consulibus, sub quibus facti, ita Censorinus lib. de Die natali cap. 17. *Sextos*, inquit, *fecit T. Claudius Cæsar, se quartum & L. Vitellio te tium Coss. anno DCCC*. Consentit cum eo quoad annum Tacitus lib. XI. (nam quos Consules eo anno posuerit, incertum, quia ejus libri initium non extat) *Ludi seculares*, inquit, *octingentesimo post Romam conditam anno, quarto & sexagesimo, quam Augustus ediderat, spectati sunt*. Eosdem tamen Consules Tacitus posuisse creditur, quos Dio lib. LX. qui ad annum octingentesimum eos ipsos collocat, quos Censorinus supra nominavit, & eundem annum Consulatus eorum notat. Non reperio tamen eum agere de ludis his secularibus, licet id afferat Onuphrius, & citet lib. LIX. in quo tamen non agit de anno octingentesimo. Plinius Natur. historiæ lib. 7. cap. 48. cum duobus citatis auctoribus in anno ludorum Claudii convenit, dum ait: *Anno post editos ludos ab Augusto sexagesimo tertio Claudium ludos sextos celebrasse*. si recolatur Plinium annorum supputationem Varronianam fuisse secutum, quod superiori capite dixi. Quod si quæras, an sub initium anni 800. an sub finem ludi illi a Claudio facti sint, dico sub initium factos esse: quod confirmatur ex ludis secularibus editis ab Imperatore Antonino Pio sub initium anni nongentesimi, atque ex ludis Imperatorum Philippi patris ac filii, qui sub initium anni millesimi U. C. eos celebrarunt, ut ex dicendis clarum evadet. Per initium autem intelligo priores tres aut quatuor eorum annorum menses. Notat Zosimus lib. 2. Claudium post Augustum ludos celebrasse, *numero præstitutorum annorum neglecto*, quod ex Chronologia nostra comperiet, qui eam considerare voluerit. nam Claudius, vel veterem sequi debuit Chronologiam ludorum, atque a ludis quintis, qui anno 705. celebrandi erant, sed neglecti fuerunt, initium facere numerandi seculi, & tum oportebat eum differre ludos seculares usque ad annum 805. quod non fecit: vel debuit spectare tempus Chronologiæ novæ, seu tempus quo Augustus ludos suos ediderat, atque ab eo anno initium seculi computare, & in fine suos ludos edere, & tum ad annos triginta septem ludos seculares differre debuit, atque anno 837. eos celebrare; quod etiam non præstitit, sed eo, quem notavi, anno eos dedit. Ratio autem, quæ eum movere potuit, ut eo anno ederet, probabiliter assignari potest cum Veteranio in lib. XI. Taciti, & Onuphrio lib. de Ludis secularibus, qui eam his verbis persequitur: *Claudium Imperatorem suspicatus sum eos* (ludos seculares *ob hanc caussam ante statum tempus celebrasse, quod seculares ipsos voluerit ad annum insignem redigere, proinde ac ad centesimum, tanquam ad seculi initium; vetereque observatione, tanquam parum apta relicta, eum rationem potius habuisse annorum Urbis Conditæ, quibus in secula distributis, centum annos unicuique seculo dispensavit, quam veteris & ineptæ religionis, quæ nulla, ut tum forte videbatur, haud sane probabili ratione annum secularem conciso decennii numero observabat. atque eam ob rem centesimo singulo quoque anno Urbis, eos in futurum referri debere instituerat, eaque ratione ipse primus omnium ediderat, qui tamen sequentium Principum, qui eum sequerentur, neminem* (hoc verum non est, si credamus Aurelio Victori Schotti, qui Antoninum Pium ludos seculares celebrasse tradit anno U. C. 900.) *præter Philippum Imperatorem habuit*. Hæc ille. Brevius puto dici & verius, maluisse eum ad annos centesimos quosque ab U. C. ludos referre, quam ad centesimos a primo lustro condito a Servio Tullio: quoniam magis constabat tunc temporis de annis Urbis centesimis,

2. Quare Claudius Imper. ad centesimos annos U. C. ludos seculares referri voluit.

quam de centeſimis a primo luſtro inſtituto. Hinc patet non poſſe recipi hanc lectionem Suetonii in cap. 21. vitæ Claudii, cujus meminit Torrentius in eum locum, quæ ita habet: *Fecit & ſeculares quaſi anticipatos ab Auguſto, modo legitimo tempori reſervatos*: quoniam annus, quo eos ludos Claudius Imperator celebravit, non fuit tempus eorum legitimum, juxta Varronis ſupputationem, quæ tum maxime recepta erat, ut patet ex hiſtoricis ejus temporis; ſed pro ejus arbitratu electum. Quare hæc lectio retinenda: *Fecit, & ſeculares quaſi anticipatos ab Auguſto, nec legitimo tempori reſervatos*. quæ verba ſuperiori capite expoſui. Hæc tamen Torrentii lectio recipi poteſt, ſi quis tueri velit (quod non poteſt aliter quam conjectura probari) Claudium attendiſſe ad Fabii Pictoris opinionem de anno primo Urbis Romæ conditæ, & proinde cenſuiſſe omnes ludos ſeculares a ſecundis incipiendo fuiſſe editos ipſo Urbis conditæ anno ſeculari, prout exhibuimus in ſecunda tabula. Quod non eſt improbabile. nam fuit Fabius Pictor vetuſtiſſimus omnium, qui res Romanas ſcripſerunt: quem Varroni recentiori temporum indagatori præferre potuit Claudius, cum etiam ſuperiore ſeculo eum illi fere prætulerit Onuphrius Panvinius, vir doctiſſimus, cujus verba hic non pigebit aſcribere ex Commentario in lib. 1. Faſtorum. *Animus*, inquit, *aliquando fuit Pictoris annorum rationem in digerendis meis Faſtis ſequi: quam certe ſi non veram, cæteris omnibus tamen certiorem eſſe exiſtimo. Verum cum viderem omnes, quotquot extant hiſtoriæ Romanæ ſcriptores, vel Varronis ſententiam ſequi, vel uno aut altero anno ab eo recedere; id facere*

3. Onuphrii ſententia de F.


A *miſi, ne dum hac ipſa annorum ſerie eos illuſtrare nitor, ipſos potius confunderem propter vulgo receptam annorum Varronis rationem, quam omnes fere præter admodum paucos ſequi liquet. In univerſali vero Chronico, ubi magis varietatis ratio habenda eſt, quam jam receptæ ſupputationis, fortaſſis Pictoris ſententiam ſequar, eamque multis præterea tum rationibus & conjecturis firmiſſimis, tum auctoritatibus confirmabo, &c.* Neque vero parvi faciendum illud Onuphrii judicium, quem viri doctiſſimi ſemper maximi fecerunt. Nam eum Manutius, *Helluonem antiquitatis*; Scaliger, *Patrem Hiſtoriæ*; Lipſius, *Principalis Hiſtoriæ & Faſtorum verum Patrem*; Thuanus, *virum ad omnes Romanas & Eccleſiaſticas antiquitates eruendos natum*, appellare non dubitant. Sed hæc ex occaſione. Redeo in viam, atque ſubjicio quædam, quæ in Claudii ludis contigerunt, quæ auctores perſtringunt, & nos agendo de ludorum celebritate parte 1. tetigimus. Inprimis Suetonius in Claudii vita notat *irriſam vocem præconis invitantis ad ludos, quos nec ſpectaſſet quiſpiam, nec ſpectaturus eſſet, cum ſupereſſent adhuc, qui ſpectaverant; item quidam hiſtrionum producti olim, in illis producerentur*. Inter hos Stephanio quidam, qui utriuſque ſecularibus & Auguſti & Claudii Imperatoris ſaltaſſe, ſcribitur a Plinio lib. 7. cap. 48. Deinde idem Plinius refert lib. 8. cap. 42. *ludos Circenſes editos inter Claudii ludos ſeculares, atque equos, excuſſo auriga, palmam occupaſſe*. Denique Tacitus lib. XI. narrat Claudium in ludis ſecularibus ludicrum Trojæ inſtituiſſe. De hoc lege, quæ dixi 1. parte cap. 8. ſub finem.

Pictore, ejuſdemque Onuphrii opinio.

4. Varia de ludis Claudii ab auctoribus notata

## CAP. IX.

*Annus ſeptimorum ludorum ſecularium proponitur & ſtabilitur.*




1. Auctores, qui de ludis Domitiani meminerunt.

Apud auctores varia de ſeptimis ludis reperiuntur, ex quibus ii facti a Domitiano ſub Conſulibus aſſignatis, & anno notato jure affirmari poſſunt. Inter auctores Tacitus factos a Domitiano fuiſſe, & ſe eis adfuiſſe teſtatur his verbis Annal. XI. *Utriuſque*, inquit, *Principis* (Auguſti & Claudii) *rationes prætermitto, ſatis narratas libris, quibus res Do-*

F *mitiani Imperatoris compoſui: nam is quoque edidit ludos ſeculares, iiſque intentius adfui, ſacerdotio Quindecimvirali præditus, ac tum Prætor*. Aurelius Victor in vita Domitiani, *Hujus*, inquit, *tempore ludi ſeculares celebrati ſunt*. Meminit & ludorum ſecularium a Domitiano editorum Statius lib. 1. Sylvarum in Soteria pro Rutilio Gallico in his verſibus, ut legunt

Morellius & Gevartius in ſuis ad illum Commentariis :

*—— ſileant pejoris murmura famæ ;*
*Quippe manet , longumque ævo redeunte manebit ,*
*Quem penes intrepidæ mitis cuſtodia Romæ .*
*Nec tantum indiderint faſtis nova ſecula crimen ,*
*Aut inſtaurati peccaverit ara Terenti .*

Senſus enim eſt : Rutilius Gallicus poſt ludos ſeculares, a Domitiano inſtauratos in Terento, non morietur eo, quo laborat morbo : non enim novum ſeculum, quod ſequetur, volet indere ſuis faſtis, eum ſtatim a factis ludis ſecularibus e vita exceſſiſſe; cum ludi illi fiant pro incolumitate reipublicæ, cujus ille præcipua pars erat. Unde id eſſet Deos, qui in ara Terentina coluntur, graviter peccare vitio ingratitudinis, qui poſt tot ſacrificia, Reipublicæ columen Rutilium non ſervarent. Idem Statius ad eoſdem ludos alludit lib. 4. Silvarum, ut Gevartius aſſerit, emendans locum hunc in carmine de 18. Conſulatu Germanici, ubi Janus Domitianum alloquens ſic ait :

*—— mecum altera ſecula condes ,*
*Et tibi longævo revocabitur ara Terenti .*

Alii auctores ſunt, ex quibus annus colligi poteſt, ut Suetonius in Domitiano cap. 4. ubi ſic habet : *Fecit & ludos ſeculares, computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, ſed quo olim Auguſtus ediderat.* Zoſimus item lib. 2. Hiſtoriæ novæ eadem habet : *Poſt eum* ( Claudium Imperatorem ) *Domitianus Claudio valere juſſo, numeratoque ambitu annorum, ex quo ludos Auguſtus feciſſet, traditam ab initio legem ſervare viſus eſt.* Cenſorinus de Die natali, diſerte annum explicat, & quo conſulatu Domitiani ludi ſeptimi editi ſint, declarat his verbis : *Septimos* ( ludos nempe fecit ) *Domitianus ſe XVI. & L. Minucio Rufo Coſſ. anno DCCCXLI.* Sed ex his auctoribus difficultas oritur, quoniam, ſi non ſunt corrupti, ab ſeſe mutuo diſcrepant : nam ſi, juxta Suetonium & Zoſimum, computavit Domitianus rationem temporum ab Auguſti ludis, cum illi Auguſti ſeculares ludi editi fuerint anno ab Urbe condita 737. ut ſeculum centum annorum ſolum inter utroſque ludos fluxiſſe deprehenderet, fieri non poterat, quoniam jam centum & quatuor anni fluxerant ab iis editis anno 481. vel ſi centum & decem annorum ſeculum eſſe putabat, non poterat non videre, illud nondum effluxiſſe, ſed annos circiter quinque deſiderari; atque ita advertere debuiſſet, non ſibi edendos anno ab U. C. 841. ſed 847. nam ab anno Urbis conditæ 737. ad 847. anni centum & decem interjacent. Ægre vero negari poteſt, Domitianum non permiſiſſe labi inter Auguſti ludos & ſuos integrum ſeculum; quia præterquam quod Suetonius & Zoſimus contrarium aſſerant, ut patet ex verbis eorum ſupra citatis, atque ante me obſervavit Joannes Herwart in libro, cui nomen *Nova, vera, & exacta Chronologia*, etiam ſignificat Martialis lib. 4. Epig. 1. ubi optat, ut ſeculum effluat, & novum redeat, ut ludos ſeculares ille edere poſſit, his verbis :

*Hic colat ingenti redeuntia ſecula luſtro ;*
*Et quæ Romuleus ſacra Terentus habet .*

Hoc tamen dicendum eſſet, ſi Cenſorini textus eſſet incorruptus, qui pluſquam ſeculum centum annorum, & minus quam ſeculum centum & decem annorum, inter utroſque ludos fluxiſſet. Quare ad tollendam difficultatem, ſtabiliendumque horum ludorum ſecularium annum, & conciliandos inter ſeſe tres illos auctores, dici poteſt Cenſorinum in anno U. C. eſſe vitiatum : cum enim ſcripſiſſet anno ab U. C. *DCCCXLVI.* vitio librariorum nota numeri *quinti* excidit, quæ reponenda eſt, atque ita annus a nobis aſſertus habebitur. Vitiatum vero eſſe Cenſorini locum in numero, præter Suetonium & Zoſimum, qui id ſuadent, etiam ex ipſo ejus textu confici poteſt : ſcribit enim Domitianum celebraſſe ludos ſuos ſeculares conſulatu ſuo 16. qui conſulatus juxta Varronianam ſupputationem non incidit in annum 841. ut præfert textus Cenſorini, ſed in annum 845. ut corrigi poſſe contendo. Lege Onuphrium in Faſtis, & Petavium lib. 13. de doctrina Temporum, & rem magis comperies. Obſervandum tamen eſt ad centum & decem annorum ſpatium habendum inter Auguſti & Domitiani ludos, numerare cœpiſſe Domitianum ab anno 736. U. C. quo anno ille cenſuit Auguſtum ſuos ludos celebraſſe, juxta Faſtorum Capitolinorum ſupputationem, cum nos Varronianam ſecuti, anno uno ſerius illum edidiſſe teneamus; atque ita putaſſe terminum ſeculi 110. annis exactis recurrere, juxta Quindecimvirorum, quam amplectebatur, ſententiam, atque incidere in annum U. C. 846. cum ipſe finiebat ſuum conſulatum 16. quoniam anno ab Urbe condita 845. in Januario conſulatum 16. agere cœperat, atque ita Palilibus annus 846. Urbis conditæ agebatur, nempe 21. Aprilis ( anni enim Urbis conditæ tum numerari incipiebant ) cum ſub finem ejuſdem conſulatus 16. tempore meſſis ludos ſeculares edidit. Contra hæc opponi poſſunt Numiſmata antiqua, de quibus Torrentius in Suetonium ad caput 4. Domitiani; Politianus in Miſcellaneis cap. 58. & poſt eos Raderus in lib. 4. Martialis epig. 1. Roſinus Antiq. lib. 5. cap. 21. Onuphrius de Ludis ſecularibus; Adolphus Occo in Numiſmatibus. Sed reſponderi poteſt ſculptorum imperitia notas numerorum tranſpoſitas, ut pro *XVI.* ſculpſerint *XIV.* vel numiſmata ipſa cuſa, antequam ludi ederentur aliquot menſibus, dum currebat conſulatus 14. juxta ſupputationem eorum, qui Quindecimvirorum opinionem ſequebantur, qui apud nos eſt Conſulatus 15. & ſequens, quo ludi editi 16. vel denique auctores iſtos ad ſuam ſententiam eos nummos accommodaſſe. Cum enim nummi auctorum verbis contradicunt, ſemper ſuſpecti eſſe debent; quoniam major eſt habenda fides auctorum verbis, quam nummis, cum magis de auctorum verbis, quam de antiquitate numiſmatum conſtet. Quoniam tamen durum quibuſdam videtur contra tot nummos 14. conſulatum Domitiani præferentes aſſerere ludos ab eo datos conſulatu 16. neque minus durum Minutium Rufum, quem in conſulatu 16. Domitiano collegam attribuit Cenſorinus, in Voluſium Saturninum commutare, ut exigit ea, quam attulimus auctorum & nummorum inter ſeſe pugnantium conciliatio, ideo addo, retenta illa opinione, quæ cenſet conſulatu 14. ludos editos a Domitiano Imperatore, dici poſſe

2. Conciliationes variæ auctorum inter ſe pugnantium in his quæ ad Domitiani ludos ſpectant

cum Bucherio in Victorii canonem Paschalem pag. 232. in Censorini textum mendum irrepsisse in consulatus Domitiani notis numeralibus, atque pro *decimo quarto consulatu*, quod pronum est factu, numerorum transpositione, *consulatum decimum sextum* expressum fuisse. Ex hac enim assertione fiet, ut nec Consulis Minutii nomen in Censorino expungendum sit, ut alius subrogetur in ejus locum; nec admittere necesse sit Censorinum in anno ludorum secularium esse depravatum, sed concedi possit anno V. C. 841. Domitianum ludos suos exhibuisse. Solum hoc ex ea oritur incommodum, quod fatendum erit Domitianum inter ludos suos & Augusti Imperatoris integrum seculi spatium non interjecisse, sed pro sua libidine eos edidisse. quod ad hanc difficultatem in sua sententia solvendam, etiam respondet Scaliger. Ego vero malo Suetonium & Zosimum (qui videntur affirmare inter Domitiani & Augusti ludos spatium intergri seculi fuisse interjectum) ita explicare, ut velint Domitianum aliqua ratione spatium seculi inter suos & Augusti ludos elabi permisisse; nempe non rigide loquendo, sed rotundo, ut ajunt, numero computando, eo quod annus ut summum defuerit, si decimo sexto Consulatu edidit. nam verba Zosimi innuunt, revera spatium legitimum rigide non observasse. sic enim habet: Δομετιανὸς ἔδοξε τὸ ἐξ ἀρχῆς παραδοθέντα φυλάττειν θεσμόν. quod vertit Leuclavius: *Domitianus numerato annorum ambitu, ex quo ludos hosce Augustus fecisset, traditam ab initio legem servare visus est*. Ego sic verto: *Domitianus visus est ab initio positam servare legem*. Hanc difficultatem in nostra aliquo ex his modis dissolutam, in sua opinione solvere conatur Onuphrius, in libro de Ludis secularibus, & dicit ea de caussa Domitianum non respexisse, neque ad Augusti seculares ludos, neque ad ludos Claudii. Additque se putare, *Domitianum ipsum ludos seculares a numero decennii septenario, in quo prius celebrabatur, tanquam parum apto, ad primum ejus decadis (Livianam forte & Antiatis annorum summam in hac dumtaxat secutum) redigere voluisse, in qua ex antiqua consuetudine ludos seculares referri oportebat, & ita aliqua ratione Augusti ordinem esse secutum potius, quam Claudii, non quidem ratione numeri, sed annorum decadis*. Sed hæc Onuphrii solutio intelligi non potest, tum quia non explicat ad quem annum Livianæ decadis, item ad cujusnam decadis, primæne, an secundæ, annum Domitianus ludos referre voluerit; non explicat autem, uti puto, ut in obscuro latitans difficultatem subterfugiat. tum quia manifeste contradicit Suetonio & Zosimo locis citatis, ubi dicunt Domitianum attendisse ad ludos seculares Augusti, ab anno, quo Augustus ediderat, rationem temporum computando, aut, ut Zosimi interpres loquitur, *numerato annorum ambitu, ex quo ludos Augustus fecisset*. Ex his infer non esse audiendum Petavium lib. 2. de doctrina Temporum cap. 76. dum asserit Domitianum in suorum ludo-

A rum editione, ad quartos ludos seculares respexisse, qui anno 605. habiti feruntur: hoc enim est contra Suetonium & Zosimum. Ac præterea nulla ratio affertur, aut afferri potest, quæ hoc suadeat esse verosimile. Sic enim ludi quarti seculares ante tempus, quo suos Domitianus edebat, facti fuissent annis ducentis, quadraginta, & uno, quod tempus excedit spatium duorum seculorum, juxta nos annis 41. nam editi fuerunt juxta nostram sententiam quarti ludi anno ab Urbe condita 601. qui tamen non requirimus centum & decem annos, ut Quindecimviri requirunt ad seculum, ut sæpe di-B ctum est. Quod si dicat eum attendisse non ad ludos quartos editos anno, quo nos cum Antiate, Livio, aliisque ponimus, sed quo ponunt Quindecimviri, cum quarti ludi juxta Quindecimviros sint editi, juxta sententiarum varietatem in ea opinione, anno Urbis conditæ 627. vel 628. vel 629. Si collocet anno 629. illos quartos ludos, reperiet duo secula, centum & decem annorum, & annos duos, supra duo secula 110. annorum: si eum putet respexisse ad ludos celebratos anno ab V. C. 627. aut unum, si putet eum respexisse ad C eos celebratos anno 628. & ludos Domitiani anno 841. Sed eo anno poni non posse, ex auctoribus ostendimus. Ex dictis præterea infer vehementer errare Theodorum Zwingerum in Theatro vitæ humanæ volum. 27. lib. 4. tit. de Ludis. Julium Scaligerum Josephi Patrem lib. 1. Poetices, cap. 38. dum scribunt Domitianum seculum ab Urbe condita septimum celebrasse, vel ut loquitur Zwingerus, septimo ab Urbe condita seculo Domitianum ludos seculares celebrasse: non enim septimo seculo, sed octavo Domitianum ludos seculares celebrasse, ex eorum anno manife-D stum est, sive nostram opinionem sequantur, sive eorum, qui anno 841. edidisse illos affeverant. Domitianum suis ludis secularibus refert Suetonius cap. 4. vitæ ejus, mutasse modum producendi equestres missus in ludis Circensibus, atque a septenis spatiis ad quina corri puisse, ut centum missus peragerentur: de qua re dixi aliquid parte 1. cap. 8. Ceterum Domitianus ludos suos edidisse annis quadraginta sex post Claudii ludos, conficitur ex dictis. Quod non obest, quo minus in epigrammate 63. Mart. l. 10. quod sic lego cum Lipsio apud Raderum,


3. Auctorum recentiorum sententiæ examinantur et rejiciuntur.

E *Bis mea Romano spectata est vitta Terento,*
*Nihil tamen extremos perdidit ante rogos.*

intelligatur, agi de ludis Claudii & Domitiani. Matrona enim refert se vitta insignem in conjugio vixisse annis 46. nec tamen maritum, vel ex decem suis liberis ullum perdidisse, sed omnes sibi morienti astitisse, atque oculos sibi clausisse, quod magni faciebant Romani. Scio reliquos Martialis Commentatores alias epigrammatis ejus explicationes afferre. Probet eas, & legat qui volet. Hanc ego unicam genuinam puto, atque aliis omnibus præferendam.

## CAP. X

*Annus octavorum ludorum secularium proponitur & stabilitur.*




1. Ludi Antonini, vix noti. DE his ludis apud eos omnes, qui de ludis secularibus egerunt, altissimum silentium. Nihil de illis apud Censorinum, Zosimum, Onuphrium Panvinium, Josephum Scaligerum, Politianum, Petavium, Lazium, & alios recentiores. Reperio tamen de illis fieri mentionem in Aurelio Victore Andreæ Schotti, ubi agens de Antonino Pio, sic scribit: *Denique annis, quibus publica egit, viginti idem mansit, celebrato magnifice Urbis nongentesimo*. Ea vero anni ab V. C. nongentesimi celebritas alia non fuit, quam per sacrificia, convivia, supplicationum pompas, atque ludos seculares, quemadmodum Imperator Claudius ante centum annos per eosdem ludos Urbis Romanæ conditæ annum octingentesimum celebrem effecerat, statueratque, ut centesimi quique anni ab Urbe condita per ejusmodi ludos celebrarentur. Quare censeo Imperatorem Antoninum Pium in edendis suis ludis secularibus ad ludos Claudii attendisse, atque eos edidisse anno Imperii sui decimo, cum consulatum gererent Marcus Valerius Largus & M. Valerius Messalinus, quæ rectæ chronologiæ consona deprehenduntur. Ad hos ludos pertinere videntur nummi, de quibus Adolphus Occo ad annum V. C. 900. profert enim duos nummos Imp. Antonini Pii, qui seculares ludos (ab eo *decennales* dictos, quod decimo imperii ejus anno editi fuerint) eum fecisse, ut mihi quidem videtur, manifeste arguunt. Inter hos unus est argenteus, cujus inscriptio est, *Primi decennales consulatu* IV. in medio sunt expressæ coronæ: in altera parte figura stans, dextra pateram super ara, ex qua progreditur serpens, sinistra temonem tenens. Inscriptio: *Salutis typus*. Item alter cum eadem inscriptione, *Primi decennales consulatu* IV. In altera parte figura stans ad aram: siquidem ara, quæ in utrisque nummis exprimitur, sacrificia anno seculari fieri consueta designat, & serpens ipsum novum seculum, quo ea sacrificia conficiuntur; denique ipsa reipublicæ salus, quæ iis sacrificiis de more a Diis immortalibus pe-


2. Nummi ludorum Antonini Pii.

C tebatur, nihil aliud designare videtur, præterquam quod annus ille decimus Imperii Antonini, revera nono ab V. C. seculo contigerit, ut deprehenditur ex ludis Claudii. Neque tamen credendum est, ex eo quod consulatus Antonini quartus in iis numismatibus excusus est, eum consulatus sui quarti tempore ludos seculares edidisse, hoc enim dici non potest: sed eos edidit duobus post annis, sub iis consulibus, quos notavi. Consulatus vero quartus Antonini in nummis honoris caussa expressus est, ut exprimi solebat, quocumque anno nummi excuderentur, annus ultimi con- D sulatus illius, qui eos excudi curabat; ille vero consulatus quartus fuit Antonini ultimus. Huc referenda est vetus inscriptio, quæ legitur in agro Cassinate, quam affert Herwart *Chronologiæ novæ & veræ cap.* CCXXX. in qua habetur Sextum quendam Vitellium (qui dicitur 98. annos vixisse, dies 18. exegisse) natum esse illo ipso anno, quo ludi seculares septimi editi fuerunt, & obiisse anno quo celebrati sunt octavi. Nam ludi Antonini, revera seculares octavi fuerunt, licet non pauci ludos Septimii Severi Imperatoris vocent octavos, E qui revera fuerunt noni; & tum ludi seculares Claudii dicendi sunt designari in illa inscriptione per septimos ludos, eo quod quosdam ludos omissos anno 405 computarent ejus inscriptionis auctores. Quod si quis tamen valde contendat hanc inscriptionem spectare ad ludos Domitiani, ut septimos, & Septimii Severi, ut octavos, non magnopere cum eo pugnabo. Quidquid dicatur, asserendum est illum Vitellium natum anno septimorum ludorum secularium jam ad ultimum mensem provecto, ita ut ille annus inter ejus vitæ annos non numeretur, & obiisse anno, quo F octavi ludi facti sunt, primo mense, ita ut is annus inter annos vitæ ejus non computetur; quæ non obsunt, quo minus centum anni inter utrosque illos ludos lapsi fuerint.

3. Inscriptio vetus, quæ verosimiliter ad ludos Claudii & Augusti alludit.

## CAP. XI.

*Annus nonorum ludorum secularium proponitur & stabilitur.*




1. Nummi ludorum Septimii Severi Imperatoris & Aurelii Antonini.

CONstat nonos ludos seculares factos a L. Septimio Severo Imperatore, ex numismate, quod refert Baronius, ad annum Christi 206. atque ex inscriptionibus, quæ Severi nomen præferunt cum nota tribunitiæ potestatis duodecies repetitæ. Quoniam vero cum patre suo Septimio imperavit M. Aurelius Antoninus ab anno circiter sexto imperii ejus, atque ludi editi sunt anno duodecimo, etiam Aurelium Antoninum Imperatorem ludos octavos celebrasse testantur veteres nummi. Unde Pamelius in vita Tertulliani narrat invenisse se hanc nummi inscriptionem: M. ANTONINVS PIVS AVG. SECVLARIA SACRA. S. C. Alios nummos refert Adolphus Occo inter nummos Antonini ad annum Urbis 956. Inter hos duos ejusdem inscriptionis, quorum alter aureus, alter argenteus. in altera parte eorum inscriptio est: ANTONINVS PIVS AVG. in altera parte: COS. LVDOS SECVL. FEC. Duæ figuræ, altera *Herculis cum clava & Leonis exuviis*: altera *Bacchi cum thyrso, ad cujus pedes tigris*. Addit alterum, cujus inscriptio: ANTONINVS PIVS AVG. PONT. TR. P. VII. in altera parte: LVD. SEC. FECIT. S. C. quinque figuræ stantes coram ara sacrificantium ritu. Idem etiam refert argenteum nummum de secularibus iisdem a Septimio Geta ejus fratre excudi jussum, cujus inscriptio est: P. SEPTIMIVS OCTA. CAES. in altera parte: SECVLARIA SACRA. Figura *stans in templo sacrificantis ritu, coram ara cum duobus aliis assistentibus, & duobus ante & retro cum instrumentis musicis*. Ex nummis Severi Imp. Deckerius MS. & P. Bucherius in Canonem Pascalem Victorii pag. 232. colligunt idibus Septembris, ipso natali Imperatoris ejus ludos fuisse editos. Nummos Severi Imperatoris varii referunt. Adolphus Occo inter ejus nummos refert unum cum hac inscriptione: SECVLARIA SACRA S. C. Figura: *Imperator, cum filiis sacrificans, aut celebrans ludos seculares*. Vide etiam eundem nummum apud Erizzo 566. Item alterum 572. cujus inscriptio est:

C P. M. TR. POT. XII. COS. III. LVD. SEC. FEC. De anno horum ludorum eadem tradunt auctores, qui & Consules a nobis notatos referunt, ut Censorinus lib. de die Natali cap. 17. his verbis: *Octavos (fecere ludos seculares:* ignoravit enim ludos anno Urbis 900. factos) *Imperatores Septimius & M. Aurelius Antoninus, Chilone & Libone Consulibus anno DCCCCLVII.* Zosimus lib. 2. Hist. novæ. *Secundum hos*, inquit, *Severus, cum anni CX.* (loquitur in sententia Quindecimvirorum) *jam præteriissent cum filiis Antonino & Geta ludos eosdem* (seculares) *restituit Chilone*

D *Liboneque consulibus.* De hoc anno nulla est sententiarum varietas: nam a ludis Domitiani ad ludos Septimii, quos nonos esse censendum, anni centum & decem fluxerunt; quoniam Septimius Severus seculum esse totidem annorum ex Quindecimvirorum opinione censuit. Ambigunt tamen inter se auctores, quid sibi velit Herodianus lib. 3. agens de his ludis Septimii Severi. Sic enim habet: *Vidimus item sub illo quosdam omnis generis ludos cunctis editos theatris, simulque supplicationes & pervigilia ad formam Cereris initiorum* (seculares *bi*

E *tum appellabantur) celebrati, ut ajunt, trium spatio ætatum decurso.* In postremis enim verbis est difficultas, quid per *ætatem*, Græce γενεὰν, intelligat. sic enim habet Græcus textus: Αἰωνίους δὲ αὐτὰς ἐκάλουν οἱ τότε ἀκούοντες τριῶν γενεῶν διαδραμουσῶν ἐπιτελεῖσθαι. Quot enim annos contineat γενεὰ, diversæ admodum sunt sententiæ. Unde Censorinus lib. de Die natali cap. 17. *Qui seculum*, inquit, *triginta annos putarunt, multum videntur errasse: hoc enim tempus γενεὰν vocari Heraclitus auctor est, quia orbis ætatis in eo sit spatio: orbem autem vocant ætatis, dum natura humana a sementi ad*

2. Γενεὰ quot annos contineat.

F *sementem revertitur. Hoc quidem alii aliter definierunt, ac Herodicus annos quinque & viginti scribit dici γενεὰν, Zenon triginta.* Testatur Plutarchus in lib. περὶ τῶν ἐκλελ. χρησ. Heraclitum γενεὰν annorum triginta, & alios plurium esse voluisse. Artemidorus lib. II. ὀνειρ. C. LXXV. annis septem eam definit. Suidas

A in γενεὰ & Ορφεὺς, & alii, ut Hesychius, Eusebius l. 1. de Præparat. Evang. γενεαὶ ponunt pro spatio annorum viginti. Halicarnasseus l. 1. Antiq. Rom. pro centum annis, dum scribit Imperium Medorum stetisse *quatuor geneis:* hoc enim constat stetisse annis 400. Herodotus lib. 2. geneam facit annorum triginta trium & quatuor mensium, ut refert Onuphrius lib. de Ludis sec. sic enim habet: γενεαὶ γὰρ τρεῖς ἑκατὸν ἔτεά ἐστι. Idem sentit Clemens Alexandrinus l. 1. Strom. Alibi vero Herodotus, nimirum l. 1. teste Beerlinck in Theatro verbo *Annus*, facit γενεὰν annorum viginti trium. Muretus variarum Lectionum lib. 10. cap. 8. consentit cum iis, qui seculum triginta annorum faciunt, dum asserit Nævium apud Gellium lib. 19. cap. 8. seculum capere pro genea, & ideo Nestorem vocare *trisecli senem* ex Homeri Iliad. 1. & juxta hanc sententiam exponi posse arbitratur Herodianum loco supra citato, ita ut velit ætatibus tribus decursis, qui annos 90. efficiunt, anno vigesimo sequentis, geneæ editos ludos seculares ab Imperatore Severo & filiis. Eadem explicatione indiget, si sumpsit γενεὰν Censorinus, eo modo, quo Herodotus lib. 2. Tres enim geneæ faciunt apud eum centum annos, ita ut decimo anno sequentis geneæ dicendum sit ludos ab Septimio Severo & filiis celebratos; ut spatium centum & decem annorum a ludis Domitiani ad hos Septimii effluxerit. Existimant Onuphrius & Politianus in Miscellaneis, Pamelius in vita Tertulliani, arcum Severi triumphalem, qui etiamnum Romæ visitur, erectum anno, quo ludos seculares Severus Imperator edidit. B cum tamen inscriptio præferat annum undecimum tribunitiæ potestatis, atque nummi ludos seculares duodecimo anno ejusdem potestatis tribunitiæ celebratos præferant, & tribunitiæ potestatis Filii annum sextum, atque nummi testentur ipso tempore ludorum secularium eum VII. annum potestatis tribunitiæ egisse: ne ea opinio falsa sit, admodum vereor. Inscriptio illa arcus Severi ita habet:

*Romæ in arcu triumphali Severi.*


IMP. CAES. LVCIO SEPTIMIO M. FIL. SEVERO PIO PERTINACI AVG.
PATRI PATRIÆ PARTHICO ARABICO ET PARTHICO ADIABENICO
PONTIF. MAXIMO TRIBVNIC. POTEST. XI. IMP. XI. COS. III. PROCOS.
ET IMP. CAES. M. AVRELIO. L FIL. ANTONINO AVG. PIO FELICI
TRIBVNIC. POTEST. VI. COS. PROCOS. P. P.
OPTIMIS FORTISSIMISQVE PRINCIPIBVS
OB REM PVBLICAM RESTITVTAM IMPERIVMQVE POPVLI. ROMANI
PROPAGATVM INSIGNIBVS VIRTVTIBVS EORVM
DOMI FORISQVE S. P. Q. R.

3. *Tertullianus librum de Spectaculis cur composuerit.*

Præterea censet Pamelius, atque cum eo C Baronius loco citato, Tertullianum librum suum de Spectaculis & idolatria, edidisse anno ludorum secularium Severi Imperatoris, ut ab eorum celebratione homines retraheret, aut saltem Christianos ab eorum contemplatione avocaret.

## CAP. XII.

*Annus decimorum ludorum secularium proponitur & stabilitur.*




1. *Auctores, qui de Philipporum Imperatorum ludis agunt.*

NOn conveniunt inter se auctores in multis, quæ de his ludis secularibus tradunt. Ordine eorum verba referamus, atque ut veram Chronologiam confirmem, partim eos conciliabo inter se, partim refellam. Ducat agmen Cassiodorus, qui de his ludis in D Chronico ita scribit, postquam consules recensuit Æmilianum & Aquilinum: *His consulibus*, inquit, *millesimus Urbis annus expletus est: ob quam solemnitatem innumerabiles Philippus cum filio suo bestias in Circo magno interfecit, ludosque in campo Martio theatrales, tribus*

bus diebus ac noctibus populo pervigilante, *celebravit: quadraginta etiam missus natali Romanæ Urbis concurrerunt, & agon mille annorum actus*. Succedat huic Eutropius Hist. Romanæ lib. 9. in Philippis: *Philippi duo*, inquit, *Filius ac Pater Gordiano occiso imperium invaserunt, atque exercitu incolumi reducto, ad Italiam e Syria profecti sunt. His imperantibus millesimus annus Romæ Urbis, ingenti ludorum apparatu, spectaculorumque celebratus est*. Scribit de iisdem ludis Sextus Aurelius, vulgatæ editionis in Historiæ Augustæ epitome: *M. Julius Philippus imperavit annos quinque, Veronæ ab exercitu interfectus est, medio capite supra ordinem dentium præciso: filius autem ejus Cajus Julius Saturninus, quem potentiæ sociaverat, Romæ occisus agens vitæ annum duodecimum, adeo severi & tristis animi, ut jam tum a quinquenni ætate nullo prorsus cujusquam commento ad ridendum solvi potuerit; patremque ludis secularibus petulantius cachinnantem, quamquam adhuc tener, vultu notaverit adversato*. Copiosius de his Julius Capitolinus in Gordianis sub finem: *Fuerunt sub Gordiano Romæ elephanti XX. & II. (quorum ipse XII. miserat, Alexander X.) alces X. tigres X. leones mansueti XL. leopardi mansueti XXX. belbi* (id est, hyænæ) *X. gladiatorum fiscalium paria mille, hippopotamus & rhinoceros unus, arcoleontes X. camelopardali X. onagri XX. equi feri XL. & cætera ejusmodi animalia innumera & diversa, quæ omnia Philippus ludis secularibus vel dedit, vel occidit. Has autem omnes feras mansuetas & præterea efferas parabat ad triumphum Persicum, sed votum publicum nihil valuit: nam omnia Philippus hæc exhibuit secularibus ludis & muneribus atque circensibus, cum millesimum ab Urbe condita annum in consulatu suo & filii sui celebravit*. His similia habet Pomponius Lætus in Philippo: *Hujus Imperii anno 2. ante XI. Cal. Maii ingenti pompa magnoque sumptu & apparatu seculares ludi anno V. C. millesimo celebrati sunt. Belluæ triumpho Persico, & iis ludis a Gordiano asservatæ (nam juvenis natali Urbis triumphare decreverat) hæ fuisse memorantur. Elpehanti XXXII.* (legendum *XXII.* ut ex Julio Capitolino patet) *alces X. trigides X. leones mansueti XL. leopardi cicures XXX. hyænæ X. hippopotamus unus, rhinoceros unus, arcoleontes X. camelopardali X. onagri XX. equi feri XL. gladiatorum paria mille; quæ omnia in Circo exhibita, & scenicos ludos in Pompeii theatro, tribus diebus totidemque noctibus (mirum dictu) pervigil populus spectavit, funalibus atque lychnis tenebras vincentibus. & cum multitudo solennibus ludis intenta esset, incendium aut ex luminaribus aut ex ignibus coalitum, in curia divagatum est: theatrum Pompeii arsit, & ei propinquum hecatonstylon, centum columnarum in campo Martio opus*: centenariam porticum *appellant. Circenses dati, in quibus in certamine currendi quadragesimus equorum e carcere missus numeratus est*. Subjungo ea, quæ habet Eusebius Cæsariensis in Chronico ad annum Christi 248. *Regnantibus Philippis millesimus annus Romanæ Urbis expletus est, ob quam solemnitatem innumerabiles bestiæ in Circo magno interfectæ ludique in campo Martio theatrales, tribus diebus ac noctibus populo pervigilante, celebrati*. Orosius lib. 7. agens de Philippo, *Post tertium*, inquit, *ejus Imperii annum millesimus a conditione Romæ completus est: ita ludis magnificis augustissimus omnium præteritorum hic natalis annus a Christiano Imperatore celebratus est. Nec dubium est, quin Philippus hujus tantæ devotionis gratiam & honorem ad Christum & Ecclesiam reportarit, quando vel ascensum fuisse in Capitolium, immolatasque ex more hostias, nullus auctor ostendit*. Hæc eadem habet Hermannus Contractus, & Isidorus in Chronico ad 1. annum ejusdem Philippi: *Primo*, inquit, *anno millesimus annus Urbis Romanæ fuisse docetur expletus*. Atque hæc sunt, quæ apud auctores reperi de his ludis secularibus. Quod autem spectat ad id, quod Cassiodorus, (quem sequitur Mariana & alii, ut observat Scaliger de emendatione Temporum in editione nova pag. 366.) asserit eos ludos factos sub consulibus Æmiliano & Aquilino, in quo repugnat aliis auctoribus, Eutropio, Sexto Aurelio, Julio Capitolino, & Pomponio Læto, qui asserunt editos ab imperatoribus & consulibus Philippo patre & Philippo filio: dicendum est, id vitio librariorum accidisse in editione chronici Cassiodori, qui ea, quæ ille habebat de ludis secularibus ad marginem consulatus Philipporum, cum non longe abessent alii consules Æmilianus & Aquilinus, post eorum recensita nomina, interjecerunt in textu, cum anteponere debuissent. Aut si ista conciliatio Cassiodori cum aliis auctoribus non placet, dicendum cum Dionysio Petavio lib. XI. de doctrina Temporum cap. 25. Cassiodorum in Chronico suo perperam conferre ludos seculares in annum, quo illi Consules fuerunt: cujus ratio afferri potest, quod illi Consules fuerunt, anno Philipporum sexto, dum esset annus Urbis Romanæ millesimus secundus inchoatus, cum ipse & alii omnes testentur, eos ludos seculares celebratos anno Urbis conditæ millesimo. Deinde ex eo, quod Eutropius filium Philippi Imperatoris (quem imperio sociasse asserit) vocet C. Julium Saturninum, cum alii Julium Philippum nominent, credendum est illum etiam nomen Saturnini habuisse cum Philippi nomine. Denique quod attinet ad id, quod inter se auctores non conveniunt in anno Philipporum assignando, inter se vix conciliari possunt. Isidorus insinuat eos ludos celebratos Philipporum anno 1. Alii asserunt celebratos Philipporum anno 2. ut Pomponius Lætus, quem sequitur Genebrardus ad annum Christi 252. Alii anno 3. completo, & inchoato 4. ut Orosius & Contractus. Alii anno 4. expleto, & 5. inchoato, quos sequimur. Quod attinet ad Isidorum & Pomponium Lætum, non est eorum sententiæ standum: nam si facti fuissent ludi anno 1. vel 2. Imperii Philipporum, facti fuissent ante annum Urbis Romæ conditæ millesimum, quod dici nequit. Hoc vero probatur, quoniam anno ab Urbe condita 996. occisus est Gordianus Imperator mense Martio: cum autem annus ille Urbis finiretur circiter mense uno post, nimirum ipsis Palilibus XI. Kalendas Maii, sive 21. Aprilis, a quo die anni Urbis numerari solebant, etiam tum inchoabatur annus Urbis conditæ 997. atque ita Imperator Philippus, qui Gordiano successerat, primum annum regni sui expleverat mense circiter uno ante annum Urbis conditæ 998. secundum vero Imperii annum expleverat uno mense ante annum Urbis conditæ 999. tertium annum ejusdem Imperi expleverat uno mense ante annum Urbis conditæ CIↃ. quartum Imperii annum denique expleverat ante annum millesimum ex-

2. Auctores [illegible] integritati, alii [illegible] conciliantur.

4. Di[illegible] [illegible] seculares [illegible] derint.

pletum, uno scilicet mense ante annum cIↃI. Unde fit, ut Imperator Philippus pater annum Imperii sui 5. inceperit ante eundem annum V. C. cIↃI. Ex quibus conficitur annum Imperii Philippi senioris primum, secundum, & tertium non incidisse in annum Urbis conditæ millesimum, ne quidem inchoatum, atque ita ludos seculares a Philippo Imperatore celebratos anno Urbis conditæ millesimo, juxta supra recensitos auctores, anno Imperii illius primo, secundo, aut tertio editos non fuisse. Quare superest, ut excutiamus, utrum anno Imperii illius quarto, an vero quinto celebrati sint. Quam in rem observandum, antiqua numismata diversi generis citari ab auctoribus, qui diversos consulatus Philippi patris & Philippi filii exprimunt: nam asserit Pontacus in notis ad Chronicon Eusebii loco citato, & fatetur Baronius ad annum Christi 249. reperiri numismata, in quibus notantur ludi seculares, acta a Philippis consulatu patris 2. filii consulatu 1. Idem vero Baronius ex Musæo Lælii Paschalini & Pyrrhi Ligorii alia numismata duo profert, in quorum altero Philippi patris consulatu 3. Philippi filii consulatu 2. ludi seculares ab iis editi notantur. Item Scaliger unum ejusmodi profert ad annum Eusebii 2261. atque plures ejusmodi nummos reperiri præferentes 3. consulatum Patris, 2. Filii testantur Onuphrius & Pontacus, pluresque profert Adolphus Occo, & alii. Hanc difficultatem notarunt varii auctores, ac dissolvere sunt conati. Hac ratione dissolvi posse puto cum Pontaco in notis citatis ad Chronicon Eusebii, & Baronio in Annal. tom. 1. ad annum Christi 249. si dicatur celebratos a Philippis Imperatoribus ludos seculares consulatu Philippi patris 2. & filii 1. item consulatu 3. patris, filii 2. Quod ut clarius appareat, quam ab citatis auctoribus ostenditur, ideo infra annorum Imperii Philippi senioris tabulam exhibebo, in qua diversos consulatus illius, annos Urbis conditæ, & ludos seculares annotabo per menses; ex qua tabula poterit lector videre, non recte Martinum Polonum in Chronico, annum V.C. 1000. cum anno 1 Imperii Philippi patris conferre, & seculares cum 2. cum aliter ejus tabulæ monstrent, uti & nostra. Item quomodo Mercator in Chronico in annis Philippi metachronismo unius anni laboret, item Joannes Lucidus lib. 1. cap. 9. & alii. Lege tabulam post hoc caput pag. 72.

4. Difficultas in anno ludorum secularium Philipporum dissolvitur.

Ex hac tabula patebit, consulatum 2. Philippi patris cœpisse exeunte anno 3. imperii ejus; atque anno 4. ad menses 8. & amplius perdurasse. Horum autem 8. mensium primo, qui erat Aprilis, annus ab V. C. millesimus volvebatur, ab ejusdem mensis die 27. quare potuerunt ludi seculares fieri a Philippis Imperatoribus consulatu patris 2. & filii primo, imperii patris anno 4. jam ad secundum mense provecto: & tamen fuisse facti anno Urbis conditæ millesimo. Quare non est mirum, si numismata, quæ ludorum caussa cusa sunt, consulatum patris 2. filii 1. exprimant, quia revera eo consulatu sunt celebrati mense Aprili: hoc enim diserte asserit Pomponius Lætus in Philippo, qui XI. Calendas Maii, celebratos recte asserit, licet de anno non recte sentiat. Quare audiendus non est Onuphrius de Ludis secularibus, & alii, qui Philippum die natali sui imperii seculares ludos edidisse dicunt mense Martio: quod Baronius loco supra citato censuisse Pomponium Lætum affirmat, quod tum ex Pomponii verbis citatis patet esse falsum, tum quia ante annum millesimum V. C. facti fuissent. Ipse etiam Baronius non est audiendus, dum contra eundem Pomponium asserit ludos seculares editos a Philippis Imperatoribus sub finem mensis Junii: nam cum de ludis Imperatorum Philipporum Zosimus, cujus auctoritate nititur, ex odio in fidem Christi, quam sequebantur, de iis Philipporum ludis maligne tacuerit, ejus auctoritas nullius hac in re est momenti; & licet esset, dicendum esset, ex Pomponii Læti auctoritate, Philippos solito tempore non celebrasse, sed eo, quo ille annotavit, anni tempore, maxime cum suffragetur ei Julius Capitolinus, *qui annum Urbis millesimum Philippos Augustos celebrasse tradit.* Quæ ejus verba sonant annum millesimum ineuntem, quo Pomponius affirmat, ab eis ludos seculares editos. Quoniam tamen secularis annus totus celebris erat, ideo quidam nummi præferunt consulatu 3. Philippi patris & 2. filii ludos seculares editos; non quod revera iis consulatibus sint editi isti ludi seculares, sed quod nummi isti in populum sint conjecti anno millesimo (qui erat annus ludorum secularium, atque a fine adhuc quatuor mensibus aberat) & id quidem mense Januario, quo suum consulatum 3. auspicabatur pater, & filius 2. Ratio vero, cur mense Januario, anno seculari consulatu patris 3. filii 2. mitterentur nummi in populum, non fuit sola anni secularis celebritas (hac enim de causa sparsa fuerant consulatu patris 2. & filii 1.) sed etiam recepta consuetudo, qua teste Herodiano Calendis Januariis Romani sibi invicem numismata, aliaque dona mittebant. De hac ita habet Herodianus lib. 1. *Quocirca nunc Romani Saturnalia prius, dein vero initium anni more suo concelebrant: estque ejus Dei biceps imago, ut a quo incipit, & in quem desinit annus. Cum igitur hunc diem festum civitas agitaret, in quo Romani invicem se colunt salutantque, & numismata alter alteri, cæteraque omnifariam munera missitant, summique magistratus conspicuam sibi & solemnem purpuram induunt, universis diem concelebrantibus, statuit Commodus* &c. Græce ea quæ ad nostram rem faciunt paulo aliter habentur his verbis: Ταύτης δὲ τὴν ἑορτὴν περιιούσης, ἐν ᾗ μάλιστα Ῥωμαῖοι δεξιοῦνταί τε ἀλλήλους, καὶ προσαγορεύουσι, νομισμάτων τε ἀντιδόσεσι καὶ κοινωνίᾳ τῶν γῆς καὶ θαλάττης καλῶν εὐφραίνουσιν αὑτούς. Ex his, ut puto, clare satisfactum est difficultatibus, quæ ex auctorum conflictu quoad annum horum ludorum lectori occurrere potuissent: cum enim ex his aliqui dicunt anno millesimo completo, vel expleto illos celebratos, vel in eo hallucinantur, vel certe dicendum est cum Deckerio, & post eum Bucherio in Victorii canonem Paschalem pag. 255. Philippos Imperatores ludos suos a Palilibus ineuntis anni millesimi, ad altera ejusdem exeuntis celebrasse, atque ita cum dati sint ab iis ludi seculares, alii initio, alii in fine anni millesimi, auctores, qui dicunt anno millesimo expleto exhibitos, de posterioribus ludis intelligere censendi sunt, atque minus proprie loqui. Sic excusari potest Scaliger de emend. Temporum editionis novæ pag. citata, dum addit solidos 201. annos excurrisse inter ludos Claudii & Philipporum, intelligendo ejus dictum de ludis posteriori-

5. Conciliantur auctores, qui de anno ludorum Philipporum videntur dissentire.

bus. Sic, ut hoc obiter notem, Ecclesia a tempore Philipporum Jubileum celebrat a natali Christi ad natalem anno sequenti, uno scilicet anno integro. Colliges ex dictis falso asserere Zosimum lib. 2. Hist. novæ ludos seculares editos non fuisse a tempore Severi Imperatoris, ut notat Baronius ad annum Christi 249. & id ea de causa, quam paulo ante aperui. Item adverte mirandum esse, Wolphangum Lazium lib. 10. de Republica, cum de ludis Severi Imperatoris agit, hæc scribere, a Zosimo, ut puto, in fraudem inductum: *Cæterum tametsi*, inquit, *& alios sequentes Imperatores tales edidisse ludos verisimile sit; tamen quia apud auctores mentio nulla occurrit, consulto omitto*. Hæc ille. Quid enim? numquid ille apud tot auctores, quot supra citavimus, de illis quidquam legerat? numquid illi mentionem nôn tantum non faciunt, sed quid in eis factum, enarrant? Infer præterea ex dictis Philippos Imperatores ad Claudii ludos ante CC. annos factos respexisse. Item ad ludos Antonini Pii ante centum annos, nempe V. C. anno 900. celebratos. Scribit etiam Boetius Epo Antiquitatum Eccles. syntag. 5. *Post ludos Philippi non meminisse se legere unquam Romæ fuisse celebratos amplius*. Sed in ea re lapsus memoriæ in eo agnoscendus est. Nota ad extremum, Philippum patrem, ut habetur ex Eusebio in Chron. anno Christi 247. ex Orosio lib. 7. cap. 20. fuisse Christianæ fidei mysteriis imbutum, quod etiam testatur Georgius Cedrenus in Philippo, & idipsum tradit Metellus Tergeensis ab Henrico Canisio editus tom. 1. Antiquarum lectionum, ut patet ex argumento odæ 1. in Quirinalibus, atque his versibus, male quidem tornatis, sed ad rem nostram maxime facientibus:

*Tempus annum millesimum rotabat,*
*Roma suo se cana caput coronat;*
*Læta plenum conditionis ævum*
*Concelebrando.*
*Verticem regina Deo superbum,*
*Fronte matura reverenda flexit,*
*Principis cedente domo Philippi*
*Sub juga Christi.*

6. Imperator Philippus cum familia tota fit Christi fidem amplexus.

Eadem sæpe toto libro idem auctor pervetustus repetit, quæ confirmantur ex eo, quod narratur in actis S. Pontii apud Surium tomo 7. die 14. Maii; nimirum Philippum, cum se ad Diis sacrificandum accingeret, Pontii præfecti suasu, atque adhortationibus a sacrificandi voluntate resiliisse, & Christi fidem amplexatum, a Fabiano Papa sacro baptismate tinctum fuisse. Denique eum fidei causa obiisse prodit Eusebius in Chronico, his verbis, ad annum Christi 254. *Decius cum Philippos patrem & filium interfecisset, ob odium eorum in Christianos persecutionem movet*. Idem Cedrenus loco citato magis clare tradit: Ἀνῃρέθη δὲ ἅμα τῷ υἱῷ ὑπὲρ Χριστιανῶν κατὰ Δεκίου ἀγωνιζόμενος. *Interfectus est Philippus una cum Filio contra Decium pro Christianis depugnans*. Idem asserit Nicephorus Calistus lib. 5. cap. 27. & refert Baronius ad annum Christi 249. Genebrardus ad annum Christi 252. (ex Joanne Mairio tract. Schis. Sabellii, Bergomensi lib. 8.) hanc causam mortis Philippi adducit, quod gazas Imperatoris Fabiano Papæ tradidisset, quod de Philippo seniore eum intelligere contextus denotat. Sed vereor, ne cum iis auctoribus in fraudem inductus sit; siquidem Petrus de Natalibus lib. XI. cap. 92. hanc Philippi Junioris mortis causam scribit. Quod probabilius esse judico, quam quod illi auctores asserunt, quoniam Petrus de Natalibus longe diligentius aliis, res Philipporum ex auctoribus & manuscriptis collegit, atque veros Christi Martyres fuisse comperit, & scriptis ibidem mandavit. Scio illum dicere, Philippum illos thesauros dedisse Sixto Papæ (quod etiam dicit Martinus Polonus in Chronico) sed cum ratio temporis id non patiatur, cum Sixtus Papa tempore Philipporum Ecclesiæ non præfuerit, sed Fabianus, in eo illum lapsum memoria par est credere. Ex eodem Petro de Natalibus, & aliis auctoribus citatis, cum constet Philippos fuisse Martyres, redarguendus est Cuspinianus lib. de Cæsaribus in Philippis ubi postquam Philippum seniorem Christianum vocavit, ita de eo postea pronunciat, *Eum Punica fraude, ut scelera tegeret, cultum Christiani nominis simulasse*. Item Joannes Baptista Egnatius lib. 1. in Philippis, ubi sic scribit: *Sunt qui a Christiana pietate non abhorruisse Philippum tradant, quorum testimonio hominis perfidia fidem abroget*. His enim verbis ambo Philippo, vero Christi Martyri, injuriam faciunt, ut patebit ex iis, quæ dicemus in hujus operis epilogo. Quod vero attinet ad id, quod Baronius ad annum Christi 253. (ex eo quod Eutropius lib. 9. Breviarii historiæ dicit Philippos in divos fuisse relatos) colligit sic eos Christiana religione fuisse initiatos, ut tamen nullum eam ob causam negotium facessiverint Gentilitiæ superstitioni, vix puto sustineri posse. Nam præterquam quod odio fidei multa de iis scriptores prodere noluerunt, ut fatetur ipse Baronius; constat etiam eos Gentilibus multum facessivisse negotii, cum ludos seculares sine ullis deorum sacrificiis celebrandos curarunt, ut ab Orosio loco citato discimus. Deinde cum exoletos Philippus Senior vetuit, ut Lampridius memorat in Alexandro; præterea etiam cum Poetarum gentilium maledicentiam & turpitudinem in verbis coercuit sanctione illa, quæ habetur in Cod. lib. 10. lege *Poeta*. Denique cum permisit Decio fidem Catholicam simulanti, ut sibi placeret, publica Catholicis conferre beneficia. nam ut testatur Petrus de Natalibus loco citato: *Decii præcepto, dum corpora Apostolorum Petri & Pauli de catacumbis a Cornelio Papa* (aut potius *Fabiano*, quia vivente Philippo Imperatore non præfuit Ecclesiæ Cornelius Papa) *transferri deberent, totius Senatus consulto concessum est Romano Pontifici cæterisque Christianis libere ad sepulturas Apostolorum faciendas insudare, & ad id faciendum data sunt eis de fisco reipublicæ adjutoria*. Hæc vero quis negare audeat Gentilibus bilem movisse, & ingratissima accidisse? Nihilominus tamen non desierunt propter ea Gentiles eos Imperatores demortuos in Divorum numerum referre, non quidem eam ob causam, quam affert Baronius, sed ob aliam, de qua non constat. Suspicio esse potest, quod licet ob fidem Catholicam essent iis invisi, tamen quia multis carebant vitiis, quibus laboraverant ante eos alii Imperatores, & virtutibus Christianis ornati erant, conjici potest Senatum hoc ultimum defunctis vita Imperatoribus præstari solitum officium illis non censuisse denegandum, atque eos in Divorum numerum relatos. Sed hæc ex occasione paulo

7. Philippi Imperatore, Christi Martyres.

8. Præclara facta Imperatoris Philippi Gentilibus ingrata.

9. Cur Philippi Imperatores a Gentilibus in Divos relati.

fusius forte, quam par erat. Ut ad rem redeam & finiam, adjicio varia Philipporum numismata edita a Philippis ludis eorum secularibus, de quibus Onuphrius de Ludis secularibus, cujus verba non pigebit adscribere: *De Philippi*, inquit, *ludis secularibus multam & variam fieri mentionem vidi in plerisque vetustis ejusdem æreis & argenteis numismatibus, quæ sunt Venetiis in musæo integerrimi viri Stephani Magni Patricii Veneti. Is inter cæteram, quam habet veterum nummorum supellectilem, octo quoque aut decem habet Philipporum argenteos æreosque nummos, variis & mirabilibus inprimis significationibus ornatos: inter quos duo sunt, altee æreus, alter argenteus, iisdem signis excusi. ab uno enim latere circum Philippi Senioris caput sunt litteræ: IMP. CÆS. M. JVL. PHILIPPVS AVG. C. F. III. ab altero vero, in nummo tantum argenteo nota I. cum hac inscriptione, SECVLARES AVGVSTI. in cujus medio est Leo. Est alius ejusdem nummus cum nota nummeri II. in quo cum iisdem verbis est Lupa præbens Romulo & Remo infantibus mammas. Tertius vero nummus Philippi Junioris circum ejus caput scriptum habet: IMP. CÆS. M. JVLIVS PHILIPPVS AVG. Cos. II. a tergo neta III. & hæc verba, SECVLARES AVG. cum animali facto ad capræ formam sine cauda, quod Alcem fuisse credo. Quartus est uxoris Philippi Senioris sic inscriptus, MARCIA OTACIL. SEVERA AVG. ab alio latere nota IIII. cum Hippopotamo. Quintus porro nummus est Philippi Senioris cum nota numeri V. & Cervo, litterisque iisdem, quas supra retuli. Sextus nummus ejusdem, etiam cum nota VI. supra quam est animal capræ non absimile, sed cum cornibus serratis, quæ forte Hyena erat. Res visu digna, & maxime memorabilis visa est: in iisdem enim nummis omnia animalium genera formata fuisse existimavi, quæ populo ante ex Gordiano Capitolini ostendi. Sunt eo in loco & alii argentei æreique de iisdem ludis Philipporum nummi, in quorum uno, qui est Philippi Senioris, circum Columellæ signum sic inscriptæ COS. III est: MILIARIVM SECVLVM. In altero, qui Philippi Junioris caput habet, circum Elephantum est ita scriptum: ÆTERNITAS AVG. Multos præterea vidi, quos nunc longum esset enumerare.* Hæc ille. Consule Occonem, & numismata illa reperies. Adde ad hæc, Baronium ad annum Christi 249. meminisse numismatis, in cujus una facie vir quispiam virga templi aditum ostendit: & explicat, dicens, per virum repræsentari Philippum Juniorem, cum novo seculo ostendentem novam servandam esse religionem, atque templi ejus aditum patentem. Atque hactenus de ludis Philipporum: nunc tabulam annorum Imperii illorum, & Consulatum initia inspice cum annis V. C. collata.

10. Nummi varii secularium ludorum Philipporum.



# TABULA ANNORUM IMPERII PHILIPPORUM
## comparatorum cum annis Urbis Romæ.

*Annus primus Imperii Philippi Imp. incipit anni Juliani ab V. C. 996. menſe Martio, & continet*

Martii dies XI. poſteriores. Menſes:
Aprilem. — *Annus ab Urbe condita.* Hujus menſis die 21. incipit annus ab Urbe Roma condita 997. quia Romani a Palilibus XI. Calendas Maii annos Urbis, ut diximus, numerabant. Unde in Romano Kalendario apud Dempſterum lib. 3. Antq. Roſini in Paralipomenis, cap. 4. eo die ſic habetur: *Primus dies ſeculi.* Item apud Gyraldum in libello de Annis, qui illud Kalendarium perfecit. Sed Junius in lib. de Anno in Kalendario ſuo, male per ſeculum *Mundum* intellexit.
Majum.
Junium.
Julium.
Auguſtum.
Septembrem.
Octobrem.
Novembrem.
Decembrem.
Januarium. — *Conſulatus primus.* Philippi Patris, cum Tito Fabio Titano: nam Conſulatus tunc menſes Januario inchoabatur.
Februarium.
Martii xx. dies priores.

*Annus ſecundus Imperii Philippi Imp. incipit anni Juliani ab V. C. 997. menſe Martio, & continet*

Martii dies XI. poſteriores. Menſes:
Aprilem. — *Annus ab Urbe condita.* Hujus menſis dies 21. incipit annus ab Urbe condita 998.
Majum.
Junium, Julium, Auguſtum, &c.
Januarium. — Conſulatum hoc menſe inierunt, Brutus Præſens & Nummius Albinus.
Februarium.
Martii dies xx. priores.

*Annus tertius Imperii Philippi Imp. incipit anni Juliani ab V. C. 998. menſe Martio, & continet*

Martii dies XI. poſteriores. Menſes:
Aprilem. — *Annus ab Urbe condita.* Hujus menſis die 21. incipit annus ab Urbe condita 999.
Majum.
Junium, Julium, Auguſtum, &c.
Januarium. — *Conſulatus ſecundus* Philippi Patris & Philippi Filii I.
Februarium.
Martii dies xx. priores.

*Annus quartus Imperii Philippi Imp. incipit anni Juliani ab V. C. 999. menſe Martio, & continet*


Martii dies XI. poſteriores. Menſes:
Aprilem. — *Annus ab Urbe condita.* Hujus menſis die 21. incipit annus ab Urbe condita 1000.
*Ludi ſeculares eo menſe editi & poſtea ſæpius repetiti.*
Majum.
Junium, Julium, Auguſtum, &c.
Januarium. — *Conſulatus tertius.* Philippi Patris & 2. Filii.
Februarium.
Menſis Martii xx. dies.

*Annus quintus Imperii Philippi Imp. incipit anni Juliani ab V. C. 1000. menſe Martio, & continet*

Martii dies XI. poſteriores. Menſes:
Aprilem. — *Annus ab Urbe condita.* Hujus menſis die 21. incipit annus ab Urbe condita 1001.
Majum, Junium, Julium, &c.

## CAP. XIII.

*De ludis Gallieni Imperatoris, qui numero undecimi sunt, si facti fuerunt.*




1. Nummi ludorum secularium Gallieni.

NUlli auctores, quod sciam, agunt de ludis secularibus editis a Gallieno & Valeriano Imperatoribus; nummi tamen sunt superstites Gallieni, qui ludorum secularium inscriptionem præferunt, ut argenteus ille, qui in museo Stephani Magni Veneti Patricii extabat: in cujus uno latere erat caput Gallieni cum inscriptione, GALLIENUS AUG. in altero latere Cervus diuturnæ vitæ, quæ centum est annorum, symbolum cum hac inscriptione, SECULARES AUG. Quem nummum se vidisse testatur Onuphrius lib. de Ludis secularibus, quales etiam apud viros antiquitatum amantes alibi extant, licet rari sint: nam apud plures Belgii nostri antiquitatum peritos, qui nummos asservant, nullum videre potui, licet plurium numismata viderim, etiam quæ hic extant Tornaci apud varios Jurisconsultos, atque in Bibliotheca publica DD.Canonicorum, ubi tanta est æreorum, argenteorum, atque aureorum nummorum copia, ut in Belgio apud ullos plura, aut rariora vix putem reperiri. Hi, inquam, nummi istius Imperatoris de ludis secularibus (nisi eum uti in aliis rebus, ita in his nummis impostura usum fateamur) dubitare non sinunt de editis ab Gallieno ludis secularibus. Qua vero de causa, quo anno, quibusve Consulibus, an cum solus imperaret, an quando una cum Valeriano, eos ediderit, incertum mihi est. Certe cum sub eo edendorum istorum ludorum tempus non contigerit, videtur eos pro sua libidine celebrasse: nam a ludis Philipporum Imperatorum, vix effluere potuit quinta pars seculi: a ludis Septimii Severi, vix tres seculi partes: a ludis autem Antonini Pii, amplius fluxit quam spatium seculi centum annorum. Si quis tamen conjicere velit eum, cum solus imperaret, anno ab V. C. 1016. ludos seculares edidisse sine ullo respectu ad ullos ludos, sed quia Philippi Imperatoris ludos ob neglecta Deorum sacrificia nihili duceret; non habeo, quod illi opponam. Imo favet huic opinioni Trebellius Pollio in Gallienis, qui testatur eum Decennia celebrasse inusitata pla-

C ne ratione. sic ille habet: *Interfectis sane militibus apud Byzantium, Gallienus, quasi magnum aliquid gessisset, Romam cursu rapido convolavit, convocatisque Patribus Decennia celebravit, novo genere ludorum, nova specie pomparum, exquisito genere voluptatum. Jam primum inter togatos Patres, & equestrem ordinem, albatos milites, & omni populo præeunte, servis etiam prope omnium, & mulieribus cum cereis, facibus, lampadibus præcedentibus, Capitolium petiit. Processerunt etiam altrinsecus centeni albi boves, cornibus auro jugatis, & dorsualibus sericis discoloribus præfulgentes: Agnæ candentes*

D *ab utraque parte CC. præcesserant, & X. Elephanti qui tunc erant Romæ: M. CC. Gladiatores pompaliter ornati cum auratis vestibus matronarum: Mansuetæ feræ diversi generis CC. ornatu quam maximo affectæ: Carpenta cum Mimis, & omni genere histrionum: Pugiles sacculis, non veritate pugilantes: Cyclopea etiam luserunt omnes Apenarii, ita ut miranda quædam & stupenda monstraret. Omnes viæ ludis, strepituque personabant; ipse medius cum picta toga & tunica palmata, inter patres, ut diximus, omnibus sacerdotibus prætextatis Capitolium petiit. Hastæ auratæ altrinsecus quingentæ, vexilla*


E *centena, & præter ea, quæ collegiorum erant, dracones & signa templorum, omniumque legionum ibant. Ibant præterea gentes simulatæ, ut Gothi, Sarmatæ, Franci, Persæ: ita ut non minus quam duceni singulis globis ducerentur. Hac pompa homo ineptus illudere se credidit populum Romanum.* Favet, inquam, hoc illi opinioni, quia ut pro libidine sua illum ludos illos decennales celebrasse innuit in citatis verbis Trebellius Pollio, ut populo Romano imponeret, se rem præclare gessisse; ita etiam potuit (neglecto tempore legitimo) velle eisdem imponere istos ludos suos decennales appellan-

F dos *seculares*, quos populus tantopere desiderabat, atque a Philippis non rite celebratos querebatur, ob omissa sacrificia. quæ causa forte est, cur dicat eum *Decennia celebrasse novo genere ludorum*. Et Gallienus ideo videtur etiam curasse nummos in populum mitti, qui inscri-

ptionem præferrent ludorum secularium. Certe in istis Gallieni decennalibus ludis fuerunt pleraque, quæ in secularibus ludis usurpari solebant: nempe sacrificia centum hostiarum facta, processit supplicatio in Capitolium, ludi cujusvis generis editi, gladiatorum pugnæ exhibitæ sunt, & alia ejusmodi usurpata. Et quidem ad plures dies ludi illi decennales (ut & seculares) tenuerunt, ut ex iis, quæ subjicit eodem loco Trebellius Pollio, colligitur. Nam paulo post, quam retulit ea, quæ supra citavi, *Inter hæc*, inquit, *ingens querela de patre, quem inultum filius relinqueret, & quem externi utcumque vindicaverant: nec tamen Gallienus ad talia movebatur, obstupefacto voluptatibus corde Sed ab iis, qui circum eum erant, requirebat, Et quid habemus in prandio? & quæ voluptates paratæ sunt? & qualis cras erit cœna? quales Circenses? Sic confecto itinere, celebratisque hecatombis, ad domum regiam rediit, conviviisque, & epulis depulsis, alios dies voluptatibus publicis deputabat.* Cæterum si illo anno credamus Gallienum seculares edidisse, dicendus est eos fecisse Nummio Albino & Maximo Dextero Consulibus, anno Imperi decimo fere exacto, cum a capto parente solus regnaret a quatuor circiter annis. Sed de his rebus nihil affirmo: cum enim præter has conjecturas pro eorum ludorum anno confirmando ex auctoribus aliud nihil succurrat, malo nihil certi affirmare, quam parum prudenter incerta pro certis obtrudere. Certiora de illis ludis aliquando fortassis me peritior quispiam inveniet. Pergo interea ad ludos consequentes.

## CAP. XIV.

*Agitur nonnihil de ludis secularibus aliquoties omissis, deinde annus duodecimorum ludorum secularium proponitur & stabilitur.*




2. *Ludos seculares a Constantino Gentiles petierunt, sed passi sunt repulsam.*

ANno ab Urbe Roma condita M.LXVII. cum imperante Constantino, eo 3. & Licinio 3. Consulibus aut Cejonio Rufo & Anniano ludi seculares edi debuissent, computando a tempore, quo illos ediderat Septimius Severus Imperator: nam tum elapsi erant anni centum & decem, more Quindecimvirorum seculum accipiendo. Atque adeo eo tempore Romani pagani illos avidissime expectabant, eo quod Philipporum ludos nihil ducerent; quia prætermissis Deorum sacrificiis, non observatis ritibus aliis idololatriam sapientibus, eos celebraverant. Sed seculares istos ludos omnino eo anno agere neglexit Constantinus Imperator Christianus, quod refert Zosimus his verbis: *Constantino & Licinio 3. Coss. centum & decem annorum spatium completum fuit, quo jam ludos consueto more celebratos oportuit: eo neglecto ad infelicitatem illam prolabi necesse fuit, quæ hoc tempore nos urget.* Ita ille: quibus postremis verbis Zosimus, quo animo esset in Christianos Imperatores, ostendit, cum ipse esset a fide alienus. quod notat Stephanus Claverius in Claudiani Panegyr. de Consulatu 6. Honorii, ad illa verba: *Spectatosque iterum nulli celebrantia ludos*, nempe, *seculares*, inquit, *de quibus Zosimus harum rerum peritissimus, multa haud vulgaria profert. Sed profanus est nimis, cum ait, Romanum Imperium collapsum eo præcipue, quod sacra illa sint desita.* Similia habet Joannes Georgius HerWart in nova & vera Chronologia cap. 230. luculentius vero Baronius ad annum Christi 313. quem legere operæ pretium erit illis, qui iniquissimum hoc judicium Zosimi agnoscere volent. Hi ludi itaque prætermissi a Constantino, cum prius eos omisissent Imperatores Diocletianus & Maximianus anno V. C. MLVII. Quod Gentiles antiquæ superstitionis retinentissimi ægerrime tulerunt; neque tamen desponderunt animum, sed sperarunt postea impedire se posse, ne ludi seculares abolerentur. Quare cum ab editis ludis secularibus a Philippis Imperatoribus annus centesimus jam appetiisset, omnem moverunt lapidem, ut instaurarentur ludi seculares, qui anno M.LXVII. prætermissi fuerant, & juxta supputationem Quindecimvirorum fieri debebant, aut certe anno V. C. M. LVII. juxta nostram de seculari spatio opinionem, ut ludis Severi Imperatoris responderent. Quamvis enim eos Philipporum ludos propter eam,

quam dixi, caussam nomine secularium vix dignarentur; nihilominus ad eos cogebantur recurrere, ut ansam arriperent petendi, ut ludi seculares exhiberentur anno V. C. 1100. Continebat porro ille annus centesimus supra millesimum ab V. C. partes duorum consulatuum; nimirum posteriorem partem consulatus Rufini & Eusebii, & priorem partem consulatus Philippi & Saleæ. Quare sub initia consulatus istorum posteriorum consulum Gentiles eos admodum urserunt, ut ludos seculares faciendos curarent, quod ex Aurelio Victore Schotti discimus, ubi queritur eo anno ludos seculares exhibitos non fuisse. ejus
2. Ludi seculares a Philippo & Salea Consulibus prætermissi. verba sunt in Philippis Imperatoribus: *Et quoniam*, inquit, *nomen admonuit, nostra quoque ætate post mille centesimus Consule Philippo excessit, nullis, uti solet, solemnibus frequentatus. Adeo in dies cura minima Romanæ Urbis*. Gentiles igitur in petitione horum ludorum sub Consule Philippo & Salea repulsam passi sunt; nondum tamen concepta spe exciderunt, ludos seculares ab aliquo Imperatore extorquendi. Quare ab Honorio Imperatore majorem in modum rogarunt, ut eos ludos tam a populo desideratos, tam (ut rebantur) toti Romanæ reipublicæ salutares, edendos præciperet, anno V. C. M. C. LVII. cum jam centum anni effluxerant ab iis neglectis tempore Diocletiani & Maximiani Imperatorum M.LVII. juxta nostram supputationem, quam tum sequebantur Gentiles. Ille vero eorum precibus importunis, non sine Christiani nominis infamia, flecti se passus est, ut ludos seculares restitueret, quos Constantinus sustulerat, Philippus & Salea edere noluerant. Quare eo, quo notavi anno, ludi duodecimi seculares editi fuerunt, ut habetur ex Claudiano in Panegyrico de 6. Consulatu Honorii: nam inducit Poeta Romam, Honorium sic alloquentem:

*—— Jam flavescentia centum*
*Messibus æstivæ detondent Gargara falces;*
*Spectatosque iterum nulli celebrantia ludos*
*Circumflexa rapit centenus secula Consul*
*His annis, qui lustra mihi bis dena recensent.*

Annus porro V. C. colligitur ex 6. ejus consulatu, illo anno quem notavi; nec diffitentur præstantissimi Chronologi. Eodem anno consulatu 6. Honorii obiisse Paulam habet S. Hieronymus in epistola 27. ad Eustochium, ex quo nonnulli annum non infeliciter rimantur, eumque quem assignavimus reperiunt. Nec obest, quod annus ille V. C. 1157. tantum distet 90. annis a ludis secularibus neglectis a Constantino 1067. cum tamen Claudianus de centum messibus, & centeno Consule loquatur: nam computandi non sunt centeni illi anni ab omissis ludis a Constantino, sed ab omissis ludis anno ab V. C. 1057. tempore Diocletiani & Maximiani, tum quia eo anno, quo complebatur centesimus annus a ludis secularibus Septimii Severi, absentes Roma erant; & in diversis civitatibus existebant, Diocletianus Nicodemiæ, alter Mediolani: atque eodem die deposita purpura Imperium abdicabant, Maximianus ex mærore ac desperatione, Diocletianus eo quod in amentiam incidisset, ut probat Baronius ad annum Christi 304. tum quia tota Italia tunc temporis, atque ipsa Roma bello civili ardebat, atque unus ex iis, qui in Imperium succedebat, Constantius agebat in Britannia. Unde nihil mirum illis ita se habentibus ludos seculares prætermissos fuisse, etsi seculum, ut dixi, centum annorum fluxisset. Quod enim expectarent ludos post decem annos a Constantino, erat, quod ad seculum centum & decem annos ex Quindecimvirorum opinione etiam requiri posse censebant. a ludis autem omissis anno V. C. 1057. ad ludos ab Honorio factos anno 1157. sunt centum anni; non vero centum & unus, ut supputat Baronius loco citato. Unde a ludis Severi duobus annorum centuriis distant ludi seculares Honorii. Porro hos ludos seculares non edidit Honorius cum omnibus Gentilitiæ idololatriæ sacris ac ritibus: quare ex parte cum Baronio eum excusari posse arbitror, ex parte vero graviter damnandum puto, quod aliquas ejusmodi idololatriæ plenas cerimonias permiserit. Unde Dei iram in Urbem Romanam provocavit, qui de ea vindictam sumpsit, dum non multo post eam Gothis tradidit. Permisisse vero Honorium Imperatorem in suis secularibus fieri sacrificia Diis, & quidem inferis, ex iis, quæ postea afferam, Prudentii versibus manifestum erit. Ita ille lib. 1. in Symmachum cum de spectaculis agit:

3. Honorius ludos seculares cum ritibus superstitiosis quibusdam permisit.

*Respice terrifici scelerata sacraria Ditis,*
*Cui cadit infausta fusus gladiator arena.*
*Heu male lustratæ Phlegetontia victima Romæ.*
*Nam quid vesani sibi vult ars impia ludi?*
*Quid mortes juvenum, quid sanguine pasta voluptas?*

Quis enim non videt hæc Poetam de sacris Diti factis, de gladiatoribus, expiatione profana Urbis Romæ, & ludis secularibus dicere? Honorium vero hæc permisisse, quod putaret conferre ad salutem Urbis Romanæ, elicitur ex versibus sequentibus ejusdem Poetæ:

*Nonne pudet, Regem populis sceptrisque potentem,*
*Talia pro patriæ censere litanda salute?*
*Relligionis opem subternis poscere ab antris?*

Quare sub finem libri 2. eundem, ne permittat gladiatorum spectacula, qualia seculari anno maxime edebantur, & verosimiliter edi suis in secularibus permiserat, vehementer hortatur:

*Quod genus ut sceleris jam nesciat aurea Roma,*
*Te precor, Ausonii dux augustissime regni,*
*Et tam triste sacrum jubeas ut cætera tolli:*
*Percipe, nonne vacat meriti locus ille paterni,*
*Quem tibi supplendum genus, & genitoris amica*
*Servavit pietas, solus ne præmia tantæ*
*Virtutis caperet, Partem tibi, nate, reservo,*
*Dixit, & integrum decus intactumque reliquit.*
*Arripe delatam tua, dux, in tempora famam,*
*Quodque patris superest, successor laudis habeto.*
*Ille Urbem vetuit taurorum sanguine tingi:*
*Tu mortes miserorum hominum prohibeto litari:*
*Nullus in Urbe cadat, cujus sit pœna voluptas,*
*Nec sua virginitas oblectet cædibus ora.*
*Jam solis contenta feris infamis arena,*
*Nulla cruentatis homicida ludat in armis.*

Atque hæc hactenus de Seculari anno, & Ludorum secularium Chronologia protulisse satis est;

est; certe multo plura proferri non posse ille habebit persuasum, qui diligenter universos veteres historicos Græcos ac Latinos, Poetas omnes, aliosque auctores excusserit, ex quibus hæc depromsi. Certe nemo ante me secularium ludorum Chronologiam edidit præter Onuphrium Panvinium, qui non singulis centum annis (ut ego eos celebratos pono) sed centum & decem singulis interpositos arbitratus, fraude Quindecimvirorum circumventus, erravit in tota Chronologia. Hanc fraudem quia detexi, in aliam concessi sententiam, quam insinuasse plures agnovi, neminem vero hactenus probasse comperi: unde ad eam probandam meam operam contuli. Quam id præstiterim feliciter, mi Lector, tuum esto judicium.

## C A P. XV.

*Epilogus totius operis, in quo rationes potissimæ proferuntur, cur anno Christi vulgari 1640. Societatis JESU seculari illud opus evulgetur.*

PErsecutus sum hactenus, quæ mihi de seculari anno Romano, ludisque secularibus scribenda occurrerunt. Ne quis tamen existimet satius fuisse, me eas res, ex Gentilium detestanda superstitione profectas, a sanctis Patribus olim damnatas, & tandem ab Imperatoribus Christianis abolitas, in situ & tenebris suæ antiquitatis quasi sepultas relinquere, quam tanto labore proferre in lucem; maxime cum argumentum sacrum anno seculari Societatis JESU convenientius fuisse a non paucis censeri possit, atque hoc meum opus ad illum annum illustrandum videatur nihil aut parum conducere: visum est hic rationes subjicere quibus ad opus illud elaborandum, elaboratumque hoc anno in vulgus emittendum, adductus sum. Diffiteri non possum sacratiorem aliquam materiam mihi arrisisse, sed cum certo comperissem Romæ, & in aliis plerisque Societatis JESU provinciis, sacra argumenta librorum cujusvis generis in scriptorum manibus esse, ad hoc de seculari anno Romanorum animum adjeci, tum quod illud ad historiam profanam illustrandam valere, atque Chronologiæ lucis aliquid allaturum credidi: tum maxime quod ad Ecclesiasticam historiam aliqua ex parte utile futurum censui: tum etiam quod accommodatum existimavi ad ostendendum, quibus initiis celebritas sacra anni secularis (quæ laudabiliter a multis Ordinibus Religiosis, Academiis, Cathedralibus Ecclesiis, aliisque jam pridem institui cœpta est, atque ab Societate JESU, ex qua me esse in summis bonis duco, hoc vulgari Christi anno 1640. instituitur) sua primordia debeat arcessere. Tum denique quod ea ratione speravi me efficere posse, ut si non omnes, sapientes saltem agnoscerent, quanto potiori jure suum hunc annum secularem Societas JESU celebrem esse voluerit, quam Romani veteres annos ab Urbe sua condita centesimos, solemnes reddere conati sint. Atque ut primam rationem fusius exponere aggrediar, quis est, qui nesciat, quam incertam, quam a prioribus seculis remotam sacrarum, quas vocant, Indulgentiarum, quæ centenis quibusque annis olim in Ecclesia concedebantur, originem referant non ignobiles scriptores: ego vero ab Philipporum Imperatorum secularibus ludis, eorum originem repetendam existimo. Quod nemini mirum videbitur, qui ea, quæ jam dixi, agendo de eorum ludis, atque hæc, quæ subjicio auctorum loca, simul expenderit. Primus est Eusebius Cæsariensis lib. 6. Eccles. hist. cap. 27. qui sic habet: *Ubi Gordianus sex annis continuis obierat imperium, Philippus una cum filio Philippo succedit. Fama est istum* (Christianus namque erat) *cum precationum in die postremæ vigiliæ Paschatis, cum multitudine in Ecclesia particeps fieri vellet, non prius ab Episcopo, qui tum Ecclesiæ præerat, permissum esse intrare, quam se* (hoc est, sua scelera) *confessus fuisset, & inter eos, qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur adstricti, locumque pœnitentiam agentibus præstitutum occupabant, se sua sponte collocavisset; Episcopumque dixisse eum non alia conditione, nisi istud faceret propter multa delicta, quæ ab illo ferebantur admissa, aliquando ab ipso in Ecclesiam receptum fore. Imperatorem autem, alacri animo & lubenti, Episcopo morem gessisse, & ingenuam modestiam, ac religiosam piamque affectionem Dei timore incitatam, reipsa declarasse memorant.* Hæc ille. Consentit cum eo Nicephorus Callistus lib. 5. cap. 25. Alter est auctor actorum vitæ S. Pontii apud Surium, qui de S. Pontio sic scribit: *Erat autem familiariter notus, & amicus duobus Philippis Imperatoribus: ii vero anno Urbis conditæ millesimo* (quo ludi seculares a Philippis facti) *dixerunt ei, Eamus & propitios nobis efficiamus Deos magnos, qui nos in hunc Romanæ Urbis annum millesimum perduxerunt. Pontius autem multis modis subterfugere nitebatur, sed illi ut amicum cogebant eum facere sacrificium.* Hæc ille: qui deinde narrat, quomodo illi verbis Pontii permoti fidem Christi susceperint. Ex his habetur contigisse ea, quæ narravit Eusebius & Nicephorus anno Urbis millesimo: imo contigisse paulo post, quam baptismum suscepisset, cum catechumenus erat Philippus Senior, colligitur ex vita S. Fabiani Papæ apud Petrum de Natalibus lib. 2. cap. 105. ubi sic eadem refert: *Iste Philippo Imperatori Neophyto volenti interesse vigiliis Paschæ, & mysteriis communicare, restitit. Neophytus* enim ille dicebatur olim, qui recenter ad Christi fidem accesserat. a voce Græca νέος, *novus*, vel νέον, *nuper*, & φύω, *planto*, quasi *recenter plantatus in Ecclesiæ hortis*. Quod vero attinet ad scelera, ob quæ ab Ecclesia exclusus fuit Philippus Senior, suspicor duo fuisse potissima. Primum Gordiani Imperatoris cædem, ut in ejus locum succederet, de quo meminit Julius Capitolinus, & alii; alterum quod ludos seculares cum solitis sacrificiis in falsorum Deorum honorem atque cum innumeris superstitiosis ritibus facere appararet, ut colligitur ex actis S. Pontii & S. Antonino tom. 1. tit. 7. §. 4. imo elici posse videtur ex Orosii verbis lib. 7. *Nec dubium est,* inquit, *quin Philippus tantæ devotionis gratiam & honorem ad Christum & Ecclesiam reportarit, quando vel ascensum fuisse in Capitolium, immolatasque ex more hostias, nullus auctor ostendat.* Non enim aliud significare videntur ea verba: *quod Philippus Imperator reportarit ad Ecclesiam gratiam & honorem devotionis* (quam utique ostendit anno ludorum secularium) nisi quod suasu Pontificis Fabiani, qui Ecclesiæ præerat, omnia, quæ idololatriam sapiebant, in ludis secularibus

1. Rationes suscepti hujus operis.

2. Valet hoc opus ad ostendendum, cur indulgentiæ olim singulis centenis annis darentur.

prætermiserit. Quare S. Antoninus tom. 1. tit. 7. §. 3. cum asserit pro solemnitate anni millesimi multa sacrificia facta Diis a Gentibus, exponendus est de privatis sacrificiis, ne Orosio contradicat, aliisque, qui cum eo eadem tradunt, ut Freculphus in Chronico tom. 2. lib. 2. cap. 5. Verosimile autem est Philippum Imperatorem ex fidelium cœtu a Fabiano Papa exclusum, inter cætera ex eo, quod nollet ludos seculares omissis Deorum sacrificiis celebrare, quod asserit Rutilius Benzonius de Anno sancto, lib. 3. cap. 5. Nec abhorret a consuetudine Pontificum Romanorum, qui Gentilium vana sacrificia & superstitiosas ceremonias extinguere molientes, paulatim tollebant, quæ erant contra verum Dei cultum, permittendo ea, quæ adiaphora, ac tandem ea pedetentim in res sacras aliquantum similes commutabant. Sic fana Deorum in templa Christianorum conuversa sunt: sic teste Rhabano Mauro lib. 2. Inst. Cleric. Beda lib. de ratione Temporum cap. 10. Hidelphonso sermone de Purificatione, a Februo Plutone, qui mense Februario colebatur, & Urbis Romanæ profana expiatione, Festum Purificationis B. V. Mariæ ortum habuit; sic in locum aquæ expiationis, usus aquæ benedictæ in Ecclesiam inductus est. Atque eadem est ratio de aliis multis ritibus Ecclesiæ, ut tradunt, qui de iis scripserunt. Ex quibus omnibus conficitur Philippum Imperatorem, postquam Fabiano Papæ in secularium ludorum licita Christianis exhibitione obtemperavit, aliquam pœnitentiam publice obiisse; atque cum ea ad longum tempus durare deberet, juxta veteres canones pœnitentiales, qui habentur in Burchardo & Gratiano ex Conciliis, ab eodem Pontifice ejus pœnitentiæ indulgentiam obtinuisse. Unde mos profluxisse videtur, ut ludi seculares, qui centenis quibusque annis fiebant, in indulgentias, singulis annorum centuriis dandas, consequentibus temporibus commutarentur. Quod censent Benzonius loco citato, & Epo Boetius antiquitatum Ecclesiasticarum syntagmate 5. de Indulgentiis. Idem censet Julius Roseus in scholiis ad librum Jacobi Cardinalis de anno centesimo, dum ait, olim exemplo ludorum secularium celebratum fuisse centesimum quemque annum a nativitate Christi. Cornelius in cap. 25. Levitici, etiam ex ludorum celebritate in Ecclesia censet fuisse ortum morem celebrandi annum quemque centesimum. Quod etiam asserit Polydorus lib. 8. de Invent. cap. 1. nisi quod in tempore celebritatis anni centesimi erret, ut post ea dicemus. Sed, inquies, ex eo, quod Philippus Imperator veniam suorum scelerum a Fabiano Papa obtinuerit, post obitam aliquam publicæ pœnitentiæ partem, non recte colligitur eam veniam, ac pœnitentiæ remissionem fuisse indulgentiam ejusmodi, qualis a tempore Bonifacii 8. conceditur centenis quibusque annis. Multo minus consequitur eam toti populo, aut saltem omnibus pœnitentiam publicam agentibus, fuisse concessam. Verum etsi difficultatem habeat ista objectio, ea omnia ex commemoratis supra auctorum locis (quibusdam adjectis, quæ negari nequeunt) non obscure deduci posse contendo. Nam cum ex iis auctoribus imprimis habeatur, Philippum seniorem anno Urbis conditæ millesimo, quo ludos seculares edidit, ob scelera varia a fidelium cætu exclusum, atque inter ea, unum,

3. Pontifices Romani profanas cæremonias in sacras affines pedetentim mutare soliti.

A quod more Gentilium ludos seculares instituere vellet. Deinde cum iidem auctores referant, eum, ut exigebat Fabianus Pontifex, se in numerum pœnitentium contulisse, publicam pœnitentiam suscepisse, & denique in Ecclesiam admissum esse eo anno V. C. millesimo. Evidenter etiam conficitur tunc temporis indulgentiam a Pontifice impetrasse: cum enim ob gravia peccata, qualia Philippus Imperator admiserat, multorum annorum publica pœnitentia (ut ex Buchardo & Gratiano liquet, & fatentur Bellarminus lib. 1. de Indulg. cap. 9. B Suarez de Pœnitentia, ubi de satisfactione agit, nisi quod merito negat pro singulis peccatis mortalibus injunctam fuisse septem annorum pœnitentiam, quod alii sine jure expresso affirmant) imponi soleret, clarum est Philippum Imperatorem tempus pœnitentiæ sibi præstitutum propter scelera, ex indulgentia Fabiani Papæ non explevisse. Eandem indulgentiam etiam concessam ejus occasione omnibus pœnitentibus, & aliis, nominatim uxori Imperatoris Severæ, & filio ejus Philippo, & cæteris de ejus fami- C lia, qui eo anno fidem Christi amplexi sunt, ut habet Metellus Tegeensis in odis Quirinalibus apud Henricum Canisium. Antonius Sabellicus Ænead. 7. lib. 7. sub initium, probabile ait, ex eo quod Pontifex Fabianus vellet ludorum secularium inanem celebritatem extinguere, illum eam in rem affine quoddam sacrum solemne instituisse, uti oportebat, ut populum ab illa abduceret. Aliud vero sacrum solemne Fabianum instituisse, quam publicam indulgentiam occasione Philippi & familiæ ejus, omnibus fidelibus, saltem pœnitentibus, concessam, probabili- D ter fingi non potest. Maxime cum indulgentiæ, quæ dari solebant olim singulis annorum centuriis, ipso annorum numero ejusmodi originem prodant, neque ulla alia commodior assignari possit. Certum enim esse debet indulgentias post annos centum olim dari solitas, non aliunde habuisse exordium, quam habuerunt cæteræ omnes indulgentiæ, quæ ad arbitrium nullo præstituto tempore a Pontificibus concedebantur. Jam vero illæ ortum habuerunt a publica relaxatione publicarum pœnitentiarum, olim injungi solitarum pro delictis gravioribus, ut docet Bellarmi- E nus lib. 1. de Indulgentiis cap. 3. ubi refert indulgentiarum initium ad Apostolorum tempora, atque earum usum tunc fuisse probat ex 2. Corinth. 2. ubi S. Paulus incæstuoso & excommunicato seriam agenti pœnitentiam, auctoritate a Christo accepta concedit indulgentiam, condonans rogatu Corinthiorum id pœnitentię, quod supererat faciendum, ne ob nimiam severitatem daretur locus insidiis diaboli. Verba ejus sunt: *Cui autem aliquid donastis, & ego: nam ego quod donavi propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur* F *a Sathana*. Legi potest de eo loco Theodoretus, Sanctus Thomas, & alii, qui eum locum ita explicant. Ex quo liquet indulgentias primum suum ortum a remissione publicarum pœnitentiarum repetere; quod præter Bellarminum loco citato, & lib. 1. cap. 9. ubi asserit indulgentiarum varietatem ortam ex diversitate pœnitentiarum, quæ olim imponebatur, Joannes Lonsęus non incelebris Doctor Lovaniensis superioris seculi lib. de Satisfactione cap. 30. atque etiam ex Hæreticis agnoscit

4. Philippus Imperator indulgentiam scelerum post brevem pœnitentiam publicam obtinuit.

5. Origo prima omnium indulgentiarum.

Calvinus lib. Instit. cap. 9. num 43. nisi quod A de suo falsa nonnulla adjicit, quæ confutata reperies apud Bellarminum, lib. 2. de Indulgentiis, cap. 6. cujus etiam verba ex supra citato cap. 9. profero, ob insignem, quam continent veterum Ecclesiæ consuetudinum explicationem, quæ ad rem nostram facit: *Indulgentia*, inquit, *dierum, vel annorum secundum veriorem sententiam significat remissionem pœnitentiæ, quæ peragenda fuisset tot diebus vel annis, secundum Ecclesiæ ritum. Constat enim ex Tertulliano lib. de Pœnitentia, & B apertius ex Concilio Triburiensi cap. 54. & Burchardo lib. 19. multa pœnitentibus fuisse imperata, multa interdicta: ut exempli gratia usum balnei, equitationis, uxoris etiam interdum, & potissimum communionis. Indulgentia quadragena significat remissionem pœnitentiæ, quæ quadraginta continuatis diebus, in jejuniis aliisque laboriosis operibus agenda fuisset. quæ quadragena, quando imperabatur acrior, ita ut solo pane & aqua contenti esse deberent, qui eam peragebant*, Carena *dici solebat, quod videlicet* carentiam *omnium fere ciborum contineret. Ejusmodi carenam præmitti solitam ante septennem C pœnitentiam testatur Concilium Triburiense, & Burchardus locis citatis.* Hæc ille: ex quibus deduci potest, indulgentiam anni centenarii in ludorum secularium locum successisse, atque a relaxationibus pœnitentiarum indulgentias ortum habuisse. Quod magis confirmatur ex locutionibus Pontificum in Bullis indulgentiarum, qui etiam cum pœnitentiæ publicæ in usu esse desierunt, retinuerunt tamen locutiones, quæ ad eam indulgentiarum originem clare referuntur, ut cum Pius Papa in Bulla Breviario præfixa sic loquitur: *Omnibus, qui illis ipsis diebus in rubricis præfinitis D Beatæ Mariæ, vel defunctorum officium dixerint, toties centum dies; qui vero septem Psalmos Pœnitentiales vel Graduales, quinquaginta de injuncta pœnitentia relaxamus.* Item ex Innocentio 3. in Concilio Lateranensi, ubi restringit Episcoporum potestatem in indulgentiis conferendis, ad condonationem unius anni, *de junctis pœnitentiis*. Ex his patet ante Bonifacium 8. centenis quibusque annis indulgentias usitatas fuisse in Ecclesia; ad quem tamen plerique omnes earum ortum referunt, in quo graviter falluntur, ut fidem facit Bul- E la illius, cum ait de illis indulgentiis, *Antiquorum habere fidam relationem*. Nimirum quod centenis quibusque annis concederentur. Tum etiam narratio Jacobi Cardinalis S. Gregorii ad velum aureum, qui cum Bonifacio vivebat, in libello suo de anno centesimo, qui extat in Bibliotheca SS Patrum. Fallitur etiam Polydorus Vergilius lib. 8. de Inventoribus rerum, ubi asserit Bonifacium 8. *Jubileum centesimo quoque anno servari mandasse, ut populum Romanum ab inani ludorum secularium celebratione, ad verum solemne sacrum reduceret.* Nam ante Bonifacii 8. tempora sex & F amplius seculis abolita erat ludorum secularium exhibitio, atque ante eum multis seculis, imo a tempore Apostolorum reliquas indulgentias usurpatas constat ex Bellarmino lib. 1. de Indulgentiis cap. 3 & lib. 2. c. 17. Hæc jam a me commemorata, præterquam quod valent ad ostendendum, concessas indulgentias tempore Philippi anno V. C. millesimo, omnibus de ejus familia, imo & omnibus fidelibus, saltem pœnitentibus: valet hoc etiam, quod ad hoc inductus fuisse credi potest



Pontifex Fabianus, ex eo quod moris esset, 6. in ludis secularibus a Principe criminum abolitionem fieri: videtur enim fuisse consentaneum rationi, ut Philippo Imperatore de more ob ludos seculares indulgentiam scelerum in foro externo faciente, etiam Pontifex in foro interno, criminibus debitarum pœnarum indulgentiam concederet omnibus pœnitentibus, & forte aliis omnibus fidelibus, sicut dixi. Idque ut primum Imperatorem Christianum tale exemplum pœnitentiæ publicæ exhibentem honore afficeret, Ecclesiæ magis devinciret, atque certius ludos seculares extirparet. Mentio est consuetudinis Principum concedentium abolitionem criminum lib. 10. Digesti novi. tit. 16. ad Senatusconsultum Turpilianum lege 8. in qua Paulus J. C. ita loquitur: *Abolitio, aut publice fit ob diem insignem, aut ob publicam gratulationem.* Ad eam legem Glossa notat, tum fieri abolitionem criminum ob publicam gratulationem, *quando par ludus fieri debet. Par* autem *ludus*, est ille, qui est ad gratulationem publicam; ut maxime fuerunt ludi seculares. Glossa item habet abolitionem eam a solo Principe fieri posse, loco Digesti citato l. *Si interveniente, &c.* de ea re ita loquitur Ulpianus: *Si interveniente publica abolitione, ut fieri solet vel ob lætitiam aliquam, vel ob honorem domus divinæ, vel ex qua alia caussa, ex qua Senatus censuit abolitionem reorum fieri*, &c. Ibidem l. *Lucius*. ejusdem abolitionis mos indicatur. Denique lib. 9. Cod. tit. 41. l. 2. de eadem ita loquuntur Diocletianus & Maximianus: *Cum eo tempore, quo indulgentia nostra* (nota hoc nomen pro *abolitione*) *crimina extinxit, accusatio a te instituta non fuerit, publicæ abolitionis præceptio cessat.* In quam legem Glossa, recte per *crimina* intelligit, accusationes criminum: addo ego & pœnas intelligi posse, non ipsas criminum culpas. nam ut Ovidius ex communi opinione:

*Pœna potest demi, culpa perennis erit.*

Quæ confirmo ex lege 3. Cod. eodem his verbis: *Indulgentia, Patres conscripti, quos liberat, notat: nec infamiam criminis tollit, sed pœnæ gratiam facit.* Maneat igitur indubitatum, Pontificem Fabianum anno V. C. millesimo indulgentiam pœnitentiarum publicarum Philippo cum multis aliis concessisse. Superest modo ad plene satisfaciendum iis, quæ opposita sunt nostro discursui superiori, probare indulgentiam illam, quæ a Fabiano Papa Philippo Imperatori, & aliis data fuit, fuisse ejusdem generis cum illis indulgentiis, quæ postea a Bonifacio 8. & aliis Pontificibus datæ fuerunt, & modo concedi solent. Quod mihi non erit difficile: quamvis enim Martinus Kemnitius Lutheranus Hæreticus in quarta parte examinis Concilii Tridentini, disp. de Indulgentiis, cap. ultimo, contendat primo tempore indulgentias nihil aliud fuisse, nisi relaxationes publicarum pœnitentiarum, quas ait nihil habere commune cum indulgentiis Pontificum posteriorum, sed per omnia genera caussarum diversas esse: tamen nullo negotio ostendere possum illud esse falsissimum, omnia caussarum genera percurrendo, atque ostendendo in utriusque indulgentiis caussas easdem esse. Nam imprimis eadem est *caussa efficiens* indulgentiarum hujus temporis, & remissionis

Indulgentia criminum dari solita a Principibus tempore ludorum secularium, & alias.

7. Indulgentiæ horum seculorum eadem cum indulgentiis priorum seculorum.

veterum pœnitentiarum, nimirum Pontifex Romanus, & Episcopi, qui modo indulgentias largiuntur, ut olim illi a pœnis impositis liberabant. Eadem etiam est *causa materialis*, sive ea sint pœnitentes, quibus pœnæ subeundæ remittuntur, sive ipsæmet pœnæ, a quibus absolvuntur: nam & modo absolvuntur pœnitentes iidem, qui primis seculis, & pœnæ eædem remittuntur. Præterea *causa formalis* est eadem, quoniam est remissio illarum pœnarum pœnitentibus facta, non tantum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo. Denique eadem est *causa finalis* in hujus temporis indulgentiis, atque in pœnitentiarum condonationibus, prioribus seculis. Condonationes enim illæ fiebant primis seculis ad majorem Dei gloriam, & Ecclesiæ utilitatem. Tunc enim Ecclesiæ Prælati olim relaxabant pœnitentias, vel, cum ita opus erat, ad lapsos præparandos per communionem & sacramentum pœnitentiæ ad subeundum pro fide Martyrium; vel quando verebantur, ne nimio onere pressi pœnitentes deficerent; vel cum ea indulgentia, quasi præmio obitæ diligenter pœnitentiæ ad majus pœnitentiæ studium homines excitare volebant; vel honorare cupiebant Martyres, qui apud eos intercedebant pro pœnitentibus, ut ea ratione fideles ad fidei defensionem, etiam in vinculis, morte proposita accenderent; vel denique aliis justis de causis, quæ numquam deerant, cum illis injunctas pœnitentias moderari, aut condonare visum esset. Indulgentiæ autem his posterioribus temporibus dantur iisdem de causis; scilicet ad Dei gloriam, cui ex thesauro satisfactionum Christi & Sanctorum, pro peccatis hominum satisfit, atque ad Ecclesiæ utilitatem. Conceduntur enim, vel ut rogetur Deus pro recuperatione terræ Sanctæ, vel ut conserventur vel propagentur Ecclesiæ fines, vel excitentur divites ad conferendas pauperibus eleemosynas, vel denique ut fideles omnes accendantur ad pœnitentiæ opera, ad jejunia, orationes, & alia ejusmodi pietatis exercitia, quæ in Ecclesiæ utilitatem redundare nemo diffiteri possit, nisi Hæreticus, qui res luce meridiana clariores negare non erubescit. Respondebit ad hæc fortasse non nemo, clarum non esse easdem pœnas remitti per indulgentias hujus temporis, quæ primis seculis per relaxationem pœnitentiarum factam a Pontifice aut Episcopis remittebantur. nam per pœnitentiarum condonationes apud Veteres solæ pœnæ in Ecclesia publice subeundæ relaxabantur: nunc vero per indulgentias etiam afferuntur condonari pœnæ Deo in ignibus expiatoriis persolvendæ. Verum hæc responsio nullius est momenti, utpote nixa hæretico dogmate, quod satis a Doctoribus refutatum est, ut in eo refutando me immorari necesse non sit. Solum assero cum jam recepta inter Catholicos sententia, pœnitentias illas publicas primis Ecclesiæ seculis non tantum eo pertinuisse, ut Ecclesiæ (quæ injuria & dedecore affecta erat, eorum sceleribus, qui pœnitentias peragebant) aliqua ratione satisfieret, eique a pœnitentibus intimi doloris documenta proferrentur: verum eo proprie etiam fuisse relatas, ut pœnitentes, Deo, cui per peccata commissa injuriam intulerant, satisfacerent, & pœnæ ab iis pro peccatis debitæ, alioqui eluendæ in ignibus expiatoriis, ea pœnitentia abolerentur, aut obtenta earum indulgentia Deo satisfacerent. Certe primum ex his duobus e Patribus manifestum est, inter quos ita Tertullianus lib. de Pœnitentia cap. 9. *Actus*, inquit, *qui magis Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exhomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur* (hinc adverte eum loqui de pœnitentia publica) *non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Exhomologesis prosternendi & humiliandi hominis disciplina est, conversionem injungens, misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa, quæ peccavit, tristi tractatione mutare. Cæterum pastum & potum, pura nosse, non ventris scilicet, sed animi causa. plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrimari & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum; presbyteris advolvi & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. Hæc omnia exhomologesis, ut pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuncians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat. Cum igitur provolvit hominem, magis relevat; cum squallidum facit, magis mundatum reddit; cum accusat, excusat; cum condemnat, absolvit; in quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet*. Quibus verbis quid clarius ad rem, de qua agitur, confirmandam afferri aut expeti potest? Similia habet Cyprianus Sermone 5. de lapsis: *Qui sic Deo*, inquit, *satisfecerit, qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti, plus virtutis & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit exauditus & adjutus a Domino, quam contristaverat nuper, lætam faciet Ecclesiam, nec jam solam Dei veniam merebitur, sed coronam*. S. Ambrosius ad Virginem lapsam: *Talis actio pœnitentiæ*, inquit, *si fuerit perseverans, audebit sperare, si non gloriam, certe pœnæ evacuationem*. Atque hæc satis ad probandum pœnitentiis impositis olim pœnas abolitas, quæ alias in ignibus expiatoriis Deo dandæ fuissent. Videamus modo, quomodo etiam ea pœnitentiarum indulgentia, Deo pro iisdem pœnis satisfieret. Illud vero ex eo clare colligitur, quod alias opus non fuisset thesauro satisfactionum Christi & Sanctorum Martyrum, nisi Deo per eas indulgentias satisfieret: adhibitam autem ejus thesauri partem, dum Pontifices conferunt relaxationes pœnitentiarum, liquet tum ex eo, quod etiam Martyrum eis applicarentur bonorum operum promerita, ut discimus ex S. Cypriano lib. 3. epist. XI. editionis Pamelii, & Sermone extremo de lapsis. *Pœnitenti*, inquit, *operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre, quidquid pro talibus petierint Martyres, & fecerint sacerdotes*. Atque ex Tertulliano lib. ad Martyres c. I. his verbis: *Pacem quidam in Ecclesia non habentes, a Martyribus in carcere exorare consueverunt, & ideo eam etiam propterea in vobis habere, & fovere, & custodire debetis, ut, si forte, & aliis præstare possitis*. Illud vero idem Tertul. hæreticus factus damnat lib. de Pudicitia. *Sufficiat*, inquit, *Martyri propria delicta purgasse, ingrati vel superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno consecutus fueris*. Sed ex ejus

prava damnatione, non minus discimus usum veteris Ecclesiæ, quam ex ejusdem vera & justa approbatione. Præterea aliter eadem res probatur, quod alias primorum seculorum Pontifices & Episcopi male consuluissent iis, quibus pœnitentias remittebant, ante elapsum pœnitentiæ tempus, illis præfixum, quoniam dumtaxat liberassent eos a modicis hujus vitæ pœnis, ut eas in ignibus expiatoriis cum atrocissimis cruciatibus luerent Divinæ Majestati, cui concessa ab Episcopis illa indulgentia satisfactum non fuisset: quod est a pietate Christiana maxime alienum. Ex his omnibus concludo, quod ante dixi, originem indulgentiarum, quæ centenis quibusque annis dari solebant a Romanis Pontificibus, ad Imperatoris Philippi tempora referendam, atque eas in locum ludorum secularium paulatim fuisse subrogatas.

8. Origo indulgentiæ singulis centum annis dari solitæ non fuit ab Hebræorum jubileo.

Neque his rursum opponat quispiam melius esse, ejus Jubilei centenarii primordia ab Hebræorum Jubileo, qui singulis quinquaginta annis recurrebat, repetere, ut faciunt non pauci; tum quia indulgentię quamdiu olim singulis annorum centuriis datæ fuerunt, Jubilei nomen non obtinuerunt; sed illud cœperunt obtinere, cum seculi integri spatium requiri desiit, & post singulos annos quinquaginta concessæ fuerunt. quod factum est longe post tempora Fabiani Papæ & Philipporum; nempe tempore Clementis Sexti, qui, ut ait Bellarminus lib. de Indulgentiis cap. 1. *Annum illum celebrem, in quo indulgentiam maxime adeuntibus Apostolorum Basilicas more veteri* (Romani Pontifices) *concedunt, Jubilei nomine appellandum censuit, præsertim cum ad similitudinem veteris Jubilei, annum quinquagesimum pro centesimo, qui antea fuerat in usu, ipse designasset*. Tum quia annorum Hebraici Jubilei periodus non convenit in numero annorum cum illo Jubileo Ecclesiastico: rationes autem quæ pro annis Jubilei Hebraici duplicandi afferuntur, ut exurgant centum anni, pro illorum qui ita sentiunt arbitratu, sunt adinventæ. Item duæ aliæ rationes falsæ sunt, quibus Joannes Herwart id probare nititur: prior quod ipsi seculares ludi a Jubileo Hebræorum originem habeant, ut afferit Chronologiæ suæ novæ & veræ cap. 74. posterior, quæ eodem redit, atque ab eo affertur eodem libro cap. 230. quod tempus Jubilei conveniat cum tempore ludorum secularium, eo quod ludi seculares instituti sunt apud Romanos, cum anni semestres erant, ita ut centum anni Romanorum non excederent annos quinquaginta Hebræorum: nam constat ex dictis aliam longe originem ludorum esse secularium, quam Hebræorum Jubileorum, quod novisse non videntur Romani, cum ludos seculares instituit Poplicola: & falsum est apud Romanos ullo unquam tempore annos semestres fuisse. nam Ovidius 1. Fastorum, Livius, Cicero, Plinius, Censorinus, Macrobius, Romulum decem mensibus anni spatium finivisse auctores sunt: & alii afferunt duodecim menses Romuli annum habuisse, ut ait auctor Antithesium de veteri anno Romano Romuli & Numæ, Sibrandus Siccama, qui pro ea opinione citat L. Cincium Alimentium, L. Fenestellam, C. Licinium Macrum, M. Terentium Varronem, & bonam rationem affert, quod alias annus Romuli, neque ad solis, neque ad lunæ rationes esset accommodatus, quod dici non potest. His ita se habentibus non est, cur in reddenda altera instituti operis ratione diutius immorer, cum ex dictis manifestum evadat, non aliunde quam a ludis secularibus, sacra anni centesimi celebritate ortum habuisse: atque adeo in seculari hoc suo anno celebrando Societatem JESU ab Ecclesia singulis centenis annis indulgentias concedente, exempla desumpsisse; uti illa eam suam consuetudinem a ludis secularibus desumpserat.

9. Rationes cur Societas JESU annum suum centesimum celebrem esse voluerit.

Transeo igitur ad exponendam ultimam causam, qua ad opus hoc concinnandum adductus fui, hoc anno seculari Societatis JESU: nimirum prævidebam ex eo opere intellecturos homines eruditos, ab Societate JESU sapientissime secularem suum annum celebrari eo apparatu, quo deceret religiosos, aut illustrissimos eminentissimosque viros, qui in eam sumptus Romæ, aliisque in locis, in quibus agit Societas, numquam tacenda benevolentia ac liberalitate suppeditarent. Si enim Imperatores illi Romani tot fecerunt sumptus anno seculari, in ludis, theatris, certaminibus, sacrificiis, pompis, ut Diis inferis, Plutoni & Proserpinæ, aliisque commenticiis numinibus honorem exhiberent, eorum sibi demererent favorem, quasi nova beneficia ab iis impetrare possent; denique ut pro acceptis, quod falso sibi imaginabantur, gratias referrent: quanto melius Societas JESU Deo optimo maximo, Virgini Mariæ, beatis mentibus, Societatis universæ, singularumque provinciarum, ac domorum tutelaribus; denique post illos auctori suo S. Ignatio, anno suo seculari cultum venerationemque peculiarem censuit esse tribuendam? Enimvero quis non crederet Societatem reprehensione dignissimam, si cum tantis honoribus cæcam illam Gentilium superstitionem, confictos Deos, inania numina, affecisse cognosceret; illam in deferendo honore, Deo vero, Virgini Matri, Tutelaribus Angelis, atque suo parenti Ignatio, animadverteret partibus suis omnino defuisse? Certe fuisset hoc summæ in eos ingratitudinis & exaggeratæ socordiæ in rebus ad pietatem spectantibus; quæ duo semper a se longissime amoliri conata est Societas, atque decuit eam anno suo seculari omni ope operaque contendere, ne ea vitia longe turpissima in se ullum locum invenirent. Acceperat illa siquidem ab eis tam multa, tam singularia beneficia, ut non posset ista celebritate ac cultu eorum gratiam non aucupari, opem implorare, atque pro novis impetrandis viam non inire, quam credebat facillimam. Quid? Duumviri, aliique ejusmodi profani Mystæ, ad secularia sacra expiationibus corporum, quæ nullius erant momenti, populum olim præparassent, Lectisternia deorum, supplicationes, vota, precesque publicas instituissent; & Societas JESU seculari suo anno, majoris quam unquam alias diligentia, hominum animos sacra exhomologesi (quæ vera est scelerum expiatio) non comparasset ad augustissima sacrificia Corporis & Sanguinis Christi, ad lectisternium illud sacrum, in quo non tam Diis apponuntur epulæ, quam Deus homo mortalibus cedit in cibum? non agitasset sacras pervigilationes in procuratione salutis animarum? non indixisset supplicationes excitandæ omnium pietati? non nuncupasset vota? non instituisset publicas preces, pro avertendis horum temporum calamitatibus? promerendis toti reipublicæ Christianæ divinis muneribus? Absit hoc ab ejus pietate & ingenti

alienæ salutis procurandæ desiderio, quæ omnem Gentilium in Deos suos charitatem religionemque tantum superant, ut hæc præ illis merum gelu fuisse, jure merito censeantur. Hinc viri sapientes absurdum futurum fuisse agnoscent, si Societas JESU in suis templis ornatus inusitatos, insolitos concentus musicos non adhibuisset: si omisisset orationes in laudem S. Ignatii in suggestibus, adhortationes ad studium virtutis, vitii fugam omnibus in locis: si vario poematum genere, spectaculorum apparatu, scholarum atria, Collegiorum ac templorum vestibula non exornasset: si tragœdias, aut comœdias in theatra non induxisset: si denique libros omnis generis non dedisset in lucem: cum compertum fuisset veteres Romanos anno seculari omnia Urbis suæ fana exornasse, Deorum pulvinaribus advolutos fuisse, Latina & Græca lingua poemata panxisse, ut Deorum laudes concinerentur. Igitur ex hoc opere partibus illa suis sapienter non defuisse deprehendetur, cum undique nunciabitur, atque ex editis libris cognoscetur, quænam anno suo seculari Societas JESU molita fuerit, ad bonum animorum & majorem Dei gloriam. ea enim omnia malo lectores meos ab his petere, quam ea recensendo infantiam meam magis magisque demonstrare. Vale, mi Lector, atque hoc opere, a me optima mente suscepto, fruere.

# F I N I S.



# ERYCII PUTEANI BAMELRODII

DE

# NUNDINIS ROMANIS LIBER,

Nova Fastorum velut Facula.

# INDEX CAPITUM


CAP. I.

*Exordium Scriptionis*. Nudinarum *commendatio*.

CAP. II.

*De nomine & loco* Nundinarum. *Quid Forum. Argumenti synopsis*

CAP. III.

*De necessitate* Nundinarum. *Ruris laudes*. Novendinæ. Nonus *Dies*.

CAP. IV.

*Origo* Nundinarum. *Videri interruptas*. Trinundinum. Nundinalis *Coquus*. Novendialia.

CAP. V.

Diei Noni *in* Nundinis *ratio*. *Cyclus* Nundinalis. *Ut anni forma, ita &* Nundinarum. *Ogdoades expensæ*. *Hora* Nona. *Mulier* Nonaria.

CAP. VI.

Nonus *Dies Solis sacer*. *Novenarii constitutio*. *Observatio Lunæ*. *An* Nundinæ *menstruæ*: *an aliquando & ipsis Nonis*. Nonalia.

CAP. VII.

*Ogdoadis ratio in* Nundinis *computandis*. *Octo Planetæ*. *Ogdoadem anno Romuleo convenire*.

CAP. VIII.

Nundinas *Ferias fuisse, & non fuisse*. *Quid Feriæ: Fasti item dies, & Nefasti*. Nundinarum *dies, ut noster Solis, cultior mundiorque*. *Cœnæ & coqui* Nundinales.

CAP. IX.

Nonarum, *Eiduum*, *Kalendarum Religio*. Nundinæ *Jovis Feriæ*, *Saturno quoque sacræ*.

CAP. X.

*Qui Feriis, & sic* Nundinis *agi liceret, e Jure Romano quæsitum*.

CAP. XI.

Trinundini *observatio*, *in rogatione Legum*, *petitione Magistratuum*, *Judiciis*, *Pœnis*, *Negotiis*.

CAP. XII.

*In* Nundinis *Servio Tullio, post exactos Reges, parentatum*. *A* Nonis *omnibus* Nundinæ *remotæ*.

CAP. XIII.

*Cur a Kalendis quoque Januariis* Nundinæ *remotæ*. *Auspicium, diesque Auspicalis*.

CAP. XIV.

*Annus a* Nundinis *incipiens Romanis infaustus*. *Ciceronis locus ad Atticum hac occasione correctus*. *Anni* IↃCC. *ab Urbe condita, &* IↃCCI. Nundinæ.

CAP. XV.

Nundinæ *per annos aliquot, partim Pompilianos, partim Julianos, extensæ*.

CAP. XVI.

Nundinarum *distinctio*, *in* Fixas, Vagas, Vitiosas, Hiulcas, Legitimas.

CAP. XVII.

*Cyclus* Nundinalis Vagus *annis litterisque suis notatus*.

CAP. XVIII.

*Cyclus* Nundinalis Vitiosus, *triennio definitus*. *Ejus causæ & constitutio*.

CAP. XIX.

Cyclus Nundinalis Hiulcus, *litterarumque ordo ac ratio*.

CAP. XX.

Cyclus Nundinalis Legitimus, *annis suis litterisque ordinatus*.

CAP. XXI.

*Hemerologium anni Juliani, litteras* Nundinales *repræsentans*. *Litteræ Kalendares ad* Nundinas *investigandas necessariæ*.

CAP. XXII.

*Litterarum* Nundinalium *chironomia*. *Annorum computandis* Nundinis *Singulorum ratio, Decimorum, Centesimorum*.

CAP. XXIII.

*Litteræ* Kalendares *singulorum mensium*. *His datis, quomodo reliquæ investigandæ, sive numeris, sive digitis*.

CAP. XXIV.

*Qua ratione tota in Kalendario Juliano varietas litterarum* Nundinalium, *& in Christiano tota Solarium tollatur*.

CAP. XXV.

Nundinæ *Hebdomadicæ*. *Hebdomas quando, & quomodo cœperit*. *Septem dierum ordo ac ratio*.

CAP. XXVI.

Nundinæ *diebus Solis, e veteri Inscriptione*. *Annus perpes*. *Fragmentum tabulæ* Nundinalis. Nundinæ *Solares & Lunares*.

CAP. XXVII.

*Aliæ* Nundinæ, *alii Mercatus; illæ, minores Mercatus sunt; hi, majores* Nundinæ. *Ævi nostri* Nundinas *Solares esse*: *Mercatus, partim Solares, partim Lunares*.

CAP. XXVIII.

Nundinarum *jura ac solennia*. *Epulæ* Nundinariæ, *& Superstitio*.

CAP. XXIX.

Nundinarum *Tutela, sacra, & civilis*. *Illam vel ad* Nundinam, *vel ad Mercurium referri*: *hanc ad Ædilem, sive Præfectum Annonæ*.

CAP. XXX.

*Clausula scriptionis*. *Non mole, sed pretio ingenii monumenta censeri*. *Argumenti* ἀνακεφαλαίωσις.


NO-

*NOBILISSIMO AMPLISSIMOQUE*

*VIRO*

# JACOBO ROELANDIO,

## EQUITI,

## IN MAGNA BELGICÆ CURIA SENATORI REGIO,

Veteri & Vero Amico.



*Agnam Libro non magno Romanæ partem Antiquitatis illustrare conatus sum, Nobilissime & Amplissime* Vir: *Fastos* Nundinis, *Annum* Die, *sæcula primis octo* Litteris, *Veteri Hemerologio notatis. Tantum ad Te compendium fero; sed munus tenue, nominis tui titulo pretioque commendandum. Siquid affectui tribui sinas; Te amicum ab annis hinc quadraginta, & ex Italia rediens, expertus sum. Sic & Filium tuum* Jacobum Roelandium, *studiorum contubernio nuper mihi familiarem, Cursorum Antverpiæ plena laude præfectum; in quo totam Patris indolem, ut diligere pridem cœpi, ita nunquam desinam. Siquid Stirpi; inter Majores tuos, clarissima & Togæ & Sagi exempla habes, quibus niti etiam posteri queant. Siquid Doctrinæ & Eruditioni; Tuum ingenium, majoribus simul & amœnioribus studiis cultum, inter Belgas inclaruit, curiosa quoque linguarum varietate expolitum. Siquid Dignitati; in magna Belgicæ Curia Senator Regius, exacto judicio, & integritate, moribusque facillimus omnium benevolentiam trahis. Satis Tibi non erat, Magnum esse, nisi & Virtutem adferres; nec satis, Juris scientia eminere, nisi litteras, peritiamque Romani ævi in subsidium Prudentiæ advocares. Hinc bibliotheca in splendido, modesto tamen lare, instructissima; Tuo licet ingenio ac memoria bibliothecam facias. Hinc etiam familiaritas Tibi ac necessitudo cum sæculi nostri Viris in Belgio eruditis: qui cum Fratrem Tuum* Gabrielem Roelandium, τὸν μακαρίτην, *Musarum Gratiarumque delicium nuncuparent, Te cum Fratre simul coluere. Meus nunc Amor, communibus certe non contentus officiis, ad ingenii signum xeniumque prorupit: nec satis censui, privatum deferre Genio Tuo cultum, nisi & famam publice venerarer. Itaque cum De* Nundinis Romanis *Liber paratus esset, argumento vetus, notitia novus, lectu utilis, intellectu facilis; eum mittere ad Te volui, ut negotia Tua, & tempora interpellarem; antiqua autem Tua facerem. Tanquam Ædili suo* Nundinas *more antiquo dedicem, Tuam & tutelam & auctoritatem præfigo. In titulo quoque appellatio* Faculæ *placuit, ut rei hucusque obscuræ lumen immitterem; a Tuo vero Affectu, Stirpe, Eruditione, Dignitate, cæterisque Dotibus accensum irem. Vale, & vegetam ætatem, Fastis dignam, in longos annos, serasque* Nundinas *extende. Lovanii, in Arce, Nonis Novembris, postridie Natalem meum* LXXII. *Anno Censuali* ∞. IϽC. XLV.

## HORUS PHILOSOPHUS,

Apud Macrobium, lib. 1. Saturnal. cap. xv.

DE

# NUNDINIS.

NUndinas quoque vestras nescire me fateor, de quibus observatio tam diligens, tam cauta narratur. Hæc neque mihi erubescendum est ignorare peregrino; discere nec civem puderet.

## VETTIUS PRÆTEXTATUS,

Ibidem.

NOn solum tibi, *Hore*, cum sis Ægypto oriundus, sed ne nobis quidem, quibus origo Romana est, erubescendum puto quærere, quod quæsitu dignum omnes Veteres putaverunt.

# ERYCII PUTEANI BAMELRODII

# DE

# NUNDINIS ROMANIS

# LIBER.

### CAP. I.

*Exordium Scriptionis*. Nundinarum *commendatio*.



INter solemnes Populi Romani *dies Nundinæ* sunt, ortu regiæ, usu sacræ, scitu utiles; sed sub nube antiquitatis obscuræ. Poscebant lucem, postquam & *Anni*, & *Menses*, & aliæ temporis partes aliorum opera; nostra, *Intercalationes* & *Bissexta* nuper essent explicata: quæ *Olympiorum Mysteria*, & Naturæ arcana sunt, ad cœli solisque legem directa. Faculam accenderam: sed ea nunc quoque opus, ut tenebrarum reliquiis Fasti liberentur. Magna, quod ecce molior argumentum, litterarum pars est, ingens pretium, & ad bonos Latinosque scriptores intelligendos maxime facit. Etenim in libris passim ac lapidibus antiquis *Nundinæ* sunt, quasi indices quidam temporis ac notæ; imo in ipso Hemerologio Romano, pulcherrimo eruditionis monumento, *Litteræ Nundinales* sunt, & ogdoadis mysterio *Dies Anni* ducunt, *Nonum* vero perenni laterculo definiunt. Redeuntes hi, ut sic dicam, *Dierum* circuli sunt, in *Anno*, quasi circo; imo *Annorum* circuli sunt, quibus *Cyclus Nundinalis* (ut sic appellem) continetur. Hoc nunc erit igitur docere Litteras, quæ *Diebus* præfiguntur; Litteris *Nundinas*, quæ *Nomine* suo, *Loco*, *Tempore*, *Modo*, denique & *Ritu* in notitiam venient.

### CAP. II.

*De nomine & loco* Nundinarum. *Quid Forum. Argumenti synopsis*.

A Nomine ordior, quod ut simplex, ita rem totam & significationem rei breviter comprehendit. *Nundinæ* enim (nisi potius *Nondinæ*) a *Nono*, & redeunte ad se *Die*, quemadmodum fusius dicturus sum: sed reipsa *Mercatus* est, a *mercibus* & *mercando* appellatus. Hinc *Nundinari* est *mercari*, sive emas, sive vendas: & *Nundinatio*, *emptio*, atque *venditio*. Græce ἀγορὰ, a verbo, ἀγείρω, id est, *congrego*. Homines enim ad emendum vendendumque merces conveniunt & congregantur. Glossæ veteres: *Nundina*; ἀγορὰ τῶν ὠνίων: quasi dicas, *Forum rerum venalium*. Πανήγυρις etiam, quasi *confluxus hominum* & *frequentia*.

C *Locus*, Forum est, *a ferendo*, ut Varroni placet, *quo res venales feruntur*. Aristoteles vero, l. VII. Politicorum, cap. XII. ubi de mercatu in urbe constituendo, *Forum* appellat τόπον εὐσυνάγωγον τοῖς ἀπὸ τῆς χώρας πεμπομένοις. id est, *locum aptum rebus, quæ ex agro mittuntur, convehendis*. Sex modis Forum intelligi Festus notat: sed ad nostrum institutum facit, *esse negotiationis locum, ut Forum Flaminium, Forum Julium, ab eorum nominibus, qui ea Fora constituenda curarunt. Quod etiam in locis privatis, & in vicis, & agris fieri solet*. Cæterum, XVII. omnino Romæ olim Fora: Romanum, quod dicitur *Magnum*, Cæsaris, Augu- D sti, Boarium, Transitorium, Olitorium, Pistorium, Trajani, Aenobarbi, Suarium, Archemorium, Diocletiani, Gallorum, Rusticorum, Cupedinis, Piscarium, Sallustii.

Quo *Tempore* vero, *Modo*, ac *Ritu* fuerint olim *Nundinæ*, uberior observatio est, & ingenia etiam prisca exercuit. Hæc enim tria qui sciet, intelliget *Nundinas*: vicissim qui nesciet *Nundinas*, multa ignorabit.

Hori apud Macrobium, lib. I. Saturnal. cap. XV. verba sunt: *Nundinas quoque vestras nescire me fateor; de quibus observatio tam diligens, tam cauta narratur*. Erat hic Horus non una laude insi- E gnis; pugil aliquando, postea philosophus, Cynicos inter eo tempore clarus. Ignorabat ille vero non modo *Nundinarum* rationem, sed & Nonarum, Eiduum, Kalendarum;. Fastos item *Dies*, ac Nefastos. & quæ reliqua hujus notæ. Quid mirum? Romana confessio est, a Macrobio ibidem expressa: *De Kalendis, Nonis, & Eidibus, deque Feriarum variis observationibus innumeros auctores cura quæstionis exercuit*. Sed dignus omnino excusatione Horus, quia peregrinus. Verba Prætexati, apud eundem Macrobium: *Hæc nec tibi erubescendum est ignorarre peregrino; discere* F *nec civem puderet*. Dolendum igitur, eo aliquos hodie ingenio homines esse, ut quædam negligere malint, quam discere; vilipendant etiam ac vituperent, quæ videri nolunt ignorare. Nobis amœnitates placent, sed ingenii & litterarum: hic autem, quia ad *Forum* litteræ venient, cum lucro eruditionis erunt. Dicam, quid omnino *Nundinæ*, qua *origine* ac *ratione* fuerint: quomodo *fixæ*, *vagæ*, *vitiosæ*, *hiulcæ*, *legitimæ*, & quem in Fastis locum sibi vindicent. An etiam dicam *ritus* ac *jura*, & quidquid Horus nescivit?

Pauca erunt; & sic tamen satis multa, ut argumentum impleatur.

## CAP. III.

*De necessitate* Nundinarum. *Ruris laudes.* Novendinæ. Nonus *Dies*.

Cum ipsa propemodum Urbe cœpisse *Nundinas*, verisimile est, aut mox certe natas esse. Quippe non minus necessaria novis civibus alimenta erant, quam mœnia: nec possum annonam nisi animam civitatis appellare. Ut initia & incunabula tantæ magnitudinis sunt, dubites, in Urbe, an in agro Roma fuerit, cum prædia magis, quam palatia placerent, & maximi quoque viri, rustici munus civisque exæquarent. Sudor dabat, quod sanguine postea quæsitum est: ad usum, non ad luxum omnia erant. Rura laudo: hic vita innocens est, hic natura libera, hic terra fœcunda, & quia nullis ædium molibus obsessa & suffocata, matrem hominum & nutricem agit; bona vero sua ex propinquo extenta velut manu porrigit. Hoc beneficio accita paullatim commercia, non e vicinis tantum vicis; oppidisque, sed & provinciis; placuitque usum rerum ad lucrum proferre, qui veri deinde *Mercatus* erant.

*Nundinæ* autem, quasi *Novendinæ*, quia *Nono* quoque *die* celebratæ. A *Nundinis* igitur ad *Nundinas* novem dies erant, diversi octo, intermedii septem. *Nundinum* quoque vetustiores dixere. Lucilius apud Nonium: *Si nihil gustat inter Nundinum.* Et Varro: *Quoties priscus homo, ac rusticus Romanus inter Nundinum barbam radebat.* Hinc etiam *Trinundinum*, & *Trinum Nundinum*, Græce τρίτη ἀγορά, ut magis dicturus sum. *Nono* igitur die a rustico opere ad Urbem & *Nundinas* Romani ventitabant, ut diserte Dionysius Halicarnassensis, lib. VII. *Nundinæ* (αἱ ἀγοραὶ) *Romanis, uti adhuc in usu, Nono quoque die celebratæ; quando ad Urbem plebs agrestis confluens, res venales permutabat* (nota, nummi tum necdum usum fuisse) *& jure inter se agebat, & suffragia ferebat de negotiis publicis; de quibus vel leges permitterent ei arbitrium, vel senatus deferret.* Sed hæc quomodo se habeant, in progressu magis aperiam. Addit vero: *Intermediis septem diebus* (τὰς δὲ μεταξὺ τῶν ἀγορῶν ἑπτὰ ἡμέρας) *quia magna pars pauperes erant, & manu sua parabant victum, occupabantur ruri.* Recte *septem*: primus enim dies, & sic nonus *Nundinas* habebat: inter primum autem & nonum septem interjecti, quos *rusticos* appelles, ut duos illos *urbanos*. Varronis hic nobis auctoritas velut decumana est, l. 12. de Re rustica: *Viri magni nostri majores, Annum ita diviserunt, ut Nonis modo diebus urbanas res usurparent, reliquis septem, ut rura colerent: quod dum servaverunt institutum, utrumque sunt consecuti, ut & cultura agros fœcundissimos haberent, & ipsi valetudine firmiores essent.* His similia Columella, lib. I. *Nundinarum etiam conventus manifestum est propterea usurpatos, ut Nonis tantum diebus urbanæ res agerentur, reliquis administrarentur rusticæ.* Et sic intelligendus locus lib. XI. cap. I. de Villico: *Non Urbem, non ullas Nundinas, nisi vendendæ aut emendæ rei necessariæ caussa frequentaverit.*

Distincte vero notat Plinius, lib. XVIII. cap. III. hanc etiam ob caussam *Nundinis* Comitia non fuisse: *Nundinis Urbem revisebant, & ideo Comitia Nundinis haberi non licebat, ne plebs rustica avocaretur.* Videmus igitur, Dionysii verba, de suffragiis ferendis, ad prima tempora referenda esse. Plutarchum qui prætercam? In Coriolano: Ἀγορὰς δὲ ποιοῦσι Ῥωμαῖοι ἡμέρας ἐννάτης, Νουνδίνας καλοῦντες. *Mercatum quidem Romani Nono die agitant, & Nundinas appellant.* Breviter igitur, & vere Ovidius, lib. I. Fastorum:

*Est quoque, quo populum jus est includere septis;*
*Est quoque, qui Nono semper ab Orbe redit.*

## CAP. IV.

*Origo* Nundinarum. *Videri interruptas.* Trinundinum. Nundinalis *Coquus*. *Novendialia*.

Ad originem venio, quam alii ad Romulum, alii ad Servium Tullium referunt. Macrobii lubet verba adscribere, lib. I. Saturnal. cap. XVI. *Nundinarum originem quidam Romulo assignant, quem, communicato regno cum T. Tatio, sacrificiis & sodalitatibus institutis, Nundinas adjecisse commemorant.* Ait autem, hanc Tuditani opinionem fuisse. Deinde: *Sed Cassius Servium Tullium fecisse Nundinas dicit, ut in Urbem ex agris convenirent, urbanas rusticanasque res ordinaturi.* Hinc etiam e Gemino & Varrone additum, *diem Nundinarum exactis jam Regibus, cœpisse celebrari; quia plerique de plebe, repetita Servii Tullii memoria, parentarent ei in* Nundinis. *Nundinæ* igitur sive a Romulo, sive a Servio institutæ, cum Regibus non videntur in exilium ivisse, quasi postliminio revocatæ. Celebrari vero quadam nunc quasi religione cœperunt. Etenim pulso Tarquinio, plebs in *Nundinis* parentavit Servio, quasi *Nundinas* ille instituisset. Varro quoque hic Servio favet, referente Macrobio l. I. Saturn. c. XIII. *Junius Servium Tullium regem primum intercalasse commemorat: a quo &* Nundinas *institutas Varroni placet*, Quid tamen est? Cum plures conjunctis velut calculis hunc Romulo honorem deferant, a conditore Urbis temere non recedam. Verisimile quoque est, Romulum, cum annum in nova Urbe ordinaret, *Nundinas* haud omisisse. Diserte Dionysius, lib. II. de Romulo: Ἐννάτην ὁρίζων ἡμέραν ταῖς ἀγοραῖς, Nonum *diem* Nundinis *assignans*. Et quid opus est verbis, ubi res & ratio loquuntur? Soli enim Romuli anno *Nundinæ* exacto conveniunt numero, ut postea ostensurus sum. Putes vero, prima ista origine, vel annum *Nundinarum*, vel *Nundinas* anni caussa institutas. Annus nimirum diebus constabat CCCIV. ogdoades autem XXXVIII. totidemque *Nundinas* hi dies CCCIV. implent. Quia autem primus mensis, ut & sextus, ternas habuit *Nundinas; Trinundinum*, sive *Trinum Nundinum*, ac *Trinundinum Diem*, prædici moris erat, quo Plebiscita & Senatusconsulta referri & promulgari consueverunt. Jure etiam lata Lex non erat, nisi *Trinundinum* intercessisset. Cicero lib. XVI. ad Familiares, epist. XII. de Cæsare: *Ad Consulatus petitionem se venturum, neque jam velle absente se rationem haberi sui; se præsente* Trinundinum *petiturum*. Sed Macrobium audiamus, libro I. Saturnal. capite XVI. *Rutilius scribit, Romanos instituisse* Nundinas, *ut octo quidem diebus* (septem duntaxat sunt) *in agris rustici opus facerent; nono autem die, intermisso rure, ad* mercatum, *legesque accipiendas Romam venirent, & ad scita atque consulta frequentiore populo referrentur: quæ* Trinundino die *proposita, a singulis atque universis facile noscebantur. Unde etiam mos tractus, ut leges* Trinundino die *promulgarentur*. Prorsus *Nundinæ*, ut dixi, quasi *Novendinæ*, *Novendialia* sic quoque erant, sive Feriæ ferales: quemadmodum & Cineres *Novendiales*. Huc etiam mos ille facit, luctum in novem dies extendere; quos liberos & quietos

heres habebat, quemadmodum Justinianus sancivit, Codice de Sepulchro violato. Verba Legis sunt: *Heredem non teneri creditoribus defuncti respondere, ante* novem dies *ab obitu defuncti*. Sed hæc forte a linea declinant.

## CAP. V.

Diei noni *in* Nundinis *ratio*. *Cyclus* Nundinalis. *Ut anni forma, ita &* Nundinarum. *Ogdoades expensæ*. *Hora* nona. *Mulier* nonaria.

NOni cur potissimum *diei* reditus in *Nundinis* placuerit, si fortassis statuere non licet, conjicere & opinari: quia tamen & opinio eruditionis est & conjectura ingenii, minori culpa hic aberrem, quam sileam. Ac sane in *Nonum* diem vitæ humanæ subsidia cibo potuque parare, commodum videbatur; imo a laboribus tunc cessare, tempestivum. Ita enim septem interjecti dies, suo numero pleni, & opere fœcundi, satis dabant temporis, quo & penus instrueretur, & arceretur penuria, nullum interea vel senium vel situm obsoniis mora adferente. Ad septem quoque illos dies facit, quod Plinius scribit, lib. XI. cap. LIV. *Homini non intra septimum diem lethalem inediam esse*: quasi tanto tempore sine cibo vitam toleret, quantum *Nundinæ* includunt, quæ post esuritionem tanquam epulæ habeantur.

An addo? Novenarii hic etiam mysterium aliquod est, ternario comprehensum. Ternarius autem tribus mensis cujusque partibus constitutus est, Nonis, Eidibus, Kalendis; cum & *Nundinas*, quasdam quasi *Nonas* putes. Sed ogdoadis ratio suis momentis potissima est. Octo enim apud Romanos diversi olim dies: *Nonus* idem cum primo, *Nundinasque* dabat. Ita & heptas nobis diei Solis caussa (qui octavus est) repetita serie computatur. Esse autem in XII. mensibus quinquaginta duas heptades, sive hebdomades, sed superesse diem unum, horas sex, & quæ huc faciunt, in libro de Bissexto dixi, atque explicavi.

Quid igitur de ogdoade? Annus nobis Romanus distinguendus est, in *Romuleum*, *Pompilianum*, *Julianum*.

Romuleus a Romulo, qui decem mensium fuit, dierum CCCIV. & ogdoades habebat ipsas triginta octo: quo tum numero *Fixæ* atque constantes *Nundinæ* erant, annus anno similis.

Pompilianus, a Numa Pompilio, vel XII. mensium, dierum CCCLV. (impar enim hic numerus placuit) & quadraginta quatuor ogdoadibus, tribusque diebus impletus est: vel XIII. mensium, dierum CCCLXXVII. & quadraginta septem ogdoades habuit, diem unum: sed quarto quoque anno dierum CCCLXXVIII. hic nobis negligendus, quia die tantum Intercalari, tanquam non die, augetur. Aliquid lucis e Bissexto meo pete, cap. XIII.

Annus demum Julianus, a Julio Cæsare, dierum CCCLXV. horarum VI. ogdoades quadraginta quinque, dies quinque, horas sex accepit. Tot igitur ubique *Nundinæ* erant, quot ogdoades. Et quinque illi hic quidem dies non toto biennio in ogdoadem excrescebant: horæ sex, quæ quarto demum anno, sive bissextili, diem unum, quatuor octenniis dies octo conficient. Quater autem octo anni triginta duo sunt: quæ tota hic varietas est, & *Cyclus Nundinalis* possit appellari.

Hinc jam manifestum, in alium aliumque quotannis diem, illum *Nundinalem*, illum, inquam, anni Pompiliani, qui lunaris, & Juliani, qui so-

A laris, incidere; sic tamen incedere, donec cum ogdoade annus finiatur. Distinctius hæc infra, ubi de litteris quoque *Nundinalibus* acturus sum, sive de notis, indicibusque *Nundinarum*. Ut enim septenæ nostræ diem referunt octavum, & Solis; sic octonæ antiquæ nonum, & *Nundinas*. Ut etiam quieti ille Solis destinatus est, ita & *Nundinæ*, tanquam laborum pausæ. Hic etiam numerus in duodecim horis diurnis notandus est; *Nona* enim in cœnam quotidie Romanis placuit, ut lassæ diurno labore, sive corporis, sive ingenii vires, cibo ac potu tempestive reficerentur. Diurnæ sic etiam quædam quasi *Nundinæ* sunt, & in
B convivio forum, hora, tanquam die, præfinitum. Sed hanc *Nonam* esse, satis Martialis indicat, lib. IV. Epigrammate VIII.

*Imperat exstructos frangere* nona *toros*.

Annonam sic nunc patiar quoque dici, quasi *ad nonam*; quemadmodum in Genialibus Sermonibus meis aliquando notavi, si non vere, saltem festive. Isidorus hanc amœnitatem sustinet, lib. XX. Originum, cap. II. *Annona tractum a tempore, quo Romani veteres ad cibos advocabantur*: id est, ab ipsa hac hora *nona*, cœnæ destinata. A *nona*
C quoque meretrix *Nonaria*, apud Persium:

*Si Cynico barbam petulans* Nonaria *vellet*.

Hora enim *nona*, cellis apertis, hæc se turpitudo prostituebat: clausa nimirum, quamdiu feriæ horæ, & curæ essent.

## CAP. VI.

Nonus *Dies Soli sacer*. *Novenarii constitutio*. *Observatio Lunæ*. *An* Nundinæ *menstruæ: an aliquando & ipsis Nonis*. Nonalia.
D

ANnus quidem vel a Luna legem & formam capit, vel a Sole. *Nundinæ* vero, ut a Luna profluxerint, aliquid tamen cum Sole commercii habent; quia dies *Nonus*, qui *Nundinas* facit, & *Nonas* constituit, Soli sacer. Ita Dionysius Halicarnassensis, in præceptis Rhetoricis, de Oratione natalitia: Ἔχοις δὲ ἂν περὶ τῆς ἐννάτης λέγειν, ὅτι ἱερὰ τοῦ Ἡλίου, καὶ ὅτι εἰκὸς ἐπίσημον τὸν τοιοῦτον γενέσθαι, τάχα δὲ καὶ ἐνεργητικὸν καὶ τὴν τοῦ Ἡλίου φύσιν. *Possis etiam de* nono die *dicere, quia Soli hic consecratus est: sic natum vero manife-*
E *sta nota & promptum & liberalem, quæ natura Solis est, evasurum*. Hoc antiquitatis caussa hic annotare operæ pretium duxi. Interim sacrum Musis *Novenarium* esse numerus indicat: qui primus ex impari quadratus est. Ter enim tria, novem. Unde non sine mysterio Phornutus, lib. de Natura Deorum, *novem Musas esse, quia quadratos & eximios eos faciunt, a quibus coluntur, ut numerus ipse quadratus est*. Quadratos autem homines, sive τετραγώνους, Aristoteles lib. I. Ethicorum, cap. XI. *sapientes & constantes vocat*.

In *Nundinis* tamen Lunæ ratio potior, quemadmodum dixi, *Nundinæque* cum *Nonis* affinita-
F tem habent. *Nonæ* autem, vel a novæ Lunæ observatione (quæ per minorem Pontificem fiebat) appellatæ sunt, vel quod hinc ad Eidus novem dies extendantur. Ita Varro inter alios, & Macrobius. Sed hujus verba, quia luculentiora, præmitto, I. Saturnal. cap. XV. *Priscis temporibus, antequam Fasti a Cn. Flavio scriba, invitis patribus, in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori hæc provincia delegabatur, ut novæ Lunæ primum observaret adspectum, visamque Regi sacrifi-*

*culo nunciaret. Itaque sacrificio a Rege & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex kalata, id est, vocata in Capitolium plebe, juxta Curiam Calabram, quæ casæ Romuli proxima est, quot numero dies a Kalendis ad Nonas superessent, pronunciabat.* Mox: *Ideo autem minor Pontifex numerum dierum, qui ad Nonas superessent, kalando prodebat, quod post novam Lunam oportebat Nonarum die Populares, qui in agris essent, confluere in Urbem, accepturos pausas feriarum a Rege Sacrorum, scripturosque, quid esset eo mense faciendum.* Nunc & Varronem audiamus, lib. v. de Lingua Latina: *Novus mensis, nova Luna Nonis. Eodem die enim in Urbem ad Regem conveniebat populus. Harum rerum vestigia apparent in Sacris* Nonalibus, *in Arce; quod tunc ferias privas menstruas, quæ futuræ sint eo mense, Rex edicit populo.* Ut hæc vero sunt, *Nundinas* quoque putes menstruas aliquando fuisse, ipsisque *Nonis*; mox *Nono* quoque die, tanquam totidem *Nonis* rediisse: sed putes. Ad *Novendinalem* hunc quoque ritum quod attinet, exemplo Tusculorum usurpatus est; qui, ut idem Macrobius refert lib. I. Saturnal. cap. xx. Nono *quoque die Regem suum salutabant, & de propriis negotiis consulebant.*

## CAP. VII.

*Ogdoadis ratio in* Nundinis *computandis. Octo Planetæ. Ogdoadem anno Romuleo convenire.*

AD ogdoadem redeo, qua tota *Nundinarum* extenditur computatio. Non minus autem (effari liceat) a cælo sideribusque ogdoas dierum, quam heptas, sive hebdomas desumpta est. Prisca enim Philosophia tam solers & ingeniosa fuit, ut octo Planetarum globos assignarit. Pythagoram quis non æstimet? Hic, scribente Plutarcho in Numa, quin & ipse Numa, *Terram*, quæ Vesta est, censuit *mobilem, & inter Planetas esse, in orbem vero circa Ignem*, id est, Solem, *ferri*. Prorsus, septem illi quos numeramus dies, ut nomina sua a septem Planetis sortiti sunt, ita & octo, computata simul Terra, numeri sui mysterium sustinent, & in *Nundinis* decurrunt. Hac etiam origine Eidus sunt, plenilunii olim indices, in mensis meditullium provectæ. Si antiqua igitur ac cælestis heptadis ratio fuit, fuit & ogdoadis. Sed ut altera illa sive ab Hebræis, sive ab Ægyptiis accepta, cæteris gentibus placuit: ita altera, illa sive Pythagoræ, sive Pompilii, Romanis. *Nundinæ* certe, quia ogdoade constant, octo orbium motum videntur sequi: quia Romanæ, rationem suam peculiari exemplo obtinent, ac *Nundinæ* sunt.

Nisi forte (quæ Clarissimi, ac divinæ mentis Viri *Gotifredi Vendelini* opinio est) in *Nundinis* usu venerit, quod in Lustris, quæ a populari errore augmentum traxere. Etenim sicuti quadriennia illa Græcanica, ludis Olympicis celeberrima, Romani lustro suo quinquennali æmulati sunt; ita septiduum, toties Homero memoratum, & illud Hesiodi ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ, octiduo definiverunt. Si conjecturæ igitur locus, diversitatem istam nomenclatura fecerit. Olympiadem enim Græci τῷ πέμπτῳ ἔτει, *quinto anno*, sed incipiente, dicebant recurrere: atque id spatium, quaternum revera annorum, ut in libro de Olympiadibus scripsi, populariter πενταετηρίδα, *quinquennium* appellabant. Itali, & in his Romani, sonum magis, quam sensum retinentes, solidum quinquennium servandum sibi rati, solemni vocabulo *Lustrum* vocarunt. Idem igitur in *Nundinis*. Septiduum enim jam inde ab antiquissimis Hebræis Ægyptiisque profectum, imo in Græciam delatum, pro octiduo acceptum. Nempe ubi septeni erant, octonos totos prisci illi Italiæ rupices numerarunt: quo factum, ut *Nono* sic tandem die, quem *Nundinas* dixere, ἱερὸν ἦμαρ religiosius celebrarent.

Suspicari nihilominus lubet, Romulum, Urbis & simul *Nundinarum* conditorem, anni a se instituti caussa, ogdoadem ordinasse: an ogdoadis caussa annum? Hic decem constabat mensibus, diebus autem CCCIV. Albanorum exemplo: quemadmodum Censorinus inter alios distincte scribit. Ut optime igitur constitutio temporis esset, formandus dierum erat laterculus, qui numero suo aliquoties sumptus, annum impleret. Alius præter hunc unum octonarium non erat: hic placuit, ut annus ogdoadibus par esset, & ogdoades anno. Dies enim CCCIV. qui totus est annus, ogdoades XXXVIII. faciunt, ἱκανῶς. Pulchra sane & concinna hæc *Nundinaria* ratio: quia constans & sui semper similis, quæ proinde nullo cyclo indigebat. Unus annus, omnis annus; unius *Nundinæ*, annorum omnium; cum stati semper dies essent, nulli superflui. In anno postea Pompilii, qui partim diebus CCCLV. partim CCCLXXVII. constabat, turbatus est ordo; quia in priori numero, post XLIV. ogdoades triduum supererat: in posteriori, post XLVII. dies unus: ut nihil de intercalatione dicam, quæ varia fuit, & ad cæli modum directa.

## CAP. VIII.

Nundinas *Ferias fuisse, & non fuisse. Quid Feriæ: Fasti item dies & Nefasti.* Nundinarum *dies, ut noster Solis, cultior mundiorque. Cœnæ & coqui* Nundinales.

HActenus quidem de origine & constitutione *Nundinarum*. An Feriæ fuerint, non frustra inquiro. Esse, Festus ait: Nundinas *Feriarum diem esse voluerunt Antiqui; ut rustici convenirent, mercandi vendendique caussa: eumque Nefastum, ne, si liceret cum populo agi, interpellarentur* Nundinatores. Sic & Macrobius, lib. I. Saturnal. cap. XVI. opinionisque suæ auctores laudat, Julium Cæsarem, lib. XVI. Auspiciorum: Nundinis *concionem advocari non posse, id est, cum populo agi; ideoque* Nundinis *Romanorum haberi Comitia non posse*. nimirum, quia Feriæ sunt. Cornelium etiam Labeonem, lib. I. Fastorum, Nundinis *Ferias esse*. Contra Titus, de Feriis scribens; Nundinarum *dies non inter Ferias retulit, sed tantum solennes vocavit*. Et Julius Modestus, qui affirmat, *Messala augure consulente Pontifices, an* Nundinarum *Romanarum* Nonarumque *dies Feriis tenerentur, respondisse eos*, Nundinas *sibi Ferias non videri*. Item Trebatius, lib. I. Religionum, Nundinis *Magistratum posse manumittere, judiciaque addicere*, quod Feriis non licebat. Pugna hæc est, sed facili negotio componenda. In antecessum tamen obiter Ferias explico, ut sic magis *Nundinæ* intelligantur.

Feriæ igitur, ut Festus ait, *a feriendis victimis appellatæ: quarum aliæ Publicæ, aliæ Privatæ*. Hæ propriorum Sacrorum: illæ in *Stativas, Imperativas*, denique & *Nundinas* divisæ, & a Macrobio explicatæ.

Stativæ *sunt populi, certis ac constitutis diebus ac mensibus, & in Fastis, statis observationibus, annotatæ:* ut Agonalia, Carmentalia, Lupercalia, & hæc præcipua. Idem Festus *statas* appellat *Ferias, quod certo statutoque tempore observarentur*.

Conceptivæ, *quæ quotannis a Magistratibus, vel a Sacerdotibus concipiuntur in dies certos, vel etiam*

*incertos*: ut Feriæ Latinæ, Sementivæ, Paganalia, Compitalia. Videndus Varro.

Imperativæ, *quas Consules, vel Prætores pro arbitrio potestatis indicunt*: ut *Novendiales*, & Regiæ. De quibus Festus. Vult autem *Regias Ferias fori, conventus, & Nundinarum caussa fieri in Civitate per aliquem Sacerdotem, qui sit regia majestate*.

Ad Ferias quoque cultus ille facit, quo *Nundinarum* diem Romani, ut Seneca notat, epistola LXXXVI. prosecuti: *Ut ajunt, qui priscos mores Urbis tradiderunt, brachia & crura quotidie abluebant, quæ scilicet sordes opere collegerant; cæterum toti* Nundinis *lavabantur*. Nitidiores igitur, quia nitidior dies, poscentibus feriis munditiem. Noster nonne hic quoque mos est? Cessant cum opere, & cum hebdomade sordes; & quoniam puriorem sacra poscunt animum, corpus ornamus. Prorsus tanquam ab ipso Solis die aliquid Solis, id est, splendoris sumamus, octavam quamque lucem, ut Romani nonam, solennem habemus, læti cultu, mundi veste, pietatis, ut sic dicam, candidati. Tertullianus Apologetico: *Diem Solis lætitiæ indulgemus*.

Sed & cœnæ lautiores erant, quasi *Nundinales*: de quibus postea. Et coqui, qui in has conduci solent, pariter *Nundinales*. Plautus Aulularia, Act. II. Sc. IV. *Coquus ille* Nundinalis *est, in* Nonum *diem solet ire coctum*. Alii tamen, ut hoc etiam repetam, *Novendialia*, & Epulum ferale hic intelligi malunt, *Nono* die fieri solitum, quod *silicernium* appellabant. Sed si ita, coquus ille, quia mortuis cœnam coquit, non *Nundinalis*, sed *Novendialis* erit. *Nundinæ* vero, ut cum Macrobio pergam loqui, sunt *paganorum, itemque rusticorum, quibus conveniunt, negotiis propriis, vel mercibus provisuri*. Et quomodo igitur non Feriæ, ne frustra respondisse Jurisconsulti videantur? Dicam, sed cum Granio Liciniano, lib. II. Fastorum, ut apud eundem Macrobium: *Nundinas quidem Jovis ferias esse, siquidem Flaminica omnibus* Nundinis *in Regia Jovi arietem soleat immolare: sed lege Hortensia effectum est, ut Fastæ essent, uti Rustici, qui* nundinandi *caussa in Urbem veniebant, lites componerent. Nefasto enim die Prætori fari non licebat*. Ovidius lib. I. Fastorum:

*Ille Nefastus erit, per quem tria verba silentur:*
*Fastus erit, per quem lege licebit agi.*

Quæ igitur verba? *Do, Dico, Addico*: de quibus & ipse breviter dico. *Do*, cum judices arbitrosve Prætor daret. *Dico*, cum post cognitam caussam sententiam ferret. *Addico*, cum quid in jure cessum convictumve addiceret. De Feriis igitur cum Macrobio censeo, & claudo, eodem l. I. Saturnal. cap. XVI. Nundinas *qui Ferias dicunt, a mendacio vindicantur patrocinio vetustatis, qui contra sentiunt, æstimatu ætatis, quæ legem secuta est, vera depromunt*.

## CAP. IX.

Nonarum, *Eiduum, Kalendarum Religio*. Nundinæ *Jovis Feriæ, Saturno quoque sacræ*.

FEriarum nunc etiam poscit religio, ut cujus dei *Nundinæ* fuerint Feriæ, adjungam. Nonæ quidem, quæ velut *Nundinæ*, nullius, Kalendæ Junonis, Eidus Jovis. Ita Ovidius lib. I. Fastorum:

*Vindicat Ausonias Junonis cura Kalendas:*
*Edibus alba Jovi grandior agna cadat.*
*Nonarum tutela Deo caret: omnibus istis,*
*Ne fallare cave, proximus ater erit.*

Lucem a Macrobio hi versus capiunt, lib. I. Saturnal. cap. XV. Qui simul notat, a Kalendis *Junonem Kalendarem* appellatam: *Et qui initia mensium ab exortu Lunæ servaverunt, jure Junoni, quam Lunam putabant, Kalendas addictas esse*. Iduum vero diem, ab *iti, Jovis fiduciam* Tuscis dici: *cujus lux non finitur cum Solis occasu, sed splendorem diei & noctu continuat, illustrante noctem Luna*. Ad Nundinas quod attinet, *Jovis esse*, apud eundem Macrobium, lib. I. Saturnal. cap. XVI. Granius Licinius ait. Plutarchus Saturno Sacras, in Quæstionibus Romanis: *A frugum enim abundantia, venditionem & emptionem initium habuisse: Frugibus autem & agriculturæ Saturnum præesse; ideoque ærario & divitiis, quæ e frugibus habentur*. Satis nunc ista, ut modum ordinemque argumentum servet. De Tutela *Nundinarum* suo loco.

## CAP. X.

*Quid Feriis, & sic* Nundinis *agi liceret, e Jure Romano quæsitum*.

SEd quia *Nundinæ* Feriæ sunt, operæ pretium sit, quid omnino *Nundinis* agi liceret explicare: ita enim facilius intelligas, quomodo, postquam desierunt Feriæ esse, occupatæ sint.

Feriarum cura penes Sacerdotes erat. *Hi autem affirmabant*, ut est apud Macrobium, loco proxime signato, *pollui Ferias, si indictis conceptisve opus aliquod fieret*. Et lubet prosequi: *Præterea Regem Sacrorum Flaminesque non licebat videre Feriis opus fieri; & ideo per præconem denunciabatur, nequid tale ageretur, & præcepti negligens mulctabatur. Præter mulctam vero affirmabatur, eum qui talibus diebus imprudens aliquid egisset, porco piaculum dare debere; prudentem expiare non posse, Scævola Pontifex asseverabat. Sed Umbro negat eum pollui, qui opus vel ad Deos pertinens, sacrorumve caussa fecisset, vel aliquid ad urgentem vitæ utilitatem respiciens actitasset*. Audiendus & Cato de Re rustica, cap. II. *Per Ferias potuisse fossas veteres tergeri, viam publicam muniri, vepres recidi, hortum fodiri, pratum purgari, virgas vinciri, spinas runcari, expinsi far, munditius fieri*. De fossis idem Macrobius, lib. I. Saturnal. cap. XV. Verrii Flacci e Varrone verba referens: *Quia feriis tergere veteres fossas liceret, novas facere non liceret; ideo magis viduis quam virginibus idoneas esse ferias ad nubendum*. Si *Nundinæ* igitur Feriæ, neque nuptias *Nundinæ* recipiunt. Columella uberior, lib. II. cap. XXII. *Sed cum tam otii, quam negotii rationem reddere majores nostri censuerint; nos quoque monendos esse agricolas existimamus, quæ feriis facere, quæque non facere debeant. Sunt enim, ut ait Poeta*,

*—— quæ festis exercere diebus*
*Fas & jura sinunt. Rivos deducere nulla*
*Relligio vetuit, segeti prætendere sepem,*
*Insidias avibus moliri, incendere vepres,*
*Balantumque gregem fluvio mersare salubri.*

*Quanquam Pontifices negent segetem Feriis sepiri debere. Vetant quoque lanarum caussa lavari oves, nisi propter medicinam. Virgilius, quod liceat Feriis flumine abluere gregem, præcepit; & idcirco adjecit*, fluvio mersare salubri. *Sunt enim vitia, quorum caussa pecus utile sit lavare. Feriis autem ritus majorum etiam illa permittit, far pinsere, faces incidere, candelas sebare, vineam conductam colere;*

*piscinas, lacus, fossas veteres tergere & purgare, prata sicilire, stercora æquare, fœnum in tabulata componere, fructus oliveti conductos cogere, mala, pira, ficos pandere, caseum facere, arbores serendi caussa collo vel mulo clitellario afferre; sed juncto advehere non permittitur, nec apportata serere, neque terram aperire, neque arborem collucare. Sed ne sementem quidem administrare, nisi prius catulo feceris: nec fœnum secare, aut vincire, aut vehere, ac ne vindemiam quidem cogi per religiones Pontificum Feriis licet: nec oves tondere, nisi prius catulo feceris. Defrutum quoque facere, & defrutare vinum. Uvas, itemque olivas conditui legere licet. Pellibus oves vestiri non licet. In horto quicquid olerum caussa facias, omne licet. Feriis publicis hominem mortuum sepelire non licet. M. Porcius Cato mulis, equis, asinis nullas esse Ferias dixit. Idemque boves permittit conjungere lignorum & frumentorum advehendorum caussa. Nos apud Pontifices legimus, Feriis tantum Denicalibus mulos jungere non licere, cæteris licere.* Scævola aliquando consultus, *Quid Feriis agi liceret*, respondit, *Quod prætermissum noceret*. Primum igitur opus *Nundinarum*, ab opere (intermisso rure) cessare. Deinde ad Urbem annonam vehere, & ne a vocabulo abeam, *Nundinari*. Quia & lucrum ex emptione & venditione quæsitum, etiam Mercurii hic sacra sunt, sive fidem, sive fraudem colas.

## CAP. XI.

Trinundini *observatio, in rogatione Legum, petitione Magistratuum, Judiciis, Pœnis, Negotiis.*

SOlenne quoque erat, collecta in Urbem multitudine, Leges promulgare, Scita, & Consulta referre: quod *Trinundino*, sive *Tribus Nundinis* fieri solet. Præterea, Magistratum petere, Judicia exercere, Pœnas irrogare. Rutilius, referente Macrobio, lib. I. cap. XVI. *Romanos instituisse* Nundinas, *ut* Nono die *ad mercatum legesque accipiendas Romam venirent: & ut scita atque consulta frequentiore populo referentur, quæ* Trinundino *die proposita, a singulis atque universis facile noscebantur. Unde etiam mos tractus, ut leges* Trinundino *die promulgarentur*. Tres illæ *Nundinæ* in XII Tabulis nominantur, ubi de *Partibus secandis*. Lex etiam, teste Cicerone, jure lata non putabatur, nisi quæ *Trinundino* ante non esset promulgata. Tangit hunc ritum oratione pro Domo, Clodium perstringens: *Si quod in cæteris Legibus* Trinum Nundinum *esse oportet, id in adoptione satis est, trium esse horarum, nihil reprehendo*. Quinctilianus lib. II. cap. IV. locum videtur Ciceronis explicare. Ait enim: *De jure dubitari potest ejus, qui rogat, ut de P. Clodii, qui non rite creatus Tribunus arguebatur: aut de ipsius rogationis, quod est varium, sive non* Trino *forte* Nundino *promulgata, sive non idoneo die, sive contra intercessiones, vel auspicia, aliudve quid, quod legitimis obstet, dicitur lata esse, vel ferri, sive alicui manentium legum repugnare*. Addo & Dionysium, lib. IX. ubi de Tribunis: Προθέντων δὲ πάλιν τῶν δημάρχων εἰς τρίτην ἀγορὰν τὴν περὶ τοῦ νόμου διάγνωσιν. *Cum Tribuni iterum in* Trinundinum *rogationem Legis* (de comitiis Tribunitiis) *edixissent*.

De petitione Magistratus addit Macrobius, & comitium nominat: *Ea re etiam Candidatis usu fuit, in comitium* Nundinis *venire, & in colle consistere, unde coram possent ab universis videri*. Sic Livius lib. III. *Comitia Decemviris creandis in* Trinundinum *indicta sunt*.

Etiam qui Candidati erant, petebant *Trinundinum*, quo prensatio ex ritu fieret. Cicero l. XVI. ad familiares, epist. XI. de Cæsare: *Ad Consulatus petitionem se venturum, neque jam velle absentis rationem habere sui: se præsentem* Trinundinum *petiturum*. Postea quoque hoc vocabulum pro ordinatione Consulum acceptum. Lampridius de Alexandro Severo: *Consulatum ter iniit tantum ordinarium, ac primo* Nundino *sibi alios semper suffecit*. Et alibi. Vopiscus quoque de Tacito: *Senatus omnia* Nundina *suffectorum Consulum clauserat*.

Ad Judicia venio: nam & hæc *Trinundino* constabant. Apud Plutarchum in Coriolano Sicinius Tribunus Plebis: Σοὶ δὲ, Μάρκιε, προάγομεν εἰς τρίτην ἀγορὰν παρεῖναι. *Tibi, Marci, diem in* Trinundinum *ad populum dicimus*. Dionysius de eodem Marcio, lib. VII. Γράφεται τὸ προβούλευμα μετὰ ταῦτα ὑπὲρ τῆς δίκης, καὶ χρόνος εἰς παρασκευὴν τῆς ἀπολογίας ὁρίζεται τῷ ἀνδρὶ μέχρι τῆς τρίτης ἀγορᾶς. *Post hæc fit Senatus consultum de hac lite, & spatium reo ad defensionem parandam prorogatur in* Trinundinum. Non tamen semper impletum esse *Trinundinum*, lex Licinia ostendit: de qua Macrobius lib. II. Saturnal. cap. XIII. *Post Didiam Licinia lex lata est a P. Licinio Crasso Divite: cujus ferundæ probandæque tantum studium ab optimatibus impensum est, ut consulto Senatus juberetur, ut ea tantummodo promulgata, priusquam* Trinundino *confirmaretur, ita ab omnibus observaretur, quasi jam populi sententia comprobata*. Summa autem legis Liciniæ fuit, *ut Kalendis, Nonis*, Nundinis *Romanis, cuique in dies singulos triginta duntaxat asses edundi caussa consumere liceret*. De hac lege in Genialibus meis.

Judiciis pœnæ adhærent, legibus Decemviralibus constitutæ. Etenim confessi æris ac debiti judicatis triginta dabantur dies, conquirendæ pecuniæ caussa; qui a Decemviris *Justi* appellati, quoddam quasi justitium, jurisque cessatio. Deinde, nisi debitum dissolverent, *Tribus Nundinis* solitos e carcere, ubi dies LX. detinebantur, in comitium ad Prætorem duci: tertiis autem, vel capite, vel exilio puniri. A. Gellium audiamus, lib. XX. cap. I. *Habentur in vinculis dies sexaginta. Inter eos dies* Trinis Nundinis *continuis ad Prætorem in comitium producebantur, quantæque pecuniæ judicati essent, prædicabatur. Tertiis autem* Nundinis *capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregre venum ibant*. Quas pœnas? *Ut si plures forent, quibus reus esset adjudicatus, corpus addicti sibi hominis in partes secarent*. Verba Legis: *Tertiis Nundinis Parteis Secanto, Si Plus Minusve Secuerint, Sine Fraude Esto*. Ne quis tamen immanitatem legis accuset, *Eo consilio*, quemadmodum apud eundem Gellium Sextus Cæcilius Jurisconsultus egregie disserit, *tanta immanitas pœnæ denunciata est, ne ad eam unquam perveniretur*. A Tertulliano hæc quoque illustrantur in Apologetico, cap. IV. *Sed & judicatos in partes secari a creditoribus, leges erant: consensu tamen publico crudelitas postea erasa est, & in pudoris notam capitis pœna conversa est; bonorum adhibita proscriptione, suffundere maluit hominis sanguinem quam effundere*.

Sed hæc supplicia sunt: mollius negotia, quamvis ardua, tractantur. Ardua erant, quæ publica, ideoque non *Trinundino* tantum, sed *Multinundino*, ut sic dicam, indigebant. Sic Cicero libro IV. ad Atticum, Epistola XV. *Negotia multarum Nundinarum* nominat; sæpius nimirum apud populum tractanda.

CAP.

## CAP. XII.

*In* Nundinis *Servio Tullio, post exactos Reges, parentatum. A* Nonis *omnibus* Nundinæ *remotæ*.

QUæ peculiari etiam ritu ac ratione ad *Nundinas* faciunt, opportune jam adjungo: quorum alia progressu temporis immutata, alia superstitioni innexa, senescentis etiam Urbis mores occuparunt. Ut hinc ordiar, Geminus apud Macrobium, lib. I. Saturnal. cap. XVI. ait. Varius is fortassis Geminius, quem sublimem oratorem D. Hieronymus adversus Jovianum appellat, ut alii B notarunt. Ait, inquam, *diem* Nundinarum, *exactis jam Regibus, cœpisse celebrari; quia plerique de plebe, repetita Servii Tullii memoria, parentarent ei in* Nundinis. Sed si recte calculum ponimus, non cœperunt, sed continuatæ sunt. Origo enim, ut diximus, a Romulo, & cum ipsa Urbe. Non proprie etiam *Nundinis* parentabant Servio, sed *Nonis*: *Nundinis* autem, quando in *Nonas* eæ incidebant. Caussam expressius ipse notat Macrobius, lib. I. Saturnal. cap. XIII. *Populus Romanus, exactis etiam Regibus, diem hunc* Nonarum *maxime celebrabat, quem natalem Servii Tullii existimabant: quia cum* C *incertum esset, quo mense Servius Tullius natus fuisset, Nonis tamen natum esse constaret, omnes* Nonas *celebri notitia frequentabant*. Cautum ergo, ut quia pietas erga Servium tolli non posset, a periculo saltem rerum innovandarum esset remota: fieret parentatio, sed ut conventus universæ multitudinis vitaretur. Ita Macrobius; additque, *veritos, qui diebus præerant, nequid* Nundinis *collecta universitas ob Regis desiderium novaret: cavisse, ut* Nonæ *a* Nundinis (vel potius a *Nonis Nundinæ*) *segregarentur*. Id vero postea, cum Regum memoria obsolesceret, neglectum.

## CAP. XIII.

*Cur a Kalendis quoque Januariis* Nundinæ *remotæ*. *Auspicium, diesque Auspicalis*.

SAtis de *Nonis*, quas omnes violari *Nundinis* antiquitas censuit, allata a Macrobio caussa. Nunc breviter de Kalendis, quæ curiosior quæstio est: solis enim Januariis timebatur. Quid igitur? *Nundinæ* Feriæ erat: Kalendæ, sed illæ primæ, nequaquam. Quare ne otiosum Romani eum cogerentur diem habere, qui operi quadam religione destinatus erat, soliti primo anni die aliquid ar- E tis quisque suæ atque opificii, boni ominis caussa delibare. *Nundinæ* autem corrumpi visæ sunt, si aut munere aliquo solito, aut opere detinerentur. Apposite Fastorum Scriptor, lib. I.

*Postea mirabar, cur non sine litibus esset*
*Prima dies. Caussam percipe, Janus ait:*
*Tempora commisi nascentia rebus agendis,*
*Totus ab* Auspicio *ne foret annus iners.*
*Quisque suas artes ob idem delibat agendo,*
*Nec plus quam solitum testificatur opus.*

Seneca Philosophus & hunc in se ritum, non sine F peculiari exemplo recepit, legendi, scribendi, dicendi auspicio, imo, quod mireris, nandi, epistola LXXXIII. *Ille tantus Psychrolutes, qui Kalendis Januariis in euripum saltabam, qui anno novo quemadmodum legere, scribere, dicere aliquid, sic auspicabar in Virginem desilire, primum ad Tiberim transtuli castra*. Ab hoc Auspicio *Dies Auspicalis*, ut est apud Panegyristen: *Illum tamen primum consulatus tui* Auspicalem diem *tacitus præterire nullo modo*

A *possum, quo tu solus omnium consecutus es, ut quod tempus antea incipiendis tantummodo rebus aptum esse videbatur, tunc primum potuerit sufficere peragendis, unoque Sol curriculo & officia te Consulis incboantem viderit, & Imperatoris implentem*. Hic igitur ritus, imo hæc religio ne violaretur exulari a Jani die *Nundinæ* jussæ sunt, & excluso Feriarum, otio, negotii quisque *Auspicium* omenque capiebat, otiosus, ut sic dicam, in negotio, in otio negotiosus.

## CAP. XIV.

*Annus a* Nundinis *incipiens Romanis infaustus. Ciceronis locus ad Atticum hac occasione correctus. Anni* IↃCC. *ab Urbe condita, &* IↃCCI. Nundinæ.

VErba Macrobii lib. I. Saturnal. cap. XIII. hic nobis oportuna sunt, de anni constitutione, in cujus principium *Nundinæ* incidebant. *Cum sæpe eveniret, ut* Nundinæ *modo in Anni principem diem, modo in Nonas inciderent (utrumque autem perniciosum Reipublicæ putabatur) remedium, quo hoc averteretur, excogitatum est*. Item: *Quoties incipiente anno, dies ille cœpit, qui addictus est* Nundinis, *omnis ille Annus infaustis casibus luctuosus fuit; maximeque Lepidiano tumultu opinio ista firmata est*. Annum intelligit Urbis IↃCLXXV. & bellum civile a M. Æmilio Lepido excitatum: qui, scribente Floro, *cum turbidis concionibus velut classico, civitatem terruisset, profectus in Etruriam, arma inde & exercitum Urbi admovit*. Annus autem ille Kalendis Januariis habuit *Nundinas*, ac propterea, si Diis placet, luctuosus. Eadem infamia IↃCCI. quo Clodius a Milone interfectus. *Hunc Annum* Dio scribit, lib. XL. *prima sui parte sine omni Magistratu, & sic infaustum fuisse*. Nundinæ *enim*, inquit, *quæ nono die celebrabantur*, ἐν αὐτῇ τε τῇ τοῦ Ἰανουαρίου νουμηνίᾳ, *ipsis Calendis Januariis actæ sunt*. Ita D & Cicero ad Atticum lib. IV. epistola III. quem locum clarissimus *Vendelinus*, ille etiam inter sidera litterarum satagens, annotaverat: *Ante diem* X. *Kalendas* (Decembres intellige) Nundinæ. *Concio biduo nulla. Ante diem* VIII. *Kalendas hæc ego scribebam hora noctis nona*. Fuit hic annus Urbis conditæ IↃCC. consulesque habuit Calvinum & Messalam. Verum in numeris istis Ciceronianis errorem esse, ex ipso calculo constat. Neque enim X. sed XII. Kalendas Decembris eo anno *Nundinæ*. *Concio biduo*, id est, XI. & X. *nulla*. *Ante diem* VIII. scribe VIIII. e veteri Codice. Sed ad finem usque anni expangendi sunt dies, ut dubitatio omnis tollatur.

ANNO IↃCC.
MENSE NOVEMBRI.

XII. Kal. Decemb. *Nundinæ*: ergo *Comitia nulla* ut e Plinio, aliisque constat, quos supra citavi.
XI. *Concio nulla*.
X. *Concio nulla*.
VIIII. Scribebat Cicero, *hora noctis nona*: nimirum ante lucem.
IV. deinde Kalendas *Nundinæ*.

DECEMBRI

VIII. Eidus *Nundinæ*.
XVII. Kal. Januarias *Nundinæ*.
IX. *Nundinæ*.

ANNO IↃCCI.
MENSE JANUARIO.

*Kal.* Januariis *Nundinæ*: quas Dio expressit.

## CAP. XV.

Nundinæ *per annos aliquot, partim Pompilianos, partim Julianos, extensæ.*

E Serie hac quidem dierum manifestum est, anno Urbis IↃCCI. in Kalendas Januarii, quod Dio notat, & Cicero insinuat, *Nundinas* incidisse, nullo adhibito remedio, ut removerentur. Perturbata vero Republica, Quid mirum, fastorum quoque religionem titubasse? Tanti autem erat, Dionis locum cum illo Ciceronis conferre: tanti, tollere menda, quæ in numeros irrepserant. Sed quoniam hi dies sunt, annos etiam aliquot suis lubet notis consulibusque dispungere, *Nundinasque* computare: quarum aliquæ Kalendas Januarii occupaverunt. Annos, inquam, septem ultimosque Pompilianos, septem item Julianos primos. Pompiliani autem vel CCCLXXVII. constabant diebus, qui intercalarii erant; vel CCCLV. qui communes. Juliani, diebus CCCLXVI. nempe intercalarii, CCCLXV. cum communes. Sed totum hoc discrimen in in libro de Bissexto explicatum invenies. Ad rem igitur.

ANNUS
IↃCCI. dierum CCCLXXVII.
*Cn. Pompejo III. Consule,*
*Sine Collega, ex interregno.*
Iniit *Nundinis*,
Desiitque ipsis *Nundinis*.

IↃCCII. dierum CCCLV.
*Servio Sulpitio Rufo,*
*M. Claudio Marcello Coss.*
Iniit postridie *Nundinas*,
Desiit tertio die post *Nundinas*.

IↃCCIII. dierum CCCLXXVII.
*L. Æmilio Paullo,*
*C. Claudio Marcello Coss.*
Iniit quarto die post *Nundinas*.
Desiit quarto quoque die post *Nund.*

IↃCCIV. dierum CCCLV.
*C. Claudio Marcello,*
*L. Cornelio Lentulo Coss.*
Iniit quincto die post *Nundinas*.
Desiit septimo die post *Nundinas*.

IↃCCV. dierum CCCLXXVII.
*C. Julio Cæsare II.*
*P. Servilio Isaurico Coss.*
Iniit cum *Nundinis*, nisi cautum fuerit.
Desiit cum ipsis *Nundinis*.

IↃCCVI. dierum CCCLV.
*C. Julio Cæsare Dictatore,*
*M. Antonio Magistro Equitum, sine Coss.*
Iniit postrid. *Nundinas*.
Desiit triduo post *Nundinas*.

IↃCCVII. dierum CCCCXLV.
*C. Julio Cæsare III.*
*M. Æmilio Lepido Coss.*
Iniit quarto die post *Nundinas*,
Desiit cum ipsis *Nundinis*.

IↃCCVIII. Julianus I. dier. CCCLXV.
*C. Julio Cæsare Dictatore,*
*M. Æmilio Lepido Mag. Eq. sine Coss.*
Iniit postrid. *Nundinas*.
Desiit quincto die post *Nundinas*

A IↃCCIX. Julianus II. Dier. CCCLXV.
*C. Julio Cæsare Dictatore,*
*M. Æmilio Lepido Mag. Eq. sine Coss.*
Iniit sexto die post *Nundinas*.
Desiit biduo post *Nundinas*.

IↃCCX. Julian. III. dier. CCCLXV.
*C. Vibio Pansa,*
*A. Hirtio Coss.*
Iniit tertio die post *Nundinas*.
Desiit septimo die post *Nundinas*.

IↃCCXI. Jul. IV. dier. CCCLXVI.
B *L. Munatio Planco,*
*M. Æmilio Lepido Coss.*
Iniit ipsis *Nundinis*.
Desiit quincto die post *Nundinas*.

IↃCCXII. Julian. V. dier. CCCLXV.
*L. Antonio,*
*P. Servilio Coss.*
Iniit sexto die post *Nundinas*.
Desiit biduo post *Nundinas*.

IↃCCXIII. Julian. VI. dier. CCCLXV.
*Cn. Domitio,*
C *C. Asinio Coss.*
Iniit tertio die post *Nundinas*.
Desiit septimo die post *Nundinas*.

IↃCCXIV. Julian. VII. dier. CCCLXVI.
*L. Marcio,*
*C. Calvisio Coss.*
Initurus cum *Nundinis*, teste Dione, sed intercalatione impeditus.
Desiit quincto die post *Nundinas*.

Scribit vero Dio, lib. XLVIII. *priore anno diem unum* (ἡμέραν ἐμβόλιμον vocat) *præter morem intercalatum esse, ne Kalendas Januarias insequentes* Nun-
D dinæ *occuparent: id enim ab antiquissimis temporibus observatum esse.* Præterea, *alium vicissim diem postea exemptum, ut ad ordinationem Cæsaris tempus exigeretur.*

Quæ vero ista *præter morem*, sive παρὰ τὰ καθεστηκότα, intercalatio sit, insinuat magis, quam explicat Macrobius, lib. I. Saturnal. cap. XIII. *Dies ille, quo abundare annum diximus, eorum est permissus arbitrio, qui Fastis præerant, uti, cum vellent, intercalaretur: dummodo eum in medio Terminaliorum, vel mensis intercalaris, ita locarent, ut a suspecto die celebritatem averterent* Nundinarum.
E De hoc loco videndus Scaliger, lib. V. de emendatione Temporum, ubi bissextum ab Augusto correctum examinat, *Macrobium* ratus *hallucinatum hic esse, & male mentem scriptorum veterum, e quibus centones suos farcit, assecutum.* Sed alii statuant: ego manum de hac tabula. Alias etiam comperendinari *Nundinas* solitas, ne in caput anni incurrerent, aut alia etiam sacra turbarent, in eodem Dione notes, lib. LX. ubi de Claudii rebus.

## CAP. XVI.

F Nundinarum *distintio, in* Fixas, Vagas, Vitiosas, Hiulcas, Legitimas.

UT alia anni ratio, alia quoque *Nundinarum* fuit. Romulus suum, Numa suum & Cæsar tandem suum constituit. Ille & iste Lunæ habita ratione; hic, Solis: diverso etiam dierum numero, quem *Nundinæ* secutæ sunt. Primum *Fixæ*, deinde *Vagæ*, tum *Vitiosæ*, mox *Hiulcæ*, demum *Legitimæ*.

*Fixæ*, in anno Romuli: de quibus supra actum, cap. VI. Pulchrum autem erat, *Nundinas* compleri anno, aut annum *Nundinis*, nullosque post ultimam, sive XXXVIII. ogdoadem, dies superesse. *Fixæ* igitur, quia per eadem quotannis vestigia redibant, una comprehensæ regula, quæ aberrare calculum non sinebat. Unius enim anni *Nundinæ*, omnium erant: quemadmodum jam explicatum est.

*Vagæ*, in anno Numæ, sub Regibus, ac deinde in Urbe libera. *Vagæ* autem, quia incertæ, ob incertam toto eo tempore intercalandi formam. Laborabant Fasti: quomodo & suo simul errore *Nundinas* non raperent? Non poterant autem tempora Romana, nisi a Julio demum constitui, viro belli artibus magno, pacis maximo: qui cum inconstantiam divinitate quadam ingenii castigaret, certam quoque *Nundinis* legem imposuit; quæ mox nihilominus a Pontificibus turbata est.

*Vitiosæ* igitur, *Hiulcæ*, imo *Legitimæ*, post correctionem. *Vitiosæ* quidem ad annum Julianum XXXVII. a Cæsaris ordinatione aberrantes, quamdiu intercalatio præcipitata est, duobus duntaxat interceptis annis, ubi terni numerandi erant. Dies sic quidem ἐμβόλιμος, sive *Intercalaris*, qui inter Terminalia & Regifugium inserebatur, plenus non erat, e tribus quadrantibus, sive horis XVIII. conflatus. Annis igitur XXXVI. duodecies duntaxat intercalatum est: qui duodecim dies sunt, cum novem tantum exsurgant. Vide, quæ in Bissexto nobis scripta.

*Hiulcæ* subsecutæ, & velut interruptæ, suum sic tamen ordinem habuere: necessariæ autem, ut ad *Legitimas* veniretur. Hæc interruptio XII. annorum fuit, ad Julianum XLIX. Tres igitur dies dempti, & ad verum calculum bissexta rediere. Ita Solinus, Macrobius, alii, quos laudavi. Satis autem hic ponderis, ut elegantiæ, verba Plinii habent, lib. XVIII. cap. XXV. *Ratio Cæsaris postea, errore comperto, correcta est: ita ut XII. annis continuis non intercalaretur, quia cœperat sidera annus morari, qui prius antecedebat.*

*Legitimæ* sic quidem successere, justa intercalandi ratione ab Augusto restituta, anno Juliano XXXVIII. C. Martio Censorino & C. Asinio Gallo Coss. qui fuit Urbis, IϽCCXLV.

*Fixas* quidem indagare, ac recensere facile est, *Vagas*, difficilius. Nulla enim lege aut ordine annus ferebatur, arbitrio Pontificum obnoxius, qui intercalationem suo ingenio & affectu dirigebant. Hinc *Fastos vitio Pontificum per intercalandi licentiam turbatos, & a Cæsare correctos Suetonius* scribit. Vide, quæ de his in Bissexto meo scripsi.

## CAP. XVII.

*Cyclus* Nundinalis Vagus *annis litterisque suis notatus*.

AD litteras nunc igitur *Nundinales* progredior: quæ, ut *Nundinæ*, sub Romulo quidem *Fixæ* erant: *Vagas* annus dedit Pompilii; ille vel minor, dierum CCCLV. vel major, CCCLXXVII. qui mensem adsciscebat intercalarem. In minori, ogdoades XL. & tres supersunt dies. In majori, ogdoades XLVII. & dies unus. Hinc varietas. Major etiam a vitiosa Pontificum intercalatione varius; quæ omnem & *Nundinarum* & litterarum *Nundinalium* ordinem perturbabat.

Annus Urbis conditæ IϽCCI. cujus supra mentio, cap. XIV. hic nobis decumanus est, & velut limes reliquorum; littera notatus *Nundinali* A. *Nundinas* enim in Kalendas Januarias recepit; ut jam e Cicerone & Dione ostensum est. Hic autem annus, quia dierum fuit CCCLXXVII. ogdoades habuit XLVII. & diem unum superfluum: qui proinde ad unam litteram sequentis anni *Nundinas* retraxit ab A ad H.

Annus igitur IϽCCII. litteram *Nundinalem* sortitus est H. Et quia dierum fuit CCCLV. ogdoades numeravit XLIV. dies tres: qua ratione ad tres deinceps litteras reductæ *Nundinæ*, ab H ad E.

Annus IϽCCIII. *Nundinalem* sic quidem habuit E. diebus computatus CCCLXXVII. ogdoades XLVII. diem unum. Ad unam igitur litteram resilierunt *Nundinæ*: ab E ad D. quæ cyclum claudit.

Annus enim IϽCCIV. *Nundinalem* habuit D. & quia minor, ogdoades XLIV. dies tres, qui suo *Nundinas* numero referunt a D ad A. a fine ad principium.

Tota igitur varietas quatuor annis, & sic litteris absolvitur, A. H. E. D. quarum in ogdoade facilis observatio. Primus enim annus, primam occupat litteram A. secundus ultimam H. tertius & quartus duas medias: posteriorem E tertius, priorem D quartus; quasi sic cyclus sua littera desinat:

| 1 | | | 4 | 3 | | | 2 |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | G | H |

Sed ipse nunc cyclus in tabella ostendendus.

LITTERÆ NUNDINALES VAGÆ.

*septem ultimorum Annorum.*

| | | |
|---|---|---|
| ANN. URBIS, | IϽCCI. | A. |
| | IϽCCII. | H. |
| | IϽCCIII. | E. |
| | IϽCCIV. | D. |
| | IϽCCV. | A. |
| | IϽCCVI. | H. |
| *Confusionis*, | IϽCCVII. | E. |
| | | D. |

Frangitur hic ordo, imo hic cyclus anno Urbis IϽCCVIII. & in locum D succedit H. Etenim annus IϽCCVII. litteram exhibens E, Confusionis fuit, dierum CCCCXLV. Ogdoades igitur recepit LV. dies V. Proinde ad quinque litteras *Nundinæ* retractæ sunt, ab E ad H, loco D.

Ab Anno vero IϽCCI. retro ad ipsa Numæ tempora promptus omnino calculus est. Quot enim toto hoc spatio quadriennia, tot cycli sunt, ordinemque suum, licet *Vagi*, obtinent. Nimirum, ut singula a cyclo sæcula incipiunt, ita & desinunt cum cyclo: quemadmodum libro de Bissexto annos docui bissextiles distingui.

Continent igitur centum anni cyclos XXV. quorum primus quarto anno expleto desinit: secundus, octavo: quinctus, vigesimo: vigesimus quinctus, centesimo. Hic vero anni decimi notandi, qua pares, qua impares, τεχνικῶς. Post pares vero, quarti & octavi: post impares, secundi & sexti. Nempe decimi pares cyclum absolvunt; ut & quarti & octavi, qui sequuntur: Decimi vero impares nequaquam; sed secundi & sexti. Prorsus ut anni Bissextiles, ita singuli hic cycli computantur. Videndus liber meus de Bissexto, cap. XV. ubi nova hæc methodus explicata est.

## CAP. XVIII.

*Cyclus* Nundinalis Vitiosus, *triennio definitus. Ejus causæ & constitutio.*

COmmodo sic quidem vagari compendio videor, minus negotii, imo vitii, in cyclo, qui sequitur, *Vitioso* habiturus. Ubi enim *Vagæ* desinunt *Nundinæ*, *Vitiosæ* incipiunt, mutata scilicet serie litterarum. Quid mirum? Anni ratio a Luna ad Solem translata est, & novam omnino faciem Fasti acceperunt. Cæsaris hoc opus fuit, ut magnum, ita dignum Cæsare: qui, scribente Macrobio, lib. v. Saturnal. cap. XIV. *inconstantiam temporum* B *vagam adhuc, & incertam, in ordinem statæ definitionis coegit, adnitente sibi M. Flavio scriba. Is scriptos dies singulos ita ad Dictatorem retulit & ordo eorum inveniri facillime posset, & invento certus status perseveraret.* Quid omnino fecerit, *Nundinæ* indicant, litteris suis in hemerologio descriptis. M. vero hic Flavius e posteritate Cn. Flavii, eodem munere, ut Pisonis usurpem formulam *scriptum facientis*: qui anno Urbis CCCCXLIX. Fastos publicavit.

Sed nos ad cyclum veniamus. Finis *Vagi*, principium *Vitiosi*. Sed mutatio ab anno Confusionis, penultimo cycli, qui littera notatus E, post ogdoades LV. dies V. superfluos trahit. C unde proximus annus IↃCCVIII. sive Julianus primus litteram D. in H commutat. Secundus, quia quinque rursus supersunt dies, litteram recipit C. Tertius, F. At quartus, præoccupata intercalatione factus Bissextilis, A. H. Quo vitio *Vitiosus* ille cyclus subnatus est. Julianus deinde Quinctus *Nundinalem* nactus est C. Sextus F. Septimus, quia Bissextilis, A. H. Octavus denuo C. Nonus F. Decimus, & Bissextilis A. H. Atque hæc tota circumductio est, A. H. C. F. & cyclum *Nundinalem Vitiosum* triennio absolvit, duodecim complexus triennia, ut toties rediret. Nunc ipsis numeris loquar. D

### LITTERÆ NUNDINALES VITIOSÆ

XXXVII. *Annorum*,

*Qui a correctione Juliana numerantur.*

E

| ANNI V. C. | JULIANI. | LITT. NUND. |
|---|---|---|
| IↃCC. VIII. | I. | H. |
| IX. | II. | C. |
| X. | III. | F. |
| XI. | IV. | A H |
| XII. | V. | C. |
| XIII. | VI. | F. |
| XIV. | VII. | A H. |
| XV. | VIII. | C. |
| XVI. | IX. | F. |
| XVII. | X. | A H. |
| XVIII. | XI. | C. |
| XIX. | XII. | F. |
| XX. | XIII. | A H. |
| XXI. | XIV. | C. |
| XXII. | XV. | F. |
| XXIII. | XVI. | A H. |
| XXIV. | XVII. | C. |
| XXV. | XVIII. | F. |
| XXVI. | XIX. | A H. |
| XXVII. | XX. | C. |
| XXVIII. | XXI. | F. |
| XXIX. | XXII. | A H. |
| XXX. | XXIII. | C. |
| XXXI | XXIV. | F. |

A

| ANNI V. C. | JULIANI. | LITT. NUND. |
|---|---|---|
| IↃCC. XXXII. | XXV. | A H. |
| XXXIII. | XXVI. | C. |
| XXXIV. | XXVII. | F. |
| XXXV. | XXVIII. | A. H |
| XXXVI. | XXIX. | C. |
| XXXVII. | XXX. | F. |
| XXXVIII. | XXXI. | A H. |
| XXXIX. | XXXII. | C. |
| XL. | XXXIII. | F. |
| XLI. | XXXIV. | A H. |
| XLII. | XXXV. | C. |
| XLIII. | XXXVI. | F. |
| XLIIII. | XXXVII. | A H. |

B

## CAP. XIX.

Cyclus Nundinalis Hiulcus, *litterarumque ordo ac ratio.*

NUndinæ, & *Litteræ Vitiosæ* sic se habent: sequuntur *Hiulcæ*, sed necessariæ, ut in ordinem redirent tempora, quemadmodum a Julio Cesare erant ordinata. De qua re in libro quoque de Bissexto docui. C Triginta nempe septem annis duodecim intercalationes datæ, quibus novenæ duntaxat debebantur. Ut ternæ igitur tollerentur, duodecim sine intercalatione anni transmissi sunt, & una aliam *Nundinarum* rationem induxere; aliam litterarum, quibus *Nundinæ* annotatæ. Annus enim Julianus trigesimus octavus (hic sequitur) litteram C ordine suo sortitus est: Trigesimus nonus F. Quadragesimus A. Quadragesimus primus D. Secundus G. Tertius B. Quartus E. Quinctus H. Qui Cyclus *Hiulcus* sic quidem potest appellari. Sed ad tabellam ducendus est.

D

### LITTERÆ NUNDINALES HIULCÆ

XII. *Annorum*.

*Ab anno Juliano* XXXVIII. *ad* XLIX.

| ANNI JULIANI. | LITT. NUND. |
|---|---|
| XXXVIII. | C. |
| XXXIX. | F. |
| XL. | A. |
| XLI. | D. |
| XLII. | G. |
| XLIII. | B. |
| XLIV. | E. |
| XLV. | H. |

E

| ANNI JUL. | LITT. NUND, | AN. CHRISTI. |
|---|---|---|
| XLVI. | C. | II. |
| XLVII. | F. | III. |
| XLVIII. | A. | IV. |
| XLIX. | D. | V. |

Totus igitur *Cyclus Hiulcus*, octennio decurrens, F octonas litteras comprehendit: A, D. G, B, E, H, C, F. quæ ordinem suum duabus post singulas elisis constituunt. Pereunt enim post primam B, C. post secundam E, F. post tertiam H, A. post quartam C, D. post quinctam F, G. post sextam A, B. post septimam D, E. post octavam denique, ut ad primam redeas, G, H. Initium tamen Cycli ducitur a C. relictis duabus primis, A, B. & in ultimam ogdoadis H desinit.

## CAP. XX.

Cyclus Nundinalis Legitimus, *annis suis litterisque ordinatus*.

LEgitimæ tandem & *Litteræ*, & *Nundinæ Hiulcas* expulere, anno Juliano quinquagesimo: qui fuit Urbis IↃCCLVI. Christi v. sed censualis. Littera autem *Nundinalis* hujus anni, e ratione Cycli *Hiulci*, G. Quinquagesimi primi, B. Secundi, E. Tertii, HG, qui primus restitutæ intercalationis Bissextilis fuit. Quinquagesimi quarti, B. Quincti, E. Sexti, H. Septimi, C B. qui secundus Bissextilis. Quinquagesimi octavi, E. Noni, H. Sexagesimi, C. Sexagesimi primi, F E. qui tertius Bissextilis, atque ita deinceps, duabus semper intermissis litteris: nisi quod prior Bissexti posteriorem Alphabeti sibi adsciscat. Sed ne gratis hæc dicam, modum investigandi e ratione ogdoadis ultimæ & interruptæ adjungo.

Anni igitur quinquagesimi, unde restituti temporis exordium est, littera, ut dictum est, *Nundinalis* est G, cui in fine Decembris senæ adhærent H, A, B, C, D, E. accedant duæ primæ Januarii A B, ut ogdoas impleatur, & novas *Nundinas* secunda hæc B referet. Post illam ternæ tandem sequuntur C D E: addantur quinque Januarii A B C D E, ultima E novas rursus datura est *Nundinas*. Sic de reliquis. Ratio facilis est, ac manifesta. Sed series universa in ipso cyclo videnda est, quem simul hic jam constituo & explico.

Annus Julianus diebus CCCLXV. horis VI. constitutus est: in ogdoades vero XLV. divisus, dies V. horas VI. superfluas, & quasi laborantes relinquit; quid nisi suo & ipse numero laborans? Cumulandi igitur annua accessione hi dies, & hæ horæ, donec annum ogdoade expleant: plures autem anni annum, sed magnum & plenum conforment. Dies quidem illi quinque octennio uno quinque dant ogdoades plenas; Horæ sex quaternis quibusque annis diem unum ratione Bissextili. Unde si quaterni octies sumantur, qui anni sunt triginta duo, dierum ogdoas ex horis exsurget.

Est igitur cyclus *Nundinalis Legitimus*, hujusmodi spatium, annorum, inquam XXXII. quasi annus, quo tota litterarum *Nundinalium* varietas, e diebus horisque enata, continetur. Laterculus loquatur:

LITTERÆ NUNDINALES LEGITIMÆ XXXII. *Annorum*.

*Ab anno Urbis* IↃCCLVIII. *sive Juliano* L. *qui* Christi *est* V.

G B E H
GBEHBEHCEHCFHCFA
C F A D
CFADFADGADGBDGBE

Singulæ litteræ annos notant singulos: binæ Bissextiles. Harum prior, sed Alphabeti ordine posterior, a Kalendis Januariis ad Terminalia obtinet: altera, a Terminalibus ad finem anni.

## CAP. XXI.

*Hemerologium anni Juliani, litteras* Nundinales *repræsentans. Litteræ Kalendares ad* Nundinas *investigandas necessariæ*.

IN hunc modum litteræ se *Nundinales* habent, postquam *Legitimæ* esse cœperunt. Cyclus autem XXXII. annorum spatio circumductus, ubique initium habet, ubique finem, tamquam A omnem annum & primum putes & ultimum: tempora omnia octo diebus, totidemque litteris comprehendi. Sed ipsum nunc Hemerologium anni Juliani, mensibus suis distinctum, ut hos dies & has litteras discernas, propono: quod e ruderibus antiquitatis a doctissimo Viro *Petro Ciacconio* Toletano productum, sæpiusque publicatum, hoc etiam loco, ad *Nundinas* distinguendas, utiliter legetur.

### HEMEROLOGIUM

VETUS ROMANUM.

B *Litteræ* Nundinales, *in fronte*.

A, B, C, D, E, F, G, H.

K. *Kalendæ*, NON. *Nonæ*, EID. *Eidus*.
F. *Fastus Dies*, N. *Nefastus*.
F. P. *Fastus prima parte*.
N. P *Nefastus prima parte*.
E. N. *Entercisus*, *Fastus media parte*.
C. *Comitialis Dies*.

### JANUARIUS.

C A K. JAN. F
B F
C C
D C
E NON. F
F F
G C
H C
A AGON.
B EN
C CAR. NP
D C
D E EID. NP
F EN. dies vitios. ex. S. C.
G CAR
H C
A C
B C
C C
D C
E C
F C
G C
H C
A C
E B C
C C
D C
E F
F N
G C
XXXI.

### FEBRUARIUS.

H K. FEB. N.
A N
B N
F C N
D NON.
E N
F N
G N
H N
A N
B N
C N
D EID. NP

E N
F LVPER. NP
G EN
H QVIR. NP
A C
B C
C C
D FERAL. F
E C
F TER. NP
G REGIF. N
H C
A N
B EQ. NP
C C
XXIIX

### MARTIUS.

D K. MAR. NP
E F
F C
G C
H C
A NP Hoc die Cæsar Pontif. Max. fact. est.
B NON. F
C F
D C
E C
F C
G C
H EN
A EQ. NP
B EID. NP
C F
D LIB. NP.
E C
F QUINQ. N.
G C
H C
A N
B TUBIL. NP
C Q. REX. C. F.
D C
E C
F NP Hoc die Cæsar Alexand. recepit.
G C
H C
A C
B C
XXXI.

### APRILIS.

C K APR. N
D C
E C
F C Ludi Matr. Mag.
G NON Ludi.
H NP Ludi.
A N Ludi.
B N Ludi.
C N Ludi.
D N Ludi in circ.
E N
F N Ludi Cereri
G EID. NP Ludi.
H N Ludi.
A FORD. NP Ludi.
B N Ludi.
C N Ludi.
D N Ludi.
E CER. N. Ludi in circ.
F N

A G PAR. NP
H N
A VIN. NP
B C
C ROB NP
D F
E C
F NP Ludi Flor.
G C Ludi.
H C Ludi.
XXX.

### MAJUS.

B
A K. MAII. N
B F Comp.
C C
D C
E C
F C
G NON. N
H F
A LEM. N
B C
C LEM. N
C D NP Ludi Matr. in circ.
E LEM. N
F C
G EID. NP
H F
A C
B C
C C
D C
E AGON. NP
F N
G TUB. NP
H Q. REX. C. F
D A C
B C
C C
D C
E C
F C
G C
XXXI.

### JUNIUS.

H K. JUN. N
E A F Mart. Car. Monet.
B C
C C
D NON
E N
F N
G N Menti in Capit.
H VEST. NF.
A N
B MATR. N
C N
F D EID. N
E N
F Q. ST. D. F
G C
H C
A C
B C
C C
D C
E C
F C
G C

H C
A C
B C
C C
D F
E C
XXX.

## JULIUS.

F K. JUL. N
G N
H N
A NP
B POPLIF. NP
C N Ludi Apollin.
D NON. N. Ludi.
E N Ludi.
F N Ludi.
G C Ludi.
H C Ludi.
A NP Ludi.
B C Ludi in. cir.
C C Merk.
D EID. NP Merk
E F Merk.
F C Merk. NP
G C Merk.
H LUCAR. NP. Merk.
A C Ludi vict. Cæsar
B LUCAR. Ludi.
C C Ludi.
D NEPT. Ludi.
E N Ludi.
F FURR. NP. Ludi.
G C Ludi.
H C in circ.
A C in circ.
B C in circ.
C C in circ.
D C
XXXI.

## AUGUSTUS.

E K. AVG. N
F C Fer. Hoc die C. Cæsar. Hisp. vicit.
G C
H C
A NON. F
B F
C C
D C
E NP. Hoc die Cæsar Hispalin vicit.
F C
G C
H C
A EID. NP
B F
C C
D C
E PORT. NP
F C
G VIN. F. P
H C
A CONS. NP
B EN
C VOLC. NP
D C
E OPIC. NP
F C
G VOLT. NP
H NP. Hoc die Ara Victoriæ in curia dedic. est.
A | A F
B F
C C
XXXI.

## SEPTEMBER.

D K. SEPT. N
E N Hoc die fer. Nept.
F NP
G C Ludi Romani.
H NON. F. Ludi.
A F Ludi.
B | B C Ludi.
C C Ludi.
D C Ludi.
E C Ludi.
F C Ludi.
G N Ludi.
H EID. NP
A F Equor. prob.
B N Ludi Rom. in circ.
C C in circ.
D C in circ.
E C in circ.
C | F C in circ.
G C Merk.
H C Merk.
A C Merk.
B NP Merk. Hoc die Augusti natalis. Ludi in circ.
C C
D C
E C
F C
G C
H F
A C
XXX.
D |

## OCTOBER.

B K OCT. N
C F
D C
E C
F C
G C
H NON. F
A F
B C
E | C C
D MEDITR.
E AUGUST. NP
F FONT. NP
G EN.
H EID. NP
A F
B C
C C
D ARM. NP
E C
F C
F | G C
H C
A C
B C
C C Ludi vict.
D C Ludi.
E C Ludi.
F C Ludi.
G C Ludi.
H C Ludi.
XXXI.

NOVEMBER.

A K. NOV. N
B F
C F
D
E NON. F
F F Ludi.
G C
H C Ludi.
A C Ludi.
B C Ludi.
C C
D C Ludi.
E EID. NP. Epul. indict.
F F Equor. prob.
G C Ludi pleb. in circ.
H C In circ.
A C In circ.
B C Merk.
C C Merk.
D C Merk.
E C
F C
G C
H C
A C
B C
C C
D C
E C
F C
XXX.

DECEMBER.

G K. DEC. N
H
A
B
C NON. F
D
E C
F C
G C
H C
A AGON. NP
B EN.
C EID. NP
D F
E CONS. NP
F C
G SAT. Feriæ Saturn.
H C
A OPAL. NP
B C
C DIV. NP
D C
E LAR. NP
F C
G C
H C
A C
B C
C F
D F
E C
XXXI.

Ordine sic quidem per XII. menses litteræ & dies digesti sunt. Illæ velut *Nundinarum*, de quibus hic agimus, lineæ ac notæ: hi Nonis suis, Eidibus, Kalendis distincti; partim Comitiales, partim Fasti aut Nefasti, partim Festi, & qui a Ludis nominantur. Ad *Nundinas* vero maxime facit, singulorum mensium litteras scire Kalendares: quæ reliquarum velut directrices sunt, & ab ogdoade recurrunt. Ut enim prima, sic nona est, sic decima septima, sic vigesima quincta: qua ratione singuli menses, in quatuor partes divisi sunt, & quatuor, ut sic dicam, initia litterarum habent, a quibus reliquæ computentur.

## CAP. XXII.

*Litterarum* Nundinalium *chironomia*. *Annorum computandis* Nundinis *Singulorum ratio*, *Decimorum*, *Centesimorum*.

Manu complecti lubet, & ad usum promere, quicquid cyclo continetur. Manu? imo duobus omnino digitis, quicquid *Nundinarum* est, & legitima serie decurrit. Pollicem, indicemque occupo, qua verticibus suis eminent, & articulorum incisuris distinguuntur. Octo litteræ, octo loca. A in summo indice, H in pollice, E inter utrumque digitum, reliquæ ordine, quemadmodum imago hæc formata est.




Anni igitur vel Singuli, vel Decimi, vel Centesimi numerandi sunt.

Singuli initium suum a medio pollice, sive G capiunt, & hoc cycli emendati caput est, annum, ut assignavi, Urbis IↃCLVIII. referens, Julianum V. *Christi* L. Series deinde adversus litterarum ordinem nititur, descensu per pollicem, ascensu per indicem, quatuorque intermissis litteris, quod dimidium est ogdoadis, quinctam, tanquam secundam numerat. Quinctam vero, quia totidem post quadraginta quinque ogdoades, litteræ in fine anni reliquæ sunt, ordinemque perturbant. Annus hac ratione Julianus quinquagesimus, qui cycli primus, literam *Nundinalem* habet G. Quinquagesimus primus B. quatuor intermissis F, E, D, C. Quinquagesimus secundus E, quatuor pariter intermissis A, H, G, F. Quinquagesimus tertius, quia Bissextilis, H, G. intermissis D, C, B, A. Quinquagesimus quartus, B, intermissis F, E, D, C. Quinquagesimus quinctus, E, intermissis A, H, G, F. Quinquagesimus sextus H, intermissis D, C, B, A. Quinquagesimus septimus, quia Bissextilis, C, B, intermissis G, F, E, D. Quinquagesimus octavus, E, intermissis, A, H, G, F. & sic de reliquis.

De-

Decimi suum compendio ordinem sortiuntur: qui si impares, Communes sunt, & singulas assumunt litteras; si pares, Bissextiles & geminas. Impares sunt X. XXX. L. LX. XC. quemadmodum in libro de Bissexto docui. Pares XX. XL. LX. LXXX. C. Incidit igitur decimus in verticem Pollicis H. Vigesimus, tribus G, F, E cancrino gressu præteritis, in D C. Trigesimus, in eandem hanc posteriorem C. Quadragesimus in C B. ita ut eadem littera trium horum annorum nota sit, semel sequens sociam, semel sola, semel præcedens. Quinquagesimus deinde, tribus denuo præteritis, in F. Sexagesimus, eodem transultu, in B A. Septuagesimus in E. Octogesimus in A H. Nonagesimus in D. Centesimus in H G. Centesimus decimus, in C. Vigesimus in G. F. Trigesimus in B. Quadragesimus in A. Sexagesimus in ED. Quæ tota varietas est: octo enim anni communes, octo Bissextiles numerantur. Digiti hic faciles sunt: in Laterculo tamen decumanas has litteras simul repræsento.

DECIMORUM ANNORUM NUNDINALES.

| | | | |
|---|---|---|---|
| ANNUS X. | H. | ANNUS XC. | D. |
| XX. | DC. | C. | HG. |
| XXX. | C. | CX. | C. |
| XL. | CB. | CXX. | GF. |
| L. | F. | CXXX. | B. |
| LX. | BA. | CXL. | FE. |
| LXX. | E. | CL. | A. |
| LXXX. | AH. | CLX. | ED. |

Hinc ad principium regressus est.

Centesimi denique Bissextiles sunt, ac binis litteris insigniuntur. Primus, verticem pollicis mediumque articulum obtinet H G. Ducentesimus ternis excuneatis, C B. quæ in reliquis ἐξαίρεσις observanda est. Trecentesimus, F E. Quadringentesimus, AH Quingentesimus, DC. Sexcentesimus, G F. Septingentesimus, B A. Octingentesimus, ED. Atque hinc primæ litterarum sedes recurrunt. Oculis nunc tabella satisfaciat.

CENTESIMORUM ANNORUM NUNDINAL.

| | | | |
|---|---|---|---|
| ANNUS C | HC. | IↃ. | DC. |
| CC. | CB. | IↃC | CF. |
| CCC. | FE. | IↃCC. | BA. |
| CCCC. | AH. | IↃCCC | ED. |

## CAP. XXIII.

*Litteræ* Kalendares *singulorum mensium. His datis, quomodo reliquæ investigandæ, sive numeris, sive digitis.*

AD *Nundinas* igitur etiam manus facit, qua nullam quidem promptiorem tabulam habeas, sive domi, sive foris verseris; nullam fideliorem, quia nulli errori obnoxiam. Reliquum nunc ut quomodo in digitis quoque littera diei cujusque inveniatur, commonstrem, a qua facilis deinde ad *Nundinas* via sternatur.




Ante omnia vero, Kalendares in promptu habendæ. Kalendares sunt, quæ Kalendis ipsis notatæ, menses singulos ducunt: A Januarium, H Februarium, D Martium, C Aprilem, A Majum H Junium, F Julium, E Augustum, D Septembrem, B Octobrem, A Novembrem, G Decembrem: ut manus indicat. Quatuor enim digiti tribus singuli articulorum internodiis litteras recipiunt: quemadmodum, & menses collocantur. In indice Januarius, Majus, September: in medio, Februarius, Junius, October: in medio, Martius, Julius, November: in minimo, Aprilis, Augustus, December. Si & Distichon technicon cupis, cape:

*Annus Habet Divos Cumulatos Axis Honore,*
*Fastos et Divos Barbarus Arte Gerit.*

Dato igitur diei cujuscumque numero, ogdoades ab eo omnes auferendæ sunt: residuum deinde, vel ogdoadem totam, si nullum erit residuum, a littera Kalendari, sive capite mensis computa; & in litteram diei quæsitam incides.

Exemplum statuo, & quæro, quam litteram dies vigesimus primus Martii referat. Ab hoc numero duas ogdoades (tot enim continentur) subtrahe; supererunt quinque. Quinque igitur primæ mensis litteræ numerentur, D, E, F, G, H. Quincta erit, quæ vigesima prima, H.

Item, quam litteram dies obtinet Julii decimus octavus? Ab octodecim duas deme ogdoades, duæ supererunt litteræ. Secunda igitur mensis littera eadem, quæ vigesima, G. Sed manus loquatur, indice polliceque litterarum ogdoadem gerens, & in orbem gyrans.

Suam hic sedem singulorum mensium Kalendares obtinent. A, quæ Januarii est, Maii, & Novembris, verticem indicis. H, quæ Februarii & Junii, verticem pollicis. D, quæ Martii & Septembris, radicem indicis. C, sive Aprilis, proximam a radice incisuram. F, quæ Julii, radicem pollicis. E, quæ Augusti, incisuram inter indicem & pollicem. B, quæ Octobris, incisuram sub vertice indicis. G, quæ Decembris, medium pollicem. Jam vero ubi Kalendares, sive primæ; etiam Nonæ sedent, decimæ septimæ, vigesimæ quinctæ: tanquam quatuor in mense menses sint, quatuorque ogdoades, quæ singulæ sua ab eodem loco initia capiunt. Hoc compendio tam facile breviterque duodecim, viginti, imo viginti octo, quam quatuor computantur. Litteræ eædem sunt, numeri diversi, sed tanquam eædem. A datis exemplis non recedo.

Dies quæritur XXI Martii, & hujus littera prima, sive Kalendaris est D. Sic & vigesima quincta. Hinc ad vigesimam octavam procede, invenies G.

Item dies quæritur XXVII. Julii, & hujus littera. prima, sive Kalendaris est F. Sic & vigesima quincta. Hinc ad XXVII. procede, & invenies H. Eadem & ratio & calculus in litteris, quæ vel primam, vel nonam, vel decimam septimam sequuntur.

Quid aliis exemplis opus? Omnis in Kalendaribus cardo vertitur: quæ si promptæ erunt, erunt omnes, & ipsæ *Nundinæ*.

## CAP. XXIV.

*Qua ratione tota in Kalendario Juliano varietas litterarum* Nundinalium, *& in Christiano tota Solarium tollatur.*

HI numeri dierum, hi digitorum articuli sunt, & quasi numeri; facilemque litterarum investigationem subministrant, *Nundinarum*, postquam *Legitimæ* esse cœperunt, modumque certum, & formam, ipsa etiam varietate constantem, adeptæ sunt. Cyclo igitur utor, nec utor: qui XXXII. annorum velut annus est, Litteras omnes quodam quasi orbe in sedem suam reducens. Sed quando, bone Deus! & compendio temporis, & beneficio populi *Fixæ* sub *Romulo Nundinæ* erant! Id requiro, ut & *Legitimæ* Cæsaris eodem compendio, eodem beneficio computentur: unus annus, ut omnes anni; omnes, ut unus. An dicam? Possint quinque illi dies, cum sex horis suis, qui in fine anni post ogdoadas XLV, reliqui, tanquam ἡμέραι ἐπαγόμεναι, & extra annum numerari. Qua ratione sine syrmate ogdoades sint, & pleno Laterculo annum absolvant. Februarius quidem, quia ultimus olim mensium, sic numeratus est, & VII. Kal. Martias, sive ipsis Terminalibus finem anno, sed illi civili imposuit, CCCLX. diebus impleto. Sed cum jam December Februarii loco sit, & annum claudat, suo quodam jure reliquias anni sibi deposcit: illas, inquam, ἐπαγομένας, sic quidem extra *Nundinas*, temporisque legem, otio, lusu, vitulatione perituras. Sed intercalatio loco quoque movenda sit, ut a sexto Kalendas Martii, in sextum Kalendas Januarii transferatur. Ita enim nec senæ illæ horæ, quoties in diem excrescent, ullum *Nundinis* negotium facessent. Primas *Nundinas* ab VIII. Eid. Januarii ordiri velim: ita enim litteram recipient F. & omnes omnino Nonas effugient.

Sed quid de litteris Julianis solicitus sum, quæ antiquitate sua continentur? Nostras & Christianas considero, totis XXVIII annis per ambages suas circumlatas, quæ e decies mille ducentis viginti septem diebus hebdomades faciunt ∞. CCCCLXI. Hæc etiam (fas sit dicere) digna Gregorio Pontifice cura erat, Fastos corrigente, in unam primamque Januarii litteram diem Solis clavo trabali figere, omnesque annos, excluso Solis cyclo, a Sole ordiri. Fieri potest, & facili modo; quem obiter hic insinuo, & velut adumbro. Noster scilicet annus dierum numero Julianus est; hebdomadum Christianus. Dies computantur CCCLXV. horæ VI. Si hebdomades componis, LII. sunt, sed annum non explent. Reliquus unus est dies, & horæ illæ sex, quæ quarto quoque anno diem conficiunt; illum, inquam, Intercalarem. Hoc igitur excessu ordo dierum infringitur, sedemque novam dies Solis quotannis sumit, aliam aliamque occupans litteram, donec XXVIII. annorum impleatur spatium, quo senæ illæ horæ in hebdomadem excrescunt. Quid remedii? Hoc est, ut, quod de Bissexto Celsus Jurisconsultus pronunciat, lege XCVIII. de Verb. signif. *Id biduum pro uno die habeatur*; & in Februario, anno Bissextili, & in Decembri, idque quotannis. Isthic dies duo, XXIV & XXV. hic XXX. & XXXI. in unum coalescent. Isthic etiam littera F biduum faciet; hic G. Correctioni vero huic sumendus annus, qui littera Solari A notatur; cujusmodi hic jam præsens ∞. IƆCXLV. Quia enim primus dies Solis fuit, erit & ultimus: qua ratione novus annus Lunæ recipiet. Si igitur penultimus Decembris, qui Saturni erit, in biduum extendatur, ad novi anni principium dies Solis pleno temporis circulo redibit. Octodecim sic etiam, non novendecim hoc mense Kalendarum erunt dies: bis autem *Pridie* in fine scribetur. Minor in anno Bissextili difficultas: quia enim Bissextus jam obtinet; XXVIII. diebus mensis, ut communiter solet, definietur.

## CAP. XXV.

Nundinæ *Hebdomadicæ. Hebdomas quando, & quomodo cœperit. Septem dierum ordo ac ratio.*

NUndinæ quidem sic se habent, non unam fortitæ formam, ut *Legitimæ* tandem fierent. Sed nec hæ diuturnæ, quamvis *Legitimæ*, cum paullatim in alios aliosque ritus res Romana declinaret. Nimirum, nova placent, & sæpe deteriora. ut vero tempore senescunt omnia; ita & ipsa tempora, novamque suis intervallis rerum faciem inducunt. Pulsa e foro Romano tandem ogdoade, heptas locum obtinuit, & ab octavo ad septimum diem contractus est circulus, qui non jam *Nundinas*, sed *Octundinas*, ut sic appellem, daret. In Kalendarium quoque Romanum septem dies, septem notati litteris, recepti sunt, quemadmodum & nos hodie usurpamus. Et hebdomas quidem, planetarum ferens nomina, originem a cœlo trahit. Dum vero ipsum Hebræi respiciunt, qui sex diebus mundi machinam in principio condidit, septimo quievit. Hoc Sabbatum est, Dei dies, & senarium operi destinatum includit, gentibus Saturni appellatione. Ejus loco, proximum, sive Solis, sed veri Solis, Christiani colimus, & *Dominicum* appellamus. Si recte calculum ponis, pietatis hæ quædam nobis velut *Nundinæ* sunt, veræque Feriæ, & principem Feriarum locum obtinent. Romanis igitur vel spreta, vel ignorata dierum hebdomas, sero tandem, & ab Ægyptiis accepta placuit; cum pulchrum jam esset, alienos ritus in Urbem inferre. Scribit Dio Cassius, libro XXXVII. suo eam tempore in usu fuisse, & tanquam vernaculam, ubique terrarum usurpatam. Vixit autem Dio Alexandri Severi Imperatoris tempore, post annum Christianæ Epochæ CCXXII. imperio jam inclinante. Ut serius & accuratus in historia Romana fuit, ita septem dierum ordinem a septem deorum stellis sumptum, ratione partim musica, partim horaria explicavit. Occasio a Judæis, qui cum Sabbati, sive Saturni, die non pugnarent, a Cn. Pompejo, sacram Urbem obsidente, expugnati.

Rationem musicam vult διὰ τεσσάρων esse, & κατάβασι constituti, duobus continuo Planetis intermissis. Hoc ordine a Saturno, qui supremus est, ad Solem, qui medius, venies: a Sole ad Lunam, infimo positam loco: a Luna, reducto gradu, ad Martem: a Marte ad Mercurium, & sic ad Jovem, ad Venerem, ac denuo ad Saturnum. Quæ dico, ostendo.

| | |
|---|---|
| I. | *Saturnus.* |
| VI. | *Jupiter.* |
| IV. | *Mars.* |
| II. | *Sol.* |
| VII. | *Venus.* |
| V. | *Mercurius.* |
| III. | *Luna.* |

Sed Chriſtiani a meditullio ſeptem ſiderum ordiri maluerunt, ut principem hebdomadis diem a Sole numerarent: hinc reliquos, Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris, Saturni. Notanda ſeries: viciſſim enim dies, ſed alterni, proximis quibuſque eliſis, planetarum ordinem a Luna ad Saturnum gemina hebdomade conſtituunt.

Dies {
*Solis.* hinc ad principium reditur.
SATVRNI.
*Veneris.*
JOVIS.
*Mercurii.*
MARTIS.
*Lunæ.*
SOLIS.
*Saturni.*
VENERIS.
*Jovis.*
MERCVRII.
*Martis.*
LVNÆ. hinc principium eſt.
}


Hæc igitur muſica *διὰ τεσσάρων*, quam Dio nobis exhibet: ſi & *διὰ πέντε* placet, *ἀνάβασι* conſtituetur. Nimirum planetæ, tribus poſt ſingulos præteritis, dierum ordinem continuo aſſcenſu aſſignabunt, quem hic vides:

| | |
|---|---|
| VI. | *Saturnus.* |
| IV. | *Jupiter.* |
| II. | *Mars.* |
| VII. | *Sol.* |
| V. | *Venus.* |
| III. | *Mercurius.* |
| I. | *Luna.* |

Sed curioſum fortaſſis ſit, utramque harmoniam, *διὰ τεσσάρων καὶ διὰ πέντε* miſcere: illam, ut dixi *καταβάσει*, hanc *ἀναβάσει*. Fiet vero, ſi circumductione quadam ſeptem ſidera, nunc duobus, cum deſcenditur; nunc tribus, cum aſſcenditur, neglectis, percurrantur. Atque hic mihi, ut ſic dicam, Labyrinthus quidam erit non Ægyptius quidem, non Creticus, non Lemnius, non denique Italicus; ſed Cœleſtis. Erit hic, inquam,

LABYRINTHVS DIERVM, PLANETIS CONSTITVTVS.

Κατάβασις.




Ανάβασις.

R. Tom. VIII.

A Rationem nunc horariam, & tanquam potiorem proſequor. Ægyptii quidem, ut ſeptem ſtellas in totidem dies erogarent, ſtellis horas, ſed illas *καιρικὰς*, ſive *inæquales* tribuere. Hinc nomina, & a prima diei cujuſque naturalis hora dies ipſe appellatus eſt. Dionem verbis meis, ſed contractis, exprimam, lib. XXXVII. *Diei noctiſque ſpatio in horas bis duodenas diviſo, primam Saturno tribue, ſecundam Jovi, tertiam Marti, quartam Soli, quinctam Veneri, ſextam Mercurio, ſeptimam Lunæ, octavam rurſus Saturno, nonam Jovi, decimam Marti, ex ordine ab Ægyptiis conſtituto. Qua ſane ratione, ubi per* XXIV. *horas tranſieris, prima* B *ſubſequentis diei cadet in Solem, nomenque diei ſtabit: prima tertii in Lunam, quarti in Martem, quincti in Mercurium, ac ſic deinceps nomina ſua hebdomas capiet.* In hebdomade igitur dies ſunt VII. hora vero CLXVIII. partim diurnæ, partim nocturnæ, æquali numero, non æquali ſpatio: tam enim abſente Sole, quam præſente computantur.

Dies vero iſtos prorſus poſtea invaluiſſe, Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius indicant, lege VII. Cod. de Feriis, ubi dies Solis nominantur: *In eadem obſervatione numeramus & dies Solis, quos Dominicos rite dixere majores, qui repetito in ſeſe calculo revolvuntur. Majores*, id eſt, *Chriſtiani*, cum C adhuc ogdoas Romæ obtineret. Nam poſtquam hebdomas introducta, admiſſis de cœlo nominibus, etiam *Dominicum* ſuum cœperunt Chriſtiani *Solis* appellare. Qui enim a communi ſe & Latino loquendi modo ſegregarent? Pulchrum ſane fuit, tempore cœlum exprimere, diebus ſidera, quæ ſuis in cœlo feruntur motibus, & tempora diſtinguunt. Laudo hic vero maxime & pulcherrimum pronuncio, manu ipſa digitiſque exprimi hos ſeptem dies, & diſtingui. Facit Apollonius Tyaneus, ut eſt apud Philoſtratum, lib. III. c. XIII. & peculiare hoc ſibi e ritu Indorum Brachmanum habuit; adeoque ſeptem annulos *τῶν ἑπτὰ ἐπωνύμους* D *ἀστέρων ſeptem ſtellarum cognomines*, ab Iarcha Rege acceptos, geſtare ſolitus eſt, *πρὸς τὰ ὀνόματα τῶν ἡμερῶν*, *ſecundum Dierum nomina* digitis Planetas quotidiæ ſingulos repræſentans.


## CAP. XXVI.

Nundinæ *diebus Solis, e veteri Inſcriptione. Annus perpes. Fragmentum tabulæ* Nundinalis. E Nundinæ *Solares & Lunares.*

AD *Nundinas* hebdomadicas vetus Inſcriptio facit, a Conſtantino conſtitutas, curante Valerio Catulino Præfecto Prætorii Per Provinciam Pannoniæ Superiorem. Ita enim litteræ explicande P.P. P.P. P. SVPER.

IMP. CAES. FL. CONST. AQVAS. IASAS, OLIM
F VI. IGNIS. CONS. CVM. PORTICIBVS. ET. OMN
ORNAMENTIS. AD. PRISTIN. FACIEM. RESTITVIT
PROVISIONE ETIAM. PIETATIS. SVÆ. NVNDINAS
D. SOLIS. PERPETI. ANNO CONSTITVIT
CVRANTE. VALERIO. CATVLINO. P.P.P. P.P. SVPER

Diebus igitur Solis, hebdomade jam introducta, hæ fiebant *Nundinæ*, & toto anno. *Perpes* enim *totum* sive *perpetuum* significat: quemadmodum dicimus, *noctem perpetem dormire*. Alii quoque dies in fragmento tabulæ *Nundinalis* expressi: *Mercurii*, *Jovis*, *Veneris*, cæteris recisis. *Nundinæ* quoque *Lunares*. Tempus item æstatis, nec non hiemis superest. Urbes præterea, sive municipia; in quibus *Nundinæ* tum solitæ celebrari. In meditullio schematismi pars, circulis suis & cyclomatis quendam quasi Labyrinthum insinuans, numeris Lunaribus inscriptum. Nunc ipsum lapidis frustum, sed minori imagine, & quam forma libri capiebat, profero. Plenam vero explicationem assequi difficile sit; præsertim cum numeri, circulis inclusi, suspecti sint, qui Lunæ videntur rationem continere.




Plus hic desideres, quam expressum est: ac liceret fortassis, si ingenio locus, per hæc lineamenta, ad totius quodammodo corporis conformationem pervenire, non qualis fuerit, sed potuerit esse.

Sed examinemus quæ sub oculos cadunt. Tria hic consideranda sunt: *Scriptura*, *Circuli*, *Numeri*. In scriptura primum dierum nomina sunt, sed imperfecta, VR. IOVIS. VENER. id est, *Mercurii*, *Jovis*, *Veneris*. Præcesserint igitur, suadente tabulæ magnitudine, *Saturni*, *Solis*, *Lunæ*, *Martis*, pleno hebdomadis numero & ordine convenienti: quemadmodum summum Saturnus locum occupat. Sequitur distinctio:

AESTAS. EX. XI. K. MAI
IN. X. K. AVGVST
DIES. LXXXIIII.

Sole nimirum ingrediente δωδεκατημόριον Tauri, ad finem usque Cancri, & principium Leonis: quod tempus Solinus refert suo ævo in x.& xII.(an.xI?) Kal. Augusti. Quare si tempore Solini, ut temporum vindex *Vendelinus* observavit, Sol ingrediebatur leonem A. D. X. Kal. Augusti; necesse est, hanc tabulam confectam esse, cum Sol uno die serius subiret idem signum: hoc est, CXXXII. minimum annis ante Solinum. Quod notatu dignum. Quin etiam, menses hosce cœlestes, & κατ Τυρίες esse, cum Sole in singula δωδεκατημόρια ineuntes: ideoque eorum alios XXIX.diebus, alios XXXI.aut XXXII. absolvi: quales a C. V. *Dionysio Petavio*, S. J. Polyhistore, doctrinam Temporum prolixe admodum examinante, recensentur, lib. primo. c. XXIX.

In inferiori parte Tabulæ:

HIEMPS. EX. X. K. NOV.
IN XIIII. K. FEBRVAR.
DIES ———

Vero calculo, LXXXIX. Ver igitur, & Autumnus in dextero desunt latere: sed in hunc modum suppleantur:

VER. EX. XIII. K. FEBR.
IN. XII. K. MAI
DIES. LXXXXI.

AVTVMNVS. EX. IX. K. AVG.
IN. XI. K. NOVEMB
DIES, LXXXXI.

Sequuntur in Tabula nomina Urbium, sive Municipiorum, sub titulo *Lunarium Nundinarum*.

L V N A R
N V N D I N Æ
O AQVINI
O IN VICO
O INTERAM
O MINTVRN
O ROMAE
O CAPVAE
O CASINI
O FABRAT

Lunares hasce *Nundinas* non titulus tantum, sed & imago πανσελήνε indicat, locis omnibus præfixa. Commodæ nimirum *Nundinatoribus* noctes Luna sublustres, & opportunæ erant: quod sidus, ut Plinius ait, *in tenebrarum remedium a natura repertum*. Itinera hac face faciliora, & noctes victa caligine instar dierum sunt, partemque in se negotiorum admittunt. A cœlo subsidium, absente Sole, sumptum; licuitque peregrinantibus extra æstum, neque tamen extra lumen esse; non tam caliginem, quam umbram habere. Eo igitur tempore *Nundinæ* in Latio, quo minimum tenebrarum. Sic Olympia olim in Elide, quæ πανήγυειν, sive *mercatum* simul habebant: sic Judæorum Pascha, nec non Scenopegia, sive Festum Tabernaculorum.

Ut hæ vero *Lunares*, ita & *Nundinæ* haud dubie fuerint *Solares*, quas injuria temporis in hac nobis tabula abscondidit. Sed sive Lunares, sive Solares, aliæ quoque urbes, ut vere Urbes essent, *Nundinariæ* fuere, & Romanas illas imitatæ sunt, sive beneficio, sive exemplo. Tertullianum audiamus, Apologetico, de Christianis: *Non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis*, Nundinis *vestris, cæterisque commerciis cohabitamus*. Videntur etiam alii alibi populi *Nundinas*, ut aliquid boni moris ac legis haberent, usurpasse. Unde tanquam barbaros, Siluras, in mari Britanico insulæ, populos Solinus notat, c. XXV. *Etiam nunc custodiunt morem vetustum*. Nundinas *ac nummum refutant, dant res & accipiunt, mutationibus necessaria potius quam pretiis parant*. Quasi dicat, Nihil Romani penes hos homines inveniri, neque *Nundinas*, quas civilis communio, neq; nummos, quos politior Reipublicæ ratio introduxit. Nihil autem hic caussæ est, cur *Nundinas*, quod Viro docto placebat, expungamus; quasi, quia dantur res & accipiuntur, esse eæ non possint. Non enim tempore, sed necessitate permutatio ista constabat; non ex conventu, sed, ut proprie dicam, pacto.

Ad Loca quod attinet, ut septem dies sunt, ita septem hic, Roma excepta, quæ montibus suis sep[illegible]aria est, notantur Municipia, obiter explicanda.

*Aquinum*, oppidum Latii, & colonia Romana. Cicero *frequens municipium* vocat, Silius *ingens*, Strabo *μεγάλην πόλιν*. Populi, *Aquinates*.

*Vicus*, Varronis, nisi fallor, villa fuit, prope Casinum; oppidum postea, & *Nundinis*, ut hic videmus, insigne. Cæterum non in oppidis tantum, sed & in vicis passim *Nundinæ*. Ita Apulejus, lib. III. Metamorphoseon, *Vicum frequentem*, *&* Nundinis *celebrem* nominat.

B *Interamna*, & *Interamnium*, quasi inter amnes, ubi Liris & Melfes confluunt, in confinio Aquini.

*Minturnæ*, ad ostium ejusdem Liris, Plinio, lib. III. cap. V. *Colonia Liri amne divisa*. Unde *Minturnensis palus*, quæ proxima, inter urbem & mare.

*Capua* cum Roma olim comparata. Florus lib. I. cap. XVI. *Caput quondam inter tres maximas, Romam, Carthaginemque numerata*. Hujus etiam Cicero meminit, pro Lege Agraria: *Ille Capuam,* Nundinas *rusticorum, borreum Campani agri esse voluerat*.

C *Casinum*, Latii quoque oppidum, & colonia, *Forum Vetus* appellatum. Populi, *Casinates*.

*Fabrateria*, colonia non procul Minturnis & Aquino. Oppidani, *Fabraterni* apud Livium & Priscianum.

Extra Latium, imo extra Italiam oppida quoque *Nundinaria* fuisse Plinius indicat, lib. XII. cap. XVII. *His commerciis Carras oppidum aperuere, quod est illis* Nundinarium.

## CAP. XXVII.

*Aliæ* Nundinæ, *alii Mercatus; illæ, minores Mercatus sunt; hi, majores* Nundinæ. *Ævi nostri* Nundinas *Solares esse*: *Mercatus, partim Solares, partim Lunares*.

D NUndinæ igitur partim Solares erant, partim Lunares; & a diebus ad menses, imo ad annos translatæ, nomen tamen suum retinuerunt, quasi *Nono* redirent *die*. *Nundinæ* omnes Mercatus sunt: non omnes mercatus *Nundinæ*. Hæ, ut dictum est, quasi *Novendinæ*, & a *Nono die*: illi a *Mercando*; quo vocabulo & emptio & venditio continentur. Ad rem istam titulus facit Codicis, *de Nundinis, sive Mercatibus*. Ita enim legendum

E esse, non *Mercationibus*, ab aliis, & ex ipsa Lege notatum. Verba sunt: *Exercendorum Mercatuum aut Nundinarum.* Item: *In Mercatibus atque Nundinis*. Possis alios minores Mercatus, alios majores, & a tempore, & a negotiis appellare. Sed quocumque nomine, cum a Sole dependent, statis sive anni, sive mensis diebus recurrunt: cum a Luna, hujus quoque sideris sequuntur inconstantiam, ordinemque nihilominus suum inveniunt, tam in mense, quam in anno. Nostri hodie Mercatus, qui statis hebdomadis cujusque diebus instituuntur Solares sunt, & minores: qui statis vero Anni tem-

F poribus certos dies occupant, partim Solares, partim Lunares sunt, sed majores omnes. Hac ratione minores passim sunt, in urbibus, oppidis, municipiis; majores, electis tantum regionum locis, & tanquam in unam urbem Provinciæ conveniant. Singulari sane emporii exemplo Germaniam suam Francofurtum nobilitat, Galliam Lugdunum, Italiam Placentia, Poloniam Jaroslavia, ut hic consistam. Francofurtum quidem Mœno suo amœnum, bis quotannis quicquid in vicinis regionibus est hominum, quicquid mercium colligens

A ac dispensans, gemino mercatu (non enim *Nundinis*) floret, Verno & Autumnali. Et Autumnalis quidem. qui antiquissimus est, Solis tempora sequitur; Vernus, qui recentior, & ab anno ∞. CCC. XXX. Lunæ. Lugdunum vero ad Rhodanum, tres Mercatus numerat: Lunarem unum, & Vernum: Solares tres: mensibus Januario, Augusto, Novembri. Placentia ad Padum quatuor, & solos Solares elegit, Januario, Majo, Augusto, Novembri. Jaroslavia ad Sanum, una uno celebrior Mercatu æstivo, quam cæteræ pluribus: cum Delo, ut olim floruit, comparanda,

B quæ Orbem quasi terrarum, teste Plinio, lib. XXXIV. cap. II. recipiebat: *Mercatus in Delo, concelebrante toto Orbe*.

## CAP. XXVIII.

Nundinarum *jura ac solemnia. Epulæ* Nundinariæ, *& Superstitio*.

JUra etiam quædam cum *Nundinarum*, tum *Mercatuum*, ac *Solennia* erant; quæ velut fulcra quædam hoc ædificium sustinebant, ad robur simul & ornatum.

C Et Jura quidem, privilegia, atque immunitates sunt, *Nundinatoribus* olim (ut & hodie) concessæ, velut illices lucri. Quia enim tributis vectigalibusque merces liberantur, concursus est: utrobique compendium, sive vendantur res, sive emantur. Quid antiquitus fuerit, satis posteriora, & hæc nostra sæcula docent. Hoc etiam quondam obtinuit, Ne quis *Nundinarum*, aut *Mercatuum* tempore jure conveniretur. Ita Lex *de Nundinis*, lib. IV. Codicis, tit. LX. *Imperatores Valens & Valentinianus*. *Qui exercendorum* Mercatuum, *aut* Nundinarum *licentiam vel veterum indulto, vel nostra auctoritate meruerunt, ita beneficio rescripti potiantur, ut nullam in* Mercatibus *atque* Nundinis *ex*

D *negotiorum mercibus conveniant, vel in venalitiis, aut locorum temporali quæstu & commodo privata exactione sectentur, vel sub prætextu privati debiti aliquam ibidem concurrentibus molestiam possint inferre*. Est tamen ubi obnoxius sit, si communem utilitatem læserit. Leg. III. Dig. de Feriis & Dilationibus: *In eum, qui quid* Nundinarum *nomine adversus communem utilitatem acceperit, omni tempore jus dicetur*.

Jus quoque *Nundinarum* non utendo amitti solet. Leg. I. D. *De Nundinis*: Nundinis *impetratis a Principe, non utendo cum meruit, decennii tem-*

E *pore usum amittit*. A Principe igitur impetrandæ erant; vel etiam a Senatu. Plinius lib. V. Epistola. IV. *Solers, vir Prætorius a Senatu petiit, ut sibi instituere in agris suis* Nundinas *permitteretur*. Claudius Imperator, licet Imperator, hic se Consulibus submisit. Suetonii verba, cap. XXI. *Jus* Nundinarum *in privata prædia a Consulibus petiit*. Sed arduum sit, referre omnia: quæ tamen præcipue portoriorum, vectigaliumque immunitate comprehenduntur.

Inter *Solennia, Epulæ* quoque *Nundinariæ* erant, ut notare est in lege LXIX. Dig. pro Socio: *Cum societas ad emendum coiretur, & conveniret, ut unus*

F *reliquis* Nundinarias *præstaret, eosque ad negotium admitteret, si eas eis non solverit, & pro Socio, & ex Vendito cum eo agendum est*. Huc etiam *Coquus Nundinalis* referendus, qui, ut e Plauto supra dixi *in Nonum diem*, id est, in *Nundinas solet ire coctum*., Epulæ igitur erant. *Nundinarum* quoque numen Mercurius: ille, ut lucri auctor, ita hilaritatis amator. Quasi dicam, etiam in conviviis commercia esse, vel in commerciis convivia; negotia autem omnia epulis absolvi. Mensam, & ut Græci appellant, *τράπεζαν* vide: quemadmo-

dum cupedias, ita & pecunias; non minus in foro, quam in triclinio statui solita & frequentari. A *mensa* quoque *Mensarius*, sive *Mensularius*, & a τράπεζα τραπεζίτης, qui ab argento *Argentarius* dicitur. Ut etiam sine argento, nullæ *Nundinæ* sunt, nulli *Mercatus*: sic nec convivio, quod hilaritatis caussa solet celebrari.

Nec Superstitio defuit, vitium imprimis populare. Mirum est, quod Plinius scripsit, lib. XXVIII. cap. II. *Ungues resecari* Nundinis *Romanis tacenti atque digito indice, multorum pecuniæ religiosum est*. Quæ quidem verba quem omnino sensum contineant, ambiguum videtur. Cur enim *tacenti*? & *cur a digito indice*? Pecunia quidem *Nundinarium* beneficium, imo instrumentum est. Resectio ad imminutionem facit, ideoque pecuniæ religiosa, tristis, scæva, infausta, &, ut verbo dicam, vitanda. Quid si tamen ad accisam pecuniam referas?

Huc fortassis pertinent quoque, quæ supra commemorata: *Nihil inter* Nundinum *gustare*. item: *Inter* Nundinum *barbam radere*. Sed annum infelicem censere, quando vel in Kalendas Januarias, vel in Nonas quascumque *Nundinæ* cadunt, ut satis dictum, ita maxime superstitiosum est.

Etiam Augustum hic reprehendo, qui plebejum in se vitium admisit, majestatem superstitione maculans. *Observabat*, scribente Suetonio in ejus vita, cap. XCII. *& dies quosdam, ne aut postridie* Nundinas *quoquam proficisceretur, aut Nonis quicquam rei seriæ inchoaret: vitans*, ut ipse ad Tiberium scribit, *δυσφημίαν nominis*. Postridie enim, quasi sero ac præpostere, quia post *Nundinas*; nisi potius, sicut dies postridie Kalendas, Nonas, Eidus, atri publice habiti: sic & ab Augusto propria ac privata superstitione *Nundinæ*. De atris vero istis diebus A Gellius, lib. V. cap. XVII. Veriumque Flaccum laudat. Qua etiam occasione notes velim, ominosum Romanis fuisse, ante Nonas Eidusque, Kalendas nominare: ut Turnebus in Adversariis suis monuit.

## CAP. XXIX.

Nundinarum *Tutela, sacra & civilis. Illam vel ad* Nundinam, *vel ad Mercurium referri: banc ad Ædilem, sive Præfectum Annonæ.*

ALiquid etiam religionis ad *Nundinas* relatum est: quibus an *Nundina* Dea præfuerit, pronum sit a nomine statuere. Glossæ, si tamen correctæ, nescio quid insinuent: *Nundina*, ἀγορὰ, πανήγυρις. A Macrobio tamen ad Lustrica Sacra refertur, lib. I. Saturnal. cap. XVI. *Est etiam* Nundina *Romanorum Dea*, a Nono *nascentium* die *nuncupata, qui* lustricus *dicitur*. Quid si dicam vero, in his quoque Sacris *Nundinarum* constitutionem spectari? Jovis esse ferias ante ostendi. Eo enim die *in Regia arietem solitum immolari*.

Cæterum *Nundinas* Mercurio sacras esse, conditio Numinis indicat. Hic sermonis Deus erat: sed & lucri ac mercimonii; cum negotia omnia verbis & eloquio constent ac perficiantur. Hinc sane qui Latinis Mercurius, & *a mercibus*, ut Festo placet, appellatur, Græcis Ἑρμῆς, quasi *interpres* ac *nuncius*. Unde ἑρμηνεία, ipse *sermo*. Non frustra igitur ἐμπορᾶιος, ἐμπολαῖος, κερδῷος, *Mercatorius*, *Negotiator*, sive *Nundinator*, & *Lucrio*. Huc vetus facit Inscriptio:

MERCVRIO. NEGOTIATORI
SACRVM
NVMISIVS. ALBINVS
EX. VOTO

Ipse apud Plautum, Amphitryonis Prologo:

*Ut vos in vostris voltis Mercimoniis*
*Emundis vendundisque me lætum lucris*
*Afficere, atque adjuvare in rebus omnibus;*
*Et ut res rationesque vestrorum omnium*
*Bene expedire voltis, peregreque & domi,*
*Bonoque atque amplo auctare perpetuo lucro*

Et mox:

*Nam vos quidem id jam scitis concessum & datum*
*Mibi esse ab aliis Diis, nunciis præsim & lucro.*

Peculiariter tamen *mense Majo Majæ & Mercurio mercatores omnes sacrificare*, Macrobius scribit, lib. I. Saturnal. cap. XII. additque ex Cornelio Labeone, *hanc Majam Terram esse, hoc adeptam nomen a magnitudine. Sic & Magnam Matrem in Sacris vocari*. Non mirum igitur, etiam hodie Bibracte in Æduis, mercatum mense Majo, & primo Mercurii die quotannis celebrari. Mensis enim matrem Mercurii Majam, dies ipsum filium e prisca superstitione repræsentat. De sacra Tutela pauca ista habebam.

Altera civilis est: tanquam Magistratum hic aliquem agnoscas, cum & Præfectum suum *Nundinæ* habuerint, quem Ædilem Romani, & Græco vocabulo ἀγορανόμον, quasi *legem regulamque fori*, appellarunt Hujus munus erat, curare Forum ac *Nundinas*: annonæ vero, cibariorum, obsoniorum pretia moderari. Erat etiam, improbas merces & corruptas ejicere. Plautus Rudente, Act. II. Scen. III.

*Ædilis est: siquæ improbæ sunt merces, jactat omnes*

Hinc quoque *Ædilitia Edicta*, quibus Forum regebatur. Idem Plautus, Captivis, Act. IV. Sc. II

*Euge, Edictiones Ædilitias hic habet quidem,*
*Mirumque adeo est, ni hunc fecere sibi Ætoli Agoranomum.*

De mensuris quoque Ædiles cognoscebant, an æquæ essent: iniquas confringebant; ut videre est in Lege XIII. Dig. Locati conducti: *Siquis mensuras conduxerit, easque Magistratus frangi jusserit; siquidem iniquæ fuerint, Sabinus distinguit, Utrum scit conductor, an non. Si scit, esse ex locato actionem; si minus, non. Quod si æquæ sunt, ita demum teneri, si culpa ejus id fecit Ædilis: & ita Labeo, & Mela scribunt.* Accedat Persius Sat. I.

*Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus*
*Fregerit heminas Areti Ædilis iniquas.*

Et Juvenalis, Sat. X.

*Et de mensura jus dicere, vasa minora*
*Frangere pannosus vacuis Ædilis Ulubris.*

Cibariis prætere, cupediisque præerant, quæ vendi in popinis solent. Quo Seneca respexit, de Vita beata, cap. VII. ubi *loca Ædilem metuentia* nominat.

Hæc vero Annonæ præfectura, non sine ornamentis. Tanti *Nundinæ*. Lixas virgasque video,

& insignia Magistratus. Sic de Pythia condiscipulo suo Apulejus lib. I. Metamorph. *Sed quid istud? voti gaudeo. Nam & lixas, & virgas, & habitum prorsus Magistratui convenientem video. Annonam curamus, ait, & Ædilem gerimus: & siquid obsonare cupis, utique commodabimus.*

## CAP. XXX.

*Clausula scriptionis. Non mole, sed pretio ingenii monumenta censeri. Argumenti ἀνακεφαλαίωσις.*

SAtis ista, ne a linea ad aliena abire videar. Absolvi enim, quæ ad *Nundinas Romanas* proprie spectant. Ut meus est mos, & genius, modum malo, quam molem; non ut multa, sed apta & necessaria adferam, argumento quasi agnata. Jactent, qui volent, ingentia volumina sua, temporis & laboris specimina; nobis sufficiet, rerum summam, & elegantiæ sequi pretium; ingenii autem & eloquii conatu censeri. Non omnia profecto, quæ magna, laudanda sunt: præstat etiam, si fieri possit, magnum in parvis esse, quam parvum in magnis. Thesaurum æstimo, qui pugno claudi potest. Aurum vide, æris compendium est, ingenium laboris. An dicam? Amnis suo fluens alveo & aqua, tanquam angustiis coactus, usui & amœnitati servit: cum intumescit imbribus, ripamque transgreditur, agros late inundans, nonnisi stagnum est. Nostræ hic aquæ *Nundinæ* sunt, & titulo suo velut alveo continentur. Nempe, Quo *Nomine*, & *Origine*; Quo *Loco*, *Tempore*, *Usu* apud Romanos fuerint, breviter ostendi: item, fuisse *Fixas*, *Vagas*, *Vitiosas*, *Hiuleas*, *Legitimas*, suis etiam *R tibus*, ac *Solennitatibus* celebratas: sub Numine, ut religio accederet; sub Præfecto, ut jure regerentur. Plura si dicerem, non tam explere viderer materiam, quam obruere: si pauciora, obscuræ adhuc *Nundinæ* erant.

FESTORUM LUDORUMQUE

DIES

IN

# HEMEROLOGIO R.

*Breviter explicati.*

## JANUARIUS.

AGon. Agonalia, v. Eid. Januarii, XIII. Kal. Junii, III. Eid. Decemb. A Numa instituta, & Jano rerum agendarum Præsidi dicata. Sed nominis caussam explicant Ovidius, Varro, Festus, Macrobius.

*Car.* Carmentalia, III. Eid. Jan. & XVIII. Kal. Febr. in honorem Carmentæ Fatidicæ, a Carmine appellatæ, quæ Mater fuit Evandri.

## FEBRVARIVS.

*Luper.* Lupercalia, XV. Kal. Mart. Sacra Pani deo Arcadiæ Lycæo, Latinis Luperco, quod Lupos arceret. Sacerdotes, Luperci. Lupercal spelunca in monte Palatino, ubi hæc sacra.

*Quir.* Quirinalia, XIII. Kal. Mart. in honorem Quirini, sive Romuli. Stultorum hæ Feriæ, ut explicat Festus,

A *Fer.* Feralia, IX. Kal. Mart. Dis Manibus, sive Inferis, a ferendis epulis, vel feriendis victimis. Varro & Festus.

*Ter.* Terminalia, VII. Kal. Mart. Termino Deo, qui & annum claudebat. Videnda, quæ de Bissexto scripsimus.

*Regif.* Regifugium, VI. Kal. Mart. Quo die Rex Tarquinius Superbus Roma fugit.

*Eq.* Equiria, III. Kal Mart. & Prid. Eid. Mart. Ludi, quos in honorem Martis Romulus instituit, ab Equorum cursu

B

## MARTIVS.

*Lib.* Liberalia, XVI. Kal. April. Sacra Liberi Patris, Græcis Dionysia, & Orgia. Viri Heroum, mulieres Nympharum habitu per urbem bacchantes compositis modis saltabant.

*Quin.* Quinquatrus, Majores quidem XIV. Kal. April. Minusculæ Eidibus Junii, Minervæ Sacræ: de quibus Varro & Festus.

*Tubil.* Tubilustrium, X. Kal. April. Minervæ, & X. Kal. Jun. Vulcano. Ovidius lib. III. & V. Fastorum.

*Q. Rex C. F.* Quando Rex comitiavit fas. IX. Kal.
C April. & IX. Kal. Junii. Ut Festus explicat. Videndus & Varro.

## APRILIS.

*Ludi Matr. Mag.* Matris Magnæ, Idææ, sive Phrygiæ, sive Cybeles, quæ variis etiam nominibus fuit: Berecynthia & Pessinuntia dicta. Ludi, Megalesia.

*Ludi Cer.* Ludi Cereris, pridie Eid. April. iterumque XIII. Kal. Maii, Sacra Eleusina, sive Græca, passim explicata.

D *Ford.* Fordicidia, XVII. Kal. Maii, a fordis bubus. Sunt autem *fordæ* prægnantes, scribente Varrone, quæ eo die immolari solent.

*Par.* Parilia, sive Palilia, XI. Kal. Maii, in honorem Deæ Palis Dies Natalis Urbis Romæ.

*Vin.* Vinalia, IX. Kal. Maii, Veneri sacra, & XIV. Kal. Septemb. Jovi. Varro.

*Rob.* Robigalia, VII. Kal. Maii, in honorem Robigi, ut is rubiginem a segetibus averteret. A Numa instituta esse Plinius scribit. lib. XVIII.

*Flor.* Floralia, IV. Kal. Maii, in honorem Floræ Deæ.

E

## MAJUS.

*Com.* Compitalia, postrid. Kal. Maii, in Compitis & Laribus fiebant Compitalibus.

*Lem.* Lemuria, VII. & V. Eid. Maii, quasi Remuria: quæ parentalia erant Remi. Ovidius.

*Ludi Mar.* Ludi Martis Ultoris in Circo, IV. Eid. Maii,

## JUNIUS.

*Mart. Car. Monet* Marti, Carnæ, Monetæ. postridie
F Kal. Junii. Marti Gradivo ad portam Capenam. Carneæ, quæ vitalibus humanis præerat. Monetæ, quæ templum habebat in Arce.

*Menti In Cap.* Menti in Capitolio, VI. Eid. Junii. teste Ovidio: *Mens quoque numen habet.*

*Vest.* Vestalia, V. Eid. Junii, in honorem Vestæ.

*Mart.* Matralia, III. Eid. Junii, Matris Matutæ.

## JULIUS.

*Poplif.* Poplifugium, III. Non. Julii. De hoc die Varro.

*Lud. Apollin.* Ludi Apollinares, prid. Non. Julii, in honorem Apollinis. Livius.

*Merk.* Mercatus, sive Mercurialia, III. Eid. Julii, & sæpius, aliis etiam mensibus. Quid si dies Mercedonius?

*Lucar.* Lucaria, XIV. & XII. Kal. Aug. Festa, quæ in luco Romani colebant, ut explicat Festus.

*Lud. Vict. Cæsar.* Ludi Victoriæ Cæsaris, XIII. Kal. Aug. quos, ut Dio scribit, Augustus post mortem Cæsaris celebravit. Videndus & Suetonius.

*Nept.* Neptunalia, IX. Kal. Augusti, Feriæ, & Ludi in honorem Neptuni, ad ripam Tiberis ubi casæ frondeæ erigibantur, quas *Umbras* decebant.

*Fur.* Furinalia, VIII. Kal. Aug. a Furina Dea; de qua Varro & Arnobius, lib. III.

## AUGUSTUS.

*Hoc Die C. Cæsar Hispan. Vicit.* IV. Non. Aug. Videndus Dio, lib. XLIII.

*Hoc Die Cæsar Hispalim Vic.* V. Eid. Aug. Hic quoque videndus Dio.

*Port.* Portunalia, XVI. Kal. Septemb. Portumno Deo, in portu Tiberino. Arnobius.

*Con.* Consualia, XII. Kal. Septem Conso, ut idem Varro: sic & Livius & Dionysius.

*Volc.* Volcanalia, X. Kal. Septemb. Vulcano. Varro.

*Opic.* Opiconsiva VIII. Kal. Septemb. Ipsa Dea dicta Opiconsiva, *quod*, ut Festus explicat, *opem & consilium ferat*.

*Volt.* Volturnalia, IV. Kal. Septemb. Deo Volturno, ut idem Festus: cujus Sacerdos Volturnalis.

*H. D. Ara Victoriæ In Curia Dedic. Est.* V. Kal. Septemb. Hoc die Ara Victoriæ in Curia Julia dedicata est, ab Augusto, cum imagine Victoriæ: Dio lib. LII. Hæc illa Ara, de qua Symmachus lib. X. epist. LIV.

## SEPTEMBER.

*Hoc die Fer. Nept.* Hoc die feriæ Neptuno, postrid. Kal. Septemb.

*Lud. Rom.* Ludi Romani, in Circo, prid. Non. Septemb. & XVII. Kal. Octob. De quibus Dionysius.

*F. Equor. Prob.* Feriæ equorum probandorum, XVIII. Kal. Octob. eadem fere cum Equiriis.

*Augusti Natalis.* IX. Kal. Octob. ludis in Circo celebratus. Dionem vide & Suetonium.

## OCTOBER.

*Meditr.* Meditrinalia, V. Eid. Octob. Dea Meditrina, a *medendo*, ut Varro & Festus explicant.

*August.* Augustalia, IV. Eid. Octob. in honorem Augusti. Videndus Dio & Tacitus.

*Font.* Fontinalia III. Eid. Octob. a fonte, quod eo die feriæ essent, & in fontes coronas jacerent, & puteos coronarent, ut Varro docet.

*Arm.* Armilustrium, XIV. Kal. Novemb Festum, quo res divinas armati faciebant, & dum sacrificarent, tubis canebant. Festus.

A *Lud. Vict.* Ludi Victoriæ, VII. Kal. Novemb. Volunt antiquissimos hos esse, & ab Arcadibus, ante Romam conditam in monte Palatino Victoriæ templum exstructum: de quo Dionysius.

## NOVEMBER.

*Epul. Indict.* Epulum indictum, Eidibus Novemb. Sed cui Deorum, Fasti non exprimunt.

*Lud. Pleb.* Ludi Plebeii, XVII Kal. Decemb. per Ædiles Plebejos procurati, & in biduum tri-
B duumve instaurati, ut Livius scribit.

## DECEMBER.

*Agon.* Agonalia, III. Eid. Decemb. quæ & Septimontium dicebantur, quod eo die, ut Festus ait, in Septem Urbis montibus fierent Sacra.

*Cons.* Consualia, XVIII. Kal. in Augusto explicata.

*Sat.* Saturnalia, XVI. Kal. Jan. feriæ Saturni, quasi Satunni, quod is, ut Festus ait, culturæ agrorum præsideret, cui propterea falx insigne datur.

C *Opal.* Opalia, XIV. Kal. Jan. Dies festi, quibus Opi supplicatur. Ita Festus.

*Div.* Divalia, XII. Kal. Jan. quæ & Angeronalia, a Diva Angerona; quæ, explicante Verrio Flacco, angores animorum depellit.

*Lar.* Laralia, X. Kal. Jan. Laribus. Ea sic celebrata esse Dionysius tradit.

SACRA & SOLENNIA,

QUÆ IN

D
## HEMEROLOGIO R.

*desiderantur.*

## JANUARIO.

VI. KAl. Febr. *Castoris & Pollucis*, quibus bello Latino Postumius dictator templum vovit: *nimirum, commilitonibus Diis*, scribente Floro, quibus hac pietate *stipendium quasi*
E *redditum*. Festi mentionem Ovidius facit. Coli etiam solent Kalendis Maii ad Ostiam, & Eidibus Julii.

III. Kal. Febr. *Pacalia*, sacra Pacis, cujus aram Augustus dedicavit, ut est apud Dionem & Ovidium.

## FEBRUARIO.

Eidibus Febr. *Faunalia*, in honorem Fauni. Ovidius & Dionysius. Templum in insula Tiberina.

VIII. Kal. Martii, *Charistia*, cognatorum & affinium epulæ, ad querelas rixasque deponendas.
F Ovidius & Valerius Maximus lib. II. cap. I.

## MARTIO.

III. Non. Mart. *Isidis Sacra*, cujus navigium celebrabatur. Videndus Plutarchus, Lucianus, & Apulejus.

Nonis Martiis, *Vejovis*: de quo die Livius & Ovidius; sed hic Vejovem, *non magnum* explicat, & Festus *vegrande frumentum*, *parvum ac minutum*.

Eidi-

A Eidibus Martiis, *Annæ Perennæ*. Fuse Ovidius. vide & Macrobium.

VIII. Kal. April. *Hilaria*, in honorem Matris Deorum: quo tempore Sol diem nocte longiorem protendit. Macrobius.

### APRILI.

Kalendis April. *Lotio Cybeles*, quam obibant Galli Sacerdotes. Dionysius.

### B MAJO.

VIII. Kal. Junii, *Fortunæ Publicæ*, de his Sacris videndus Ovidius.

VI. Kal. Junii, *Virtutis & Honoris*: si verus tamen hic Dies est. Geminum fuisse templum, & distincta sacra, Valerius lib. I. cap. I.

### JUNIO.

Kalendis Junii, *Tempestatis*, apud Ovidium. C Eodem die *Bellonæ*, quæ soror Martis, apud eundum Ovidium, Ejus Sacerdotes per Urbem cursitantes, seipsos vulnerabant, ut indicat Martialis, lib. XI. Epigr. LXXXV.

Eidibus Juniis, *Fidii*, *Sancti*, *Semonis*, qui tres Sabinorum dii erant. Voluerunt autem unum tribus nominibus Numen esse; medium, *Fidium*, magnoque mysterio cultum.

VI. Eid. Junii, *Ludi Piscatorii*, qui & Tiberini. de his Festus & Ovidius.

D XIV. Kal. Julii, *Minervæ*, in Aventino. Ovidius.

XIII. Kal. Julii, *Summani*, quem Ditem esse volunt, & Umbrarum Deum. Ignotum esse Ovidius fatetur.

VIII. Kal. Julii, *Fortunæ Fortis*. Hujus fanum a Servio Tullio rege extra Urbem dedicatum esse, Varro scribit.

### JULIO.

Kalendis Juliis, in novas migrare ædes Romani soliti, non sine solenni ritu; quod e Martiali & Suetonio colligas.

Nonis Quinctilibus, *Junoni Caprotinæ* mulieres in Latio sub Caprifico sacrificabant, ut Varro & Macrobius scribunt.

### AUGUSTO.

Nonis Augusti, *Salutis*, in Quirinali. Fuisse in Quirinali, certum; hoc die, incertum.

IX. Kal. Septemb. *Lunæ*, in Græcostasi, ex veteri Fragmento.

### SEPTEMBRI.

III. Kal. Octobr. *Epulum Minervæ*, quod ab Epulonibus Septem-viris institui solebat, Jovi, Junoni, Minervæ. Videndus Livius.

### OCTOBRI.

Eidibus Octobris, *Marti Bellico* in Campo Martio, bigarum victricium equus dexterior immolabatur, Festus.

### NOVEMBRI & DECEMBRI.

Nihil singulare observari potuit. Sunt vero & *Denicales Feriæ*, quæ ad certum referri Mensem, aut Diem nequeunt. Has Columella nominat, lib. II. cap. XXII. *Nos apud Pontifices legimus, Feriis tantum Denicalibus mulos jungere non licere, cæteris licere*. Locum expressi hoc ipso libro, cap. X.

# FINIS.

# IN
# ERYCII PUTEANI,
Consiliarii & Historiographi Regii,
# NUNDINAS
# ROMANAS.

*INgenii merces Romana quæris in Urbe,*
*Quas Orbe toto distrahas?*
*Facundus comes Erycius, gnarusque viarum est,*
*Et doctus his in Nundinis.*
*Hoc sine Mercurio frustra sperato quod optas:*
*Dicenda nam Mysteria*
*Non audita prius tibi paucis ordine pandi,*
*Amœne, acute, lucide.*
*Nunquam, crede mihi, certo lassabere lucro,*
*Foroque nunquam cesseris.*
*Mercibus ingenii magni Orbem aluere Quirites;*
*Tuumque, Lector, nutrient.*

# E GREGORII THOLOSANI SYNTAGMATE JURIS, DE NUNDINIS ET MERCATIBUS MANTISSA.

# E
# GREGORII THOLOSANI
## SYNTAGMATE JURIS,
### Lib. xxv. cap. III.
### SUMMA.

I. *Nundinæ Feriæ paganorum Ethnicis.*
II. *Mercatus & Mercatorum utilitas.*
III. *Mercatuum institutor primus Iphitus Elius.*
IV. *Nundinarum jus & Mercatus quis concedere possit.*
V. *Mercatuum & Nundinarum differentia.*
VI. *Nundinarum & Mercatuum privilegia. Anglis Nundinarum Lugdunensium privilegia negata.*
VII. *Nundinarum privilegia quas res afficiant.*
VIII. *Nundinæ & Mercatus ne fiant diebus & locis sacris.*
IX. *Nundinarum introducendarum finis & utilitas.*
X. *Nundinarum privilegia decennio vel triginta annis extinguuntur.*
XI. *Collegium mercatorum Imperialium.*



*Undinæ* feriæ Paganorum, id est, Rusticorum apud Romanos erant, quibus conveniebant, negotiis propriis vel mercibus provisuri: Macrob. lib. I. Saturnal. cap. XVI. Fiebant autem *nono* quoque *die*, unde etiam nomen habuerunt. Plutarch. in Coriolani vita, & Dionys. Halicar. lib. II. *Mercatus* & pro Nundinis seu loco, & tempore Nundinarum: Ἐμπόριον, quo conveniebant mercatores. *Nundinæ*, inquit Dionysius, nono *quoque die celebrabantur, ut nunc etiam, quo plebs agrestis in Urbem ad mercatum conveniebat, finiendisque litibus, & ad suffragia ferenda de negotiis publicis, quorum jus erat penes populum, aut de quibus Senatus retulisset ad eum. Reliquis septem diebus ruri degebant, quod magna pars operaretur ob paupertatem suis manibus.*

II. Et Callistratus lib. II. *de Nundinis*, lib. L. tit. XI. ex sententia Platonis lib. XXXII. Dialogo II. de Repub. duo genera personarum in mercatibus & nundinis constituit, *unum rusticorum, & ruri habitantium; alterum eorum, qui illis ministrant, qui evehunt & invehunt singula, vel utilia, & necessaria* (τούτοι δὲ εἰσιν ἔμποροι, inquit, *isti sunt negotiatores, seu mercatores) afferentem autem agricolam in forum aliquid eorum, quæ facit, vel alium conductorum; illos distrahere cito, & ad opera redire debere, quod non fieret, nisi statim certis locis & temporibus adessent mercatores hujus rei administri*. Qua & ratione si cupiditas lucri nimia a mercatoribus absit, mercatura erit utilissima commerciorum caussa, ut Cic. scribit I. de Officiis: *Mercatura si tenuis est, sordida putanda est; si magna & copiosa, multa undique apportans, multisque sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda: atque etiamsi satiata quæstu, vel contenta potius, ut sæpe ex alto in portum, sic ex ipso portu se in agros possessionesque contulerit, videtur jure optimo posse laudari.*

C

III. Genus emptionis, ait Vellejus Paterculus in priore lib. Romanæ historiæ circa principium, negotiationem, & mercatum quidem instituisse apud Græcos, sicut & certamen primum Olympicum, Iphitum Elium.

IV. Jus concedendi Nundinas, olim ad Senatum pertinebat Romanum. Plinius lib. V. epist. IV. ad Valerianum scribens. A consulibus quoque petitum innuit Suetonius, cum ait *Claudium Imperatorem legibus se ipsum subjicientem publicis, a Consulibus petiisse jus Nundinarum in sua prædia*. In vita Claudii. Petitæ & a Principe postea, l. I. D. *de Nundinis*, & l. I. Cod. eod. tit. ut & hodie

D

in Gallia Mercatus, Nundinas, & Legitimationes, non concedunt alii, quam solus Rex. In Constitutione Ludovici XII. publicata anno M. D. XII. Artic. XII. Hispanica etiam lege sola consuetudo, vel Regis privilegium Nundinas concedit: & tributum in eis majus exigi non potest, quam a Rege permissum; nec aliud peti a territorii domino, vel alio, quam Nundinarum jus, vel æs alienum in Nundinis conflatum; in legibus Alphonsi, part. V. tit. III.

V. Non omnis Mercatus Nundinalis est, sed omnes Nundinæ Mercatum habent. Etenim Mercatus est locus & dies destinatus vendendis rebus: Fo-

E

rum certis diebus deserviens cum modico privilegio. At Nundinæ hodie dicuntur stati dies in locis vel civitatibus certis, mercandi caussa libere concessi, cum immunitate a Principe donata vectigalium. l. unic. Cod. *de Nund.*

VI. Forma Mercatus & Nundinarum ex lege concessionis pendet: privilegia enim alia aliis dari solent, quæ communia non sunt. Valens & Valentinianus beneficii hujus utilitatem indulgent, *Ut nullum in Mercatibus atque Nundinis ex mercium negotiatoribus conveniant, vel in venalitiis, aut locorum temporali quæstu, & commoda privata exactione sectentur, vel sub prætextu privati debi-*

F

*ti, aliquam ibidem concurrentibus molestiam possint inferre*. l. I. *de Nund.* Cod. Anno ∞. CCCC-LXXX. lata lex a Ferdinando Rege Catholico & Isabella ejus conjuge, Ut commeantium ad Nundinas privilegiatus nullus comprehendi possit jure oppignorationis, seu *represaliorum*, seu clariga-

tionis. Et alia lege cautum, Ne Regnum adeuntibus seu Nundinas, aliisque mercatoribus bona per vim auferrentur, rerum alioqui restitutione summatim jurejurando in litem decidenda: in Codice legum Hispanicarum, parte v. tit. VII. leg. IV. Alexander Severus Imperator Negotiatoribus, ut Romam volentes concurrerent, maximam dedit immunitatem. Ælius Lampridius in ejus vita. Quatuor Nundinis Lugdunensibus immunitates quoque Reges Galliæ plures præbuerunt, ab omnibus vectigalibus, prout privilegiorum, Rescriptis & Edictis principum confirmatorum; exstat volumen, quod Privilegia docere poterit. Per quæ omnibus nationibus, & populis datur his temporibus Lugduni negotiandi libertas, publica adhibita fide & securitate: exceptis nominatim a Ludovico XI. Anglis & Britannis, ut antiquis Galliæ hostibus, quibus non temere fidendum censebat: hocque ita sancivit Edicto, quo transtulit Nundinas Geneva Lugdunum, XXV. Octob. ∞. CCCCLXXXII. Extat hoc Edictum in eodem volumine Privilegiorum Nundinarum Lugdunensium. Ita quoque Honorius & Theodosius Cæsares inhibuerunt, Nundinas frequentari populorum, cum Romanis diffidentium, vel non fœderatorum; ne alieni Regni scrutentur arcana. Ad Nundinas quoque Romanorum extraneos venire eadem ratione prohibent: leg. *Mercatores*. IV. & leg. ultima *Commer. & Mercat.* C. l. I. *Quæ res exportari nequeant*. C. libr. IV. tit. LI. l. II. *Quæ res vendi non possint*.

VII. Privilegia Nundinarum res afficiunt, in Nundinis, earum tempore durante, emptas; etsi non tempore Nundinarum, sed paulo post efferantur, vel longo post intervallo. Bald. in lib. unico, Cod. *de Nundinis* argumento, l. III. §. *Scio*. D. *de Nund.* Et contra si ante Nundinas res vendita sit, quamvis tempore Nundinarum tradita, privilegium locum non dat; nisi intuitu & caussa Nundinarum contractum fuerit, vel ea lege, ut Nundinis solveretur. Extat Placitum consilii sanctioris judicio contradictorio latum XXVII. Septembris M. D. LIII. Quo declaratur, Privilegium immunitatis vectigalium, concessum rebus emptis in mercatibus Nundinalibus Lugduni, durare a Nundinis ad proximas Nundinas: nisi longius tempus suadeat necessitas, quæ intercepit occasionem intra prædicta tempora evehendi.

VIII. Locus negotiandi & mercatus, & tempus a sacris secerni debent locis & feriis, in quibus pietati vacandum est: *D. Matth.* cap. XXI. & apud Esdram prohibitum, vendere Sabbati die. Carolus quoque Magnus Imperator prohibet Mercatum & Nundinas haberi diebus Dominicis, lib. II. legum Longobar. l. I. *de feriis*. Et in Gallia nostri Reges repetitis Constitutionibus vetant.

IX. Finis præcipuus Nundinarum privilegiatarum est, utilitas societatis humanæ, cui facilius consulitur, data immunitate, & relevatis oneribus vectigalium, quæ sæpe deterrent a commercio mercatores, dataque securitate, & sub tutela publica extraneis receptis, qui alioqui sibi metuentes, nobis nequaquam sua communicarent. Ideo, si earum usus omittatur per decennium, jure Civili extinguuntur, velut inutiles. l. I. D. *de Nundinis*: aliquando & per XXX. annos.

X. Sed & rationes aliæ possunt addi privilegiorum Nundinarum, & delectus locorum. Prior, quia inde Barbarorum necessitudines, Regumque amicitias comparemus, mores ritusque gentium addiscamus, hisque, si meliores sint, nostros emendemus; si pejores, nostros, ut emendentur, communicemus. Adde secundo utilitatem, quam magni facit Cicero, publicam: *Nam*, inquit, *cum vectigalia sint nervi Reip. & ea ex vectionibus mercatorum sumantur, constat hunc ordinem esse negotiatorum favore dignum*: pro Lege Manilia. Valens quoque & Valentinianus A. A. etiam a mercatoribus seu negotiatoribus, qui ad domum Imperialem pertinent, exigi necessitatem debitam pensionum ex emolumentis negotiationum volunt, l. I. Cod. *de Commer. & Mercat.* Erant quippe in collegio negotiatorum, qui ad domum principis pertinebant, l. *Cessante*. V. eodem titulo.

XI. Subinde ex loci & temporis certitudine & ordine, qui adhibetur circa venalia, fraudes multæ extruduntur, & ne vetita veneant, vel trasferantur, prohibetur; neve vagi sint mercatores, & ne pecuniæ in conquirendis civitatum mercibus temere perdantur, prospicitur, convenientibus unum in locum, diebus decretis, ementibus & vendentibus. Quare & proba illa lex Caroli Magni, ne mercatus ullo alio loco habeatur, quam ubi antiquitus fuerit; utque legitimus sit.

# FINIS.

JOANN. BAPT.

BELLI CAVARIS SALYI

E SOCIETATE JESU

# DIATRIBA

DE

# PHARSALICI

CONFLICTUS

MENSE ET DIE.

ILLUSTRISSIMO VIRO

# D. D. PETRO POTERIO TERRASSIO IN SUPREMA TOLOSÆ CURIA PRÆSIDI

Diademato.



*Rritabile genus est non modo Vatum, ut Lyricus ait, sed & Criticorum,* Præses Illustrissime*: contumaciter ambit, quæ pertinacius neges. Hoc jure, opinor, vel injuria succensuit Lucanus communi Historiarum omnium consensui, quippe qui diem Pharsalici conflictus publico, ut est credere, decreto tenebris obvolutum visus est maxime prodere, dum pellucidis ingeniose nebulis implicuit. Ego item auctoris mei sectatus vestigia in illa ipsa maligna luce meridianam quæsivi. Nam cum ex veterum auctorum silentio recentiores omnes cum Panvinio conficerent incertam esse penitus pugnæ Pharsalicæ diem, acrius eo investigandam existimavi. Tandem incidi in Maphæani marmoris, & Kalendarii Romani primum; in Chronici deinde Alexandrini geminos locos: quorum alius ludos victoriæ Cæsareæ 20. Julii celebrat, alius rerum potitum Cæsarem asserit Maii 12. Ut obique certaminis Pharsalici mentionem haberi suspicabar; donec occupatam hanc utramque suspicionem vidi a Goltzio & Petavio. Tum vero in hac ipsa mea conjectura, quod jam aliena esset convellenda, destinatius laboravi. Ac primo quidem repugnandi ferme studio; tum demum ut fit, inter contentionem, ubi clarius illucescere dies visa est, alio mentem, non sententiam impuli. Tui esto arbitrii (*Præses amplissime*) quicquid hoc suspicionis aut sententiæ, aut mentis est meæ: & hoc observantiæ in te meæ pignus excipe.*

Amplit. tuæ D. D. D.
Deditissimus

JOANNES BAPTISTA BELLUS S.J.

# PERIOCHE

## PARTIS PRIORIS

§. 1. *PRoponitur dissertationis argumentum, & de eodem suspicio, non sententia.*
§. 2. *Et Goltzii sententia anni tempus statuitur æstivum ab auctoritate Plutarchi, Cæsaris, App ni, Lucani.*
§. 3. *Quæritur mensis; ex Cæsare & Suetonio mensis Quintilis statuitur.*
§. 4. *Dies vicesimus Julii prælio Pharsalico assignatur ex Maphæano marmore.*
§. 5. *Constituitur duodecimus Maii ex sententia Petavii.*
§. 6. *Majus ille mensis convenisse probatur in Julium.*
§. 7. *Maii duodecimo victoria Pharsalica tribuitur ex Chronico Alexandrino.*
§. 8. *Res gestæ, quæ notantur in Maphæano marmore, ad Julianos, an Pompilianos dies pertineant.*
§. 9. *De natali Augusti nova suspicio.*
§. 10. *De messis tempore ad Pharsalum.*
§. 11. *Refutatur sententia Goltzii & marmor Maphæanum, quod in fastos, ex Lucano, relatus non dies Pharsalici prælii.*
§. 12. *Explicatur Maphæanum marmor.*
§. 13. *Quo mense contigerit Philippicus conflictus.*
§. 14. *Ludi Martis Ultoris quo die celebrati.*
§. 15. *Sententia Petavii expenditur. Si vicesimus Quintilis Pompiliani est duodecimus Maii Juliani; t tius decimus Octobris non est primus Januarii sequentis, ut vult Petavius.*
§. 16. *Si decimo tertio Octobris contigere Kalendæ Januarii, vicesimus Julii non est duodecimus Ma*

# PERIOCHE

## PARTIS POSTERIORIS.

§. 1. *VIcesimus Julii qua ratione Pharsalicus dici possit.*
§. 2. *Vicesimus Julii neque potest esse Julianus, neque Pompilianus.*
§. 3. *Ex Cæsare & Suetonio septimestre spatium quæritur ab Cæsaris Dyrrhachium traj ctione ad Pharsalicam pugnam.*
§. 4. *Prælio Pharsf. mensis Junius tribuitur. Longe ante prælium maturescere cœperant messes.*
§. 5. *Plutarchi sententia Pharsalicus dies fuit solstitium.*
§. 6. *Idem dies ex Lucano stabilitur.*
§. 7. *Lucanus secutus est Hipparchum & solstitium vicesimo sexto Junii posuit, æquinoctium vero vicesim septimo Septembris.*
§. 8. *Natalis & cædis Pompeii dies inquiritur.*
§. 9. *Errandi occasio in die illo Pompejano.*
§. 10. *Mensis Septembris, quo periit Pompejus, est Pompilianus.*
§. 11. *Celeritas Cæsaris. Quot diebus a Pharsalica pugna ad Ægyptum appulsus sit.*
§. 12. *Qui duodecimo Maii pugnatum volunt, pugnantia loqui videntur.*
§. 13. *Expenditur Chronicum Alexandrinum.*

# DISSERTATIO DE DIE PHARSALICI PRÆLII.

CALLISTUS,
DIONYSIUS,
HUBERTUS,

*De eo inter se critice differunt.*

---

## PARS PRIOR.

### CALLISTUS.

§. 1. IU est (VIRI ERUDITISSIMI) cum vestra hac familiari consuetudine remotis arbitris perfrui cupiebam enixe; nuper institutæ disputationis non immemor, quæ mire anxium habuit animum meum a postremo illo libero congressu nostro.

*Hubertus*. Animi nimirum dubius hærebas, ecquid certi statueres de funesto illo & nefasto die Pharsalicæ pugnæ.

In hac priore parte quamvis multa de suo dicat auctor, plura tamen ex mente Huberti Goltzii, & Dionysii Petavii profert.

*Callistus*. Rem tenes: succurrebat enim animo illud Onuphrii eruditissimi, portenti simile sibi semper visum esse, Pharsalicum diem a nullo admodum scriptore prodi.

*Hubertus*. Ego quid vero statuam similius incurrisse me suspicor, Calliste.

*Dionysius*. Suspicor & ego, Calliste, nonnihil lucis illuxisse mihi post diuturnam aut diunocturnam verius commentationem.

*Callistus*. Vestram ego utriusque aut sententiam aut suspicionem probabo libenter, si modo, ut decet, animi mei æstus sedaverit. Tu fidem quam prior dedisti, libera prior. Huberte.

*Dionysius*. In tam Cimmeriis tenebris aliquid unum probabili conjectura suspicari, non nihil lucis est afflare mentibus. Age ergo, mi Huberte.

§. 2. Anni tempus quæritur.

*Hubertus*. Ordine hic, Calliste, progrediendum puto. Anni primo tempus, tum mensis, dies demum inquirendus. Tempus anni prodit Plutarchus & Cæsar ipse; ille in Bruto Pharsalicam pugnam media ferme æstate commissam dicit, caloremque tum fuisse vehementissimum. Idem & alibi tradit, Pompejum tempore messis ad Pharsalum fuisse superatum. Cæsar vero de se ipse: *Ille segetis idoneum locum, quæ prope jam matura erat, in agris nactus, ibi adventum spectare Pompeii, eoque omnem rationem belli conferre constituit. Pompejus paucis post diebus in Thessaliam pervenit.* Hæc ante pugnam. Adde, altercationes non leves intercessisse ex historicorum omnium narratione in Pompejano exercitu ante conflictum, quæ aliquot, non paucos fortasse ab adventu Pompeii dies adjecerint, & maturrimam omnino viderint messem. Nec abludit Appianus Bell.Civ.l.2. qui docet ea nocte quæ pugnam antecessit, legiones tres frumentatum a Cæsare (ἐπὶ σιτολογίαν) dimissas & mox revocatas, ubi describi Pompejanam aciem intellexit Lucanus l. 7.

lib. 3. Æstate pugnatum est ad Pharf.

*Illo forte die Cæsar statione relicta*
*Ad segetum raptus moturus signa repente*
*Conspicit in planos hostem descendere campos,*
*Oblatumque videt votis sibi mille petitum*
*Tempus, in extremos quo mitteret omnia casus*, &c.

Constat itaque anni tempus æstivum; mensem indagemus. Cæsar idem l.3. Belli Civilis scribit, se in Græciam trajecisse pridie Nonas Januarias. Item eodem libro addit plures menses transiisse, & præcipitasse jam hiemem, antequam Antonius in Epeirum trajiceret & cum reliquo exercitu Brundusio ad Cæsarem venisset. Hinc colligitur tres menses vel duos saltem cum dimidiato effluxisse, Januarium videlicet, Februarium & Martium, antequam residuæ Antonii copiæ cum Cæsarianis conjungerentur: ex quo primum tempore (*scilicet post Antonii trajectionem*) Cæsar circa Dyrrachium Pompejum obsidere cœpit. Tres igitur menses jam seposuimus. his adde quod scribit Suetonius in primo libro, Cæsarem in Macedoniam transgressum Pompejanos & ipsum Pompejum per quatuor pene menses maximis operibus obsedisse; fudisse demum prælio Pharsalico. Nunc si quatuor hos men- §. 3. Quæritur mensis.

[illegible] ex Gu[illegible] 20. — ses sive tres jungas prioribus tribus sive duobus cum dimidio, qui jam præterierant a tempore quo Cæsar in Epeirum venit, priusquam Antonius reliquum exercitum trajiceret, invenies septem menses, eritque Quintilis septimus.

§. 4. Superest ultimo dies ipse, claddis dicam, an victoriæ, investigandus. Qui certiori etiam fundamento stabilitur, quod marmori insculptus sit. Romanum enim Kalendarium marmoreæ tabulæ incisum, quod etiamnum Romæ in ædibus Cardinalis olim Maphæi servari & spectari solet, Cæsaris victoriam ad decimum tertium Kalend. Sextiles celebrat, quam ex rerum a Cæsare gestarum serie, non est verisimile fuisse aliam a Pharsalica; quæ uti prima fuit quam contra cives obtinuit, ita & potissima & præ cæteris posterorum memoria digna. Itaque suspicabar, nec abs re opinor (viri eruditissimi) vicesimo Julii sive decimo tertio K. Sext. Pharsalico certamine Cæsarem retulisse de patria verius quam de Pompejo victoriam. Vestri sit arbitrii diem dicere alium, etiam victori & victoriæ tam cruentæ reo, quia vere ille nefastus est.

*Contigit* [illegible] *ad 13 Kal. Sext. 20. Julii.*

§. 5. *Callistus*. De tuo hoc Julio & mense & Cæsare dicemus, cum diem illi de suo dixerit Dionysius.

*Dionysius*. Ego vero, mi Calliste suavissime, diem dicam Julio Cæsareo, sed in Majum Julianum. Sic enim adducor, ut credam quarto Idus Majas, aut Maii duodecimo prælium hoc Thessalicum contigisse.

*Sententia Petavii ex Chronico Alex. 12 Maii contigit.*

*Hubertus*. Trimestri ferme toto vincula citius cudis Romanæ libertati.

*Dionysius*. Tecum, Huberte mi, tecum incudem tero.

§. 6. *Hubertus*. Mecum? qui tandem?

*Dionysius*. Ego vicesimum illum diem Quintilis qui ludos victoriæ Cæsaris exhibet in Maphæano marmore, medium esse Maii pertendo.

*20. Julii est 12. Maii.*

*Hubertus*. Sphyngem, Dionysi, loqueris: Hubertus sum, non Oedipus.

*Dionysius*. Griphum enarro. Romanus annus Pompilii Numæ constabat diebus supra trecentos quinis & quinquagenis; qui numerus quia circulationes solis non æquabat, adjectus est decimus tertius mensis Merkedonius, qui altero quoque anno intercalabatur. Hujus ergo mensis beneficio conciliatus est annus Numæ Pompilii cum solari circulo. Quare si intercalationem diligenter observassent Pontifices, constans futurus erat Pompiliani anni status & solaris; neque Julio Cæsari emendandus. Sed Pontificum libidine & inscitia fortasse aliisve de caulis factum est, ut paulatim anni caput sua sede dimoveretur, sicut Januarius tandem in Autumnum pervenerit. Auctores hujus rei sunt Suetonius, Censorinus, Macrobius & alii. Pontifices enim odio vel amore publicanorum, quo vel citius vel tardius illorum tempora præterirent; aut magistratibus perinde tempora prorogarent, aut e contrario minuerent, sæpe intercalatione aut omissa aut præcipitata annum evertere. Ut Januarium sua sede luxatum colligunt certis ex conjecturis, qui de annorum emendatione aut doctrina scripserunt; qui iidem contendunt anno Urbis 706. Januarii Pompiliani Kalendas in decimum tertium Octobris incidisse. emendante nimirum Julio Cæsare, quem ideo Lucanus ita loquentem inducit:

*Conciliatur [illegible] [illegible] Kalendarii.*

*Petavius l. 2. 6. 67. tomo 1*

*Pet. in laterculo anni confusionis & ejusdem [illegible] [illegible] quamvis lib 10. cap 59. Julii cat. 14 Oct.*

*—— media inter prælia semper*
*Stellarum, cœlique plagis, superisque vacavi:*
*Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.*

Incurrebat igitur Cæsaris ætate Julius in Aprilem, vel ineuntem Majum hodiernum, subducto eodem septenario tuo, Huberte, mensium numero. Ab Octobri enim non integro ad Majum non integrum, septem excurrunt integri menses, quos erudite interseris Cæsaris in Epeirum trajectioni, & cladi Pharsalicæ.

*Hubertus*. Mensem designasti; quotum laudas diem? §. 7.

*Dionysius*. Hæsi, fateor, in hisce salebris non uno die: sed scrupulos exemit Chronicum Alexandrinum.

*Callistus*. Luxatum & deartuatum mirifice codicem laudas.

*Dionysius*. Ut ut sit, constat sibi tamen, & singulis in exemplaribus duodecimum indicat Maii diem Juliani imperii primum. Locus ipse conceptis verbis is est: Ἁπάντων ἐκράτησεν ἐν ὑπερηφανίᾳ καὶ τυραννείᾳ ἔτη δ' καὶ μῆνας ζ', πρὸ τεσσάρων Εἰδῶν Μαΐων τῆς πρώτης ἐπινεμήσεως. *Superbum & crudele imperium exercuit annos quatuor, menses septem, quarto Idus Maii, indictione prima*. Iterum, a primo, inquit, C. Julii Cæsaris anno, duodecimo, τῇ αὐτῆς (ἰνδικτίωνος) τοῦ Ἀρτεμισίου μηνὸς Ἀντιοχεῖς τοὺς ἑαυτῶν χρόνους ἀριθμοῦσι, καὶ αἱ ἰνδικτοι χρηματίζειν ἤρξαντο ἀπὸ πρώτης αὐτῆς τοῦ Γορπιαίου μηνός. Duodecimo *mensis Artemisii*, id est, Maii Juliani, *æram suam numerant Antiocheni. Indictiones porro*, subjungit Chronicum, *numerari cœpere a primo die Gorpiæi*, sive Septembris. a quo si mense numeres, septimus est Martius, quo cæsus est C. Julius, v. nimirum imperii anno. Ecquid agnoscis, Huberte doctissime, Julius ille tuus & dies vicesimus, quam non dissociabili distet intervallo a meo hoc Majo, & duodecimo dierum numero?

*12. Maii Victoria Pharsalica.*

*Artemisius Syromacedonicus est Majus, ut docet Petavius in Epiphan. & alibi.*

*Hubertus*. Est tamen nonnihil, quod mentem ab hoc tuo & die & mense avocet. Primum quod Kalendarii Maphæani menses ex præscriptis titulis cum Julianos agnoscas, res gestas, quæ certis dierum numeris adnotantur, ad Pompilianorum mensium dies exigere videris. §. 8.

*Dionysius*. Exigo, Huberte, sed eas duntaxat quæ ante Juliani anni castigationem contigere, qui post Pharsalicam victoriam digestus est. Ita cum Pharsalicus conflictus in ante 13 Kal. Sext. in Maphæano marmore notatur, mensis & dies ad Majum Julianum revocari debent.

*Hubertus*. Quid igitur est, quod Augusti natalis nono Kal. Oct. præscriptus est in eodem marmore? num & September ille Pompilianus est?

*Dionysius*. Est omnino. Septembris enim ille quo natus dicitur Augustus, in Junium aut Julium hodiernum circiter cadebat, sed Historici plebejo more & ἰδιωτικῶς sic loquuntur, quasi idem perpetuo tenor annorum fuerit.

*Natalis Augusti.*

*Hubertus*. Plebeii moris insimulas veterem Poetam, qui Augustum sub libra natum ait:
*Et libram quam Cæsar habet*,

*Callistus*. Aberraremus opinor, longius quam par est, a Thessalicis campis, si ad natalem Augusti recurrendum esset: vetus est controversia nec hujus otii nostri. Obiter tamen quod occurrit, impertiam. Septembrem §. 9.

illum non Julium mihi, sed Augustum sive
Refert Goltzius in Aug. & Dio 55. Sextilem videri. Veteris enim senatusconsulti verba sunt hæc: *Quia Imp. C. Aug. mense Sextili & primum consulatum & triumphos tres in Urbem intulerit*, &c. *placere Senatui, ut hic mensis Augustus appelletur*. Si mense Sextili primum consulatum iniit, September natalis Sextilis fuit, non Quintilis; Augustus, non Julius. Pridie enim natalis sui consulatum iniit priorem ex communi Historicorum sententia. Verum hæc alias.

§. 10. *Hubertus*. Occurrit & aliud quippiam, quod opponam Dionysii sententiæ & Majo Juliano. Videtur enim falcem inferre in Thessalicam messem alieno tempore & citius quam par sit. Quid quod æstatem mediam, Maii duodecimum statuit?

*Dionysius*. Potuit, Huberte, prope matura messis esse, ut ait Cæsar, circa idus Majas, apricis præsertim in locis; potuit & æstus esse maximus. Ecquid oblitus es Hesiodei versus l. 2. op. & d.

*Ωρη ἐν ἀμητοῦ, ὅτε τ' ἠέλιος χρόα κάρφῃ.*

*Temporibus messis, cum Phœbus corpus adurit.*

Æstas & messis Majo tribuuntur. Illa tamen æstiva & æstuosa tempora contingere ait ortu Plejadum, heliaco nimirum:

Vide Petavium ad Auct. p. 94. & 100.

*Πληϊάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων*
*Ἄρχεσθ' ἀμητοῦ, ἀρότοιο δὲ δυσομενάων.*
*Pleiadas cernens orientes demete fruges;*
*Vomere verte solum, cum submerguntur in undis.*

§. 11. Refutatur sententia. Vergiliarum sive Plejadum exortus heliacus anno Juliano primo Romæ factus est in Tauri gradu 28. qui in Maii diem cadebat 21. At Hesiodi tempore maturius adhuc ortus ille fiebat. Sint igitur segetes prope maturæ Idibus Maiis & falcem ad se vocent, *οἱονεὶ τὴν δρεπάνην ἐφ' ἑαυτὰς καλοῦντες*, ut loquitur Isidorus Pelus. post 21. constabit Pharsalicus dies ad 13. Kal. Sext. Pompilianas, ad 4. Idus Majas Julianas.

*Callistus*. Dudum est profecto, *par eruditorum illustre*, cum suboluerat mihi dies Pharsalicus ex hoc utroque & Maphæani Kalendarii & Alexandrini Chronici loco. Verum neque satis tutæ Siculæ tabulæ mari visæ sunt: neque terræ satis stabile & certum Romanum marmor. Certius præstitit utrunque vestra, ut intelligo, utriusque sententia, nondum tamen animum penitus confirmavit: qui vero etiamnum quæsset, expono.

Chronicon Alex. dicitur Siculæ tabulæ Radero, &c.

Mensem Pharsalicum, Quintilem sive Julium statuis; diem conflictus ipsum, mensis ejusdem vicesimum, quod Maphæani marmoris Kalendarium decimo tertio Kal Sext. præferat voces, LUD. VIC. CÆS. At repugnat imprimis gravis in Pharsalicis auctor Lucanus, qui diem prælii negat fastis adscriptum, l. 7. orbis vastitatem dum narrat:

Maphæanum marmor annotat Pharsalicum diem.

*—— Pharsalia tanti*
*Causa mali, cedant feralia nomina Cannæ,*
*Et damnata diu Romanis Allia fastis.*
*Tempora signavit leviorum Roma malorum,*
*Hunc voluit nescire diem.*

Quem in locum & hemistichium ultimum ita interpretes. Sulpitius, Signavit. *annotavit in fastis*. Voluit nescire, *non signavit, ut a minoribus ignoraretur*. Beroaldus, Roma signavit. *scilicet in fastis. voluit posteros nescire hunc diem*

A *Pharsalici belli, quia tam dirus erat, ut ipsum e memoria penitus sublatum velit; quod non fieret, si in fastis notatus fuisset*. Ita illi verbis suis. Ergo e fastis scire te posse, Huberte, credis, quod fastos scire Roma vetuit. Age etiam, quia meris in tenebris suspicionibus tantum locus est. Alia deinde vehemens suspicio est, ludos hosce victoriæ Cæsaris non esse alios ab illis, qui celebrati sunt dedicata æde Genitricis, quam voverat Julius bello Pharsalico cum tessera *Julii* esset, VENUS GENITRIX; *Pompeii*, INVICTUS HERCULES, ut testatur Dio.

§. 12. Explicatur marmor Maphæanum.

B Hos ludos perfecta æde celebravit Augustus Cæsar, Julio patre cæso & cunctantibus iis quibus obtigerat id munus. Fidem facit omni exceptione major em Suetonius in Aug. c. 10. LUDOS VICTORIÆ CÆSARIS (en verba ipsa Kalendarii Maphæani) *non audentibus facere quibus obtigerat id munus, ipse edidit*. Suetonii & Kalendarii ludos eosdem esse asserit mecum & Rosinus lib. 4. cap. 16. Dio vero lib. 45. pag. 309 *Καὶ μετὰ τοῦτο πανήγυριν τὴν ἐπὶ τῇ τοῦ Ἀφροδισίου ἐκποιήσει καταδειχθεῖσαν, ἣν ὑποδεξάμενοί τινες ζῶντος ἔτι τοῦ Καίσαρος ἐπιτελέσειν, ἐν ὀλιγωρίᾳ, ὥσπερ που καὶ τὴν τῶν Παριλίων ἱπποδρομίαν, ἐποιοῦντο, αὐτὸς ἐπὶ τῇ τοῦ* C *πλήθους θεραπείᾳ, ὡς καὶ προσήκουσαν διὰ τὸ γένος τοῖς οἰκείοις τέλεσι διέθηκε*. *Deinde* (inquit) *ludos institutos ob perfectionem fani Veneris, quos vivo adhuc Cæsare quidam sese celebraturos receperant, sed tunc sicut & equestre certamen Parilibus, negligebant; ipse suis sumptibus tanquam ad se ratione generis pertinens, ad captandam populi gratiam, fecit*. vides LUDOS VICTORIÆ CÆS. ab Augusto exhibitos ob perfectionem fani Veneris Genitricis 13. K. Sext. Neque tamen inde necessario conficias, victoriam Pharsalicam contigisse vicesimo Julii, licet eo die & consecrata ædes sit & ludi notentur.

Ludi illi in honorem Genitricis Veneris seu templi, non Victoriæ Phars.

§. 13. D Nam paris admodum exempli est Philippica pugna & consecratio ædis, quam tum voverat *Ultori Marti* Cæsar Octavianus nondum Augustus, tamen non eundem in diem incidunt. Philippense enim prælium autumno commissum est, ut innuit Plutarchus in Bruto, dum asserit hiemante cœlo, imbribus autumnalibus, *ὄμβροις ὀπωρινοῖς*, luto & concrescentibus in glaciem aquis Antonianos & Cæsareanos plurimum infestatos esse per viginti illos dies, qui a priore pugna ad ultimam intercessere. Sub autumnum igitur pugnatum est ad Philippos, E vovitque Augustus ædem Marti Ultori. Ludos tamen in ejus dedicationem institutos videtur celebrasse quarto idus Maii sive duodecimo ejusdem mensis Maii Juliani & nostri. Quo eodem etiam die fastos suos designat Ovidius lib. 5. de templo Martis Ultoris:

Ludi in honorem dedicationis templi Martis Ultoris.

*Voverat hoc juvenis tum, cum pia sustulit arma;*
*A tantis princeps incipiendus erat.*
*Ille manus tendens adstanti milite justo*
*In conjuratos talia verba dedit:*
F *Si mihi bellandi pater est Vestæque sacerdos*
*Auctor & ulcisci nomen utrumque paro;*
*Mars ades & satia scelerato sanguine ferrum,*
*Stetque favor causa pro meliore tuus.*
*Templa feres & me victore vocaberis Ultor:*
*Voverat, & fuso lætus ab hoste redit*, &c.
*Rite Deo templumque datum, nomenque, Bis-ultor.*
*Et meritus voti debita solvit honor.*
*Solemnes ludos Circi celebrate, Quirites;*
*Non visa est fortem scena decere Deum.*

§. 14. Atque ut intelligas, quotus fit Ultoris Mavortii dies, addit in æstatis initium:

*Pleiades aspicies omnes, totumque sororum*
*Agmen, ubi ante idus nox erit una super.*

Quare non ideo certo statuis, Huberte, Pharsalicum diem ad 13. K. Sext. quod ludi victoriæ Cæsaris eo die notati sint. Quamvis non desint exempla ex aliis fortasse Kalendariis, quibus ludi victoriæ eo ipso die quo pugnatum est, præscribuntur: ut victoria de Juba incidit in nonum Aprilis & ludi quoque. & in Kalendario ludi vict. Cæs. sunt Ovidiani in Fastis lib. 4.

*Hæc, ait, illa fuit, Libycis qua Cæsar arenis*
*Perfida magnanimi contudit arma Jubæ.*

Tamen in Pharsalica alia ratio est, quam indicat ante laudatus Lucani locus, voluisse Romam hunc diem nescire, id est, fastis adscribere. Jam vero ordinatus erat annus Julianus, cum Augustus ludos victoriæ Cæsaris celebravit. Unde ex Kalendario illo Maphæano non potest elici dies pugnæ Pharsalicæ licet inciderit fortasse in vicesimum Julii sive Quintilis.

§. 15. Quo subruto fundamento, non est quod tuto superstruere possit Dionysius diem illum ludorum 30. Julii, fuisse 12. Maii Juliani, aut utrobique Pharsalicum diem indicari.

Quin, ut hoc etiam dederim, Dionysi, 13. K. Sextiles Pompilianas quartum nonas Maii Juliani fuisse, ruat necesse est sententia Doctoris temporum clarissimi, quæ Dionysio charissima est (scio.)

*Dionysius*. Quæ, Calliste, sententia?

*Callistus*. Illa quam annus Confusionis in laterculo & ejusdem enarratione præfert de Kalendis Januarii Pompiliani, quas ad 13. Oct. collocat. Nam si lubet a 20. Quintilis Pompiliani, & 12. Maii Juliani, tanquam a centro procedere in posteriores menses Julianos & Pompilianos: aut ab eodem in anteriores retrocedere, compositis inter sese mensium dierumque numeris. Si 20. Quintilis Pompiliani dies, 12. Maii Juliani annotabitur, anno Pharsalico Kalendæ Januarii Pompiliani ineant necesse est Oct. 29.

*Pompiliani Februarii primus dies ad 26. Nov. exigitur.*
*Martius init 24. Decemb. Aprilis 24. Januarii nostri,*
*Majus 22. Februarii; Junius 25. Martii.*
*Julius 23. Aprilis; Sextilis Pompilianus, Mai. 24.*
*September Junii Juliani 22. October Julii 21. November 21. Augusti; December 19. Septembris.*

Januarius denique anni sequentis, quo incipit confusionis annus, inierit oportet 18. Octobris Juliani. Cum tamen ab eruditissimo Doctore temporum Kalendæ Januariæ illius anni, 13. constitutæ sint.

Contraria iterum ratione si procedimus a K. Januariis dierum itidem quinque erratum deprehendimus.

Si 13. Octobris Juliani dies, primus Januarii Pompiliani statuitur anno Confusionis; Pharsalico, qui præcessit, Kalendæ Quintilis Pompiliani 18. Juliani Aprilis ineunt, ac proinde 20. dies Pompiliani Quintilis incurret in 7. Maii Juliani. §. 16.

In hisce scrupulis anxie plurimum ingredior, nec satis certo vestigio: vestræ erit opis eosdem eximere. Consule latercula quæ ad calcem adjecta sunt.

*Hubertus*. Scrupulos illos tuos in calculos mutamus atque suffragia, & incertam adhuc diem Pharsalicam esse contendimus. Verum belli non tantum munus est hostes propellere, aut aggredi; sed belli justi potissimæ partes sunt prostratis hostibus otium & pacem concedere. Quare sententias aliorum qui tam belle eruisti, statue postremo tuam.

*Callistus*. Alius erit fortasse olim statuendi locus, jam dimittendus est, opinor, senatus.

---

# PARS ALTERA,

## *In qua statuitur dies 26. Junii.*

### CALLISTUS SOLUS.

§. 1. 

Qui anno confusionis Pompiliani Januarii Kalendas ad 13. Octob. collocant, nulla ratione conciliare possunt in eundem diem, Quintilis 20 & Maii 12. ut priori parte disputavimus: at nobis, qui sedem Kalendarum Pompilianarum nullidum sedi affiximus, integrum esset eundem utrumque diem statuere, nisi jam tum monuissemus non agi utrobique & apud Chronicum Alexandrinum & in marmore Maphæano de re admodum eadem. Verum si quis litigiosius mecum forte contendat, Pharsalici conflictus diem ludis illis Circensibus Romani Calendarii celebrari, nec habendam esse Maii Alexandrini vel Antiocheni rationem ullam; primum dicam, favere illius conjecturæ messes jam maturas, æstatem prætorridam, & Lucani locum fortasse non ineruditum sed ingeniosum oppido, quem supra in contrariam partem adduximus.

—— *Pharsalia tanti*
*Causa mali, cedant feralia nomina Cannæ,*
*Et damnata diu Romanis Allia fastis.*
*Tempora signavit leviorum Roma malorum,*
*Hunc voluit nescire diem.*

Alliensis nefastus dies in fastos refertur ad 15. Kal. aut 14. Vacuus dies 13. qui sequitur in fastis Pharsalicus est, quem Roma ne publice sciretur, signare noluit. Hæc tamen conjectura acutior est longe quam verior. Itaque secundo missis conjecturis, certo pronuncio diem illum vigesimum Julii Julianum esse, §. 2.

non posse & Pharsalicum. Nisi velis Magnum Pompejum ante cladem Pharsalicam ad Casium montem interfectum esse, quippe qui cæsus sit ad 15. circiter Juliani Quintilis, ut non dubiis argumentis deinde convicturi sumus. At Quintilem hunc jubet esse Pompilianum Dionysius, & in Majum convenire: at eadem opera una Septimestre spatium diruit Dionysius, quo tamen nihil tutius esse confirmabat ex tua, Huberte, sententia. Cæsarem prius & Suetonium audire placet, quo ex utroque coaluit primum Goltzio septenarius mensium, probatus postmodum & Petavio. Cæsar l. 3. Belli Civ. de se sic tradit: *Pridie nonas Januarias naves solvit impositis legionibus septem, postridie terram attigit Cerauniorum.* Hinc constat Epeirum attigisse nonis Januarii, mensis ejusdem quinto. §. 4. *Multi* (inquit) *jam menses transierant & hiems præcipitaverat, neque Brundusio naves legionesque ad Cæsarem veniebant.* Solvisse tandem subjicit Antonianos suos, neque conjunctos copiis Cæsarianis nisi aliquot post appulsum dies. Plures illos Cæsaris menses, tres interpretatur Goltzius & agnoscit Petavius totidem. Tum ex Suetonio utrumque conficit quatuor menses Dyrrachinis prælis & obsidionibus consumptos. Neque obsedit Cæsar Pompejum, nisi transgressis ad se Antonianis. Suetonius: *In Macedoniam transgressus Pompejum per quatuor pene menses maximis obsessum operibus ad extremum Pharsalico prælio fudit; & fugientem Alexandriam persecutus, ut occisum deprehendit, cum Ptolemæ Rege, a quo sibi quoque insidias tendi videbat, bellum sane difficillimum gessit, neque loco, neque tempore æquo, sed hieme anni, & intra mœnia copiosissimi ac solertissimi hostis, inops ipse rerum omnium atque imparatus.* Extrema hæc Suetonii verba de bello Alexandrino Pompilianos menses accepisse Suetonium docent quasi Julianos: priora menses quatuor ad tres superiores adjungunt ac septimestre statuunt, inquit ex Goltzio Petavius, spatium, ab appulsis ad Epeirum Cæsarianis, ad pulsum Pharsalico certamine Pompejum. Januarii Pompiliani Kalendas exigit Petavius ad mensem Octobrem; tres igitur menses priores agnoscat necesse est, Octobrem, Novembrem, Decembrem, & hos esse, quos plures transactos esse dicit Julius Cæsar. Atenim si præcipitaverat, ex laudato Cæsaris loco, hiems post illos plures, ut loquitur, menses, qua tandem ratione dicet Petavius jam præcipitasse hiemem ineunte Januario Juliano, cum eodem ipso annotante Petavio mediam hiemem collocet Ovidius in Kalendario vetusto ad 10. Januarii? Ego vero sic existimo, plures illos menses ac præcipitatam hiemem, ad mensem fere Martium deducendos, a quo quatuor alios si requiras Suetonianos, transacto Majo ad Junium deveniendum sit: quo eodem contigisse pugnam ad Pharsalum decretoriam illam ac feralem semper equidem præ me tuli. Neque desunt aliæ etiam conjecturæ, quæ & mensem eundem & diem unum aliquem indicare videantur. Primum quidem frustra est Hesiodus, nec de Thessalia loquitur, si quis sententia ejus 12. Maii messem colligat. Neque satis est jam pene maturas fuisse segetes Pharsalico die; cum afferat Cæsar ante Pompejanæ seu Dyrrachinæ obsidionis solutionem objicientibus famem Pompejanis panes ex chara effectos in eosdem conjectos esse a Cæsarianis, ut spem eorum imminuerent. *Jamque* (sub dit, *frumenta maturescere incipiebant, atque ipsa spes inopiam sustentabat, quod celeriter se habituros copiam confidebant.* Hanc spem secuta sunt adversa Dyrrachina prælia, quibs attritum exercitum caute circumegit Cæsar ea per loca, ut ipse auctor est, quæ commoda frumentationi essent. Perplacet ejusdem Cæsaris verba & audire & expendere. *Re frumentaria præparata, confirmatisque militibus, & satis longo spatio temporis a Dyrrachinis præliis intermisso, quod satis perspectum habere videretur, tentandum Cæsar existimavit, quidnam propositi aut voluntatis ad dimicandum haberet. Itaque ex castris eduxit, aciemque instruxit*, &c. Quod sæpius per plures dies actitatum innuunt quæ sequuntur: *Signo jam profectionis dato tabernaculisque detensis animadversum est paulo ante extra* quotidianam *consuetudinem longius a vallo esse aciem Pompeii progressam.* An non perspicis post longum illud temporis spatium, quotidianam consuetudinem non paucorum sane dierum, messem in horrea jam recondendam esse monuisse? Nihil igitur agit, qui circa Pharsalicum prælium & 12. Maii jam pæne maturas segetes probat. Adjice Junii partem non modicam; messem idoneo fortasse campis Thessalicis tempore collegeris. Quare Plutarchi sententia est, ipso apice messis & æstatis certatum esse: *ἦν μὲν ἀκμὴ θέρυς ἢ καῦμα πολύ. erat autem summus messis apex & æstus plurimus.* Julium non fuisse jam supra demonstravimus; fuerit igitur Junius, isque jam adultus, atque, ut ego suspicor, jam solstitio admotus. Quid enim obstat, quo minus *ἀκμὴν θέρυς, mediam æstatem* cum non licet Julianam, solstitialem dicamus. Certe si æstas accessu solis, hiems recessu constat, quare *summam æstatem* maximum ad nos solis progressum non interpretabimur? Probabilis (arbitror) nihil causæ est. Geminus est Plutarchi loco Gemini Astrologi locus in elementis sive Isagoge: *Εαρινὴ μὲν ἰσημερία περὶ τὴν τῶν ἀνθέων ἀκμήν, τροπὴ δὲ θερινὴ περὶ τὴν τῶν καυμάτων ἐπίτασιν.* & Pindarus, *ἦρος ἀκμὴ φοινικανθέμου. media pars veris purpurei.* Fuerit igitur Pharsalicus dies, solstitialis. Quo eodem die auxiliares Pompeii Arabes Felices illi, quorum patria maximam partem ultra æstivum circulum protenditur, jure mirari potuerunt, umbras solis in australem orbis partem & sinistram non incumbere,

*Ignotum vobis Arabes venistis in orbem,*
*Umbras mirati nemorum non ire sinistras.*

Quem Lucani locum explicat etiam Hygenus de Solstitio, ut alibi docemus. Ingeniosissimus enim poeta, cum diem illum nefastum in vulgus proferre nefas esse dixisset, involucris texit verborum. Descriptis enim in aciem Pharsalicam Romanis legionibus & sociorum auxiliis, miratos ait eo die non inclinari in sinistram nemorum umbras, sed in dexteram. Felicium Arabum vertici tres fere menses incumbit sol, & umbras spargit in lævam meridianam: reliquo omni tempore nostro more dextrorsum emittuntur umbræ in Septentrionem. Sesquimense posteriori quo sol recurrit a solstitio æquinoctium versus admiratos afferere non potuit Arabas Lucanus, cum jam a Pharsalicis Julium mensem excluserimus: priori vero sesquimestri spacio non fuerit admirandi ratio, donec ad solstitium æstas procederet, quod Felix Arabia partem etiam sui sub tropico agnoscat. Eo porro solstitiali die

[Margin notes: §. 16. — §. 5. Plutarchi opinio. — Lucani locus de Pharsalico die. — §. 4. Verus septenarius mensium. — Superiori parte laudatur Hes. locus. b. c. l. 3. c. 48 §. 1]

non imperite miratos ait, in Thessalia nullo anni tempore sinistras esse umbras. Atenimvero quoto Junii die & solstitium & conflictus diem statuit Lucanus? Nodus erit vindice dignus, sed dignum nodo vindicem dabit Petavius Hipparchum, cujus ad sententiam anni cardines exegisse Lucanus videtur. Hipparchus quidem, ut docet in dissertationibus ad Uranologiam eruditissimus Petavius, pag. 79. cap. 4. lib. 2. solstitium 26. Junii, æquinoctium 27. Septembris collocabat. Quo ipso die æquinoctium agnovisse Lucanum video iis in versibus, in quibus nihil videre, qui omnia tamen sibi videre maxime visi sunt hactenus. Appulsum narrat Historico-poeta ad Casium montem Pompejum sub æquinoctium Autumnale, lib. 8.

§. 7. Anni cardines Lucani ex Hipparcho

Solstitium 26 Junii æquin. 27 Sept.

Quo die Pompejus cæsus sit.

*Tempus erat* (inquit) *quo Libra pares examinat horas*
*Non uno plus æqua die, noctique rependit*
*Lux minor hybernæ verni solatia damni.*
*Comperit ut Regem Casio se monte tenere,*
*Flectit iter, nec Phœbus adhuc, nec carbasa languent, &c.*

Nam cum a plerisque omnibus memoriæ traditum sit pridie natalis sui M. Pompejum interemptum esse; ab aliis vero cum Dione ipso illo die quo de piratis & Mithridate triumphaverat: quod aliunde ad 3. kal. Octobr. Pompilianas nimirum triumphasse constaret inter omnes, æquinoctialis dies ex Hipparchi doctrina ad 27. Sept. præstituendus videbatur Ægyptio parricidio. Hæc Lucani sententia sive hallucinatio non est, opinor, tam molli brachio prætereunda; cum tanto inter se opere veterum auctorum monumenta dissideant in hoc Magni Viri natali, cædis, & triumphi die certis numeris asserendo. Plinius enim natali suo triumphasse Pompejum de Mithridate tradit pridie kal. Octobr. lib. 37. cap. 2. idem tamen triumphi ejusdem præfationem describit, *Quem* (inquit) *duxit ad 3. Kal. Octob.* Periit idem Pompejus ex Dionis sententia jam laudata anniversario suo triumphi Mithridatici die: postridie natalis cecidit, ex Plutarcho in ejus vitæ historia: pridie contra ex pluribus, ut notat Goltzius in Fastos pag. 208. qui tandem, Mithridatici triumphi diem nisi mecum geminum statuas & fraudi fuisse dicas, nodum solveris? de quo gemino triumpho ita in Fastis:

Natalis Pompeii.

§. 8.

Biduo triumphavit Pompejus.

CN. POMP. CN. F. SEXT. N. MAGNUS III. PRO. COS. EX ASIA PONTO, PAPHLAGONIA, CAPPADOCIA, CILICIA, SYRIA, ARMENIA, PIRATEIS, IBERIA, CRETA, DE REGIBUS MITHRIDATE ET TIGRANE PER BIDUUM III. PRID. KAL. OCT. AN. DCXCII.

Hæc Fasti Capitolini ex Verrii fragmentis. Mensis ille Septembris Pompilianus est undetriginta duntaxat dierum. Atque ita biduum illud triumphale incidit in 28. & 29. Septembris, nec pugnat secum magnus Plinius, natumque asserit quo triumphavit die altero. Dionis sententia non potest certo erroris insimulari, quæ utri diei cædem adscribat, dissimulat; minus tamen quam par est accurata, quæ unum admodum diem agnovisse videatur. Cæteros quid in fraudem induxerit, videamus. Plutarchus quidem hallucinatus fortasse fuerit, & postridie natalis Pompeii cædem collocaverit, dum legit frequenter apud historicos Pompejum natali suo triumphasse mensis die insuper habito: apud nonnullos nulla natalis habita mentione 28. Septembris: periisse vero apud non paucos 29. quibus fucum fecerat biduum illud triumphale in unum diem aliquorum errore coalescens. Senserit Plutarchus periisse Pompejum postridie, quam triumphaverat & natus erat. Nec obstat biduum triumpho insumptum ab ipso etiam Plutarcho tradi; cum mensis dies non adscribatur, fortean occeperit eidem Plutarcho hoc bidui tempus ad 27. Septembris.

§. 9. Detegitur erroris occasio in natali Pompeii et cæde.

Aliis vero qui pridie natalis necem ejus contigisse volunt, fraudi fuit idem biduum, sed verso ordine, quod cum pluribus in monumentis privatis publicisque 29. natalis præscriberetur, aliis non paucioribus, cædes triumphi die 28. Sept. ab illis nimirum auctoribus, quos in errorem induxerat fama communis, quæ & triumphum & cædem uni affigebat diei: pronum fuerit conficere cædem Pompejanam pridie natalis contigisse.

§. 10. Lucani opinio.

Horum vestigia qua sit Lucanus noster sectatus ratione, jam præmonuimus. Neque erat quod ad aliorum opiniones devolveremur, nisi perplexus iste historiæ locus, & difficiles haberet explicatus, & esset in rem Pharsalicam accommodatissimus. Jam tum enim præmisi Septembrem istum Pompilianum esse, non Julianum, & Lucanus more historicorum (de quo monet & Doctor temporum accuratus l. 11.) ἰδιωτικῶς mensium Pompilianorum dies exegit ad Julianos, & biduum desinentis Septembris Hipparcheo æquinoctio tribuit, cum nihilominus 28 illa Septembris dies qua Pompejus extremas Ægypti & vitæ oras attigit, 14. Sextilis Juliani adscribenda sit, si Januarii Pompiliani kalendæ anni confusionis 13. Octob. recte statuuntur. Et vero Julianum non esse Septembrem illum, quo cecidit Pompejus, convincit Cæsar ipse, qui suborto bello Alexandrino post aliquot saltem ab appulsu dies per Etesias ad auxilia contrahenda in Asiam non potuisse se navigare narrat. Etesiæ ex doctrina Ptolemæi Alexandrini flare desinunt 25. Augusti. Pet. Auct. 99. Alexandriam delatus est Cæsar triduo post Pompeii necem 13. circiter Octobris; qui si Julianus item est ut September, Cæsar prohibendus erit ab Asiatica navigatione ventis Etesiis, qui tamen posuerint a 25. Aug. hoc est, a diebus 40. & eo etiam longe pluribus. Verius senties, Septembrem illum & Octobrem Pompilianos esse, & Alexandrino littori applicuisse Pompejum 29. circiter Septembris, 3. vel 4. sequentis Octobris Cæsarem; nec plures esse necessarios dies, aut fugæ maturatæ, aut celeri infectationi, quam qui intercesserint inter 26. Junii, quo, prælio fusus est Pompejus, & 15. fortasse Julii, quo cæsus est; & tertium quartumve Octobris, id est, 19. Julii quo Alexandriam ingressus est Cæsar. a Pharsalico certamine 24. die. Neque vero plures dies illi maris tractui decurrendo requirat Cæsaris illa & ingenio & rerum cardine incitata celeritas. Quæ sane properandi solertia Cæsaris ipsius verbis mirifice describitur, lib. 3. *Cæsar omnibus rebus relictis persequendum sibi Pompejum existimavit, & quantum itineris equitatu efficere poterat, quotidie progrediebatur, legionemque unam minoribus itineribus subsequi jussit, &c. Cæsar paucos dies in*

Petavius natalem P. et mortem pridie K. Oct ponit l. 10. p. 257. nec nos dissentimus qui integrum esse volumus aut 28. aut 29. Septem. collocare.

§. 11. Quo die appulsus sit Cæsar Alexandriam.

Vide Iaterculos.

*in Asia moratus, cum audisset Pompejum Cypri visum, cum legionibus: una quam ex Thessalia se sequi jusserat, & altera quam ex Achaia evocaverat, Alexandriam pervenit. In his erant legionibus hominum tria millia ducenti, reliqui vulneribus ex præliis & labore ac magnitudine itineris confecti consequi non potuerant. Sed Cæsar confisus fama rerum gestarum infirmis auxiliis proficisci non dubitavit, atque omnem sibi locum tutum fore existimavit. Alexandriæ de Pompeii morte cognoscit.* Hæc Cæsar. Appianus autem duos Pharsali dies moratum, 3. in orientem in Hellespontum trajiciendum perrexisse vult, tum in Asia subsistentem Asiæ Græciæque civitates in gratiam recepisse, legationes audivisse. Hinc Rhodum, Rhodo postmodum tertio die Alexandriam tenuisse. Asianam moram ad Ilium dierum paucorum fuisse disertissime annotat Cæsar; illinc vero septima nocte Pharo subiit ex Lucano:

[Margin: Quot diebus a Phar. prælio Cæsar Ægyptum tenuit.]

*Sic fatus, repetit classes & tota secundis*
*Vela dedit Coris, avidasque urgente procella*
*Iliacas pensare moras, Asiamque potentem*
*Provehitur, pelagoque Rhodon spumante relinquit.*
*Septima nox zephyro nunquam laxante rudentes*
*Ostendit Phariis Ægyptia littora flammis.*
*Sed prius orta dies nocturnam lampada texit*
*Quam tutas intraret aquas, &c.*

Accedant ad hanc celeritatem augendam Etesiarum prodromi, quos jam ab 12. Julii, (pridie quam solvit de littore Trojano Cæsar) Ptolemæus docet invalescere, Etesias vero ipsos ab Juliis Idibus. Qui quam ab Ægypto navigantibus contrarii sunt, tam profecto illuc contendentibus adspirant. Quare desinant moras nectere properanti Cæsari, qui, cum 19. Julii, 3. ab interfecto Pompejo die Cæsarem nobiscum necessario Alexandriam introducant; prælium tamen Pharsalicum 12. Maii gestum contendunt. Ubi enim tot dierum moras defigent? an in Trojana Alexandriam navigatione? at septiduum duntaxat obtinuit. An in Asia ipsa? At paucos dies immoratum se auctor est Cæsar. An in Græciæ reliquæ & Hellesponti transcursu quantum contendi poterat incitato? Quid? tam celer decursus a Pharsalicis agris, tam modica commoratio Asiatica plures quam sexdecim exhauserint dies, quos e 24 illis quibus Alexandriam attigisse Cæsarem diximus, concedimus. Quin, quod omnem fidem longe superat, si 12. Maii ad Pharsalum pugnatum est; 62. dierum spatio metiantur (qui ita sentiunt) oportet, aut paucorum dierum in Asia commorationem illam, aut Hellesponti trajectionem, eo magnis itineribus, quantum equitatu effici poterat, contendentis.

[Margin: §. 12. Qui sequuntur Chronicon Alex. plus dies tri... quam ... erit.]

[Margin: Vide laterculos.]

Quid igitur fiet Chronico Alexandrino, in quo pluribus locis ingeritur duodecimus Maii dies? Quid fiet rogas? Expendenda sententia & qui codex tot locis lacer & mendosus deprehenditur, hic quoque sublestæ fidei censendus.

[Margin: §. 13.]

1. ἀπάντων ἐκράτησεν, non est conflixit in Pharsalia, ceu vicit; cum de præliis aut de Pharsalia nulla admodum mentio fit.

[Margin: ἀπάντων ἐκράτησεν πρὸ δ' εἰδῶν Μαΐων p. 438.]

2. Qua ratione pronunciatus dicitur I. Cæsar, Dictator Antiochiæ vicesimo tertio Maii, qui secundam hanc Dictaturam accepisse traditur etiam ab ipso Petavio l. 10. p. 257. ex Dione, post mortem Pompeii, quæ, ut diximus, Julio mense contigit.

[Margin: ἐκλήθη Δικτάτωρ γ καὶ κ. ibid.]

3. Ecquos inculcat consules in hunc annum primum, ut ait, Julianum? *Lepidum & Plancum*. Lepide, ut vides, Julio Augustum miscuit.

[Margin: ἀπὸ πρώτου ἔτους τοῦ Γαΐου Ἰουλίου Καίσαρος καὶ τῶν προκειμένων ὑπάτων Λεπίδου καὶ Πλάγκου ἤγουν ιβ. καὶ αὐτῆς τοῦ ἀρτεμισίου, &c. p. 446.]

N A M

4. Augustus vere ἀπάντων ἐκράτησεν, post Philippense prælium; unde crediderim 12. illum Maii diem irrepsisse in annum 1. Julii, quod Augustus 12. Maii Ultori Marti ædem consecrasset, quam voverat in conflictu Philippico sub Autumnum *Lepido & Planco* Consulibus.

# INVESTIGATUR DIES PRÆLII PHARSALII.

MAphæanum Kalendarium eſt marmor quod proſtat Romæ in ædibus Maphæi olim Cardin. in eo ad 13. Kal. Sept. inſculptæ ſunt hæ voces LVD. VICT. CÆS. Inde conficit Goltzius cladem Pharſalicam contigiſſe 20. Julii ſive Quintilis Juliani noſtri.

Chronicum Alexandrinum 12. Maii ſive Artemiſii Syro-macedonici tradit rerum potitum I. Cæſarem ( ἁπάντων ἐκράτησεν ) eo die. Hinc ſtatuit Petavius Pharſalicum conflictum 12. Maii, & eundem eſſe ait 20. Quintilis cum 12. Maii. Quod Quintilis Pompilianus convenerit illo anno cum Majo Juliano. *Quia,* inquit, *Januarius Pompilianus ſequentis anni, qui vocatur annus confuſionis,* 13. *Octobris noſtri & Juliani inierit.*

In hoc laterculo probatur 20. Julii Pompiliani, non conveniſſe cum 12. Maii Pompiliani, ſi 13. Octobris Juliani inierint Kalendæ Januarii anno confuſionis, qui proxime ſecutus eſt annum quo ad Pharſalum pugnatum eſt.

Vide Petavium lib. 4. cap. 1. tom. 1. & l. 10. c. 62. tom. 2.

| Januarius Pompilianus ex Octobri Juliano. | |
|---|---|
| 1 | 22 |
| 2 | 23 |
| 3 | 24 |
| 4 | 25 |
| 5 | 26 |
| 6 | 27 |
| 7 | 28 |
| 8 | 29 |
| 9 | 30 |
| 10 | 31 |
| Novemb. Julianus. | |
| 11 | 1 |
| 12 | 2 |
| 13 | 3 |
| 14 | 4 |
| 15 | 5 |
| 16 | 6 |
| 17 | 7 |
| 18 | 8 |
| 19 | 9 |
| 20 | 10 |
| 21 | 11 |
| 22 | 12 |
| 23 | 13 |
| 24 | 14 |
| 25 | 15 |
| 26 | 16 |
| 27 | 17 |
| 28 | 18 |
| 29 | 19 |

| Februarius Pompilianus ex Novembri Juliano. | |
|---|---|
| 1 | 20 |
| 2 | 21 |
| 3 | 22 |
| 4 | 23 |
| 5 | 24 |
| 6 | 25 |
| 7 | 26 |
| 8 | 27 |
| 9 | 28 |
| 10 | 29 |
| 11 | 30 |
| December Julianus. | |
| 12 | 1 |
| 13 | 2 |
| 14 | 3 |
| 15 | 4 |
| 16 | 5 |
| 17 | 6 |
| 18 | 7 |
| 19 | 8 |
| 20 | 9 |
| 21 | 10 |
| 22 | 11 |
| 23 | 12 |
| 24 | 13 |
| 25 | 14 |
| 26 | 15 |
| 27 | 16 |
| 28 | 17 |

| Martius Pompilianus ex Decembri Juliano. | |
|---|---|
| 1 | 18 |
| 2 | 19 |
| 3 | 20 |
| 4 | 21 |
| 5 | 22 |
| 6 | 23 |
| 7 | 24 |
| 8 | 25 |
| 9 | 26 |
| 10 | 27 |
| 11 | 28 |
| 12 | 29 |
| 13 | 30 |
| 14 | 31 |
| Januarius Julianus. | |
| 15 | 1 |
| 16 | 2 |
| 17 | 3 |
| 18 | 4 |
| 19 | 5 |
| 20 | 6 |
| 21 | 7 |
| 22 | 8 |
| 23 | 9 |
| 24 | 10 |
| 25 | 11 |
| 26 | 12 |
| 27 | 13 |
| 28 | 14 |
| 29 | 15 |
| 30 | 16 |
| 31 | 17 |

| Aprilis Pompilianus ex Januario Juliano. | |
|---|---|
| 1 | 18 |
| 2 | 19 |
| 3 | 20 |
| 4 | 21 |
| 5 | 22 |
| 6 | 23 |
| 7 | 24 |
| 8 | 25 |
| 9 | 26 |
| 10 | 27 |
| 11 | 28 |
| 12 | 29 |
| 13 | 30 |
| 14 | 31 |
| Februar. Julianus. | |
| 15 | 1 |
| 16 | 2 |
| 17 | 3 |
| 18 | 4 |
| 19 | 5 |
| 20 | 6 |
| 21 | 7 |
| 22 | 8 |
| 23 | 9 |
| 24 | 10 |
| 25 | 11 |
| 26 | 12 |
| 27 | 13 |
| 28 | 14 |
| 29 | 15 |
| 3 | |

| Majus Pompilianus ex Januario Juliano. | |
|---|---|
| 1 | 16 |
| 2 | 17 |
| 3 | 18 |
| 4 | 19 |
| 5 | 20 |
| 6 | 21 |
| 7 | 22 |
| 8 | 23 |
| 9 | 24 |
| 10 | 25 |
| 11 | 26 |
| 12 | 27 |
| 13 | 28 |
| Martius Julianus. | |
| 14 | 1 |
| 15 | 2 |
| 16 | 3 |
| 17 | 4 |
| 18 | 5 |
| 19 | 6 |
| 20 | 7 |
| 21 | 8 |
| 22 | 9 |
| 23 | 10 |
| 24 | 11 |
| 25 | 12 |
| 26 | 13 |
| 27 | 14 |
| 28 | 15 |
| 29 | 16 |
| 30 | 17 |
| 31 | 18 |

| Junius Pompilianus ex Martio Juliano. | Julius Pompilianus ex Aprili Juliano. | Sextilis Pompilianus ex Majo Juliano. | September Pompilianus ex Junio Juliano. |
|---|---|---|---|
| 1 19 | 1 18 | 1 19 | 1 17 |
| 2 20 | 2 19 | 2 20 | 2 18 |
| 3 21 | 3 20 | 3 21 | 3 19 |
| 4 22 | 4 21 | 4 22 | 4 20 |
| 5 23 | 5 22 | 5 23 | 5 21 |
| 6 24 | 6 23 | 6 24 | 6 22 |
| 7 25 | 7 24 | 7 25 | 7 23 |
| 8 26 | 8 25 | 8 26 | 8 24 |
| 9 27 | 9 26 | 9 27 | 9 25 |
| 10 28 | 10 27 | 10 28 | 10 26 |
| 11 29 | 11 28 | 11 29 | 11 27 |
| 12 30 | 12 29 | 12 30 | 12 28 |
| 13 31 | 13 30 | 13 31 | 13 29 |
| Aprilis Julianus. | Majus Julianus. | Junius Julianus. | 14 30 |
| 14 1 | 14 1 | 14 1 | Julius Julianus. |
| 15 2 | 15 2 | 15 2 | 15 1 |
| 16 3 | 16 3 | 16 3 | 16 2 |
| 17 4 | 17 4 | 17 4 | 17 3 |
| 18 5 | 18 5 | 18 5 | 18 4 |
| 19 6 | 19 6 | 19 6 | 19 5 |
| 20 7 | 20 7 | 20 7 | 20 6 |
| 21 8 | 21 8 | 21 8 | 21 7 |
| 22 9 | 22 9 | 22 9 | 22 8 |
| 23 10 | 23 10 | 23 10 | 23 9 |
| 24 11 | 24 11 | 24 11 | 24 10 |
| 25 12 | 25 12 | 25 12 | 25 11 |
| 26 13 | 26 13 | 26 13 | 26 12 |
| 27 14 | 27 14 | 27 14 | 27 13 |
| 28 15 | 28 15 | 28 15 | 28 14 |
| 29 16 | 29 16 | 29 16 | 29 15 |
| 30 17 | 30 17 | | |
| | 31 18 | | |

| October Pompilianus ex Julio Juliano. | November Pompilianus ex Augusto Juliano. | December Pompilianus ex Septembri Juliano. | Annus confusionis. Janua. Pompil. ex Oct. Juliano. |
|---|---|---|---|
| 1 16 | 1 16 | 1 14 | IK. 13. |
| 2 17 | 2 17 | 2 15 | |
| 3 18 | 3 18 | 3 16 | |
| 4 19 | 4 19 | 4 17 | |
| 5 20 | 5 20 | 5 18 | |
| 6 21 | 6 21 | 6 19 | |
| 7 22 | 7 22 | 7 20 | |
| 8 23 | 8 23 | 8 21 | |
| 9 24 | 9 24 | 9 22 | |
| 10 25 | 10 25 | 10 23 | |
| 11 26 | 11 26 | 11 24 | |
| 12 27 | 12 27 | 12 25 | |
| 13 28 | 13 28 | 13 26 | |
| 14 29 | 14 29 | 14 27 | |
| 15 30 | 15 30 | 15 28 | |
| 16 31 | 16 31 | 16 29 | |
| Augustus Julianus. | September Julianus. | 17 30 | |
| 17 1 | 17 1 | October Julianus. | |
| 18 2 | 18 2 | 18 1 | |
| 19 3 | 19 3 | 19 2 | |
| 20 4 | 20 4 | 20 3 | |
| 21 5 | 21 5 | 21 4 | |
| 22 6 | 22 6 | 22 5 | |
| 23 7 | 23 7 | 23 6 | |
| 24 8 | 24 8 | 24 7 | |
| 25 9 | 25 9 | 25 8 | |
| 26 10 | 26 10 | 26 9 | |
| 27 11 | 27 11 | 27 10 | |
| 28 12 | 28 12 | 28 11 | |
| 29 13 | 29 13 | 29 12 | |
| 30 14 | | | |
| 31 15 | | | |

In hoc latereculo demonstratur, si 20. Julii Pompiliani, sit 12. Maii Juliani, Kal. Januarias anno confusionis non incidisse in 13. Octobris sed in 18.

| Januarius Pompilianus | ex Octobri Juliano. |
|---|---|
| 1 | 28 |
| 2 | 29 |
| 3 | 30 |
| 4 | 31 |
| | Novemb. Julianus. |
| 5 | 1 |
| 6 | 2 |
| 7 | 3 |
| 8 | 4 |
| 9 | 5 |
| 10 | 6 |
| 11 | 7 |
| 12 | 8 |
| 13 | 9 |
| 14 | 10 |
| 15 | 11 |
| 16 | 12 |
| 17 | 13 |
| 18 | 14 |
| 19 | 15 |
| 20 | 16 |
| 21 | 17 |
| 22 | 18 |
| 23 | 19 |
| 24 | 20 |
| 25 | 21 |
| 26 | 22 |
| 27 | 23 |
| 28 | 24 |
| 29 | 25 |

| Februarius Pompilianus | ex Novembri Juliano. |
|---|---|
| 1 | 26 |
| 2 | 27 |
| 3 | 28 |
| 4 | 29 |
| 5 | 30 |
| | December Julianus. |
| 6 | 1 |
| 7 | 2 |
| 8 | 3 |
| 9 | 4 |
| 10 | 5 |
| 11 | 6 |
| 12 | 7 |
| 13 | 8 |
| 14 | 9 |
| 15 | 10 |
| 16 | 11 |
| 17 | 12 |
| 18 | 13 |
| 19 | 14 |
| 20 | 15 |
| 21 | 16 |
| 22 | 17 |
| 23 | 18 |
| 24 | 19 |
| 25 | 20 |
| 26 | 21 |
| 27 | 22 |
| 28 | 23 |

| Martius Pompilianus | ex Decembri Juliano. |
|---|---|
| 1 | 24 |
| 2 | 25 |
| 3 | 26 |
| 4 | 27 |
| 5 | 28 |
| 6 | 29 |
| 7 | 30 |
| 8 | 31 |
| | Januarius Julianus. |
| 9 | 1 |
| 10 | 2 |
| 11 | 3 |
| 12 | 4 |
| 13 | 5 |
| 14 | 6 |
| 15 | 7 |
| 16 | 8 |
| 17 | 9 |
| 18 | 10 |
| 19 | 11 |
| 20 | 12 |
| 21 | 13 |
| 22 | 14 |
| 23 | 15 |
| 24 | 16 |
| 25 | 17 |
| 26 | 18 |
| 27 | 19 |
| 28 | 20 |
| 29 | 21 |
| 30 | 22 |
| 31 | 23 |

| Aprilis Pompilianus | ex Januario Juliano. |
|---|---|
| 1 | 24 |
| 2 | 25 |
| 3 | 26 |
| 4 | 27 |
| 5 | 28 |
| 6 | 29 |
| 7 | 30 |
| 8 | 31 |
| | Februar. Julianus. |
| 9 | 1 |
| 10 | 2 |
| 11 | 3 |
| 12 | 4 |
| 13 | 5 |
| 14 | 6 |
| 15 | 7 |
| 16 | 8 |
| 17 | 9 |
| 18 | 10 |
| 19 | 11 |
| 20 | 12 |
| 21 | 13 |
| 22 | 14 |
| 23 | 15 |
| 24 | 16 |
| 25 | 17 |
| 26 | 18 |
| 27 | 19 |
| 28 | 20 |
| 29 | 21 |

| Majus Pompilianus | ex Februar. Juliano. |
|---|---|
| 1 | 22 |
| 2 | 23 |
| 3 | 24 |
| 4 | 25 |
| 5 | 26 |
| 6 | 27 |
| 7 | 28 |
| | Martius Julianus. |
| 8 | 1 |
| 9 | 2 |
| 10 | 3 |
| 11 | 4 |
| 12 | 5 |
| 13 | 6 |
| 14 | 7 |
| 15 | 8 |
| 16 | 9 |
| 17 | 10 |
| 18 | 11 |
| 19 | 12 |
| 20 | 13 |
| 21 | 14 |
| 22 | 15 |
| 23 | 16 |
| 24 | 17 |
| 25 | 18 |
| 26 | 19 |
| 27 | 20 |
| 28 | 21 |
| 29 | 22 |
| 30 | 23 |
| 31 | 24 |

| Junius Pompilianus | ex Martio Juliano. |
|---|---|
| 1 | 25 |
| 2 | 26 |
| 3 | 27 |
| 4 | 28 |
| 5 | 29 |
| 6 | 30 |
| 7 | 31 |
| | Aprilis Julianus. |
| 8 | 1 |
| 9 | 2 |
| 10 | 3 |
| 11 | 4 |
| 12 | 5 |
| 13 | 6 |
| 14 | 7 |
| 15 | 8 |
| 16 | 9 |
| 17 | 10 |
| 18 | 11 |
| 19 | 12 |
| 20 | 13 |
| 21 | 14 |
| 22 | 15 |
| 23 | 16 |
| 24 | 17 |
| 25 | 18 |
| 26 | 19 |
| 27 | 20 |
| 28 | 21 |
| 29 | 22 |

| Julius Pompilianus ex Aprili Juliano. | |
|---|---|
| 1 | 23 |
| 2 | 24 |
| 3 | 25 |
| 4 | 26 |
| 5 | 27 |
| 6 | 28 |
| 7 | 29 |
| 8 | 30 |
| Majus Julianus. | |
| 9 | 1 |
| 10 | 2 |
| 11 | 3 |
| 12 | 4 |
| 13 | 5 |
| 14 | 6 |
| 15 | 7 |
| 16 | 8 |
| 17 | 9 |
| 18 | 10 |
| 19 | 11 |
| 20 | 12 |
| 21 | 13 |
| 22 | 14 |
| 23 | 15 |
| 24 | 16 |
| 25 | 17 |
| 26 | 18 |
| 27 | 19 |
| 28 | 20 |
| 29 | 21 |
| 30 | 22 |
| 31 | 23 |

| Sextilis Pompilianus ex Majo Juliano. | |
|---|---|
| 1 | 24 |
| 2 | 25 |
| 3 | 26 |
| 4 | 27 |
| 5 | 28 |
| 6 | 29 |
| 7 | 30 |
| 8 | 31 |
| Junius Julianus. | |
| 9 | 1 |
| 10 | 2 |
| 11 | 3 |
| 12 | 4 |
| 13 | 5 |
| 14 | 6 |
| 15 | 7 |
| 16 | 8 |
| 17 | 9 |
| 18 | 10 |
| 19 | 11 |
| 20 | 12 |
| 21 | 13 |
| 22 | 14 |
| 23 | 15 |
| 24 | 16 |
| 25 | 17 |
| 26 | 18 |
| 27 | 19 |
| 28 | 20 |
| 29 | 21 |

| September Pompilianus ex Junio Juliano. | |
|---|---|
| 1 | 22 |
| 2 | 23 |
| 3 | 24 |
| 4 | 25 |
| 5 | 26 |
| 6 | 27 |
| 7 | 28 |
| 8 | 29 |
| 9 | 30 |
| Julius Julianus. | |
| 10 | 1 |
| 11 | 2 |
| 12 | 3 |
| 13 | 4 |
| 14 | 5 |
| 15 | 6 |
| 16 | 7 |
| 17 | 8 |
| 18 | 9 |
| 19 | 10 |
| 20 | 11 |
| 21 | 12 |
| 22 | 13 |
| 23 | 14 |
| 24 | 15 |
| 25 | 16 |
| 26 | 17 |
| 27 | 18 |
| 28 | 19 |
| 29 | 20 |

| October Pompilianus ex Julio Juliano. | |
|---|---|
| 1 | 21 |
| 2 | 22 |
| 3 | 23 |
| 4 | 24 |
| 5 | 25 |
| 6 | 26 |
| 7 | 27 |
| 8 | 28 |
| 9 | 29 |
| 10 | 30 |
| 11 | 31 |
| Augustus Julianus. | |
| 12 | 1 |
| 13 | 2 |
| 14 | 3 |
| 15 | 4 |
| 16 | 5 |
| 17 | 6 |
| 18 | 7 |
| 19 | 8 |
| 20 | 9 |
| 21 | 10 |
| 22 | 11 |
| 23 | 12 |
| 24 | 13 |
| 25 | 14 |
| 26 | 15 |
| 27 | 16 |
| 28 | 17 |
| 29 | 18 |
| 30 | 19 |
| 31 | 20 |

| November Pompilianus ex Augusto Juliano. | |
|---|---|
| 1 | 21 |
| 2 | 22 |
| 3 | 23 |
| 4 | 24 |
| 5 | 25 |
| 6 | 26 |
| 7 | 27 |
| 8 | 28 |
| 9 | 29 |
| 10 | 30 |
| 11 | 31 |
| September Julianus. | |
| 12 | 1 |
| 13 | 2 |
| 14 | 3 |
| 15 | 4 |
| 16 | 5 |
| 17 | 6 |
| 18 | 7 |
| 19 | 8 |
| 20 | 9 |
| 21 | 10 |
| 22 | 11 |
| 23 | 12 |
| 24 | 13 |
| 25 | 14 |
| 26 | 15 |
| 27 | 16 |
| 28 | 17 |
| 29 | 18 |

| December Pompilianus ex Septembri Juliano. | |
|---|---|
| 1 | 19 |
| 2 | 20 |
| 3 | 21 |
| 4 | 22 |
| 5 | 23 |
| 6 | 24 |
| 7 | 25 |
| 8 | 26 |
| 9 | 27 |
| 10 | 28 |
| 11 | 29 |
| 12 | 30 |
| October Julianus. | |
| 13 | 1 |
| 14 | 2 |
| 15 | 3 |
| 16 | 4 |
| 17 | 5 |
| 18 | 6 |
| 19 | 7 |
| 20 | 8 |
| 21 | 9 |
| 22 | 10 |
| 23 | 11 |
| 24 | 12 |
| 25 | 13 |
| 26 | 14 |
| 27 | 15 |
| 28 | 16 |
| 29 | 17 |

JANUARIUS Pompilianus anni confusionis.
18. Octobris Juliani
Non 13. ut vult Petavius.

# PETRI MORESTELLI

TRENORCHIENSIS, ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRI AC THEOLOGI,

# PHILOMUSUS.

SIVE,

## DE TRIPLICI ANNO ROMANORUM, MENSIBUS, EORUMQUE PARTIBUS, DEQUE DIE CIVILI ET DIVERSITATE DIERUM,

LIBRI QUINQUE.

# INDEX DIALOGORUM

## LIBRI PRIMI.


PRÆFATIO, *Precatiuncula, materies, & ordo operis.* Dial. I.
*Anni ἔνυμον multiplex, variæ appellationes ejusdem, qui & Dracone mordente caudam indicatus.* Dial. II.
*Qu[illegible] apud Romanos.* Dial. III.
*Cur Numa duos novos menses Januarium & Februarium Anno Romuli addiderit: cur etiam Græci menses intercalarint, quos Romani secuti in Anno Numæ.* Dial. IV.
*Num frustra imitati sint Romani Græcorum ordinem, nonaginta dies octavo quoque Anno in tres menses inserendo.* Dial. V.
*Mensis Intercalationibus prædictis deputatus.* Dial. VI.
*An semper fuerit Intercalatio.* Dial. VII.
*Confusio temporum ublata per* C. *Cæsarem. Bissextus.* Dial. VIII.
*Qui vocantur a Græcis dies Intercalares: & qui sint versus sic dicti.* Dial. IX.
*In quos menses inseruerit Cæsar decem dies a se additos.* Dial. X.


## LIBRI SECUNDI.


QUorum *sit nomina imponere rebus: cum laude Ponti Tyardæi.* Dial. I.
*Numa Januario prudentiam Regum indicanti nomen imposuit. Cur ab hoc mense Annum suum incœperint Romani, cum antea a Martio. Bruma.* Dial. II.
*Februarii notationes quatuor.* Dial. III.
*Martius olim primus mensium: mensis nomen habuit ante Romam conditam: Non primus omnibus populis: Dicatus Marti a Romulo.* Dial. IV.
*Duarum sententiarum de Etymologia Aprilis ultima eligitur.* Dial. V.
*Majus dicitur a Maja, vel a Majoribus, vel a voce Cymbria Maj.* Dial. VI.
*Junius a Junioribus, vel a Junone, vel Hebe.* Dial. VII.
*De reliquis sex mensibus ab ordine vocatis.* Dial. VIII.
*Julius Quintilis dictus, postea Julius. Cæsar Julius dictus non ab hoc mense, sed ab Julo.* Dial. IX.
*Augustus, Sextilis primo, deinde Augustus dictus est.* Dial. X.
*De Septembris appellatione ratio duplex: Septem pro pluribus. September variis nominibus affectus.* Dial. XI.
*October cur sic dictus. Domitianus vocatus. Senatus voluit Faustinum appellari.* Dial. XII.
*N[illegible] unde sic dictus, & an mutaverit suam appellationem.* Dial. XIII.
*December Amazonius vocatus, sed non diu.* Dial. XIV.


## LIBRI TERTII.


PRæfatio, *Veris descriptio.* Dial. I.
*Tres in partes divisi sunt singuli menses. Quænam dicantur Calendæ & quid in eis fieret.* Dial. II.
*Q[illegible] fini proderetur numerus dierum, qui a Calendis, [illegible] superesset: simile quid apud Catholicos. Nonæ cur sic dictæ: & quot dierum in singulis mensibus.* Dial. III.
*[illegible] dicæ sint Idus in singulis mensibus: quot sint, unde di[illegible] tandem in cujus tutela.* Dial. IV.
*Dies singulorum mensium suam nanciscuntur denominationem, vel a Nonis, vel Idibus, vel Calend. Quid sit sexto Nonas, Idus, vel Calendas. & sic in aliis numeris.* Dial. V.
*[illegible]ntur debitores diem Calendarum. Locus Horatii explicatus de Drusone fœneratore: alius de malo Poeta ejusdem Horatii. Exigebant pecunias die Calend. eodemque in fœnore collocabant: Idibus vero nomina tantum exigebant.* Dial. VI.
*Proverbium ad Calendas Græcas explicatum.* Νεμηνίας *esse, non Calendas apud Græcos. Annus Magnus Platonis.* Dial. VII.


## LIBRI QUARTI.


DIes *Civilis quis: & cur sic dicatur: multiplex hujus principium apud diversas nationes. Romanorum nox Precatiuncula, a meridie, quam consuetudinem observamus. De die natali quæstio.* Dial. I.
*Duas in partes dies Civilis primum fuit divisus apud Romanos, deinde in quatuor, tandem in plura tempora.* Dial. II.
*De Gallicinio & Conticinio.* Dial. III.
*De Diluculo.* Dial. IV.
*Mane.* Dial. V.
*De meridie.* Dial VI.
*De occiduo & Solis occasu.* Dial. VII.
*De Vespera.* Dial. VIII.
*De Crepusculo & prima face.* Dial. IX.
*De Concubio.* Dial. X.
*De nocte intempesta.* Dial. XI.


## LIBRI QUINTI.


PRæfatiuncula. Dial. I.
*Dierum totius Anni divisio prima.* Dial. II.
*Festi dies Diis dicabantur. His diebus ornabant Templa Deorum Romani, suosque postes: addebant lucernas. Institutorum festorum causæ duæ.* Σάββατον. Dial. III.
*Festorum divisio.* Dial. IV.
*Sacrificia omni sæculo fuisse dubitandum non est, stabilito in mente Deum fuisse semper cognitum rationalis naturæ lumine. Quid sacrificare, quidve sacrificium.* Dial. V.
*Per Epulum solenniores cibi intelliguntur in propatulo civibus exhibiti: Epulones quinam sint dicti.* Dial. VI.
*Ludi unde.* τὸ *ludus varias habet significationes, harum una eligitur: finis ludorum duplex.* Dial. VII.
*Unde feriæ: quæ sint: Omnia feriarum genera.* Dial. VIII.
*Profesti cur sic dicantur, quinam sint. Cur hominibus concessi. Eorum divisio.* Dial. IX.
*Fasti iisque contrarii: Fastorum duo genera.* Dial. X.
*Comitiales an fasti pr[illegible]rie, & qui sunt.* Dial. XI.
*Comperendini dies: D[illegible] Actiones: Perendie: Perendinus quis hodie: Comperendinati: A quo fluxerit Comperendinatio: D[illegible] Comperendinatione, & Ampliationis a Comperendinatione. Absolutionis & Condemnationis notæ.* Dial. XII.
*[illegible] H[illegible] Antiquos quis. Hostis & inimicus qui dicerant.* Dial. XIII.
*Nundinæ num feriæ, vel fastæ sint. De earum origine di[illegible] opiniones: Nundina Romanorum Dea. Cur nono die Rustici Romam venirent.* Dial. XIV.
*[illegible], & qui dies iis insint.* Dial. XV.
*D[illegible]tercisi qui, & cur sic dicti: inter cæsa di[illegible] [illegible] Intercisi unica dictione. Proverbium, Inter [illegible] & porrecta, explicatum. Dies Intercisi non d[illegible] in alia: Endotercisi dicti. Ecclesia Christiana po[illegible] instituere intercisos dies.* Dial. XVI.
*[illegible] divisio ultima.* Dial. XVII.
*[illegible]. Delectus dierum in inferendo bello.* Dial. XVIII.
*[illegible] non præliares. Justi dies. Justorum lege [illegible] debitores post. xxx. Justos dies, [illegible] verent vinciebantur compedibus: Interca[illegible] di: & pœna iis qui pacti non fuissent. Lex de justis [illegible]bus a Gellio allata emendatur a Cujacio, aliter et [illegible] stituitur a Scaligero & Revardo. Lex de Jure [illegible]di.* Dial. XIX.
*Dies Atri [illegible] dicti erant: nullum sacrificium iis diebus recte futurum: [illegible] viduis ad nubendum, quam virginibus.* Dial. XX.
*Qui & qui dies innominales: & causa cur vitarentur.* Dial. XXI.
*De feriis quæ non præliaribus diebus inerant: cur Latinarum [illegible], Saturni festo, Ditis & Proserpinæ, bellum in[illegible] non deceret.* Dial. XXII.
*C[illegible]teris.* Dial. XXIII.


CLA-

CLARISSIMO, OMNIQUE VIRTUTUM HEROICARUM GENERE CELEBERRIMO

DOMINO

# CYRO DE TYARD,

## EPISCOPO CABILONENSI DIGNISSIMO, CHRISTIANISSIMI GALLIARUM ET NAVARRÆ REGIS CONSILIARIO,

## PETRUS MORESTELLUS TRENORCHIENSIS

S. P. D.



RPHEUS *ille, cujus illustribus factis pulchellæ Pindi Reginæ honestantur, tanta canendi peritia excelluit, ut fluvii ad ejus cantum firmarentur, aves advolarent, feræ properarent, sylvæ & saxa accurrerent. Blandicella verba dare* (Præsul Amplissime) *non est meum, serias laudes habe. In te revixit* Oeagri *filius, cum sis ipsemet, qui dum Lyram eburneam melli-fluamque variis vocibus, tinnulisque ictibus quasi per digitos concitas, virorum trahis animos in quamcumque partem tibi visum. Queis vocibus? vario literarum splendore, honoris amplitudine, vitæ integritate, sanguinis claritate. Et sane omnibus qui literarum commercium exercent, charissimus es, felici Musarum partu natus: iis, inquam, charissimus, qui cum semel tua mella gustarint, regustare cupiunt, etiam exoptant, & mentior, nisi salivam meam movet desiderium gustandi. Nam ut ii qui a dipsade percussi sunt, magis magisque sitiunt, sic nos qui a telo tuæ linguæ. siquidem in animo tuo nihil nisi altum ab alto: felix Musarum, felix & os* Gratiarum*! in quod cœlum vim quandam arcanam depluit, dignam mehercle, in quam laudes pleno ore congerantur:*

------------ O sydere dextro
Edite, multa tibi Divum indulgentia favit!

*Sydus ad te (sincere dico) tui clarissimi Patrui traxisti* Ponti Tyardæi, *cujus regium ingenium tanquam nostri seculi fulgorem obstupescimus. Is enim est qui in ea ætate vitales auras carpentium laudem est supergressus, adeoque supra hominem se extulit, ut quod ignorat, neminem scire credam. Quicquid enim circulari scientiarum machina continetur, habet: plane flos ingeniorum, cui laudem omnem imparem esse fatemur: cum ex ejus officina nihil non excoctum, emaculatumque prodeat: addo quod multiplici linguarum apparatu suspiciendus, prodigiosam reconditarum rerum memoriam (donum haud dubie cœlitus datum) omitto. Cum ergo tantum sydus ad te traxeris, quid miri si Cabilonenses in rebus optimis constantissimi, te quasi simulacrum venerationis habeant?*

Sat habet favitorum semper, qui recte facit,

*ut cum Plauto. Crede* (Præsul illustrissime) *nunquam eis venis in mentem, quin Hermathenæ illius Atticæ subeat animum cogitatio: Hermathenæ, inquam, simulacri, quo lucri Deus Hermes, artium Deæ Palladi affabre junctus colebatur: ex*

*quo ſequi ſoleret, ut qui Palladi honores tribuerentur, eoſdem in Hermen ob ſimulacri conjunctionem transfundi uſuveniret. Quiddam quam ſimillimum ab iis in te ſignatur. Eſt enim tuum ingenium Pallas Athenarum Cabilonenſium: Integritas atque innocentia vitæ ſingularis, Hermes lucri Deus: amplo ſiquidem & perpetuo lucro res magni Numinis auctas. Quid hoc eſt niſi æternum decus meditari, & ſeſe terris ſubductum*

Stellis inſerere & concilio Jovis?

*Harum virtutum familiaria exempla non deſunt, & domeſtici duces, quorum depurato affectu ſequeris veſtigia. Avorum proſapia clariſſima eſt, quæ ſuæ lucis Eclipſim in te pati non poteſt, cum in multa luce, imo* (CYRE) *fatali quodam omine Sol natus ſis:* CYRUM *enim Perſæ Solem vocant. Actutum igitur,* CYRE, *mi Phœbe, dux meorum temporum, dies, menſes, annoſque meos tibi dicatos illuſtra, ut floſculos ingenioli mei ex celeberrimis Theologiæ emporiis delibatos, antehac illuſtraſti:*

Nam tua lux, mea lux, & mea lux, tua lux.

*Hoc tamen intereſt, quod lumen a te mutuor, quodque ſine tua luce, mea lux nulla foret. Juſtam rem & facilem eſſe oratam a te volo precario, juſta a juſtis impetrare decet, illi quippe jus tenent. Impetrabo, ſcio: ſed quæſo animum ab exiguitate muneris avoca, noſtrum inſpice, ſane muneri favebis, voluntatem probabis. Quod poſtquam feceris, ſi unquam roſeum illud oleum ſuppetat, quo ſolers fingendi artifex Homerus Troum fortiſſimum Hectora delibutum ait, illo tuum in me ab oblivionis carie beneficium vindicabo. Vale. Matiſconi 8. Idus Julii.* 1604.

---

# PHILOMUSUS
## AD
# LECTOREM.



Alve etiam atque etiam, benevole Lector, ne quæſo vagetur animus, ſed ſis attentus, ſi tangaris deſiderio Annorum, Menſium, Dierumque magnæ matris Romæ. In iis plus ſatis eſt deliciarum, plus ſatis utilitatis, cum Poetis, Hiſtoricis, Oratoribus, Juriſconſultis, & præſertim Kalendario Romano lucem largam afferant. Rem totam mihi maxime appetenti amiciſſimus Moreſtellus, cum quo ſum inductus loquens, expoſuit ſuo arbitratu. At cur inductus loquens? Ne mireris, Lector, ſiquidem hic ſcribendi modus fuit in conſuetudine non mediocri apud majores, ut apud Platonem, qui ſuis in operibus perpetuo Dialogos facit, ſemperque aliis perſonis præceptorem ſuum reſpondentem introducit. Idcirco Tullius dixit: *Genus hoc ſermonum poſitum in hominum veterum auctoritate, & eorum illuſtrium, plus* (neſcit quo pacto) *videri habere gravitatis*. Sicque, Lector, hos Dialogos legens, ſic afficieris interdum, ut te cum meo Moreſtello, non me loqui ſis exiſtimaturus. Vale. Matiſconi 8. Idus Jun.

### *AD EUNDEM CLARISSIMUM* ANTISTITEM EPIGRAMMA.

O Cyre, Sol Perſis potius, Cynoſuraque lucens,
  Moreſtelleæ dirige navis iter.
Dirige Nauclerum, diverſas ducito in oras:
  Poſcit opem ( Præſul ) nomen & omen: habes.

Franciscus Seigneret
Trevoltianus.

---

## AD TRENORCHIUM DE SUO MORESTELLO EPIGRAMMA.

NUnc age Tornutium voces ad ſydera jacta,
  Namque tibi partis nobilitare bonis.
Nobilitare viro, quem ornant Cœlumque, Solumve:
  Nam Cœlum atque Solum poſſidet ingenio.

Honoratus de Vaux
Burgundus D. Theologus.

---

### AD AUCTOREM EPIGRAMMA.

*SÆcula diverſis alterna cadentia ſignis*
  *Solis & innumeros concinuiſſe dies,*
*Ætheraque ingenii potuiſſe aſcendere pennis,*
  *Aſtrorumque omnes conſtituiſſe domos,*
*In quas annus eat, teneant quæ nomina menſes,*
  *Quaſque dies habeat, quas habet hora dies,*
*Quid niſi mira loqui? Cœlique oſtendere culmen?*
  *Et Romana tuis vincere facta notis?*
*Immortalis eris, nam ſi mortalia curant*
  *Sydera, tu curas ſydera, mente regis.*
*Aſtra polumque tua cepiſti mente, nec ullus*
  *Tempora qui recte noverit, ante fuit.*
*Multa quidem dixit Romana indagine dignus*
  *Lipſius, arma, cruces, jura, theatra, deos:*
*Sed majora canis. per partes plurima dixit:*
  *Singula per totum tempus at ipſe refers.*

Philibertus Foillard
Patronus Matiſcon.

## AD EUNDEM ALIUD EPIGRAMMA.

TOrnutio Turnus turritæ nomen ( ut inquit
Fama ) dedit : ſed das tempora, major eris.

A. Γ. *Matiſconenſis*.

## EIDEM ANAGRAMMA.

Petrus Moreſtellus.
Remos pelles tutus.

*QUid dubitas Orbis pelagus tranare profundum,*
*Et tutæ puppis pandere vela tuæ?*
*Macte animo, ventis tete committe ſecundis,*
*Nam tibi per ſcopulos pervia facta via eſt.*
*Macte animo, velis paſſis provectus in altum,*
*Tu* Remos pelles tutus, *& ibis ovans.*

## *EIDEM EPIGRAMMA.*

PRætereunt volucres Anni menſeſque, dieſque,
Temporaque æternum non reditura ruunt.
At tibi poſteritas debebit plurima, quando
Tu revocas ſcriptis tempora lapſa tuis.

## AD LECTOREM De LIBRIS AUCTORIS

*QUi puros optas oculis luſtrare libellos,*
*Hic ſiſte, & cernes integritatis opus.*
*Ulla nec inficient animum contagia ſordis,*
*Pura eſt Auctoris pagina, vita nitet.*
*Hanc igitur volvas, nil eſt quod moribus obſit:*
*Cum* MORES TELLUS *procreet illa bonos.*

FRANCISCUS SEIGNERET
Trevoltianus.

# PETRI MORESTELLI
## ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRI AC THEOLOGI
# PHILOMUSUS.
## SIVE
# DE TRIPLICI ANNO ROMANORUM, MENSIBUS, EORUMQUE PARTIBUS DEQUE DIE CIVILI ET DIVERSITATE DIERUM,
# LIBER I.

### DIALOGUS I.

*Præfatio, precatiuncula, materies, & ordo operis.*

*PHILOMUSUS.*



Uid est quod te jam dudum, mi Morestelle, æstuanti animo, alacri studio, & assiduo labore, in sylvis variis venari video? MOREST. Annum quæro. PHIL. Num vis in tuos hunc addere? MOREST. Lepide sane, mi Philomuse, jocaris; enodationem anni intelligo. PHIL. Quid sit annus, ignoro. MOR. Non ego. PHIL. Næ præceptis tuis imbui mirifice aveo, ea propter huc me cupienter attuli: exple quæso desiderii nostri expectationem. MOR. Tibi, credo, Sallustii dictum a me nuperrime te astante commendatum virtutis amores excitavit. PHIL. Etiam, * *Omnes*, ajebas, *homines qui student sese præstare cæteris animantibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant veluti pecora.* MOR. Multi profecto mortales dediti ventri, atque somno, indocti, incultique vitam sicuti peregrinantes transiere, quibus contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit. * *eorum* (inquit Crispus ille Sallustius) *vitam mortemque juxta existimo, quoniam de utraque siletur.* * *Verum enimvero is demum mihi vivere atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit.* Itaque quoniam Anni cupido assidue versat animum tuum, curabo ut voti compos fias; sed de Anno verba facturus, mihi prora, mihique puppis Deus. * *Ergo effector Annorum optime max. votis fave, & adjuva, in me hoc confer gratiæ, ut ex me sciat Philomusus, quid Annus.* * Materies & ordo mei operis iste: *Triplex Annus Romanorum, menses, dies,* quorum breviloquentia, Philomuse, non displicebit, qua te per antiqui ævi tenebras euntem dirigam. PHIL. Ergo promittis? o mitissimum atque lenissimum hominem! quo te honorario remunerer? o me beatum! Sed eo? ambulo? MOR. Imo tu sede. PHIL. Sedeo. MOR. Jam sedisti, sed num animo & corpore compositus ad audiendum? PHIL. Ita est ut dixti, attentissime audiam. MOR. Audi igitur, oleum te non perdidisse judicabis. A notatione nominis incipiemus.

* *Sallust. in coniurat Catil.*
Discrimen hominis a cæteris animantibus.
* *Ibidem.* Indoctorum vita eadem cum morte.
* Mors doctorum vita est.
* Precatiuncula.
* Materies, & ordo operis.

### DIALOGUS II.

*Anni ἔτυμον multiplex, variæ appellationes ejusdem, qui & Dracone mordente caudam indicatus.*

NOminis ratio, mi Philomuse, varia. Quidam a Græco ἔννος deducunt, unde apud eos τελεννος est, quod apud nos Trimus. * Non desunt qui a verbo ἀνανεάζω, sive ἀνανεόω, *renovo*, quia semper renovatur Annus. * Servius ab annulo derivat, quod in seipsum redit, tanquam annulus, aut circulus quidam. Hanc originem respicit Virgil.

ἔτυμον * 1. * 2. * 3.

*Atque in se sua per vestigia labitur Annus.*

Et Ovid. *

*Tempora labuntur, tacitisque senescimus Annis.*

* *Fastorum 6.*

Placet Horatio, *

*—— Posthume, labuntur Anni.*

* *Lib 2. Carm.*

Statio non displicet,

*—— Et velox in terga revolvitur Annus.*

* Non dissimiliter dixit Seneca *Rotam Annum*: Pontanus, *redire in gyrum*: nunquid & *remeabilem?*

* Anni variæ appellationes.

*Et cadit infelix ævo variabilis Annus,*
*Ipse tamen redit in gyrum, viresque resumit*
*Impiger, æterno semper remeabilis ortu.*

Non minus clare Horatius, qui *recurrentem*:

*Libertasque recurrentes accepta per annos.*

Michael Ang. *versimilem*;

*Sic ubi præteriit triplex mibi versimilis Annus.*

Nam mensibus in se currentibus volvitur Annus: Sol enim per duodecim Zodiaci signa excurrens, Annum conficit. * Unde apud Ægyptios ante inventas literas Dracone picto suam mordente caudam indicabatur. PHIL. Rem acu tetigisti, verba non ultra me teneant, age ipsam rem,

* Dracone picto Annus indicatus.

## DIALOGUS III

*Quotuplex Annus fuerit apud Romanos.*

PHIL. Quotuplicem statuis? MOR. * Triplicem, quo diversis usi sunt temporibus: Romuli primum: Numæ Pompilii alterum: Caii Julii Cæsaris tertium Romuli Annum appello: a Romulo enim ordinatus ut & Numæ Pompilii & Cæsaris. Singulorum discrimen ex tabella notum.

* Triplex annus Romanorum.

*Annus Romuli Mensium decem, dierum CCCIV.*

| | | |
|---|---|---|
| MARTIUS | | XXXI. |
| APRILIS | | XXX. |
| MAJUS | | XXXI. |
| JUNIUS | | XXX. |
| QUINTILIS | *dies habuit* | XXXI. |
| SEXTILIS. | | XXX. |
| SEPTEMBER | | XXX. |
| OCTOBER | | XXXI |
| NOVEMBER | | XXXI. |
| DECEMBER | | XXX. |

*Annus Numæ mensium duodecim, dierum* CCCLIV. *primo, & paulo post* CCCLV.

| | | |
|---|---|---|
| JANUARIUS | | XXIX. |
| FEBRUARIUS | | XXVIII |
| MARTIUS | | XXXI. |
| APRILIS | | XXIX. |
| MAJUS | | XXXI. |
| JUNIUS | *dies habuit* | XXIX. |
| QUINTILIS | | XXXI. |
| SEXTILIS | | XXIX. |
| SEPTEMBER | | XXIX. |
| OCTOBER | | XXXI. |
| NOVEMBER | | XXIX. |
| DECEMBER | | XXIX. |

*Annus Cæsaris mensium duodecim, dierum* CCCLXV.

| | | |
|---|---|---|
| JANUARIUS | | XXXI. |
| FEBRUARIUS | | XXVIII |
| MARTIUS | | XXXI. |
| APRILIS | | XXX. |
| MAJUS | | XXXI. |
| JUNIUS | *dies habuit* | XXX. |
| QUINTILIS | | XXXI. |
| SEXTILIS | | XXXI. |
| SEPTEMBER | | XXX. |
| OCTOBER | | XXXI. |
| NOVEMBER | | XXX. |
| DECEMBER | | XXXI. |

Hujus numeri dierum in mensibus Anni Cæsaris meminit Ausonius Burdigalensis, vir Consularis, in his;

*Implent tricenas per singula menstrua luces*
*Junius, Aprilisque & cum Septembre November.*
*Unum ter denis cumulatius adde diebus*
*Per septem menses, Jani, Martisque Kalendis,*
*Et quas Majus agit, quas Julius, Augustusque,*
*Et quas October, positusque in fine December.*
*Unus erit tantum duo de triginta dierum:*
*Quæ Numa præposito voluit succedere Jano.*
*Sic ter cententis decies accedere senos,*
*Quadrantemque & quinque dies sibi computat Annus.*

Vel si mavis vulgares versus, habe:

*Triginta Aprilis, Junii, Septemque, Novemque,*
*Uno plus alii: viginti Februus octo.*
*Et si Bissextus fuerit, superadditur unus.*
*Et tunc Bissexto Martis conscribe Kalendas.*

## DIALOGUS IV.

*Cur Numa duos novos menses Januarium & Februarium Anno Romuli addiderit. Cur etiam Græci menses intercalarint, quos Romani secuti in Anno Numæ.*

ID fecit, quia prior numerus, neque Solis cursui, neque Lunæ rationibus conveniebat. *Nonnunquam* (inquit Macrob.) *usu veniebat, ut frigus Anni æstivis mensibus, & contra calor hyemalibus proveniret. Quod ubi contigisset, tantum dierum sine ullo mensis nomine patiebantur assumi, quantum ad id Anni tempus adduceret, quo cæli babitus instanti mensi aptus inveniretur.* PHIL. * Jure sane hi menses ab eo additi: sed quo magistro? MOR. Solo ingenio, vel Græcorum observatione, quinquaginta dies addidit, ut in trecentos quinquaginta quattuor dies, quibus duodecim Lunæ cursus confici credidit, Annus extenderetur: & his quinquaginta diebus a se additis, adjecit

* C... Januarius & Februarius additi. Lib. 1 Saturn. c. 12.

* Quo magistro hos menses addidit Numa.

alios sex, retractos ab illis sex mensibus, qui triginta habebant dies, id est, de singulis singulos: *factosque quinquaginta & sex dies, in duos novos menses pari ratione divisit: *priorem vocavit *Januarium* primumque Anni esse voluit: secundum, *Februarium*, Februi Dei nomine, qui lustrationum potens creditur. *Paulo post in honorem imparis numeri, unum adjecit diem Januario, ut tam in Anno, quam in mensibus singulis, præter unum Februarium, impar numerus servaretur: *solus enim Februarius viginti & octo retinuit dies, quasi inferis & diminutio & par numerus conveniret. PHIL. Deme, mi Morestelle, supercilio nubem: Numam Græcorum observatione instructum, hos dies Anno Romuli addidisse asseris, nunquid etiam illorum more intercalarem mensem instituerunt Romani? MOR. Notum lippis ac tonsoribus. PHIL. Nonne fas scire, qua ratione ducti fecerint Græci? MOR. Liquido monstraturus est Macrobius: *Græci cum animadverterent temere se* CCCLIIII. *diebus ordinasse Annum, quoniam apparet de Solis cursu, qui* CCCLXV. *& quadrante (sive horis circiter sex) Zodiacum conficit, deesse Anno suo* XI. *dies & quadrantem, intercalares statuta ratione commenti sunt, ita ut octavo quoque Anno nonaginta dies, ex quibus tres menses tricenum dierum composuerunt, intercalarent. Id Græci fecerunt, quoniam erat operosum atque difficile omnibus annis undecim dies & quadrantem intercalare. Itaque maluerunt hunc numerum octies multiplicare, & nonaginta dies qui nascuntur, si quadrans cum diebus undecim octies componatur, inserere in tres menses distribuendos.* *PHIL. Huncne ordinem Romanis imitari placuit? MOR. Ita vero, sed frustra. PHIL. Si in promptu nunc habes, explica. MOR. Efficiam.

* Ex quot diebus hi menses facti.
* Quo nomine appellaverit Numa.
* Paulo post dies additur Januario. Impari numero honor habitus.
* Februarius 28. retinet dies, cur.
* Græcorum Intercalatio. Lib. 1. Saturn. cap. 3.
* Romani secuti Græcorum Intercalationem frustra.

## DIALOGUS V.

*Num frustra imitati sint Romani Græcorum ordinem, nonaginta dies octavo quoque Anno in tres menses inserendo.*

IS ordo frustra Romanis: quippe fugiebat eos, diem unum additum esse a Numa, ut patet ex Dial. 4. in honorem imparis numeri: quocirca per octennium convenire numerum atque ordinem non posse. Itaque nondum hoc errore comperto per octo Annos, nonaginta quasi superfundendos Græcorum exemplo computabant dies: alternisque Annis binos & vicenos, alternis ternos vicenosque intercalares expensabant, intercalationibus quatuor. Sic delineo,

* Cur Romani frustra secuti Græcos.

*Quatuor Romanorum Intercalationes per octennium.*

| | | |
|---|---|---|
| Annus primus | | 2 |
| Annus secundus | | 20 Sicque prima Inter. fuit 22. dierum. |
| Annus tertius | | 3 |
| Annus quartus | | 20 Secunda Intercalatio 23. |
| Annus quintus | habuit Intercalationem dierum | 2 |
| Annus sextus | | 20 Tertia 22. ut prima. |
| Annus septimus | | 3 |
| Annus octavus | | 20 Quarta 23. ut secunda. |

Hæ sunt quatuor Romanorum Intercalationes per octennium more Græcorum. *Sed octavo quoque Anno intercalares octo affluebant dies, ex singulis, quibus vertentis Anni numerum apud Romanos abundasse diximus. *Hoc itaque errore cognito, hæc species emendationis inducta est. Tertio quoque octennio ita intercalandos dispensabant dies, ut non nonaginta, sed sexaginta sex intercalarent, compensatis XXIV. diebus pro illis qui per totidem Annos supra Græcorum numerum creverant.

* Error quatuor Intercalationum.
* Emendatio Intercalationis.

## DIALOGUS VI.

*Mensis Intercalationibus prædictis deputatus.*

PHIL.

QUis mensis intercalationibus deputatus? MOR. Februarius, quoniam is ultimus Anni erat. PHIL. De quorum imitatione? MOR. Græcorum sententiam Macrobii ipsius verbis subsignabimus. **Quod de Græcorum imitatione faciebant. Nam & illi ultimo*

Februarius Intercalationi deputatus de Græcorum imitatione.

*Anni sui mensi superfluos inserebant dies: ut refert Glaucippus, qui de sacris Atheniensium scripsit.* * Verum una re a Græcis differebant: nam illi confecto ultimo mense, Romani non confecto Februario, sed post XXIII. diem intercalabant, Terminalibus scilicet jam peractis. PHIL. Optime, sed quæ sunt Terminalia? MOR. Festa quæ in honorem Termini Dei (in cujus tutela fines Agrorum esse existimabantur) celebrabant. PHIL. Et his peractis diem intercalabant? MOR. Etiam Philomuse: deinde reliquos mensis dies quinque, post intercalationem subjungebant, credit Macrobius, *vetere Religionis suæ more, ut Februarium omnino Martius sequeretur.* PHIL. Semperne post XXIII. diem intercalabant? MOR. Minime. ratio apud Rosinum: * *Cum sæpe eveniret, ut nundinæ modo in Anni principem diem, modo in Nonas caderent (utrumque autem perniciosum Reipublicæ putabatur) remedium quo hoc averteretur, excogitatum est. Dies ille quo abundare Annum diximus, eorum est permissus arbitrio, qui fastis præerant, ut cum vellent intercalarent: dummodo eum in medio Terminaliorum, vel mensis intercalaris ita locarent, ut a suspecto die celebritatem averterent Nundinarum.* * Hæc autem Anni ordinatio a Numa ad Julii Cæsaris imperium Romæ duravit, qui tertius Annum ordinavit, hujus constitutionis fores Dialogo sequenti aperiam.

* Lib. 1. Saturn. cap. 13.
* Romani inter[illegible] Græcis [illegible].
* [illegible] Romani [illegible].
* Quamdiu duraverit Numæ constitutio.

## DIALOGUS VII.

*An semper fuerit Intercalatio.*

NOn semper. PHIL. Unum profer testem. MOR. Macrob. * *Fuit tempus cum propter superstitionem Intercalatio omnis omissa est: nonnunquam vero per gratiam sacerdotum, qui cum Publicanis proferri vel imminui consulto Anni dies volebant,* * *modo auctio, modo retractio dierum proveniebat, & sub specie observationis emergebat major confusionis occasio.*

* Intercalatio omissa. Lib. 1. c. 13.
* Auctio et retractio dierum facta.

## DIALOGUS VIII.

*Confusio prædicta sublata per C. Cæsarem. Bissextus.*

NOsti, Philomuse, prædictam temporum inconstantiam? PHIL. Novi. MOR. Hæc sublata a C. Cæsare, qui Ægyptios imitatus, ad numerum Solis qui diebus CCCLXV. & quadrante cursum conficit, Annum direxit, sicque Julius Cæsar X. dies observationi veteri superadjecit: & ne quadrans deesset, statuit, ut quarto quoque Anno Sacerdotes qui curabant, mensibus ac diebus unum intercalarent diem (quater enim sex horæ singulis quaternis Annis unum diem constituunt) scilicet ante quinque ultimas dies Februarii: idque Bissextum nominavit. PHIL. Quid ita? MOR. Quod bis, hoc est, duobus diebus continuis numerarent *sexto Kal. Martias*, duos videlicet dies pro uno computantes. Hoc indicant versus sequentes:

*—— viginti Februus octo,*
*Et si Bissextus fuerit, superadditur unus.*
*Et tunc bis sexto Martis conscribe Kalendas.*

Sublata [illegible] a Cæsare.
* Bissextus.

Possum ad hanc sententiam * Celsum flectere: *Qui est natus bissexto Kal. nihil refert, utrum priore an posteriore die natus sit, quum illud biduum pro uno tantum die habeatur.* * Et hæc de tertio Anno, quem nos adhuc hodie sequimur. Nam Annus noster menses habet duodecim, hebdomadas duas & quinquaginta, & diem unum: dies vero trecentos sexaginta quinque & sex horas: tanto enim temporis intervallo Sol Zodiacum perlustrat, ut diximus.

* De verbor. significatione.
* Annus Cæsaris noster est.

## DIALOGUS IX.

*Qui vocentur a Græcis dies intercalares, & qui sint versus sic dicti.*

GRæcis ὑπερβαίνοντες. recte: nam ὑπερβαίνειν transcendere est plusquam fas sit. PHIL. Nonne & ἐμβολίμους nuncupant? MOR. Plutarchus in Numa: *Adjecit ad Annum in mense Februario* ἐμβόλιμον. *id est, intercalarem, quem Mercedinum Romani vocant, qui erat viginti duorum dierum.* Apud Macrobium falso legitur ἐμβολισμοὺς dici hos menses ἐμβολίμους. Dicuntur & παρεμβεβλημένοι. Sic & vocantur versus spurii atque interjecti: * sic intercalares sæpeque repetiti. Tales sunt apud Virgil.

Græca nomina dierum intercalarium.
* Versus Intercalares Eclog. 8.

*Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.*

Et

*Ducite ab urbe domum, mea Carmina, ducite Daphnim:*

Hos fecit versus ad imitationem Theocriti, qui sæpe repetit,

* Ἄρχετε βωκολικᾶς, Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς. * Idyll.

*Incipe Bucolicam chara incipe Musa Camœnam.*

## DIALOGUS X.

*In quos menses inseruerit Cæsar decem dies a se additos,*

PRotraxisti in claram lucem Bissextum, protrahe & reliquorum decem dierum ordinationem. MOR. Protraho. Inseruit

in { *Januarium*, *Sextilem*, *Decembrem*, } duos dies.

Nam ex ordinatione Numæ erant XXIX. dierum, Cæsaris vero XXXI. Habes jam ex diebus decem, sex dies: quatuor restant quos inseruit

in { *Aprilem*, *Junium*, *Septembrem*, *Novembrem*, }

Unum

Unum ſcilicet ſingulis, erant enim XXIX. dierum; nunc XXX. Noſtin' hoſce verſus?

*Triginta Aprilis, Junii, Septemque, Novemque*
*Uno plus alii*, &c. ——

(*Uno plus alii*) Si quis verba ruminetur, menſes dictos indicat

{ *Januarium*,
*Sextilem*,
*Decembrem*.

A Indicat & non dictos,

{ *Martium*,
*Majum*,
*Quintilem*,
*Octobrem*.

Qui quatuor menſes, erant in Numæ Anno XXXI. hiſque in I. Cæſaris nulla facta eſt acceſſio. PHIL. Cauſa? MOR. Quod ſatis legitimo eſſent numero.

---

# PETRI MORESTELLI DE IMPOSITIONE NOMINUM SINGULIS MENSIBUS, PHILOMUSUS.

## LIBER II.

### DIALOGUS I.

*Quorum ſit nomina imponere rebus.*



PIL. Dixi ſatis quid Annus, quotuplex: nunc de nominum menſibus impoſitione, fortuitone eis impoſita. MOR. * *Quam eximiæ ac præſtantis fuerit ſapientiæ rebus nomina imponere* * (inquit præclare tenens quæ a Græcis, Hebræis & noſtris prodita ſunt Illuſtriſſimus, nobiliſſimuſque *Pontus Tyardæus* ad ſuum *Lodoicum*, De recta nominum impoſitione) *antiqui, iique clariſſimi Philoſophi accuratiſſimis diſquiſitionibus explanarunt, diverſiſque & luculentis rationibus pertractarunt, atque demonſtrarunt*. * Qui ergo fortuito? qui caſu, qui levi conjectura, qui arbitratu? omnibus in ſingulis Dialogis clarebit.

* Sapientum eſt nomina imponere rebus.
* Lacus Ponti Tyardæi.
* Non fortuito nomina impoſita rebus.

### DIALOGUS II.

#### DE JANUARIO.

*Numa Januario prudentiam Regum indicanti nomen impoſuit. Cur ab hoc menſe Annum ſuum incœperint Romani, cum antea a Martio: Bruma.*

Hic menſis fuit in Junonis tutela.
* Etymologia Januarii.
* 1.
* 2.

JAnuario nomen impoſuit Numa Pompilius inventor * a Janua, ſiquidem janua eſt, & introitus Anni: vel a Jano * quod ſicut Janus Deus bifrons præterita & futura videt: D ita hic primus menſium quaſi biceps reſpicit finem tranſacti Anni & futuri principia. Martial.

* *Principium des Jane licet velocibus Annis,*
*Et revoces vultu ſæcula longa tuo.*

* Lib. 8.

Hoc vult Suidas, cum ſcribit, nonnullos Janum effingere in dextra manu tenentem clavem, ut temporis principium ac Anni, ejuſdemque recluſorem Janitoremque. PHIL. * Ergo hic menſis Regum prudentiam indicat, quorum eſt & præterita meminiſſe, perpendereque, & futura proſpicere. MOR. Indicat, Philomuſe, quod etiam loquebatur E Antiquitas * *Janum Bifrontem*, ut diximus (a quo nomen habet Januarius) fingens. Suppeditat nobis ad hanc rem Emblema Andreas Alciatus, *

* Januarius prudentiam Regum indicat.
* Janus Bifrons.
* Emblem. 18.

*Jane Bifrons, qui jam tranſacta futuraque calles,*
*Quique retro ſannas ſicut & ante vides:*
*Te tot oculis, cur fingunt vultibus? an quod*
*Circumſpectum hominem forma fuiſſe docet?*

F Ob hanc rem * *Antevorta & Poſtvorta divinitatis ſcilicet aptiſſimæ Comites apud Romanos coluntur*; * Macrob. Inde receptum proverbium, * πρόσω ϰ̀ ὀπίσω, A fronte atque a tergo: pro eo quod eſt diligenter inſpicere, & præterita cum præſentibus ac futuris conferre; ſumptum ex Homero,

* Antevorta & Poſtvorta.
* Lib. 1 Saturn. c. 7.
* Proverbium.

Οὐδέτι οἶδε νοῆσαι ἅμα πρόσσω ϰ̀ ὀπίσσω — Iliad. α.

*Nec novit ſimul a tergo atque a fronte videre.*

Quid ad hæc? Prisci, M. Tullio atque Macrobio ita referentibus, * Janum mundi symbolum sunt arbitrati, quare serpente caudam suam vorante eum repræsentabant: mundus enim seipsum alit, & assidue in orbem torquetur, nunquid & Annus? quidni ergo hoc respexerit Numa in hoc imponendo nomine? PHIL. Cur ab hoc mense incœperunt Romani? MOR. * Lego apud Plutarchum causas dicentem, Martium principium Anni fuisse antiquis temporibus, quod cum multis signis perspici potest, tum eo maxime quod quintum a Martio, & sextum & reliquos deinceps usque ad extremum a Martio numerarent. Decembrem enim novissimum appellabant, a Martio scilicet recensentes: hunc vero ordinem postea commutatum esse, * & Januarium primum numerari cœptum: *Quod primo hujus mensis die quem Kalendas Januarias appellant, Primi Consules exactis Regibus creati sunt.* * *Verisimilius illud quod quidam dicunt,* * *Martium a Romulo primum omnium fuisse numeratum, quod homo acer ac bellicosus, atque adeo bellandi amore insanus, Marte satum se existimans, parentis sui cognomen cæteris mensibus præponendum esse censuit.* * *Numa Pompilius deinde vir pacatus, & pacis atque otii studiosus, cum Civium animos a bello ad Agriculturam traducere contendisset, Januario inter menses principatum dedit, & Janum quasi civilem & Agriculturæ magis quam rei bellicæ studiosum ad summos honores cultumque provexit.* * *Sed vide ne Numa Pompilius magis consentaneum naturæ quantum ad nos attinet principium Anni sumpserit. Omnino enim eorum quæ in circulo circumferuntur nihil est quod natum, aut extremum sit, aut primum: sed lege factum, ut aliud alii statuant Anni principium: optime vero qui post hybernum tropicum Annum inchoant, cum Sol finem ulterius progrediendi faciat, rursus ad nos se recipit.* * *Fit enim naturale quodammodo hujusmodi principium, quo & lucis tempus nobis augetur, tenebrarum vero & noctis diminuitur, Princeps denique & totius substantiæ auctor propius accedit.* PHIL. * Dic clarius quo tempore sit Solis principium. MOR. Hyemali. PHIL. Quo die? MOR. Brumali. PHIL. Quid Bruma? MOR. Dies Solstitii hyemalis qui est ad 18. Kalend. Januar. quo die fit in Capricorno hyemale Solstitium. * Est autem Solstitium statio Solis, quum Sol ultra non progreditur, sed retrocedere incipit. * Cum ergo post Brumam Sol progrediendi fine facto convertatur, ut nosti, & ad nos cursum flectat, ac quasi de novo cursum suum incipiat, voluit Numa idem Anni quod Solis esse princium. Non dissentit Ovid. canens,

> *Bruma novi prima, veterisque novissima Solis,*
> *Principium capiunt Phœbus & Annus idem.*

*Annus repræsentatus serpente caudam suam vorante. — Martius Anni principium antiquis. — Januarius postea primus, & causæ duæ. Prima. — *Quo die consules creati exactis Regibus. — *Secunda. — *Romulus vir bellicosus. — *Numa vir pacatus. — *Tertia. — *Principium naturale Anni. — *Bruma. — *Solstitium. — *Idem Anni quod Solis principium.*

## DIALOGUS III.

### DE FEBRUARIO.

*Februarii notationes quatuor.*

PHIL. Mel & deliciæ meæ tua de Januario sententia: de Februario inquire. MOR. Inquiro. * Nomen habet a Februo lustrationum Deo, cui a Numa erat dicatus. Macrob. * *Secundum mensem dicavit Februo Deo, qui lustrationum potens creditur. Lustrari autem eo mense civitatem necesse erat, quo statuit ut justa Diis manibus solverentur.* * Vel a Sabinorum lingua, qui Februum purgamentum dicunt; * vel a Februo verbo, quod lustrare, aut purgare est, * cum extremo Anni mense populus Februaretur, id est, purgaretur: per duodecim enim dies continuos Februarii celebrabantur Februa: hisque diebus pro impetranda quiete mortuorum manibus, omnis populus piaculis, sacrificiisque circa sepulcra accensis facibus, cereisque intentus ibat. Hæc autem dicebantur, quæcunque purgamenti causa in quibuscunque sacrificiis adhibebantur. Plin. *Vulgata priscis temporibus opinio obtinuit, Februa esse omnia quibus malefactorũ conscientiæ purgarentur, delerenturque peccata, aut manes defunctorum placidi redderentur.* Ovid. *

> *Februa Romani dixere piamina Patres:*
> *Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem.*

* Quidam non male a Janua Februata (quam alii *Februalem*, Romani *Februlim*) dici putant, quod ipsi eo mense sacra fiebant, ejusque sacra erant Lupercalia, de quibus suo loco.

** Prima notatio Fuit in tutela Neptuni. — * Lib. 1. Saturn. c. 13. — * Secunda. — * Tertia. — * Februa. — * 2. Fast. — * Quarta.*

## DIALOGUS IV.

### DE MARTIO.

*Martius olim primus Mensium, mensis nomen habuit ante Romam conditam, non primus omnibus populis: dicatus Marti a Romulo.*

Decem mensium primus in Anno Romuli fuit Martius. PHIL. Quem citas? MOR. Ovidium:

> *A te principium Romano ducimus Anno,*
> *Primus de patrio nomine mensis erit.*

Et Festum, *Martius mensis initium Anni fuit, & in Latio & post Romam conditam, eo quod gens erat bellicosissima. Cujus rei testimonium est, quod posteriores menses, qui Annum finiunt, a numero appellati ultimum habent Decembrem.* Locum attentius adhibita in consilium ratione, considera, sententiam Ovidii probare fateberis, qui Martium mensis nomen etiam ante Romam conditam Italiæ populos habuisse, ait. PHIL. * Certum, sed num primus omnibus? MOR. In pugnantem sententiam pedibus it: Albani enim tertio collocarunt,

> *Tertius Albanis.*

Peligni & Sabini quarto,

> *Et tibi cum proavis miles Peligne Sabinus*
> *Convenit huic genti quartus utrique Deus.*

Phalisci quinto

> —— *Quintus fuit ille Phaliscis.*

Quinto Laurentes & Æquicoli,

> *Quintum Laurentes, bis quintum Æquicolus acer.*

Hernici sexto,

> *Sextus apud populos Hernica terra tuos.*

Romulus his omnibus litem infert, perdunt, Martium Anni primum mensem genitori suo dicat. Ovid.

> * *Romulus hos omnes ut vinceret ordine saltem,*
> *Sanguinis Authori tempora prima dedit.*

*In Minervæ tutela. — Martius olim primus mensium in Anno Romuli. Fast. 4. — * Non fuit primus omnibus populis, ante Romam cond. tam. — * Dicatus Marti.*

Genitori inquam suo, nam Martius dictus a Marte, quod is Romuli pater crederetur. Macrob.* *Fuit Romuli ordinatio qui primum Anni mensem Genitori suo Marti dicavit.* PHIL. * Ex quibus testimoniis constat hunc mensem apud veteres Romanos ex prima Romuli constitutione primum Anni fuisse? MOR. Hæc habet Macrobius: * *Quem mensem Anni primum fuisse, vel ex hoc maxime probatur, quod ab ipso, Quintilis quintus est, & deinceps pro numero nominabantur. Hujus etiam die prima, ignem novum Vestæ aris accendebant: ut incipiente Anno, cura denuo servandi novati ignis inciperet. Eadem quoque ingrediente mense & publice & privatim, ad Annam Perennam sacrificatum itur: ut annare perennareque commode liceat. Hoc mense mercedes exsolvebant magistris, quas completus Annus deberi fecit. Comitia auspicabantur, vectigalia locabant. Et servis cœnas apponebant Matronæ, ut Domini Saturnalibus. Illæ ut principio Anni ad promptum obsequium honore servos invitarent: hi quia gratiam perfecti operis exsolverent.*

* Lib. 1. Saturn. c. 12.
* Testimonia quibus ostenditur Martium fuisse primum apud veteres.
* Lib. 1. Sat. c. 12.

## DIALOGUS V.

### DE APRILI.

*Duarum sententiarum de Etymologia Aprilis ultima eligitur.*

PHIL.

Unde nomen? MOR. Discrepant vetustissimorum authorum sententiæ: potissimum duas reperio, primam habes ex Macrobio: verba proferre non pigebit. * *Secundum mensem nominavit* (scilicet Romulus) *Aprilem quasi Aphrilem, a spuma, quam Græci vocant ἀφρὸν, unde orta Venus creditur. Et hanc Romuli asserunt fuisse rationem, ut primum quidem mensem a patre suo Marte, secundum a Venere matre nominaret.* Et certe tradunt Hesiodus & Plato Venerem Ἀφροδίτω dictam, διὰ τὴν τοῦ ἀφροῦ γένεσιν, quod e maris spuma enata sit: Audi Ovidium.

In Veneris tutela fuit.
* Lib. 1. Sat. c. 12. Prima Etymologia.

> *Spuma fui, gratumque manet mihi nomen ab illa.*

* Lib. 1. Eleg.

Hoc vult Tibullus: *

> *Non fuerit quicunque loquax, is sanguine natam,*
> *Is Venerem e rapido sentiet esse mari.*

Alii putant Romulum certi numinis providentia ita primos ordinasse menses, ut cum præcedens Marti esset dicatus, Deo plerumque hominum necatori, secundus Veneri dicaretur, quæ vim ejus quasi benefica leniret. PHIL. Tibine videtur a spuma seu Venere hunc mensem nominatum? MOR. * Non audeo asserere ab ea hunc mensem dici, cum * Cincius in eo libro quem de Fastis reliquit, dicat imperite quosdam opinari Aprilem mensem antiquos a Venere dixisse, cum nullus dies festus, nullumque sacrificium insigne Veneri per hunc mensem a majoribus institutum sit. Nota verba (*Sacrificium insigne.*) Credere videtur aliquod sacrum Veneri fuisse factum, dum negat insigne: & tamen Varro, referente Rosino, affirmat, * *Nomen Veneris ne sub Regibus quidem, apud Romanos, vel Latinum, vel Græcum fuisse, & ideo non potuisse mensem a Venere nominari.* Congruit Horatii judicium, qui non Aprilem a Venere, sed contra ἀφροδίτην sine Venere ab Aprile mense dictam asserit: *

* Corrigitur prima hæc Etymologia.
* Primo.
* Secundo.
* In 4. Carm.

> *Ut tamen noris quibus advoceris*
> *Gaudiis, Idus tibi sint agendæ*
> *Qui dies mensem Veneris Marinæ*
> *—— findit Aprilem.*

* Habes & secundam sententiam in Macrobio, qui postquam censura sua priorem notationem damnavit, suam aperit. *Quum fere ante Æquinoctium vernum triste sit cœlum & nubibus obductum: sed & mare navigantibus clausum: terræ etiam ipsæ, aut aqua, aut pruina, aut nubibus contegantur: eaque omnia verno, id est, hoc mense aperiantur: Arbores quoque, nec minus cætera quæ continet terra aperire se in germen incipiant: ab his mensem Aprilem dici merito credendum, quasi Aperilem, sicut apud Athenienses ἀνθεστηριὼν idem mensis vocatur, ab eo quod hoc tempore cuncta florescant.* De hac notatione Ovid. *.

* Etymolog. secunda.
* Lib. 5. Fast.

> *Nam quia ver aperit tunc omnia, densaque cedit*
> *Frigoris asperitas, fœtaque terra patet,*
> *Aprilem memorant ab aperto tempore dictum.*

Homo non sim, si verbum ultra addam in re tam clara.

## DIALOGUS VI.

### DE MAJO.

*Dicitur a Maja, vel a Majoribus, vel a voce Cymbria Mai.*

Venio ad Majum, quem Plutarchus * nominatum putat a Maja: *Majum quidem a Maja vocant.* Hanc Cincius Vulcani dixit uxorem, argumentoque utitur quod flamen Vulcanalis Kal. Maiis huic Deæ rem divinam facit: Piso tamen apud Rosinum uxorem Vulcani * Majestam non Majam dixit vocari. Alii Majam Mercurii matrem faciunt, eamque mensi huic nomen dedisse affirmant, Macrob. * *Contendunt alii Majam Mercurii matrem mensi nomen dedisse: hinc maxime probantes, quod hoc mense mercatores omnes Majæ pariter Mercurioque sacrificant.* Hanc opinionem attingit Ovid. *

* Maja In Numa. Fuit in tutela Apollinis Prima notatio nominis.
* Majesta
* Lib 1. Sat. c. 12.
5. Fastor.

> *At tum materno donasti nomine mensem,*
> *Inventor curvæ furibus apte fidis.*

* Dissentit Fulvius Nobilior in Fastis, cum dicit Romulum, postquam populum in majores junioresque divisit, ut altera pars consilio, altera armis Rempublicam tueretur: in honorem utriusque partis hunc Majum, sequentem Junium mensem vocasse. Ovid. *

* Secunda.
Ibidem.

> *Hinc sua majores tribuere vocabula Majo.*
> *Junius a Juvenum nomine dictus adest.*

Idem,

> *—— populum digessit ab Annis*
> *Romulus in partes distribuitque duas.*
> *Hæc dare consilium, pugnare paratior illa est,*
> *Hæc ætas bellum suadet, at illa gerat.*
> *Sic statuit, mensesque nota secrevit eadem,*
> *Junius est Juvenum qui fuit ante senum.*

* Posset & deduci Majus a veteri Cymbria voce *Mai*, sive *Mei*, quo omnis viror plantarum significetur, quod hoc mense omnia vireant. Quam voles ex his tribus prudens elige.

* Tertia.

## DIALOGUS VII.

### DE JUNIO.

*Junius a Junioribus, vel a Junone, vel Hebe.*

PHIL.

Junius mensis a quo? MOR. A Junioribus posse deduci diximus Dialogo præcedenti ex Ovid. *

*Junius a Juvenum nomine dictus adest.*

Lego in eodem Ovidio a Junone sic loquente.

* *Non tamen ignores, vulgique errore traharis, Junius a nostro nomine nomen habet,*

Hinc *Junonialis* & *Junonius* dicebatur ante apud Latinos. Ovid.

*Est illuc mensis Junonius, &c.*

* *Sed* (suggerit Macrob.) *post detritis quibusdam literis, ex Junonio Junius dictus.* * Nonnulli putaverunt Junium mensem a Junio Bruto, qui primus Romæ consul factus est, nominatum, *Quod hoc mense* (ait idem) *1. kal. Juniis pulso Tarquinio sacrum Carnæ Deæ in Cœlio monte voti reus fecerit.* Quid quod Junium dictum putat Ovidius apud Rosinum *quasi* * *Unium*, sive *Jungium*, a junctis Romulo & Tatio Sabinorum Rege?

*His nomen junctis Junius, inquit, habet.*

Idem Rosinus: *Joannes Goropius Becanus in Croniis auctor est,* * *Junium mensem a favore nominatum, quod in eo favorem terræ sentire incipiamus; fructibus jam se ad edendum offerentibus: dici autem Junium quasi Gunium a Germanica voce Jungen*, vel *Gunnen, quod Latinis favere significat.* PHIL. Digna animadversione opinio. MOR. Digna & Plutarchi, Philomuse, qui * *Junium ab Anni tempore* dictum scribit. PHIL. Quo tempore? MOR. Juvenili quasi Junili, sublatis quibusdam literis: quasi arborum fructus, item herba sint in ætate Juvenili; quibus illo tempore nihil est jucundius. Hoc mihi videtur dicere, si meditationi tuæ relinquam idem dices. * Contendit preterea Hebes hunc mensem nomen a suo accepisse. PHIL. Quo nomine? MOR. Juventure (Hebes namque Juventus est) Nat. Comes: * *Dicunt Junonem aliquando ab Apolline in domum Jovis ad convivium fuisse convocatam, atque inter alias epulas, lactucas agrestes appositas fuisse, quas ubi comedisset, cum antea esset sterilis, repente fit gravida,* * *atque Heben filiam postea peperit. Ea cum pulcherrima esset, ac Jovi placuisset, Juventuti præficitur ab ipso Jove, & id præterea illi munus datum est, ut Jovi pocula ministraret, cui variis floribus compositum sertum capiti impositum fuit.* PHIL. * Potes hujus appellationis causas afferre? MOR. Unam & alteram. Hanc igitur appellationem habet hic mensis ab Hebe, *sive Juventute:* * vel propter maritum suum, Herculem, qui bene meritus de ea Regione fuerat, ubi postea condita Roma, quod eam * Caci latrociniis expurgarit. Hic enim Latium undique latrociniis & incendiis infestabat: demum ex Hispania redeuntis & apud

A Evandrum hospitantis * boves noctu cauda traxit ad antrum suum: has mane diminutas cernit Hercules, quorsum errassent scire nequit, forte fortuna ad antrum pervenit; sed cum vestigia omnia foras versa videret, cum reliquis abiit. Abeuntibus cæteris occlusæ aliarum desiderio mugierunt. Audito mugitu Hercules Caci fraudem cognovit, raptaque clava iratus recurrit: sed Cacus spelunca fretus, in eadem se abscondit, clausis foribus ingenti saxo. * Hercules ad montis cacumen tendit & dejecto silice qui antri ori summo incumbebat Cacum strangulavit, bovesque suas
B recepit. De hoc antro, deque latrociniis Caci multa habet Virg. *

*Jam primum saxis suspensam hanc aspice rupem,*
*Disjectæ procul ut moles, desertaque montis*
*Stat domus, & scopuli ingentem traxere ruinam.*
*Hic spelunca fuit, vasto submota recessu*
*Semihominis Caci: facies quam dira tegebat,*
*Solis inaccessam radiis, &c.*

Et hæc est prior causa quam ipsa Hebes affert
C apud Ovidium,

*Quid grave, si titulum mensis Romane dedisti*
*Herculis uxori, posteritasque memor?*
*Hæc quoque terra aliquid debet mihi nomine magni*
*Conjugis, huc captas appulit ille boves.*

* Vel eidem mensi idem nomen ab eadem Hebe Romani indiderunt propter Juvenes quibus ea præibat.

## DIALOGUS VIII.

*De Reliquis sex Mensibus ab ordine vocatis.*

D Sequuntur sex reliqui menses, quos ab ordine nominavere Quintilem, Septembrem, Octobrem, Novembrem, Decembrem. De his ordine more nostro. PHIL. Opto faciliter breviterque percipere. MOR. Dilucido.

## DIALOGUS IX.

### DE JULIO.

E *Quintilis dictus, postea Julius. Cæsar Julius dictus non ab hoc mense, sed ab Julo.*

Primis temporibus dictus fuit Quintilis, quod quintus esset a Martio, quem Romulus Anni principium fecerat, quod nomen etiam retinuit post additos a Numa Januarium & Februarium reliquis decem mensibus: cum tamen non jam quintus, sed septimus esset. PHIL. * Quando appellatus est Julius? MOR. Postremis temporibus. PHIL. A quo? MOR. A * Julio Cæsare. PHIL.
F Causa? MOR. In Macrobio reperies. * *Postea in honorem Julii Cæsaris Dictatoris, legem ferente M. Antonio Marci filio consule, Julius appellatus est,* * *quod hoc mense ad quartum Idus Quintilis Julius procreatus sit.* Aliud dicit Plutarchus, * *Quintilis a Cæsare qui Pompejum superavit, Julius.* Quid plura? *Dio* (inquit Rosinus) *historiarum lib. 44. cum honores Cæsari a Senatu decretos commemorat, addit & hoc,* * *quod mensem, in quem Cæsaris natalis competebat, Julium cognominaverint.* Non dissentit Festus: *Julium mensem appellarunt, quod eo*

*menſe dicitur Julius natus*. Cuique ſua lectio & electio: ſed emendo eos qui Cæſarem ab hoc menſe, Julium dictum putant, cum conſtet omnium teſtimonio Juliorum familiam ab Julo Aſcanio, Æneæ filio nomen traxiſſe. Virg.

*Julius a magno demiſſum nomen Julo.*

Juvat Lucanus,

*Gentis Juleæ veſtris clariſſimus aris*
*Dat pia thura nepos.*

## DIALOGUS X.

### DE AUGUSTO.

Fuit in Cereris tutela. Primo dictus eſt Sextilis, deinde Auguſtus, & cauſæ.

*Sextilis primo, deinde Auguſtus dictus eſt.*

AD Auguſtum tranſeo, qui, cum antea Sextilis, quod ſextus eſſet a Martio, diceretur, poſtea in honorem Octavii Cæſaris Auguſti, Senatui placuit, ut Auguſtus nominaretur, * ut qui imperio fœliciſſimus eſſet: Ægyptus enim hoc menſe in poteſtatem populi Romani redacta, & finis civilibus bellis impoſitus. * Adde quod hoc menſe Cæſar Auguſtus primum conſulatum inierat, & triumphos tres in urbem intulerat. Dio* *Menſem Sextilem Auguſtum nominavit, quod nomen * cum alii Septembri, quo menſe natus eſſet Auguſtus, indere vellent, ipſe Sextilem prætulit, * quod eo menſe primum Conſul factus, ac eo multis magnis prœliis victoria potitus eſſet.* De eodem Plutarchi verba attexo: *Sextilis vero ab eo qui Auguſtus cognominatus ſecundus imperavit, nominatus eſt.* Alios pauciloquus prætermitto.

* Prima. * Secunda. * Lib. 55. Menſe Septembri natus eſt Auguſtus. * Hoc menſe Conſul factus.

## DIALOGUS XI.

### DE SEPTEMBRI.

Fuit in Volcani tutela.

*Hujus appellationis ratio duplex: Septem pro pluribus; variis nominibus affectus.*

### PHIL.

DE Septembri quid cenſes? MOR. Idem quod Varro. PHIL. Quid ille ait? MOR. Accepiſſe hanc denominationem quod ſeptimus eſſet a Martio: ita loquitur, * *Dehinc quintus Quintilis, & ſic deinceps uſque ad Decembrem a numero.* Habes bonam e Varronis theſauro monetam, nunc neſcio quorum non adulterinam accipe: *Qui* (ut fatetur Roſinus) * *volunt Septembrem Romanis quaſi ſeptimum Imbrem: non tantum quod a Martio ſeptimus numeretur: verum etiam ob imbrium frequentiam & aeris turbationem quæ ſub initium Autumni accidere plerumque ſolet, dictum eſſe.* Videbitur fortaſſe alicui ſemidocto male, cum non ſepties modo, ſed frequentius Autumno imber effluat. Verum ſciat cum Hebræos, tum Ægyptios * *Septem* pro pluribus, item pro re pluries repetita ponere: ut *Argentum ſepties purgatum*: & *Redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinum eorum.* Chryſoſt. ait * ſeptenarium numerum in divinis literis infinitæ multitudinis ſignum habere: quidni & apud Latinos? ſic accipe Virgilianum illud,

Lib. 5. de lingua Latina. * Prima ratio appellationis. * Secunda. * Septem pro pluribus. * Actione in Judæos 5.

—— *immania ſeptem*
*Terga boum*

PHIL. Quid plura? MOR. * Hunc menſem Senatus in Tiberii Auguſti honorem Tiberium appellari voluit, quod tamen ne fieret ipſemet intercеſſit. Sueton. * *Interceſſit ne menſis September Tiberius vocaretur.* Eundem menſem Domitianus Imperator, Germanici cognomine aſſumpto, Germanicum dixit. Suet. Idem * *Poſt autem duos triumphos Germanici cognomine aſſumpto Septembrem menſem & Octobrem ex appellationibus ſuis Germanicum Domitianumque tranſnominavit: quod altero ſuſcepiſſet Imperium, altero natus eſſet.* Macrob. * *Menſis September principalem ſibi retinet appellationem ex Germanici appellatione.* * Audio præterea Senatum decreviſſe hunc menſem Antoninum vocari, verum id Antoninum reſpuiſſe. Scio Commodum Imperatorem cum omnia menſium nomina tranſmutaſſet, iiſque pro vetuſtis appellationibus novas de ſuis cognominibus impoſuiſſet, hunc menſem * Herculem vocaſſe. Non ignoro tandem a Tacito Imperatore Septembrem * Tacitum appellatum, quod in eo, & natus, & factus eſſet Imperator.

* Senatus Tiberium appellari juſſit. * In Tiberio. * Germanicus dictus. * In Domit. Lib. 1. c. 12. * Senatus juſſit Antoninum vocari. * Hercules dictus. * & Tacitus.

## DIALOGUS XII.

### DE OCTOBRI.

*Cur ſic dictus. Domitianus vocatus: Senatus voluit Fauſtinum appellari.*

Fuit in tutela Martis

### PHIL.

LInque Septembrem, reſpice Octobrem; MOR. * Sic dictus, quod octavum locum teneat a Martio. * Huic Domitianus Domitiani nomen dedit. Macrob. * *Octobrem ſuo nomine Domitianus invaſerat.* Loquitur in eandem ſententiam Plutarchus: * *Reliquos autem deinceps duos Domitianus ſuis ſibi cognomentis aſcivit.* PHIL. * Diune ita vocati ſunt? Pergit Plutarchus qui tuæ cupiditati ſufficit: *Neque id diu: ſed qui rurſum illo jugulato ſua reſumpſerunt nomina. Itaque alter September, alter October appellantur.* Et ita menſes uſurpatione Tyrannicæ appellationis exuti ſunt. * Julius Capitolinus in vita Antonii Pii refert, Senatum decreviſſe hunc menſem Fauſtinum appellari, verum id Antoninum reſpuiſſe.

* Cur ſic dictus. * Domitianus vocatus Lib. 1. c. 12. In Numa. * Senatus decreverat appellari Fauſtinum,

## DIALOGUS XIII.

### DE NOVEMBRI.

*Unde dictus November, & an mutaverit ſuam appellationem.*

Fuit in Dianæ tutela.

NOvember unde nomen habuit, audiſti in tractatu de Auguſto ex Varrone, cujus ſenſum calles, bona tamen venia per hunc Dialogum ambulabit. *Quintus Quintilis & ſic deinceps uſque ad Decembrem.* En ergo * Novembrem, quod nonus eſſet a Martio. PHIL. At mihi alia cupiditas. MOR. Non amo cupidos. PHIL. Cupiditas, ut Lucilius ait, ex homine, cupido ex ſtulto nunquam tollitur: honeſta hæc noſtra cupiditas & diſcendi amor; dic & explica an unquam appellatio-

* Cur dictus November.

nem ſuam mutaverit aſſumpto alio nomine. MOR. Negat Plutarchus: * *Soli poſtremi duo appellationem ab ordine (ſicuti ab initio habuere) ſervaverant*. Tempore tamen Imperatoris Commodi * *Exuperatorium* ab Adulatoribus dictum me non fugit: teſtem habeo minime conflatum Ælium Lamprid. *Menſes quoque in honorem ejus pro Auguſto Commodum; pro Septembri Herculem; pro Octobri Invictum; pro Novembri Exuperatorium*, * *pro Decembri Amaſonium ex ſigno ipſius adulatores vocabant*. Ait (*Amaſonium*) ex amore Concubinæ ſuæ Martiæ, quam pictam in Amaſone diligebat, propter quam & ipſe Amaſonico habitu in arenam Romanam procedere voluit. Plura apud Roſinum, cum adnumerabis tempora, leges.

* Exuperatorius vocatus.

## DIALOGUS XIV.

### DE DECEMBRI.

*Amaſonius vocatus, ſed non diu.*

SUpereſt December, ita dictus quod decimus eſſet a Martio. *Amaſonium* ex Adulatoribus Commodi Imperatoribus fuiſſe appellatum conſtat ex Dialog. præcedenti, ſed non diu. Hactenus de duodecim menſibus, ſatis: Tædet plura loqui, Philomuſe, tertia ſeſqui hora eſt: exeamus. PHIL. Quo jam? MOR. Per paſcua ambulatum. PHIL. Nonne a cœna præſtaret? MOR. * Salubrior eſt ante cibum exercitatio corporis, ex dicto Socratis. PHIL. Narra. MOR. Quum ille uſque ad Veſperum contentius ambularet, interrogatus quare id faceret, reſpondit, ſe, quo melius cœnaret, obſonare famem ambulando. PHIL. Probe, prodeamus.

Fuit in tutela Veſtæ.

* Salubrior exercitatio.

---

# PETRI MORESTELLI DE SINGULORUM MENSIUM TRIBUS PARTIBUS PHILOMUSUS.

## LIBER III.

## DIALOGUS I.

*Præfatio, Veris deſcriptio.*

PHIL.



EN in paſcuis pedem fiximus, porro ambulemus, ut quot in partes Romani ſingulos menſes diſtribuerint, paulisper me Tyronem inſtruas. MOR. * Tibi evenire videtur quod pueris, qui ad aquas ludunt: ii cum lapillum in ſtagnum jecerint, paulatim magis magiſque majores orbes faciunt: Et tu ſcrupo uno injecto varios circulos conſequi facis, rogationum, reſponſionum. Semel tibi dico, deſine: Jam vires animi mei effœtæ,

* Similitudo.

—— *Alternis facilis labor.* *

Deſine. PHIL. * Non patitur, mi Moreſtelle, ſerenitas temporis, herbarum, florumque pratenſium mira varietas, qua quid hoc tempore jucundius? nunquid te & oculos tenet ſegetum pratorumque viriditas?

*Nunc omnis ager, nunc omnis parturit Arbos.*

Quin etiam parturis? MOR. Ergo incoram parturiam, percunctare.

## DIALOGUS II.

### DE KALENDIS.

*Tres in partes diviſi ſunt ſinguli menſes: quænam dicantur Kalendæ, & quid in eis fieret.*

PHIL.

QUot in partes Romani ſingulos menſes partiti ſunt? MOR. In tres, Kalendas, Nonas, Idus, idque ex ordinatione Romuli. PHIL. Dic precor bona cum venia, quænam dicantur Kalendæ? MOR. * Singuli primi dies menſium. PHIL. Unde dicuntur Kalendæ? MOR. A verbo * καλῶ, id eſt voco, tunc enim Pontifex calato, id eſt, vocato populo, quot dies a Kalendis ad Nonas ſupereſſent pronunciabat: Macrobii ore loquor. * *Priſcis temporibus, antequam faſti a Cn. Flavio ſcriba invitis patribus in omnium notitiam proderentur*, * *Pontifici minori hæc provincia delegabatur, ut novæ Lunæ primum ob-*

Tres partes ſingulorum menſium.

* Quænam ſint Kalendæ.

* Unde.

* Lib. 1. Sat. c. 15.

A *servaret aspectum, visamque Regi sacrificulo nunciaret: itaque sacrificio a Rege & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex calata, id est vocata in Capitolium plebe juxta * curiam Calabram, quæ Casæ Romuli proxima est, quot numero dies a Kalendis ad Nonas superessent pronunciabat, & quintanas quidem dicto quinquies verbo καλῶ, septimanas repetito septies, prædicabat. Et hunc diem qui ex his diebus qui kalarentur primus esset, placuit Kalendas vocari. Hinc & ipsi curiæ, ad quam vocabantur, Calabræ nomen datum est, & classi quod omnis in eam populus vocaretur. Ideo autem minor Pontifex*
B *numerum dierum qui ad Nonas superessent calando prodebat.* PHIL. * In cujus tutela erant kalendæ? MOR. Junonis, ut prodit Ovid. *

(* Curia Calabra) (* Fuerunt in tutela Junonis) (* 1. Fast.)

*Vendicat Ausonias Junonis cura Kalendas.*

## DIALOGUS III.

### DE NONIS.

*Qua fini proderetur numerus dierum qui a Kalendis a Nonas superesset: Simile quid apud Catholicos. Nonæ cur sic dictæ, & quot dierum in singulis mensibus.*

PHIL.

(Cur proderetur numerus dierum a Kalendis ad Nonas. *Lib. 1. Sat. c. 15.*)

C QUa fini minor Pontifex numerum dierum qui a kalendis ad nonas superessent calando prodebat? MOR. *Quod post Lunam novam oportebat Nonarum die populares qui in agris essent confluere in urbem accepturos causas feriarum a Rege sacrorum, scituros que quid esset eo mense faciendum*: Hæc habet Macrobius, * Nunc etiam inter Catholicos, singulis diebus Dominicis Curio, vel vicariam operam illius præbens, ex suggestu pa-
D rochis calatis & congregatis explicat quæ feriæ in hebdomade vacationem ab operibus servilibus habeant, quæve in honorem Dei sacratæ sint. PHIL. Quare dictæ Nonæ? MOR Idem Macrob. * *Quidam Nonas æstimant dictas quasi novæ initium observationis, vel quod ab eo die semper ad Idus novem dies putentur: sicut apud Tuscos nonæ plures habebantur, quod hi nono quoque die Regem suum salutabant & de*
E *propriis negotiis consulebant.* PHIL. * Singuli menses quot Nonas habebant? MOR. Quidam quatuor, quidam sex a Romulo primo Rege. Chartam hanc verbis Rosini notabo: *Porro quidam menses habebant quatuor Nonas, quidam sex, inde usque a Romulo primo Rege. Is enim cum ita menses distribuisset, ut alii essent dierum triginta unius, alii undetriginta; tum, ut ex die Nonarum, Idus nono die esset, & inter Idus ac sequentes Kalendas sedecim dies intercederent, in mensibus illis, qui triginta unum dies habebant; inter Kalendas & Nonas inter-*
F *jecit duos illos, quibus mensis augebatur dies: Inde fiebat, ut alius mensis quatuor, alius sex Nonas haberet: quod etiam Cæsar, cum Annum aliter ordinaret, observavit, ne stata sacra, quæ a priscis instituta fuerant, transferrentur.* Nonas singulorum mensium ex his ediscis;

(* Simile quid apud Catholicos.) (* Nonæ cur sic dictæ.) (*Singuli menses quot Nonas habeant.)

*Sex Majus Nonas, October, Julius & Mars:*
*Quattuor at reliqui.*

Idem ostendunt sequentes versus Ausonii Burdigalensis.

*At Nonas modo quarta aperit, modo sexta refert lux,*
*Sexta refert Maii, Octobris, Martisque recursu,*
*Et qui Solstitio sua tempora Julius infert.*
*Cætera pars mensium quartis est prædita Nonis,*

* Scias obiter, Nonas in nullius Dei tutela fuisse.

## DIALOGUS IV.

### DE IDIBUS.

*Quo die sint Idus in singulis mensibus: Quot sint, unde dictæ: Et tandem in cujus tutela.*

PHIL.

REsolve Idus. MOR. * Idus in Martio, Majo, Julio, & Octobri dies est decimus quintus: In reliquis decimus tertius, suntque in quovis mense octo.

(* Quo die sint Idus in singulis mensibus.)

—— * *Dabit Idus quilibet octo.*

(* Quot sint Idus in singulis mensibus.)

PHIL. * Unde dictæ Idus? MOR. Ab antiquo verbo Iduare, quod est lingua Hetrusca dividere, *Unde vidua* (inquit Macrob.) *quasi valde Idua, id est valde divisa, aut vidua, id est, a viro divisa:* * Sic Idus circa medium mensis existentes in duas partes propemodum æquales mensem dividunt, quæ opinio vero propior existimatur. Ad Macrobium redeo: *Alii putant Idus, quod ea die plena Luna videatur,* * *a videndo Vidus appellatas, mox literam (u) detractam: Sicut contra quod Græci ἴδειν dicunt, nos litera addita videre dimus. Nonnullis placet Idus dictas vocabulo Græco ἀπὸ * τῆ αἴδως, quod eo die plenam speciem Luna demonstret.* * Opinione ejusdem Iduum nomen a Tuscis, apud quos is dies Itis vocatur, sumptum est. Itim autem illi interpretabantur Jovis fiduciam: nam cum Jovem accipiamus lucis authorem, unde & Lucetium Salii in carminibus canunt, & Cretenses Δία τ ἡμέραν vocant: ipsi quoque Romani Diespitrem appellant, ut diei patrem: jure hic dies Jovis fiducia vocatur, cujus lux cum Solis occasu non finitur, sed splendorem diei & noctis continuat lustrante Luna: * quod semper in plenilunio, id est, medio mense fieri solet. Diem vero qui vel nocturnis caret tenebris, Jovis fiduciam Tusco nomine vocaverunt, unde & omnes Idus Jovis ferias observandas sanxit Antiquitas. Invenio aliam nominis rationem, Idus scilicet ab ove Iduli dictas, quam hoc nomine vocant Tusci * & omnibus Idibus ovis immolabatur a Flamine.

(* Unde dictæ Idus. *Primo.*) (* Idus mensem dividunt) (* *Secundo.*) (* *Tertio.*) (* *Quarto.*) (* Plenilunium.) (*Quinto.*) (* Omnibus Idibus ovis immolabatur.)

## DIALOGUS V.

*Dies mensium singulorum suam nanciscuntur denominationem, vel a Nonis, vel Idib. vel Kalend. Quid sit sexto Nonas, vel Idus, vel Kalendas, & sic in aliis numeris.*

PHIL.

(Denominatio dierum singulorum mensium unde.)

UNde sumunt dies mensium suam denominationem? MOR. Suam nanciscuntur a Nonis dies tres vel quinq; qui sunt

post Calendas, id est, post primum diem mensis: ab Idibus septem dies, qui sunt post Nonas: tandem dies post Idus a Calendis sequentis mensis: non quod ipsæ sint Calendæ, Idus, aut Nonæ, sed quod Calendas, & has, & illas antecedant. PHIL. Rogito, ut ea quæ dixisti dilucide intelligam, sit aliquis mensis mihi exemplo. MOR. Sit Martius; in cujus si prima die literas dederis, scribas, *Calendis Martiis*: si secundo, *Sexto Nonas*: si tertio, *Quinto Nonas*: si quinto, *Tertio Nonas*: si sexto, *Pridie Nonas*; si septimo: *Nonis Martii* scribas. Si octavo, *Octavo Idus Martii*: si nono, *Septimo Idus Martii*: si decimo, *Sexto Idus Martii*: si undecimo, *Quinto Idus Martii*: si duodecimo, *Quarto Id. Mar.* si decimotertio, *Tertio Idus Martii*: si decimoquarto, *Pridie Idus Mart.* si decimoquinto, *Id.b. Martii*, scribas. Si decimosexto, XVII. *Calend. Aprilis*: si decimoseptimo, XVI. *Calend. Aprilis*: & sic de cæteris in numero Calendarum descendendo; donec ad ultimum hujus diem perveneris, in quo *Pridie Calend. Aprilis*, scribas. *Pridie*, inquam; non enim *Secundo Nonas*, *Idus*, aut *Calendas* dicemus. PHIL.* Quid est quod dicis *Sexto Nonas*, *Sexto Idus*, *Sexto Calendas*: sicque in aliis numeris per accusationem? MOR. *Sexto Nonas*, *Idus*, aut *Kalendas*, *ante Idus*, *ante Nonas*.

* Quid sit Sexto Nonas, Idus, vel Calendas.

## DIALOGUS VI.

*Execrabantur debitores diem Calendarum. Locus Horatii explicatus de Drusone fœneratore: alius de malo Poeta, ejusdem. Exigebant pecunias die Calend. eodemque in fœnore collocabant: Idibus vero nomina tantum exigebant.*

### PHIL.

Cur execrarentur diem Calendarum debitores.

ROgito, rursus ad Kalendas fuge, & πάρεργως aperi quod comperio apud Ciceronem pro Rabirio, solitos fuisse debitores Calendarum diem execrari. MOR. Hoc ait, quia menstrua erat usura: soliti enim erant antiqui singulis mensibus usuras exigere & rationes cum debitoribus inire, idque docet nomen quo rationum libri, seu nominum & debitorum libri Breviaria nominabantur, quippe quæ appellatione Calendarii dicebantur. Hanc consuetudinem indicat Plutarchus, cum ait non esse fœnerandum, *Insuper & Calendarum, aut Neomeniæ recordaberis, qui dies etsi sacratissimi existant, nefasti tamen & execrandi ab usurariis redduntur*. Ecce etiam Horat.

*Sermonum* 1. *Sat.* 3. * De Drusone fœneratore.

** Odisti & fugis ut Drusonem debitor æris:*
*Qui nisi cum tristes misero venere Calendæ,*
*Mercedem aut nummos, unde unde extricat amaras*
*Porrecto jugulo historias captivus ut audit.*

PHIL. Hic, mi Morestelle, tristis sine Sole domus: fuga tenebras. MOR. Fugo. Significat hunc Drusonem fœneratorem fuisse & eundem historiæ malum scriptorem, qui cum a debitoribus sortem aut usuras ad diem non abstulerat, eos pro pœna se recitantem suas historias, audire cogebat: illa autem recitatio adeo fuit injuncunda, ut ultro Drusoni jugulum præberent, mallentque jugulari quam audire. * Apposite ad hanc rem idem Horat. * qui poetam ineptum & sibi nimium placen-

*Lib. de arte Poetica.*

A tem, suosque versus odiose recitantem, cum hirudine comparat. * Nam quemadmodum illa tamdiu hæret corpori affixa, donec sanguine completa exciderit, ita & molestus recitator, auditorem non dimittit, donec ipse & recitando defessus, & suorum versuum laudibus satiatus sit, pro qua re effundit hos versus,

*De malo Poeta. * *Similitudo.*

*Indoctum doctumque fugat recitator acerbus:*
*Quem vero arripuit, tenet, occiditque legendo,*
*Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.*

Historias tamen explicarem lites & convicia, ut sit sensus, nisi paraverint usuras aut sortem,
B audient historias Drusonis, id est, convicia. PHIL.* Tantumne exigebant pecunias? MOR. Collocabant etiam in fœnore, aut quæstu. Horat. *

* Exigebant die Calend. pecunias, eademque collocabant in fœnore. * *Od.* 3. *Epod.*

*Omnem relegit Idibus pecuniam,*
*Quærit Calendis ponere.*

(*Relegit*) in nonullis codicibus (*Redegit*:) malo tamen (*Relegit*) cum Lambino: * Idibus ergo nomina exigebant, ut ex hoc loco intelligere licet, & ex Satyr. 6. *

* Idibus nomina tantum exigebant. * *Lib.* 1.

C *—— magni*
*Quo pueri magnis e centurionibus orti,*
*Ibant octonis referentes Idibus æra.*

Calendis autem & exigebant, & collocabant, ut diximus. Habe hæc de Calendis Romanorum.

## DIALOGUS VII.

### DE CALENDIS GRÆCIS.

D *Proverbium ad Calendas Græcas explicatum: Νεμηνίας esse, non Calendas, apud Græcos. Annus magni Platonis.*

### PHIL.

UTinam diem illum videam quum mihi & Calendas Græcas interpretaberis! MOR. Ad Calendas Græcas interpretabor, Philomuse. PHIL. Quando erunt? MOR. Ad Calendas Græcas. PHIL. Etiam
E rides? MOR. Ridere non est malum, cum naturæ privilegio hominibus concedatur. PHIL. Pergin, tu ridere? MOR. Quod dixi verum est, & verum dicere non est ridere, cur me immerito reprehendis? PHIL. Scio quidem Calendas Græcas fore ad Calendas Græcas; sed quid causæ est quin per diem & mensem responderis. * MOR. Calendæ Græcæ, nec diem, nec mensem habent cum nullæ sint. PHIL. Num ergo me illusisti qui te responsurum de Calendis Græcis ad Calendas Græcas pollicitus es? MOR. Iterum polliceor.
F PHIL. At nullæ sunt, inquis, nonne intelligis te maxime disjuncta atque contraria dicere, sane tanta mecum, quanta tecum est contentio. MOR. Nulla mecum est, nec tecum esset, si ad proverbii sensum animum adverteres, nec perverse interpretareris. Nam * *Ad Calendas Græcas*: id est, nunquam, propterea quod Græci non habent Calendas more Latinorum: * sed Νεμηνίας, id est, Novilunia: sicque ad Lunæ recursus Græci solvebant usuras: unde Strepsiades in Nubibus Aristophanis,

* Calendæ Græcæ nullæ sunt.

*Proverbium explicatum * Νεμηνίαι apud Græcos.

* Græci solvebant usuras in noviluniis. nis, * optat sibi incantatricem quampiam, quæ carminibus efficiat, ne quando Luna exoriatur: sic enim fore, ut non reddat usuras, quandoquidem trapezitæ ad Lunas mutuam dant pecuniam, & Lunis usuræ crescunt. Huc itaque respexit Augustus, cum diceret, *Ad Cal. Græcas soluturos*, quos nunquam reddituros mutuum significabat. Huic simile est quod nunc inter eruditos jactatur, * *Anno magno Platonis*, quem existimant nunquam futurum. De irrisione, mi Philomuse, quid ais? PHIL. Non irridebas, jocabaris, mi Morestelle suavissime. Ago gratias. *Anno magno Platonis quid sit.

# PETRI MORESTELLI
## DE
# DIE CIVILI EJUSQUE
# PARTIBUS
# PHILOMUSUS.
## LIBER IV.
### *PRÆFATIUNCULA.*

MEnses in Calendas, Nonas & Idus divisimus; jam non perincommode facere existimabimur ab aliquo, si de die Civili agamus, deque ejus partibus.

### DIALOGUS I.
### DE DIE CIVILI.

*Dies civilis quis & cur civilis dicatur: Multiplex hujus principium apud diversas nationes: Romanorum nox a Meridie, quam consuetudinem observamus: Quisnam dies natalis haberi debeat.*

Quid sit dies civilis, & cur ita dicatur.



Ies civilis est spatium viginti quatuor horarum. PHIL. Dic quam obrem Civilis vocaretur? MOR. Quod in aliis atque aliis civitatibus & regionibus, alio atque alio modo observaretur. PHIL. * Viam aperi. MOR. Athenienses diem Civilem auspicabantur a Sole occidente ad Solem iterum occidentem: * Babylonii ab ortu Solis ad Solem secundo exorientem: * Umbri a meridie ad meridiem subsequentem: * Romani autem a media nocte ad mediam noctem. Plutarch.* *Cur diei principium de media nocte numerant? An quod R. P. ab initio more militari & instituto constituta est. In re militari autem multa noctu utiliter occupantur. An diei ortum agendi principium esse voluerunt, noctem vero consilii & apparationis. Oportet autem præparatos rem aggredi, non agentes præparari.* Virgilius quoque id ipsum ostendit, non aperte quidem, sed ut hominem decuit poeticas res agentem, recondita veteris ritus significatione:

* Dies civilis Atheniensium. * Babyloniorum. * Umbrorum. * Romanorum. * In Problem.

—— * *Torquet medios nox humida cursus,*
*Et me sævus equis Oriens afflavit anhelis.* * Lib. 5 Æneid.

His enim versibus oblique, ut dixi, admonere voluit diem, quem Romani civilem appellaverunt, a media nocte oriri. Quid? * Nonne nox inchoabat a meridie? Colligunt interpretes ex Virgilii animo. Verba tibi dabo: *Romanorum nox a meridie.

*Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis,*
*In medium ætherio cursu trajecerat axem.*
*Nox ruit, Ænea, nos flendo ducimus horas.*

* Horum quoque a nobis consuetudo observatur, adeo ut si quid ante mediam noctem gestum sit, id præcedenti diei ascribatur. Ex his perfacile quæstionem Agellii * persolves, qua quærit eos: * *Qui noctis hora tertia, quartave, sive qua alia nati sunt, uter dies natalis haberi appellarique debeat, isne quem nox ea consecuta, an qui dies noctem consecutus est.* Persolves, inquam, verbis Varronis: * *Homines (inquit) qui media nocte ad proximam mediam noctem in his horis XXIV. nati sunt, una die nati dicuntur.* Quibus verbis ita videtur dierum observationem divisisse, ut qui post Solis occasum ante mediam noctem natus sit, e

*Horum consuetudinem observamus. * Lib. 3. c. 2. * Qui dies natalis haberi debeat. * In lib. rerum humanarum quem de dieb. scripsit.

is dies natalis ſit, a quo ea nox cœperit: contra vero qui in ſex horis poſterioribus, eo die videri natum qui poſt eam noctem diluxerit, idque apud Romanos, qui a media nocte ad ſequentem auſpicabantur.

## DIALOGUS II.

### DE DIEI CIVILIS PARTIBUS.

*Duas in partes dies Civilis primum fuit diviſus apud Romanos: deinde in quatuor: tandem in plura tempora.*

Dies Civilis fuit primum diviſus in duas partes.

LEgit Roſinus lib. 4. Antiquit. Rom. cap. 3. Cenſorinum de die natali c. 19. firmantem, duas in partes primum apud Romanos diem civilem fuiſſe diviſum:

In { *Antemeridiem*, & *Poſtmeridiem*.

Alii poſtea eundem ſicuti & noctem ſimiliter diviſerunt. teſtatur illa ſimilitudo militaris: *

* Diei Civilis quatuor tempora poſtea.

Vigilia { Prima, Secunda, Tertia, Quarta.

* Tandem in plura.

* Tandem plura noctis & diei tempora, notata, & propriis diſcreta nominibus, quæ apud veteres Poetas paſſim ſcripta reperiuntur, hac brevi tabella lectori objiciemus:

{ *Media nox.*
*Mediæ noctis inclinatio.*
*Gallicinium.*
*Conticinium.*
*Diluculum.*
*Mane.*
*Ad meridiem.*
*Meridies.*
*Meridiei inclinatio, ſive occiduum.*
*Solis occaſus, vel ſuprema tempeſtas.*
*Veſper.*
*Crepuſculum.*
*Prima fax.*
*Concubium.*
*Nox intempeſta.*
*Ad mediam noctem.*

Unde autem hæ diei partes nomen traxerint enarrabo, ſi earum cognitioni conducat.

## DIALOGUS III.

### *De Gallicinio & Conticinio.*

DE Gallicinio & Conticinio ago, prætermiſſis media nocte, ejuſque inclinatione. * Gallicinium alter Galli cantus, quod Galli cantent hac noctis parte. Apul. * *Noctis Gallicinio venit quidam juvenis e proxima civitate.* * Conticinium vero primum tempus, quo omnia quieſcendi gratia conticeſcunt. Macrob. * *Conticinium cum & galli conticeſcunt & homines etiam tum quieſcunt.*

* Gallicinium quid.
* Lib. 2. de Aſino aureo.
* Saturn. lib. 1. c. 3.
* Conticinium.

## DIALOGUS IV.

### *De Diluculo.*

DIluculum, ante Solis ortum aurora, quia parva diei lux: quod tum dies luceſcere inciperet. Hieron. * *Horam tertiam, ſextam, nonam, diluculum quoque & veſperum nemo eſt qui neſciat.* Plaut. Amph. *Primo diluculo abiiſti ad legiones.* Cic. * *Et cum poſt horam primam noctis occiſus eſſet, primo diluculo nuntius hic Ameriam venit.*

* Quid diluculum.
* Ad Euſtoch.
* Pro Roſcio Amerino.

## DIALOGUS V.

### *Mane.*

QUum dies clarus, Mane eſt. PHIL. Mane a quo? MOR. Varro * a manando derivat, quod cum Sole manet dies ab oriente, unde * Manii & Lucii, qui nati ſunt mane & luce, quibus nominibus Romanorum quidam appellati ſunt. Macrobius ſignificat mane dictum a manibus, * *Aut quod ab Inferioribus locis, id eſt, a manibus exordium lucis emergat: aut (quod verius mihi videtur) ab omine boni nominis. Nam & Lanuvini mane pro bono dicunt: ſicut apud nos quoque contrarium eſt, immane.*

Quid ſit Mane.
* Unde, Primo.
* Manii & Lucii quinam ſint.
* Secundo.

## DIALOGUS VI.

### *De Meridie.*

PHIL.

DE Meridie quid reperis? MOR. * Eſſe medium diem quaſi medidiem. Nam *d* antiqui, non *r*, in hoc loco dicebant: ſed ſuavioris ergo pronunciationis mutatum eſt *d* in *r*. Cic. * *Ipſum meridiem, cur non medidiem? Credo quod erat inſuavius.* Roſinus lib. 4. Antiquit. Romanarum: * *Sunt qui Meridiem dictum putent, quod merus ſit dies: id eſt, purus. Nam meridies eſt purior diei pars, quia Sol in medio Cœlo rutilat, & omnem orbem pari illuſtrat claritate.*

* Meridies quid ſit, & unde dicatur: primo.
* In oratore ad Brutum.
* Secundo.

## DIALOGUS VII.

### *De occiduo & Solis occaſu.*

OCciduum idem quod occidit. Gell. *Rediremuſque in urbem Sole jam fere occiduo.* Vis jam Solis occaſum? PHIL. Volo equidem. MOR. * Lucis noviſſimum tempus nomine Solis occaſus, vel ſupremæ tempeſtatis ſignatur. ſic eſt expreſſum in duodecim tabulis: *Solis occaſus, ſuprema tempeſtas eſto.*

Occiduum, ſive meridiei inclinatio.
* Solis occaſus.

## DIALOGUS VIII.

### *De Veſpera.*

VEſpera a Græcis trahitur: illi enim ἑσπέραν a ſtella Heſpero dicunt: unde & Heſperia * Italia (quod occaſui ſubjecta ſit) nominatur. Virg. *

Veſpera a Græcis trahitur.
* Italia cur Heſperia.
* 1. Æneid.

*Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt.*

*Dicitur & Vesperugo. *Vesper ab aliis. *Lib. 10. Thebaid.* PHIL. Nunquid ei nomen aliud? MOR. * Vesperugo a Plauto Amph. *Neque vesperugo, neque vergiliæ occidunt*. * Ab aliis Vesper. Statius: *

*—— Sed vesper opacus*
*Lunares jam ducit equos.*

**2. Belli Civilis. *3 Georg.* Cæsar: * *Magistris imperat navium, ut primo vespere omnes scaphas littus appulsas habeant*. Virgil. *

*Solis ad occasum quum frigidus aera vesper*
*Temperat, & saltus reficit jam roscida Luna.*

Val. Flaccus:

*Te quoque Thessalico jam serus ab hospite vesper.*

**Ad Attic. l. 12. Vesperus. *Lib. 8. Epig. 21. ad Lucif. Phosphorus.* A Cicerone vocatur Vesperus: *Quumque mane me in sylvam abstrusi densam & asperam, non exeo inde ante vesperum*. Martialis * Phosphorum dicit:

*Phosphore redde diem, quid gaudia nostra moraris?*
*Cæsare venturo, Phosphore, redde diem.*

Alloquitur sydera, pridie quam ingrederetur urbem Cæsar, ut noctem præcipitent: tantum enim esse desiderium & expectationem populi, ut longissima ei nox videatur. **A quo dicatur Phosphorus. *Lib. 9.* PHIL. * A quo Phosphorus hoc tempus? MOR. Quod post Solis occasum in cœlo appareat, clarissimeque luceat. Profert & eloquitur Vitruvius, * qui per stellam Veneris Phosphorum intelligit: *Et stationibus propter eam circinationem morantur in spatiis signorum. Id autem ita esse maxime cognoscitur ex Veneris stella, quod ea cum Solem sequatur, post occasum ejus apparens in cœlo, clarissime lucens Vesperugo vocitatur: aliis autem temporibus eum antecurrens & oriens ante lucem, Lucifer appellatur*. **Lib. 1.* Manilius: *

*Et Venus accenso cum ducit vespere noctem.*

**Eclo. 7. *Hesperus.* Nescis & Hesperum * vocitari a Virgilio? *

*Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ.*

**2. Fast.* Et ab Ovidio: *

*Hesperus & fusco roscidus ibat equo.*

**Lib. 2. de natu. Deor.* Denique a Cicerone: *

*Stella Veneris dicitur Lucifer, cum antegraditur Solem: quum subsequitur autem, Hesperus.*

## DIALOGUS IX.

### *De Crepusculo & Prima face.*

*Crepusculum, quid, & unde.* VEsperum sequitur Crepusculum, lux dubia scilicet, quæ fit ante Solis ortum & ante occasum, a crepero, hoc est, dubio, quia tunc multis dubium est, dies sit jam, an nox. **Lib. 4.* Rosinus: * *Crepusculum sic fortasse appellatur, quod res incertæ creperæ dicuntur, idque tempus noctis sit an diei, incertum est*. Lucani locus addatur:

*Longa repercusso nituere crepuscula Phœbo.*

Et Ovidii:

*Dumque iter horrendum per opaca crepuscula carpit.*

Ejusdem est: * **5 F f.*

*At simul inducent nocturna crepuscula noctem.*

PHIL. Nonne meminit hujus partis Macrobius? MOR. Meminit: * sed hanc primæ facis nomine donat: *Ab hoc tempore (vespero scilicet) prima fax dicitur*. Ratum habeo, * nam lumina tum accedebantur, qua ratione Horat. * *Prima lumina*, Livius *Primas tenebras* vocat: approbo. **Crepusculum non differt a prima face. *Lumina tum accedebantur. *Lib. 2. epist.*

## DIALOGUS X.

### *De Concubio.*

COncubium, vel nox Concubia, est noctis primus somnus. Ita dicitur, quod eo tempore fere omnes cubent. Rosinus mihi auctor, *Concubia nox, cum itum est cubitum*. Descriptionem habes in Virgilio. * verba recitari digna: *Concubium quid sit. *2. Æneid. ono loco ex citatur Æneas.*

*Tempus erat quo prima quies mortalibus ægris*
*Incipit.*

Concubii, inquam, descriptio est, non primæ partis noctis, quam ad sui excusationem Æneas posuisse videtur: *Ne*, ait Nascimb. *torporis aut ignaviæ accusari posset, quod ipso carpente somnum Troja capta fuerit* *. Nam illi jure ignoscendum videtur, quia ea noctis parte se quieti dedit, qua semotis omnium rerum curis cogitationibusque eo beneficio fruitur, quod a Deo optimo max. æque omnibus datum est: nam somnus divinum munus est. Proinde subdit: **Somnus æque omnibus datus.*

*—— Et dono divum gratissima serpit.*

* Tempus hercle munitionibus invadendis opportunum, quam ad rem summam verborum Sisen. * dabo: *Ipsi legati concubia nocte oppido digressi jam supra hostium munitionem succedunt*. **Tempus opportunum munitionib. invadendis. *Lib. 4. Hist.*

## DIALOGUS XI.

### *De nocte Intempesta.*

INtempesta nox, id est, multa nox, quia nihil agi, est intempestivum. Servius exponit: *Nimium obscuram, noctem mediam, inactuosam*, id est, carentem actibus, per quos tempora dignoscuntur. Unde est, *Intempestive venisti*. Respexit ad versum Ennii, qui est in Annalibus, *Intempesta nox.*

*Cum superum lumen nox intempesta teneret.*

Varro: * *Intempestam Ælius dicebat, cum tempus agendi est nullum*. Macrob. * *Inde intempesta nox, quæ non habet idoneum tempus rebus gerendis*. Qualia sunt apud Ciceronem: * *Repente nocte intempesta servorum armatorum fit concursus, atque impetus*. Et apud Livium, * *Ab Samo intempesta nocte venit*. PHIL. Fortassis nomen aliud gerit. MOR. Næ gerit. * Nam concubium appellat Varro, *Quod omnes fere tunc cubarent*. Alii * *Silentium noctis*, ab eo quod sileretur. Plautus * *Conticinium*: *Videbimus, factum* **Lib. 1. de ling. Lat. *1. Sat. cap. 3. *In 7. Verrina. *7. ab urbe. *Concubium etiam dicitur. *Silentium noctis. *Conticinium.*

*volo, redito conticinio.* PHIL. Jam satis, mi Moreſtelle, ſuperque dixi: cœnatum, cenſeo, diſcedamus, quandoquidem hora nos admonuit. MOR. Numeraſtin' Philomuſe? PHIL. Numeravi ſextam ac pridem. MOR. Cur tu reticebas? PHIL. Quia juvabat audiendo tempus extrahere, ſed jam in me nihil eſt moræ, inteſtina enim præ inanitate horrendum murmurant: ſed cupio ut a cœna, antequam ſit cupido ſomni, de dierum diverſitate adhuc aliquantiſper audire. paululo contentus ero. MOR. Spondeo.

---

# PETRI MORESTELLI
# DE
# DIVERSITATE DIERUM
# APUD ROMANOS
# PHILOMUSUS.
## LIBER V.

### DIALOGUS I.

PHIL.

EN cœnavimus, ordine ſublata ſunt omnia, tapeto menſa ornata, mi Moreſtelle, bonæ fidei homo iis, comple promiſſum. MOR. Complebo.

### DIALOGUS II.

*Dierum totius Anni diviſio prima.*

DIes totius Anni primaria diviſione erant,

Aut { Feſti, Profeſti, Interciſi.

Hanc diviſionem Macrobius * intellexit: *Numa ut in menſes Annum, ita in dies menſem quemcumque diſtribuit, dieſque omnes, aut feſtos, aut profeſtos, aut interciſos vocavit.* [* Lib. 1. Sat. c. 16.]

### DIALOGUS III.

IN GENERE DE FESTIS.

*Feſti dies Diis dicebantur: his diebus ornabant Deorum templa Romani, ſuoſque poſtes: Addebant lucernas. Inſtitutorum feſtorum cauſæ duæ. Σαββατον.*

PHIL.

DIes feſti quibus dicabantur? MOR. *Diis, ſacrificiorum, aut ludorum, aut feriarum * cauſa. Eſt plane quod docet Poeta. * [* Diis dicabantur feſti dies. * Cauſæ. * Æn. 2.]

*Nos delubra Deum, miſeri quibus ultimus eſſet*
*Ille dies, feſta velamus fronde per urbem.*

Solebant ſiquidem veteres diebus feſtis & lætis Deorum templa * ornare, velare. * In magna quoque lætitia, familiaribuſque ſacris & nuptiis ſuos poſtes etiam ſertis inumbrabant, velabant, infulis decorabant, inſigniebant. [* Templorum ornamentum. * Oſtiorum.]

*Feſta coronato non pendent limine ſerta,* [* Lib. 2.]
*Inſulaque in geminos diſcurrit candida poſtes.*

* Addebant etiam lucernas. Septimius Florens: * *Plures jam invenies Ethnicorum fores ſine lucernis, quam Chriſtianorum.* Ibid. *Inquis, honos eſt Dei lucerna pro foribus, & laurus in poſtibus.* Et alibi: *Cur die læto non laureis poſtes obumbramus? nec lucernis diem infringimus?* Hæc ille. PHIL. Quid Plato? * MOR. Tradit Deum genus hominum laboribus natura preſſum, miſeratum, haud abs re in laborum remiſſionem ſolemnia illis ſacra, feſtaque in ipſorum Deorum honorem inſtituiſſe. Ad hanc rem Democritus βιος ἀνεόρταστος μακρὴ ὁδὸς ἀπανδόκευτος, id eſt, *Vita ſine feſtivitatibus, longa eſt via ſine diverſoriis.* * Et quidem ſumma fuit Dei providentia, quam ſecuta humanæ experientiæ neceſſitas, dies quoſdam ab opere conſueto quieſcentes conſtituere, & humanam hanc laborum infirmitatem a laboribus aliquando recreare, ne in via deficeret. Etenim ex Plutarcho, *plantæ mediocri aqua aluntur, immodica ſuffocantur: ſic vita moderatis laboribus adjuvatur, immoderatis obruitur.* Et ex Plin. *Luſciniis tantum eſt canendi ſtudium, ut certantes emoriantur ſpiritu citius deficiente quam cantu: ita immodico labore vita extingueretur.* Hæc una ratio. PHIL. * Altera? MOR. Ut terreſtribus ſudoribus intermiſſis animus ad majora & cœleſtia conſideranda raperetur, & eum a tempore quo labori addictus eſt, agnoſceret, veneraretur, placaret. Docuit id exemplo primum Deus, cum per ſex dies univerſa quæ [* Addebant etiam lucernas. * Apol. adverſus Gentes. c. 35. * 2. de legibus. Deos inſtituit hominibus feſta duabus de cauſis. * Prima. * Secunda.]

cœlo marique continentur, creavit. Gen. *Et requievit diei septimo ab universo opere, quod patrarat. Et benedixit diei septimo & sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat.* * Dies autem septimus ideo dicitur Σάββατον, id est, requies. Nam eo die nempe septimo cujusque hebdomadæ, Judæis fas non erat quicquam agere, unde & postea sanctus dies quilibet septimus fuit: hinc σαββατίζειν, Sabbatum celebrare, sabbatisare, requiescere.

* Σάββατον.

## DIALOGUS IV.

### *Festorum divisio.*

FEsti dies dividuntur
In { *Sacrificia*, *Epulas*, *Ludos*, *Ferias*.

Macrobii verba affero: *Festis insunt sacrificia, epulæ, ludi, feriæ.* Et sic sacra celebritas erat, vel cum sacrificia Diis offerebantur, vel cum dies epulationibus celebrabantur, vel cum ludi in honorem Deorum agebantur, vel cum erant feriæ. Quatuor isthæc habes de quibus dicam, sed generatim, speciatim alias.

## DIALOGUS V.

### DE SACRIFICIIS GENERATIM.

*Sacrificia omni sæculo fuisse dubitandum non est, stabilito in mente Deum fuisse semper cognitum rationalis naturæ lumine. Quid sacrificare, quidve sacrificium.*

Deus naturali lumine cognoscitur ab hominibus.

OMnibus quasi insculptum est esse Deum: * *Nec de hominibus ulla gens est*, (inquit Cic.) *neque tam immansueta, neque tam ferrea, quæ non etiam ignoret, qualem habere deceat, tamen habendum sciat*: quippe, inquit idem, * *est juris naturæ erga Deum religio*: Et ut auctor Aristoteles, * *Cultus Dei a natura inductus, etsi modus colendi sit a lege*. Ob quam causam respondet David * dicentibus, *Quis ostendet nobis bona?* respondet, inquam, *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. Insinuans animæ nostræ propriam inesse naturam rationalem, a cujus lumine, ea quæ facienda, quæve sequenda sunt, doceamur, potissimum præcipua, inter quæ singulari notione nobis inest divini numinis cultus. Proinde primum in mente eo stabilito Deum esse, eumque omnipotentem, malorum aversorem, bonorum largitorem, sacrificia ab hominum genere, quamvis diverso modo, tamen aliquo exhibita fuisse omni sæculo, dubitandum non est. * Sacrificare quippe nihil aliud est, quam *Munera Deo offerre, vel vovere, aut petere ab eo*: breviter, *Officium quod rei divinæ faciendæ causa impenditur*. PHIL. At quod Sacrificium? * MOR. Lego apud Marsilium Ficinum in Speusippum Platonis discipulum de Platonis definitionibus sic: *Sacrificium est hostiæ donum Deo exhibitum*. In Isidoro vero: *Est victima & quæcunque in ara cremantur, seu ponuntur*.

* 2. de nat. deo. * 2. de legib. Religio Juris naturæ. * 5 Eth. * Psalm. 4. * Sacrificium.

A

## DIALOGUS VI.

### DE EPULIS GENERATIM.

*Per epulum solenniores cibi intelliguntur in propatulo civibus exhibiti: Epulones quinam sint dicti.*

PHIL.

B QUid per epulum sive epulas hoc loco intelligis? MOR. Solenniores cibos, & proprie publicum convivium in propatulo civibus exhibitum, sive in dedicatione templi, sive in funere, sive ludorum causa, quale Imperatores apud Romanos populo exhibere solebant in triumpho, & quale factum esse constat a pluribus, qui testamento legaverunt Epulum quotannis ad sepulchrum rosis & variis respersum odoribus pro hæreditatum facultatibus exhibendum. Cic. * *Sepulchrum L. Catilinæ floribus ornatum, hominum audacissimorum ac domesticorum hostium conventu epulisque celebratum est*. Idem: * *Is cum epulum Quintus max. Africani patrui sui nomine Populo Romano daret, rogatus est*. Quid, quod in claris Oratoribus ait? *At utinam extarent illa carmina quæ multis sæculis ante suam ætatem in Epulis esse cantata a singulis convivis de clarorum virorum laudibus, in originibus scriptum reliquit*. * Hinc Epulones dicti sunt Triumviri, quorum munus erat Jovi, cæterisque Diis Epulas construere. Livius: * *Romæ eo anno primum Triumviri Epulones facti: hi Epulas Jovi, cæterisque Diis instituendi potestatem habebant*.

C

Quid per Epulum intelligatur. * Pro Planco. * Pro Muræna. * Epulones. * Lib. 3. belli Maced.

D

## DIALOGUS VII.

### DE LUDIS GENERATIM.

*Ludi unde: τὸ Ludus varias habet significationes, harum una eligitur. Finis Ludorum duplex.*

SCribit Varro ludos a ludo, vel lusu appellatos. Cæterum, (τὸ *ludus* *) varias habet significationes, tres proponam tantum, tertiam eligam. Alias enim significat factum aliquod jocosum, unde Grammatici distinguunt inter jocum & ludum, ut illud sit in verbis, hoc in rebus, vel factis. * Alias locum exercitationis sonat, in quo scilicet, aut vires corporis, aut ingenii acumen exercemus, aut etiam in quo pueri instituuntur a suis Præceptoribus, quod etiam Græci ἀπὸ τοῦ γυμνάζειν, hoc est, ab exercendo, vocant γυμνάσιον, unde dicimus ludum palæstræ, ludum literarum, pro ipso loco in quo hujusmodi rebus exercemur, aut instituimur. Asconius, *Omnem scholam ludum dixere Romani*. Cicero *, *Isocratis domus cunctæ Græciæ quasi ludus quidam patuit, atque officina dicendi*. Plaut. * *Hodie ne in ludum accepi literarum*. * Ludi plurali numero tantum pro publicis celebritatibus, vel spectaculis sumuntur, in qua significatione hic accipimus. PHIL. * Finis horum ludorum quis? MOR. Libet respondendo citare verba Rosini: * *Finis horum erat tum religio quædam, qua antiqui opinabantur sese Diis rem gratam illis ludis tanquam promissam facturos*: * *tum populi*

E F

Unde dicantur ludi. * Ludus multas habet significationes, quarum tres propositæ. Prima. * De claris orat. * Tertia quæ eligitur. * In Mer. * Finis ludorum. * Primus. * Secundus.

*voluptas, cui & Reges & Respub. & Imperatores maxime studebant, quo homines voluptate demulsi in officio continerentur.*

## DIALOGUS VIII.


### DE FERIIS GENERATIM

*Unde feriæ dicantur quæ sint: Omnia feriarum genera.*

Unde dicantur feriæ.

FEriæ dictæ sunt, vel a feriendis victimis, vel ab epulis ferendis. In his enim Epulæ fiebant ex pecorum frugumque proventibus: & sic feriæ * sunt dies cessationum ab opere. Cic. *Feriarum festorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium & jurgiorum, in servis operum & laborum.* Ibidem, *Feriis jurgia amovenda.* Idem, * *Tantum tribui doctrinæ temporis, quantum mihi puerilis ætas & Forenses feriæ concesserunt.* Festus: *Ferias antiqui festa vocabant.* Hinc festi dies dicti sunt feriati, hoc est, in quibus feriæ celebrabantur. Feriarum autem omnia genera hoc typo comprehenduntur;

* 2. De legib. Quæ sint.
* 2. De orat.




PHIL. Fac huic divisioni aliquid lucis accedat. MOR. Faciam, sed tractatu peculiari alias.

## DIALOGUS IX.


### DE PROFESTIS DIEBUS, SIVE NEGOTIOSIS.

***Profesti**, cur sic dicantur: quinam sint: cur hominibus concessi: eorum divisio.*

PRofesti appellantur, *Quod* (inquit Festus) *procul sint a religione Numinis divivi.* PHIL. Quinam sunt? MOR. * Qui vacui sunt a Festivitate, teste Nonio. Nam Profestum est contrarium Festo: * dicures negotiosos cum Tacito. PHIL. Cur hominibus concessi? MOR. * Ob administrandam rem privatam pulicamque. PHIL. Divide, MOR. Divido:

Profesti dies cur sic vocentur.
*Qui sint.
* Ii vocari possunt negotiosi.
* Cur concessi.

*Divisio eorum.




De singulis ordine dicam.

## DIALOGUS X.

### DE FASTIS.

*Fasti, iisque contrarii: Fastorum duo genera.*

[Fasti qui.] FAsti erant, quibus sine piaculo Prætoribus licebat tria verba fari, scilicet Do, Dico, Addico, vel ut aliis placet, Abdico: * quibus contrarii sunt Nefasti, his enim non licebat Prætoribus tria illa verba solennia fari. [* Iis contrarii.] Hoc Macrobius addocet: *Fasti sunt, quibus licet fari Prætori tria verba solennia,* Do, Dico, Addico: *Hisque contrarii sunt Nefasti.* [* 1. Fast.] Idem refert Ovid. *

B

*Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur:*
*Fastus erit, per quem lege licebit agi.*

[* Munus Judicum.] * His tribus verbis compendiose constare dicebatur munus Judicum, quorum erat jus dicere, dare, & debitorem creditori tradere, ut in eum & vitæ & necis haberet potestatem, quum solvendo non esset: tunc enim Prætor dicebatur addicere. Cic. * *Nonne Fusidium debitorem creditoribus addixisti?* [* In Pisonem.] PHIL. Dixti ab aliis legi * (*Abdico*) cur? [* Abdico.] MOR. Quia poterant abdicare nonnullos, hoc est, bonis privare, sive dignitate. PHIL. * Est aliud quod quæram, solumne fastis diebus Prætori liceret tria illa fari. [* Non Fastis tantum licebat fari.] MOR. Non solum, verum etiam illis qui dicuntur, *Nefasti primo:* * Eam ob causam aliquis duo Fastorum genera facit. [* Duo Fastorum genera. Primum.] Primum genus eorum, quibus fari semper & licebat & solebat: atque hi proprie erant fasti & toti. *Proprie*, quod per eos, nisi cum aliquis casus extra ordinem interveniret, nunquam Prætor jus non dicebat. *Toti*, quod fari horis omnibus licebat. * Alterum genus eorum, qui & ipsi proprie fasti erant, sed non toti, hoc est, quibus quidem fari licebat, sed non omnibus horis, [* Secundum] quales sunt qui in kalendario Romano notantur literis his EN. NP. FP. Q. REX. C. Q. S. T. D. Quæ notæ sic explicantur: EN. Endotercisos, vel Intercisos denotat, qui dies Deorum hominumque erant communes: quibusdam enim illorum horis matutinis jus dicere non licebat, pomeridianis autem licebat. His contrarii erant FP. id est, fasti primo: iis enim antemeridianis horis fari licebat, pomeridianis non licebat. Q. REX. C: quando Rex comitiavit. Q. ST. D. Quando stercus defertur: de quibus alibi.

C D E

## DIALOGUS XI.

### DE COMITIALIBUS.

*Comitiales an fasti proprie: & qui sint.*

FAstis insunt Comitiales, ut patet ex Dial. 9. de quibus hæc Rosinus: * *Comitiales fuere qui casu tantum, non autem proprie fasti erant, quia cum Comitia non haberentur, tunc fari solum prætor solebat: hi modo toti erant fasti, cum nulla scilicet Comitia haberentur, modo ex parte, cum haberentur illa quidem, sed minime per totum diem.* [* Lib. 4. Antiq. Rom. Comitiales non proprie Fasti.] * Comitiales enim dies erant, qui Comitiis gerendis apti sive dicati erant: vel ut Macrob. *quibus cum populo agi licebat*: quibus populus Romanus convenire solebat ad suffragium ferendum. [* Comitiales qui sint.] Cic.

F

A * *Consecuti sunt dies Comitiales, per quos Senatus haberi non poterat.* [* Ad Quint. Fratr.]

## DIALOGUS XII.

*De Comperendinis diebus: Comperendini dies: Duæ Actiones: Perendie: Perendinus quis hodie: Comperendinati: A quo fluxerit Comperendinatio: Discrimen perfectæ Actionis a Comperendinatione: & Ampliationis a Comperendinatione. Absolutionis & Condemnationis notæ.*

### PHIL.

AGe nunc, Comperendinos dies considera. [Comperendini qui.] MOR. In Schola puer sæpius consideravi. Apud Macrob. * *Comperendini quibus vadimonium licet dicere.* [* Lib. 1. cap. 15.] audivi a Præceptoribus *juberi*, clarius. PHIL. * Indene Comperendinatio? [* Comperendinatio.] MOR. Inde: *Ea autem est,* (ut docet Asconius) *ab utriusque partis litigatoribus invicem sibi denunciatio in perendinum diem:* ne scilicet alter litigatorum imparatus targiversari posset. Asconium exponit Rosinus, * appellatque Comperendinationem, *Novam Accusatoris & Rei citationem.* [* Lib. 9. Antiq. Rom.] * Nam duæ erant Actiones, quarum prima perfecta: post tertium diem secunda est instituta, quæ Comperendinatio dicta est, eo quod perendino die ageretur, id est, tertio, ita ut proprie Comperendinatio diceretur, quando Reus in tertium diem rejiciebatur. [* Duæ actiones.] * *Perendie* enim est, quod Græci μεθαύριον dicunt, quasi post crastinum. [* Perendie quid sit.] Cic. ad Att. * *Scies igitur cras, aut adsummum perendie.* [* L. 12. ep. 14.] Inde *perendinus dies*, verbum olim Jurisconsultorum, unde illud Cic. * *Jam illud mihi mirum quidem videri solet, tot homines, tam ingeniosos, per tot annos, etiam nunc statuere non potuisse, utrum diem tertium, an perendinum dici oporteret:* [* pro Muræna.] De Jurisconsultis loquitur. * *Perendinus dies* hodie dici potest, cum Judex statuit, aut inter partes convenit, ut omne instrumentum litis apud acta utrinque proferatur intra triduum, hoc est, ut sacculi apud Graphiarium deponantur. [* Perendinus dies qui dici possit.] Alii sic adnotant: *Comperendinatio est secunda actio.* Accipitur tamen pro quantumuis longa judiciali dilatione. Cic. * *Ut his ludorum diebus interpositis nemo istum Comperendinatum judicaret.* [* 3. in Ver.] PHIL. * Quid per Comperendinatos significarunt Latini. [* Comperendinatio.] MOR. Budæi verba docebant: *Comperendinati dici possunt in causis criminalibus, quos Curia demissos fide sua esse voluit, hoc est, quos suæ ipsorum custodiæ commisit: ut aut urbem carceris loco jussi habeant, aut privatam aliquam domum, ut fit interdum ex personarum dignitate & genere causarum. Comperendinati autem ideo dici possunt, quia non plane absoluti sunt, sed veluti vadimonio quodam obstricti, vel quia nondum comperta satis crimina, vel quia nondum innocentes se approbaverunt.* PHIL. * A quo fluxit Comperendinatio. [* A quo fluxerit Comperendinatio.] MOR. A Glaucia. Cic. *Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur Reus: antea vel judicari primo poterat, vel amplius pronunciari.* PHIL. * Distinguit Cicero duas actiones, *Perfectam & Comperendinationem*: sed qui differunt? [* Quæritur discrimen Perfectæ actionis a Comperendinatione] MOR. Cicero suadet in Comperendinatione contra factum esse atque in Perfecta: ibi enim priore loco dixit accusator, defensor posteriore: hic contra prius defensor, po-

posterius vero iterum Actor. Aves ad hæc, Philomuse, aliquid accedere? PHIL. Aveo. Nostin'discrimen Comperendinationis ab Ampliatione? MOR. Novi. * Ampliatio a Comperendinatione hoc differt, * quod illa libera est, & in potestate Judicum posita, hæc necessaria & legis imperio instituta: * Illa sæpius fieri poterat, hæc semel tantum: * Illa ex incerta Judicum sententia nata est, hæc etiamsi Judices primo cœtu non judicassent: * Illa ex arbitratu Prætoris quocumque die, hæc ex præscripto legis, tertio die. Quid ergo exclamat Budæus, *Quantum intelligi potest, Ampliationem non multum differre a Comperendinatione colligimus*: Imo multum differt. PHIL. Notam appone Ampliationis apud Romanos. MOR. Apponam quoque & Absolutionis & Condemnationis. * Absolutionis nota est A, unde a Cicero salutaris litera dicitur: *Nec vobis tam salutarem hanc in judicando literam, nec illis tam tristem dedisset*. * Condemnationis & Ampliationis notas Petrus Gregorius Tholosanus aperte exponit: *In more Romanis positum erat judicaturis per tabellas, tres tabellas dari diversis notis sculptas, quarum quam vellent mitterent in urnam Judicii. Una habebat notam literam C. quæ erat condemnationis, & alicubi D. quæ mortem significabat; quibus Augustus tertiam notam addidit N. L. id est, non liquere, quæ erat tabula suspensionis judicii, vel ampliationis, ex qua Rei quoque ampliati dicuntur apud Jurisconsultos*. * Ampliatorum apud Ciceronem exemplum est his verbis, quæ Budæus refert: * *In eundem quid dicam, nisi id quod negare non possit? venisse in Consilium publicæ quæstionis cum ejus Consilii Judex non esset: & in eo Consilio cum causam non audisset & potestas esset ampliandi, dixisse sibi liquere: dum incognita rejudicare voluisset, maluisse condemnare quam absolvere*. PHIL. * Palam est veteres hoc verbo, *Non liquere*, ampliandi facultatem significasse, sed quo nostri? MOR. *Differre judicium in aliud tempus*, dicere consueverunt. inscite. * Ampliationem, Philomuse, non magis amplio, sed appingam Græcorum morem non dissimilem notæ C. quæ condemnationem, vel D. quæ mortem significabat apud Latinos. PHIL. Appinge. MOR. Apud illos Θ in Judiciis tristis erat nota, mortem, id est, θάνατον significans. Ad quod illusit Satyrographus Persius: *

*Et potis est nigrum vitio præfigere Theta.*

*Nigrum* θῆτα, * mortiferum dixit: significabat enim θάνατον, id est, mortem, cujus est prima litera Θ. Martialis vocat mortiferum Theta: *

*Nosti mortiferum Quæstoris Castrice signum,*
*Est operæ pretium discere theta novum.*

*Mortiferum*, * quia mortis nuncium: Θ vero, vel quod humani pectoris transfixi similitudinem gerat: vel quod mors Græcis θάνατον dicatur, primaque litera pro voce tota usurpetur.

* Quatuor discrimina Ampliat. a Comperend. * Primum. * Secundum. * Tertium. * Quartum. Arguitur Budæus. * Absolutionis nota. * Condemnationis & Ampliationis notæ, item suspensionis. * Ampliatorum exemplum. * In Act. in Pand. * Nostri pro non liquere, quid dicant. * Nota condemnationis apud Græcos. * Sat. 4. * Nigrum θῆτα. * In 7. l. ad Castricum. * Mortiferum.

## DIALOGUS XIII.

### DE STATIS DIEBUS.

*Stati dies: Hostis apud Antiquos quis: Hostis & inimicus qui differant.*

DE his quid affirmet Macrob. audi: *Stati, qui judicii causa cum peregrino instituuntur*. Eo respexit Plaut. * *Status condictus cum hoste intercessit dies*. Lex est duodecim tabularum: *Si status dies sit cum hoste, venito. Cum hoste*, id est, cum adversario, vel peregrino. Nam hostis apud Antiquos peregrinus dicebatur, quem nunc vocamus hospitem, ab ostiendo, hoc est, ab æquando, eo quod suis legibus vivens nobis quodammodo æquari videatur. Cic. * *Equidem etiam illud animadverto, quod qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam mitigante: hostis enim apud majores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus*. * Jam vero hostes dicuntur illi, cum quibus publice bellum habemus: Inimici autem cum quibus privata odia exercemus. Cic. * *Quotiescumque dicetur male de se quis mereri, sibique esse inimicus atque hostis*.

Stati dies. * In Cur. Hostis apud Antiq. * 1. Offic. * Hostis discrimen ab Inimico. * 5. de Finib.

## DIALOGUS XIV.

### DE NUNDINIS

*Nundinæ num feriæ, an fastæ: De earum origine diversæ opiniones: Nundina Romanorum Dea. Cur nono die Rustici Romam venirent.*

NUnc ad Nundinas imus, de quibus feriæne, an fastæ sint, differit Macrob. in his: *Quod autem ferias dixi, potest argui, * quia Titus de feriis scribens, Nundinarum dies non inter ferias retulit: sed tantum solennes vocavit. Et quod Julius Modestus affirmat: Messala augure consulente Pontifices, an Nundinarum Romanarum, Nonarumque dies feriis tenerentur: respondisse eos nundinas sibi ferias non videri. Et quod Trebatius in libro primo Religionum ait, Nundinis magistratum posse manumittere, judiciaque adjicere. * Sed contra Julius Cæsar XVI. auspiciorum libro, negat Nundinis concionem advocari posse, id est, cum populo agi, ideoque Nundinis Romanorum haberi Comitia non posse. Cornelius etiam Labeo primo fastorum libro, Nundinis ferias esse pronunciat. * Causam vero hujus varietatis apud Granium Lucianum lib. 2. diligens lector inveniet. Ait enim Nundinas Jovis ferias esse: siquidem Flaminica omnibus Nundinis in regia Jovi arietem soleat immolare. * Sed lege Hortensia affectum, ut fastæ essent, uti rustici qui nundinandi causa in urbem veniebant, lites componerent. Nefasto enim die Prætori fari non licebat. Ergo qui ferias dicunt, a mendacio vindicantur patrocinio vetustatis: qui contra sentiunt æstimatu ætatis, quæ legem secuta est, vera depromunt*. PHIL. * Tange Nundinarum originem. MOR. Quidam Romulo assignant, quem communicato regno cum Tito Tatio, sacrificiis & sodalitatibus institutis Nundinas quoque adjecisse commemorant, sicut Tuditanus affirmat. * Sed Cassius Servium Tullium fecisse Nundinas dicit, & ut in urbem ex agris convenirent,

An nundinæ Feriæ sint, an Fastæ. * Sententia negans ferias esse. * Affirmans. * Causa diversitatis. * Nundinas primo ferias, deinde, fastas fuisse. * De Nundinarum origine diversæ opiniones. Prima. * Secunda.

urbanas

Tertia. urbanas rusticasque res ordinaturi: Geminus ait diem Nundinarum exactis jam Regibus cœpisse celebrari: quia plerique de plebe repetita Servii Tullii memoria, parentarent ei nundinis. Cui rei etiam Varro consentit.

Quarta. Et unde dictæ sint Nundinæ in masculina. Nundina Romanorum Dea. Rutilius scribit Romanos instituisse Nundinas, ut octo quidem diebus in agris Rustici opus facerent, nono autem intermisso rure ad mercatum, legesque accipiendas Romam venirent. Et ita Nundinæ a nono die dictæ, quasi Novendinæ. Erat etiam Nundina Romanorum Dea a nono die nascentium nuncupata, qui lustricus dicebatur: nam eo die Infantes lustrabantur & nomen accipiebant, sed is maribus nonus, octavus est fœminis.

Cur nono Die Romam venient. PHIL. Cur nono die Romam veniebant? MOR. *Ut scita* (inquit Macrob.) *atque consulta frequentiore populo referrentur, quæ trinundino die proposita a singulis atque universis facile noscebantur. Unde etiam mos tractus, ut leges trinundino die promulgarentur. Ea re etiam canditatis usus fuit in Comitium Nundinis venire & in colle consistere: unde coram possent ab universis videri. Sed hæc omnia negligentius haberi cœpta & post abolita, postquam in trinundino etiam ob multitudinem plebis frequentes adesse cœperunt.*

## DIALOGUS XV.

### DE NEFASTIS DIEBUS.

*Nefasti, & qui dies insint iis.*

Nefasti qui sint. *Lib. 5. de ling. Lat.* *Fast.* DIalogo decimo Nefastos contrarios fastis affirmavimus, tamen nobis placet citare Varronem de his: *Vocantur dies Nefasti, per quos dies, nefas fari prætorem, Do, Dico, Addico*. Et Ovidium non negligere:

*Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur.*

*Ab urbe* Denique lubet Livium advocare, non solum admittere: *Nefastos, fastosque dies fecit, quia aliquando nihil cum populo agi utile futurum erat*. PHIL. Nefastis qui dies insunt? MOR. Dies pridie Calend. Januarii: insunt etiam rerum prolationes, messium, vindemiarum, & dilationum causa. Qui dies insint nefastis.

## DIALOGUS XVI.

### DE DIEBUS INTERCISIS.

*Dies Intercisi qui: cur sic dicti. Inter cæsa divisim legendum, non Intercæsa unica dictione. Proverbium Inter cæsa & porrecta, explicatum. Dies Intercisi non dividuntur in alia: Endotercisi dicti. Ecclesia Christ. potest constituere Intercisos dies.*

Dies Intercisi qui, & unde sic dicti. DIes Intercisos quos appellas? MOR. Deorum hominumque communes. PHIL. Quid est, cur ita dicti? MOR. Quod veluti divisi essent, partemque sibi Dii, partem homines veudicarent. Tangit hoc & docet Ovid. *Lib. 1. Fast.*

*Nec toto præstare die sua jura putaris* (prætorem;)
*Qui jam fastus erit, mane nefastus erat.*
*Nam simul exta Deo data sunt, licet omnia fari,*
*Verbaque honoratus libera Prætor habet.*

*R. Tom. VIII.*

A Et Macrob. lib. 1. Satur. *Illorum dierum quibusdam horis fas est, quibusdam fas non est jus dicere. Nam cum hostia cæditur, fari nefas est: inter cæsa & porrecta fari licet: rursus cum adoletur, non licet*. His verbis significatur, medio illo intervallo, quod erat inter victimam cæsam & exta porrecta, dum sacerdos cæremonias quasdam peragebat, fas fuisse Prætori jus dicere & fari verba illa Do, Dico, Addico. Et ita dies Intercisi ex parte festi, & ex parte profesti sunt. Cic. *Ne quid inter cæsa & porrecta* (ut ajunt) *oneris mihi addatur, aut temporis*. *cap.*

B Quo in loco nonnulli male legunt (*Intercæsa*) unica dictione: nam (*Intercæsa*) Latinum non est, cum ab Intercido dicatur Intercisum. Est itaque legendum (*Inter cæsa*) divisim, ut inter cæsa & porrecta intelligamus tempus illud intermedium quod est inter victimas cæsas & exta porrecta, hoc est, illud tempus quo exta porriguntur: quo medio tempore Sacerdotes solebant cæremonias quasdam peragere. Inter cæsa divisim legendum.

PHIL. Quæro quid sit quod proverbialiter dixerit Cicero, *Inter cæsa & porrecta?* MOR. Dixit pro eo quod est inter C hæsitationem & cunctationem rei alicujus cœptæ aut perficiendæ, aut omittendæ. Proverbium. *ad Att.*

PHIL. Festos & profestos in membra discerpsisti, discerpe Intercisos. MOR. *Intercisi dies in se, non in alia dividuntur*. PHIL. Quem mihi judicem feres? MOR. Macrobium. PHIL. Veteres quomodo vocabant dies Intercisos? MOR. Endotercisos, quomodo etiam in Calendario notantur sic EN. PHIL. Quamobrem? MOR. Aut quod intercederet fas, aut quod intercisum esset nefas. Hi dies non dividuntur. *Lib. 1. Sat. c. 16.*

PHIL. Non plura opus erit huic rei dici, si unum addideris; An Christiana Ecclesia ejusmodi dies Inter D cisos constituere possit. MOR. Non dubium, quin festi dies interdum, si plures sint quam ut operibus vacari possit, restringi & expungi possint ab Episcopis, si nimia sit copia, ut operandi sit facultas. Quod factum ab Episcopo Matisconensi Anno 1601. Vitandum tamen scandalum, quod fecerit, si hac de re cum Clero & populo deliberaverit. Sic Claudius Cæsar IV. Consul, multas ferias, multa sacrificia abrogavit. Nam major Anni pars his absumebatur, non sine magno Reipublicæ detrimento. Christiana Ecclesia an possit constituere dies ejusmodi. Exemplum nostri temporis.

E

## DIALOGUS XVII.

PHIL.

DE Sacris, Negotiosis, & Intercisis ordine & partite dixisti, nunquid altera dierum distributio? MOR. Ita est. PHIL. Ergo in hoc velut in ultimo spatio pedem pone. MOR. Rursum ergo,

F

Alii sunt { Præliares, non Præliares.

## DIALOGUS XVIII.

### DE PRÆLIARIBUS.

*Præliares qui. Delectus dierum in inferendo bello.*

DE Præliaribus sic censeo cum Macrobio, ut sint: *Quibus fas est res repetere, vel hostem lacessere. Res repetere*, intellige ablata repetere. Volebant enim Romani quoties ipsum bellum inferrent, certum dierum ad conferendum prælium delectum habere.

## DIALOGUS XIX.

### DE NON PRÆLIARIBUS DIEBUS.

*Qui & quot non præliares. Justi dies. Justorum lege in jus ducebantur debitores post* XXX. *dies Justos, deinde nisi solverent vinciebantur compedibus. Interea jus erat paciscendi, & pœna iis qui non pacti fuissent. Lex de Justis a Gellio allata emendatur a Cujacio, aliter etiam restituitur a Scaligero, & Rævardo. Lex de jure paciscendi.*

NOn Præliares erant, quibus res repetere, aut hostem lacessere non licebat.

Hi erant:
- Justi.
- Atri.
- Innominales.
- Feriæ quædam.

Justi dies qui fuerint, docet Gellius lib. 20. cap. 1. *Confessi itaque æris ac debiti judicatis, triginta dies sunt dati conquirendæ pecuniæ causa quam dissolverent. Eosque dies decemviri justos appellaverunt, velut quoddam justitium, id est, juris inter eos quasi interstitionem quandam, & cessationem, quibus diebus nihil cum his agi posset. Post deinde, nisi dissolverent, ad Prætorem vocabantur, & ab eo quibus erant judicati, addicebantur, nervo quoque, aut compedibus vinciebantur. Sic enim sunt opinor verba legis:*

AERIS CONFESSI REBVSQVE IVRE IVDICATIS XXX. DIES SVNTO: POST DEINDE MANVS INIECTIO ESTO. IN IVS DVCITO, NI IVDICATVM FACIT: AVT QVI PSEVDO EO IN IVRE VIM DICIT, SECVM DVCIT, VINCITO AVT NERVO, AVT COMPEDIBVS XV. PONDO, NE MINORE, AVT SI VOLET, SVO VIVITO. NI SVO VIVIT, QVI EVM VINCTVM HABEBIT, LIBRAS FARRIS IN DIES DATO. SI VOLET PLVS DATO.

Pergit A Gellius suis verbis: *Erat autem jus interea paciscendi, ac nisi pacti forent, habebantur in vinculis LX. dies. Inter eos dies trinis nundinis ad Prætorem in comitium producebantur, quantæque pecuniæ judicati essent, prædicabitur. Tertiis autem Nundinis capite pœnas dabant. Aut trans Tyberim peregre vænum ibant. Sed eam capitis pœnam sanciendæ, sicut dixit, fidei gratia horrificam atrocitatis ostentu: novisque terroribus metuendam reddiderunt. Nam si plures forent, quibus reus esset judicatus, secare, si vellent, atque partiri corpus addicti sibi hominis permiserunt. Et quidem verba ipsa legis dicam, ut existimes invidiam me istam forte formidare.* TERTIIS (inquit) NVNDINIS, PARTES SECANTO, SI PLVS MINVSVE SECVERVNT, SINE FRAVDE ESTO.

Hæc lex multis modis corrupta est, in qua emendanda plurimum laboravit Cujacius, hancque proponit ex antiquo & fideli exemplari;

AERIS CONFESSI REBVSQVE IVRE IVDICATIS XXX. DIES IVSTI SVNTO. PEDEINDE MANVS INIECTIO ESTO: IN IVS DVCITO. NI IVDICATVM FACIT, AVT QVIPS ENDO EO IVRE VINDICIT, SECVM DVCITO: VINCITO AVT NERVO, AVT COMPEDIBVS XV. PONDO, NE MAIORE, AVT SI VOLET, MINORE VINCITO. SI VOLET SVO VIVITO: NI SVO VIVIT, QVI EVM VINCTVM HABEBIT, LIBRAS FARRIS ENDO DIES DATO, SI VOLET PLVS DATO. TERTIIS NVNDINIS PARTIS SECANTO: SI PLVS MINVSVE SECVERINT SINE FRAVDE ESTO.

*Pedeinde*, ait, pro (*Post deinde*) *quod an rectum sit* (inquit Cujacius) *nescio: verum ita ipse in vetere illo exemplari scriptum reperi, ut & (Quips) pro (Quispiam) Ait (ni Judicatum facit, aut Quips endo eo in jure vindicit secum ducito.)* *quod ego* (inquit idem Cujacius) *rectissimum judico; nam sic veteres loquebantur, In eo agro, In ea gleba, In ea re, In jure vindicare.*

Legis igitur hic sensus erit, eum, quem post xxx. dies manu injecta in jus duxerit, ni judicatum faciat, vel aliquis pro eo vindex existat, creditorem secum ducere & vincire. Ait autem *Vindicit*, ea forma qua & *lavit* & *sonit* veteres dixisse Nonius Marcellus scribit. Josephus Scaliger aliter hanc legem restituit:

AERIS CONFESSI REBVSQVE IVRE IOVDICATIS, TRIGINTA DIES IVSTEI SVNTO. POSTIDEA INDV MANVS IACTIO ESTO: IN IOVS DVCITO. NEI IOVDICATVM FACIT: AVT QVIPS ENDO IOVRE VINDICIT. SECVM DVCITO. VINCITO AVT NERVO, AVT COMPEDIBVS XV. PONDO, NEC MINORE: AVT SI VOLET SVO VIVITO: NEI SVO VIVIT. QVI EVM VINCTVM HABEBIT. LIBRAS FARRIS IN DIES DATO: SEI VOLET. PLVS DATO.

Clarior fiet hæc lex, si aliquas ejus partes nondum consideratas considerabimus.

CONFESSEI AERIS, id est pecuniæ quam per confessionem adversarii in Judicio factam constiterit esse debitam. CONFESSEI passive dicitur, pro eo de quo rem confessus est.

POSTIDEA INDV MANVS, IACTIO ESTO. Post illos triginta justos dies, nisi

A tibi fatis fecerit, injicere ei manus atque in jus ducere tibi licet. POSTIDEA, pro POSTEA. INDV MANVS IACTIO: pro manus injectio, antique.

IN IOVS DVCITO.) IOVS, pro IVS, & significat hoc loco, locum illum ubi magistratus, vel alius Judex consistit, juris dicundi, aut judicandi gratia.

NI JVDICATVM FACIT. Nisi solverit id quod sententia Judicis, sive Prætoris continet, nisi sententiæ a Prætore latæ obtemperaverit: JVDICATVM enim jussum, sive sententiam Prætoris de re controversa significat.

B AVT QVIPS ENDO IOVRE VINDICIT. Nisi si quis in Jure vindicet. QVIPS, pro QVISPIAM, vel ALIQVIS: ut diximus superius post Cujacium. ENDO, pro IN Gellius habebat, QVI PSEVDO EO. Verba depravata ex his verbis, QVIPS ENDO EO. librariorum imperitia, qui verba non percipientes, dictionem QVIPS diviserunt, & ejus postremas literas duas PS, sequenti dictioni ENDO adjecerunt: & ita pro QVIPS ENDO, QVI PSEVDO reposuerunt. VINDICIT, pro VINDICAT, antique. Cum enim sonare, lavare veteres in tertia quoque conjugatione dixerint, sonere, lavere, teste Nonio Marcello; dubium non est, quin idem fecerint in voce vindicare.

C SECVM DVCITO. Utpote sibi propter æs alienum addictum secum ducito, scilicet in nervum, in vincula, in carcerem. ostendunt quæ sequuntur:

VINCITO NERVO AVT COMPEDIBVS. Per nervum intellige cum Festo, ferreum vinculum, quo pedes impediuntur.

QVINDECIM PONDO. Significatur gravitas & pondus eorum compedum. PHIL. Cur Decemviri noluerunt addictos nervo, aut vinculis xv. pondo majoribus, aut minoribus vinciri? MOR. Ne majores compedes graviores fuissent, quam ut iis quum sacris intererant, sese vincti subducere possent; vel si minores, aut nexis custos perpetuo adesset in sacris, aut sine custode aliquod fugæ periculum subirent creditores. PHIL. Unde colligis, vinctos sacris olim interesse solitos? MOR. Ex Festo, qui scribit fuisse quædam sacrificia, in quibus ita clamitabat lictor: *Hostis vinctus, mulier, virgo exesto*. scilicet interesse prohibebatur. Lib. 5.

D SI VOLET SVO VIVITO. Liberum reliquerunt Decemviri nexis suo vivere, vel non: si non vellent suo vivere, tum creditores cogebantur eos alere, uti sequitur in lege.

E LIBRAS FARRIS IN DIES DATO: Expresserunt Decemviri certam farris quantitatem, quam creditor nexis in singulos dies daret: quod si nexus ea quantitate non contentus esset, in creditoris arbitrio posuerunt, si vellet plus dare. Eo respexit Terentianus ille Phormio, his versibus:

> *Aliis aliud est periculum, unde aliquid abradi potest:*
> *Mihi sciunt nil esse. Dices, duces damnatum domum.*
> *Alere nolunt hominem edacem.*

F PHIL. Quam intelligis quantitatem per *Libras*? MOR. Rævardus LIBRAM non solum intelligit, sed etiam legit in singulari: Item pro IN DIES, ENDO DIE: Alii ENDO DIES.

PHIL. Dura lex admodum. MOR. Nisi interea jus paciscendi fuisset, ut constat ex A. Gellio superius citato. Ad hanc rem lex, quam habet Jacobus Rævardus, occurrit:

NI CVM EO PACIT, SEXAGINTA DIES IN VINCVLIS RETINETO. TRINIS NVNDINIS CONTINVIS IN COMITIVM PROCITATO, ÆRISQVE ÆSTIMIAM PRÆDICATO. TERTIIS NVNDINIS CAPITE POENAS LVITO, AVT TRANS TIBERIM PEREGRE VENVM ITO. AST SI PLVSES ESVNT REI TERTIIS NVNDINIS PARTES SECANTO. SI PLVS MINVSVE SECVESCVNT, NESI FRAVDE ESTO. De Jure paciscendi lex.

NI CVM EO PACIT. Pacit ab antiquo verbo, quod est pascisor.

TRINIS NVNDINIS CONTINVIS IN COMITIIS PROCITATO. Vult lex produci vinctum debitorem trinis nundinis ad Prætorem in Comitium, seu judicium, ut repetatur publice, in quantam pecuniam fuerit suo creditori condemnatus: forte eam ob causam, si quis familiaritate, aut misericordia ductus solvere voluisset eam pecuniam, hominemque miserum vinculis liberare. Item ut constaret omnibus, vincto non fieri injuriam, aut a creditore, aut a judice. PROCITARE, veteres dixisse pro vocitare & producere scribit Festus, qui eosdem pro ÆSTIMATIONEM, ÆSTIMIAM dixisse annotavit.

AVT SI PLVSES ESVNT REI. Veteres pro PLVRES & PLVRIMA, dixerunt PLVSES & PLVSIMA. Item SE vel NESI, pro SINE: Et REORVM nomine, Actorem & Reum promiscue acceperunt, ut tradit Festus. Jam intelligis vim vocabulorum, SI PLVSES ESVNT REI: id est, si plures sint Actores, aut Creditores.

## DIALOGUS XX.

### DE ATRIS DIEBUS.

*Dies Atri infelices: nullum sacrificium iis recte futurum. Feriæ magis idoneæ viduis ad nubendum quam Virginibus.*

Diebus justis succedant Atri, adversi, scilicet, & infelices, quibus Romani insignem aliquem cladem acceperant: ut dies postridie Calendas, Nonas, vel Idus ater habebatur, quod hoc die re divina facta clades futura crederetur. Verrius: *Urbe a Gallis Senonibus recuperata T. Attilius in Senatu verba fecit, Q. Sulpitium Trib. militum ad Alliam adversus Gallos pugnaturum, rem divinam dimicandi gratia postridie Idus fecisse: tum exercitum populi Romani occidione occisum, & post diem tertium ejus diei Urbem præter Capitolium captam esse. Compluresque alii Senatores recordari sese dixerunt, quoties belli gerendi gratia, res divina postridie Calendas, Nonas, Idus a Magistratu populi facta esset, ejus belli proximo deinceps prælio rem male gestam esse. Tum Senatus eam rem ad Pontifices rejecit, ut ipsi quod videretur statuerent. Pontifices decreverunt nullum iis diebus sacrificium recte futurum.* Ma-

Dies atri infelices. Lib. 4. de verborum sign. Exercitus Romanus cæsus & Urbs capta. Nullum sacrificium diebus atris recte futurum.

Feriæ magis idoneæ viduis ad nubendum quam virginibus. Lib. 1. Sat. c. 15.

crobius late etiam explicat: *Verrium Flaccum Juris Pontificii peritissimum dicere solitum refert Varro: Quia feriis tergere veteres fossas liceret, novas facere jus non esset: ideo magis viduis quam virginibus idoneas esse ferias ad nubendum. Subjiciet aliquis, cur ergo Nonis si feriatus dies non est, prohibetur celebritas Nuptiarum? Hujus quoque rei in aperto causa est. Nam quia primus Nuptiarum dies verecundiæ datur: postridie autem nuptam in domo viri dominium incipere oportet adipisci, & rem facere divinam: omnes autem postriduani dies, seu post Calendas, seu post Nonas, Idusve, ex æquo atri sunt: ideo & Nonas inhabiles nuptiis esse dixerunt: ne nupta, aut postero die libertatem auspicaretur uxoriam, aut atro immolaret, quo nefas est sacra celebrari.* Quid vis amplius dicam, Philomuse? PHIL. Judicium tuum velim de Innominalibus.

## DIALOGUS XXI.

### DE INNOMINALIBUS.

*Qui & quot dies Innominales: & causa cur vitentur.*

In 4. verb. sign. — Quot Innominales. — Causa cur vitentur.

JUdicium ergo meum & Verrii Flacci de Innominalibus habe. *Ante diem quoque quartum kal. vel Nonas, vel Idus, tanquam Innominalem diem plerique vetant. Ejus observationis an religio ulla sit tradita, quæri solet. Nihil super ea re scriptum invenimus: nisi quod Claudius Annalium quinto, cladem illam pugnæ Cannensis vastissimam, factam dicit ante diem quartum Nonas Sextiles.* Hos Innominales dies citavit Verrius,

Ante quartum { *Kalendas.* / *Nonas.* / *Idus.* }

## DIALOGUS XXII.

### DE FERIIS QUÆ NON PRÆLIARIBUS DIEBUS INERANT.

*Cur Latinarum tempore, Saturni festo, Ditis & Proserpinæ, bellum inchoari non deceret.*

PHIL.

SErmonum finis erit, si de

Feriis { Latinarum, / Saturnaliorum, / Ditis & Proserpinæ }

aliquid audiam. MOR. Macrobium audi: *Nam cum Latiar hoc Latinarum solenne concipitur, item diebus Saturnaliorum: sed & cum mundus patet, nefas est prælium sumere. Quare nec Latinarum tempore, quo publice quondam Induciæ inter Romanum Populum, Latinosque firmatæ sunt, inchoari bellum decebat: nec Saturni festo, qui sine ullo tumultu bellico, creditur imperasse: nec patente mundo, quod sacrum Diti Patri & Proserpinæ dicatum est, meliusque occlusa Plutonis fauce, eundum ad prælium putaverunt.* Attamen hi dies observabantur in inferendo bello, non in excipiendo: tunc enim omnes præliares erant.

Lib. 1. Sat. 16. — Latinæ feriæ. — Saturni dies festus. — Ditis, & Proserpinæ.

## DIALOGUS XXIII.

*Conclusio operis.*

SAtin' habes, Philomuse, de Anno, Mensibus, Diebus? PHIL. Habeo, mi Morestelle, mirificas tibi prorsus gratias ago, sopor ocullos meos obtegere properat, precationem edamus, junctas manus attollendo cœlo: dein nos ad quietem capessendam proficiscemur, quam spero equidem eventuram nobis ex sententia.

## PRECATIUNCULA.

*ERgo effector dierum Præpotens, mensium, annorum, ad extremum in vota precesque desinimus. Inspiret utinam nobis consolator Spiritus in hoc saltem conspirare, ut dum spirabimus, illi nos æterno semper hospitio præparemus: Inspiret, ne procrastinemus, ne differamus, ne amplius præstolemur in summa rapidissimi temporis brevissima. dies diem, mensis mensem sequitur,*

Atque in se sua per vestigia volvitur Annus,

*desinendoque reincipit, & nunquam sic desinit, ut quiescat. Inspiret, ut antequam oculi senio caligent, tremant poplites, terga curventur, ad requiem aspiremus, & postquam tota die suspiraverimus, ad vesperam respiremus.*

# FINIS.

# NOTÆ

## AD

# LIBRUM I.

### DIAL. II.

Annus ab Annulo. *Joann. Pier. in Hierog. lib. 39.*

*Servius annum ab annulo derivat.*



Qui per annulum Annum intelligunt, præsertim aureo circulo, qui erat in Simandii sepulchro, innit i videntur: erat enim ille CCCLXV. cubitorum ambitu, cubiti unius latitudine, singulis Anni diebus in singulis cubitis exsculptis. Hujusçe rei quædam umbra habetur Patavii in Palatini palatii aula, ubi corona superne circumcirca ducta, Zodiaci primum totius figuris insignis, mox gradibus suis distincta, quorum unicuique certæ rerum imagines, quæ pueri gradus ejus emersu nati, modo ingenium, modo sortem indicent.

Corona Patavii.

Palma Anni insigne, & cur. *Idem, lib. 50.*

Palma olim significavit Annum, causa est quod sola omnium arborum, per ortus lunæ, singulos ramos progenerat: sicque ita significatum mensis observabatur, ut per singulos palmæ surculos totidem adnumerarentur. Si itaque Annus ab aliquo exprimi debeat, Palma duodecim ramis prædita effingetur. etiamsi tamen non adfuerit hæc curiositas, omnino nihilominus Annum significabit; quia uti Babylonii tradunt, referente Plutarcho: trecentas & sexaginta utilitates mortalibus elargitur: ideoque Anni simulachrum & ingne. tot enim diebus Annus constat. Non licet prætermittere Vulturem, quæ & Annum ostendebat. Hæc enim (ut apud Ægyptios habetur) trecentos eos quinque & sexaginta dies, quibus annuum conficitur tempus, ordine mirifico dipartitur. Annum enim Ægyptii per tres tantum qualitates metiebantur, Ver quippe, Æstatem, & Hyemem, quæ singula tempora cxx. diebus constare voluerunt, quibus insuper quinque dies addiderunt intercalares. Vultur vero ad ejusmodi partitionem Anni accommodata, cum primum concitata fuerit ad conceptum, qui fit a vento, quinque continuos dies sine cibo & potu consumit in ejusmodi initu, natura in ventum adaperta: mox centum & viginti dies prægnans manet, totidemque diebus pullos educat, reliquos cxx. dies immunis est, suarumque tantum rerum satagit, neque prægnationi, neque educationi intenta. Porro Annus etiam apud Persas in dies CCCLXV. describebatur, eaque de causa igni illi suo, quem sacrum & æternum vocabant, totidem sacerdotes Juvenes instituerant, qui canentes ignem quaqua gestarent, & sequerentur.

Vultur inter Annum ostendit, & cur. *Lib. 28.*

Annus apud Persas quot dierum. Duodecim sacerdotes igni sacro instituti.

### DIAL. III.

*Annus Cæsaris Mensium XII. dierum CCCLXV.*

Ibi de solari Anno sumus loquuti, præter quem non ignoras fuisse Lunarem, Magnum, Saturni, Arcadum. Lunaris Annus triginta dierum est. Magnum esse voluerunt omnibus Planetis in eundem locum recurrentibus, & fit post Annos duodecies mille noningentos, quinquaginta quatuor solares. Cic. *Quarum* (stellarum) *ex disparibus motibus, magnum Annum Mathematici nominaverunt, qui tum efficitur cum Solis, & Lunæ, & quinque errantium, ad eandem inter se comparationem confectis omnium spatiis, sit facta conversio*, &c. Periphrasis Anni hujus est apud Virg.

Præter solarem, multiplices anni. Lunaris Magnus.

*Lib. 3. de na. Deor.*

*Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.*

Periphrasis magni Anni. *Eclog. 4.* Menses ejusdem.

Nunquid & menses habet hic Annus? Etiam: quemadmodum enim Annus vertens duodecim CCCLXV dierum menses habet: sic & magnus Annus, duodecim dimensa & descripta habet mensium spatia, quæ aliquot sæcula complectuntur. Annus Saturni est quadraginta Annorum. Annus Arcadum fuit trimestris. Ægyptii Lunæ senio Annum terminabant. Itaque apud eos aliqui singula millia Annorum vixisse produntur. Lego tamen apud Pierium illorum Annum quatuor Annis solaribus constasse; nihil impedit hunc & illum variis temporibus habuisse.

Annus Saturni. Annus Arcadum. Ægyptiorum diversis temporibus diversus. *Plin lib. 7. nat hist. cap. 48.*

## AD

# LIBRUM II.

### DIAL. I.

*Januarius in Junonis tutela.*

Ex religione veterum menses singuli, Diis singulis dicati erant: unde apud celeberrimum Cardinalem Hippolytum Medicæum Romæ, fatetur se vidisse Pierius Cippum marmoreum, obrotundum, in quo duodecim numina pulcherrimo opere circunsculpta sunt: hæc annotavimus in singulis mensibus.

Menses singuli Diis singulis dicati.

## AD

# LIBRUM III.

### DIAL. II.

*Tres in partes singulos menses partiti sunt Rom.*

Tres has partes per τρικέφαλον Γηρυονῆα significari contendunt nonnulli.

Geryon triceps

AD

# LIBRUM IV.

## DIAL. I.

*Babylonii ab ortu Solis ad Solem secundo exorientem diem auspicabantur.*

Nox desq e per Pavonem signif.

EX sacris Ægyptiorum literis didici, per Pavonis surrectam in orbem caudam, noctem figuratam fuisse. Nam cum Pavonem, Argum interpretarentur, tot luminibus insignitum, neque aliud quidpiam per Argum, quam cœlum nocturno (si hoc verbo uti detur) oculatissimum intelligerent, atque illi nomen a splendore atque velocitate inditum profiterentur: (utrumque enim ἀ'γρος significat) neque alio tempore micantissimi stellarum radii coruscarent, splendescerentque, quam nocturno, datus est fictioni locus, ut per oculatam ejus alitis caudam, nox ipsa, sensu mystico, hieroglyphicoque significaretur. Quod si diem innuere voluissent, eandem ipsam volucrem demissa cauda, pinxissent, quasi tunc nox stellas occulere videatur, cum dies ipse cœperit adventare, tamque diu latitent stellæ, quandiu Sol supra terram est.

AD

# LIBRUM V.

## DIAL.

*De Atris diebus.*

Atri festique dies per fibros significati.

FUerunt qui atros festosque dies per fibros ita distinxerunt, ut cum festum significari vellent, anteriora ejus; cum vero atros dies, (vocant atros, quibus carne vesci ex lege nostra non licet) posteriora ejus pingerent: propterea quod populi plerique, qui nostræ pietatis ritu vivunt, a Ponto & a septentrione in Pannoniam usque porrecti, anterioribus membris pro carne vescuntur, posterioribus pisci locos. Ea ratione illi se tuentur, quod posteriores fibri partes, aquis semper innatantes, piscem dicant, & esse arbitrentur; quia scilicet animal id, tam aquaticum est, quam terrestre, cum in extremo riparum semper degat. unde partem, quæ caput versus tendit, terræ dedicarunt, & carnem esse voluerunt.

FINIS.



# PETRI MORESTELLI
TRENORCHIENSIS, ARTIUM LIBERALIUM
MAGISTRI AC THEOLOGI,

# A L Y P I U S,
S I V E,

# DE PRISCORUM
## ROMANORUM FERIIS
## L I B E R.

# INDEX DIALOGORUM

## DE FERIIS ROMANORUM.


*Occasio dicendi, materies, & ordo*. Dial. I. *Feriarum* ἔτυμον: *quænam fuerint: quid extra ferias liberi, quid servi agerent. Feriæ cum festo & fine. Cur festi dies dicti feriati*. Dial. II.

*Publicarum feriarum tria genera. Stativæ feriæ*. Dial. III.

DE AGONALIBUS.

*Qui vocarentur antiquitus. Quænam fuerint, & in cujus honorem. Quo mense, quove die celebrarentur. Sex nominis rationes. Mons Quirinalis qui hodie vocetur*. Dial. IV.

DE CARMENTALIBUS.

*Nominis ratio. Carmentis quo nomine prius diceretur. Altera ratio de nomine Carmental. Religiose culta a Rom. Porta Carmentalis dicta Scelerata. Themis eadem cum Carmenta. Quæ Dea:* ἔτυμον. *Oraculum. Fabula Deucalionis. Proverbium. Illius aedes a quibus condita: sacra iterata*. Dial. V.

DE LUPERCALIBUS.

Ετυμον, *& ejus diversæ rationes. Luperci. A quo instituta Lupercalia, cum Romæ, tum in Arcadia. Lupercal, nomen Græcum. Eorundem finis. Quo mense, quibusve diebus celebrarentur. Sacrificii mos. Luperci canem immolabant: cur transcurrerent nudi: gladius cruentatus*. Dial. VI.

DE CONCEPTIVIS FERIIS.

*Conceptivæ quæ, & quando fierent. Earum partitio*. Dial. VII.

DE ANNALIBUS ET PRIMO DE LATINIS.

Ετυμον. *Latinæ quæ: Quid in his fieret. Fœdus inter Romanos & Latinos. Latinarum origo. Sacra. Populi eorum participes. Quid in ea ferrent singuli. Victima communis omnium, de qua unicuique dabatur portio. Romani præsunt sacrificio. Superstitio. Consules paludati: Non licebat iis diebus accusare, &c.* Dial. VIII.

DE PAGANALIBUS.

*Cujus rei gratia suscepta. Unde dicta. Eorum auctor. Cui commodo. Potio burrhanica: Quid burrhus. Camella. Empanda*. Dial. IX.

DE SEMENTINIS.

*Cur instituta. Unde nomen. Earum festum quando celebratum. Sacra*. Dial. X.

DE COMPITALIBUS.

*Compitalia quæ. A quo & quibus instituta. Servi, non liberi sacrificiis ministrabant. Cur. Quinam sint Lares. Duo unicuique. Focus illis sacer. Dii domestici ab aliquibus, ab aliis Dii agrorum. Cur pro Domibus usurpentur. Unde dicantur Lares*. Dial. XI.

DE NON ANNALIBUS.

*Non annales feriæ quæ. Novendiale sacrum dupliciter actum*. Dial. XII.

DE IMPERATIVIS FERIIS.

*Imperatoris vox prænomen, Tres usus habuit. In qua significatione hic capiatur*. Dial. XIII.

*Imperatoris nomen appellatio militaris. Quinam hoc nomen consequerentur. Pompa supplicationis. Supplicatio primum unius diei, ad postremum plurium. Simulachra Victoriæ diversa apud diversos. Locus Virgilii explicatus. Victoriæ templum, Ædicula, Simulachrum*. Dial. XIV.

DE DIEBUS NATALIBUS.

*Fere omnes populi diem natalem celebrabant, Thracibus exceptis. Cærimoniæ quibus eum ditiores peragebant. In sacris ejusdem Jovem, Junonem, Geniumque colebant. Christiani quoque diem natalem celebrarunt. Cur hoc toleratum ab Ecclesia. Jam dies tantum natales D. Joan. Bapt. & B. Virginis celebramus*. Dial. XV.

*De privatis Feriis*. Dial. XVII.

DE FAMILIS GENERATIM.

*Quid familiæ appellatione intelligatur. Famelia scriptum per* e, *a quo*. Dial. XVIII.

DE FAMILIIS PARTICULATIM, ET PRIMO DE CLAUDIA.

*A quo nomen acceperit. Ex hac familia fuit Appius Claud. cæcus, qui sua sententia obtinuit Pyrrhum non esse intra urbem recipiendum. Ejus oratio ad Senatum. Nerones etiam ex hac familia: hujus nominis origo. Claudius Nero. Drusi. Appius Claud. Regill. Claud. Appius Caudex*. Dial. XIX.

DE ÆMILIA.

*Æmilia familia Romæ illustris. Quinam dicantur Patricii. Quis prius nomen huic familiæ reliquerit. Paulus Æmilius. Q. Æmilius Lepidus. Æmilius Scaurus. Qui scribi debeat hæc vox Æmilius*. Dial. XX.

*De singulorum feriis, natalibus, fulgurum susceptionibus relictis, cum expiationibus, tum funeribus, & cur*. Dial. XXI.


CLA-

CLARISSIMO AMPLISSIMOQUE

# D.D. CYRO DE TYARD,

## EPISCOPO CABILONENSI, ET INVICTISSIMI GALLIARUM REGIS CONSILIARIO,

## PETRUS MORESTELLUS

dedicat, consecratque.



*Na cum Philomuso fratre primigenio* (Antistes Illustrime) *ad te literarum decus, proficiscitur dicturus Alypius,*

Unica fortunis ara reperta meis.

*Te siquidem columen & lumen apprime sitit, cum*

Η σέγε Μῶσ' ἐδίδαξε Διὸς παῖς, ἢ σέγ' Απόλλων.
Vel te Musa Jovis proles docuit, vel Apollo.

*Sitit inter doctos nobilissimum, inter nobiles doctissimum, inter utrosque optimum: sitit humanitatis tuæ mel Atticum, quod nectar, ambrosiamque Deorum longe superat. Sed nolo virtutum tuarum penetralia secunda oratione longius penetrare, quarum ego aspectu capi me fateor, nunquam pasci. Tantum* (Vir admirande, & meritis clare) *affectus tui scintillas ostende Alypio, cui de feriis priscorum Romanorum, cum publicis, tum privatis, percunctanti feriatus respondi. Fave, & bullam quam gestet inclusis intra eam remediis, adversum* βασκανίαν *dato: tuere adversus linguarum tela, quæ parari non ambigo: plures enim filios Momus ille habet operum omnium reprehensores, cum tamen ipsi nihil edere sint soliti. Per te, quæso,* Feriis Jurgia Amovento: *tege autoritatis tuæ scuto, ut alacer & erectus, per medium calumniantium agmen incedat. Ille cum suis calumniatoribus nihil equidem altercabitur. Latrabunt illum? tacebit, & ut ille ex Albania canit, vindicabit se solo contemptu: dignos eos non habebit, non dicam quos remordeat, sed in quos restringat semel dentes. Vale, amplissime nobilissimeque Præsul, ut meritus, & me obsequio tuum habe.*

---

## AD LECTOREM MEUM.

Si sis (Lector benevole) natura sitiens cognoscendi priscorum ferias, cum publicas, tum privatas, has in hoc habe libello, non sparsim, ut apud alios: sed ordine, & methodo, qua quam celerrime ad peritiam evadimus. Fac sentiam voluntatem tuam in me non claudier. Nam nisi adsis animo, quem alium putas? Lividum forsitan. At,

*Nonne odit fabrum faber, figuloque molestus*
*Est figulus? mendico protinus invidet alter*
*Mendicus? cantor cantorem lividus odit?*

Fave ergo unus. Non est aliud quod te velim, nisi ut prospere valeas.

# PETRI MORESTELLI
## TRENORCHIENSIS, ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRI, AC THEOLOGI
# ALYPIUS,
## SIVE
# DE FERIIS ROMANORUM
## LIBER.


### DIALOGUS I.

*Occasio dicendi, materies, & ordo.*

Occasio dicendi.



D Eductus a Balbino (ne aliter nunc appellem) in hortum, quem in suburbio habebat, recepit se ad nos vir musæi leporis Alypius, qui cum vidisset ordinem, elegantiamque herbarum in quincuncem, variaque Geometriæ lineamenta positarum, angulorum symmetriam, & ambulationum subsequentium: illico prospero die ab eo nobis exoptato, illud de *Feriis* promissum Philomuso, mi Morestelle, inquit, quando exolves? MOR. His, Alypi carissime, si vis, Deo annuente lucem quam potero afferam. ALYP. Credo tibi vel injurato, laudo tuam facilitatem, & hac in re, & cæteris omnibus. MOR. Sic soleo cupidis honestarum artium obsequi. ALYP. Age ergo cum extra te non sint, quæ cupio, accipiam a te libenter, magnique beneficii loco ducam. MOR. Quia te tantopere video velle, morem geram ego, faciamque ut sequentem Tabellam intelligas: * Materies & ordo.



## DIALOGUS II.

*Feriarum ἔτυμον. Quænam fuerint. Quid extra ferias liberi, quid servi agerent. Feriæ cum festo & sine. Cur festi dies dicti feriati.*

* Feriæ unde dictæ. ALYP. Mulsa mihi antequam de *Feriis* afferas, primum unde feriæ dictæ sint, audiam. * MOR. Vel a feriendis, vel ab epulis ferendis. In his enim epulæ fiebant ex pecorum, frugumque proventibus; & sic feriæ * dies erant cessationum ab opere. Cic. * *Feriarum, festorumque dierum ratio * in liberis requietem habet litium & jurgiorum, in servis operum & laborum*. Ibidem, *Feriis jurgia amovento*. Festus: * *Ferias Antiqui festa vocabant: & aliæ erant sine die festo, ut nundinæ: aliæ cum festo, ut Saturnalia: quibus adjungebantur epulationes ex proventu fœtus pecorum, frugumque.* Hinc festi * dies dicti sunt feriati, hoc est, in quibus feriæ celebrabantur.

* Quæ fuerint. * 2. de leg. * Quid extra ferias liberi. * Feriæ cum festo & sine. * Cur festi dies dicti feriati.

## DIALOGUS III.

*Publicarum feriarum tria genera. Stativæ feriæ.*

DIstincte ad ferias imus,
{ Publicas
& 
Privatas.

Feriarum publicarum genera tria fecimus, *
{ Stativas,
Conceptivas,
Imperativas.

* Publicarum feriarum tria genera.

ALYP. Ad Stativas propera, & quod eæ postulant toto age pectore. MOR. Macrobius * mihi præit. *Stativæ * sunt*, inquit, *universi populi communes certis & constitutis diebus, ac mensibus, in quibus præcipue*
*servantur* { *Agonalia*,
*Carmentalia*,
*Lupercalia*.

* Lib. 1. Sat. c. 16. * Stativæ feriæ quæ.

Plures refert Varro * stativas ferias; ist hæc tamen tria tantum habe, de quibus dicam.

* Lib. 5. de ling. Lat.

## DIALOGUS IV.

### DE AGONALIBUS.

*Qui vocarentur antiquitus. Quænam fuerint, & in cujus honorem. Quo mense, quove die celebrarentur. Sex nominis rationes. Mons Quirinalis qui hodie vocetur.*

Qui vocarentur antiquitus. * 1. Fast. * Quænam fuerint & in cujus honorem. * Quo mense, quave die celebrarentur. * Ibidem. * Lib. 5. de ling. Lat.

AGonalia, antiquitus Agonia dicebantur, postea Agonalia. Ovid. *

*Et prius antiquus dicebat Agonia sermo.*

* Festa autem erant, quotannis celebrari solita in honorem Jani, Ovid. *

*Quatuor * adde dies, ductis ex ordine Nonis,*
*Janus Agonali luce piandus erit.*

Quarto enim die a Nonis Januarii, hoc est, nono ejusdem mensis celebrabantur. Aut certe in honorem Agonii Dei, quem rebus agendis præsidentem putabant. * De his Varro. * *Dies Agonales, per quos Rex in Regia arietem immolat*. Festus: *Agonium dies appellabatur, quo Rex hostiam immolabat. Hostiam enim*



A *antiqui agoniam vocabant*. ALYP. Velim rationem vocabuli afferas. MOR. Imo quinque ex Ovidio, * quarum prima * cum Varronis sententia convenit, videlicet dicta Agonalia, quod minister sacrorum, seu victimarius cultrum manu tenens, atque hostiam feriturus, rogare soleret, *Agone?* id est, *Ferione?* nec nisi jussus hostiam percuteret; en versus:

* ἔτυμον. & hujus quinque rationes. * 1. * Fast. 1.

*Nominis esse potest succinctus causa minister,*
*Hostia cælitibus quo feriente cadit.*
*Qui calido strictos tincturus sanguine cultros,*
*Semper agatne, rogat, nec nisi jussus agit.*

B Altera * est ratio, quod Agonalia nomen habeant ab agendo, quod pecudes non sponte ad sacrificium veniant, sed agantur, unde etiam hostia, Agonia dicatur: * *2.

*Pars quia non veniant pecudes, sed agantur: ab actu* Idem Ovid. ibid.
*Nomen Agonalem credit habere diem.*

Tertia, * quod ab Agnis, quasi Agnalia nomen habeant: quamvis Rex sacrorum Arietem immolaret. * 3.

C *Pars putat hoc festum priscis Agonalia dictum,* Ibid.
*Una sit ut proprio littera dempta loco.*

Quarta, * quod sic appellentur a metu hostiarum, quæ viso cultro quo erant feriendæ, in aqua, sine in mola ubi tingebantur, trepidabant. Nam ἀγωὼν, trepidatio est. * 4.

*Aut quia prævisos in aqua timet hostia cultros,* Ibid.
*A pecoris lux est ipsa notata metu.*

D Quinta * quod Agonalia nomen habeant a ludis Græcorum, qui ἀγῶνες dicebantur: * 5.

*Fas etiam fieri solitis ætate priorum*
*Nomina de ludis Græca tulisse diem.*

Alii dicunt * ab Agone monte fumptum vocabulum, in quo die illo sacra fieri solebant, qui postea Quirinalis dictus est, ex quo in eo confederunt Sabini, in urbis portionem recepti: vel quod in eo Quirini, id est, Romuli Templum erat. * Hodie Romanorum vulgus a duobus equis marmoreis Phidiæ & Praxitelis in hoc colle sitis, *Montem Equorum* vocant.

E * 6. Ratio quinque Ovidii addita. * Mons Quirinalis qui hodie vocetur.

## DIALOGUS V.

### DE CARMENTALIBUS.

*Nominis ratio. Carmentis quo nomine prius diceretur. Altera ratio de nomine Carmental. Religiose culta a Rom. Porta Carmentalis dicta scelerata. Themis eadem cum Carmenta. Quæ Dea: ἔτυμον. Oraculum. Fabula Deucalionis. Proverbium. Illius ædes a quibus condita: sacra iterata.*

F

NUnc ab Agonalibus te ad Carmentalia duco. ALYP. Ordire a nomine. MOR. * *Carmentalia * nominantur, quod sacra, tum & feriæ Carmentis*. Carmentis * autem, sive Carmenta, vates fuit Arcadica, mater Evandri, ita cognominata a carminibus, quibus dabat responsa. prius vocabatur Nicostrata: * verum ubi carminibus dare cœpit responsa, *Carmentis* vocata est. Martianus Ca-

* Nominis ratio. * Varro lib. 5. de ling. Lat. * Carmentis. * Quo nomine prius vocaretur, & cur Carmentis dicta.

pella: *Carmentis in Arcadia ab effuso per vaticinia carmine, dicta*. Tangit Dionysius: *Evander Mercurii filius, & Nymphæ cujusdam Arcadiæ, quam Greci Themin dicunt plenam numine, Romanarum antiquitatum scriptores Carmentam patria lingua nominant, quod Nymphæ nomen fatidicam significet, deductum a Carmine juxta Romanam Etymologiam. Hanc mulierem affirmant Dæmonis spiritu correptam, futura populo præcinere solitam*. * Addit Plutarchus * aliam hujus appellationis rationem, quod scilicet dicta est Carmenta, quasi carens mente, ob instinctus divinos, quibus ad fatiloqua fundenda carmina fuerit impulsa: *Nonnulli*, ait, *nomen Carmentæ sane haud inepte interpretantur: ut sit Carmenta amens, & mente carens: quod numine afflata furere, atque insanire sit solita*. * Romani religiose eam coluerunt: cum enim post obitum in Divarum numerum crederetur recepta, aram ei, ut Dionysius scribit, dedicarunt, apud Carmentalem portam sub Capitolio. * Hæc autem porta etiam dicta est Carmentalis a Carmenta, postea tamen, Scelerata, quod per eam sex & trecenti Fabii, cum clientum quinque millibus egressi adversus Hetruscos ad amnem *Cremeram*, non sunt reversi. Ovid. *

> *Carmentis portæ dextro est via proxima Jano,*
> *Ire per hanc noli, quisquis es, omen habet.*
> *Illa fama refert Fabios exisse trecentos:*
> *Porta vacat culpa, sed tamen omen habet.*

Liceat obiter verba Dionysii exponere. ALYP. Quæ? *Quam Græci Themin dicunt*: De Carmenta loquitur. ALYP. Ergo * Themis eadem cum Carmenta. MOR. Adde fidem dictis, nulla obscuritas. Hoc & confirmat Plutarch. * *Themin, Carmentam mutato nomine vocaverunt*; cum scilicet, ut idem ait, in Italiam venisset. Themis itaque, vel Themidis, & Themista, æ, * apud Festum, *Dea putabatur, quæ suaderet hominibus id petere, quod fas esset*. Optime, * cum θέμις, ιστος, ἡ, jus sit, fasque: * θέμις ἐστὶ, *fas est*, unde, θέμιστας τελέουσι, *justa, tributa sive vectigalia pendunt*: Homerus. Nonne & Hesiodus? Οὐδὲ θεμιστέων λήθεται, *Neque justorum obliviscitur, seu juris divini*. Cum quibus congruunt, qui Themin justitiam esse putant, eandemque consiliorum, Oraculorumque præsidem. Propterea lego in Budæo * θεμιστεύειν verbum, quod vaticinari & oracula dare significat. Quid? etiam leges ferre, jura reddere, * θεμιστεύει δὲ ἕκαστος παίδων ἠδ' ἀλόχων, *Jura dat unusquisque natis atque uxoribus*. * Siquidem *Themis* habuit vetustissimum Oraculum in Bœotia ad Cephisum amnem, quo cum Deucalion * cum scapha trajecisset, egressus, *Themidis* illius Oraculum, quæ responsa dabat, adivit sciscitaturus, quo pacto si ita Diis placeret, posset humanum genus reparari. Id autem Deucalion responsum tulit cum Pyrrha uxore, ut velatis capitibus ossa matris post se jacerent, quo Natal. Com. * suis chartis comprehendit. Ovid. * etiam de illa:

> *Fatidicamque Themin quæ tunc Oracla tenebat.*

Et Claud.

> ——— *sic Atropos urget,*
> *Sic cecinit longæva Themis*.

Idem spectare videtur Cicero hoc proverbio, * *Licet Themista sapientior*. ALYP. Hæc audivi libentissime; jam, quid est quod Carmentis ædem * matres ædificarunt? MOR. Hac de re Plutarchum * audi: *Ferunt mulieres senatusconsulto vehiculis uti prohibitas inter sese conspirasse, ne qua earum conciperet, neve pareret, atque ita viros ulciscerentur, donec coacti sententiam mutaverant, atque uti permiserunt. Natis deinde pueris cum & multitudine liberorum & bonitate fœlices fuisse viderentur, Carmentis ædem ædificarunt*. ALYP. * Quo die ei sacra fiebant? MOR. Januarii undecimo, & Iduum tertio ad ejus aram. * Porro eadem Carmentalia decimo quinto die, qui dicitur 18. kal. Februarii referebantur, vel iterabantur, de quibus non omnes idem sentiunt, referente Rosino *: *Alii enim*, inquit, *a Carmenta, quemadmodum priora illa: alii a duabus Carmentis, porrima scilicet, & postverta, hæc Carmentalia dicta esse autumant*.

## DIALOGUS VI.

### DE LUPERCALIBUS.

*Ἔτυμον, & ejus diversæ rationes. Luperci. A quo instituta Lupercalia, cum Romæ, tum in Arcadia. Lupercal nomen Græcum: Eorundem finis. Quo mense, quibusve diebus celebrarentur. Sacrificii mos. Luperci canem immolabant. Cur transcurrerent nudi. Gladius cruentatus*.

ALYP.

Viam mihi aperi ad Lupercalia. MOR. Lupercalia * primum hoc nomine gaudent, *Quod*, inquit Varro, * *in Lupercali, Luperci sacra faciunt*. ALYP. Quid Lupercal? * MOR. Locus sub Palatino monte, sacratus ab Evandro Pani Deo Arcadiæ, qui Lycæus vocatur, eo quod λύκους, id est, Lupos non sinat in oves sævire. * Quamvis quidam nomen hoc ducere existiment, quod Lupa ibi Remum & Romulum nutriverit. Ovidii * versum illuc trahe,

> *Illa loco nomen fecit, locus ille Lupercal,*
> *Magna dati nutrix præmia lactis habet*.

Plutarch. *Post nomen ipsum a Lupa dictum videri: etenim videmus Lupercos, inde cursum incipere, ubi Romulum expositum ferunt*. Alii dicunt * sub monte Palatino esse quandam speluncam, in qua de Capro luebatur, id est, sacrificabatur, unde dictum Lupercal. ALYP. * Qui Luperci? MOR. Sacerdotes Panos Dei Pastorum, Lupercaliorum die, nudi per urbem cursitantes, & prægnantium mulierum manus, uterosque caprina pelle ferientes: quare & fœcunditatem, & facilem partum fieri putabant. ALYP. At a quo instituta Lupercalia? * MOR. Opinantur Dionysius, & Livius, multique alii ab Evandro ex Arcadia in Italiam translata esse. Hoc etiam mihi persuadet Plutarch. * *Ac videtur solenne pervetustum, Evandrum ex Arcadia allatum instituisse: hoc vulgatior fama tenet*. ALYP. * Eorum principem in Arcadia quem judicas? MOR. Lycaonem. Sic Nat. Com. * *Si recte judico, Lycaon in Lycao monte Lycosuram urbem condidit, & templum in ea quod Jovis Licæi appellavit: ludos etiam in ejus honorem instituit, quæ vocata sunt Lupercalia*. ALYP. Nomen Græcum in manibus mihi esse gaudebo. MOR. Lupercalia

* In vita Rom. * Vel amentis ratio. * Religiose culta a Rom. * Porta Carmentalis unde dicta. * 2 Fast. Themis eadem cum Carmenta. * In Problem. * Quæ Dea. * ἔτυμον. * Odyss. * Annot. in Pand. * Odyss. * Oraculum. * Deucalionis fabula. * Lib. 8 Mythol. * 1 Metam. * De Themide proverb.

* Illius ædes a quibus et cur condita. * In Problem. * Sacra quo die fierent. * Eadem Carmentalia iterabantur: sed an a prima Carmenta dicta sint, dubium. * Lib. 4. ant. Rom. * Cur hoc nomine gaudeant, diversi diversa sentiunt. * Lib. 5. de ling. Lat. * 2. Lupercal. * 2. Fast. * 3. * Luperci. * A quo instituta Lupercalia Romæ. * Alii volunt ab Euandro. * Princeps Lupercaliorum in Arcadia. * Lib. 9. de Lycaone.

[Margin: * Nomen Græcum Lupercal, & a quo. * Lib. 4 Ant. c. 6. * Lycæone. * Lupa. * Alii ab ipso Romulo & Remo instituta ajunt Romæ, & cur. * Lib. 2. * Prima opinio.]

Græcis λυκᾶια,* vocantur: cujus nominis ratio, vetusta a Rosino * putatur. ALYP. Unde orta? MOR. Non dicit, reor ἀπὸ τοῦ Λυκάωνος * primo apud Arcadas Lupercaliorum auctore: vel ἀπὸ τῆς λυκαίνης *, cum Luperci suum cursum ab eo loco, quo fertur expositus Romulus, ordirentur. Alii * ab ipso Romulo, & Remo instituta esse volunt. ALYP. Quamobrem? MOR. Opinione dissentiunt auctores. Clamat enim Valerius Max. * instituta & celebrata primum a Romulo & Remo * propter factam sibi a Numitore avo potestatem condendæ urbis in Monte Palatino, ubi servati fuerant. Arrige aures: *Lupercalium mos*, inquit, *a Romulo & Remo inchoatus est, tunc cum lætitia exultantes, quod his avus Numitor Rex Albanorum, eo loco ubi educati erant, urbem condere permiserat sub monte Palatino, hortatu Faustuli educatoris sui.* * Quidam vero in memoriam nutritorum a Lupa Romuli & Remi. In quorum memoriam, Alypi, fuerint instituta habes. ALYP. At qua fini? * MOR. Lustrationis, Plutarcho teste: * *Lupercalia expiationis gratia instituta videntur. Celebrantur enim ea sacra mensis * Februarii atris diebus, quem expiatum interpretari quis possit. Eam quoque Februatam veteres appellabant.* ALYP. Quis enim in his servabatur sacrificii mos? MOR. * *Haud facile* (ut Plutarchus tradidit) *eum conjectura assequi possumus. Jugulant enim Capras: tum duos ex genere Adolescentes eo sistunt, quorum frontes alii cultro sanguine perfuso tingunt: alii statim lanam lacte madentem admoventes, abstergunt. Oportet etiam abstersos Adolescentes ridere, deinde incisis in corrigias Caprarum pellibus, discurrunt in orbem: & si qui obstent scuticis cædunt. Mulieres adulta ætate ultro se ad verbera offerunt, ratæ eam rem ad fœcunditatem conducere.* * *Proprium ac suum ejus celebritatis est, ut Luperci canem immolent.* ALYP. Cujus rei gratia Canis? MOR. * Lupæ, a qua nutriti fuerant Romulus cum Remo: Lupis enim ferus est, & crudelis hostis: * nisi potius ideo plectitur. quod Lupercis circumcurrentibus interturbet. ALYP. Quid est quod transcurrunt? * MOR. Ad imitationem cursus Romuli, Remi-ve, qui, ut Butas refert, victo Amulio, lætitia exultantes, ad eum locum accurrerunt, ubi infantibus ipsis Lupa ubera præbuisset,

[Margin: * 2. * Lupercal. finis. * In Rom. * Quo mense, & quibus diebus celebrentur. * Ibidem * Sacrificii mos in luperc. * Cur Luperci canem immolent. * 1. Dua tum ratione n. * 2. * Cur transcurrerent.]

*—— cucurrit ab Alba*
*Armatus quondam Romulus atque Remus.*

[Margin: * Cur nudi. * 1.]

ALYP. Quamobrem nudi? * MOR. Ad ejusdem Romuli imitationem, qui (narrante Rosino ex C. Acilio) amissis pecudibus ante Romam conditam, * cum suis, Fauno votis factis, ad eas quærendas nudi excurrerunt, ne a sudore molestiam traherent. Hujus sententiam non tenet Servius, enarrans illud Virgilii, *

*Hinc exultantes Salios nudosque Lupercos.*

Ait enim: *Quum in honorem Panos Lupercaliorum solennitas celebraretur, pecora Romanorum subito a latronibus rapta sunt: Illi projectis vestibus persecuti sunt latrones, quibus oppressis, & receptis animalibus, propter rem a nudis prospere gestam, permansit consuetudo, ut nudi Lupercalia celebrarent.* * Quid gladius cruentatus fronti eorum Adolescentium? MOR. Ut cædis ac periculi signum, sicut detersio, (quæ fiebat lacte) nutritionem indicaret. De eorundem Lupercalium solennitate item Plutarchus*: *Inter hæc rerum obstacula Lupercalium solennitas aderat, de qua multi scriptores prodidere eam antiquis temporibus fuisse Pastorum. Et profecto Lycæis quæ in Arcadia celebrantur, perquam similis est. In ea multi nobiles, ac primarii Adolescentes per urbem nudi trascurrunt, densis loris obvium quemque per risum jocumque cædentes. Complures etiam uxores procerum eis sese obvias de industria offerentes, manus tanquam sub præceptore ictibus exhibent. Persuasum enim habent, prægnantibus mulieribus pariendi, sterilibus autem concipiendi facultatem afferre.* Et in Antonio: *Erat solennis Lupercaliorum dies: Cæsar autem triumphali veste amictus in Rostris sedebat, currentes Lupercos inspecturus. Currunt enim & nobilium juvenum, & eorum qui magistratum gerunt, complures, nudi atque uncti, loris albis obvios ferientes.*

[Margin: * Gladius cruentatus cur. * In C. Cæsare.]

## DIALOGUS VII.

### DE CONCEPTIVIS FERIIS.

*Conceptivæ quæ, & quando fierent. Earum partitio.*

ALYP.

LArgiter & belle de Stativis, si pauca de Conceptivis, a tuo ore pendeo. MOR. * *Conceptivæ sunt, quæ quotannis a magistratibus, vel Sacerdotibus concipiuntur in dies, vel certos, vel etiam incertos*, Macrob. * ALYP. Verba obscura illustra. MOR. Ad lucem, hæc sunto. * Conceptivæ quotannis quidem fiebant: sed modo hoc, modo illo tempore, ut Magistratui videbatur. * *Partior* autem *Conceptivas*.

[Margin: * Conceptivæ. * Lib. 1. Sat. 16 * Quando fierent. * Partitio.]

*in* {
- *Annales,*
- *&*
- *Non Annales.*

*Annales in* {
- *Latinas,*
- *Paganalia,*
- *Sementinas,*
- *Compitalia.*

*Non Annales in illas quæ* { *cum* / *&* / *sine* } *nomine.*

## DIALOGUS VIII.

*De Annalibus, & primo*

### DE LATINIS.

*Ἔτυμον Latinarum. Latinæ quæ. Quid in his fieret. Fœdus inter Romanos & Latinos. Latinarum origo. Sacra. Populi eorum participes. Quid in ea ferrent singuli. Victima communis omnium, de qua unicuique dabatur portio. Romani præsunt sacrificio. Superstitio. Consules paludati. Non licebat iis accusare, &c.*

SEnties, unde nanciscantur nomen Latinæ feriæ, si des Varroni * aures. ALYP. Dabo. *Latinæ feriæ, dies conceptivus dictus a Latinis populis; quibus ex Albano monte ex sacris carnem petere fuit jus cum Romanis: a qui-*

[Margin: Ἔτυμον. * Lib. 5. de Ling. Lat.]

[A] *bus Latinis Latinæ dictæ*. ALYP. Aliquot verbis dilata. MOR.* [* Latinæ.] Latinæ feriæ erant Conceptivæ, singulis annis, ut diximus, a Magistratibus in certos, vel incertos dies concipi solitæ, * [* Quid in his fieret.] quibus per triduum, vel quatriduum, pro communi totius Latii salute, Jovi Latiali in monte Albano sacra fiebant a Præfecto urbis Latinarum causa creato, populisque Latinis carnes dividebantur * [* Fœdus inter Romanos et Latinos.] ex præscripto vetusti fœderis inter Romanos & Latinos icti, Sp. Cassio & Posthumio Cominio Coss. Cujus fœ- [B] deris leges, ne ullo unquam tempore intercciderent, Romæ in ænea columna fuerunt incisæ. De earum origine * [* Lib. 4. in historia Tarq. Superbi.] Dionysius Halicarnasseus * [* Origo Lat.] ita: *Ut sempiternum maneret id fœdus, Tarquinius proposuit designare commune fanum Romanorum, Latinorum, Hernicorum, Volscorum, dumtaxat in societatem receptorum, quo ad mercatum convenientes, quotannis una epularentur, fruerenturque sacris communibus. Gratum id fuit omnibus: locus conventui præstitutus est in meditullio fere harum gentium, mons altus Albanis imminens, ubi singulis annis feriæ celebrarentur, & eo temporis spatio propter loci religionem, legemque de hoc latam, ab omni vi* [C] *temperarent omnes:* * [* Sacra] *sacraque communiter Jovi Latiali facerent; & vacarent epulis, constituto prius, quantum quisque populus in ea sacra præbere, quantamve portionem recipere debeat. Earum feriarum, atque sacrificii participes fuerunt* [* Populorum participes.] *tribus minus 50. populi, quas nostra quoque ætate Romani agitant, Latinas vocatas,* * [* Quid in ea ferant singuli.] *conferuntque in eas populi sacrorum participes, quidam agnos, quidam caseos, quidam lactis certum modum, quidam liba lactaria.* * [* Victima.] *Victima est taurus unus communis omnium, de cujus visceribus cuique populo sua certa portio tribuitur. Sacrifi-* [D] *catur autem pro omnibus,* * [* Romani sacrificio præsunt.] *& Romani præsunt sacrificio.* Vin' glossema, Alypi? ALYP. Quid opus? potius quid aliud animadverrendum, profer. MOR. Pertinet & ad cæremonias feriarum, quod in Alexandro ab Alexandro reperio. * [* Lib. 5 Gen. dier.] *Si in eo sacro non omnes Latini carnem accepissent: sed aliquid delatum præteritumve fuisset, aut neglectæ cæremoniæ,* [* Superstitio.] *intermissumve solemne esset, tanquam non rite exhibitum foret, denuo instaurari oportebat.* Livius: * [* Lib. 32.] *Feriæ Latinæ Pontificum decreto instauratæ sunt: quod Legati ab Ardea questi in Senatu erant, sibi in monte Albano, Latinis carnem ut assolet* [E] *datam non esse.* ALYP. Quid ad hæc? * [* Consules paludati.] Consules non ante exire paludati in Provincias consueverant, quam ferias Latinas indixissent, atque iis monte Albano cum Latinarum Civitatum magistratibus operam dedissent. * [* Non licebat accusare diebus Latinarum feriarum.] Subjicio non licuisse accusare diebus Latinarum feriarum. Res palam est: cum enim Calphurnius Salvianus * [* Corn. Tac. lib. 4. Ann.] Sextum Marium coram Druso præfecto urbis, reum postulasset, in exilium actus est. Addo, * [* Alex. ab Alexand.] [* Solemne ludicrum in Capitolio.] Latinarum tempore solemne ludicrum in Capitolio fieri, quadrigasque concito cursu decertare, victoremque [F] certaminis in palmam victoriæ absinthium bibere solitum fuisse. * [* Latinæ quorum curæ.] Amplius nota, feriarum, sacrificiorum, certaminumque curam a Senatu commissam fuisse Ædilibus, ornatis prius prætexta & sella eburnea, regiis insignibus.

[A]

## DIALOGUS IX.

### DE PAGANALIBUS.

*Cujus rei gratia suscepta. Unde dicta. Eorum auctor. Cui commodo. Potio burrhanica. Quid burrhus. Camella. Empanda.*

ALYP.

[B] PAganalia te vocant & expectant: dic ergo cujus rei gratia suscepta? [Cujus rei gratia suscepta.] MOR. Pete a Varrone, * [* Unde dictæ.] dicet Agriculturæ. *Paganicæ agriculturæ caussa suscepta,* * [* Lib. 5. de ling. Lat.] *ut haberet in agris omnis pagus: unde paganicæ dictæ sunt.* ALYP. * [* Eorum auctor.] Auctor? Servius Tullius Rex. Dionys. Halicar. * [* Lib. 4.] *Is postquam tribus alias urbanas, alias rusticas instituisset, & has in suos pagos distribuisset, ut rusticanæ multitudinis facilius iniri posset numerus, per singulos pagos aras jussit dedicari Diis tutelaribus, quotannisque ibi conventum fieri, & sacrificium, festum hoc cum primis religiosum constituens, vocatum Pagana-* [C] *lia, simulque eorum sacrorum ritus, qui nunc quoque servantur, conscripsit.* * [* Cui commodo.] *Ad id sacrificium, eumque conventum, omnes paganos jussit in singula capita conferre certum numismatis genus, sed aliud viros, aliud mulieres, aliud impuberes, quibus connumeratis per sacrorum præsides, apparebat hominum numerus per sexus ac ætates distinctus.*

Hæc refert Rosinus cum sequentibus ex Ovid. * [* Lib. 1. Fast.]

*Pagus agat festum, pagum lustrate Coloni,*
*Et date paganis annua liba focis.*
[D] *Placentur matres frugum, Tellusque, Ceresque,*
*Farre suo gravidæ, visceribusque suis, &c.*

ALYP. * [* Potio burrhanica.] Potionem burrhanicam in Paganalibus propositam Cereri in camella audio; sed hæc verba δύσκολα. * [* Difficilia.] MOR. Alypi, nescis δύσκολα τὰ καλὰ, * [* Ardua quæ pulchra.] ut extat apud Platonem? ALYP. Pande rem. MOR. Pandit Josephus Scaliger conjectaneis in Varron. *Hæc potio, burrhanica dicebatur, a colore burrho, quem* [E] *mulsum lacte dilutum facit.* ALYP. Quid burrhus? * [* Quid burrhus.] MOR. Color a veteribus dicebatur, qui hodie rufus dicitur: Græci enim μυῤῥὸν rufum, seu fulvum: unde qui ex prælarga potatione rubescunt, burrhi sive byrrhi sunt appellati: & burrhæ, vestes rufi coloris. ALYP. Ad Camellam. * [* Camella.] MOR. Genus vasis est apud Ovid. * [* 4 Fast.]

*Dum licet, apposita velut in cratere camella*
*Lac niveum potes, purpureamque sapam.*

ALYP. In sapam * [* Vulgo, Vin cuit.] incurris novam difficulta- [F] tem. MOR. Sapa a sapiditate, est vinum ex musto ad tertias decocto. * [* Sapa.] Plinius: * [* Lib. 14. c. 19.] *Siræum, quod alii ἕψημα, nostri sapam appellant, ingenii, non naturæ opus est, musto usque ad tertiam partem mensuræ decocto, quod ubi factum, est defrutum vocamus.* ALYP. Satis dixeris, si hoc unum addideris, cur Cereri in his sacris fuerit nomen *Empanda*. MOR. Quod patentibus pagis, non clausis urbibus præesset.

## DIALOGUS X.

### DE SEMENTINIS.

*Cur inſtitutæ. Unde nomen. Earum feſtum quando celebratum. Sacra.*

CAuſam ortus, & quaſi Sementinarum natalem Feſtus habet in his; *Sementinæ feriæ fuerunt inſtitutæ, quaſi ex iis fruges grandeſcere poſſent.* Varro: * *Sementinæ feriæ dies is, qui a Pontificibus dictus:* * *appellatæ a ſemente, quod ſationis cauſa ſuſceptæ.* * Feſtum autem Sementinarum fuit antiquis celebratum, poſtquam terræ mandaſſent ſemina Agricolæ. Roſinus: * *His feriis ſacra in æde Telluris, Cereri & Telluri fiebant.*

*Cur inſtitutæ. * *Lib. 5. de ling. Lat.* * Unde nomen. * Earum feſtum quando celebratum. *Lib. 4.*

## DIALOGUS XI.

### DE COMPITALIBUS.

*Compitalia quæ. A quo & quibus inſtituta. Servi, non liberi ſacrificiis miniſtrabant. Cur. Quinam ſunt Lares. Duo unicuique. Focus illis ſacer. Dii domeſtici ab aliquibus, ab aliis Dii agrorum. Cur pro Domibus uſurpentur. Unde dicantur Lares.*

### ALYP.

NOva de Compitalibus, veriſſimaque prædica. MOR.* Ea erant feſta, quæ in compitis peragebantur, * a Servio Tullio Laribus inſtituta. Macrob. * *Qualem nunc permutationem ſacrificii,* * *Prætextate, memoraſti, invenio poſtea Compitalibus celebratam, cum ludi per urbem in Compitis agitabantur, reſtituti ſcilicet a Tarquinio Superbo Laribus, ac Maniæ ex reſponſo Apollinis, quo præceptum eſt, ut pro capitibus, capitibus ſupplicaretur. Idque aliquandiu obſervatum, ut pro familiarum ſoſpitate pueri mactarentur Manię deæ matri Larium. Quod ſacrificii genus, Junius Brutus conſul pulſo Tarquinio aliter conſtituit celebrandum. Nam capitibus allii & papaveris ſupplicari juſſit, ut reſponſo Apollinis ſatisfieret de nomine capitum; remoto ſcilicet ſcelere infauſtæ ſacrificationis. Factumque, ut effigies Maniæ ſuſpenſę pro ſingulorum foribus, periculum ſi quod immineret familiis expiarent. Ludoſque ipſos ex viis Compitorum, in quibus agitabantur, Compitalia appellitaverunt.* Nonne & Feſtus? *Compitalia feſta, quæ in Compitis peragebant.* Nonne & Varro? * *Compitalia, dies attributus Laribus.* ALYP. Effare, quinam ſacrificiis miniſtrarent, ingenui, an ſervi? Dionyſ. Halic. * *Sacrificiis Compitalia ſacra facientibus, non ingenuos, ſed ſervos miniſtrare voluit Tullius, quaſi hoc eſſet gratius Laribus: quod feſtum noſtra quoque ætate Romani agitant paucis diebus poſt Saturnalia, cum primis celebre & ſumptuoſum, Compitalium appellatione:* * *duratque mos ille priſcus in ſacris placandi Genios per ſervorum miniſteria, qui temporaria libertate fruuntur per eos dies, ut hac honorifica humanitate manſuetiores redditi, dominos cariores habeant, & levius ferant ſuæ fortunæ inclementiam.* ALYP. Dixiſti ſacra hæc fieri ſolita Diis Laribus, Maniæque, illi nomine tantum noti, notaque iſta. MOR. Noſce & re. Non deſunt qui ſibi perſuadent, Lares, * Δαίμονας, Genioſque non differre, exiſtimantes unicuique duos Lares eſſe, ut nonnulli etiam ex noſtris Theologis, præſertim D. Thomas, * duos Angelos, bonum malumque, a Deo in cuſtodiam datos, ſed non natos nobiſcum, ut illi de genio ſuo Lare dicunt. Colebantur domi, * focuſque illis ſacer erat, unde vulgus *Foculare* appellat quaſi Laris focum. Hi putati ſunt Dii domeſtici, quod ad urbis commoda vigilare dicerentur inter compita. Ovid. *

* Quæ. * A quo & quibus inſtituta. * *Lib. 1. Sat. c. 7.* * *Lib. 5. de ling. Lat.* * Servi miniſtrabant ſacris compitalibus. * *Lib. 4.* * Cur. * Lares quinam ſint. * *1. part. q. 1. c. 13. art. 2.* * Focus illis ſacer. * *Faſt. lib. 2.*

*Et vigilant noſtra ſemper in æde Lares.*

A nonnullis * Dii Agrorum vocati ſunt. Tibullus docebit:

* Dii Agrorum putati.

*Vos quoque felices quondam, nunc pauperis agri*
*Cuſtodes, fertis munera veſtra Lares.*

ALYP. Quamobrem factum eſt, ut Lares * pro domibus uſurpentur? Nam ſic Horat. * in hoc:

* Cur pro domib. uſurpentur. * *Sermo. lib. 2. Sat. 2.* * *Lib. 1*

*Qui patrium Numę donat fundumque laremque.*

Et Mart. *

*O mihi curarum pretium non vile mearum,*
*Flacce, Antenorei ſpes & alumne laris.*

MOR. Quoniam privatorum domibus præeſſe credebantur: unde Plaut. * *Ego Lar ſum familiaris ex hac familia, unde exeuntem me aſpexiſtis.* A domibus traho ad res domeſticas ac familiares, cum Græci * ἀφ' ἑςίας ἄρχε, dicant, hoc eſt, A domeſticis ac familiaribus initium ſumito. Hoc recte dicetur in Magiſtratus, & alienæ vitæ cenſores, quorum officium eſt, ut imprimis ſuam, ſuorumque vitam corrigant. Nam ἑςίαν Græci vocant, quem nos Larem vocamus. ALYP. Satisfeceris tandem, ſi * Larium ἔτυμον doceas. MOR. Ad fabulas ibo? ALYP. Eas. MOR. Fama eſt e furtivo Mercurii Laræque Almonis filiæ concubitu geminos fuiſſe genitos, qui a matre Lara ſive Larunda Larium nomen habuerunt. * Ovid.

* *In A lul.* * *A Lare incipe.* Proverbium. * Lares unde. * *Lib. 2. Faſt.*

*Fitque gravis, geminoſque parit, &c.*

## DIALOGUS XII.

### DE NON ANNALIBUS.

*Non annales feriæ quæ. Novendiale ſacrum dupliciter actum.*

### ALYP.

NOn Annales verborum compendio perſtringe. MOR. De iis Varro: * *Prætereaferiæ conceptivæ, quæ non ſunt Annales, ut hæ quæ dicuntur ſine proprio vocabalo, aut cum perſpicuo, ut novendialis.* ALYP. * Novendiale ſacrum illuſtrari aveo. MOR. Habe quod petis. * Novendiale ſacrum dupliciter a Romanis actum fuit, uno modo cum defunctis parentabant, ſeque luſtrabant: * altero cum prodigium aliquod accidiſſet, quod novendali ſacro expiare ſolebant. Alexander ab Alexand. * *Si lapidibus pluiſſet, Novendiali ſemper ſacro expiatum fuit: hoc enim ſacrum novem dies colebatur, quod vel Prætor urbanus, vel Pontifex maximus ex Senatus decreto indicebat: idque vel cœleſti voce in Albano miſſa, vel Haruſpicum monitu.* Livius * clare: *Devictis Sabinis cum in magna gloria, magniſque opibus*

Non Annales. * *Lib. 5. de ling. Lat.* * Novendiale ſacrum. * Dupliciter actum. 1. 2. * *Lib. 5 gen. dier.* * *Lib. 1 ab urbe cond.*

*regnum Tulli, ac tota res Romana esset, nuntiatum Regi, Patribusque est, in monte Albano lapidibus pluisse. Quod cum credi vix posset, missis ad id visendum prodigium, in conspectu haud aliter, quam cum grandinem venti glomeratam in terras agunt, crebri cecidere cœlo lapides: visi etiam audire vocem ingentem ex summi cacuminis luco, ut patrio ritu sacra Albani facerent, quæ velut Diis quoque simul cum patria relictis oblivioni dederant, & aut Romana sacra susceperant: aut fortunæ (ut fit) obirati, cultum reliquerant Deum. Romanis quoque ab eodem prodigio novendiale sacrum publice susceptum est, seu voce cœlesti ex Albano monte missa, (nam id quoque traditur) seu Haruspicum monitu. Mansit certe solenne, ut quando id quidem prodigium nuntiaretur, feriæ per novem dies agerentur.*

## DIALOGUS XIII.

### DE IMPERATIVIS FERIIS.

*Imperatoris vox prænomen. Tres usus habuit. In qua significatione hic capiatur.*

[illegible]

CONceptivas habeo, verum & Imperativas ferias. MOR. Num, Alypi, ad Impe- [illegible] tiquam: [illegible] es fero. MOR. Has audio, percun- [illegible] YP. Narra sodes, quale nomen vox Imperatoris, quidque hac voce Romani intellexerint. MOR. * Suetonius * tradit, Prænomen fuisse, quo primum Julius Cæsar, deinde filii ejus ac nepotes Senatusconsulto sunt affecti. Hoc autem vocabulo * tribus modis usi sunt, uno * pro eo qui potentiam, & auctoritatem in Republica summam adeptus esset: * Altero, qui hostibus magno prælio fusis ac profligatis, eo nomine, militum acclamatione affectus esset: * Tertio pro quocunque exercitus Duce, qui suis auspiciis rem gereret, & qui Imperium, id est, jus belli gerendi haberet. ALYP. Hac interpunctione posita, plus satis erit deliciarum, si

* Imperator prænomen.
* In Tyb*ulo*.
* Tres usus habuit.
* 1.
* 2.
* 3.

Feriis ob { Victoriam / Natalem diem filii / Successionem } Imperatoris

lucem afferas. Nam cujus Imperatoris, primi? secundi? tertiive modi? MOR. * Tertii non puto. Primi, non dubito, cum paratam ad nutum haberet Rempublicam. De secundi sit, ob victoriam.

* Quid hac voce intelligatur hic.

## DIALOGUS XIV.

*Imperatoris nomen appellatio militaris. Quinam hoc nomen consequerentur. Pompa supplicationis. Supplicatio primum unius diei, ad postremum plurium. Simulachra Victoriæ diversa apud diversos. Locus Virgilii explicatus. Victoriæ templum, Ædicula, Simulachrum.*

Imperatoris nomen appellatio militaris.

IMperatoris itaque nomen, fuit etiam appellatio militaris, qua Dux præsens, re bene gesta, primum militum acclamatione in castris, deinde sententia Senatus in urbe ornatus est, cum scilicet Senatus populo Deum Templa aperiri, ac gratias Diis Imperatoris nomine agi jubebat. Erat enim moris, ut Consules, vel Prætores, postquam a militibus appellati Imperatores fuerant, Lictores laureatos præferrent, literasque ad Senatum laureatas de re gesta mitterent, quibus Imperatoris nomen ac supplicationes a Senatu postularent: * quod nomen illi omnes consequebantur antiquitus, rebus ab iis bene gestis, atque aliquot millibus externorum hostium cæsis, illudque non semel, sed pro victoriarum numero, Imperatores II.III.IV. V. nuncupabantur. Quemadmodum de Octavio legimus quod XX. Imperator, propter res præclare gestas, & toties reportatam ex bellis victoriam fuerit appellatus. * In hac autem Imperatorum supplicationis pompa, Senatus ad templa Deorum solenniter se conferebat, sacrificabat, dabat in Templis epulum. Omnis populus cum dies festos, tum Diis gratias agebat: pro spe victoriæ effulgentis, vota etiam faciebat, ut Dii hoc modo placati, quod ostenderant beneficium, perficerent. * Quamvis autem primis temporibus, in unum, alterumve diem supplicatio ægre decernebatur: tamen ad postremum, eo progressa res est, ut etiam in quinquaginta decretæ sint. * Siquidem M. Valerio & M. Horatio Coss. anno urbis CCCIV. devictis Sabinis, * Supplicatio in unum diem decreta est: * Camillo Veiis captis in quatriduum, quot dierum nullo ante bello decretæ erant. * At vero Cn. Pompejo Mithridatico bello confecto, duodecim. * Cæsari bello Gallico primum quindecim, post viginti: * Hirtio, Pansæ, & Cæsari Octaviano, Mutina colonia liberata, quinquaginta dierum decretæ sunt. Hoc * honoris genus Ciceroni quoque habitum fuit, quando Catilinæ conjurationem repressit; sed non absenti, ut aliis, imo togato & præsenti. Meminit ipse in Catil. * *Quamobrem, Quirites, quoniam ad omnia pulvinaria supplicatio decreta est, celebratote illos dies cum conjugibus ac liberis vestris. Nam multi sæpe honores Diis immortalibus justi habiti sunt ac debiti, sed profecto justiores nunquam. Erepti enim ex crudelissimo ac miserrimo interitu, & erepti sine cæde, sine sanguine, sine exercitu, sine dimicatione, togati me uno togato duce & imperatore vicistis.* ALYP. Scire gestio, nisi molestum, cum tam religiose ferias ob victoriam Imperatoris observarent, quodnam Victoriæ simulachrum, quæve Templa haberint. MOR. Imo te quæso, ut audias non apud Romanos modo, sed & alias gentes. Simulachrum * ejus fuit, ut in antiquis nummis & marmoribus cernere est, *Virgo alata volans*, coronam vel palmam proferens. ALYP. * Quid pennatam aligeramve pinxit vetustas? Quia victoriæ partæ fama sese statim humo tollit, amplexaque gloriam per summum æthera late volat, perque immensos terrarum tractus expatiatur, offensiones, impedimentaque omnia agilitate sua declinans. Quid quod Accipiter * in Olympia & vulgo fuit Victoriæ hieroglyphicum? Nec vero * ea solum de causa, quod Accipiter volatu præstet, quodque alæ Victoriæ attribuuntur: * verum etiam, quod ejus pugna tam artificiosa est, eoque astu patratur, ut necesse sit hostem qui cum ea congressus fuerit omnino vinci. Nam si cum fortiori res agatur, tum sese in aere resupinat, ungues sursum versus intendens dimicat, alas vero cau-

* Quinam hoc nomen consequerentur.
* Pro victoriarum numero Imperatores dicti.
* Pompa supplicationis quæ fiebat nomine Imperatoris.
* Supplicatio primo unius diei, ad postremum plurium.
* Ostenditur exempl s.
* 1.
* 2.
* 3.
* 4.
* 5.
* 6.
* 3 & 4.
* Simulachra victoriæ diversa apud diversos.
* Cur pennata.
* Accipiter in Olympia.
* Cur.
* Accipitris pugna artificiosa.

caudamque inferius expandit, quibus vice soli fungatur. Unde fit, ut cum adversarius voti compos fieri minime possit, vel re infecta abire cogatur, vel omnino superetur. * Quamobrem solitus est Darius, qui sibi totius orbis victorias proponebat, pallam gestare auro distinctam, quam aurei Accipitres tres, velut rostris inter se concurrentibus adornabant, literis, ΝΙΚΗΤΙΚΩΤΑΤΟΣ, inter alas & singulorum caudas dispositis. Et Antiochus magnarum sibi conscius expeditionum, quia multa strenue fecerat, gentes plurimas debellaverat, urbes innumeras subegerat, longa victoriarum continuatione illustris, Accipitris cognomine vocari gestiebat. * Septem autem Accipitres, qui vulturem insectabantur, victoriæ ejus signum hieroglysphice constituti fuere, quam viri septem in Smerdis Magi exitium conjurati, assecuti sunt, votique compotes facti, patriam a nullum jus habente Rege liberarunt. Nullum, inquam, jus: * nam post Cambysæ mortem, fratrem se illius esse assimulavit, eoque astu in Regni successionem irrepsit, regnavitque aliquot menses, donec fraude per Phædinam Ostanis filiam detecta conspiratione septem illorum optimatium est interfectus.* Ab Accipitribus ad Gallum transeo, qui in Augurali disciplina fuit victoriæ signum; propterea quod avis illa victa silere soleat, canere victrix. Hinc Lacedæmonii, ut apud Plutarchum est, cum hostem viribus profligassent, Gallum immolabant; bovem vero, cum sine cæde victoria obtigisset. Ferunt Socratem Iphicrati duci animos adjecisse, cum Gallinaceos coram Gallina pennis & rostro dimicantes, ei præmonstrasset: quod & Themistocles etiam ad suos animandos fecerat. Quod vero de cantu diximus, refert Tullius historiam ex Callisthene Leuctricæ calamitatis tempore, quæ Lacedæmonios propemodum oppressit, cum apud Thebaidem Trophonio res divina fieret, Gallos gallinaceos in eo loco sic assidue canere cœpisse, ut nihil intermitterent: tum Augures dixisse, Thebanorum esse victoriam. Pergami omnibus annis spectaculum Gallorum esse solitum scribit Plinius, idque Athenis etiam institutum a Themistocle superatis Persis.* Porro Noctua Atheniensibus indicium victoriæ fuit, cujus etiam volatus in adagium cessit, Γλαὺξ ἵπταται, * cum profligatos hostes, & subsecutam victoriam innuerent. Id vero sibi proponebant: propterea quod avis hæc, uti dictum, Minervæ sacra crederetur, quæ quidem dicta est male consulta Atheniensium fortunare. Atque hac de causa Demosthenes oratione περὶ τ̃ παραπρεσβείας, citat versus Solonis:

* Ἡμετέρα δὲ πόλις κατὰ μὲν Διὸς οὔποτ᾽ ὀλεῖται,
   Αἶσαν καὶ μακάρων θεῶν φρένας ἀθανάτων.
Τοίη γὰρ μεγάθυμος ἐπίσκοπος ὀβριμοπάτρη
   Παλλὰς Ἀθηναίη χεῖρας ὕπερθεν ἔχει.

*Nostra quidem Civitas nunquam fato Jovis peritura est,*
*Neque Deorum immortalium arbitrio.*
*Talis illi contigit custos, potentissimo scilicet patre*
*Pallas Athenæa genita, quæ manus supra caput ejus habet.*

* Nisi me fallit memoria, videor mihi in Pausania, & Heliodoro Periegeta, Victoriæ simulachrum apud eosdem Athenienses exarmatum alis, ne victoria discederet Athenis, ac alio quopiam advolaret. Ita numen apud se perpetuo detineri posse arbitrati, dum alarum omen, veluti quoddam instabilitatis signum, reformidabant. Nam quæ amori alæ attribuuntur, ad frequentissimas in eo rerum vicissitudines referuntur, ut Propertius * de eo, qui figuram ejus pinxerat:

*Idem non frustra ventosas addidit alas,*
*Fecit & humano corde volare Deum:*
*Scilicet, alterna quoniam jactamur in unda,*
*Nostraque non ullis permanet ora locis.*

Quantum ad aruspicinam * pertinet, Laurus victoriam aliquando præmonstravit, ut ea quæ in domo Alexandri Severi jam infantuli nata juxta Persicum arborem, intra unum annum, Persicum ipsam incremento mirabili superavit: unde Aruspices futurum prædixere, ut puer is Persa evinceret. quod eventu postea comprobatum est: sub eo enim primo Persæ servi apud Romanos fuere. Quare apud Virgilium * legimus de victore,

—— *Viridique advelat tempora Lauro.*

Notum * est solitos Imperatores Romanos re bene gesta, ut diximus superius, literas Lauro revinctas mittere, victoriarum & lætitiæ nuncias, quæ Laureatæ dicebantur. Apud Marcellinum, ubi de vanitate Constantii loquitur, suorum Ducum victorias sibi adscitentis, laureatas literas invenies. Quare Plin. * *Romanis præcipue lætitiæ victoriarumque nuncia additur lituis, & militum lanceis, pilisque. Fasces Imperatorum decorat. Ex his in gremio Jovis opt. max. deponitur, quoties lætitiam victoria novam attulit. Idque non quia perpetuo viret, nec quia pacifera est, præferenda utique myrto & oleæ est, sed quia spectatissima in monte Parnasso. Ideoque etiam grata Apollini, &c.* * Et legere est in Pompeii gestis, cum is in Arcadia equestre certamen ageret, ludi gratia advenisse tabellarios ex Ponto, gestantes jaculorum cuspides lauro coronatas: ex quo læta nunciare, antequam literas redderent cogniti sunt: Mithridatem enim sibi mortem conscivisse nunciaturi venerant. * Victores Delphis Pythiis certaminibus ea peculiariter lauro coronabantur, quæ Delphica nominabatur, cujusmodi genere & triumphantes Romæ. * Succedat Olea Lauro, per quam nonnulli hieroglyphicum victoriæ indicari prodiderunt, forte quod ex ea veteres trophæa constituerent, aut quia victoribus ex Oleastro coronam plurimum pararent. * Idem demum esse Palmæ significatum, ex nummis, picturisque omnibus universæ jam plebeculæ manifestum. Cic. * *Si quærimus, quid unum excellat ex omnibus, docto oratori palma danda est.* * *In quadrigis, qui palmam jam primus acceperit.* * *Quam palmam utinam Dii immortales tibi Scipio reservent.* * *Alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur.* A.Gell. * causam rediit * scribens arbori Palmæ peculiare quiddam inesse, quod cum ingenio fortium virorum conveniat. Nam *si supra palmæ arboris lignum magna pondera imponas, ac tam graviter urgeas oneresque, ut magnitudo oneris sustineri non queat, non deorsum palma cedit, nec infra fle-*

*ctitur: sed adversus pondus resurgit, & sursum nititur, recurvaturque. Propterea, inquit Plutarch. in certaminibus palmam signum esse placuit Victoriæ, quoniam ingenium ejusmodi ligni est, ut urgentibus opprimentibusque non cedat.* * Cæterum ut varia sunt genera victoriarum, ita variis quoque modis eadem est effigiata, nunc bigis vecta, nunc navi insistens, nunc Cæsarem coronans, nunc aliis aliisque modis figurata. In nummo M. AGRIPPÆ * Cos. III. ab altera facie Neptunus est, equos agens, flagello sublato, ipse currui, cymbæ speciem præ se ferenti, insistens. Cymba inter utrumque equum sita. In puppi ejus navigii avis est alis surrectis, quæ Aquilæ speciem refert. Literæ HIC OMNIPOTENS ÆCORIS. Unde apud Horatium illud: *Suspendisse potenti vestimenta maris Deo.* ubi animadverte C literam apud nos ordine tertiam, pro Q positam more majorum, qui Q literam olim exclusere, ut Velius Longus attestatur, neque Nigidio Figulo in commentariis suis unquam posita est, teste Victorino. * Numi vero hujus species, victoriam ab Agrippa contra Sex. Pompejum partam ostendit, quam Maro * etiam celebravit in Scuto.

(* Victoriæ varie effigies. * Numi insigne. * C. pro Q more majorum. * Numi Agrippæ quid ostendant. * Æneid. lib 8.)

*Parte alia ventis, & Diis Agrippa secundis*
*Arduus agmen agens, cui belli insigne superbum*
*Tempora navali fulgent rostrata corona.*

Sunt etiam numi alii, in victoriæ hujus memoriam cusi, in quibus triremes tridentalibus rostris præditæ conspiciuntur. Unde illud Virgilianum: *

(* 5 Æn.)

——— *totumque dehiscit*
*Convulsum remis, rostrisque * tridentibus * æquor.*

(*Tridentibus*) a specie rostri. Nam rostra navibus olim fuere trisulca, ut acrius concurrentes se invicem ferirent. Rostris enim navium antiqui concurrebant. ALYP. Equidem isthæc Hieroglyphica jucunda fateri debeo: sed Victoriæ templa nolim omittas. MOR. * Antiquissimum Victoriæ templum in Aventino fuit conditum ab Arcadibus, ut Halicarnasseus meminit. Alterum in Palatino fuit, eo loco ubi antea P. Valerii Publicolæ domus, quod L. Posthumius Ædilis curulis ex mulctatitia pecunia extruendum curavit, in quo Matronæ Romanæ simulachrum Matris Deum Pessinunte advectum, antequam propria ædes consecraretur, intulerunt. Livius *: *Quarum rerum fama tumultuosior etiam quam res erant, perlata Romam, coegit L. Posthumium consulem, vixdum validum proficisci ex urbe: prius tamen quam exiret, militibus edicto Soram jussis convenire, ipse ædem Victoriæ quam Ædilis curulis ex multatitia pecunia faciendam curaverat, dedicavit.* * Ædiculam Victoriæ virginis Mar. Porcius Cato Consul anno IↃLV. bello Hispaniensi vovit, & biennio post dedicavit. Idem Livius * etiam tangit: *Iisdem diebus ædiculam Victoriæ virginis, prope ædem Victoriæ M. Porcius Cato dedicavit, biennio posteaquam vovit.* Victoriæ * simulachrum aureum CCCXX. pondo ab Hierone Siciliæ Rege, gratulationis causa Romam missum, & in Capitolini Jovis templum illatum est. * *Jam omnium primum ominis causa Victoriam auream pondo CCCXX.*

(* Virgilius explicatur. * Virgilius ... tridentibus. Omnes vero ... Codices ... stridentibus. ... * Victoriæ templum. * Lib. 10. * Ædicula Victoriæ. * Lib. 35. * Simulachrum. * Lib. 22.)

*afferre sese, acciperent eam tenerentque, & haberent propriam & perpetuam.*

## DIALOGUS XV.

### DE DIEBUS NATALIBUS.

*Fere omnes populi diem natalem celebrabant, Thracibus exceptis. Cærimoniæ, quibus eum ditiores peragebant. In sacris ejusdem Jovem, Junonem, Geniumque colebant. Christiani quoque diem natalem celebrarunt. Cur hoc toleratum ab Ecclesia. Jam dies tantum natales D. Joan. Bapt. & B. Virginis celebramus.*

ALYP.

MEhercule delectabor, si vocatus ad natalitias dapes venias. MOR. Alypi, quis gravate? dic quando? quo? cujus? ALYP. Mi Morestelle, non ad dapes, verum ad diem cultumquem natalem vocaris, celebritatem expositurus. MOR. Et sic me

*Expectata seges vanis elusit avenis?*

Nihilominus aspectu & cogitatu pulchram imaginem proponis, quam delineabo. ALYP. Expedi. MOR. * Ubique fere gentium, dies cuique natalitii singulari cærimonia, & hilaritate, sacrisque, cum festa celebritate solemnique convivio agitabantur, solis Thracibus exceptis, qui diem natalem lachrymis prosequebantur, ut est in quodam Archiæ epigrammate *. De cœnis natalibus Plautus:

(* Dies natalis ab omnibus fere celebrabatur. * Θρήικες αἰνοῦσα &c.)

——— *hoc age, accumbe,*
*Nunc diem suavem meum Natalem inter nos*
*Agi emus amœnum.*
*Date illi aquam manibus, opponite mensam.*

Et Juvenal. * (* Sat. 12.)

*Moris erat quondam festis servare diebus,*
*Et natalitium cognatis ponere lardum,*
*Accedente nova si quam dabat hostia carne.*

Et alibi: * (* Sat. 12.)

*Natali, Corvine, die mihi dulcior hæc lux.*

Cicero: * *Hodie non descendit Antonius. cur? dat natalitia in hortis.* Martialis: * (* Phil. 2. * Lib. 7.)

*Ad natalitias dapes vocabor.*

Virgilius: * (* Eclog. 3.)

*Phyllida mitte mihi, meus est natalis Jola.*

Natalis siquidem dies voluptarius & genialis est, ideo cum lætitia transigendus. Tibullus: * (* Lib. 1. Eleg. 7.)

*At tu natalis multos celebrande per annos,*
*Candidior semper, candidiorque veni.*
*Transeat hic sine nube dies, stent aere venti,*
*Ponat & in sicco molliter unda minas.*
*Aspiciam nullos hodierna luce dolentes,*
*Et Niobæ lachrymas supprimat ipse lapis.*
*Halcyonum positis requiescant ora querelis,*
*Increpet absumptum nec sua mater Itym.*

[* Sat. 2.] Persius: *

*Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,*
*Qui tibi labentes apponit candidus annos.*
*Funde merum Genio.*

[* In Pseudolo.] Plautus: * *Mihi hodie natalis dies est, decet eum omnes vos concelebrare.* Apud eundem:

*—— sed num quo foras*
*Vocatus es ad cœnam? P. Nusquam equidem quod sciam.*
*Sed quid tu id quæris? H. Quia mihi natalis est dies,*
*Propterea te vocarier ad cœnam volo.*

Idem Mart. * [* Lib. 8. ep 60. in Clytum.]

*Ut poscas, Clyte, munus, exigasque,*
*Uno nasceris octies in anno,*
*Et solus, puto tresve, quatuorve*
*Non natalitias habes kalendas.*

Et paucis interjectis:

*Tu nobis, Clyte, jam senex videris.*
*Tam multos quis enim fuisse credat*
*Natales Priamive, Nestorisve?*
*Sit tandem pudor, & modus rapinis.*
*Quod si ludis adhuc, semelque nasci*
*Uno jam tibi non sat est in anno,*
*Natum te, Clyte, nec semel putabo.*

Poeta impudentiam hominis arguit, & monet, ut semel agat genethliaca, alioqui se nihil missurum; sed neglecturum, perinde ac si natus non fuisset unquam. Impudentiam ajo; nam Clytus ille, ut sæpius ab amicis natalitia munera reciperet, fere quot kalendis celebrabat suum natalem. Quid aliud quæris Alypi? ALYP. * Cærimonias ac ritus, quibus diem Natalem ditiores peragebant. MOR. Ovidius * prodit bella prosopopeja, qua Natalem ipsum alloquitur. ALYP. Subjunge versus MOR. Subjungo.

[* Cærimoniæ quibus diem natalem ditiores peragebant.] [* Lib. 3. Trist. Eleg. 13.]

*Scilicet exhectas solitum tibi moris honorem,*
*Pendeat ex humeris vestis ut alba meis.*
*Fumida cingatur florentibus ara coronis,*
*Micaque solenni thuris in igne sonet.*
*Libaque dem pro te genitale notantia tempus,*
*Concipiamque bonas ore favente preces.*

Hos igitur dies sacris veteres celebrabant, eoque die sanguinem non fundebant, dona missitabant, Mart. * [* Lib. 8. epist. 7.]

*Certent muneribus beatiores.*

[* Jovem in sacris ejusdem colebant.] ALYP. * Quos Natales Deos colebant? MOR. Jovem, quem sæpius Poetæ Græci Γενέθλιον id est, natalitium: sic dictum, quod ei incumbat cura gignendorum liberorum. * Secundo Junonem, de qua Tibullus: * [* Item Junonem.] [* Lib. 4.]

*Natalis Juno, sanctos cape thuris honores,*
*Quos tibi dat tenera docta puella manu.*

[* Genium.] Tertio * Genium, de quo idem,

*Magne Geni, cape thura libens, votisque faveto.*

Et mox.

*At tu Natalis quoniam Deus omnia sentis.*

Veteres quoque * Christianos diem Natalem cum sacrificio solemnem exigere consuevisse, testatur ut vetustissimus, sic eruditissimus Tertul. * *Oblationes*, inquit, *pro defunctis, pro natalitiis annua die fecimus.* * Hoc idcirco toleratum aliquandiu ab Ecclesia, quod cum fere jam provecta ætate homines ad Christianismum e Paganismo transirent, necessarium est visum in multis convenire. Orig. scribit: *Animadvertimus homines, quæ mutatio facta sit in hominibus. Nam priores diem nativitatis celebrabant, unam vitam diligentes, & aliam post hanc non sperantes: nunc vero nos, non nativitatis diem celebramus, cum sit dolorum atque tentationum introitus: sed mortis diem celebramus, utpote omnium dolorum depositionem, atque omnium tentationum effugationem. Illi enim qui mori videntur mundo, vivunt & nascuntur Deo, propterea & memorias sanctorum facimus & parentum nostrorum, vel amicorum in fide morientium devote memoriam agimus.* Hæc ita Orig. ALYP. Verane undique verba, *Priores diem nativitatis celebrabant; nunc vero nos non nativitatis diem, sed mortis?* MOR. * Undique sane, si Virginis Deiparæ, divique Joannis Baptistæ dies natales demas, qui cum sancti sint, ut digladiantur Theologi, merito celebrantur Eclesiæ more.

[* Veteres Christiani diem natalem etiam coluerunt.] [* Lib de Corona militis.] [* Cur toleratum ab Ecclesia.] [* Lib. 3. in Job super illo, Pereat dies, qua natus sum.] [Jam dies tantum natales D. Jo. Bapt. & Vir. Mar. celebramus.]

## DIALOGUS XVI.

### ALYP.

Diebus natalibus succedat successio. MOR. Quid alia luce opum? Ipsum est succedendi opus.

## DIALOGUS XVII.

### DE PRIVATIS FERIIS.

ALYP. Duc primas lineas. MOR. Privatæ sunt

vel
- Familiarum
  - Claudiæ,
  - Juliæ.
  - Æmiliæ, &c.
- Singulorum
  - Natalium.
  - Fulgurum susceptiones.
  - Funerum.
  - Expiationum.

A capite ad calcem rem totam significabo.

## DIALOGUS XVIII

### DE FAMILIIS GENERATIM.

*Quid Familiæ appellatione intelligatur. Famelia scriptum per e, & a quo.*

Quid familiæ appellatione significetur. Ver. Famelia a quo.

FAmiliæ appellatione, tam liberi, quam servi utriusque sexus exprimuntur, unius quem patrem-familias vocamus, juri subjecti. *Fameliam* * vocabulum apud antiquissimos scriptum reperio per *e* literam, tantumque dictum de servis. ALYP. A quo? MOR. A *famel* Osca dictione, qua illi servum appellabant: post hoc *e* in *i* commutatum est. Qua voce Varronis ætate servi indicabantur. Festus: * *Si ab fundo longius absunt oppida aut vici, fabros parent quos habeant in villa: sic necessarios artifices, ne de fundo familia ab opere discedat, ac profestis diebus ambulet.* Attamen paulatim invaluit mos, ut etiam liberi familiæ nomine, & quicumque sub unius Patris-familias jure viverent, comprehenderentur. Postea ad eos quoque translatum est, qui ex eadem sunt cognatione, ut Cæsarum familia, Scipionum. Suet. * *Ex gente Domitia duæ familiæ claruerunt, Corvinorum & Ænobarborum.*

* Lib. 1. cap. 16.

* In Nerone.

## DIALOGUS XIX.

### DE FAMILIIS PARTICULATIM, ET PRIMO DE CLAUDIA.

*A quo nomen acceperit. Ex hac familia fuit Appius Claud. Cæcus, qui sua sententia obtinuit Pyrrhum non esse intra urbem recipiendum. Ejus oratio ad Senatum. Nerones etiam ex hac familia: hujus nominis origo. Claudius Nero. Drusi. Appius Claud. Regill. Claud. Appius Caudex.*

A quo nomen acceperit.

PEr familias lubet ire, & primo Claudiam. Hæc nomen accepit ab Appio Clauso Sabino, qui post exactos Reges, cum quinque millibus clientum Romam venit, partemque urbis habitandam accepit. * Ex hac familia fuisse Appium Claudium Cæcum reperio, qui viam Appiam stravit, & aquam Appiam in urbem duxit, * Pyrrhumque intra urbem non esse recipiendum sua sententia obtinuit. Cicero: *a Ad Appii Claudii senectutem accedebat etiam, ut cæcus esset. tamen is cum sententia Senatus inclinaret ad pacem, & fœdus faciendum cum Pyrrho, non dubitavit dicere illa quæ versibus persecutus est Ennius,*

* Ex hac familia fuit Appius Claud. Cæcus.
* Sua sententia obtinuit Pyrrhum non esse intra Urbem recipiendum.

*Quo vobis mentes, rectæ quæ stare solebant*
*Antehac, dementi sese flexere ruina?*

*cæteraque gravissime. Notum enim vobis carmen est, & tamen ipsius Appii extat oratio:* ALYP. Utinam orationis argumentum spectandum dares. MOR. Dabit Plutarchus *: * *Antea, Patres Conscripti, hanc meam oculorum valetudinem permoleste ferebam, nunc autem doleo, atque angor, quod non ultra cæcitatem etiam surdus sim, ne istas vestras turpes consultationes atque sententias, quæ hujus urbis gloriam subvertunt, audire compellerer. Ubi est enim illa jactantia, quam crebro verbis usurpare soletis, affirmantes, si magnus Alexander in Italiam profectus nobiscum adolescentibus, aut cum Patribus nostris tunc florentibus conseruisset bellum, nequaquam eum nunc, ut invictum gloriam habiturum: sed aut fuga, aut morte sua majorem huic urbi gloriam, nomenque reliquisset. Hanc igitur insolentiam verborum nunc rebus ostendite. Chaones & Molossos qui semper Macedonum præda fuere, & Pyrrhum Regem eorum formidatis, qui unum ex Alexandri satellitibus, semper secutus est, ac coluit: & nunc non magis Tarentinis auxilium ferens, quam hostes domi fugiens, in Italia versatur: ausus profiteri principatum in Italia cum hac potentia, quæ ad parvam Macedoniæ partem conservandam sufficere non valuit. Non itaque hunc removebitis, si amicum feceritis per contemptum nostri, quasi superare nos facile sit.* ALYP. Fac istius familiæ notos alios. MOR. * Ex hac Nerones originem traxerunt. Nam Nerones, Sabinorum lingua, fortes & strenui dicuntur, qualis erat Claudiorum & Sabinorum familia. ALYP. A quibus nomen acceptum? MOR. * A Græcis, qui vincula & firmamentum membrorum νόβρα, dicunt. In eadem fuit * Claudius ille Nero, qui Asdrubalem Annibali fratri suppetias ferentem, invectis cum Livio collega copiis, acie superavit. ALYP. Drusos * fuisse auguror. MOR. Bene; nam apud Tranquillum: * *Drusi cognominati a Claudio Druso, qui occiso Druso Gallorum Duce, primus sibi & posteris hoc cognomen indidit.* Gradum promoveo ad Appium * Claudium Regillianum, unum ex Decemviris legibus scribendis creatis, summa inter Collegas auctoritate, qui post multa impetiose & crudeliter gesta, tandem Virginiæ amore captus, submisso quodam ex Libertorum numero nomine Clodio, in servitutem eam asserere est conatus: id intellexit pater, accurrit e militia, exiguum colloquendi cum filia spatium petit, eam paululum extra turbam abductam, non invitam interfecit. ALYP. Cur? MOR. Cæteroqui libertatem adversus Decemviri libidinem tueri non potuisset. hoc audito in carcerem Decemvir conjectus sibi manus attulit violentas. * Præter hoc Claudius Appius, Caudex cognominatus: hic enim Romanis caudices secandi primus auctor, classisque conficiendæ. Quid? Carthaginenses Messana, Siciliæ urbe expulit: Hieronem prælio victum apud Syracusas, in deditionem accepit.

* In vitâ Pyrrhi.
* Ejus oratio ad Senatum.
* Nerones etiam ex hac familia.
* Nominis origo.
* Etiam Claudius Nero.
* Drusi.
* In Claudio.
* Appius Claudius Regill.
* Claudius Appius Caudex.

## DIALOGUS XX.

### DE ÆMILIA.

*Æmilia familia Romæ illustris. Quinam dicantur Patricii. Quis primus nomen huic familiæ reliquerit. Paulus Æmilius. Q. Æmilius Lepidus. Æmilius Scaurus. Qui scribi debeat hæc vox Æmilius.*

ÆMiliam gentem, * familiam fuisse Romæ imprimis illustrem scimus. Plutarch. * *Æmiliorum in urbe Roma, patriciam sane, ac vetustam fuisse plurimi tradunt.* ALYP. In Patriciis subside. MOR. Patricii Senatorum progenies. ALYP. Numquid qui a primis Senatoribus oriundi? MOR.

* Familia Romæ illustris.
* In vita Pauli Æmil.

Hoc pol credas necessum. Livius: * *Romulus centum creat Senatores, qui Patres ab honore: Patricii quoque progenies eorum appellati*: ALYP. Ne isthic mane: sed dic, quis primus Æmiliæ familiæ nomen reliquerit. MOR Mamercus * Pythagoræ Philosophi filius, qui ob singularem morum comitatem, sermonisque leporem, quem Græci αἱμυλίαν dicunt, Æmylos est cognominatus. Plutarchus: * *Ab illo autem & Æmyliorum familiam admistam Patriciis nominatam ferunt: sic Rege blandiloquio illius viri quod Æmiliam vocat, & in dicendo gratiæ arridente, atque amplexante*. * Ex hac familia fuit Paulus ille Æmilius, qui in consulatu suo Persen Macedonum Regem bello vicit, captumque in triumpho duxit. Huic * Q. Æmilius Lepidus addatur, qui cum cubiculo egredi pararet, nihil mali sentiens, offenso ad limen pollice, repente obiit. Plin. * *Quintus Æmilius Lepidus jam egrediens incusso pollice limini cubiculi, obiit*. Recordor * Æmilii Scauri, hominis factiosi & subdoli, de quo Sallust. * ALYP. Nihil aliud adhibes? MOR. Quid plura? de re? nomine? ALYP. De ultimo: * qui scilicet scribi debeat Æmilius. MOR. Malunt quidam y, in antepenultima; nominis enim referunt initium ad Mamercum, ut diximus, qui Æmylos est cognominatus, ἀπὸ τ αἱμυλίας. Animadvertunt tamen alii a Græcis ipsis, præcipue Onomasticis, per ι scribi αἰμιλίας vocabulum. Hæc habui, Alypi, de duabus primis familiis: quid nunc? ALYP. In alias ire licebit. MOR. At quæ utilitas hoc suadet?

* Lib. 1.
* Mamercus nomen reliquit
* In vita Numæ Pomp.
* Paulus Æmilius.
* Q. Æmil Lepidus.
* Lib. 7. c. 53.
* Æmilius Scaurus
* In Jugurt.
* Qui scribi debeat Æmilius.

## DIALOGUS XXI.

*De singulorum feriis, natalibus, fulgurum susceptionibus relictis, cum expiationibus, tum funeribus, & cur.*

DE natalibus dictum, cum generatim, tum particulatim, * nonnulla de fulguribus audi. ALYP. Summe cupio. MOR. * Fulgur est lux illa, seu vibratio fulminis, quæ ante cernitur, quam tonitrum audiatur, quum simul fieri asserant Philosophi. Plin. * *Fulgetrum prius cerni, quam tonitrum audiri (cum simul fiant) certum est: nec mirum, quoniam lux sonitu velocior est*. ALYP. * Qui differt a fulmine? MOR. Quia fulmen est ignis a nube vibratus, fulgur ignis nube inclusus: unde domum fulmine accensam dicimus, non fulgure. Est enim fulgur nihil aliud quam splendor ipsius fulminis: fulmen ipsum telum. Ovid. de fulmine:

* Dial. xv.
* Quid fulgur.
* Lib. 2. c. 54.
* Ex Sen. lib. 2. Nat qua.
* Qui differat a fulmine.

*Unde solet tonitrus, & fulmina mittere terris.*

Lucret. * 

* Lib. 5.

*Sunt tempestates & fulmina clara canenda.*

De fulgure Stat. *

* 4. Theb.

*Quæque ipse micantia sensi fulgura.*

Ajunt Naturalium causarum scrutatores, fulgura ex nubium collisione generari, in morem silicum duriorum, quos cum comploseris sibi, medius ex his ignis extritus elabitur, atque ita cum fulgure pariter & tonitrua mugire, tonitrum scilicet sonitu indicante, & fulgura excussi luminis claritate. Discrimen intelligis fulminum a fulguribus. * In horum susceptionibus feriæ a singulis observabantur, in quibus * Fulgoram colebant ex August. * Et hoc ne fulmina fierent, quemadmodum & * Populoniam, ne populationes *. Supersunt expiationes & funera, mi Alypi, quæ paucis aperiri non possunt, ideo in peculiarem tractatum reservamus. ALYP. Satis dictum de feriis. amo te, ut par est maxime: obligatiorem enim me tibi reddidisti, quam ut nomen meum e tuo diario possim unquam expungere. MOR. Pro tantillo beneficio mihi tam accurate gratias agis, quasi non multo majora tibi debeam: precare tantum, ut bonis avibus hic feriarum libellus Typographiam adeat, melioribus redeat.

* Feriæ fulgurum.
* Fulgora
* L. 6. de Civit. Dei, cap. 10
* Populonia.
* Cur hic non agatur de funeribus, & expiationib.

# FINIS.

# JULIUS CÆSAR BULENGERUS
## JULIODUNENSIS
DE
# TRIBUTIS
AC
# VECTIGALIBUS
## POPULI ROMANI.

# INDEX CAPITUM.


CAP. I. *De Tributorum origine & necessitate.*
CAP. II. *De Tributo & Vectigali.*
CAP. III. *De Publicanis, & Vectigalium ac Tributorum exactoribus.*
CAP. IV. *De Agris vectigalibus.*
CAP. V. *De Agris Quaestoriis, & Assignatis.*
CAP. VI. *De Portorio.*
CAP. VII. *De Comitibus portus Romae & Ravennae.*
CAP. VIII. *De Decumis in genere.*
CAP. IX. *De Decumis frumenti.*
CAP. X. *De Invectione frumenti.*
CAP. XI. *De Scriptura.*
CAP. XII. *De Tributo & Censu.*
CAP. XIII. *De Census Magistro.*
CAP. XIV. *De Censu agendo.*
CAP. XV. *De Jugis & de Jugatione.*
CAP. XVI. *De novis Illationibus.*
CAP. XVII. *De Capitatione.*
CAP. XVIII. *De Indictionibus.*
CAP. XIX. *De Indulgentiis & Immunitatibus.*
CAP. XX. *De Superindictis & Augmentis.*
CAP. XXI. *De Salinis.*
CAP. XXII. *De Metallis & variis fodinis.*
CAP. XXIII. *De Forma exigendi vectigalis.*
CAP. XXIV. *De Consuetudinibus.*
CAP. XXV. *De Massa auri & augmento.*
CAP. XXVI. *De Vectigalibus Africae & Hispaniae.*
CAP. XXVII. *De Auro Coronario.*
CAP. XXVIII. *De Embolicis speciebus.*
CAP. XXIX. *De Oneribus variarum gentium.*
CAP. XXX. *De Speciebus adaerandis.*
CAP. XXXI. *De Diligentia Tributi exigendi.*
CAP. XXXII. *De Scriniis.*
CAP. XXXIII. *De Vectigali Macelli.*
CAP. XXXIV. *De Quinta, & Quadragesima, & Octava.*
CAP. XXXV. *De Decima Haereditatum.*
CAP. XXXVI. *De Semissibus & Trientibus.*
CAP. XXXVII. *De Vini Portorio.*
CAP. XXXVIII. *De Vectigali Lupanarium & Matrimonii.*
CAP. XXXIX. *De Vicesima eorum qui manumittentur.*
CAP. XL. *De Vicesima hereditatum.*
CAP. XLI. *De Vigesimaquinta Venalium mancipiorum.*
CAP. XLII. *De Quadragesima.*
CAP. XLIII. *De Quinquagesima.*
CAP. XLIV. *De Centesima rerum venalium.*
CAP. XLV. *De Vectigali urinae & stercoris & chrysargyri.*
CAP. XLVI. *De Octava libertorum.*
CAP. XLVII. *De Tributo Artificum.*
CAP. XLVIII. *De Vectigali e Fluminibus.*
CAP. XLIX. *De Vectigali Lupanarium.*
CAP. L. *De Aedilitio Vectigali.*
CAP. LI. *De Tributo in Mensem.*
CAP. LII. *De Tributo pro mortuis.*
CAP. LIII. *De Solario.*
CAP. LIV. *De Apostole.*
CAP. LV. *De Monopolio.*
CAP. LVI. *De Siliquatico.*
CAP. LVII. *De Siliqua & Canonicis solidis conductorum.*
CAP. LVIII. *De Follibus.*
CAP. LIX. *De Octava Mercium.*
CAP. LX. *De Quinquagesima pro feris & mercibus.*
CAP. LXI. *De Sextario.*
CAP. LXII. *De tributo Tertiarum.*
CAP. LXIII. *De Tyrocinio & Chrysotelea.*
CAP. LXIV. *De Tributis Illyrici, Achajae, & aliarum urbium.*
CAP. LXV. *De Metoecio & Enoecio.*
CAP. LXVI. *De Canone.*
CAP. LXVII. *De Gleba Senatorum.*
CAP. LXVIII. *De Oblationibus Senatorum.*
CAP. LXIX. *De Collatione Syriarchiae.*
CAP. LXX. *De Auro negotiatorio.*
CAP. LXXI. *De Vectigali ex Lacubus.*
CAP. LXXII. *De Piscina.*
CAP. LXXIII. *De Fisco.*
CAP. LXXIV. *De Vectigali fumi, umbrae, & aeris.*
CAP. LXXV. *De Exagio.*
CAP. LXXVI. *De Trientibus & Semissibus.*
CAP. LXXVII. *De Commerciis.*
CAP. LXXVIII. *De Pactis & Commerciis.*
CAP. LXXIX. *De Allelengyo & Chartiatico.*
CAP. LXXX. *De Mesarno.*
CAP. LXXXI. *De Pescesio.*
CAP. LXXXII. *De Metriatico.*
CAP. LXXXIII. *De Ergasteriaco, Capeliatico, & Metaxiatico.*
CAP. LXXXIV. *De Alemannico.*
CAP. LXXXV. *De Charatzio.*
CAP. LXXXVI. *De Campanistico, & aliis recentioribus vectigalibus.*
CAP. LXXXVII. *De Tributo ex vicis.*
CAP. LXXXVIII. *De τετραμοιρίᾳ & Xylachyro.*
CAP. LXXXIX. *De Ansario.*
CAP. XC. *De Servis vectigalibus.*
CAP. XCI. *De Tributo Isaurico.*
CAP. XCII. *De iis qui constituendi Vectigalia, aut locandi jus habuere.*
CAP. XCIII. *De Judicibus Vectigalium ac Tributorum.*
CAP. XCIV. *De Opibus aerarii Romani.*
CAP. XCV. *De Summa Vectigalium & Tributorum.*
CAP. XCVI. *De Tributis Regni Galliae.*
CAP. XCVII. *De Vectigalibus Regis Turcorum ex Chalcocondylae libro octavo.*


JULII

# JULIUS CÆSAR BULENGERUS JULIODUNENSIS DE TRIBUTIS AC VECTIGALIBUS POPULI ROMANI.

## CAP I.

### *De Tributorum origine, & necessitate.*

*Vectigalium origo & necessitas.*



Vectigalia, & tributa pæne cum regibus nata sunt. Nam & in Judæis, Assyriis, Medis, Ægyptiis, ubi primum reges exorti, protinus & vectigalia exorta, ut in sacris literis videre est, Genes. cap. 47. ubi regibus Ægypti pars quinta fructuum tributi nomine præstita narratur, quoniam neque quies sine armis, neque utrunque sine tributis haberi possunt, ut Livius lib. 1. Decimarum jus fuit regibus lib. 3. Regum cap. 5. in Judæa, Babylone, & Sicilia, ut Cic. in Ver. & Aristot. in Oeconom.

*Tributa regum originem præcessere.*

Imo & ante reges, si quæ Reip. forma ullo tempore fuit, sine vectigalibus esse non potuit, quibus belli pacisque munera sustinerentur. Aristot. lib. 1. Polit. c. 11. πολλαῖς γὰρ πόλεσι δεῖ χρηματισμοῦ, καὶ τοιούτων πόρων, ὥσπερ οἰκίᾳ, μᾶλλον δέ. *Nam multæ civitates pecuniis indigent, & hujusmodi quæstibus, quemadmodum domus, sed & magis*. Et lib. 8. c. 8. Διὸ κτήσεως μὲν δεῖ ταῖς πόλεσι, *opus est possessione urbibus*. πρῶτον μὲν οὖν ὑπάρχειν δεῖ τροφήν, ἔπειτα τέχνας, τρίτον δὲ ὅπλα, ἔτι χρημάτων τινὰ εὐπορίαν ὅπως ἔχωσι, καὶ πρὸς τὰς καθ' αὑτοὺς χρείας, καὶ πρὸς πολεμικάς. *Civitati primum oportet esse alimenta, postea artes, tertium arma, præterea pecuniarum habendarum facultatem, ad usus proprios, & ad bellum*.

*Ad quid instituta vectigalia.*

Vectigalia autem vel ad domesticos regiæ domus sumptus, vel ad exercitus, vel ad populum alendum, vel ad magistratus, & onera publica relata sunt. Novel. 39. Nulla alia de causa sunt vectigalia, πλὴν τῆς δημοσίου τῶν τε βασιλικῶν οἴκων ἡμῶν, καὶ εὐσεβεστάτης Αὐγούστης. *quam ob publicum, ob regem & reginam*. Babylon regi Persarum in singulos dies singulas argenti artabas admetiebatur, narrante Herodoto l. 1. Indi quartam fructuum partem regibus quotannis pendebant, ut Diodor. Sicul. lib. 1. c. 10. Cappadoces Persis quotannis

A super argentum, mille & quingentos equos, mulorum duo millia, ovium quinquaginta millia præstabant, auctore Strabone lib. 11. Aspendii Dario quinquaginta talenta, & equos teste Arriano lib. 1. de reb. Alexand. Medi duplo amplius quam Cappadoces Persis pensitabant, ut Strabo ibidem. Dario Jones, Magnetes, Æoles, Cares, Lycii, Melyenses, Pamphylii quadringenta argenti talenta, ut Herod. l. 3. Mysi, Lydi, Alysonii, Cabalii, Hygennenses quingenta argenti talenta. Phryges qui Asiam incolebant, Paphlagones, Mariandeni, & Syrii trecena & sexagena talen-
B ta, Herodot. ibidem. Erant Alexandro Magno annuo vectigali, & tributo triginta millia talentorum, auctore Justino. Herodot. lib. 1. Circa Babylonem canum Indicorum tanta vis alebatur, ut ad præbenda eis cibaria quatuor in eodem agro magni vici attributi essent, aliorum tributorum immunes. Sesostris Ægypti rex Æthiopes qui ad meridiem spectant, aggressus, victos acie tributum pendere coegit Ebenum, Aurum, & Elephantorum dentes. Herod. lib. 3. Diodor. Sicul. lib. 2. cap. 1. Plin. lib. 12. cap. 4. his verbis: *Herodotus Ebenum Æthiopiæ intelligi maluit, in*
C *tributi vicem regibus Persidis, e materie ejus centenas phalangas tertio quoque anno pensitasse Æthiopas, cum auro & ebore, prodendo*, Herodotus tamen ducenas phalangas posuit. Colchi centenos pueros pendebant, & totidem virgines reliquorum immunes, ut idem lib. 3. Leptis in Africa sub Romanorum imperio libera fuit, auctore Plin. lib. 5. cap. 4. Carthaginiensibus autem singula talenta in singulos dies pendebat. A Julio Cæsare tricies centenis millibus pondo olei in annos singulos mulctata est. Hirtius de bello Africo. Macedones ex effosso ære singula talenta in dies A-
D lexandro pensitarunt. Circa Philippos enim metalla erant, quorum ramenta crescunt dissecta, aurumque manifestum producunt, ut Aristot. lib. θαυμασίων ἀκουσμάτων. Herodotus vero de Persici regni vectigalibus agens subjungit, ἀπὸ δὲ Κιλίκων, ἵπποι τε λευκοὶ ἑξήκοντα, καὶ τριηκόσιοι, ἑκάστης ἡμέρας εἷς γινόμενος, καὶ τάλαντα ἀργυρίου πεντακόσια. Τούτων δὲ τεσσαράκοντα μὲν καὶ ἑκατὸν ἐς τὴν φρουρέουσαν ἵππον τὴν Κιλικίην χώρην ἀναισιμοῦτο, τὰ δὲ

τριακόσια καὶ ἑξήκοντα Δαρείῳ ἐφοίτα· τεμὸς τέταρτος. *A Cilicibus*, inquit, *equi albi sexaginta & trecenti, unus in singulos dies, & quingenta argenti talenta, ex quibus centum quadraginta in equites impendebantur, qui Ciliciæ præsidio erant, trecenta & sexaginta ad Darium redibant. Hæc fuit quarta portio.* Cætera petenda ex eod. Herodoti lib. 3. ubi omnia tributa & vectigalia numerantur, quæ regi Persarum pendi moris fuit. Magnesia Asiæ quotannis quinquagita talenta pependit Artaxerxi, auctore Thucyd. lib. 1. quæ Themistocli ad panem data est. Μαγνησίαν μὲν ἄρτον, ἣ προσέφερε πεντήκοντα τάλαντα τοῦ ἐνιαυτοῦ. Pæones regi suo duas auri glebas pensitarunt, quarum altera duorum, altera trium auri pondo esset, ut Arist. lib. mirabil. audit. Chersonesus Mithridati Eupatori modiorum 180. millia frumenti, cum ducentis argenteis, ait Strabo lib. 7. Cæsar Galliæ imperavit annuum H. S. *quadringenties*, ut Sueton. & Eutropius lib. 6. cap. 6. id est, millionem unum. Lipsius legendum putat *quater millies* H. S. id est, decem milliones. Sed e Galliis diuturno bello exhaustis id temporis tantum vectigalis refici potuisse credibile non est. Vulgata igitur lectio non movenda.

*De vectigalibus Græcorum.*

In Græcia non omnes pari vectigalium onere premebantur, ut Thucydides lib. 7. Μηθυμναῖοι μὲν ναυσὶ, καὶ οὐ φόρῳ ὑπήκοοι, Τενέδιοι δὲ καὶ Αἴνιοι ὑποτελεῖς. Χῖοι οὐχ ὑποτελεῖς ὄντες φόρου, ναῦς δὲ παρέχοντες αὐτόνομοι. *Methymnæi quidem naves, non tributum pendebant. Tenedii & Ænii vectigales erant. Chii tributorum immunes, navibus tantum præstandis obnoxii, cætera liberi.* lib. 4. καὶ κυθηροδίκης ἀρχὴ ἐκ τῆς Σπάρτης διέβαινεν αὐτόσε κατ' ἔτος. *E Sparta quotannis ad Cytheram transibat magistratus juri dicundo.* Strabo lib. 8. Lacones præter amicorum ministeria nihil aliud contulerunt. Denique nulla pæne gens unquam fuit, quæ regibus suis & magistratibus tributa de publico non solverit. Tacitus lib. 13. Crebris populi flagitationibus immodestiam publicanorum arguentis dubitavit Nero, an cuncta vectigalia omitti juberet, idque pulcherrimum donum generi mortalium daret. Sed impetum ejus multum prius laudata magnitudine animi attinuere Senatores, dissolutionem imperii dicendo, si fructus, quibus Respublica sustineretur, deminuerentur. Quippe sublatis portoriis sequens, ut tributorum abolitio expostularetur. Plerasque vectigalium societatis constitutas, acri etiam populi Rom. tum libertate. Reliqua mox ita provisa ut ratio quæstuum, & necessitas erogationum inter se congruerent. Erogationes illæ maxime in milites, quibus suæ συντάξεις solutæ. Procopius lib. 2. Persic. Milites ἐπικαλοῦντες ὅτι δὴ τὰς συντάξεις χρόνου μακροῦ σφισι τὸ δημόσιον ὠφλεῖ, *Conquesti quod illis publicum stipendia multorum annorum deberet.* Ita & Gubazes dicebat apud Agathiam, ὅτι καὶ οἱ αὐτῷ δημόσιον τὰς συντάξεις ὀφείλει ἐνιαυτῶν δέκα, *publicum sibi debere salarium decem annorum*, id est, Remp.

## CAP. II.

### *De Tributo & Vectigali.*

*Tributum unde dictum.*

TRibutum appellatur ab intributione, vel ex eo quod militibus tribuebatur, ait Ulpian. *l. ager*, D. de verb. signific. Varro lib. 4. de ling. Lat. *Tributum initio pecunia ea quæ populo imperabatur appellata est, sive quod tributim a singulis pro portione census exigeretur.* Cives enim in tribu sua tributum conferebant, imo & in classe, & in centuria sua, quia classes tribuum quodammodo partes erant, centuriæ partes classium, ut Liv. lib. 1. Unde Asconius, *Censores*, inquit, *cives sic notabant, ut qui plebejus esset, in Cæritum tabulas referretur, & ærarius fieret, ac per hoc non esset in albo centuriæ suæ, sed ad hoc esset civis tantummodo, ut pro capite suo tributi nomine æra penderet.* Tributa certe fere caput tangebant, ut pro capite suo quisque æs penderet, licet onera fructuum fuerint lib. 13. D. de impens. in reb. dot. fact. & lib. 7. D. de dup. & vectigal.

*Stipendium unde dicatur & quid sit.*

Stipendium ut plerumque pro tributo capitis accipitur. Tertul. in apologet. *Hominum*, inquit, *capita stipendio censa.* Ulpian. *l. ager.* D. de verb. signific. *Stipendium, quia per stipes, id est, modica æra colligitur.* Isidor. lib. cap. 17. *a stipe pendenda.* Plin. lib. 33. cap. 3. *quia & militum stipendiorum, hoc est, stipis ponderandæ pensatores libripendes dicuntur.* Dio lib. 52. tributum onus fructuum esse indicat, φόρον ἐπιτάξαι πᾶσιν ἁπλῶς, τοῖς ἐπικαρπίαν τινὰ τῷ κεκτημένῳ αὐτὰ παρέχουσι, *tributum indicere oportet*, ait Mecænas, *omnibus simpliciter agris qui præbent fructus possidentibus.* Phavorinus: Φόρος κυρίως τὸ ὑπὲρ τῆς ἰδίας εἰσφερόμενος γῆς. Τέλος δὲ ὑπὲρ τῆς ἐμπορίας συντέλεια. *Tributum proprie quod infertur pro agris, vectigal quod penditur pro negotiatione mercium.* Vocatur & munus Symmacho lib. 6. ep. 10. *Tabulariis liberum est alios a dispendio vindicare, aliis indebitum munus imponere.* Munus enim pro onere interdum sumitur & tributo. Unde *munifici* dicuntur tributarii.

*Munus pro onere.*

Symmach lib. 5. ep. 87. *Grave est enim nos quidem pro agris nostris functionibus publicis esse munificos.* lib. 6. Cod. Theodos. de scenicis. *Largitionibus nostris cogatur esse munificus* lib. 4. eod. C. de excusat. artif. cum tributis munificos, & *jus munificum* pro tributo quod fisco penditur lib. 9. & 16. de indulgent. debitor. eodem. Sed & *vectigal* pro tributo usurpatur. Vetus gl. Τέλος ἐτήσιος τοῖς βασιλεῦσι διδόμενος φόρος. *Vectigal est tributum annuum quod regibus penditur.* Festus: *Vectigal æs dicitur quod ob tributum, & stipendium, & equestre, & ordinarium populo debetur.* Unde & ærarios dixere, qui tribu moti æs penderent. D. lib. 7. de publican. & vectigal. *In vectigalibus ipsa prædia, non personas conveniri oportet.* Itaque ἐν πλάτει vectigalia dicuntur, ex quibus fiscus aliquid accipit, cujusmodi sunt vectigalia portus, octavæ rerum venalium, salinarum, metallorum, picariarum, l. 17. de verb. signific. Vet. glossæ *stipendia*, τὰ ἐν ἐπαρχίαις κτήματα, *possessiones in provinciis* vocant.

*Tributum & stipendium proprie ex censu.*

Sed ut proprie loquamur, tributum, & stipendium, seu φόρος est ex censu. unde *vectigal stipendiarium* 1. & 5. in Verrem, & lib. 3. de legibus. *agri stipendiarii.* Idem in Verrem: *Siculi quotannis ex censu tributa conferunt.* Plinius *oppidum stipendiarium* dixit. Tributum item in caput, capitatio. Vectigal pro invectione, vel evectione mercium, portorium, τέλος, quod a publicanis exigebatur, non item tributum. Denique alii sunt agri vectigales, in quibus publicani, decumani, scripturarii; alia prædia tributaria, in

quibus nulli publicani, quædam ſtipendiaria l. 13. de impenſ. in re dot. fact. in hæc verba: *neque ſtipendium, neque tributum ob dotalem fundum præſtita exigere vir a muliere poteſt. Onus enim fructuum hæc impendia ſunt.* l. 46. §. *ut debitoribus*, D. de jure fiſci, ubi excipitur cauſſa tributaria, & ſtipendiorum.

Tributi & ſtipendii diſcrimen.

Quidam tributa eſſe putant, quæ quotannis provinciæ penderent; ſtipendia, quæ tantum ad belli ſubſidia præſtarentur. Inſtit. §. *per traditionem*. de rerum diviſ. Omnino ita ſtatuendum eſt, cum omnes provinciæ pop. Rom. excepta Italia, vectigales fuerint, unde jus Italicum, alias ſtipendiarias fuiſſe, quæ pop. Rom. attributæ ſunt, alias tributarias, quæ Cæſari. Theophilus lib. inſtit. tit. 1. ϛιπενδιάρια δὲ καὶ τριβουτάρια λέγεται τὰ ἐν ταῖς ἐπαρχίαις διακείμενα κτήματα βασιλικῇ κελεύσει ὑπὸ τοῦ δήμου κρατούμενα, &c. *Stipendiaria autem* (deleo καὶ τριβουτάρια, quia *tributaria* Cæſaris erant, non populi) *dicuntur prædia in provinciis ſita, quæ juſſu Imperatoris a populo tenerentur.* Olim quippe Imperator διεῖλε τὰς ἐπαρχίας, καὶ τὰς μὲν ἐκράτησεν αὐτὸς ἑαυτῷ, τὰς δὲ ἀφώρισε τῷ δήμῳ, καὶ αἱ τοῦ δήμου ἐκλήθησαν ϛιπενδιάριαι, &c. *diviſit provincias, & alias ſibi reſervavit, alias populo attribuit, quæ dictæ ſunt ſtipendiariæ, quia ſtips eſt argenti, & aliarum rerum minutatim facta collectio.* ἔρανος καὶ συλλογὴ κατὰ μικρὸν γινομένη. Provinciales enim pauca quædam ex ſuis rebus collecta mittebant ad populum, ut hæc in proprios uſus & voluptates impenderet. Provinciæ vero Principis dictæ ſunt tributariæ, quoniam tributum eſt grave vectigal, τὸ βαρὺ τέλος, ὅπερ ἐπέβαλε τοῖς οἰκείοις ἐπαρχιώταις ὁ βασιλεὺς, ὡς πολλὰ δαπανῶν περὶ τὴν ϛρατιωτῶν ἀποτροφὴν, *quod ſuis provincialibus Imperator indicebat, ut qui multa in milites impenderet.* Ubi animadvertes vocem ſtipendii, quod olim idem erat cum tributo, degeneraſſe a prima ſignificatione, & pro vectigali quod a publicani exigebatur, accipi. Ex quibus apparet Doctiſſimum Briſſonium allucinatum eſſe in libro de verb. ſignific. qui tributarias provincias eſſe putavit, quæ bello victæ tributa populo quotannis penderent; ſtipendiarias, quæ Cæſari ad belli ſubſidia relictæ eſſent. Theophilus tamen aliquid hoc loco peccat, qui ſtipendiariis provinciis levius onus quam tributariis, id eſt, proconſularibus, quam præſidialibus eſſe velit, cum Tacitus lib. 1. ſcribat Achajam & Macedoniam onera deprecantes, levatas proconſulari imperio, traditaſque Cæſari. Nec facit contra nos, quod Appianus lib. 5. Civil. ait, Aſiæ, quæ proconſulari imperio regebatur, certum non eſſe impoſitum ſtipendium, ſed pro anni copia, vel inopia uberius, aut anguſtius vectigal exactum. Quia in Aſia fuit Cenſoria locatio, ut Cic. in Verrem, & publicanorum vexatio, ut docet Dio lib. 42 ubi enim Publicani fuere, ibi durius actum eſt cum Provincialibus. Quod ut plenius intelligatur, tenendum ex Strabone lib. 17. ſub finem, & Dione, lib. 35. Auguſtum provincias pacatas proconſulari imperio regi voluiſſe, quas populo attribuerit; feroces vero & impacatas, quæ armis tenendæ eſſent, ſibi retinuiſſe, in quas præſides & legatos miſerit. Proconſulares poſtea ſtipendiariæ dictæ in quibus Publicani graſſabantur, & ideo gravi onere preſſæ. Præſidiales, ſeu tributariæ, a Publicanorum vexatione liberæ erant cum tributa in caput & ex cenſu penderent

Dio. lib. 53. Ἀλλὰ τὰ μὲν ἀσθενέϛερα, ὡς καὶ εἰρηναῖα, καὶ ἀπόλεμα τῷ δήμῳ ἀπέδωκε. Τὰ δὲ ἰσχυρότερα ὡς καὶ σφαλερὰ, καὶ ἐπικίνδυνα, καὶ ἤτοι πολεμίους τινὰς προσοίκους ἔχοντα, ἢ καὶ αὐτὰ καθ' ἑαυτὰ μέγα τι νεωτερίσαι δυνάμενα κατέσχε. Ἀνθυπάτους vocavit proconſules, qui in provincias populi mitterentur. In Cæſaris provincias qui mitterentur ἀντιϛρατήγους καὶ πρεσβευτὰς, proprætores, præſides, legatos, vocari voluit, κἂν ἐκ τῶν ὑπατευκότων ὦσι, *licet aliquando conſules fuiſſent.* Subjungit deinde miſſos procuratores ab Auguſto in utraſque provincias & Cæſaris & populi, qui communes reditus exigerent, & ipſi definitum & certum ſalarium acciperent, niſi in quantum proconſules exigerent pecunias ab iis quibus præerant. Καὶ τοὺς ἐπιτρόπους, οὕτω γὰρ τοὺς τάς τε κοινὰς προσόδους ἐκλέγοντας, καὶ προστεταγμένα σφίσιν ἀναλίσκοντας ὀνομάζομεν, ἐς πάντα ὁμοίως τὰ ἔθνη, τά τε ἑαυτοῦ δὴ, καὶ τὰ τοῦ δήμου, τοὺς μὲν ἐκ τῶν ἱππέων, τοὺς δὲ καὶ ἐκ τῶν ἀπελευθέρων πέμποι, πλὴν καθ' ὅσον τοὺς φόρους οἱ ἀνθύπατοι παρ' ὧν ἂν ἄρχουσιν ἐσπράσσουσι. Quod & lib. 54. his verbis oſtendit: Καὶ ἐς τὴν Ἀσίαν κομισθεὶς, πάντα τὰ ἐκεῖ καὶ ἐν τῇ Βιθυνίᾳ διέταξεν, οὐχ ὅτι τοῦ δήμου, καὶ ταῦτα τὰ πρότερα ἐδόκει εἶναι ἐν ὀλιγωρίᾳ αὐτὰ ποιησάμενος, ἀλλὰ καὶ πάνυ πάντων σφῶν, ὡς καὶ ἑαυτοῦ ὄντων ἐπιμεληθείς. Τά τε γὰρ ἄλλα ὅσα περ καὶ προσῆκον ἦν ἐπανώρθωσε, καὶ χρήματα τοῖς μὲν ἐπέδωκε, τοῖς δὲ ὑπὲρ τὸν φόρον ἐσενεγκεῖν προσέταξε. *Et cum in Aſiam veniſſet omnia ibi, & in Bithynia conſtituit, non negligens eas provincias quia populi erant, ſed omnium illarum curam gerens, ut quæ ejus eſſent. Nam omnia ut conveniebat, emendavit, & pecunias aliis largitus eſt, aliis etiam ultra tributum novas imperavit.* Dio lib. 53. Provincias populi κλήρῳ, & ſuffragiis populi datas proconſulibus, ait, quos ἄρχοντας κληρωτοὺς vocat; præſides a Cæſare lectos ἄρχοντας αἱρετούς. Certe melius actum eſt cum provinciis tributariis, quam cum iis in quibus publicani eſſent. Dio lib. 42. ſcribit Julium Cæſarem cum victo Pompejo Aſiam luſtraret, publicanos qui acerbiſſimi in Aſiaticos fuerant, removiſſe, & in tributi collatione id quod ex vectigalibus redibat, commutaſſe. Τοὺς τελώνας πικρότατά σφισι χρωμένους ἀπαλλάξας, εἰς φόρου συντέλειαν τὸ συμβαῖνον ἐκ τῶν τελῶν κατεϛήσατο. Sed ut redeamus ad vectigalia. Tertull. lib. de fuga, cenſus, vectigalia, collationes, ſtipendia nominat. Græci προσόδους vocant. Herodianus lib. 3. προσόδοις τοῖς ἀπὸ θαλάσσης τελῶν τε καὶ ἁλιείας μεγάλως ὠφελεῖτο. *reditibus e mari, vectigalium, & piſcationis, plurimum juvabatur.* Heſychius γάζαν τοὺς ἐκ τῶν πόλεων φερομένους φόρους vocat *gazam tributa ex urbibus illata.* Thucyd. lib. 1. εἰ μὴ τὰς προσόδους ἀφαιρήσομεν, ἀφ' ὧν τὸ ναυτικὸν τρέφουσι, *niſi reditus ademerimus, quibus navales copias alunt.* Apud Juriſconſultos, cenſus, collecta, indictum, indictio, publica functio, collatio, munus pro tributo l. 18. D. de verb. ſignif. & l. *munus* eod. tit. *munus proprie eſt quod neceſſario ſubimus lege, more, imperiove ejus qui jubendi habet poteſtatem.* A voce φόροι dicuntur quidam reges ὑπόφοροι, *tributarii*, ἀγροὶ ἀφορολόγητοι, *agri non tributarii*, φορολόγητοι, ὑποτελεῖς, λειτουργοὶ, *vectigales agri, tributarii, munifices.*

Munus.

## CAP. III.

### *De Publicanis, & Vectigalium ac Tributorum exactoribus.*

*Pecuniæ Reip. nervi censentur.*

REipublicæ nervi pecuniæ publicæ semper habitæ sunt, Cicerone teste pro lege Manil. sine quibus ut debile corpus sese commovere, ac munere fungi non potest. Imo si Aristodemus Laco audiendus est, χρήματ᾽ ἀνὴρ, πενιχρὸς δὲ οὐδεὶς πέλεται ἐσθλὸς, οὐδὲ τίμιος. *Pecuniæ virum faciunt, nemo pauper bonus, aut alicujus pretii est.* Septem sapientes rogati super ea re dixerunt, τ᾽ ἀργυρεῖόν ἐστι αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς, ὅστις δὲ μὴ ἔχει τοῦτο, οὗτος μετὰ ζώντων τεθνηκὼς περιπατεῖ. *Argentum est sanguis & anima hominibus, quo qui caret, mortuus inter vivos ambulat*, quia βίος βίου δεόμενος, οὐκ ἔστι βίος, *Vita victu egens vitalis non est.* Apollo Philippo, Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα νικήσεις. *Argenteis hastis pugna, & omnia commovebis.* Ipsa etiam municipia ut se tueantur, arcam communem habere debent. l. 1. D. Quod cujus. univers. Ideo Senatus apud Cornelium Tacit. lib. 13. Annal. cap. 12. Neronem vectigalia omnia remittere volentem prohibuit, & dissolutum iri Imperium ostendit, si fructus imminuerentur, quibus Respub. sustineretur. Onera enim imperii, ait Plinius, ut pro utilitate publica tributa institui singulorum injuriis coegerunt. Sunt enim pleraque in repub. quæ præsentem pecuniam desiderant, ut onera belli, oppidorum munitiones, annonæ, & alia pleraque. Ideoque sæpe factum, ut etiam privati res suas in publicum contulerint, ut Reipublicæ onera levarent, ait Livius libr. 24. quare & vectigalia publica auctoritate institui, & vectigalium exactores necesse fuit.

*Publicani & Tributorum exactores odio fuere plebi.*

*Publicanos* tamen *& coactores tributorum*, quos Græci φορολόγους, καὶ φόρων ἐκλογεῖς, vocant, jam olim male audisse vulgatum est, quod plebeculæ oneri essent. Salvianus libr. 1. ad Eccles Catholic. Plurimi proscribuntur a paucis, quibus exactio publica peculiaris est præda, qui fiscalis debiti titulos faciunt quæstus esse privatos, & hoc non summi tantum, sed & infimi, non judices tantum, sed & judicibus obsequentes. Quot curiales sunt, tot tyranni sunt. Suidas: διαβέβλητο δὲ παρὰ τοῖς παλαιοῖς τὸ τοῦ τελώνου ὄνομα. Id est, *male audiebat olim publicani nomen*, quia supra legitimum statumque vectigalium modum exigebant, quod tamen ab Augusto vetitum ostendit Dio lib. 53. ἐκεῖνα δὲ ἐπὶ πᾶσι ὁμοίως ἐνομοθετήθη, μήτε καταλόγους σφᾶς ποιεῖσθαι, μήτε ἀργύριον ἔξω τοῦ τεταγμένου εἰσπράσσειν. *Illud imprimis cavit, ne cogerent exercitus proconsules, neve argentum supra modum qui definitus erat, exigerent, nisi Imperator, aut Senatus censuisset.* Ideo salarium certum iis qui vectigalia exigebant, attribuit Augustus, cum olim suis sumptibus omnia efficerent quæ sui muneris erant Τὸ μὲν γὰρ πάλαι ἐργολαβοῦντές τινες παρὰ τοῦ δημοσίου πάντα σφίσι τὰ πρὸς ἀρχὴν φέροντα παρεῖχον. Ἐπὶ δὲ δὴ τοῦ Καίσαρος πρῶτον αὐτοὶ ἐκεῖνοι τακτὸν λαμβάνειν ἤρξαντο. lib. 54. Licinius quidam συχνὰ μὲν καὶ πρὸ τὰ ἀναγκαῖα τοῦ πρὸς τεταγμένης οἱ διακονίας ἐξεπόριζε, συχνὰ δὲ καὶ ἑαυτῷ, τοῖς τε οἰκείοις παρεξέλεγε. *longe plura quam administrationis ejus ratio ferret exigebat, plura sibi, domesticisque suis, relegebat.* Idem quia Gallia in singulos menses tributum aliquod pendebat, ut plura exigeret, quatuordecim menses efficere conatus est, Decembrem mensem vere decimum dictitans. Itaque duos quoque alios Augustos menses, undecimum & duodecimum a se vocatos constituit, & eo nomine pecuniam exegit. Sed cum repetundarum postulatus esset, Augusto sua omnia donavit. Ὥστε ἐπειδάν τινες εἰσφοραὶ κατὰ μῆνα παρ᾽ αὐτοῖς ἐγίγνοντο, τεσσαρεσκαίδεκα αὐτὰς ποιῆσαι, &c. Usque adeo jactata est publicanorum acerbitas, ut Xeno de Oropiis scripserit;

> Πάντες τελῶναι, πάντες εἰσὶν ἅρπαγες,
> Κακὸν τέλος γένοιτο τοῖς Ὠροπίοις.

Id est, *omnes sunt publicani, omnes raptores, male pereant omnes Oropii.* Basilic. serm. κατὰ τῶν τοκιζόντων. Ἑκατοστολόγοι, καὶ δεκατολόγοι τινὲς, φρικτὰ καὶ ἀνήκουστα ὀνόματα, μηνιαῖοι ἀπαιτηταὶ, ὥσπερ τὰς ἐπιληψίας ποιοῦντες δαίμονες, κατὰ τὰς περιόδους τῆς σελήνης ἐπιτιθέμενοι τοῖς πτωχοῖς. *Centesimarii & decimarii quidam, horrenda & vix audienda nomina menstrui exactores, ut dæmones qui morbos sonticos faciunt, per lunæ circuitus pauperibus insultante.* Chrysostomus: Τοὺς τελώνας βαρυνόμεθα, καὶ δυσχεραίνομεν, οὐκ ὅταν τὰ ἐμφανῆ τῶν εἰσαγομένων ἐκλέγωσι, ἀλλ᾽ ὅταν τὰ κεκρυμμένα ζητοῦντες ἐν ἀλλοτρίοις σκεύεσι, καὶ φορτίοις ἀναστρέφονται. *Publicani nobis molesti sunt, non cum vectigal colligunt ex iis mercibus quæ palam invehuntur, sed cum ea scrutantes quæ latent, in alienis vasis, & oneribus versantur.* Idem de Pœnitentia Achab. Τί γὰρ, τελώνου χεῖρον εἰπέ μοι; τῶν ἀλλοτρίων πόνων συμμεριστὴς, καὶ τὸν μὲν κάματον οὐκ ἐπιβλέπει, τὸ δὲ κέρδος συμμερίζεται. Οὐδὲν γὰρ ἄλλο ἐστὶ τελώνης, ἢ πεπαρρησιασμένη βία, ἔννομος ἁμαρτία, ἀπρόσωπος πλεονεξία. *Quid pejus Publicano dic mihi? alienarum calamitatum minister, & negotiator est, alienos labores partitur, & cum sudoris non sit particeps, lucrum ex alieno labore percipit. Nihil enim aliud est Publicanus, quam violentia licenter sæviens, legitima offensio, avaritia honesto prætextu.* Suidas: Τελῶναι ἀλλοτρίων πραγμάτων μερισταὶ, πεπαρρησιασμένη βία, ἀνεπιτίμητος ἁρπαγὴ, ἀναίσχυντος πλεονεξία, πραγματεία λόγον μὴ ἔχουσα, ἀναιδὴς ἐμπορία. *Publicanus alienorum negociorum particeps est, ac divisor, libera ac licita violentia, rapina impunita, avaritia impudens, negotiatio ratione carens, mercatura inverecunda.*

*Publicani generatim qui dicantur.*

Ut sit, Publicani in genere dicuntur mancipes, & redemptores publicorum vectigalium, sive sint decumani, sive scripturarii, sive portitores, sive per se sive per operas suas vectigalia exigant. *Mancipes*, ita Festus, *quia manu sublata significant se auctores emptionis esse.*

*Quare mancipes.*

Sub imperatoribus fuere *Susceptores*, qui solutionem auri & specierum accipiebant, & modum jugationis possessorum, & species singulas describebant, l. 9. C. de defensor. civit. Item ducenarii, centenarii, sexagenarii, in schola agentium in rebus, qui tributa exigerent, l. 1. C. de exact. tribut. lib. 10. Opinatores erant exactores militaris annonæ. Augustin. epist. 13. *Cum debitor* 10. *& 7. solidorum ab opinatoribus urgeretur, ut redderet.* l. 11. Cod. de erogat. milit. anno. lib. 12. Numerarii & Tabularii publicum numerum ærariis inferebant l. 2. Cod. de numerar. lib. 12. Isidorus lib. 9. cap. 3. Etym. Ammian. Marcel. lib. 19. Numerarium scholæ vocat. Denique

Apparitores, Palatini, omnes agentes in rebus l. 5. l 7. C. de exactor. tribut. & lib. 12. C. de agentibus in rebus, tributa curabant. Item Arcarii C. de suscept. & arcar. lib. 10. Cicer. pro Rabirio *coactores* vocat, & *coactionem argentariam* pro Cluentio. Sueton. in Vespas. cap. 1. *Vespasiani avus coactiones argentarias fecit.* Horat. serm. 6. lib. 1.

*Si præco parvas, aut, ut fuit ipse, coactor,*
*Mercedes sequerer.*

In veteri lapide, apud septem Cæsares *argentarius coactor*. Coactores autem Publicanis, & argentariis ministrabant, & ea quæ Publicanis minutim a reliquatoribus debebantur, vel redimebant ipsi, vel mercede aliqua persequebantur, ut Cic. pro Rabir. & pro Cluent. Qui vero ministrabant argentariis qui auctionibus præerant, pretia rerum venditarum ab emptoribus certa mercede colligebant. Cato cap. 146. & cap. 150. Plaut. Asinar. *Vetus est nihili coactio, quia præsentem pecuniam lena postulat.* Cic. pro Rabir. *Dum Gabinio pecuniam cogeret, post hunc ex decumis imperatorum sibi coegisse.* Iidem vocantur *exactores*. Cæsar lib. 3. civil. *Erat plena lictorum & imperiorum provincia, conferta præfectis atque exactoribus.* Publicani, homines, ut plurimum, viles habebant in ministerio, per quos pecunias exigerent, qui durius agebant cum tenuioribus, paulo mitius cum ditioribus, ut indicat Cassiodorus lib. 2. epist. 25. *Comperimus domos quasdam præpotentium suas non implere per ordinem functiones. Hinc fieri, ut dum illationis quantitas procurari quæritur, a tenuibus summa potior exigatur. Superbia deinde conductorum canonicos solidos non ordine traditos, sed sub unico pondere imminentibus fuisse projectos, nec universam siliquam, quam reddere consueverant, solemniter intulisse.* epist. 24. *fieri enim, ut exactorum nimietas dum a potentibus contemnitur, in tenues conversa grassetur.* Salvian. lib. 4. ad Eccles. Cathol. *Cum Rom. Respub. tributorum vinculis quasi prædonum manibus strangulata moriatur, inveniuntur plurimi divitum, quorum tributa pauperes necant.* lib. 5. *Adjectiones tributarias ipsi interdum divites faciunt, pro quibus pauperes solvunt.* Item, *sicut sunt in aggravatione primi pauperes, ita in relevatione postremi.* Non tantum autem tenuiores opprimebant, verum & iniquis ponderibus utebantur. Cassiod. lib. 5. epist. 39. *Exigentes vero assem publicum per gravamina ponderum, premunt patrimonia possessorum, ad libram cubiculi nostri universas functiones publicas jubemus inferri.* Dio lib. 42. prodit Cæsarem publicanorum molestia levasse Asiaticos, & iis tributa indixisse. Iidem δεκατολόγοι, πεντηκοστολόγοι nuncupantur, *decumani, quinquagesimæ exactores.* Pullux lib. 6. & 8. δεκατῶναι, ἐλλιμενισαὶ, *portitores, collectarii*, ut loquitur August. lib. 2. de civit. Dei. Aristot. lib. 2. œconom. ἐλλιμένιον, *portorium*; εἰκοστολόγοι, *vicesimæ exactores*, Athenis apud Aristophan. in Ranis, εἰκοστολόγος ὢν, τὰ εἰκοστὰ ἐν τῇ κρίσει συνάγων. *Vicesimarius vicesimas in judicio colligens.* Item *naucleri* Athenis dicti. Hesychius: ναύκληροι ἀφ' ἑκάστης φυλῆς δυώδεκα, οἵ τινες ἀφ' ἑκάστης χώρας τὰς εἰσφορὰς ἐξέλεγον. *Naucleri e quaque tribu duodecim, qui tributa ex unaquaque regione colligebant, postea tribuni dicti sunt*, ὕστερον δήμαρχοι ἐκλήθησαν. Idem:

*Tributa divitum pauperes necant.*

ἀγαστοπέρπαι, οἱ τοῖς τελώναις μηνύοντες τὰ τέλη. *Qui publicanis indicant vectigalia.* In qua voce mihi aqua hæret. dubito enim, an *gazopersæ* dicantur a *gaza*, Persico vocabulo, & *Persis*; an legendum sit *Gazoperthæ*, a πέρθω. ἐκλογεῖς. Suidas: Ἐκλογεῖς οἱ ἐκλέγοντες καὶ εἰσπράττοντες τὰ ὀφειλόμενα τῷ δημοσίῳ, ὁπότε δέοι χρήματα τοὺς πολίτας εἰσφέρειν, τούτους κατὰ δύναμιν οἱ καλούμενοι ἐκλογεῖς διέγραφον. *Collectarii, qui exigebant debita publica, quoties oporteret cives tributa inferre, pro virili cives describebant.* Item *quæstores*, & *tribuni ærarii*, quos Plin. lib. 33. cap. 2. vocat *tribunos æris*, de quibus legendus Festus in verbo *ærarii*, & Varro lib. 4. de ling. Lat. Chartularii de cohortalibus officiis largitionales titulos retractabant. l. 3. C. de Cano. largit. lib. 10. Demosthenes ad Phorm. ἐλλιμενιστῶν ἀπογραφὴν vocat. August. lib. 7. de Civit. cap. 3. *Munusculários* quia corradebant munuscula a debitoribus. Iidem dicuntur *codicem instituere*, Cic. pro Roscio Comœdo, quia librum conficiunt in quo nomina perscribunt. Item, *nummum commovere* pro Fontejo, quia exigunt. pro Flacco: *Civitas, in qua nummus moveri nullus potest sine quinque Prætoribus.*

*Munuscularii qui.*

A Telonis autem Teloneum, vel Telonium dicitur. Harpocration: Τελώνιον ἡ δεκάτη. δεκατευτὰς τελώνας τοὺς τὴν δεκάτην ἐκλέγοντας. *Telonium decima vocatur. Decumani qui decimas exigunt.* Cassiodorus: *Telonii canonem nulla faciatis usurpatione confundi*, lib. 5. epist. 10. *canonem transmarinorum* vocavit. *Telonarii* Cod. Theodos. D. Gregorio in cap. ult. Joan. *Nam Piscatorem Petrum, Matthæum Telonarium scimus.* Ibidem, *Teloniæ negotium, & Teloniæ lucris pecunias augere.* Nonius Telonarios interpretatur eos qui portum obsidentes, portoria exigunt. Pollux, Athenis ἀποδέκτας, ἀποδεκτῆρας, ἐρανιστὰς, ταμείας, *Collectarios, receptatores, quæstores* ponit. Suidas vas quoddam ferreum *siromasthen* appellatum capulo ferreo publicanis tribuit, quo merces inquirerent. Σιρομάστης σκεῦός τι σιδηροῦν, λαβὴν ξυλίνην ἔχον παρὰ τοῖς τελώναις εἰς ἔρευναν. Idem τελώνην τὸν ἐξεταστὴν, *Publicorum vectigalium probatorem, vel exquisitorem.*

*Teloneum aut Telonium.*

*Telonarii qui dicti.*

Hic admonebo, in tributis & vectigalibus solvendis moræ pœnam in duplum, aut quadruplum fuisse. Victor de Nerva: *Quidquid antea pœnas nomine tributis accesserat, indulsit.* Plinius Panegyr. *Alius ut contumacius irasceretur, tarditatemque solvendi dupli vel quadrupli irrogatione mulctaret.* Manasses in Politic.

*Pœna retardationis in solvendis vectigalib.*

Ταῦτ' ἔλεγε Τιβέριος περὶ τῶν φορολόγων,
Χρονίζειν λέγων δεῖν αὐτοὺς ὡς κόρον ἐσχηκότας
Πραότερον προσφέρεσθαι τοῖς φορολογουμένοις.
Εἰ δέ τινα κατέμαθε τῶν εἰσπραττόντων φόρους
Εἰσπλέον ἐκφερόμενον τοῦ διατεταγμένου,
Καὶ χρηματίζοντα βαρὺν, καὶ πέρα τοῦ μετρίου,
Κολάσεσιν ὑπέβαλεν αὐτὸν ἀλγεινοτέραις,
Ἀναβοῶν, καὶ κεκραγὼς ἑτέραν παροιμίαν,
Τὸν πόκον περικείρεσθαι βούλομαι τῶν προβάτων,
Ἀλλ' οὐ ξυρᾶσθαι δυσμενῶς ἄχρι τῆς ἐπιδερμίδος.

*Hoc dicebat Tiberius de exactoribus tributorum, eos diu in eo munere detinendos, ut satiati mitius agerent cum tributariis. Quod si accepisset aliquem exactorem supra legitimum*

*modum exegiſſe, & duriorem eſſe in agendo, eum ſubjiciebat gravibus ſupplicis, dicens aliud proverbium, volo detonderi oves, non deglubi.*

Imperator ſolus tributa indicebat.

Scitum eſt, ſolius Imperatoris fuiſſe tributa indicere. Sozomenus lib. 2. *Athanaſius*, inquit, *accuſatus eſt ante omnia, quod tributum lineæ veſtis indixiſſet.* πρώτην ὑπομένει γραφὴν, ὡς χιτωνίων λινῶν φόρον ἐπιθεὶς Αἰγυπτίοις. De exactoribus amplius addo, exactorem interdum dici qui exigit, interdum qui mittit in carcerem, quod eos qui tributa non penderent, ipſi exactores ſæpe mitterent in carcerem. Vet. Inſcript.

*Sextus Pompejus Fauſtus Sexti Pompeii exactor.*

S. Ambroſius lib. de Tobia cap. 9. *Judex tradat te exactori, & exactor mittat in carcerem.* Plin. lib. 9. epiſt. ad Paulin. *exactores operis* vocat. V. Inſcript.

*M. Aurelius Augg. N. N. lib. Epaphroditus exactor operum Dom. N. N.*

Philo lib. de Caim, Capito φόρων ἐκλογεὺς τῆς Ἰουδαίας. *Tributorum Judææ exactor.*

Salvianus lib. 5. *Exactores qui exactionis publicæ nomen in quæſtus proprii emolumenta vertebant, & indictiones tributarias prædas ſuas etiam faciebant. Severus vectigalia civitatibus deputavit ad proprias fabricas. Romæ ipſi vectigal indictum, & arca illa publica inſtituta, quæ ſucceſſit in locum ærarii*, ut Lamprid. in Severo.

Exactorum cura.

Exactores quæſtus publicos eruere, cenſus ſenatorios tractare dicti. Symmachus lib. 10. ep. 43. *Palatini ſacrarum munerationum quæſtus publicos eruentes inter cetera nomina quæ judicio perſequuntur.* Item: *Luciano nuntiante qui cenſus Senatorios ante tractavit, quod oblationis functionibus eadem domus eſſet obnoxia* Certe omnium qui provincias regerent, præcipua cura fuit, ut tributa exigerent. Novel. 17 §. 1. l. ult. C. de mandat. Princip. Ideo ſinguli in officio numemarios habebant arithmeticæ peritos, qui *tabularii* dict, l. 2. C. de Numerat. l. *in provinciis*, eod. l. *duos* C. de ſuſceptor. Firmicus lib. 3. cap. 11. Aſtron. exactores annonarum regiarum, vel fiſcalium pecuniarum vocat Vectigaliarios Imperatorum exactores, & qui annuas fiſcariorum præſtationes repetant. Judicum apparitores per ſolidos aureos numerabant, ait Symmachus lib. 10. ep. 47. Dicuntur exactores compulſare. Fulgentius in Mytholog. *Nam tributaria indies conventio compulſantium pedibus limen proprium triverat, nova indictionum ac momentanea proferen genera.* Novel. 30 *Comitiana præerat vectigalibus.* XIII. erant πράκτορες, *exactores vectigalium. Curialis apparitor, optio actuarius, publici debiti exactor & compulſor eſſe poteſt* l. 3. C. de Apochis. Alii erant ἐξάκτευται τῶν δημοσίων φόρων, καὶ διατυπώσεων, Juſtiniani Nov. 28. *Tractatores vectigalium publicorum, & conſtitutionum.* Apud Nicetam lib. 2. φιλοδημόσιος λογιστὴς, καὶ ὀβολοστατῶν, δασμολόγος *Philodemoſius rationalis, & exactor, & nummularius.* lib. 6. ὁ τῆς κρήτης δασμολόγος, *collecto vectigalium Cretæ.* Rector ejus provinciæ conſtitutus eſt. Alius item eſt apud Simocatam lib. 5. ἐφεστηκὼς τοῦ βασιλικοῦ πρυτανείου, ὁ τοῦ πρυτανείου φροντίδα περιβαλλόμενος, ἐπιστάτης ὁ βασιλικῶν θησαυρῶν, *Regiis theſauris impoſitus.* Agathias lib. 3. Ruſticus οὐ ταξίαρχος, ταμίας δὲ μόνων τῶν βασιλικῶν χρημάτων, οὐ μὲν τῶν ἐκ τῆς δασμοφορίας ἐρανιζομένων, ἀλλὰ τῶν ὅσα ἐκ τῶν βασιλείων θησαύρων ἐπεπόμφει. *Non tribunus militum, ſed quæſtor pecuniarum Imperatoris, non earum quæ ex publicis vectigalibus colligebantur, ſed quas ex Imperatoris theſauris mittebat.* Erant enim olim publica vectigalia, quibus præpoſitus Comes largitionum, & privatæ res, quibus Comes privatarum. Apud eundem p. 152. 153. *Præfecti theſauris milites fraudant.* lib. 4. de vita Conſtant. Euſebius, πρὸς τὸν τῆς διοικήσεως καθολικὸν ὅπως ἅπαντα παράσχοι, *ad Diœceſeos generalem, ut omnia præberet.*

Nummerus exactorum.

Egregia Laurentii Mediol. epiſc. contra publicanos exclamatio.

Sed ut ad publicanos, & mancipes redeamus, Symmach. lib. 5. ep. 60. 65. Mancipum cupiditatem vocat. Tacit. lib. 13. Publicanorum immodeſtiam. Laurentius Mediolan. epiſcopus in Homil. *Quid eſt publicanus? Nonne caput rapinæ, & lex violentiæ? Quid eſt publicanus? Prædo ſine pudore, medius exterminii. Nonne immanior furibus publinus? Fur namque vel metuens furatur; hic autem delinquit confidenter. Fur laqueos tegit, timet; hic quicquid fecerit, legem putat. Lex furem deterret ab illicitis; hic ad iniquum malitiæ ſuæ compendium legem trahit. Quis eo iniquior, qui verbis juſtitiam damnat?* In edicto 13. cap. 18. Juſtiniani, *Libyæ Dux tributa exigit, & ad Palatium exigendis vectigalibus præfectum mittit.* Publicanos a *publico* dictos oſtendimus. Tacitus lib. 13. *Edixit Princeps, ut leges cujuſque publici occultæ ad id tempus proſcriberentur.* Plaut. in Trucul. *Illa, haud ego, habuit publicum, perverſe interpretaris.* Seneca epiſt. 120. *Jam ego paraveram fiſcos, circumſpiciebam in quod me mare negotiaturus immitterem, quod publicum agitarem.* epiſt. 102. *Ille qui & mari & terra pecuniam agitabat, qui ad publica quoque nullum relinquens inexpertum genus quæſtus acceſſerat.* Erant plerique alii qui vectigalibus curarent. Suidas, διαγραφεύς ἐστιν ὁ καθιστάμενος ἐν ταῖς συμμορίαις ἐπὶ τὸ διακρίναι πόσον ἕκαστος εἰσενέγκειν ὀφείλει. *Deſcriptor eſt conſtitutus in Curiis ad dijudicandum, quantum quiſque inferre debet.* Joſephus lib. 12. cap. 2. orig ὑπηρέτας τῶν πραγμάτων vocat, *adminiſtros vectigalium*, operas publicanorum. Caſſiod. lib. 12. variar. arcarios, prorogatores, tritici, vini, caſei, macellarios, vinarios, capitularios, horreariorum, & tabernariorum fœnerarios, & cellaritas, ceteroſque qui publicos titulos adminiſtrant. Joſephus lib. 19. cap. 1. originum, Caligula Chæream ἰστᾶ εἰσπραξόμενον τούς τε φόρους, καὶ ἄλλα ὅσα καταβαλλόμενα εἰς τὸν Καίσαρος θησαυρόν. Summos redemptores vectigalium qui præerant exactoribus, Græci recentiores vocant κατεπάνους. Joannes Curopalates in Michaele Paphlagone, Παγκρατίου δὲ τοῦ ἐξουσιαστοῦ Ἀβασγίας σφοδρῶς ἐπικειμένου τῷ κατεπάνω Ἰβηρίας. *Cum Pancratius Exuſiaſtes, & dominus Abaſgiæ urgeret catepanum Iberiæ.* In conſtitut. Alexii Comneni: Ἀργήσει δὲ καὶ ἡ μέχρι τοῦ νῦν ἐπισκωμάσασα τοῖς ὑπὸ τὰς καθ' ἡμᾶς μονὰς ἀκινήτοις τοῖς κατὰ τὸ θέμα Θρᾴκης καὶ Μακεδονίας διακειμένοις ἀπαίτησις τῆς τε πρακτορικῆς, καὶ κατεπανικῆς χρείας, ἡ καὶ στυππείου, καὶ ἀξουγγίου ἐξώνησις, ἢ ἀπαίτησις. *Ceſſabit petitio neceſſitatis exactoriæ, & catepanicæ, quæ ad hoc uſque tempus illuſit immobilibus monaſteriorum noſtri temporis, quæ ſunt in themate Thraciæ & Macedoniæ, ceſſabit item redemptio, & exactio ſtupæ, & axungiæ.* Ibidem vocat πράκτορας καὶ κατεπάνους. Paulus Diacon. lib. 22. *Chartularius tributa publica ratione conferebat.*

Sub Imperatoribus exactores vocabantur

Exactores appellati milites.

milites. Theodoret. lib. 4. histor. eccles. c. 16. Jubet Valens Modesto præfecto prætorio, *ut milites suos congreget qui solent tributa exigere.* τούς τε ὑπ' αὐτὸν στρατιώτας ἀθροῖσαι, οἳ τὰς εἰσφορὰς πράττειν εἰώθασι. cap. 24. Et Comitatensium largitionum Comes στρατιωτῶν ἐπαγόμενος ἄμετρον πλῆθος, *infinitam multitudinem militum inducens.* Exactorem Libanius ἀργυρολόγον vocat orat. ad Theodos. Ἀριστείδου μετὰ τοὺς φόρους ἀργυρολόγου πλέοντος, *Cum Aristides collector ad tributa colligenda navigaret.* Petrus Ravennas serm. 28. *Quando videbat Christum dare Matthæo fraudulento fidem, venali gratiam, cupiditatis magistro officium largitatis, doctori fœnoris magisterium sanctitatis.* Item, *Matthæum sic cupiditatis publicabant magistrum, sic alligabant vinculis cautionum, sacculorum ponderibus sic premebant.* Item: *Matthæum de telonio divitem, de usuris locupletem.* serm. 30. *Matthæus qui erat fraudator pecuniæ de impietatis schola.*

Quæ propriè publica dicantur.

Dicuntur autem Publicani a *publicis*. Publica ea sola proprie vocantur quæ sunt Pop. Rom. l. 15. & sequentib. D. de verb. signific. *Eum qui vectigal Pop. Romani conductum habet, Publicanum appellamus. Nam publica appellatio* (malim *publici*) *in pluribus caussis ad Pop. Roman. pertinet. Civitates enim privatorum loco sunt.* Ulpian. l. 1. D. de publican. *Publicani sunt qui publico fruuntur, nam inde nomen habent, sive fisco vectigal pendant, vel tributum consequantur, & omnes qui quid a fisco conducunt, recte appellantur publicani.* Hoc significatu Cicero *publicum* dixit Oratione de provinciis Consularibus: *Qui frui publico non potuit per hostem, hic tegitur lege Censoria.* Idem Orat. 5. in Verrem. *Agri eorum qui victi a Pop. Romano essent, publici fiebant.* Livius lib. 33. *Agrum captis Coriolis publicum Pop. Rom. esse factum.* Idem lib. 44. *Cur publica præsenti pecunia locamus.* Sueton. in Vespas. *publicum quadragesimæ.* Val. Max. lib. 6. cap. 6. *Dum Asiatici publici exiguam admodum particulam habuisset.* In frag. legis Thoriæ, *quicumque ad publicum fruendum, redemptum, conductumve habebit.* In vet. lapide hæc leguntur: *Imperator locum vineæ publicæ occupatum a privatis per collegium Pontificum restituit.* Item: *Crispinus Crassus, Pontius Petronius curatores locorum publicorum indicandorum ex S. C. caussa cognita ex privato in publicum restituerunt.*

Publicani qui dicti.

Bona publica quæ sint.

Certe bona publica sunt minus proprie bona civitatis cujuslibet, non quæ in usu publico habentur, ut Campus Martius, viæ publicæ, theatra, amphitheatra, stadia, loca sacra, vel religiosa, sed bona publica civitatum quæ possideri, & distrahi possunt, bona debent accipi quæ sunt in pecunia, & proprio patrimonio populi, ut prædia, lacus, stagna, mancipia civitatum & eorum peculia, l. 15. & 17. D. de verb. signific. Theodor. Hermenopul. Ἐν τοῖς δημοσίοις οὐ περιέχονται, οὔτε τὰ ἱερὰ, οὔτε τὰ μνημεῖα, οὐδὲ τὰ τῶν δημοσίαις χρήσεσι ἀφωρισμένα, ἀλλὰ οὐδὲ ὑποπίπτονται ταῦτα δεσπότῃ, οὐδὲ παρὰ δήμου δεσπόζονται, οὐδὲ παρ' ἰδιώταις, ὡς τὰ καταχρηστικῶς δημόσια. Σήμερον οὔτε αἱ πόλεις ἔχουσι τὰ ἴδια πράγματα, οὔτε ὁ δῆμος τῶν Ῥωμαίων, ἀλλὰ πάντα τοῦ βασιλέως τυγχάνουσι. *In publicis non continentur sacra, neque monumenta, neque publicis usibus assignata, quæ neque dominum habent, neque a populo aut privatis ut dominis teneri possunt, quia per abusum publica dicuntur. Hodie neque urbes habent res proprias, neque Pop. Rom. sed omnia sunt Imperatoris.* Quia Imperator omnia populi jura sibi arrogavit, ut quæcumque olim Pop. Rom. fuerint, jam sint Imperatoris. l. 14. D. de acquir. rer. dom. publica Pop Rom. sunt, quæ in patrimonio habentur Pop. Rom. Quæ in fisci patrimonio sunt, publici appellatione non veniunt. l. 6. D. de contrah. empt. ut publica, quæ non in pecunia populi, sed in publico usu habentur, ut est Campus Martius: & l 72. §. fin. D. tit. si res non in usu publico, sed in fisci patrimonio erit, venditio ejus valebit, quia privatæ res Principis publici appellatione non continentur.

Publicani unde dicti.

Igitur Publicani a *publico* dicti sunt, quorum maxima Romæ & potentissima societas fuit, cum equites Rom. essent, & in provinciis plurimum auctoritate & potentia valerent, ut Cic. epist. ad Lentul. lib. 1. ad famil. & epist. ad Appium & ad Q. fratrem, & Livius lib. 33. In eorum societate erant decumani, mancipes, redemptores, magistri, promagistri, coactores, servi, familiares, & alii plerique qui publicanis in eo vectigali ministrabant, ut docet Ulpian. l. 1. D. de public. Mancipes & decumani publicanorum erant principes, ut Cic. lib. 13. epist. ad famil *Magister in societate Bithynica. Operas in scriptura promagistro dat.* lib. 5. epist. ad Attic. *Promagistri scripturæ nostrarum Diœceseon.* Item: *Pupius est in operis ejus societatis. Ejus operæ gratissimæ sunt societati.* In Bruto: *Liberi societatis ejus, quæ pecuaria de P. Cornelio, L. Mummio censoribus redemerat.* lib. 4. in Verrem: *Decumani, hoc est, principes, & quasi senatores publicanorum. Magistri cum tabulas novo magistro traderent.* lib. 5. in Verrem: *Magister scripturæ, & sex publicanorum.* Justinus lib. 38. vocat *publicanorum sectiones.* Asconius in Verrem: *Mancipes sunt publicanorum principes, decumani decumas reddunt: si portum aut pascua publica redemerunt, portitores aut pecuarii dicuntur, quorum ratio scriptura. Hi omnes exigenda a sociis suo periculo exigunt, & Reipub. repræsentant. Mancipi pro frumento ab aratoribus pecunias accipere non licet.* Describuntur Publicani Sat. 3. Juvenal.

Publicanorum descriptio.

*Queis facile est ædem conducere, flumina, portus,*
*Siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver,*
*Et præbere caput domina venale sub hasta.*

Item in veteri lapide:

*Qui largæ Cereris messes, fructusque renatos*
*Digerit in pretium, cui constat fama fidesque,*
*Et qui divitias vincit pudor, ire per illos*
*Consuetus portus, cura studioque laboris,*
*Littora qui præstat tutis fidissima nautis.*

Impense laudantur hoc elogio portitores, adversus quos tamen, quia multa per vim plebeculæ adimebant, Prætor edixit apud Ulpian. lib. 1. D. de Publican. *Quod Publicanus, seu quis Publicani nomine vi ademerit, quodve familia Publicanorum, si id restitutum non erit, in duplum; aut si post annum agetur, in simplum judicium dabo.* Honorius & Valentinianus rescripserunt, ut quoties in disceptatione constiterit, inique discussionem fuisse factam, discussor ipse in eodem ti-

tulo, & in eodem modo ad solvendum protinus urgeatur, in quo alterum perperam fecerit debitorem. Sed ut plebi adversus Publicanos cautum erat legibus, sic & Publicanis adversus eos qui publica vectigalia fraudare vellent, aut non profiterentur. Cic. in Agrar *Decemviri portitores omnibus omnium pecuniis constituti, qui non modo reges, atque externarum nationum homines excutiant*, &c. Merces inscriptæ, quas in portu institor non esset professus apud portitorem, cadebant in commissum. Lucillius: *Idem quod illi qui inscripta ex portu exportant clanculum me, ne portorium dent.* Quintilian. Declam. 341. *Quod quis professus non est apud publicanos, pro commisso tenetur.* Declam. 349. *Publicano scrutari liceat: Quod quis professus non fuerit, perdat.* Profitebantur igitur merces, ne in vectigali pendendo Reip. fraus fieret. Unde & Martianus *Merces improfessas* vocat. Tertul. in Apologet. *Quantum vectigalibus pereat fraude, & mendacio vestrarum professionum.* Varro lib. 2. de re rustic. cap. 2. *professiones* appellat, si quis professus apud Publicanos fuerit, non tamen solverit, hoc concedente Publicano, ut solent facere, D. Severus & Antoninus rescripserunt res in commissum non cadere l. ult. D. de publican. Opinionem etiam pro censu in professione censuali usurparunt Imperatores l. ult. C. de præd. & omnib. reb. navic. lib. 11. Unde *opinatores* exactores militaris annonæ vocat Tribonian. l. 11. C. de erogat. milit. anno. Sedebant vero portitores certo loco, ubi merces excuterent, quod Suidas τελωνεῖον appellat: Τελωνεῖον ὁ τόπος, ἐν ᾧ καθέζεται ὁ τελώνης, καὶ τελώνιον. Macar. Homil. 43. ὥσπερ εἰσὶν οἱ τελῶναι, καθεζόμενοι εἰς τὰς στενὰς ὁδοὺς, καὶ κατέχοντες παριόντας, καὶ διασείοντες. *Ut publicani sedent in angiportibus, & retinent ac excutiunt prætereuntes.* Chrysost. de pœnit. Achab. Τί γὰρ χεῖρον τελώνου τοῦ καθεζομένου κατὰ τὴν ὁδὸν, καὶ ἀλλοτρίων πόνων τοὺς καρποὺς τρυγῶντος. *Quid est publicano deterius, sedente secus viam, qui vindemiat fructus alieni laboris?* Plaut. Asinar. *Portitorum sunt similes januæ, si afferes, tum patent.* Portitores etiam fuere in Græcia & Asia sub Atheniensibus, qui decimas exigerent eorum, quæ mari exportarentur, vel importarentur. Socrates lib. 7. hist. Eccle. Χρυσόπολις ἐπίνειον ἐν ἀρχῇ τοῦ Βοσπόρου, ὅπου ὁ Ἀλκιβιάδης δεκατευτήριον ἐκάθισε. Δεκάτας γὰρ οἱ ἀπὸ τοῦ Πόντου εἰσπλέοντες παρεῖχον. *Chrysopolis navale fuit, ubi Alcibiades in faucibus Bospori portorium decimarum constituit. Decimas enim solvebant navigantes a Ponto.* Denique qui arenarias, cretifodinas, salinas, & metalla conducta habuere, publicanorum loco erant, l. 13. D. public. Sed & qui pascua conducunt, Publicani dicuntur Plinio lib. 13. cap. 3. quos etiam sub Imperatoribus corpus habuisse docet Symmachus lib. 10. cap. 58. Certe olim vectigal unum fuit, *pascua* dictum: quare & in Censoriis tabulis omnia dicuntur pascua, ex quibus vectigal auctore Plinio lib. 8. cap. 3. quia novi vectigalis nomen semper odio fuit.

## CAP. IV.

### *De Agris vectigalibus.*

Agri vectigales. DE Publicanis & exactoribus vectigalium egimus ἐν πλάτει, jam & de agris vectigalibus agamus. Vectigalia proprie res & agros spectant, quia pro invectione, vel evectione mercium, decimisque & pascuis pendebantur. Horum originem a capite arcessit Appia. lib. 1. civil. in hæc verba: Ῥωμαῖοι τὴν Ἰταλίαν πολέμῳ κατὰ μέρη χειρούμενοι, γῆς μέρος ἐλάμβανον, καὶ πόλεις ἐνῴκιζον, ἢ ἐς τὰς πρότερον οὔσας κληρούχους ἀπὸ σφῶν κατέλεγον, &c. *Romani nunc hos, nunc illos Italiæ populos subjiciendo, parte agri mulctabant, in eumque colonias deducebant, aut in jam ante condita oppida sui generis adscribebant.* Hæ coloniæ tanquam præsidia partis bello provinciis imponebantur, in quibus quantum erat culti agri, colonis dividebatur, aut vendebatur, elocabaturque. Quod vero bellorum injuria incultum supererat, quia sub sortem mittere non vacabat, per præconem invitatis assignabant, quibuscumque liberet colere, parte decima fructuum sibi retenta in agris sativis, in plantariis, aut arboreis quinta. In pastionibus autem certum pretium definiebant, in capita minoris majorisque pecoris. Δεκάτῃ μὲν τῶν σπειρομένων, πέμπτῃ δὲ τῶν φυτευομένων. Ubi quod de quinta parte fructuum ait, quæ pensitarentur, videtur durius, & a Ciceronis ætate alienius, qui Siculos decimas vini & olei, non quintam fructuum partem persolvisse ait libris in Verrem. Paulo aliter Hygen. lib. 2 *Vectigales*, inquit, *agri sunt obligati, quidam Reip. populi Romani, quidam coloniarum, aut municipiorum, aut civitatum antiquarum, qui & ipsi plerique ad populum Rom. pertinentes ex hoste capti, partitique, ac divisi sunt per centurias, ut assignarentur militibus quorum virtute capti erant, amplius quam esset destinatio modi.* Veteres gloss. Vectigales εἰσὶν ἄγροι πόλεων διηνεκῶς μισθούμενοι, ἐπὶ τοιούτῳ τρόπῳ καὶ ὅρῳ, ἵνα ἐφ' ὅσον δίδοναι τὸ ὑπὲρ αὐτῶν βεκτιγάλιον τέλος, μὴ ἐκβάλλωνται, μήτε αὐτοὶ, μήτε οἱ παρ' αὐτῶν εἰς τόπον αὐτῶν ὑπεισιόντες. *Vectigales agri sunt urbium qui in perpetuum locantur, hac lege, ut quamdiu vectigal solverint, non ejiciuntur ipsi, vel hæredes.* Vectigales item agri dicuntur Pop. Rom. qui ex hoste capti vectigalia pendunt, mancipibusque vel in singula lustra, vel in annos centenos locantur, ut Hygen. de limitib. lib. 1. & l. D. si ager vectigal. l. 11. D. de publican. ubi admonebo Respublicas imponere agris suis solitas vectigal ad rationem usuræ trientis. Plin. lib. 7. epist. Ager Reipub. mancipatus quingentis millibus nummum, vectigalis nomine infert quotannis vicena millia nummum, quæ ratio est usuræ trientis, ut vult Budæus in Pandectis. Plinii verba sic habent: *Nam pro quingentis millibus nummum, quæ in alimenta ingenuorum, ingenuarumque promiserant, agrum ex meis longe pluris actori publico mancipavi, eundemque vectigali imposito recepi.* Apud Cic. l. 5. in Verrem. Ager decumanus qui arabatur, non erat eorum proprius a quibus colebatur; sed publicus Pop. Rom. ac decimarum conditione ac pensitatione agricolis a Censoribus erat attributus, qui aratores dicuntur, agri ipsi arationes. Plaut. Trucul. *Male vertit res pecuaria mihi apud vos, nunc vicissim volo habere aratiunculam pro copia hic apud vos.* Victis igitur hostibus intra fines Italiæ vel extra, eorum agros Censores colonis assignabant, aut elocabant iis qui colere vellent, sub conditione vectigalis fixi. Ut enim est in veteri lapide, vectigal fixum est, aut mobile. Fixum quod agrorum est, non personarum, id est, census, sine quo fundus non emitur. l. 2. C. lib. 4.

lib. 4. tit. 47. sine censu vel reliquis fundum comparari non posse. Quare etsi fundus in Ecclesiæ dominium transiret, censui tamen obnoxius erat, & Ecclesia publicas functiones agnoscere cogebatur. Ambros. contra Auxent. *Si tributum petit Imperator, non ei negamus, agri Ecclesiæ solvunt tributum.* Theodoricus rex apud Cassiod. lib. 1. Variarum: *Ea vero quæ a tempore beneficii ad Ecclesiam vestram ab aliquibus est translata possessio, commune cum universis possessoribus onus solutionis agnoscat, & ejus subjaceat functioni, cujus est nacta jura dominii.* Mobile vectigal est quod pro rebus mobilibus penditur, ut venalitiis & mercibus, l. ult. D. de Publican. §. *Quoties quis mancipia invecta professus non fuerit, sive venalia, sive usualia, pœna commissi est.*

Vectigal duplex. Vectigal item certum fuit aut incertum. Certum definita fere stipendii summa, & hoc tributum dictum, sive stipendium, quod qui pendebant, tributarii, sive stipendiarii dicebantur. Cæsar. lib. 1. Belli Gal. *quasque civitates stipendiarias haberent*, id est, tributarias. Cic. 5. in Verrem: *Quoddam vectigal stipendiarium, unde stipendiarii Pop. Rom. vocantur.* lib. 3. de legib. Incertum autem vectigal, quod proprie dicitur vectigal, & portorii nomine, decumarum, scripturæ, salis pendebatur, ex iis agris fuit, quos hostibus eripuerant, & colonis assignarant, vel aliis qui colere vellent, elocaverant, quos quicumque emerent, sive cives Rom. sive socii essent, sub conditione vectigalium emebant, ut solitum canonem persolverent. Incertum illud vectigal pro anni copia uberius, vel angustius exigebatur. Si enim vel sterilitate, vel injuria belli, aut aeris, angustior annona fuisset, aliquid deminuebatur de vectigali incerto, ut infra ex Appiani lib. 5. civil. docebimus. Interdum vectigales illi agri ad subsidia reipub. relicti dividebantur lege agraria civibus, quibus terni, pluresve liberi essent, ut Sueton. scribit in Jul. cap. 20. Demum cum divites latifundia coemerent, ut prodit Appianus lib. 1. Civilium, & servitiis replerent, Italique paupertate & paucitate generis laborarent, tribunis rogantibus lex lata est, ne quis haberet agros supra quingenta jugera, neve quis pasceret plus centum capitibus majoris, plusve quingentis minoris pecoris. Hanc legem tulit Cajus Licinius Stolo tribunus plebis anno urbis 367. Livio narrante lib. 6. cui legi cum fraus fieret, Sempronius Gracchus legem Agrariam tulit, ne quis possideret supra quingenta jugera, ut Appianus ibidem scribit. Varro lib. 1. de re rust. *Stolonis illa lex quæ vetat plus 500. jugera habere civem Rom.* Prima lex Agraria lata est Spurio Cassio & Proculo Virginio Consulibus apud Livium lib. 2. *Cum Hernicis fœdus ictum, agri partes duæ ademptæ, inde dimidium plebi, dimidium Latinis divisurus erat Consul Cassius anno Urbis 270.* Alterius legis Agrariæ mentio fit apud eundem lib. 5. & apud Plutarchum in Gracchis. Tandem cum legi Agrariæ, quam Gracchi tulerant, fraus fieret, Spurius Thorius legem tulit, ne agri amplius dividerentur, sed possessores in iis relicti vectigalia penderent pro iis, eaque pecunia plebi divideretur. Cicero tamen in Bruto, Spurium Thorium agrum publicum vitiosa, & inutili lege vectigali levasse auctor est. Postremo ager Campanus qui unus non divisus supererat, a Cæsare Consule divisus est, ut Sueton. in Jul. cap. 20. Cicero ad Atticum: *Eo magis quod Portoriis Italiæ sublatis, agro Campano diviso, quod vectigal superest domesticum præter vicesimam?*

## CAP. V.

### *De Agris Quæstoriis, & Assignatis.*

Agri Quæstorii qui vocentur. *Quæstorii dicuntur agri, quos populus Romanus devictis pulsisque hostibus possedit, mandavitque Quæstoribus, ut eos venundarent, quæ centuriæ nunc appellantur* πλίνθοι, *id est, laterculi easdem in quinquagenis jugeribus quadratas cluserunt limitibus, atque ita certum cuique modum vendiderunt, cujus agri sunt conditiones, uti populi Romani, quod etiam præstitutum observant. Vetustas tamen longi temporis, plerumque pæne similem reddidit occupatorum agrorum conditionem, non tamen universi paruerunt legibus, quas a venditoribus suis acceperunt. Vectigales autem sunt agri obligati quidam Reip. populi Romani, quidam coloniarum, aut municipiorum, aut civitatum aliquarum, qui & ipsi plerique ad populum Romanum pertinentes ex hoste capti, partitique, ac divisi sunt per centurias ut assignarentur militibus, quorum virtute capti erant amplius quam destinatio modi, quamve militum exigebat numerus, qui superfuerant. Agri vectigalibus subjecti sunt, alii per annos quinos, alii in plures: finito vero illo tempore, iterum venduntur locanturque, ita ut vectigalibus est consuetudo. In quo tamen genere agrorum sunt aliquibus nominatim redditæ possessiones, id habeant scriptum in formis, quantum cuique eorum restitutum sit. Hi agri qui redditi sunt, non obligantur vectigalibus, quoniam scilicet prioribus dominis redditi sunt. Mancipes autem qui emerunt lege dicta jus vectigalibus, ipsi per centurias locaverunt, aut vendiderunt proximis quibusque possessoribus, &c. Virginum quoque vestalium, & sacerdotum quidam agri vectigalibus redditi sunt, & locati &c. Solent vero & hi agri accipere per singula lustra mancipem, sed & annua conductione solent locari.*

Agri assignati. *Divisi & assignati agri sunt, qui veteranis, aliisve personis per centurias certo modo ascripto, aut dati sunt, aut redditi, veteribus possessoribus redditi, commutatique pro suis sunt: Hi agri leges accipiunt ab his qui veteranos deducunt, & ita propriam observationem eorum lex data præstat in his agris. Sed & subcisiva aliquando compascua, sicut in his, qui vectigalibus serviunt, & in hoc genere sunt. Quædam autem vectigalia, quæ intra perticam in eam regionem comprehensa sunt, aut si quid superfuit quod non assignaretur, reservatum, aut redditum, relocatumque est cuiquam coloniæ.*

Hæc omnia ex Hygeno. Idem de agris sorte divisis:

*Mensura peracta sorte dividi debent, & inscribi nomina per decurias, per homines denos. Sed in formas sectari denum hominum acceptas, & quod singuli accipere debent, decem in unum conjungantur, & in sortem inscribi. Sors prima D. D. I. & II. & III. & IIII. & cardinem illum, quousque mensura expleri decem hominum debebat, id est, in quot centuriis. Similiter omnium decuriarum nomina in sortibus in-*

*ſcripta, & qua parte quæ, aut quota ſors modum habeat, utrum ultra, & dextra, utrum ſiniſtra, & ultra, citra; deinde ex decuriis antequam ſortes tollant ſingulorum nomina in pittaciis, & ſorticulis, & id ipſi ſortientur, ut ſciant quis primo, aut quotocunque loco exeant. Igitur omnem ſortem ponere debent, in qua totius pecuniæ modus adſcriptus erit. Hæc ſortitio ideo neceſſaria, ne quis queri poſſit, ſed ante debuiſſe ſortem tollere, & in meliorem ſort aſſe incidere agri modum, aut ſit diſceptatio, quis ante ſortem tollere debeat, cum omnes in æquo ſint.*

Hæc Hygenus, ex quibus qui agri Quæſtorii, qui vectigales, quæ deductio coloniarum, quæ ſortitio fuerit agrorum, inter veteranos agnoſcas. Verba ſi quæ tibi viſa fuerint impedita, lege gloſſas agrimenſorias Nicolai Rigaltii, qui auctores finium regundorum doctiſſime illuſtravit. Interim hæc habeto ex Siculo Flacco:

Centuriæ unde dictæ.

*Centuriis vocabulum datum eſt, ex eo quod centenis hominibus ducenta jugera dederunt, & ex hoc facto centuria juſte appellata eſt.* Idem, *Centuriæ non per omnes regiones ducenta jugera obtinent.* Siculus Flaccus formam, centuriationem, perticam, metationem, pro eodem accipit. Cancellatio item, commentarius, typus, liber æris, tabularium Cæſaris pro eodem ſumuntur. Trajanus Plinio: *Et ut ſcias dediſſe me jus trium liberorum Suetonio Tranquillo, ea conditione qua aſſuevi, & referri in commentarios meos juſſi.* Imperatores agros ſæpe diviſere, modumque centuriis ſecundum agri magnitudinem dedere. In Italia triumviri jugerum quinquagenum, alicubi ducenum, Cremonæ jugera 210. D. Auguſtus in Beturiæ Emerita, jugera 400. D. Auguſtus aſſignationibus ſuis numero limitum inſcriptos lapides omnibus centuriarum angulis defigi juſſit. Voluerunt autem limites inſcriptionibus cludi, ut ita cujus centuriæ eſſet lapis, intelligeretur. Coloniæ pleræque deductæ ſunt creatis triumviris, & lege triumvirali, quædam a populo, nonnullæ a militibus. Julius Frontinus lib. de Coloniis:

*Aquinum muro ducta Colonia, a triumviris deducta. Ager ejus perennis limitibus aſſignatus eſt, id eſt, in ejus agro perennes linearum diſcretiones obſervatæ. Abellino muro ducta colonia, lege Sempronia, deducta. Iter populo non debetur. Ager ejus veteranis eſt aſſignatus. Antium populus deduxit, ager ejus in laciniis eſt aſſignatus.*

Deducebantur milites veterani, qui ſe apud Tacit. lib. 1. Annal. uligines paludum, vel inculta montium per nomen agrorum accipere conqueruntur. Querela non abſimilis eſt apud Saluſtium: *Egregia ſcilicet mercede, cum relegati in paludes ac ſylvas contumeliam atque invidiam ſuam præmia penes alios intelligunt.* Flaccus tamen Siculus ſylvas & loca aſpera, in aſſignationem non veniſſe ſcribit. Si quid amari, vel incerti ſoli eſſet, id aſſignatione non datum, ſed militi, veteranoque culturam aſſignatam. Quandoque & veteranis, & colonis ipſis dati ſunt, ſive additi, permixtique cives quorum dignitas, aut gratia, aut amicitia victorem ducem moverat, ut eis concederet agros ordinario ſuo & hæreditario jure poſſidendos. Ager interdum pro parte culturæ in laciniis & ſtrigis aſſignatus. Interdum in jugeribus, nonnunquam per centurias, & ſtrigas, aut in præciſuras ſacras: interdum ager limitibus Auguſteis eſt aſſignatus, aut per centurias, & ſcamma. Agrum Bovillarum ex occupatione milites veterani tenuerunt in ſortem. Agrum Capuæ Coloniæ Cæſar in jugeribus militi pro merito dividi juſſit. In laciniis aſſignatus dicitur, cum per particulas aſſignatur, ita Columella, gregem in lacinias diſtribui ait. lege Julium Frontinum lib. de Coloniis: *Quædam oppida deducta ſunt ſine coloniis, cum civibus ipſis devictis agri redditi, ſic ut Coloniarum jure & conditione cenſerentur, agris ipſis pro Imperatoris, aut conditoris arbitrio redditis, aut commutatis.* Julius Frontinus: *Bovianum lege Julia milites deduxerunt ſine coloniis. Abella municipium coloni, vel familia Imperatoris Veſpaſiani juſſu acceperunt.* Colonis aſſignati agri, id eſt, militibus veteranis, vel pro merito, ita ut modum jugerationis ob militiæ meritum quiſque acciperet, vel prout quiſque occupaverat, poſſidebat in abſoluto. Nonnunquam id quod quiſque occupaverat, permittebatur ſorti. Frontinus lib. de Colonis: *Gabii oppidum lege Sullana munitum. Ager ejus militibus ex occupatione cenſitus. Interamne oppidum muro ductum a triumviris eſt munitum. Ager ejus militis merito eſt aſſignatus in laciniis limitibus intercifivis. Ager Præneſtini oppidi a quinque viris pro parte in jugeribus eſt aſſignatus, ubi cultura eſt. Cæterum in abſoluto eſt relictus circa montes.* Item alibi, *ager ejus in abſoluto reſedit.* Item, *in ſoluto remanſit.* Interim enim oppidorum quæ rebellaverant, territoria, victis pulſiſque civibus colonis ipſis adjudicata *in abſoluto*, id eſt, ſine lege & finitione *Laurum Lavinia* (alii *Lauro-lavinium* vocant) *lege & conſecratione veteri eſt aſſignatus*, id eſt, ordine veteris aſſignatoris, & ſecundum veterem conſecrationem. Publius Africanus apud Aſconium veterem Carthaginem tectis ac mœnibus nudatam ad æternam hominum memoriam conſecravit. Appianus, ἐπηράσατο μηλόβοτον εἶναι. Suetonius in Julio: *Campum Stellatem a majoribus conſecratum diviſit extra ſortem.* conſecratum velut eſſet μηλόβοτος, vel terminis ac conditionibus agri poſitis. Hygenus dixit: *Finem conſtituimus, & multa conſecratione ſignavimus. Finitis ergo* (ait ille lib. de limitibus conſtit.) *ampliorum bellorum operibus augendæ Reip. cauſſa illuſtres Romanorum juri urbes conſtituerunt, quas aut victoribus populi Rom. civibus, aut militibus aſſignaverunt, & ab agrorum nova dedicatione culturæ colonias appellaverunt. Victoribus autem aſſignatæ coloniæ his, qui temporis cauſſa arma acceperant. Erat tunc præmium terra, & pro emerito habebatur. Multis legionibus contigit bellum feliciter tranſigere, & ad laborioſam agriculturæ requiem primo tirocinii gradu pervenire*, &c. Juvenal. ſatyr. 14. parcimoniam veterem ſignificat:

*Tandem pro multis vix jugera bina dabantur*
*Vulneribus: merces ea ſanguinis, atque laboris,*
*Nullis viſa unquam meritis minor.*

Hygenus: *Solent enim multi agri ad pretium emeritorum aſſignari. Nam cum ſigna & aquilæ a primis ordinibus ac tribunis deducebantur, modus agri pro portione officii datus*, Tacit. l. 14. Annal. *Non ut olim univerſæ legiones deducebantur, cum tribunis, & centurionibus, & ſui cujuſque ordinis militibus, ut conſenſu & caritate Remp. efficerent, ſed ignoti inter ſe diverſis*

*manipulis sine rectore, sine affectibus mutuis, quasi ex alio genere mortalium repente in unum collecti, numerus magis quam colonia.*

*Ferunt quidam*, ait Hygenus, *indictum postea modum belli, & expleta centesima hostium congressione, ad colendarum reductos terrarum agros. D. Julius vir acerrimus, & multarum gentium domitor, tam frequentibus bellis militem exercuit, ut dum victorias numerat, congressionum multitudinem oblivisceretur. Nam milites ultra stipendia emerita detinuit, &c. Æque D. Augustus in assignata orbi terrarum pace exercitus qui sub Antonio, aut Lepido militaverant, pariter & suarum legionum milites colonos fecit, alios in Italia, alios in provinciis, quibusdam deletis hostium civitatibus novas urbes constituit, quosdam in veteribus oppidis deduxit, & colonos nominavit. Illas quoque urbes, quæ deductæ a Regibus aut Dictatoribus fuerant, quas bellorum civilium interventus exhauserat, dato iterum coloniæ nomine numero civium ampliavit, quasdam & finibus, &c. Multis coloniis immunitas agri vicit assignationem, & cum plus terræ quam datum erat, superesset, proximis possessoribus datum est in commune nomine compascuorum, &c. Hæc beneficio coloniæ habent, in forma compascua publica Juliensium inscribi debent: nam & vectigal quamvis exiguum præstant.*

CAP. VI.

*De Portorio.*

Portorium.

VEctigalia Pop. Rom. tribus maxime rebus definita esse ostendimus, Portorio, Decumis, Scriptura. Cic. pro lege Manil. *Itaque neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal conservari potest.* Item, *ubertate agrorum, magnitudine pastionis, multitudine eorum quæ exportantur.* Et iterum, *cum publicani familias quas in portubus habent.* Quo loco pro *silvis* aut *salictis* vulgo recte legi videtur *salinis*. Τέλος illud fuit ἐξαγωγικὸν καὶ εἰσαγωγικὸν, *vectigal pro invectione & evectione mercium*. Arist. 2. Oeconom. ἐλλίμενιον *portorium* vocat, *πωλουμένου τοῦ ἐλλιμενίου εἴκοσι ταλάντων, cum viginti talentis Portorium venderetur.* Pollux: *ἐλλιμενίζεις, ἢ δεκατεύεις. Portoria, aut decimas exigis.* Demosthenes ἐλλιμενιστὰς, *Portitores.* Vet. gloss. *Portorium*, τέλος ἐν λιμένι, *vectigal in portu. Portarium*, τέλος πύλης, *vectigal portæ.* Fuit enim & Portorium e mercibus, quæ per portas in urbes importabantur, vel exportabantur. Hesych. *εἰσηλύσιον τίμημα εἰσόδου, ἢ τέλος, æstimationem ingressus, aut Portorium* vocat, quæ vox facta est, ab *εἰσέρχομαι, ingredior.* In pontibus quoque pro transitu vectigal datum Seneca docet: *Nec indignabitur sapiens aliquid impendere, ut limen transeat, cogitans & in pontibus quibusdam pro transitu dari.* Herodianus exactiones fuisse ait *ἐπί τε ταῖς ὄχθαις ποταμῶν, καὶ λιμέσι πόλεων, ἔν τε ὁδῶν πορείαις, & in ripis fluminum, & portubus urbium, & viarum transgressibus.* Vectigalis quod in itinere penditur, mentio fit l. 21. D. de donat. inter vir. & uxor. *si quis pro uxore sua vectigal in itinere quod præstari solet, solvisset.* Fuerunt & Portoria rerum venalium & castrorum. Livius lib. 32. *Africanus & Pætus censores portoria rerum venalium Capuæ Puteolisque, item castrorum portorium fruendum locarunt.* Sueton. lib. 1. cap. 43. *Julius Cæsar peregrinarum mercium portoria instituit.* Portoria sublata sunt eo pæne tempore, quo Clodius a patriciis ad plebem transiit. Dio lib. 37. *Καὶ ἐπειδὰν τὰ τέλη δεινῶς τήν τε πόλιν καὶ τὴν ἄλλην Ἰταλίαν ἐλύπει*, &c. *Et quoniam portoria graviter urbem & reliquam Italiam offendebant.* Lex quæ Portoria tollebat, omnibus grata erat. Senatores autem offensi Prætori qui legem ferebat (erat enim hic Metellus nepos) voluerunt nomen ejus delere de lege, & alium pro ipso ascribere legis auctorem. Quod factum non est. Unde apparuit eos ne beneficia quidem accepta & grata habere, quæ a perniciosis civibus profecta essent, ut ibidem Dio. Cic. lib. 2. ad Atticum: *Jam illa causa publicanorum quantam acerbitatem afferat sociis, intelleximus ex sociis, qui nuper in portoriis Italiæ tollendis, non tam de portorio, quam de nonnullis injuriis portitorum querebantur.* Hoc addo publicanos Rom. aliis gentibus portoria non solvisse. In tabula fœderis Rom. cum Pisidis lex ita posita est: *Quam legem portoriis terrestribus, maritimisque Thermenses majores Pisidæ capiundis intra suos fines dixerint, ea lex iis portoriis capiundis esto, dum ne quid portorii ab iis capiatur; qui publica Pop. Rom. vectigalia redempta habent.* Et in fœdere cum Ambraciensibus: *Ambracienses portoria quæ vellent terra marique caperent, dum eorum immunes Rom. ac socii nominis Latini essent.* Plato lib. 8. de legib. portoria omnia ex sua Rep. sustulit, ut mercatores ad rerum copiam invehendam allicerentur. Nero cavit, ne censibus negotiatorum naves ascriberentur, neve tributa pro illis penderent, Tac. lib. 13. Annal. Res quædam a portoriis liberæ fuere, puta quas ad usus domesticos privati ferrent, ut exercendi agri caussa, vel quæ ad fiscum pertinerent, l. 5. C. de vectigal. l. *locatio.* §. *fiscus.* D. de pub. Sed neque ea portorii onere premuntur, quæ in usus Præsidum & Ducum, qui præsunt exercitibus, deportantur, l. 4. ibid. Neque ii qui res fisci tractant, portoria pro rebus suis pendunt, d. l. *locatio.* De injuriis Portitorum in mercibus excutiendis supra pluribus egimus, quos interdum mulctam pecuniariam imposuisse Varro apud Nonium docet, æs defraudasse cauponem, cauponam luto oblivisse, tum portitores æra indixisse. His addo provincias quasdam fuisse, quæ immunes a portoriis & vectigalibus essent. Tacit. lib. de Morib. German. *Catti nec tributis conteruntur, nec publicanus atterit. Exempti oneribus & collationibus, & tantum in usum præliorum sepositi, velut tela atque arma, bellis reservantur.*

Admonui vet. glossas *portorium* & *portitorium*, τέλος & τελωνεῖον vocare. Ad portorium pertinent ea quæ colligebantur ex navigiis, & quæ olim navalibus addicta erant, ut scribit Symmachus lib. 5. ep. 62. Festus dimidiato conduci portoria docet, id est, portitores dimidiatam quæstus partem accipere. Julius Firmic. lib. 4. Astron. cap. 2. *Conductores vectigalium quorum actus circa aquam jus conductionis exercent, ut quartarii, muliones, mercenarii, qui quartam quæstus partem capiebant.* Carolus magnus lib. 3. cap. 12. & cap. 14. Quadruplatores vocat, qui quartam portorii partem consequebantur.

Pertinentia ad portorium.

Conductores vectigalium.

Quadruplatores

## CAP. VII.

*De Comitibus portus Romæ & Ravennæ.*

Comites portus Romæ & Ravennæ.

ARistoteles sub finem lib. 6. Polit. *λιμενάρχας* & *λιμενοφύλακας* vocat, eos qui portum observabant, de quibus l. 4. D. de fugit.

Alii autem erant Comites portuum a portitoribus. Comes enim portus Romæ explorabat naves portum ineuntes, & a mercatoribus consuetudines exigebat. Comes Ravennæ navium copiam procurabat, & si quid novi negotii emergeret, navigiolis ac dromonibus summa celeritate Romam nuntiabat. Cassiod. lib. 7. form. 9. *Unusquisque mercatorum pro solemnitate commonitus offerat voluntarium munus. Xenia sunt ista non debita. A paucis accipit qui nimium quærit.* formul. 14. Comitis Ravennæ administratio vocatur *mediocris. Navium copiam procurat. Negotiatorum operas nec nimias exigas, nec venalitate derelinquas. A dignitatibus Palatii nostri vix in evectionibus scribitur, & jam a te summa celeritate comp'etur.* Comites illi portuum libera Republica non erant, sed soli portitores, qui merces in portum invectas, aut e portu evectas inspiciebant. Imperatores sarta tecta portus & phari curarunt, & Comites portus instituerunt, qui a Tarracinensibus & Thuscis calcem convehendam curarent ad portum muniendum, l. 3. C. de calc. coctorib. *Illic copiosus navium prospectatur adventus, illic veligerum mare peregrinos populos cum diversarum provinciarum merce transmittit. His primum faucibus Romanæ delitiæ sentiuntur, & undis Tiberinis quasi per alveum vadunt quæ ad commercia civitatis ascendunt*, ait Cassiodor. lib. 7. form. 9. Comes portus curabat & horrea portuensia per patronos portuenses, C. Theod. de patro. portuensib. & saccariis, id est, bajulis. Præfectus urbi mittebat ex officio apparitores ad portum, si quid novi operis moliendum esset, ut S. Ambros. scribit epist. 33. *Apparitor præfecturæ qui propter operas portuenses offensam contraxerat.* Aurelianus in portu Ostiæ forum nominis sui ad mare fundavit, ut scribit Vopiscus. Portitores olim, & rationales sub Imperatoribus *ἐλογίστευον τὰ κατὰ τὰς πόλεις*, *rationem subducebant portoriorum per urbes*, ut ait Eušeb. lib. 9. ecclesiast. histor. *ἐδόκει λογιστεύειν τὰ κατὰ τὴν Ἀντιοχείαν.*

## CAP. VIII.

*De Decumis in genere.*

Decumæ in genere.

VEctigalia olim & Romæ & in cæteris gentibus, mancipibus locari, unde pecunias reficerent, moris fuit. Joseph. lib. 12. orig. cap. 4. *Ἐνστάσης δὲ τῆς ἡμέρας καθ' ἣν ἔμελλε τὰ τέλη πιπράσκεσθαι τῶν πόλεων ἐν Αἰγύπτῳ, ἠγόραζον οἱ τοῖς ἀξιώμασιν ἐν ταῖς πατρίσι διαφέροντες*, &c. *Cum instaret dies, qua vectigalia urbis vænire oportuit, emebant ii qui dignitate in patria præcellebant.* Et cum vectigalia Syriæ, Phœnices, Judææ, & Samariæ octo millibus talentorum redimerentur, &c. Decimæ frumenti apud Cranonios pecunia redimebantur auctore Polyæn. lib. 2

A *Κρανωνίων τῆς πόλεως τὴν τοῦ σίτου δεκάτην ἀπομισθοῦντος, ἀδελφὸν αὐτοῦ νεώτερον τὰ τέλη καθῆκεν μισθωσάμενον*, &c. *Cum cunctas frumenti decimas mercede locaret, fratrem suum juniorem submisit, qui vectigalia redimeret, ad summa pretia reditus attollens.* Ita cum fratrem suum decumanum in urbe constituisset, & multos ei juvenes florenti ætate adjunxisset, qui agros obirent, ut fructus decimatos colligerent. Sic interpretor illa verba, *καὶ πολλοὺς νεανίσκους ἀκμάζοντας ἐγχειρίσας περιπόλους τῶν χωρίων εἰς συλλογὴν τῶν δεκατευομένων καρπῶν*, non *εἰς συλλογίας*.

B Decimæ autem variæ fuere. Quædam eorum, quæ in urbem importarentur. Aristot. Oecon. lib. 2. cap. 2. *νόμου ὄντος ἐν Βαβυλωνίᾳ παλαιοῦ δεκάτην εἶναι τῶν εἰσαγομένων*, *Cum Babylone lex vetus esset, ut decimæ eorum penderentur, quæ importata essent.* Xenophon. pag. 423. *ἀπέδοτο τὴν δεκάτην ἐκ τοῦ Πόντου πλεόντων*, *persolvit Byzantii decimam, quam debebant ii qui a Ponto navigabant.* Aliæ decimæ bonorum omnium fuere, quas Triumviri per vim ab omnibus civibus exegerunt, ait Zonaras, *ἐδεκατοῦντο τὰς οὐσίας ἁπάντων πολιτῶν.* — Decimarum varietas.

C Fuerunt & Decimæ Diis votæ eorum omnium, quæ nata essent eo anno. Dionys. lib. 1. *οἱ Πελασγοὶ εὔξαντο καταθύσειν τὰς δεκάτας τῶν προσγενησομένων ἁπάντων.* Unde Callimachus in Delo, *δεκατηφόρους ἀπαρχὰς*, *primitias decimam ferentes* vocat: — Decimæ votæ Diis.

*Ἀλλά τοι ἀμφιετεῖς δεκατηφόροι αἰὲν ἀπαρχαὶ*
*Πέμπονται.*

*Sed tibi primitiæ annuæ decimanæ semper mittuntur.* Arist. lib. 2. Oeconom. *πρόσοδον ἐκ γῆς· οἱ μὲν δεκάτην, οἱ δὲ ἐκφόριον προσαγορεύουσι*, D *reditum e solo quidam decimam, alii proventum vocant.*

Erant & decimæ bonorum, quas Herculi pollucere moris fuit. Plaut. Sticho, *ut decimam partem Herculi polluceam.* Plutarch. in Sylla *ἀποθύων τῆς οὐσίας ἁπάσης τὴν δεκάτην τῷ Ἡρακλεῖ. Pollucens omnium bonorum decimam Herculi.* Cic. lib. 2. offic. *Oresti nuper prandia in semitis decumæ nomine magno honori fuerunt.* Arist. apud Suidam: *Τὰς γὰρ δεκάτας τῶν κοιλιῶν τῶν θυομένων ἐδίδοσαν ἐν τῷ πρυτανείῳ. Decimas abdominum victimarum quæ immolatæ essent in Prytaneo, dederunt.* Idem *ἀδεκατεύτους*, *immunes*, *δεκατευτὰς*, *decumanos*, E ut supra ostendimus. — Herculi pollucta.

Erant & decimæ vini & olei, ut Cic. 5. in Verrem: *L. Octavio & C. Cotta Coss. senatus permisit, ut vini decumas & frugum minutarum, quas ante te (Verrem lege) Quæstores in Sicilia vendere consuessent, Romæ venderent, legemque bis rebus, quæ ipsis videretur, edicerent.* — Vini & olei.

## CAP. IX.

*De Decumis frumenti.*

Decumæ quid significent.

F DEcumæ igitur proprie decimam fructuum partem significant, a quibus Ciceroni in Verrem, *ager vectigalis Pop. Rom. ex parte decima* dicitur. Item, *omnis ager Siciliæ decumanus est.* Tacitus lib. de mor. German. *decumates agros* vocat. Eæ interdum infra modum legitimum a Censoribus definiebantur. In Sicilia enim singula jugera singula

medimna solvebant, ut Cic. 5. in Ver. pro quibus tria medimna exegit Verres. In provinciis autem Pop. Rom. non eadem semper ratio, modusque decimarum servatus est. Asiæ enim certum non erat impositum stipendium, sed pro anni copia vel inopia uberius aut angustius vectigal exigebatur. Appian. l. 5. civil. *οὐ πρὸς τὰ τιμήματα ὑμῖν ἐπεθήκαμεν ὡς ἂν ἡμεῖς ἀκίνδυνον φόρον ἐκλέγωμεν, ἀλλὰ μέρη φέρειν τῶν ἑκαστότε καρπῶν ἐπετάξαμεν, ἵνα καὶ τῶν ἐναντίων κοινωνῶμεν ὑμῖν. Vectigal vobis non ex censu imposuimus, ut tributum periculi expers colligamus, sed ut partes fructuum conferretis constituimus, ut & rebus vestris adversis communicemus.* Cæteris provinciis aut vectigal certum impositum est, quod stipendiarium dicitur, ut Hispanis & plerisque Pœnorum, quasi victoriæ præmium ac pœna belli, aut censoris locatio constituta est, ut Asiæ lege Sempronia, ait Cic. lib. 3. in Ver. *Siciliæ civitates sic in amicitiam fidemque recepimus, ut eodem jure essent, quo fuissent, eadem conditione Pop. Rom. parerent, qua suis ante paruissent. Perpaucæ Siciliæ civitates sunt bello a majoribus nostris subactæ, quarum ager cum esset publicus Populi Rom. factus, tamen illis est redditus. Is ager a Censoribus locari solet. Fœderatæ civitates duæ sunt, quarum decumæ venire non soleant, Mamertina & Tauromintana. Quinque præterea sine fœdere immunes ac liberæ, &c. Præterea omnis ager Siciliæ civitatum decumanus est.* 5. in Verr. olim a Siculis tres decimæ frumenti solutæ, 1. sine pretio, 2. empta tribus H. S. 3. empta 4. sestertiis. Postea non decima ab aratoribus, sed quadragesima; ut ab aliis provinciis exacta est. l. 9. C. de suscept. & arcar. Lege autem Censoria descriptio & conditio in locatione vectigalium continetur, qua cavetur quibus ex rebus vectigal, quemadmodumque capiatur, quæ plerumque erat asperior in provinciales, municipibus favebat. Alphenus l. *in lege Censoria* D. de verb. sign. *In lege Censoria portus Siciliæ ita scriptum erat: Servos, quos domum qui ducet suo usu, pro his portorium ne dato.* Cic. l. 3. de nat. deo. *Nostri quidem publicani, cum essent agri in Bœotia Deorum immortalium excepti lege Censoria, negabant immortales esse ullos, qui aliquando mortui fuissent.* lib. 2. ep. 1. ad Q. frat. *Possunt in pactionibus faciendis non legem spectare Censoriam.* Ea lex fiebat a Censoribus, cum publica vectigalia locarent. Livius lib. 43. *In Censura Claudii & Sempronii edixerunt, nequis eorum qui Q. Fulvio & Aulo Postumio Censoribus publica vectigalia, aut ultro tributa conduxisset, ad hastam suam accederet.* Varro libro 2. de Re rustic cap. 2. & Cic. de provinciis consularibus, legem Censoriam vocant, quæ in publicorum locationibus dicta erat. Idem Varro *lustrum* nominatum esse tempus quinquennale ait, a *luendo*, id est, solvendo, quod quinto quoque anno vectigalia, & ultro tributa persolvebantur. Agri igitur vectigales decumas Pop. Romano pendebant. Hoc frumentum militibus admetiebantur, & urbanæ plebi modo semissibus, modo trientibus: tandem lege Clodia semisses & trientes sublati sunt, gratisque admensum plebi urbanæ frumentum.

Frumentum vectigale triplex.

Frumenti autem quod ex provinciis extrahebatur tria genera fuerunt, decumanum, emptum, & æstimatum. Decumanum erat decuma, quam quisque arator sine pretio dare cogebatur. Quæ summa pro copia vel inopia frumenti in singulos annos erat incerta. Emptum, quod aratores vendere accepto ex S. C. pretio cogebantur ad alendum Romæ populum. Æstimatum, quod æstimabat magistratus in cellam suam in usum familiæ, cum interdum pro frumento pecuniam acciperet, ut Ascon. in Ver. Cic. divinat. in Ver. *Queritur Sicilia tota, C. Verrem ab aratoribus, cum frumentum sibi in cellam imperasset, essetque tritici modius H. S. duorum, pro frumento in modios singulos duodenos sestertios exegisse.* Item: *Emptum est ex S. C. frumentum ab Siculis Prætore Verre, pro quo frumento pecunia omnis soluta non est.* Item: *Mancipes e civitatibus pro frumento pecuniam exegerunt. Quod crimini datur Verri.* Plinius Panegy. *Devehunt ipsi quod terra genuit, quod sidus aluit, quod annus tulit: nec novis indictionibus pressi ad vetera tributa deficiunt. Emit fiscus, quicquid videtur emere: inde copiæ, inde annona.*

Empti frumenti genera duo.

Emptum duplex fuit. Unum decumanum quod ex alteris item decimis pretio persoluto aliquando accipiebatur. Ut enim Livius scribit libro 37. duæ decimæ frumenti sæpe imperabantur provinciis. Alterum imperatum, quod præter duas decumas æqualiter omnibus civitatibus pretio item soluto imperabatur, ut Ascon. Cic. 5. in Verrem: *Decumæ in Sicilia lege & consuetudine trahuntur: alteræ novis institutis propter annonæ rationem imperantur.* Nummi argentei sunt, Pisonis & Cæpionis, in quibus cernuntur duo viri inter spicas sedentes, cum inscriptione: *Ad frumentum emendum ex S. C.* Tacit. in Agricola: *Provinciales emere frumenta & vendere cogebantur, divortia itinerum & longinquitas regionum indicebatur, ut civitates a propinquis hybernis in remota & avia deferrent.* In Lapide Augusti legitur, *Frumento privatim coempto. Coemptio* dicitur *συνωνή*, cum undique fiscus a provincialibus etiam invitis species annonarias usui publico vel exercitui necessarias emit. Cura coemendi frumenti dicitur *sitonia*, vel *sitonium*, libro 57. Basilic. *Non fit coemptio sine auctoritate Principis, nisi si qua municipia annonæ caritate laborent.* Item, *coemptio fit pro numero jugorum & capitum, πρὸς τὴν ἀναλογίαν τῶν ζευγῶν ἤτοι ζυγοκεφάλων*, Novel. 17. Sed ut ad Asconium redeamus, emitur quotannis frumentum publice in cellam magistratibus & legatis imperatum. Cic. 5. in Verrem: *Prætor in cellam frumentum sumit.*

Frumentum honorarium.

Erat & honorarium frumentum. Cic. in Pison. *Qui modus tibi fuit frumenti æstimandi, qui honorarii, siquidem potest vi & metu extortum honorarium nominari.* Unde sequitur honorarium fuisse frumentum quod honoris caussa sponte & sine metu Prætori daretur a Provincialibus. Doctissimus Budæus ad l. *solet.* de offic. Procos. honorarium illud non de frumento accipit, sed ex Plin. lib. 10. epist. de honorario, quod Decuriones pro introitu curiæ dabant. Melius Isidorus, vinum, & frumentum honorarium honori Prætoris datum ait.

Canon frumentarius.

Postea *canon frumentarius, canon glebæ* vocari cœptus. Canon enim anniversariam pensitationem, præstationem, functionem, collationemque significat. Sidon. lib. 6. epist. 1. *Debitum glebæ canonem non petatis.* Vopiscus: *Canon Ægypti vobis integer veniret.* Lampridius in Helagab. *Jussit canonem P. R. unius*

*anni esse, cum eo tempore juxta provisionem Trajani septem annorum canon frumentarius esset*. Spartianus in Severo: *Rei frumentariæ quam minimam repererat, ita consuluit, ut excedens ipse vita septem annorum canonem P. R. reliquerit, ita ut cottidiana 75. millia modiorum expendi possent*. Itaque canon præstationem significat ordinariam, quam immutari Impp. Leo & Anthemius vetuerunt l. ult. de canon. largitional. tit. lib. 10. C. l. 1. eod. tit. l. 2. de canon. fru. urb. Rom. lib. 11. C. Erant ex canone quoque annonæ quædam annuæ ad victum cultumque corporis, in frumento, vino, hordeo, larido. Provinciales enim pendebant, frumenti quinquagesimas, hordei quadragesimas, vini & laridi vicesimas. Armenii quia longius dissiti, pendebant tantum frumenti & hordei quadragesimas, vini & laridi quintas decimas l. 9. lib. 10. C. de suscept. præpos. & arcariis. Ægyptios olim regi quintam fructuum partem solvisse docent sacræ litteræ Genes. cap. 47. Beneficium autem erat Principum donare possessiones dempto canone, & levare possessiones tributis, l. 1. C. lib. 10. tit. de collat. donat. Denique ut hoc caput aliquando claudamus, in portoriis & scriptura publicani pecunias exigebant, non item ob frumentum. Unde lib. 1. in Verr. crimini vertitur mancipibus, quod affinitatibus pecunias pro frumento exegerint. Et 5. in Ver. puniendus Verres esse dicitur, quod aliquot nominibus de capite frumenti decumas detraxerit.

## CAP. X.

### *De Invectione frumenti.*

Invectio frumenti.

HUnc locum supra pluribus illustravimus, quibus hoc addo, Augustum ex Ægypto urbi annua ducenties centena millia frumenti Romam invehenda curasse, narrante Victore. Sub Tiberio majorem e provinciis quam sub Augusto frumenti modum invectum fuisse indicat Tacit. lib. 6. Annal. Addiditque, quibus e provinciis, & quanto majorem quam Augustus rei frumentariæ copiam advectaret. Idem lib. 13. *Temperata apud transmarinas provincias frumenti subvectio, ne molestiæ provincialibus fierent Nerone faciente. Immunitas illis data est, qui subvehendo frumento inservirent*. Quod autem Tacitus scribit temperatam apud transmarinas provincias frumenti subvectionem, & ne censibus negotiatorum naves adscriberentur, tributumque pro illis penderent constitutum, ad negotiatores & navicularios qui annonam adjuvabant, referri debet. Illi enim immunes sunt a muneribus publicis, quandiu in ejusmodi actu sunt. Nam remuneranda pericula eorum, & præmiis adhortanda l. 5. de jure immunit. D. sed & qui naves fabricaverint, & ad annonam populi Rom. præbuerint non minores 50. millium modiorum, donec hæ naves navigant, aut aliæ in earum locum, muneris publici vacationem habent. l. 3. D. de vacat. & excusat. muner. Aliæ naves muneribus obnoxiæ sunt. Quod idem Athenis obtinuit. Scholiast. Aristoph. in Pluto: Τινὲς τὴν ἐμπορίαν προεφασίζοντο τὴν εἰσφορὰν βουλόμενοι φυγεῖν. *Quidam mercatores se simulabant, ne tributa penderent*. Constantinus frumentum Alexandrinæ ecclesiæ pauperibus alendis transcripserat. Socrates lib. 2. hist. τῇ Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίᾳ σιτηρέσιον ἤδη πρότερον δεδώρητο ὁ τοῦ Αὐγούστων πατὴρ εἰς διατροφὴν τῶν πτωχῶν. Jovianus modum frumenti quem Constantinus posuerat, quemque Julianus ademerat, ecclesiis restitui jussit. Theodoret. lib. 4. τοῦ σίτου τὴν σύνταξιν ἀποδοθῆναι ταῖς ἐκκλησίαις κελεύσας. De panibus qui dari soliti, P. Diaconus l. 13. pag. 374. Claudianus l. 2. in Eutrop.

*Quæ suscepta fames, quantum discriminis Urbi,*
*Ni tua, vel soceri nunquam non provida virtus,*
*Australem Arctois pensasset frugibus annum.*
*Invectæ Rhodani Tiberina per ostia classes,*
*Cynipbiisque ferax Araris successit aristis.*
*Teutonicus vomer, Pyreneique juvenci*
*Sudavere mibi: segetes mirantur Iberas*
*Horrea, nec Lybiæ senserunt damna rebellis*
*Jam transalpina contenti messe Quirites.*

Julianus in epistolis pag. 327. 30. millia modiorum ad usus pauperum contulerat. epist. ad Libanium ναῦς πληροῦνται ποταμίαι πυροῦ, μᾶλλον δὲ ἄρτων ξηρῶν καὶ ὄξους. Claudianus Panegyr. 2. Stilic.

*Et populus quem ductor amas, quibus Africa per te*
*Nec prius auditas Rhodanus jam donat aristas.*
*Ut mibi vel Massyla Ceres, vel Gallica prosit*
*Fertilitas, messesque ferat nunc bumidus auster,*
*Nunc aquilo, cunctis ditescant horrea ventis.*

Paneg. 3.

——— *Quis Gallica rura,*
*Quis meminit Latio Senonum servisse ligones?*
*Aut quibus exemplis fœcunda Tybris ab arcto*
*Vexit Lingonico sudatas vomere messes?*

Si Ægyptus clauderetur, ex Africa petebantur frumenta; si Aphrica non responderet, e Gallia & Hispania. Claudianus de laudib. Serenæ:

—— *Phariæ segetes & Punica messis*
*Castrorum devota cibo, dat Gallia robur*
*Militis, Illyricis sudant equitatibus alæ.*

Petrus Raven. serm. 25. Frumenta quæ sunt in horreis, *condita* vocat. serm. 23. *Si sacculorum condita forte te delectant*. Idem *condita* de pecuniis hominis avari dixit.

## CAP. XI.

### *De Scriptura.*

IN agris vectigalibus Scriptura tertium locum obtinuit, quæ proprie dicta est ratio eorum, qui vectigal e pascuis percipiunt. Interdum pro ipso accipitur vectigali, quod e pascuis reficitur. Dicuntur calles & saltus. Festus: *Scripturarius ager publicus appellatur, in quo ut pecora pascantur, certum æs tribuitur, quia publicanus scribendo conficit rationem cum pastore*. Lex Thoria mulctat eos, quorum pecora agros publicos depascunt, ut docet Cic. 2. de orat. inde mulctatitia pecunia refecta, ex qua ludi florales editi. Ovid. 5. fast.

Scriptura vectigalium quid sit.

Scripturarius, ager publicus.

*Rem populus recipit, mulctam subiere nocentes:*
*Vindicibus laudi publica cura fuit.*
*Mulcta data est ex parte mibi, magnoque favore*
*Victores ludos instituere novos.*

Certe olim vectigal Romanis unum fuit, pascua dictum, quare & in Censoriis tabulis omnia dicuntur pascua, ex quibus vectigal reficitur, ait Plinius lib. 8. c. 3. *Magistri Scripturæ* erant qui vectigalia describebant, quos Lucillius *scripturarios* vocat. de Callibus Tacit. lib. 4. *Erat in iisdem regionibus Curtius Lupus, cui provincia veteri ex more calles evenerat.* Cic. pro Sextio: *Italiæ calles, & pastorum stabula prædari cœpisse.* Ea provincia minimi negotii fuit. Sueton. in Jul. cap. 19. *Eandem ob causam opera optimatibus data est, ut provinciæ futuris consulibus minimi negotii, id est, sylvæ, callesque darentur, qua maxime injuria instinctus Cæsar.* Isidor. lib. 15. cap. 16. *Callis est pecudum inter montes angustum & tritum iter, a callo pedum vocatum, sive callo pecudum perduratum.* Varro lib. 2. R. R. cap. 10. *Neque senes, neque pueri callium difficultatem, ac montium arduitatem, atque asperitatem facile ferunt, quod patiendum illis qui greges sequuntur, præsertim armentitios ac caprinos, quibus rupes ac sylvæ ad pabulum cordi.* Plautus Pseudolo, calles vocat *caudicalem provinciam*. Festus: *saltus, ubi sylvæ & pastiones sunt, quarum causa casæ quoque ibi sunt.* Varro lib. 4. de ling. Lat. *Quos agros non colebant propter sylvas, aut id genus, ubi pecus possit pasci, & possidebant, ab usu suo saltus nominaverunt.* Ea provincia data consulibus, ut sylvas in quibus sæpe grassantur latrones, repurgarent, ideoque præsidio militari opus fuit. Juvenal. sat. 3.

*Armato quoties tutæ custode tenentur.*
*Et Pontina palus, & Gallinaria pinus.*

Alexander Severus apud Lampridium sylvas in publicos usus thermarum deputavit. Sed & sylvæ interdum a Censoribus locatæ, ut ex arboribus vectigal exigeretur. Juvenal.

*Nunc sacri fontis nemus, & delubra locantur*
*Judæis, quorum cophinus, fœnumque supellex.*
*Omnis enim populo mercedem pendere jussa est*
*Arbor.*

Jurisconsultus Pastores saltuarios commemorat D. de instruct. & instrumento legat. l. 8. *Si fundus saltus, pastionesque habet, greges pecorum, pastores saltuarios.* Sed de scriptura Cic. ad Attic. lib. 1. *P. Terentius meus necessarius operas in portu & scriptura Asiæ pro magistro dedit.* pro Flacco: *Homines eos quibus odio sunt nostræ secures, nomen acerbitati, scriptura, decumæ, portorium morti.* Lex autem scripturæ fuit, ut qui inscriptum pavisset, lege Censoria committeret. Varro lib. 2. cap. 1. R. R. Quemadmodum & inscriptæ merces, quas in portu Institor professus non esset, apud publicanum in commissum cadebant. Ideo pastores numerum capitum sui pecoris apud scripturarium profitebantur, & in singula capita aliquid pendebant, quæ scriptura dicta est. Plaut. Trucul. *Ubi non est scripturam unde dent, incusant publicanos.* Non licuit autem scripturario pecudem ob scripturam accipere. Plaut. Trucul.

*Nam adversum legem a me, ob meam scripturam pecudem accepisset.*

## CAP. XII.

### *De Tributo & Censu.*

**Tributum & Census. Tributum temerarium.**

DE Tributo quædam in universum præmisimus, jam pressius in eodem argumento versabimur. *Tributi collatio*, ait Festus, *alia est in capite, alia in censu. Dicitur & quoddam temerarium tributum*, quod nulla habita rerum, personarumve ratione, si res gravior inciderat, indicebatur, *cujusmodi post Urbem a Gallis captam collatum est, quia proximis quindecim annis census alius non erat. Item bello Punico secundo, M. Val. Lævino, M. Claudio Marcel. Coss. cum & Senatus & P. R. in ærarium quod habuit detulit.* Apud Livium lib. 26. temerario illo tributo matronæ aurum, & ornamenta sua contulerunt, viduarum & pupillorum bona in ærarium collata, quæ bello confecto tribus pensionibus redderentur. Fuit igitur tributum aliud ordinarium, quod in caput, atque in solum quotannis impositum est; alterum extraordinarium imperatum lege, vel S. C. ut si naves, nautæ, milites, ac in eos sumptus necessarii provinciis imperarentur. Tributum in caput, capitatio; tributum in solum vel agros, census, quod a Platone lib. 12. de Repub. maxime probatur, qui ex censu cujusque & annuis fructibus tributa indicenda ait.

**Census apud Romanos quid esset.**

Cujusmodi autem census apud Romanos esset, docet Theoph. instit. §. ult. tit. de libert. *κῆνσος ἦν σανὶς, ἤτοι χάρτης ἔνθα Ρωμαῖοι ἀπεγράφοντο τὰς οἰκείας ϖεριυσίας, ἐπὶ τῷ ἐν καιρῷ πολέμυ κατὰ τὸ μέτρον τῆς ἰδίας ὑποςάσεως ἕκαςον εἰσφέρειν. Census tabula fuit, in qua descriptæ Romanorum opes, ut si res posceret, quisque pro suis facultatibus tributum inferret.* Suidas *κῆνσος* est *ἐξέτασις Ρωμαίυ πλήθυς*, id est, *recensio P. R.* qui potius recensus, quam census dici debuit, qualem apud Sueton. Julius Cæsar egit: *recensum populi, nec more, nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit.* Dio lib. 53. Augustus *τὰς ἀπογραφὰς ἐξετέλεσε*, *recensum peregit*. Idem *τῶν Γαλατιῶν ἀπογραφὰς ἐποιήσατο, καὶ τὸν βίον τήν τε πολιτείαν ἐκόσμησε*, *Galliarum censum peregit, & vitam ac Rempub. ornavit.* lib. 55. noluit censere subditos extra Italiam, ne res novas molirentur. Augustus tamen in Syria censum egit, apud

**Census & censitor.**

Joseph. lib. 18. origin. & Luc. 2. A *censendo* census dictus, & censitor, bonorum æstimator. Cives capite censi, proletarii apud Liv. lib. 1. Homines censi, vel censiti sunt tributarii l. 1. de immu. nem. conced. Cod. Gellius lib. 15. cap. 10. *qui in plebe Romana non amplius quam mille quingenta æris in censum deferebant, proletarii; qui nullo aut perquam parvo ære censebantur, capite censi dicti.* Censuales professiones, libri censuales in jure sæpe commemorantur. Olim censebantur civium Ro. capita, & bona, in eoque censu villas omnes ædes dicunt, ut Varro lib. 4. ling. Lat. Cic. pro Flacco, censui censendo, vocat prædia quæ mancipi erant, & a domino in censum deducta, quæ emi & venire ex jure civili, & subsignari apud ærarium & Censorem poterant. Suidæ item *κένσος*, dicitur *ἐτήσιον τέλος*, *census annuum vectigal.* Hesychio *ἐπικεφάλαιον*, *capitatio*, *καὶ εἶδος νομίσματος*, *& nummi quoddam genus.* Luc. 20. vocatur *φόρος*, *tributum.* Matth. 10. *numisma census.* Christus

denarium obtulit pro censu, quanquam census agrorum erat, non personarum, Novel Theod. & Valent. neque domibus divinis. Census item magister fuit l. 23. C. de testam. qui in tabulis censualibus numerum omnium, qui sub ditione Rom. Imper. essent, habuit. Censum autem Servius Tullius instituit, ex quo belli pacisque munia non viritim, ut ante, sed pro habitu pecuniarum fierent, ait Livius. Ex iis qui centum millium æris, aut majorem censum haberent, 60. confecit centurias, &c. Dionys. l. 4. ἐκέλευσεν ἅπαντας Ρωμαίους ἀπογράφεσθαι, *Jussit omnes Romanos describi*, & æstimari eorum bona argento, legitimo jurejurando præstito, æstimationem veram, & ex optimis bonis esse, scriptis nominibus patrum, uxorum & numero filiorum, & ætate quam ipsi agerent, & loco ac pago in quo habitarent, ut ibidem scribit Dionysius.

Hæc origo census, hæc forma olim fuit: postea census appellati sunt descriptiones jugerum & capitum. Censitores qui censum agerent. Peræquatores & Inspectores, qui emendarent prædiis inspectis, & adæquatis invicem, ut ii relevarentur quibus esset gravius onus ascriptum, gravarentur quæ censita essent levius, l. ult. Cod. de Annon & Tribut. Euseb. lib. 4. de vita Constant. ἄνδρας ἐξισωτὰς, ἐπόπτας vocat, *peræquatores*, *inspectores*. Græci interpret. ἐπόπτης λέγεται ὁ ἐξισωτὴς, *inspector dicitur exæquator*. Cassiod. l. 10. Var. *Ut ad prædium, de quo querela est, diligens inspector accedat, & rebus moderata inquisitione trutinatis, quicquid gravaminis potest habere possessor, rationabiliter abrogetur*. Symmach. lib. 9. epist. 10. *Principalibus & tabulariis liberum est, alios a dispendio vindicare, aliis indebitum munus imponere*. Principales illi civitatum & curialium dicuntur, qui modum tributi definiebant, aliosque onerabant, alios levabant. Salvian. lib. 5. *Quæ enim non sunt non modo urbes, sed etiam municipia, atque vici, ubi non quot curiales fuerint, tot tyranni sint?* Item: *Q[illegible] ubi non a principalibus civitatum, viduarum & pupillorum viscera devorentur?* Ut enim l. 1. Cod. de censib. & censit. Tabularii civitatum per collusionem sarcinam potentiorum ad inferiores transferebant. Ideoque Imperatores civitatum tabularios flammæ supplicio addicunt, qui præter æquum alios immunes esse volverint, alios onerarint. l. 1. Cod. de immunit. nemin. conced. l. 9. & 11. Cod. Theodos. de annon. & tribut. Universi enim pro suæ possessionis jugationisque portione certam pensitationem præstabant, & pro numero animalium quibus possessiones exercebant, l. 1. lib. 10. C. tit. 48. In singula juga, & capita quaternæ siliquæ definiuntur, Cod. Theod. lib. 12. tit. 4. Ea pensitatio dicitur *jugatio*, si est pro jugo tantum. Huc facit Novel. 17. Ἀναγκάσεις δὲ τοὺς δημοσίους πράκτορας, ἤτοι τοὺς ἀπαιτητὰς ἐν ταῖς ἑαυτῶν ἀποχαῖς φανερὰ ποιεῖν ἁπανταχοῦ οἷς αὐτὰς διδόασι, τουτέστι, πόσων τῶν ζυγοκεφάλων, ἢ ἰούγων, ἢ ἰουγαλίων, ἢ ὅπως δή ποτε ἂν αὐτὰ κατὰ χώραν καλοῖεν, καὶ ὑπὲρ τίνων αὐτὰ, καὶ ποίων χωρίων ἀπαιτοῦσι. *Coges publicos mancipes, aut exactores in suis acceptilationibus omnibus diserte indicare super quibus eas edant, hoc est, modum & numerum jugerum, & capitum, seu quæ est alia appellatio in iis locis, & pro quibus & qualibus prædiis ista exigunt*. Ζεύγη, *juga*; ζυγοκέφαλα, *jugatio & capitatio*. Unde apparet aliud esse jugationem, aliud jugationem cum capitatione conjunctam, quæ ζυγοκέφαλα dicuntur. Olim id agri spatium quod uno jugo boves uno die exarare poterant, jugerum appellatum, ut Plinius libro 18. capite 3. Varro libro 1. capite 10. Re rustic. Nam in Hispania interiore metiuntur jugis, in Campania versibus, in agro Romano ac Latino jugeris. Jugum vocant, quod juncti boves uno die exarare possint. Tamen ex sententia Sasernæ, ad jugera ducenta arvi boum juga duo satis esse scribit, ad centum jugera jugum opus esse. Vet. gl. *arpendia*, πλέθρα; *arvipendium*, σχοῖνος γεωμετρικός, Columel. lib. 5. capite 1. *semijugerum aripennem* vocat. Plin. lib. 18. actus 120. pedum est, duplicatus in longitudinem jugerum facit. Fabius lib. 1. cap. 10. 240. longitudinis pedes jugeri mensuram esse, dimidioque in latitudinem patere. Cic. 5. in Verrem: *Qui in singulis jugis arant*. Tabularii rationem conficiebant jugerum, & eorum quæ inferebantur publico l. 1. & 7. Cod. de exact. tribut. Sidon. libro 4. epist. 10. *habens in eo tabularium in tributis*. Erantque in singulis provinciis duo tabularii, alter fiscalis arcæ, alter largitionalium titulorum l. 12. de numerar. Cod. Theodos. & l. 30. de suscept. Cod. Theodos. Sed ut ad veterem tributi formam redeamus, ante Servium regem tributum in capita conferri moris fuit, adeo ut cum regi pecunia opus esset, æquo pauperes ac divites onere premerentur, narrante Dionysio libr. 4. Τὰς μὲν τῶν στρατιωτῶν καταγραφὰς μετὰ τὴν διαίρεσιν ἐποιεῖτο τὴν τῶν λόχων, τὰς δὲ τῶν εἰσφορῶν ἐπιταγὰς κατὰ τὰ τιμήματα τῶν βίων, &c. *Milites descripsit Servius Rex per centurias, tributa indixit ex censu, & æstimatione bonorum*. Sumptus autem in commeatum militum, & alia onera belli quanti sufficerent, æstimans, divisit eodem modo in centum nonaginta centurias, & unumquemque pendere jussit. Unde factum, ut ditiores cum pauciores essent, in plures centurias divisi sæpius militarent, & plura conferrent. Idem scribit Livius lib. 1. *Servius Tullius quadrifariam Urbe divisa regionibus, collibusque, partes, quæ habitabantur Tribus appellavit, ut ego arbitror, ab tributo: Nam ejus quoque æqualiter ex censu conferendi ab eodem inita ratio est*. Lex. 12. tabularum eodem pertinet apud Cic. *Censores populi pecuniam censento, exinde per ordines partiunto*. Superbus autem Rex antiquum institutum retulit, & in caput cujusque denarios decem exegit, auctore Dionysio lib. 4. Ἔπειτα κατέλυσε τὰς ἀπὸ τῶν τιμημάτων εἰσφορὰς, καὶ τὸν ἐξ ἀρχῆς τρόπον ἀποκατέστησε, καὶ ὁπότε δεήσειεν αὐτῷ χρημάτων τὸ ἴσον διάφορον ὁ πενέστατος τῷ πλουσίῳ κατέφερε. τοῦτο τὸ πολίτευμα πολλοὺς τοῦ δημοτικοῦ πλήθους ἀπώλεσεν, ἐπὶ πρώτης εὐθὺς εἰσφορᾶς ἀναγκαζομένους κατὰ κεφαλὴν ἑκάστου δραχμὰς δέκα εἰσφέρειν. *Postea tributum e censu Tarquinius Superbus abolevit, & pristinam rationem in capita tributi redintegravit, & si quando egeret pecuniis, tenues ex æquo cum divitibus pendebant. Quod institutum multos e plebecula perdidit, quæ coacta est prima statim indictione decem drachmas inferre*. Valerius Publicola rationem a Servio institutam retulit, ut ex censu & bonorum æstimatione quisque penderet. Plutarch. in Public. Ἐπῃνέθη δὲ καὶ διὰ τὸν ταμιευτικὸν νόμον. ἐπεὶ γὰρ ἔδει χρήματα εἰς τὸν πόλεμον εἰσενεγκεῖν ἀπὸ τῶν οὐσιῶν τοὺς πολίτας, &c. *Laudatus est* Val. Public. *quia legem de ærario posuit. Quando enim oportebat pecunias ex censu*

cum capitatione juncta

*ſu cives ad bellum conferre*, cum neque ipſe adminiſtrationem pecuniæ attingere vellet, neque amicos ſuos pateretur, neque omnino pecunias in domum privati alicujus inferri, ærarium inſtituit Saturni ædem, quo hodieque uti perſeverant Romani. Quæſtores autem duos ex juvenibus creandi populo poteſtatem fecit. Primi creati ſunt Publ. Veturius, & Minutius Marcus. Idem Publicola: *Viduas & orphanos onere tributi liberavit*, ὀρφανοῖς παισὶ ϗ χήραις γυναιξὶ ἀνεθεῖσαι τὴν εἰσφορὰν, ait Plutarch. in ſecundo Publicolæ conſulatu, bona æſtimata ſunt, & cenſus actus, & modus tributi ad onera belli reſtitutus, quem Servius Rex inſtituerat. Dionyſ. lib. 5. Τιμήσεις δὲ ἐγένοντο τῶν βίων, καὶ τάξεις τῶν εἰς τοὺς πολέμους εἰσφορῶν, ὡς Τύλλιος ὁ βασιλεὺς ἐνομοθέτησεν. Poſtea Senatus pauperes immunes eſſe decrevit ab omnibus vectigalibus quæ ſub regibus pendere ſolebant, nec eos inferre tributum ad ſubſidia belli, magno lucro in commune apponens, ſi tenuiores corpora pro ſalute Reip. periculo objicerent. Τοὺς πένητας ἀτελεῖς ἁπάντων ἐψηφίσατο εἶναι τῶν κοινῶν τελῶν ὅσα βασιλευομένης τῆς πόλεως ἐτέλουν, καὶ ἀνεισφόρους τῶν εἰς τὰ στρατιωτικὰ καὶ τοὺς πολέμους ἀναλισκομένων ἐποίησαν, &c. Livius l. 2. *Portoriis quoque, & tributo plebe liberata, ut divites conferrent qui oneri ferendo eſſent; pauperes ſatis ſtipendii pendere, ſi liberos educerent*. Portoria enim a regibus indicta & exacta ſcribunt Plutarch. in Publicola, Dionyſ. lib. 5. & 6. Appius ait, *Plebs ultra modum laſcivit & inſoleſcit, quia portoriis & vectigalibus liberata eſt, quæ pendebat ſub regibus, & ſoluta pœnis quibus civium corpora illi afficiebant*. καὶ νῦν πέρα τοῦ μετρίου τρυφῶσι, τελῶν ἀφειμένοι ὧν ἐτέλουν βασιλεῦσι πρότερον, καὶ τῶν εἰς τὸ σῶμα τιμωριῶν, αἷς ἐκολάζοντο ὑπ' αὐτῶν. Quanquam autem a Publicola tenuiores tributi onere fuere liberati, poſtea tamen ea tempora inciderunt, quibus tributum imperaretur, ut in illo ſene apparet, de quo Livius l. 2. Sabino bello dixit ſe militantem, quia propter populationes agri non fructu modo caruerit, ſed villa incenſa fuerit, direpta omnia, pecora abacta, tributum imperatum, æs alienum feciſſe. Erat enim, ut ſupra oſtendimus, ærarium in æde Saturni a P. V. Publicola inſtitutum, Quæſtoreſque patricii creati ex eo tempore, qui ſi qua populo tributa imperata eſſent, pecunias exigerent & ſervarent. Quod ærarium Cæſone Fabio & Tit. Virginio Coss. anno ab Urbe condita 275. exhauſtum fuiſſe ſcribit Dionyſ. lib. 9. Ἐλύπει δὲ αὐτοὺς ἥ τε εἰς τοὺς φρουροὺς δαπάνη πολλὴ σφόδρα ἐσομένη, τοῦ τε κοινοῦ ταμιείου διὰ τὰς συνεχεῖς στρατιὰς ἐξαναλισκομένου, καὶ τῶν ἰδίων ἀπειρηκότων ταῖς εἰσφοραῖς. *Eos male habebant ſumptus qui futuri erant in cuſtodes magni & impenſi, cum ærarium commune propter frequentes expeditiones exhauſtum eſſet, & privati onera tributi ferre non poſſent*. Nihilominus ſuis ſtipendiis unuſquiſque e populo militare tenebatur jam inde, ex quo a Servio Tullio deſcriptio claſſium facta erat. Nec ante id tempus ſtipendii militaris mentio facta eſt, quo Tribuni conſulari poteſtate fuerunt C. Craſſus, Sp Nautius Rutilius, T. Sergius Fidenas, S. Julius Tullius. Apud Liv. l. 4. decrevit Senatus, *ut ſtipendium miles de publico acciperet, in quod ſtipendium militare indictum tributum. Agri publici dividendi, coloniarumque deducendarum oſtentata ſpes, & vectigali poſſeſſoribus agrorum impoſito in ſtipendium militum erogandi æris*. Poſtea ſubjicit: *Additum deinde, ut decerneret Senatus, ut ſtipendium milites de publico acciperent, cum ante id tempus de ſuo quiſque functus eo munere eſſet*. Idque ſub annum ab Urbe condita 345. coacti ſunt enim omnes tributum ex cenſu quotannis in ſtipendium inferre. Igitur indicto tributo edixerunt tribuni auxilio ſe futuros, ſi quis in militare ſtipendium non contuliſſet. *Patres bene cœptam rem perſeveranter tueri, conferre ipſi primi, & quia nondum argentum ſignatum erat, æs grave plauſtris quidam ad ærarium convehentes ſpecioſam etiam collationem faciebant*. Stipendium illud bello Vejente peditibus aſſignatum eſt, equitibus Anxure capto aliquot poſt annis aliud attributum, ut Liv. lib. 4. Sæpe tamen tributi exactio a tribunis impedita eſt, apud Liv. lib. 5. *Tantum abeſſe ſpem levandi fœnoris, ut tributo novum fœnus contraheretur in murum, a Cenſoribus locatum, ſaxo quadrato faciendum*. In opera enim publica, non tantum in militare ſtipendium, a Cenſoribus tributum indictum. Stat. lib. 3. Sylvar.

—— *Quantum Romana ſub omni*
*Pila die, quantumque tribus, quid templa, quid alti.*
*Undarum curſus, quid propugnacula poſcant*
*Æquoris, aut longe ſeries porrecta viarum.*

Anno urbis 361. Faliſcis a Senatu pecunia imperata eſt in ſtipendium militum ejus anni, ut populus Rom. tributo vacaret. Anno 538. bello ſecundo Punico Senatus decrevit, ut duplex ſtipendium præſens omnibus militibus daretur. Anno 529. Conſules edixerunt ex S. C. ut qui L. Æmilio, C. Flaminio Cenſoribus millibus æris quinquaginta ipſe, aut pater ejus cenſus eſſet uſque ad centum millia, aut cui poſtea res tanti eſſet facta, nautam unum daret cum ſex millium ſtipendio, auctore Livio lib. 23. Populus certe Romanus non ante quam Paulus Æmilius Perſeum Regem Macedoniæ vicit, tributi onere ſe liberavit, narrante Val. Max. lib. 4. cap. 3. tum enim tanta vis auri argentique in Urbem illata eſt, ut tributum pendere deſierit uſque ad Hirtium & Panſam Coss. ut Plutarch. in Paulo Æmilio. Plin. lib. 33 cap. 3. *Intulit & Æmilius Paulus Perſeo Rege Macedoniæ devicto prædam pondo trium millium, a quo tempore P. R. tributum pendere deſiit*. Vel ut alii legunt, *Perſeo Rege victo e Macedonica præda, H. S. bis millies*, id eſt, quinque milliones. Oroſius tamen lib. 5. ſcribit bello Marſico ærarium adeo exinanitum, ut loca quæ circum Capitolium Pontificibus, Auguribus, Decemviris, & Flaminibus fruenda erant data, publicæ pecuniæ inopia venierint. Poſt Hirtium & Panſam ſæpe tributi mentio facta. Cic. epiſt. ad Cornificium: *De ſumptu quem in rem militarem facere & feciſſe ſcribis, nihil ſane tibi poſſum opitulari, propterea quod & orbus Senatus Hirtio & Panſa Conſs. & incredibiles anguſtiæ pecuniæ publicæ, quæ conquiritur undique, ut optime meritis militibus promiſſa ſolvantur. Quod quidem fieri poſſe ſine tributo non arbitror*. Epiſt. ad Brutum: *Maximus nodus eſt in Repub. rei pecuniariæ. Obſurdeſcunt enim magis cottidie viri boni ad vocem tributi, quod ex centeſima collatum impudenti cenſu locupletum in duarum legionum præmiis conſumitur*.

Conſtantinopoli juxta rei exigentiam ſervatur mos agendi cenſum.

Conſuetudo autem agendi cenſus per temporum intervalla prout res exigeret, etiam Conſtantinopoli ſervata. Gregor. Nazianz. ad Julianum Peræquator. orat. 9. *Juſtinus & Hellenius in Cappadociam miſſi fuerunt, ut cenſus agerent, & inter cives onera tributorum exæquarent.* In Carmine ad Hellenium:

Εὖχος ὁ Ἀρμενίης Ἑλλήνιε, ὅς λάχες αἶη
Στῆσαι ὑμετέρῃ μέτρα δίκαια φόρων.

*Gloria Armeniæ, Elleni, cui ſorte obtigit,*
*Ut terræ noſtræ modum tributi ſtatueres.*

Ad cenſus agendos miſſus Quirinus in Syriam apud Joſephum lib. 18. Druſus in Galliam comatam ab Auguſto. Tacitus lib. 1. Annalium. Germanicus agendo cenſui intentus. Gloſſæ Vet. *Cenſitor*, ἀπογραφεύς, τιμητής. *Cenſus*, ἀπογραφή, ἐσίας ἀποτίμησις. Heſych. *Cenſitor*, ὁ τὴν γῆν μετρῶν, *qui metitur terram.* S. Lucas, ἔξεστι καίσαρι κῆνσον δοῦναι, *licet Cæſari cenſum dare.* Male Suidas: *Cenſus* παρὰ τὸ καίνω κόπτω. Vectigal Romanis pendebatur in moneta Romana, ſive denarius eſſet, ſive alia moneta. Male Moſchopulus: *Cenſus*, νόμισμα δράχμας, ἰσοστάσιον δραχμῇ, ἰστᾶ κόκκια ἑκκαίδεκα, *nummus drachmæ, ejuſdem ponderis cum drachma, qui pendit grana* 16.

## CAP. XIII.

### *De Cenſus Magiſtro.*

Cenſus Magiſter perfectiſſimus & clariſſimus.

MAgiſter Cenſus præerat cenſualibus, qui perfectiſſimus & clariſſimus dicitur l. 32. C. de epiſcop. l. 32. C. de donat. Studioſi ei literas præſidum ſuorum oſtendebant. l. 1. C. Theodoſ. de ſtud. liber. urbis Rom Vet. Gloſſæ, Cenſum & regeſtum interpretantur ἀπογραφὴν τῶν ἀρχαίων, *deſcriptionem capitum,* quæ deſcriptio in Italia non facta l. 1. C. de privileg. urb. Conſtant. quia immunis erat. Metellus Prætor tributis Italiam liberavit, auctore Dione lib. 37. Inſtitut tit. de uſucap. Cum inter Galerium, Maximianum, & Conſtantium imperium diviſum eſt, Italia tributaria facta, ut Aurel. Victor. Quare ſub Præfecto Prætor. effigies Italiæ vas ſolidis aureis plenum geſtat. Roma tamen immunis l. 1. C. de privileg. urb. Conſtant. Donationes quæ 500 aureos non excedunt, apud Magiſtrum Cenſus inſinuatæ l. 30. 32. C. de donat.

Cenſus pro tributo.

Hic iterum moneo Cenſum interdum pro tributo accipi. Diaconus lib. 23. *ut per ſingulos annos Arabibus Cenſum tribueret.* Euſeb. lib. Eccleſ. Hiſt. cap. 8. τὰς πάλαι τῶν ἀγροίκων πολυάνδρους ἀπογραφὰς μικροῦ δεῖν παντελῆ παθεῖν ἐξάλειψιν. *Cenſus vetuſtos agreſtium populoſos pæne omnino interiiſſe.* lib. 4. de vita Conſtant. Quoniam alii metationes agrorum ſub aliis Imperatoribus incuſabant, ἄνδρας ἐξισωτὰς κατέπεμψε. *miſit Peræquatores, qui lædi quenquam probiberent.*

## CAP. XIV.

### *De Cenſu agendo.*

Cenſus ut agebatur.

CEnſus per provincias agebatur, ut ex modo Cenſus provinciales tributum & vectigal penderent, ut docent Impp. toto titulo C. de Cenſibus. Quod inſtitutum ab Auguſto, a quo ſub Quirino deſcriptus eſt univerſus orbis, Luc. 2. *Exiit edictum ab Auguſto Cæſare, ut deſcriberetur univerſus orbis.* De Galliis Claudius in oratione quam in Senatu habuit Cenſor; *Sed deſtrictæ jam comatæ Galliæ cauſſa agenda eſt, in qua ſi quis hoc intuetur, quod bello per decem annos exercuerunt D. Julium, idem opponat centum annorum immobilem fidem, obſequiumque, multis trepidis rebus noſtris pluſquam expertum. Illi patri meo Druſo Germaniam ſubigenti tutam quiete ſua, ſecuramque à tergo pacem præſtiterunt, & quidem cum a Cenſu novo tum opere, & inſueto Gallis ad bellum avocatus eſſet. Quod opus quam arduum ſit nobis nunc cum maxime, quamvis nihil ultra, quam ut publicæ notæ ſint facultates noſtræ, exquiratur, nimis magno experimento cognoſcimus.* Ex quibus duo colligere eſt, Cenſum Romæ actum, non ut tributa penderent Romani, ſed ut eorum publice notæ eſſent facultates: alterum, Cenſum in Galliis ſub Auguſto primum actum a Druſo patre Claudii, deinde a Germanico Druſi filio, Tacit. lib. 1. Annal. *Regimen ſummæ rei penes Germanicum agendo Galliarum Cenſui tum intentum.* Quamquam Julius Cæſar Galliæ victæ tributi nomine H. S. quadringenties impoſuerat, ut Sueton. & Eutrop. ſed de Auguſto diſerte Liv. in Epitome lib. 134. *Cum Auguſtus conventum Narbone ageret, Cenſus a tribus Galliis, quas Cæſar pater vicerat, actus.* Dio de ſeptimo Auguſti conſulatu, καὶ αὐτῶν καὶ ἀπογραφὰς ἐποιήσατο, καὶ τὸν βίον, τήν τε πολιτείαν διεκόσμησε, *Auguſtus cum veniſſet Gallias, Cenſum illorum egit, & vitam, gubernationiſque formam deſcripſit.* Galli autem contulerunt tributa in capita, ex lacubus, pecudibus, & agris, ut ſupra oſtendimus. Panegyriſtes: *Jacebat illa civitas, non tam innexa Romanis, quam virium defectione proſtrata, ex quo eam novi Cenſus exanimaverat acerbitas. Nec tamen juſte queri poterat, cum & agros qui deſcripti fuerunt, haberemus, & Gallicani Cenſus formulam teneremus, qui fortunis nemini poſſumus æquari.* Tacit. lib. 14. *Cenſus per Gallias a Q. Voluſio, & Sext. Affricano, Trebellioque maximo acti ſunt.* In vet. inſcript. Q. Manilius Cordus Tribunus leg. 21. Rapacis, Præfectus equitum vocatur *exactor Tributorum civit. Galliæ.* Hi Cenſus in tabulis ſeu paginis cenſualibus deſcripti. Imperatores Valentinianus & Valens l. 4. C. lib. 2. tit. de agricol. & cenſit. *libros Cenſuales* vocant, Gratian. Valent. & Theodoſ. A. A. A. C. Theodoſ. de cenſu, ſive aſcript. l. 7. *libros publicos* vocant, & *civitatum & provinciarum encauteria.* Dio in Caligula: ᾔτησε τὰς τῶν Γαλατῶν ἀπογραφάς, *Caligula cum deeſſet argentum ad ludum talorum, petiit tabulas cenſuales Galliarum.* Is autem Cenſus interdum quotannis actus, interdum ſingulis luſtris. Panegyriſta: *Quinque annorum nobis reliqua remiſiſti; luſtrum omnibus luſtris felicius.* Quanquam Galliarum tributum in ſingulos menſes deſcriptum erat, ut ex Dione docemur. Friſiis tributum Druſus juſſerat modicum pro anguſtia rerum, ut in uſus militares coria boum penderent, &c. Olennius e primipilaribus regendis Friſiis impoſitus terga taurorum diligit, quorum ad formam acciperentur, &c. Ac primo boves ipſos, mox agros, poſtremo corpora conjugum aut liberorum ſervitio tradebant, &c. Rapti qui tributo

aderant milites, & patibulo affixi, ait Tacit. lib. 4. Annal. Cedrenus, & in Bosphoro συωτελείας τῶ βοῶν, *boves pensitatos* docet, equos a Dalmatis. *Augustus Cæsar viginti viros vita & moribus probos cum legisset, in provincias omnes suæ ditionis misit, per quos descripsit subditos, & eorum opes, jussitque tributum pro modo facultatum in ærarium quemque inferre. ita descriptio prima fuit, cum ante Augustum nihil possessores penderent*, ait Suidas, non usquequaque bene, εἴκοσιν ἄνδρας τὰς ἀρίςυς τὸν βίον καὶ τὸν τρόπον ἐπιλεξάμενος ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν τῶν ὑπηκόων ἐξέπεμψε, δι' ὧν ἀπογραφὰς ἐποιήσατο τῶν τ' ἀνθρώπων τῶν τ' ὀσιῶν αὐτάρκη τινὰ προστάξας τῷ δημοσίῳ μοῖραν ἐκ τύπων εἰσφέρεσθαι. αὐτὴ δὲ ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο τῶν πρὸ αὐτοῦ τοὺς κεκτημένους τι μὴ ἀφαιρημένων.

Gallia tributis onerata supra omnes regiones.

Gallias supra cæteras provincias tributis oneratas ostendimus. Carm. 5. Sidon.

*Gallia continuis quanquam sit lassa tributis.*

epist. 12. lib. 7. ep. 1. lib. 12. ep. 13. lib. 13. carm. 13. *Itaque Galli ad Gotthos ultro deficiebant, ut libertate leviorem servitutem experirentur.* Salvianus lib. 5. *Itaque passim vel ad Gotthos, vel ad Bagandas, vel ad alios ubique dominantes barbaros migrant, & commigrasse non pœnitet. Malunt enim sub specie captivitatis vivere liberi, quam sub specie libertatis esse captivi.* Orosium lege lib. 7. cap. 41. Isidorum in Chronic. Era. 447 D. Lucas Quirinum vocat ἡγεμονεύοντα, non quod præfectus Syriæ esset, sed quod extra ordinem ad census agendos missus esset in Judæam. Primum Judææ procurator fuit Coponius, primus Quirinus ad census agendos in Syriam & in Judæam missus est. Dio lib. 56.

Censitores a census agentibus alii multi.

Alii fuere Censitores ab iis, qui census agerent. κηνσίτωρ ὁ τὴν γῆν μετρῶν, *qui metitur agros.* Isidorus in Glossis: *Censitores agri mensores.* Isidorus Pelusiota: ἔλαβε παρ' αὐτοῦ τὴν ἐνταῦθα κηνσιτωρείαν, *accepit ab eo jus metiendi agros, qui illic erant.* Justinianus Novel. 17. πρότερον ἀναγκαζομένων τῶν κηνσιτώρων τὰς καλουμένας ἐκθέσεις ἀκριβεῖς διδόναι. *Prius censitoribus coactis exactas dare eas quæ dicuntur expositiones, seu censuales tabulas.* Gregor. Nazianz. ἐξισωτὰς vocat *peræquatores*, qua voce utitur Gregoras lib. 9.

Census idem cum tributo.

Censum denique pro tributo posuit Sidonius lib. 5.

*Gallia continuis quanquam lassata tributis*
*Hoc censu placuisse cupit, nec pondera sentit,*
*Quæ prodesse probat.*

Majores urbes cogebant inferiores secum tributa pendere, & onerum esse participes, quod vetuit Julianus in Epistolis: Corinthii ἀπὸ τῆς βασιλευούσης πόλεως εἰς κακίαν ἐπαρθέντες τὸ Ἄργος πατρίδα Φιλίππου συντελεῖν αὐτοῖς ἀναγκάζουσι, *elati in pejus quia digniorem civitatem habent, Argos patriam Philippi secum tributa pendere cogunt.* συντέλεια Delphorum & Corinthiorum data Corinthiis ad sacros agones celebrandos.

## CAP. XV.

### *De Jugis & de Jugatione.*

Juga & Jugatio.

SUperiori capite admonui unumquemque pro suæ Jugationis portione tributum, seu censum pependisse. Ideo quantitas Jugorum in tabulas relata. In ecloga Basilic. σημαινούσας τὴν τῶν χρημάτων ποσότητα, καὶ τῶν εἰδῶν, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τῶν ζυγῶν, ἤτοι ἰούγων. *Tabulas significantes quantitatem pecuniarum, & specierum, & jugorum.* Justinianus Novel. 17. λέγοντες μὴ δύνασθαι τὴν τῶν ἰούγων ἐντιθέναι ποσότητα. *Dicentes se non posse quantitatem Jugorum exponere.* Novel. 128. ὑπὲρ ἑκάστου ἰούγου, ἢ ἰουλίων (lego ἰουγαλίων) ἢ κεντουριῶν, *pro quoque jugo, aut jugalibus, aut centuriis.* In diplomate Andronici junioris: ὅσοι ἐπιπαραπῶσι κτήματα ἢ ζευγαλάτια, ἢ κάστρα, *quotquot erant possessiones, juga, aut castra.*

## CAP. XVI.

### *De novis Illationibus.*

Illationes novæ.

PRovinciales novas illationes non ferebant. Theodoret. lib. 5. Theodosius bellorum injuria coactus, εἰσφοράν τινα ξένην ταῖς πόλεσιν ἐπιτέθεικεν. ἡ Ἀντιόχεια τὸ καινὸν τέλος οὐκ ἤνεγκεν, ἀλλ' ὁρῶν ὁ δῆμος τοὺς εἰσπραττομένους &c. *Illationem quandam novam urbibus imposuerat. Antiocheni novum tributum non tulerunt, sed videntes exactores in eos involarunt.*

Exactio sævissima.

Sozomenus lib. 5. cap. 5. Sævissimum genus exactionis ponit, cum Julianus Augustus a Clericis Christianis exegit, quicquid a tempore Constantini magni de publicis tributis acceperant. Constantinus enim ex tributis singularum civitatum partem exceperat Clericis alendis. ὠμοτάτην δὲ καὶ χαλεπωτάτην τήνδε γενέσθαι φασὶ τὴν εἴσπραξιν. μαρτυρεῖ δὲ καὶ τὰ τότε παρὰ τῶν πατέρων γενόμενα γραμματεῖα τοῖς εἰσπραχθεῖσιν, εἰς ἀπόδειξιν τῆς ἀναδόσεως ὧν εἰλήφεσαν κατὰ τὸν Κωνσταντίνου νόμον. P. Diaconus lib. 24. *Nicephorus militare præcepit egenos, & armari adversus compatriotas, conferre nihilominus etiam decem & octo ac dimidium numisma per singulos fisco, una cum omni proximitate ad tributa. A venerabilium item domorum inquilinis, orphanotrophiis scilicet, ac hospitalium gerontocomiorum, ecclesiarum quoque, ac monasteriorum regularium per singulos foros census exigi præcepit a primo tyrannidis ejus anno, & quæ meliora erant in rebus in regiam curatoriam deferri jubebat. Item a Prætoribus inspici jubet eos qui ex paupertate repente creati essent, & ab his pecunias exigi quasi ab inventoribus thesaurorum. Eos qui a 20. annis ad id tempus dolium aut vas quodcunque repererant, bonis spoliavit; eos qui avitam, aut patriam hæreditatem creverant, & a 20. annis bona imminuerant, 20. siclos ærario publico inferre jussit. Eos qui extra Abydum municipia emerant, bina numismata tributi nomine pendere coegit. Idem ecclesias oneravit; tum vero Nicetas jussit Patricio, & generali Logothetæ publicos ecclesiarum & monasteriorum census imponere, & annorum præteritorum redhibitiones exigere*, ait Diacon.

## CAP. XVII.

### *De Capitatione.*

Capitatio quid sit.

CApitatio dicitur ab Appiano φόρος τῶν σωμάτων, *tributum corporum* in Syriacis, καὶ διὰ ταῦτα ἐστὶ Ἰουδαίοις ἅπασι ὁ φόρος τῶν σωμάτων βαρύτερος τῆς ἄλλης περιουσίας. *Quia*

*ſæpe rebellarunt Judæi, tributum capitis gravius illis impoſitum eſt, quam reliquarum facultatum.* Idem in Lybicis, τοῖς δὲ ἄλλοις φόρους ὥρισαν ἐπὶ τῇ γῇ, καὶ ἐπὶ τοῖς σώμασι, *aliis indixerunt tributum in agros & corpora.* Demoſth. in Timocratem, τὰς εἰσφορὰς τὰ κτήματα, καὶ οὐ τὰ σώματα ὀφείλειν. *Tributa debere poſſeſſiones, non corpora.* Græci nonnunquam pecunias pro capitibus, ψυχικὰ δημόσια, *animales functiones* appellant. *Cenſum* Heſychius ἐπικεφάλαιον. in vet. gloſſ. *tributum capitulare.* C. Theodoſ. l. 14. de extraordin. ſive ſord. muner. *Capitularia functio* l. 15. *Capituli neceſſitas.* l. 18. *Capituli onus. Capitula gravia* Gregor. magnus lib. 1. c. 1. indict. 9. ep. 47. Tertullian. Apologet. *Hominum capita ſtipendio cenſa.* Juriſconſultus *tributum capitis* l. 3. D. de cenſibus. *Ætatem in cenſendo ſignificare neceſſe eſt, quia quibuſdam ætas tribuit, ne tributo onerentur, veluti in Syriis a 14. annis maſculi, a 12. fœmine uſque ad 65. annum tributo capitis obligantur.* Plutarch. lib. de puer. inſtit. τὸ κατὰ κεφαλὴν εἰσφερόμενον. *pecuniam pro capitibus.* l. ult. §. *qui annonam.* D. de numeribus & honor. *Cenſum capitis.* Hilar. lib ad Conſtant. *Cenſum capitis remittis, quem Chriſtus, ne ſcandalo eſſet, exſolvit.* Novellæ κεφαλητίωνας. Capitularii dicti ſunt ii qui capitationem exegere. l. 2. de privil. eor. qui in ſacro pal. mil. Cod. *ne exactorum, vel turmariorum, quos capitularios vocant, curam ſubeant.* Symmach. lib. 9. ep. 10. *Poſtulant enim capitularii taxationem tyronis ab hominibus meis.* Iidem *cephaleotæ* dicuntur Cod. Theodoſ. lib. 6. de patrocin. vicor. Jus Orientale de Imperatore ait, *inſpicere & deſcribere pueros juſſit naſcentes, ut exigeretur capitatio.* Ἐποπτεύειν καὶ ἀναγράφειν τὰ τικτόμενα ἄρρενα πρὸς τὸ ἀπαιτεῖσθαι τὸ λεγόμενον κεφαλητίωνα. Cedrenus ἀναγράφεσθαι dixit. Eadem de re Zonar. κεφαλητίωνα τελεῖν δογματίσας αὐτοὺς κατὰ τοὺς Ἰουδαίους, καὶ τὰ παρ' αὐτοῖς τικτόμενα ἄρρενα ἀναγράφεσθαι. *Edicens ut capitis tributum Judæorum more ſolverent.* Unde apparet aliquid in capita penſitatum eſſe, cum Chriſtus pro capite ſuo ſolverit, cui nulli agri fuere, & aliud eſſe tributum pro capite, aliud pro æſtimatione bonorum, quanquam interdum utrumque tributum pro capite & ex cenſu conjunctim ſolutum eſt, ut ſupra oſtendimus ex Appiano. Joſephus in Judæa cenſeri ſcribit ſeptingentas & quinquaginta hominum myriadas, idque liquere ex tributo quod in capita ſinguli pendunt. Romæ ante Servium Regem tributum capitis ſolutum eſt, qui cenſum primus inſtituit, & iterum a Tarquinio Superbo tributum capitis reſtitutum, narrante Dionyſ. lib. 4. in Gallia certe pro ſingulis capitibus tributi nomine vicenos quinos aureos pendebant, quos Julianus Auguſtus ad ſeptem redegit, auctore Ammian. Marcel. 16. *Pro capitibus ſingulis tributi nomine vicenos quinos aureos reperit flagitari.* In quibuſdam Codicibus legitur *pro capitulis ſingulis.* Conſtantinopoli Copronymus capitationem, κεφαλητίωνα indixit, ut Cedrenus. Ægyptii præter tributum in capita & ex cenſu, annonam & frumentum 4. menſium urbi Romæ pendebant. Ideo Joſephus ſcribit Ægyptum multo amplius in ſingulos menſes penſitaſſe, quam Judæam toto anno. Ex Galliis tantumdem pæne, quam ex Ægypto reficiebatur. Vellejus Patercul. lib. 2. *Auguſtus facta Ægypto ſtipendiaria pæne idem contulit in ærarium, quod Julius Cæſar Gallia ſtipendiaria facta.* Tributi modus in Ægypto ſeptem plus minus fuere auri milliones, ut Strabo lib. 17. *Capita* etiam pro *capitis tributo* ponuntur in Flavienſium Panegyr. ad Conſtant. *Tum certe parentes adultorum non pœnitet, quorum onera remiſſa ſibi lætantur. Septem millia capitum remiſiſti, quartam amplius partem noſtrorum cenſuum.* Sidon. Carm. 3. ad Majorianum:

> *Læſtrygonas nos eſſe puta, monſtrumque tributum,*
> *Hic capita, ut vivam, tu mihi tolle tria.*

*Capita* dicuntur *relevata,* & *poſſeſſiones relevatæ.* l. 6. C. de collat. donat. *Capitatio* l. ult. §. penult. D. de munerib. & honorib. Fuitque capitatio hominum & animalium l. ult. C. Theodoſ. tit. 20. lib. 11. *Exceptis quæ in capitatione humana, atque animalium diverſis qualiacunque conceſſa ſunt.* Romæ capitatio ſublata a Servio Tullio Rege inſtituto cenſu, deinde ab Auguſto Cæſare l. 2. de capitat. civ. cenſ. exi. & l. ult. D de cenſib. & l. duodecim tabularum apud Cic. lib. 2. de legib. *Cenſores populi pecuniam cenſento, exinde per ordinem partiunto.* Judæos olim didrachmum in capita penſitaſſe vulgatum eſt, ex Mat. cap. 17. ut miniſterio templi inferretur. Exod. 3. Quæ res anſam præbuit Veſpaſiano, ut omnes ubique Judæos duas drachmas Jovi Capitolino Romam inferre cogeret, auctore Zonara. Plebs urbana capitis tributum non pendebat, ſed ruſticana tantum extra muros poſita. lib. 11. C. l. 1. tit. ne ruſticani ad ullum obſerv. Et quidem in hac ruſticanorum penſitatione cum antea per ſingulos viros, per binas vero mulieres capitis norma cenſeretur, Imperatores ita moderati ſunt, ut binis & ternis viris, mulieribus vero quaternis unius pendendi capitis munus injungeretur l. 10. Cod. de agric & cenſ & colo. lib. 11. pro modo autem capitationis annonariæ ſpecies tribus penſionibus illatæ ſunt l. 13. Cod. de annon. & tribut. lib. 10. fuit & capitatio prædiorum, de qua Salvian. lib. 5. *Cum poſſeſſio ab his receſſerit, capitatio non recedit. Proprietatibus carent & vectigalibus obruuntur.* Et l. ult. Cod. de patroc. vic. *Functiones omnes quas Metronomiæ debent, & publici vici, pro antiquæ capitationis profeſſione.* lib. 9. Cod. de action. empt. *Si minor a venditore dicta ſit capitatio, & major inventa ſit, in tantum convenitur, in quantum ſi ſciſſet emptor ab initio, minus daret pretii.*

Ea prædiorum capitatio vocatur *jugatio, jugeratio,* quia ut ait Varro, alii jugis, alii jugeris metiuntur. Ex quibus verbis aliquid inter jugationem & jugerationem intereſſe putes. Jugatio ζεῦγος, jugatio cum capitatione ζυγοκέφαλα. Cenſuales, Tabularii, Principales, Capitularii, capitationem & jugationem definiebant. Symmach. lib. 9. epiſt. 10. *Sed principalibus & tabulariis liberum eſt, alios a diſpendio vendicare, aliis indebitum munus imponere.* Quibus ideo jugorum numerus exponi ſolitus l. 1. Cod. Theodoſ. de privil. dom. Auguſt. dicuntur *principales decurionum* l. *omnis* Cod. de his quæ adminiſt. & l. 4. C. Theod. de extraord. ſive ord. muner. Firmic. lib. 14. Matth. cap. 2. *faciet vel principales civitatum publicis rationibus præpoſitos.* Cæterum agri in cenſum referebantur, ut nomen fundi, quot jugerum eſſet,

Capitatio jugatio & jugeratio dicitur.

adnotaretur l. 4. D. de censibus. Quibus autem ab Imperatore remissum est tributum capitis, iisdem remissum est & tributum ex censu l. ult. §. *Divus*. D. de censib. Cicero pessimam eorum conditionem esse dixit, qui stipendiarii essent ipsi, atque agri, id est, qui tributa in caput, & in agros penderent, quia hæc fuit nota captivitatis, ut Tertul. in Apolog. *Agri tributo onusti viliores, hominum capita stipendio censa ignobiliora.* Nam hæ sunt notæ captivitatis. Certe nonnullos fuisse, qui aliquid in capita, aliquid pro censu solverent, dubium non est, & interdum utrumque tributum conjunctum, & aliquot aureis B definitum, ex ratione census & capitis. Ut enim supra ostendimus ex Appiano, Judæi in capita & ex censu tributum pendebant. Syri ac Cilices annuam centesimam pro modo census uniuscujusque. Huc pertinent Lampridii verba in Alexandro: *Vectigalia publica ita contraxit, ut qui decem aureos sub Heliogabalo præstiterant, tertiam partem aurei præstarent. Tuncque primum semisses aureorum formati sunt & tremisses, dicente Alexandro, etiam quartarios futuros, quod minus non posset*.

Cæterum Leo Imperator tributa capitalia C Græciæ & Calabriæ superimposuit. Ea autem quæ dicuntur patrimonia sanctorum Principum Apostolorum, quæ olim ecclesiis auri dimidium & tria conferebant talenta, publicæ rationi exsolvi præcepit, ut scribit Paul. Diaconus lib. 21. Abbo Floriacensis in Vitaliano: *Afflictiones populo provinciarum Calabriæ, Siciliæ, Africæ, vel Sardiniæ per diagrapha seu capita atque nauticationes imposuit*. Inde *Capitiarius* apud Fulbertum ep. 103. *Constituit tibi alium Thesaurarium & Capitiarium de bonis clericis.* Sarraceni Capi D tationem indixere Nicephoro, qui imperium Irenæ eripuerat. P. Diaconus lib. 24. ut per unumquemque annum Nicephorus tribueret Sarraceno tricena millia numismatum, & tria numismata in tributum capitis Imperatoris & tria filii ejus. Hic Nicephorus auri sitiens præcepit militare egenos, & conferre decem & octo ac dimidium numisma per singulos fisco, una cum proximitate ad tributa publica, & præstare cariaticorum causa siliquas binas. Professio censualis manebat apud fundi dominum l. 3. C. Theodos. sine censu vel re E liq. Qui possessor erat effectus statim nomen suum censualibus tabulis postulabat adnotari, quia de auctore in possidentem capitatio transfertur. l. 5. ibid.

## CAP. XVIII.

### *De Indictionibus*.

*Indictiones unde dicantur.* INdictiones dictæ ab indicendis tributis, quia subditi monerentur, ut se ad solutionem compararent, priusquam collecta exigeretur. l. ult. C. de indict. indiciturque hoc genus collectæ, pro rebus quæ possidentur, quibus si sponte cesserit possessor, onore pensitationis hujus liberatur, sicuti ususfructus F perit, re perempta, vel flumine occupata. l. *repeti* l. *cum usumfructum*. D. quibus mod. ususfruct. quod tamen negat Salvian. lib. 5. ætate sua usurpatum. *Plerique*, inquit, *pauperculorum atque miserorum spoliati resculis suis, & exterminati agellis suis, cum rem amiserint, amissarum tamen rerum tributa pa-*

A *tiuntur*. Cassiod. lib. 9. variar. *Indictionem tributi* vocat. Indictio interdum accipitur pro annua pensitatione, quæ pro possessionibus præstatur, quod munus patrimoniorum fuit, & onus fructuum, lib. 10. C. de indictione. *Indictio idem quod annua pensitatio.*

Ascon. ad lib. 4. in Verrem, omne genus pensitationum in hoc capite positum est, canonis, oblationis, indictionis. Canon est ordinarium tributum, oblatio voluntarium, indictio novum & superadditum. Indictio non potest indici nisi ab eo, cui lege, aut jure imperii id competit. l. 1. C. de superind. l. 1. C. de vacat. muner. Indicabatur autem lustro quoque, aurum, argentum, aut ferrum. C. de indict. Canonem de portoriis & vectigalibus quæ eodem tenore perpetuo procedunt, accipimus cum Ulpiano l. *Fiscus*. §. final. D. de jure fisci. In quo nihil minus inferri ærario debet, immutabili forma canonis remanente l. ult. de Can. larg. lib. 10. C. tit. 23. Doctissimus Budæus canonem domanio regio Galliarum simillimum fuisse ait, oblationem non absimilem iis quæ vulgo vocantur *auxilia*, cujusmodi est octava vini heminatim divenditi, & vicesima ejus quod cuppatim culleatimque venit, reliquarumque mercium quæ a copis, seu solidariis negotiatoribus venduntur, & quæ a minutariis, qui propolæ dicuntur. *Canon.* *Indictio* *Oblatio.*

Ad oblationem pertinent ea quæ provinciales sponte & gratulandi animo Imperatoribus offerebant, ut strenæ, stipes, quas ex voto pro salute Augusti quotannis mittebant in lacum Curtium, ut Sueton. lib. 2. cap. 57. Item vota quæ tertio die post. Kal. Januar. pro salute principis suscipiebantur. Sueton. lib. 4. cap. 42. Plin. ep. lib. 10. *Vota, domine, priorum annorum provincialium pietate persolvimus*. Item libra auri obriii ex voto, quæ transiit in speciem indicti. l. 1. C. de oblat. vot. de auro coronario Gell. lib. 5. Livius lib. 44. & 48. Spartianus in Adrian. l. 1. C. de auro coronar. quod ab aliis sponte, a Judæis ut necessarium munus offerebatur. l. *Judæorum*. C. de Judæis. Honorarium frumentum quod olim Prætoribus in Sicilia datum est, oblationi adscribendum. *Pertinentia ad oblationem.*

Jam vero indictio Ciceroni collecta, collatio, symbola, ἔρανον Polluci lib. 8. cap. ult. vulgo *Taille*, similis capitationi. indictionis primæ, secundæ, tertiæ, meminit Cassiodor. lib. 3. epist. 25. *Siliquatici titulum, quem fide dominicatus jure dederamus diffusione indictionis primæ, secundæ, vel tertiæ per provinciam Dalmatiam ordinatio tibi nostra committit*. Item epist. 31. lib. 5. Indictiones autem quædam fuere canonicæ, & e lege factæ, quædam extraordinariæ, & per magistratus ex improviso decretæ collationes l. 1. C. de indictione, quemadmodum ex Festo docuimus olim tributum ordinarium & temerarium sive extraordinarium fuisse, quod *superindictum* postea vocatum est, quia supra canonicam functionem indiceretur. *Indictio collecta, collatio, symbola*

Indictio item significat spatium quindecim annorum, qui in se revolvuntur. Græci vocant ἐπινεμήσεις, quas Cedrenus sub Augusto incæpisse scribit, anno 15. ejus Imperii: Καὶ ἤρξαντο ἀριθμεῖσθαι αἱ ἰνδικτοι ἀρξάμενοι ἀπ' Αὐγούστου καίσαρος ἐν ἔτει ιε'. τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ. Καλεῖται ἡ ἰνδικτίων, τουτέστιν ἰνακτίων, ἡ περὶ τὸ Ἄκτιον νίκη. *Cæperunt numerari indictiones ab anno 15. Imperii Augusti Cæsaris. Vocatur* *Indictio quindecim annorum revolutio.*

*autem indictio quasi inactio, aut victoria ad Actium* Alio loco ait indictiones anno secundo Imperii Augusti cœpisse, p. 142. & p. 178. Ἡ ἐπωνυμία τοῦ ἐνιαυσιαίου κύκλου, ἡ μὲν ῥωμαΐζουσα φωνὴ τὸ μηνύμα σημαίνει. Μηνύει γὰρ ἡ ἀρχὴ τὴν περίοδον, τοῦτό ἐστιν ἰνδικτίων, ἡ δὲ Ἑλλὰς φερωνύμως ἔθηκε τὴν ἐπινέμησιν. Οὐ γὰρ εἰς ἀπαράβατον καὶ ὡρισμένον βάρος τὸ παλαιὸν οἱ φόροι τοῖς ὑπηκόοις ἐτάττοντο, ἀλλὰ ἡ καρπῶν γένεσις τὴν σύνταξιν αὐτοῖς ἐφιλανθρωπεύσατο. Σπανίζουσι γὰρ ἐλάφρυνεν, εὐθηνοῦσι δὲ οὐκ ἐβάρυνε, καὶ διένειμεν ἀλύπως τοῖς φορολογουμένοις τὸ ἀνάλογον, καὶ τότε ὅτε χρεία ἐκάλει. Μηδενὸς δὲ ὄντος τοῦ φορολογουμένου, οὐδ᾽ ὅλως ὁ φόρος ἐπράττετο, ἀλλὰ ἐγένετο κέρδος ὁ πόνος ὅλος τοῖς γεωργήσασι. *Indictio, cognomentum circuli anniversarii, Romana quidem voce indicationem significat. Initium enim indictionis ostendit circuitum, diciturque indictio. Græcia autem Epinemesim vocavit, nomine rem significante, id est, distributionem. Non enim tributa intoleranda & definita subditis olim imponebantur, sed copia fructuum modum tributi humanissime dispensabat. Si enim* (lego σπανίζουσα, εὐθηνοῦσα) *penuria esset, levabatur onus; si copia, non gravabatur, & habita ratione fructuum ex æquo tributa proportione indicebantur, prout usus posceret. Si fructus nulli essent, tributum omnino non imponebatur, & labor universus erat lucro agricolis.* Auctor Græcus parum explicate loquutus est, nec satis accommodate ad rem. Neque enim ab *Actio*, neque ab *indicando*, sed ab *indicendo* indictio est appellata. Quod subjicit de relevandis tributis, bene ex parte habet, quod a senatu, aut ab Imperatoribus, si gravis annus fuisset, relevarentur coloni & publicani. Propterea in lege Censoria adscriptum fuit, *si quis frui publico publicanus non potest*. Polybius lib. 6. Ἔχει δὲ περὶ πάντων τῶν προειρημένων τὴν κυρίαν τὸ συνέδριον. Καὶ γὰρ χρόνον δοῦναι καὶ συμπτώματος γενομένου κουφίσαι, καὶ τὸ παράπαν ἀδυνάτου τινὸς συμβάντος ἀπολῦσαι τῆς ἐργωνίας. *Senatus de omnibus quæ supradicta sunt, pro arbitrio statuere potest. Etenim dare tempus, & si aliquis casus acciderit, levare & liberare solet mancipes ac redemptores, si omnino vectigalia exigere non potuerint.* Publicanos quidem remissionem petentes Jul. Cæsar. tertia mercedum parte relevavit, ait Sueton. in Jul. cap. 20. Augustus τὰ παλαιὰ συμβόλαια τῶν εἰς τὸ κοινὸν ὀφειλόντων κατέκαυσε. *Syngraphas, & contractus veteres eorum qui publico debebant, combussit*, ait Zonaras. Trajanus collationes remisit, ut Plin. in Panegyr. Dio lib. 54. Ἐπειδὴ ἡ Ἀσία τὸ ἔθνος ἐπικουρίας τινὸς διὰ σεισμοὺς μάλιστα ἐδέετο, τόν τε φόρον αὐτῆς τὸν ἐτήσιον ἐκ τῶν ἑαυτοῦ χρημάτων τῷ κοινῷ ἐσήνεγκε, καὶ ἄρχοντα οἱ ἐκ τοῦ κλήρου, ἀλλ᾽ οὐχ αἱρετὸν ἐπὶ δύο ἔτη προσέταξε. *Quia provincia Asia ob terræ motus adminiculo indigebat, de suo tributum annuum in ærarium intulit, & suffragiis popul. non a se ipso lectum præsidem eo misit*: quem locum Xylander non satis intellexit. Ammian. Marcel. a Juliano aurum coronarium indultum ait, & remissa debita multa diuturnitate congesta. Ausonius a Gratiano donata residua. Salvian. lib. 5. *Si quando, ut nuper factum est, defectis urbibus minuendas in aliquo tributarias functiones potestates summæ existimaverunt, ilico remedium cunctis datum, soli inter se divites partiuntur.* Verba Ausonii ad Gratianum: *Vel illud unum cujusmodi est, de condonatis residuis tributorum? Quis unquam Imperatorum hoc provinciis suis uberio e te indulgentia dedit.* Fecerat & Trajanus olim, sed partibus retentis. Plin. Panegyr. *Vetuisti exigi, quod deberi non tuo sæcu o cœperat.* Dicebantur *indulgentiæ*. Legendum Cassiodor. lib. 4. variar. ep. 36. & 38. Pertinax Imperat. vectigalia omnia quæ in urbium portis, fluviorum ripis, aut in viis & itineribus pendebantur, sustulit, ut Herodianus lib. 2. Nicephorus Botoniates Imperator creatus, omnia remisit quæ fisco debebantur, ut est in jure Orient. in constitut. Botoni. Marcus Anton. Philosophus supellectilem Imperatoriam vendidit, ne populum novis vectigalibus oneraret, ut Capitolin. Symmach. in epist. *si tributa adjiciantur insolita, forsitan consueta cessabunt.*

Super-indictum quid dicatur.

*Superindictum* autem, ut ad indictiones redeamus, dicuntur onus ultra solitam & canonicam collationem indictum, cujusmodi est in Jure orientali, quod *jussit* Leo Iconomachus: *Procuratores provinciarum ultra statutum in singula numismata accipiant miliarisium unum & in ærarium regium conferant, unde muri reficiantur.* ἐκέλευσε τοῖς διοικηταῖς τῶν θεμάτων ἀπαιτεῖν εἰς τὸν κανόνα κατὰ νόμισμα μιλιαρίσιον ἓν καὶ λαμβάνειν αὐτὰ τὰ βασιλικά, καὶ κτίζειν αὐτά. l. 1. C. Theodos. tit. 17. lib. 19. *superindictio* commemoratur: *Omnes omnino quocunque titulo possidentes, quod delegatio superindictione videbitur amplexa, velut canonem cogantur inferre.* l. 1. C. de indict. lib. 10. *Vectigal superindictum tollitur, cujus nomen grave & odiosum erat, & canon pro eo introducitur.* Admonuimus ex Hermogeniani lib. 5. Epitomar. indicere vectigalia solius esse Principis esse l. 1. C. Theodos. de superindicto. ubi Anianus: *Ista lex præcipit, ut nullum per rectores provinciæ superindictum provincialibus imponatur, nisi forte ex hac re processisse auditio dominica comprobatur.* Cassiodor. lib. 12. *Possessores admonet judex, ut tributa indictionis decimæ tertiæ solvat trinæ illationis moderamine custodito.* Symmach. lib. 10. ep. 40. *Augmenta persolvere. Augmentum indictionale. Superindictorum titulorum onera. Pensio superindicti.* Cassiodor. lib. 1. ep. 20. lib. 5. ep. 14. Novell. Majoriani de indulgentiis reliq. *Superindictis titulis possessor exhaustus*. Spartianus de Adriano: *Infinitam pecuniam quæ fisco debebatur, privatis debitoribus in Urbe atque Italia: in provinciis vero etiam ex reliquis ingentes summas remisit, syngraphis in foro D. Trajani incensis.* Zonaras de eodem: Χρεωκοπίαν ἐκήρυξε τοῖς ὀφλοῦσι τῷ βασιλικῷ ταμείῳ καὶ τῷ δημοσίῳ τῷ τῶν Ῥωμαίων. *Remisit debita & novas tabulas pronuntiavit iis qui debebant regio fisco & ærario Romano.*

Superindictio

## CAP. XIX.

### *De Indulgentis & Immunitatibus.*

Indulgentiæ & immunitates.

SÆpe factum, ut tributa relevarentur, si vel bellorum injuria, vel annona gravi possessor exhaustus esset. Georgius monachus in Chron. Τὰ δημόσια τέλη ἀνῆκεν καὶ τοὺς τῶν χρεῶν χάρτας ἐπὶ τῆς Ῥωμαίων ἀγορᾶς κατέφλεξεν. Constantinus magnus *remisit publica vectigalia, & debitorum chartas in Romano foro incendit*. Euseb. lib. 4. de vita Constant. Τῶν κατ᾽ ἔτος εἰσφορῶν τῶν ὑπὲρ χώρας συντε-

λυμένων τὴν τετάρτην ἀφελὼν μοῖραν τοῖς τῶν ἀγρῶν δεσπόταις ἐδωρεῖτο ταύτην, ὡς τῷ λογιζομένῳ τὴν κατ' αὐτὴν κατ' ἔτος ἀφαίρεσιν διὰ τεττάρων συμβαίνειν ἐνιαυτῶν ἀνεισφόρους γίγνεσθαι τοὺς τῶν καρπῶν οἰκήτορας. ὃ δὴ νόμῳ κυρωθὲν κρατῆσαι καὶ εἰς τὸν μετέπειτα χρόνον. *Illationum annuarum quæ fiunt pro singulis regionibus quarta parte sublata, eam possessoribus donavit, ut si quis imminutionem æstimet, quarto quoque anno eos immunes agnoscat; quod & postea lege obtinuit.* Evagr. lib. 5. cap. 13. Tiberius τὴν δασμολογίαν τοῖς συντελοῦσιν ἐπαφῆκεν ἔτους ἑνὸς τέλειον χρόνον, τάς τε χρήσεις, αἷς περ ὁ Αδααρμάνης ἐλυμήνατο τῶν ἐπικειμένων τελῶν οὐ πρὸς τὸ μέτρον τῆς βλάβης, ἀλλὰ καθυπέρτερον ἠλευθέρωσεν. ἀφείθησαν δὲ καὶ ἄρχουσιν αἱ ἄθεσμοι δόσεις, αἷς πρώην οἱ βασιλεῖς τοὺς ὑπηκόους ἐπίπρασκον. *remisit tributa subditis ad unum integrum annum, & necessitates vectigalium quibus Adaarmanes nocuerat, liberavit, non ad mensuram damni accepti, sed longe supra. Munera quoque remissa sunt magistratibus, & nefaria dona, quibus Imperatores subditos vendebant.* Sozomenus lib. 1. Constantinus ἐκ τῆς καθ' ἑκάστην πόλιν ἐξελὼν τοῦ δημοσίου ῥητὸν τέλος τῶν κατὰ τόπον ἐκκλησίαις καὶ κλήροις ἀπένειμε. τοὺς μὲν πανταχῆ κληρικοὺς θέσει νόμου ἀτελεῖς ἀνῆκε, *ex provinciis tributariis per singulas civitates certum vectigal publico adimens, ecclesiis & clericis cujusque loci assignavit, & lege lata clericos omnes immunes esse voluit.* lib. 3. ἀτέλειαν ἔχειν τῶν λειτουργημάτων τοὺς αὐτοῦ κληρικούς, *clericos suos immunes esse a publicis muneribus.*

*Italia immunis.* Olim Italia immunis fuit, quod *jus Italicum* dictum. Ulpianus lib. 1. de censib. Syriam Phœnicem patriam suam fœderis quod cum Romanis percusserat, tenacissimam fuisse gloriatur. Huic D. Severus Imp. noster ob egregiam in Remp. imperiumque Rom. operam, jus Italicum dedit. Apud Capitolinum Marcus Philosophus & tributa & vectigalia ubi necessitas cogebat, remisit. Julianus quintam partem illationum relevavit. Is in Misopog. ἀλλὰ πρὸς τοῖς ἐλλείμμασιν ἀνεῖται πᾶσι τῶν εἰθισμένων εἰσφορῶν τὸ πέμπτον. *Sed cum reliquis remittitur omnibus quinta pars consuetarum illationum.* Symmach. lib. 5. ep. 87. *Nostrorum duritiam ferre non possumus, qui cum reliqua superiora necdum solverint, etiam proximi anni ferre detrectant. Reliqua colonorum* vocantur l. 79. 91. de legat. 3. Plinio lib. 3. ep. 19. l. 9. ep. 37. *Reliqua arcæ* Symmacho lib. 9. ep. 121. lege titulum C. Theod. de indulg. debit. & Novel. ρξέ. & Novel. 24. Indulgentiæ certe dictæ, cum tributa aut reliqua remissa. Ammian. lib. 16. *Eundem adusque imperii finem & vitæ scimus utiliter observasse, ne per indulgentias, quas appellant, tributariæ rei concederet reliqua.*

*Indulgentia quare concessæ.* Indulgentiæ datæ propter sanctæ Paschatis diei lætitiam. C. Theodos. de indulg. *Religio anniversariæ obsecrationis* vocatur, ob Remp. tyrannide liberatam, ob partum Crispi & Helenæ Constantinus indulgentias dedit. Antoninus Philosophus præteriti temporis per omnes provincias tributa donavit, omniaque simul calumniosa monimenta in foro jussit incendi. Legatur Panegyricus Flaviensium; P. Diacon. lib. 8. Novell. 163. Justiniani. Nerva Italiæ remisit vehiculationem. Trajanus vetera residua condonavit, nova retinuit. In nummo veteri, *Reliqua vetera H. S. novies mille abolita.* Cedrenus: χρεῶν ὀφειλὰς τῶν ὑφ' αὐτοῦ πόλεων καὶ πολιτῶν τῷ δημοσίῳ λόγῳ ἀνηκέστας ἀπέκοψε καύσας τοὺς χάρτας. Adrianus *debita urbium & civium qui publico debebant, remisit, chartasque exussit.* Apud Cassiodor. lib. 12. ep. 5. *Remittuntur tributa ob transitum exercitus.*

*Indulgentiæ criminum.* Erant & indulgentiæ criminum, & solutio vinctorum apud Cassiodor. lib. 11. ep. 11. & Firmicum lib. 4. cap. 4. C. Theod. de indulg. crimin. Princeps etsi liberat, notat. Suet. in Claudio cap. 16. *Cum Claudius dempsisset cuidam appositam notam, litura tamen, ait, extat.* S. August. ep. 259. ad Cæciliam. *Nec indulgentia illis danda visa est, ut vel sic aliquo crimine notarentur; sed tantum commonitorium, quo eos ab omni molestia liberos dimittere juberetur.* Αὐτόνομοι urbes vocabantur immunes, quæ suis legibus viverent, apud Nicephor. Gregor. lib. 2. In Bulgaria fuit urbs Justiniana, quam αὐτονομεῖσθαι εἰς τὸ διηνεκὲς προσετετάχει, Justinianus *suis legibus in perpetuum uti jusserat, sic tamen uti Imperatores non ungeret.* πλὴν οὐχ ὥστε καὶ βασιλέας χρίειν. Anastasius Amidenis, qui capti a Persa, *remisit tributa ad 7. totos annos,* Procopius, φόρους τοὺς ἐπετείους εἰς ἔτη ἑπτὰ σύμπαντα ἀφῆκε τῇ πόλει. Simocatta lib. 8. Mauricius Aug. *tertiam partem vectigalium remisit subditis.* ἀναφέρεται δὲ τὴν τρίτην μοῖραν τῶν φόρων συγχωρῆσαι τοῖς ὑπηκόοις τὸν βασιλέα. Paulus Diacon. *Nerva quicquid ante pœnæ nomine tributis accesserat, indulsit, afflictas civitates relevavit, puellas puellosque natos egestosis parentibus sumptu publico per Italiæ oppida aluit.* Immunes erant αὐτοκέφαλοι, μήτε τῷ βασιλεῖ Ῥωμαίων, μήτε ἑτέρῳ τινὶ ὑποκείμενοι, αὐτόνομοι, ἰδιόρρυθμοι, ut Constantin. Porphyrog. in Chorograph. *Qui neque Imperatori Romanorum, neque alteri cuiquam subditi erant, suis legibus viventes.* Julianus Aug. Indulgentias dedit in epist. μέχρι μὲν τῆς τρίτης ἐπινεμήσεως ἀφίεμεν ὑμῖν ἅπαντα ὅσα ἐκ τοῦ φθάνοντος ἐλλείπει χρόνου. μετὰ δὲ ταῦτα εἰσοίσετε κατὰ τὸ ἔθος. περὶ τούτου καὶ τοῖς ἐπάρχοις ἐπέσταλκα, *usque ad tertiam indictionem remittimus vobis omnia reliqua superioris temporis. Postea pensitabitis pro more. De hoc scripsi ad Præfectos Præt.* Sozomenus lib. 5. Julian. sacrificulis ethnicis λειτουργιῶν, καὶ τῶν ἄλλων ὧν πρὶν εἶχον, ἀτέλειαν ἐψηφίσατο, καὶ τὰ ἀφαιρεθέντα τῶν νεωκόρων σιτηρέσια ἀπέδωκεν, *immunitatem omnium onerum quibus antea premebantur, decrevit, & restituit annonas æditui ablatas.* Julian. in orat. Constantinus πυρῶν μεδίμνους δίδωσι πολλάκις μυρίους καθ' ἕκαστον ἔτος δωρεὰν καρποῦσθαι Ἀθηναίοις, *sæpe decem millia modiorum tritici quotannis donavit Athenienſibus fruenda.* Libanius ad Theodos. *Ira Imperatoris non longius sæviat, quam ut panes non donet,* μέχρι τοῦ οὐ δεδομένων ἄρτων. Reliqua vocant λοιπάδας, λοιπὰ ἐλλείμματα.

## CAP. XX.

### *De Superindictis & Augmentis.*

*Superindicta & augmenta.* ZOnaras ab Alexio Comneno scribit ὑπέρπλεον tributum repertum: novum nomen fuit, res antiqua. ἐντεῦθεν ἀπογραφεῖς πανταχοῦ τῶν ἐν ἀγροῖς καὶ χωρίοις διαφερουσῶν τοῖς ὑπηκόοις ἐστέλλοντο κτήσεων, καὶ τὰ καινὰ τῶν ὀνομάτων ἐπενόηντο, τὰ ὑπέρτιμα λέγων, καὶ τὰ ὑπέρπλεα. *Inde mittebantur quocunque tabularii & scribæ, qui describerent prædia & possessiones exi-*

*mias per agros & loca, novaque nomina tributorum reperiebantur, hypertima & hyperplea.* Ammianus lib. 17. *Indictionale augmentum*, quod & *incrementum* vocatur. Diaconus lib. 21. *Leo tributa capitalia Thraciæ parti, Siciliæ seu Calabriæ superimposuit. Ea vero quæ dicuntur patrimonia sanctorum Principum Apostolorum, quæ olim ecclesiis auri dimidium & tria conferebant talenta, publicæ rationi exsolvi præcep.t.* Claudianus Panegyr. quartum Consulis.

Indictionale augmentum.

> *Impia continui cessant augmenta tributi,*
> *Non infelices tabulæ, non hasta refixas*
> *Vendit opes, avida sector non voce citatur,*
> *Nec tua privatis crescunt æraria damnis.*

## CAP. XXI.

### *De Salinis.*

Salinæ.

SAlinarum vectigal Romæ ab Anco Martio institutum, & exactis regibus sublatum est, auctore Plin. lib. 31. cap. 7. Liv. lib. 2. *Altero post reges exactos anno salis vendendi arbitrium, quia impenso pretio venibat in publicum, omni sumptu adempto concessum privatis.* tum restitutum M. Livio & C. Claudio Censoribus, ut Liv. lib. 29. his verbis: *Vectigal etiam novum ex salaria annona statuerunt. Sextante sal & Romæ & per totam Italiam erat. Pluris in foris & conciliabulis, & alio alibi pretio præbendum locaverunt.* Deinde sublatum videtur salis vectigal libera civitate, cum Cic. lib. 2. ad Attic. ep. 16. Portoriis Italiæ sublatis, agro Campano diviso, nullum vectigal superesse domesticum præter vicesimam dicat. Salinarum tamen meminit Cic. pro lege Manil. ubi Hotoman. *salictis*, pro *salinis* legit, & Turneb. *sylvas* reponit. Salinas enim id temporis in provinciis pop. Rom. fuisse certum est, quanquam forte in Italia non fuit vectigal ex Salinis. Italicæ enim coloniæ erant immunes a tributo capitis & soli, quod jus Italicum dicitur l. 1. D. de censib. cum vectigalia omnia lege Thoria a P. Thorio tribuno plebis lata sublata essent ex fundis Italicis, ut Appianus lib. 1. civil. & Cicer. in Bruto. Fuere & quædam coloniæ jure Italico donatæ a Cæsaribus immunes a tributis l. 3. C. de Episcop. & Cleric. & l. 1. 6. & ult. D. de censib. Sub Imperatoribus autem salis vectigal revocatum est. Symmach. lib. 10. ep. 58. *Cum mancipes Salinarum magno ex numero ad paucos redacti, necessitatis publicæ molem ferre non possent.* Ulpian. l. 17. D. de verb. signific. *Publica vectigalia intelligere debemus, ex quibus vectigal fiscus accipit, quale est vectigal portus, vel venalium rerum, item Salinarum, & metallorum, & picariarum* l. 13. D. de publican. & vectigal. *sed & hi qui Salinas, & arenarias, & cretifodinas, & metalla habent, publicanorum loco sunt.* Vectigalium enim publicorum sociis permissum est corpus habere, vel Salinarum, vel aurifodinarum. l. 1. D. *quod quisque univers.* Fuerunt & Salinæ privatæ, quæ in censum deferri jubentur, l. 4. §. *Salinæ*. D. de censib. Liberæ privatis, non minus quam sulphurariæ, argentifodinæ, auri & cretæfodinæ, ex quibus Imperatores decimas capiebant l. *cuncti*. C. de Metallariis. lib. 11. ubi admonebo, quanquam a privatis Salinæ possideri possunt & sal in prædiis privatorum gigni, vel eorum sumptu fieri, sal tamen ipsum juris esse publici, ejusque caussa vectigal publico deberi, nec salis publicum esse commercium sine auctoritate Principis l. *forma*. D. de censib. l. *inter publica*. D. de verbor. signific. l. *si quis*. Cod. de vectigal. Qui Salinis publicis erant præpositi dicebantur *Alabarchæ*, quam vocem doctissimus Cujacius reposuit l. 9. C. de vectigal. & commiss. & *Arabarchiæ* vocabulum expunxit. Josephus lib. 2. cap. 5. ἀλώσεως, & lib. 18. & 20. originum, ἀλαβαρχίας, & τοῦ ἀλαβαρχήσαντος. Alexandriæ meminit. Cic. ad Atticum lib. 2. ep. 17. *Velim ex Theophane accipere, quonam animo sit in me Alabarches.* Juvenal. Satyr. 1.

> *Nescio quis titulos Ægyptius, atque Alabarches.*

Doctissimus Cujacius Alabarchen magistrum scripturæ interpretatur, quia apud Phavorinum *alaba* scripturam significat, seu atramentum quo scribimus. Euseb. Cæsar. lib. 2. histor. eccles. Alexandrum Alabarchen commemorat, & Joseph. lib. ult. origin. apud quem Ruffinus ἀλαβάρχην *præfectum salis* interpretatur. Quæ interpretatio si vera est, lubentius legam ἀλασάρχην, quasi τῶν ἁλῶν ἀρχήσαντα vel ἀλοσάρχην, quam *alabarchen*, nisi forte *alaba* lingua Ægyptia salem significat. Cæterum nefas fuit sine persona mancipium, id est, salinarum conductorum, sales emere, aut vendere l. *si quis*. C. de vectigal. Malefici vero & mulieres in opus salinarum ob maleficium dabantur. l. 6. de captivis & postlim. l. 8. D. de pœnis. Athenæus lib. 3. scribit in Troade Tragasseum salem plebis usui sine pretio expositum fuisse, cui cum Antigonus vectigal imposuisset, exaruit. In Syria & Judæa jam olim vectigal salis fuisse discimus ex lib. 1. Machab. ubi Demetrius scribit ad Judæos: Ἀφίημι πάντας τοὺς Ἰουδαίους ἀπὸ τῶν φόρων, καὶ τῆς τιμῆς τῶν ἁλὰς, καὶ ἀπὸ στεφάνων, καὶ ἀντὶ τοῦ τρίτου τῆς σπορᾶς, καὶ ἀντὶ τοῦ ἡμίσους τοῦ καρποῦ ξυλίνου. *Judæos omnes immunes esse jubeo a tributis & pretio salis & coronarum, & pro tertia parte sementis, & pro media parte fructus e ligno.* Nicephorus Gregor. lib. 8. Alexius domesticus τῶν δυτικῶν θεμάτων, καὶ τὴν τῶν ἁλῶν διοίκησιν ταμιουργῶν, *Occidentalium provinciarum, & administrationem salis dispensans.* Bene Cujacius Alabarchen scripturæ impositum fuisse, non sali putat. Imperator enim l. 9. C. de vectigalibus. *Per totam Ægyptum*, inquit, *& Augustamnicam vectigal Alabarchæ pro traducendis animalibus erat constitutum.* Salinarum meminit Rutilius in Itinerario:

> *Subjectas villæ juvat aspectare salinas,*
> *Qua mare terrenis decliva canalibus implet.*

Strabo lib. 17. ἁλιπάγιον mirabile commemorat. Sidonius lib. 10. epist. 58. *mancipes Salinarum* & epist. 96. lib. 9. Frontin. lib. 1. de aquæduct. scribit Salinas fuisse ad portam Tergeminam. P. Victor collocat eas in undecima regione urbis. Mancipum Salinarum Romæ mentio fit l. 1. de mancip. therm. C. Theod. salis commercium fuit sub Comite largition. lib. 10. epist. 58. Symmachus mancipes Salinarum ait muniri suffragio Macedonii Comitis sacr. largitionum.

## CAP. XXII.

### *De Metallis & variis fodinis.*

Metalla et variæ fodinæ.

METalla quoque in vectigalibus fuere, quæ & publicanis locabantur. Plin. lib. 33. cap. 4. *Extat lex Censoria Ictimulorum aurifodinæ, qua in Vercellensi agro cavebatur, ne plus quinque millia hominum in opere publicani haberent. Quicumque volebat metallarii officium profiteri, prius præstabat fisco 8. scrupulos in baluca, id est, arenato, vel minuto auro puro.* Scrupulus 24. pars unciæ est l. 1. C. de metallar. & metal. Baluca Græcis dicitur χρυσάμμος. Plin. lib. 33. cap. 4. Vitruvi. lib. 7. cap. 9. *Quæ autem in Ephesiorum metallis fuerunt officinæ, nunc trajectæ sunt ideo Romam, quod id genus venæ postea est inventum Hispaniæ regionibus, ex quarum metallis glebæ portantur, & per publicanos Romæ curantur.* Polybius ad Carthaginem novam non minus quadraginta millia hominum assidue in opere fodinarum versari scribit. Strabo lib. 3. Fodinas auri Principes sibi servasse, ut in fiscum inferrentur, argenti privatis hominibus reliquisse significat. Usos autem publicanos ad fodienda metalla metallariis, qui in opus metalli damnati essent, ostendit Cassiodor. epist. 3. lib. 9. & Jurisconf. l. 1. §. 1. D. de requir. vel absent. damnand.

Aurifodinæ sive auraria.

Fuere & aurifodinæ, seu aurariæ juris privati, quas sibi Tiberius reservavit bonis privatis proscriptis, ut Cornel. Tacit. lib. 4. Præstabant & singulis annis aurilegulì 7. scrupulos auri, l. *per annos*. Cod. de metallar. lib. 11. Si quis in suo solo cuniculos auri effoderet, decimam auri præstabat fisco l. *cuncti*. eodem tit.

Procuratores metallorum.

Erant autem in metallis procuratores metallorum qui ad tempus præficiebantur, quod antequam exactum esset, ad aliam dignitatem non evehebantur, l. 4. dict. tit. de metallar. Alii fuere metallis cum uxore & liberis addicti, ut servirent, quibus solutis tota eorum familia libera erat: quidam fuere in metallum damnati, qui ad tempus vincti metallis operam præbent. l. ult. eod. tit. l. *aut damnum. §. est pœna.* cum sequent. D. de pœnis.

Monetarii.

Quartum fuit genus eorum qui dicti *monetarii*, qui metallum tractabant & signabant. l. 1. de falf. monet. C. Theodof. l. 1. l. 7. & l. 13. C. de Murileg. lib. 11. qui in moneta operabantur, l. 6. §. 1. D. ad l. Jul. pecul. Suidas μονητάριοι οἱ περὶ τὸ νόμισμα τεχνῖται. Cassiodor. lib. 5. var. epist. 39. Item sulphuris, æris, ferri, cretæ, arenæ, auri, argenti, aluminis fodinæ, D. de publican. Tum vectigal ex cotoriis, ubi exciduntur cotes ferro subigendo, l. 15. D. tit. de publican. Picariæ sunt, in quibus pix coquitur, vel foditur. Nam picem fossilem inveniri scribit Plin. lib. 16. cap. 12. Item lapidicinæ, stypteriæ, l. 3. §. fin. D. de reb. eor. Picariæ autem ætate Ciceronis fuere, cujus verba hæc sunt in Bruto: *Liberi societatis ejus qui picarias de P. Cornelio & Luc. Mummio censoribus redemisset.* De ferrariis, seu ferrifodinis lege Cassiodor. lib. 3. epist. 25. & 26.

Procuratores metalla curabant in Dacia mediterranea l. 4. C. de Metallar. Euseb. lib. 8. eccl. histor. Procuratores istos vocat τοὺς ἐπὶ τοῖς μετάλλοις τεταγμένους. Julius Cæs. lib. 5. Belli Gal. scribit Daciam Rom. in tributum aurum & argentum solvisse, quod fodinis abundaret, etsi nondum in provinciæ formam redacta erat.

Comes metallorum.

In Notitia Comes metallorum per Illyricum suberat Comiti largitionum. Is cogebat eos qui sponte metallorum exercitium conduxerant, exsolvere octonos scrupulos in ballucа quæ χρυσάμμος dicitur. Quicquid amplius collegerant, fisco distrahebant, a quo competentia pretia ex largitionibus suscipiebant. Ob canonem metallicum 14. uncias ballucæ pro singulis libris inferebant. Qui per privatorum loca saxorum venam effodiebant decimas fisco, & decimas domino repræsentabant. Aurileguli quotannis 7. vel. 8. per hominem scrupulos largitionibus inferebant, C. de Metallar. Plin. lib. 33. cap. 4. *Aurum arrugia quæsitum non coquitur. Arrugia* est auri sculptura. Cassiodorus in Chronico scribit anno ab Urbe condita 597. M. Æmilio, C. Popilio Cos. metalla in Macedonia instituta. Livius lib. 45. *Metalli Macedonici ingens vectigal.* Vide l. 7. C. Theodos. de Metallariis Illyrici. Metallorum procuratores paruere Comiti metallorum.

Arrugia.

## CAP. XXIII.

### *De Forma exigendi vectigalis.*

Forma in exigendis vectigalibus.

IN exigendis tributis sub Imperatoribus hæc forma servata est. In singulis civitatibus ex ordine decurionum unus eligebatur susceptor, qui indictum cuique aurum susciperet, & mitteret ad præfectum thesaurorum. Hæc largitionum pecunia rhedis cursus publici ad Comitatum missa, quingentis auri libris, mille argenti rhedæ impositis, quam duo Palatini cum tribus servis secuti: neque hi cum avertis & pera onus quingentarum librarum excedere possunt. C. Theod. l. 48. de cursu publ. l. 47. *Sexaginta libras sella cum frænis, triginta quinque vero averta non transeat.* l. 7. C. de susceptor. *Diu minime penes ipsos susceptores maneat facta collatio, sed statim quodcumque a susceptoribus fuerit exsolutum, sacris thesauris inferatur.*

Exactores.

Exactores quotannis mutabantur judiciaria sedulitate, ne tenerentur in continua vexandorum provincialium potestate, velut concussionum dominatione, l. 4. eod. Qui comitabantur rhedis, dicebantur *prosecutores auri publici*, l. 1. C. de auri pub. prof.

Tabularius civitatis omnium qui tributum vel canonem solvere debent, nomina scribit, & ducenariis ac sexagenariis apparitoribus exigenda tradit: illi exacta susceptori dant. Constantin. Aug. l. 1. C. de exact. tribut.

Ducenarii.

Ducenarii & centenarii sive sexagenarii non prius debent aliquem ex debitoribus convenire, quam a tabulario civitatis nominatim accipiant breves debitorum. Quam quidem exactionem sine omni fieri concussione oportet, l. 5. eod.

Apparitores.

Apparitores quicunque in collationem auri præcepti fuerint adhibere officii sui servitium, titulorum debita & collationum summas relationis suæ fide & adnotatione perscribant, sitque ex officialis instructione officium conscium, quid exactum, quidve perlatum esse videatur, ne longinquitate & itine-

ris diversitate susceptor abductus, & curiæ suæ desit, & rei familiaris detrimenta sustineat.

Susceptor.

Susceptor autem solventi apocham facit, in qua nomen solventis, summa causæ, dies, consul, mensis ascribitur, & statim ad locum thesauri exactam pecuniam mittit, & securitate accepta, is qui solvit, molestiam pati, aut iterum interpellari non potest, l. 2. C. de Apochis public. Semel securitatem de refusione munerum emissam ab alio judice non liceat refricari, si tamen trium cohærentium sibi annorum apochas, securitatesque protulerit, l. 3. eod. Vectigalia pro advectis mercibus stationarii milites opportunis locis dispositi exigebant, & apochas scribebant, exactamque pecuniam ad præsides mittebant, inde ad Comitem thesaurorum. l. *universi*. C. de vectigal. *Universi provinciales pro his rebus quas ad usum proprium, vel ad fiscum inferunt, vel exercendi juris gratia revehunt, nullum vectigal pendant*. Milites illi stationarii olim instituti ad arcenda latrocinia, ut Suetonius in Tiberio cap. 19. Deinde fuere Irenarchæ, l. 1. C. de Irenar. l. 2. & 4. D. de servis fugit.

Licitatores.

Erant autem qui licitarentur vectigalia, quæ penes illum manebant, qui superior in licitatione extitisset, ita ut non minus quam triennii fine locatio concluderetur.

## CAP. XXIV.

### *De Consuetudinibus.*

Consuetudines item aliquando ac tributa significant.

CONsuetudines interdum pro tributis positæ. Cassiodor. lib. 7. form. 2. *Non putetur omnis consuetudo probabilis*. lib. 1. epist. 10. *Arbiter arcæ habeat consuetudines justas*, lib. 3. ep. 23. *Remove consuetudines abominanter inolitas*. Julianus in Misopogone, εἰθισμένων εἰσφορῶν πεμπτὸν. epist. ult. ἐσοίσεται κατ' ἔθος. *secundum consuetudinem inferetur*, quia consuetudo maxime spectanda in tributis, l. 15 C. Theodos. de exactor. l. 4. l. 9. D. de publicanis. Cassiodorus lib. 7. for. 2. de officio præsidis, ostendit præsides in sua provincia consuetudines & tributa curasse. In legibus Franciæ a Carolo magno promulgatis lib. 3. tit. 12 de Teloneis, *Placet nobis, ut antiqua & justa telonea a negotiatoribus exigantur*. lib. 4. tit. 24. de injustis occasionibus & consuetudinibus noviter institutis, sicut sunt tributa. tit. 52. de Teloneis & Cispaticis: *Teneant id, ut ubi antiqua consuetudo fuit, exigantur, & ubi nova fuerint inventa, destruantur*. l. 1. C. de auro coronario.

## CAP. XXV.

### *De Massa auri, & Augmento.*

Massa auri & augmentum.

DE Massa auri alibi dicimus. Constitutum erat, ut solidi quocunque titulo fiscali debiti in massam redigerentur, l. 12. 13. C. Theodos. de susceptor. *Quotiescunque certa summa solidorum pro tituli qualitate debetur, & auri massa transmittitur, in 72. solidos libra feratur accepta*. Scrinium fuit aureæ massæ. *Incrementum obrisæ* commemorat. l. 4. C. Theodos. de auro coron. Symmachus lib. 4. epist. 56. *Provincialis auri incremento vectigal aurarium, quod a negotiatoribus pendebatur sacro ærario. Incrementa auri* dicuntur l. 2. C. Theodos. de susceptor. apud Spartianum in Adriano, *incrementum liberalitatis adjecit*. Vopiscus in Probo, *ut ejus dignitas incrementis adjuvetur*. In Vet. Inscript. *Incrementa pueris Curiæ, & sparsionem nucum dent*. Sed incrementa illa sunt largitiones. *Augmentum* apud Cassiodorum lib. 9. & Ammianum lib. 17. *Augmentum indictionale, tributum est*.

Incrementum auri.

## CAP. XXVI.

### *De Vectigalibus Africæ & Hispaniæ.*

Africæ & Hispaniæ Vectigalia.

VEctigalia Africæ commemorantur Novel. 1. Theodos. de tribut. fiscal. tit. 22. Novella Valentiniani de prædiis pistoriis, tit. 38. l. 1. 2. C. de offic. præfect. præt. Africæ. Vicesimas frumenti Pop. Rom. Hispani tributi nomine solvere, ut Livius. M. Marcellus tributum ex Celtiberia exegit centum talentorum. Strabo lib. 3. Plinius lib. 33. cap. 4. Asturia, Gallæcia, Lusitania vicena millia pondo singulis ex aurifodinis præstitisse ait. Strabo lib. 3. Argenti fodinæ circa novam Carthaginem 25. millia drachmarum per singulos dies exhibere.

## CAP. XXVII.

### *De Auro Coronario.*

Aurum coronarium.

HUnc locum attigimus lib. de Triumpho. Lamprid. Alex. Sever. *Coronarium aurum, & negotiatorium remisit*. Suidas: Στεφανικὸν τὸ τέλεσμα. Αὐτόνομοι ἦσαν οἱ Ῥόδιοι. βραχὺ δέ τι μέρος Ῥωμαίοις ἐπὶ τιμῇ πέμποντες ἐτήσιον, ὡς οὐ φόρον ἡγεμόσι, ἀλλὰ θαλλὸν ἢ στέφανον φίλοις διδόντες. τοῦτο γὰρ [illegible] τοῖς Α[illegible] ἐπιχωριά[illegible] τὸ λόγιον. στεφανικὸν γὰρ λέγουσι πᾶν τὸ ἐν χάριτος λόγῳ διδόμενον. *Coronarium tributum. Sui juris erant Rhodii. Exiguum vero aliquid quotannis honoris causa Romam, non ut tributum Dominis ac Principibus suis, sed termitem aut coronam amicis mittebant. Nam & Gallogræci Ancyrani coronam vocant, quicquid per speciem amicitiæ datur*. Aurum coronarium proprie dictum quod præscriptione triumphi, vel exactum, vel oblatum. Olim socii & amici coronas aureas offerebant gratulantes, postea pro coronis pecunia data. Athenæus lib. 12. οὐ μόνον κατ' ἄνδρα τῶν ἐπιφανῶν ἐστεφάνωσαν τὸν Φίλιππον χρυσοῖς στεφάνοις, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀξιολόγων πόλεων αἱ πλείους. Post victum Darium missæ coronæ partim a legatis gentium, aliisque, æstimatæ 10. millibus & quingentis talentis. Livius lib. 38. *Cum Cn. Manlius Gallogræcos vicisset, missæ undique legationes non gratulatum modo venerunt, sed coronas etiam aureas pro suis quæque facultatibus attulerunt*. Appianus in Cæsaris triumpho bis mille octingentas viginti duas coronas aureas fuisse ait, easque pondo viginti millium quadringentorum quatuordecim, ita ut pleræque decem pondo fuerint. Olim erant librales. Apud Livium lib. 39. *Manlius in triumpho coronas aureas ducentas tulit 12. pondo*. Plin. lib 33. cap. 3. *Claudius cum de Bri-*

Ejus appellatio unde nata.

*tannia triumpharet inter coronas aureas unam 7. pondo habuit, quam contulisset Hispania citerior; alteram novem, quam Gallia comata, sicut titulus indicavit*. Tertul. lib. de Corona: *Sunt & provinciales aureæ, imaginum, jam non virorum, capita majora quærentes*.

Propter quid impositum.

De Auro coronario C. Justiniani. Servius, *Aurum coronarium a victis gentibus datur*. Imponebant autem hoc Imperatores propter concessam vitam. Polyb. in fragmentis: *οἱ γεραῖοι ἐστεφάνωσαν τ̀ Ἀντίοχον τ̀ βασιλέα πεντακοσίοις ἀργυρίȣ ταλάντοις*. Ammianus de Juliano: *tributorum indicta admodum lenia, & coronarium remissum*. *Tripolitani*, apud eundem, miserunt legatos victoriarum aurea simulacra Valentiniano ob imperii primitias oblaturos. Procopius lib. 1. Gotth. *Theodabatus pactus est cum Petro Justiniani Imperatoris duce, decedere Silicia tota, & quotannis coronam auream mittere Justiniano trecentarum librarum*. Appianus ait in funere Syllæ supra bis mille coronas magna celebritate confectas & prælatas, dona civitatum aut legionum, quibus præfuerat. Eæ coronæ dicabantur in templis, ut ait Plinius lib. 33. cap. 1. Sueton. lib. 2. *Augustus 16. millia pondo auri una donatione in cellam Jovis Capitolini contulit*. l. 1. Julius *primo consulatu tria millia pondo auri furatus est e Capitolio, & tantumdem inaurati æris reposuit*. Augustus de se in lapide Ancyrano, *in Capitolio, & in æde D. Julii, & in æde Apollinis, & in æde Vestæ, & in templo Martis ultoris consecravi, quæ mihi constiterunt circiter millenis auri coronarii pondo 35. millibus*. Vide lib. nostrum de Triumpho cap. 29.

## CAP. XXVIII.

### *De Embolicis speciebus.*

Embolicæ species, et quid Embola.

EMbola sacra est certus frumenti modus, quem necessario Romæ subministrabat Ægyptus ex Augusti instituto. Aurelianus ex Ægypto vectigal urbi Romæ vitri, chartæ, lini, stupæ, atque Embolicas species æternas constituit. Ægyptia *ἐμβολὴ* Euripi dicitur *ῥῶπος τ̀ λεπτὸν φόρτον*, *fasciculus e diversis rebus colligatus*. Aurelianus frumentis Ægyptiacis alias species addiderat, quæ pars Embolæ sacræ censebantur, ut Vopiscus in Aureliano.

## CAP. XXIX.

### *De Oneribus variarum gentium.*

Onera variarum gentium.

ASiani pro 30. jugeribus agri chlamydem militi solvunt l. 2. C. de milit. veste. Item Pontici l. 3. eod. Strabo lib. 10. Cappadoces præter argentum mille & 50. equos, mulorum duo millia, ovium 50. millia Persis pendere solitos, & duplum eorum Medos scribit. In Cappadocia sub Imperatoribus terni viri, & quaternæ mulieres pro una persona in solvendo censu capitis computabantur, l. 10. C. de Agricol. & censit. Thraces pro singulis tantum 20. jugeribus agri vestem militarem l. 2. C. de milit. veste, l. ult. C. ut nemini liceat. In Thracia enim, quia tributa fiscalia in solidum non inferuntur barbarorum incursibus colonis attritis, nec sufficiente specierum collatione ad alendos milites in ea consistentes, necesse est, ut collatoribus & negotiatoribus coemptionis aurum pri-

A mum solvatur in nummis obrisis, & debiti ponderis, tum ab eis sine refragatione & damno ullo conferantur species.

## CAP. XXX.

### *De Speciebus adærandis.*

Species adærandæ.

EÆ Species interdum adæratæ, interdum adærari vetitæ. Trebellius in Claudio: *Dentur species supradictæ, non earum pretium in ære*. *ἀπηργυρίζεσθαι*, *adærari*. *Annonæ ærariæ*, quæ adæratæ, in B pretiis datæ, l. 15. C. de erogation. milit. annon. *Species non aliter adærentur, nisi in foro rerum vænalium distrahantur*. l. 28. C. Theodos. eod. Species quæ adærantur dicuntur *cellarienses*, l. 32. ibid. Militaris adæratio vestis a collatoribus exigebatur sacratissimis largitionibus inferenda, ita ut quinque ejus partes militibus erogarentur in pretio, junioribus & gregariis militibus, sexta pars a gynæciariis Principis in ipsa præberetur specie, l. ult. C. Theodos. de milit. veste.

C

## CAP. XXXI.

### *De Diligentia Tributi exigendi.*

Diligentia vel potius sævitia vectigalis exigendi.

TRibutorum exactio tanta diligentia, vel sævitia potius fiebat, ut qui solvendo non essent, ad solutionem tributariæ functionis suspendiis adigerentur. Sidonius carm. 13.

*Nam nunc Musa loquax tacet tributo,*
*Quæ pro Virgilio Terentioque*
D *Sextantes legit unciasque fisci,*
*Marsyæque timet manum, ac rudentem,*
*Qui Phœbi ex odio vetustiore,*
*Nunc suspendia vatibus minatur.*

Marsyæ enim statua in foro collocata manu funem gestans, quo litigatoribus improbis suspendia minabatur. Plinius lib. 16. cap. 45. *Ibi platanus ostenditur, ex qua pependit Marsyas victus ab Apolline*. Novel. Theodos. de indulg. reliq. *Innumeræ deinde clades, sæva custodia, suspendiorum crudelitas*. Novel. E Major. de indulgent. *Cum non jam amissio fortunarum, sed sæva custodia, & suspendiorum crudelitas formidatur*. Ideo sæpe seditiones motæ, cum novum aut grave tributum indiceretur. Libanius ad Theodos. de seditione: *Ἧκε τὰ περὶ χρυσίου γράμματα, πρᾶγμα πάλαι φοβερὸν, πιστευομένου τε τοῦ πέως ἀπιστουμένου, καὶ τῆς γῆς οὐ φερούσης τὸ ἄχθος*, &c. *τὰ σώματα* ... *σφισιν ἐν ταῖς ἐσχάταις ἀνάγκαις ἔσαι*, &c. *ἄνθρωποί τινες σεσιγηκότων ἐκείνων εἰσῆγον τὴν ταραχὴν*, &c. *Venerunt literæ quibus aurum imperabatur, res jam olim terribilis, etiam cum id crederetur*, F *quod eousque non erat creditum. Et cum terra tantum onus ferre non posset, cogitantes eorum corpora in extremis necessitatibus futura, homines quidam illis tacentibus turbas fecerunt, statuas Imperatoris dejecerunt*.

## CAP. XXXII.

*De Scriniis.*

Scriniorum varia genera. HAnc partem exsecutus sum lib. 3. de Imperat. Rom. Hoc addo, Officium sacrarum largitionum per singula scrinia dignitates continuisse, quas numerat Gratianus Aug. l. 7. C. de Palatinis sacrar. largit. Scrinium exceptorum, Scrinium numerorum, sacrum Scrinium tabellariorum, Scrinium mittendariorum, Scrinium aureæ massæ, aurifices specierum, aurifices solidorum, sculptores, & cæteros aurifices, Scrinium auri ad responsum, Scrinium a milliarensibus, Scrinium vestis, Scrinium ab argento, Scrinium a pecuniis. Argentarii barbaricarii, argentarii vascularii, fabri argentarii commemorantur l. ult. D. de auro & argento legato.

## CAP. XXXIII.

*De Vectigali Macelli.*

Vectigalium genera sex maxime numerantur, & quæ. ADhuc ita de Vectigalibus egimus, ut ea quæ late patent attigerimus, nihil particulatim & in specie explicaverimus. Jam ad singularia ab universis deveniendum Libera Rep. fuere sex maxime genera Vectigalium, decumæ, portoria, scriptura, salinæ, metalla, aurum coronarium; quæ omnia latissime patebant.

Macelli Vectigal. Romæ singulariter fuit Vectigal Macelli pro iis quæ ad hominum victum pertinerent, quod sublatum esse ait Livius lib. 38 Postea tamen restitutum est teste Suetonio, in Calig. cap. 40. *Pro edulis quæ tota Urbe venirent, certum statutumque exigebatur.* Macellum Plutarch. κρεωπώλιον vocat. Vet. Glossæ: *Macellarius*, ὀψωνιοπώλης. Sueton. in Julio cap. 25. *Ea quæ ad epulum pertinerent, Macellariis oblocata.* Item, *dispositis circa Macellum custodibus qui obsonia contra vetitum retinerent.* Erant in Macello καπήλεια καὶ ἡβητήρια, ubi juvenes popinones gulæ indulgebant. Subjiciam Macellariis Vectigalia quæ libera Rep. vel sub primis Imperatoribus reperta sunt, deinde quæ sub postremis.

## CAP. XXXIV.

*De Quinta, & Quadragesima, & Octava.*

Quinta, & Quadragesima & Octava. APpianus lib. 1. Civilium, ex plantariis & arboretis quintam fructuum partem commemorat. Livius lib. 32. Portoria rerum venalium. Caligula pro litibus atque judiciis ubicumque conceptis quadragesimam summæ de qua litigaretur exegit, ex gerulorum diurnis quæstibus partem octavam, apud Sueton. cap. 40. *Caligula*, inquit, *vectigalia nova atque inaudita primum, per publicanos, deinde quia lucrum exsuperabat, per centuriones tribunosque prætorianos exercuit, nullo rerum aut hominum genere omisso, cui non tributi aliquid imponeret.*

## CAP. XXXV.

*De Decima Hereditatum.*

Decima hæreditatum. EX lege Papia decima deducebatur ex legatis a viro uxori, vel ab uxore marito relectis, si illis non essent legitimi liberi l. 2. C. de infirmand. pœn. cælib. ea lex lata sub Augusto Cæsare.

## CAP. XXXVI.

*De Semissibus & Trientibus.*

Varium frumenti pretium. FRumentum Romæ non uno semper & eodem pretio Ædiles admetiri solitos vulgo notum est, interdum assibus binis æris, quaternis æris, semissibus, trientibus, unde quinta pars vectigalium reficiebatur.

Trientes & semisses. Clodius Tribunus plebis, ut populum demereretur, trientes & semisses remisit, & gratis populo frumentum admetiri voluit. Cicero pro Sextio, *ut remissis trientibus & semissibus quinta prope pars vectigalium tolleretur.* Auctor ad Herennium meminit legis frumentariæ de semissibus & trientibus. Plin. lib. 18. cap. 3. *Manius Marcius Ædilis plebis primus frumentum populo in modios assibus donavit.* Livius lib. 31. *Ædiles frumenti vim ingentem, quod ex Africa Proconsul Scipio miserat, quaternis æris populo cum summa fide & gratia diviserunt.* lib. 33. *Ædiles curules tritici centum millia binis æris populo diviserunt.* Ascon. ad orat. Cicer. pro Milone, *Clodius annonariam legem tulit, quæ summe popularis fuit, ut frumentum populo, quod ante semisse æris ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur.* Livius lib. 60. *Caj. Gracchus Tiberii frater perniciosas aliquot leges tulit, inter quas frumentariam, ut semisse & triente frumentum plebi daretur.* Cicero, quintam partem vectigalium illis trientibus & semissibus contineri ait, quod decumæ frumenti quæ Romam importabantur, populo non gratis darentur, sed trientibus, aut semissibus; unde ingens pecunia refecta & in ærarium illata.

## CAP. XXXVII.

*De Vini Portorio.*

Vini portorium. FUit & vini portorium libera Repub. Cicero pro M. Fontejo: *Cognoscite nunc de crimine vinario, quod illi invidiosissimum & maximum esse voluerunt. Crimen a Plætorio ita constitutum est, Fontejo non in Gallia primum venisse in mentem, ut portorium vini institueretur, sed hac in Italia proposita ratione Roma profectum. Itaque Titurium Tolosæ quaternos denarios in singulas vini amphoras portorii nomine exegisse. Croduni Porcium & Numium ternos victoriatos. Vulchalone Servæum binos H. S. & victoriatos* CIↃ.

## CAP. XXXVIII.

*De Vectigali Lupanarium & Matrimonii.*

Lupanarium et matrimonii vectigal. SUeton. in Caligula cap. 40. Caligula matrimonia obnoxia vectigali esse voluit: *Additumque ad caput legis, ut tenerentur publico & quæ meretricium & quæ lenocinium*

*fecissent, nec non & matrimonia obnoxia essent*, id est, ut tenerentur τῇ τελωνείᾳ non tantum meretrices & lenæ publicæ, sed & fœminæ legitimis nuptiis junctæ, quæ domi meretricium aut lenocinium facerent. Quædam ut licentius libidinarentur, apud Ædiles impudicitiam profitebantur, & togam sumebant, a quibus vectigal exactum.

Vectigalis autem summam non aliam esse auguror, quam ut meretrix tantum publico penderet, quantum quæque uno concubitu mereret, ut ibidem ostendit Suetonius. Avitus certe apud Xiphilinum vectigal indixit lupanari, quod erat in Palatio: καὶ τέλος ἐν τῷ Παλατίῳ οἰκήματι ἀποδείξας. Lupanar enim in Palatio fuisse jam inde a temporibus Claudii docet Dio his verbis, ἡ Μεσσαλῖνα καὶ ἐπ' οἰκήματος ἐν τῷ Παλατίῳ αὐτή τε ἐκαθέζετο, καὶ τὰς ἄλλας τὰς πρώτας ἐκάθιζεν. *Messalina in lupanari Palatii prostabat, & alias primores fœminas prostare jubebat.* Beneficiarii Principis & curiosi in matriculas referebant eos, qui tali de causa publico tenerentur. Tertullianus certe lib. de fuga. indignatur Christianos, quod Christi fidem profiterentur, inter lenones in matricibus beneficiariorum Principis & curiosorum vectigales contineri. Quantum autem lenones publico sub Caligula penderent, ignotum est. Postea chrysargyron eo nomine introductum. Romæ fœminæ adulterii damnatæ sumebant togam & in fornices relegabantur.

## CAP. XXXIX.

*De Vicesima eorum qui manumitterentur.*

*Tributum Vicesimæ manumissorum.*

CNæus Manlius Consul legem novo exemplo ad Sutrium in Castris tributim de vicesima eorum tulit, qui manumitterentur, auctore Livio lib. 7. Arrian. lib. 2. cap. 1 dissert. Epict. *Cum aliquis verterit apud prætorem servum suum, nihil præstitit, nisi & vicesimam ejus dederit.* Ὅταν οὖν στρέψῃ τις ἐπὶ στρατηγοῦ τὸν αὐτοῦ δοῦλον, οὐδὲν ἐποίησε, &c. καὶ εἰκοστὴν αὐτοῦ δοῦναι ὀφείλει. Ejus meminit Cic. lib. 2. epist. 16. ad Atticum: *Portoriis Italiæ sublatis, &c. nullum vectigal superest domesticum præter vicesimam. Aurum vicesimarium* dictum est, quod ex ea vicesima reficiebatur, & ad ultimos casus servabatur in ærario sanctiori apud Livium lib. 27. Εἰκοστῶναι dicti, qui aurum illud vicesimarium exigerent. Arrian. lib. 3. dissert. c. 26. Ὁ δοῦλος εὐθὺς εὔχεται ἀφεθῆναι ἐλεύθερος διὰ τί δοκεῖτε. Ὅτι τοῖς εἰκοστώναις ἐπιθυμεῖ δοῦναι ἀργύριον. *Servus vult dimitti liber, quid causæ esse putatis? Quia vicesimariis cupit dare argentum.* In Vet. Gl. Εἰκοστώνης ὁ τὰς εἰκοστὰς ἀπαιτῶν, *vicesimarius, qui vicesimas exigit.* Εἰκοστώνην libentius legam, quam εἰκοστώνην, cum Lipsio, nisi quis εἰκοστώνην interpretetur εἰκοστὰς ὠνήσαντα, redemptorem vicesimarum.

*Aurum vicesimarium.*

## CAP. XL.

*De Vicesima hereditatum.*

*Vicesima hereditatum et legatorum.*

AUgustus ærarium militare instituit, ad quod explendum vicesimam hereditatum & legatorum inferri jussit, cujus meminit Plin. lib. 7. epist. 14. *quantum a publicanis vicesimam partem hereditatis emisti?* Dio lib. 55. Τήν τε εἰκοστὴν τῶν τε κλήρων καὶ τῶν δωρεῶν, ἃς ἂν οἱ τελευτῶντές τισι, πλὴν τῶν πάνυ συγγενῶν, ἢ καὶ πενήτων, καταλείπωσι, κατεστήσατο, ὡς καὶ ἐν τοῖς τοῦ Καίσαρος ὑπομνήμασι τὸ τέλος τοῦτο γεγραμμένον εὑρών. Ἐσῆκτο μὲν γὰρ καὶ πρότερόν ποτε, καταλυθὲν δὲ μετὰ ταῦτα αὖθις τότε ἐπανήχθη. *Augustus vicesimam hereditatum instituit, & donationum quas morientes legarent aliis, quam qui proximi agnati, aut pauperes essent, ut qui vectigal illud in Cæsaris monimentis scriptum reperisset. Institutum enim jam olim fuerat, cumque sublatum esset, denuo revocatum est.* lege Julia, quæ proprie *vicesima hereditatum* dicitur, in earum legum inscriptionibus, quæ sumptæ sunt ex duobus Æmilii Macri εἰκοστῶν, *Vicesimarum* libris; vult autem non tantum, ut vicesima hereditatum fisco præstetur, verum etiam ut tabulæ testamenti statim aperiantur, ne vectigali necessario mora fiat, ut docet Paulus lib. 4. sentent. tit. 6. *Onera enim imperii coegerunt pleraque vectigalia institui, ut pro utilitate communi, ita singulorum injuriis*, ait Plin. in Panegyr. *His vicesima reperta est, tributum tolerabile; & facile hæredibus duntaxat extraneis, domesticis grave. Itaque illis irrogatum est, his remissum; videlicet, quod manifestum erat quanto cum dolore laturi, seu potius non laturi homines essent, distringi aliquid, & abradi bonis, quæ sanguine, gentilitate, sacrorum denique societate meruissent.* Id genus vectigalis per publicanos exactum ostendit Plinius his verbis: *Ratus improbe, & insolenter, ac pæne impie his nominibus inseri publicanum.* Lampridius sub Heliogabalo auctor est, mulionem vicesimam hereditatum curasse, quod minus mirum videri debet, cum apud Sueton. cap. 76. Julius Cæsar publicis vectigalibus servos peculiares præposuerit. In veteri lapide legitur, *Procurator 22. hereditatum*, pro, magister 20. hereditatum. Pomponius l. 2. *§. ex his auditoribus*. D. de orig. juris scribit, Aulum Offilium de legibus vicesimæ primum scripsisse. Sub occasione vicesimæ apud Eutropium libr. 8. Hadriani edictum introductum, quod sublatum significat Justini. leg. 3. C. de edicto. Divi. Had. tol. sic enim ille: *Quia vicesima hereditatis a nostra recessit repub. Antiquatis nihilominus & aliis omnibus, quæ circa repletionem & interpretationem ejusdem edicti promulgata sunt*, &c. M. Antoninus Philosophus leges etiam addiderat de vicesima hereditatum, narrante Capitolino. Vicesimarii dicti, qui conducebant vicesimam. Legendus Paulus lib. 4. sent. tit. 6. & Dio lib. 55. l. 13. D. de transaction. l. 37. de reliq. l. 68. ad l. Falcid. l. 154. de verb. significat.

## CAP. XLI.

*De Vigesimaquinta Venalium mancipiorum.*

AUgustus Cæsar *cum pecuniis egeret ad onera militiæ & vigiles alendos, vectigal instituit vicesimæquintæ mancipiorum.* Dio lib. 55. προσδεόμενος δὲ δὴ χρημάτων ἔς τε τοὺς πολέμους, καὶ ἐς τὴν τῶν νυκτοφυλά-

*Tributum Vicesimæquintæ Venalium mancipiorum.*

κων τροφὴν τότε τέλος τὸ τ πέντε καὶ εἰκοστῆς ἐπὶ τῇ τῶν ἀνδραπόδων πράσει. Tacitus libr. 13. de Nerone loquens: *Vectigal quintæ & vicesimæ venalium mancipiorum remissum specie magis, quam vi. Quia cum venditor pendere juberetur, in pretium emptoribus accrescebat.*

## C A P. XLII.

*De Quadragesima.*

Quadragesimæ portorium.

QUadragesimæ *portorium fuit, quod præter instrumenta itineris omnes res publicano debent*, ait Quintil. declamat. 359. Meminit ejus portorii Suet. in Vespas. cap. 1. *Titus Flavius Petro. coactiones argentarias factitavit. Hujus filius cognomine Sabinus publicum quadragesimæ in Asia egit. Manebantque imagines a civitatibus ei positæ*, ΚΑΛΩΣ ΤΕΛΩΝΗΣΑΝΤΙ, ei qui pulchre vectigalia exegit. Quadragesimam a Nerone abolitam prodit Tacit. lib. 13. *Manet*, inquit, *abolitio quadragesimæ quinquagesimæque, & si quæ alia exactionibus illatis nomina publicum invenerunt.* Postea revocatum est id vectigal, quod deprecatur Symmach. lib. 5. epist. 63. *Quadragesimæ portorium sive vectigal non recte poscitur a Senatoribus candidatis: quia nostri ordinis functiones onerari geminis incommodis non oportet. Quæso ut ursorum transvectionem cupiditati mancipum subtrahas.*

## C A P. XLIII.

*De Quinquagesima.*

Quinquagesimæ portorium.

FUit & quinquagesimæ portorium pro feris & mercibus quæ importarentur. Symmach. lib. 5. epist. 60. *Quæstores ordinis nostri nunquam ferarum suarum portorium contulerunt. Nunc a fratre meo Cynegio V. C. Quæstorio candidato quinquagenæ vectigal exigitur, quod solos ursorum negotiatores, utpote quæstui servientes, oportet agnoscere.* Hujus quinquagesimæ Tacitus meminit lib. 13.

## C A P. XLIV.

*De Centesima rerum venalium.*

Centesimæ vectigal.

CEntesima rerum venalium imposita est Urbi & Italiæ ab Augusto post bella civilia anno 759. quo tempore ærarium militare institutum, ut Sueton. Augusto cap. 49. Vocatur *centesima auctionum* & *centesimus rerum in auctione venalium nummus*. Tacit. lib. 1. *Centesima rerum venalium post bella civilia instituta deprecante populo, edixit Tiberius militare ærarium eo subsidio niti.* Idem: *Cappadocia in provinciam redacta, fructibus ejus ratus levari posse centesimæ vectigal, ducentesimam in posterum statuit*, ut Dio lib. 57. post Sejani mortem, καὶ μετὰ τοῦτο, τέλος τῆς ἑκατοστῆς ἤγαγε. Caligula *centesimam auctionum* Italiæ remisit. Ducentesimam instituerat Tiberius, ut centesima leviorem; postea cum centesimam abolita ducentesima restituisset, Caligula centesimam

A abolevit. Alia fuit centesima, cujus meminit Appianus in Syriacis, qui Syros & Cilices tributi nomine quotannis centesimam census quemque sui solvisse ait. ἔστι καὶ Σύροις καὶ Κύλιξι ἐπέτειος ἑκατοστὴ τοῦ τιμήματος ἑκάστῳ.

## C A P. XLV.

*De Vectigali urinæ & stercoris & chrysargyri.*

Stercoris et urinæ vect.gal

VEctigal urinæ a Vespasiano repertum docet Sueton. cap. 23. *Reprehendenti filio Tito, quod etiam urinæ vectigal*
B *commentus esset, pecuniam ex prima pensione admovit ad nares, sciscitans num odore offenderetur, & illo negante, Atqui*, inquit, *e lotio est.* Quod idem Dio his verbis significat: Καὶ πρὸς Τίτον ἀγανακτοῦντα τῷ τοῦ οὔρου τέλει, ὃ καὶ αὐτῷ μετὰ τῶν ἄλλων κατεδείχθη, εἶπε λαβὼν ἐξ αὐτοῦ χρυσοῦς πεπορισμένους, καὶ δείξας αὐτῷ, Ἰδοῦ τέκνον, εἴτι ὄζουσι? *Tito ægre ferenti vectigal urinæ, quod post alia indictum est, dixit acceptis aureis ex eo vectigali, & ostensis, Vide fili, si quid olent?* Hoc vectigal a fullonibus exactum, qui ad dibaphas lotio usi,
C quod acre sit, & tingendis vestibus aptum. Athenæus lib. 1. Τὸ δὲ ἀφ' ἡμῶν διηθούμενον οὖρόν ἐστι δριμύ. Τὰ γοῦν ἱμάτια τούτῳ χρώμενοι πλυνοῦσι οἱ γναφεῖς. Haud scio, an idem fuerit vectigal cum eo quod a foricariis redimebatur, quodque exigebatur ab iis qui de die vesicam exonerare vellent in amphoras, quæ per angiportus erant collocatæ. Macrob. lib. 3. Saturnal. cap. 17. *Dum eunt, nulla est in angiporto amphora, quam non impleant, quippe qui vesicam plenam vini babent.* Eas amphoras Petronius *gastras*, quasi ventres vocat. Lucret. lib. 4.

D

*Pulsi sæpe lacum propter, se ac dolia curta,*
*Somno devincti credunt extollere vestem,*
*Totius humorem saccatum ut corporis fundant.*

Foricarii non modo de urina, verum & de stercore vectigal exegisse videntur. *Foricæ* enim Nonio sunt stercora liquidiora, & Probo *forire* est *dejicere* & *deonerare ventrem*. Juven. Sat. 3.

*—— Inde reversi*
E *Conducunt foricas.* ——

*Foricarii* dicuntur foricarum conductores l. 17. §. *fiscus*. D. de usuris. Constantinopoli vectigal illud pro urina & stercore hominum & brutorum exactum est, dictumque *Chrysargyrum*. Manasses in politic. de Zenone Imperatore:

Ἡ φορολόγος ἀναίρεσις τ προσόδου κιβδήλου,
Ἡ λέγεται χρυσάργυρος ἀνθρώποις φορολόγοις.
Ἅπας ἀνήρ τε καὶ γυνὴ, παῖς, κόρη τε, καὶ βρέφος,
Προσαίτης, ἀπελεύθερος, οἰκέτης, οὐκ οἰκέτης,
Ὑπὲρ σκυβάλου κοπρηροῦ καὶ δυσοδμίας οὔρου
F Ἓν ἐξ ἀργύρου νόμισμα παρεῖχε τῷ ταμιείῳ.
Τουτὶ δὲ καὶ τοῖς κτήνεσι ἐπέκειτο τὸ βάρος,
Βουσί τε, τοῖς ἡμιόνοις τε, καὶ μὴν τοῖς ἵπποις,
Ὑπὲρ ἑκάστου δὲ κυνὸς, ὑπὲρ τῶν ὀναρίων.
Ἐξ φόλλεις κατεβάλλετο τοῦ κτήνους ὁ δεσπότης.
Ὁ τοίνυν Ἀναστάσιος δυσωπηθεὶς ἐν τάξει
Ἄνδρα πονηρὴ, καὶ σεμνὸν μετερχόμενον βίον,
Τοσοῦτον ἄχθος ἤλασε, καὶ τηλικοῦτον μῖσος
Προθέλυμνον τὸ βλάστημα τὸ τ αἰσχροκερδείας
Ἐξανασπάσας, καὶ πυρὶ δοὺς ἀφανισθῆναι.

*Abolitio radicibus excisis vectigalis sublesti, & adulterini, quod publicani* Chrysargyron *vocant. Vir omnis, mulierque, puer, & puella, mendicus, libertus, servus, frustra supplex* ( ὐκ οἰκέτης forte melius legeretur, id est, *non servus* ) *pro stercoraceis excrementis, & putrida urina nummum unum argenteum præbebat ærario. Idem onus impositum jumentis, bubus, mulis, equis, pro singulis canibus, & asinis, sex folles dominus jumenti pendebat. Anastasius autem reveritus virum solitarium, vitæ venerabilis, tantum onus abegit, & rem odio dignam, germen turpis lucri funditus evellens, igni permisit, ut periret.* Idem Cedrenus testatur in Anastasio. Zosimus lib. 2. a Constantino Magno id vectigal institutum esse scribit: Οὗτος καὶ τὴν εἰσφορὰν ἐπήγαγε χρυσίου τε καὶ ἀργύρου πᾶσι τοῖς ἁπανταχοῦ γῆς μετιοῦσι τὰς ἐμπορίας, καὶ τοῖς ἐν ταῖς πόλεσι παντοπωλίαν προτιθεῖσι, μέχρι καὶ τῶν εὐτελεστάτων, οὐδὲ δυστυχεῖς ἑταίρας ἔξω ταύτης ἐάσας τῆς εἰσφορᾶς. Ὥστε ἦν ἰδεῖν μέλλοντος τοῦ τετραέτους ἐνίστασθαι χρόνου, καθ' ὃν ἔδει τοῦτο τὸ τέλος εἰσφέρεσθαι, θρήνους ἀνὰ πᾶσαν πόλιν καὶ ὀδυρμούς. *Constantinus tributum indixit auri & argenti omnibus mercatoribus, & per Urbes quidlibet vendentibus, ne pauperrimis quidem exceptis aut ipsis etiam miseris meretricibus: ita ut cum quadriennium venisset, quo vectigal illud inferri oportebat, ubique per Urbem lamenta & questus audirentur.* Negat Evagrius Constantinum hujus tributi auctorem lib. 3. cap. 40. Λέγει δὲ ὁ Ζώσιμος, ὡς αὐτὸς πρῶτος τὸ καλούμενον χρυσάργυρον ἐπινοήσας, ἀνὰ τετραετηρίδα, τοῦτο τέθεικε τέλος εἰσάγεσθαι. *Ait Zosimus Constantinum vectigal Chrysargyri, quod quarto quoque anno penderetur, instituisse:* sed falso, cum a Vespasiano sit institutum. Id *aurum lustrale* dictum est, rubrica de navicular. seu naucler. C. lib. 11. Lustrale tamen aurum latius patet, ut sit onus negotiatorum, mercatorum, lenonum, meretricum. Lampridius in Alexandro vocat *aurum negotiatorium*. Erant propria quædam ejus pensitationis scrinia l. 5. C. Theod. de lustral. collat. dicitur & *auraria collatio* Cassiod. Senatores immunes non erant a præstatione auri argentique lustralis, quod mercaturæ nomine pendebatur Imperatori, si per se, vel per homines suos negotiarentur, & alia distraherent, quæ in proprio rure gignerentur, l. 3. & 6. C. Theod. de lustral. collat.

Aurum lustrale.

Sed ut ad Chrysargyrum redeamus, ejus exigendi munus amplum fuit, usque adeo ut scrinium particulare haberet, ait Evagrius lib. 3. cap. 39. Καὶ τὸν ἐντεῦθεν ἀθροιζόμενον αὐόσιόν τε καὶ ἐναγῆ πόρον ἐπὶ τὴν πρώτην καὶ κορυφαίαν ἐνῆγον τῶν ἀρχῶν, &c. *Et reditum sacrilegum qui inde reficiebatur quarto quoque anno exacto, qui id ubique collegerant, ad primum & potissimum magistratum referebant, ut non minima pars esset magistratus hæc exactio, quam qui decernebant, specialia scrinia habebant, viri non obscuri, & militiam non minus quam cæteras esse putabat.* Theodorus Anagnosta: Anastasius ἀνέστειλε χρυσάργυρον, *sustulit chrysargyron & venationes,* καὶ τὰ κυνήγια ἔπαυσεν. Cedrenus πολυτάλαντον καὶ πανώλη εἰσφορὰν τοῦ καλουμένου τετραετηρικοῦ χρυσαργύρου, *opulentam & exitialem illationem quarto quoque anno præstari solitam* vocat. Timotheus Gazæus Tragœdiam scripserat de Chrysargyro apud Suidam.

Chrysargyrum.

## CAP. XLVI.

### *De Octava libertorum.*

Dio lib. 50. *Triumviratu Lepidi & Antonii imperatum libertis, quotquot in Italia degerent, si ducenta H. S. vel amplius possiderent, ut octavam partem suarum facultatum in publicum inferrent. Ab ingenuis quoque quadrans annui reditus exactus.*

Vectigal Octavæ libertorum.

## CAP. XLVII.

### *De Tributo Artificum.*

Alexander Severus apud Lampridium *bracbariorum, linteonum, citrariorum, pellionum, plaustrariorum, argentariorum, aurificum, & aliarum artium vectigal instituit, ex quo thermas quas fundaverant, pluribus usibus ornavit.* lege, *bractearior*um. Vet. gloss. *Bractearius*, πεταλοποιός, qui bracteas aureas facit.

Vectigal artificum.

## CAP. XLVIII.

### *De Vectigali e Fluminibus.*

Quia Principes lacus, & flumina curant, ac tuentur, l. 2. D. de rer. divers. ideo vectigalia e fluminibus & lacubus illis pendi moris est, l. *Quod Principis*. D. de aqua plu. arcend. Herodian. lib. 2. scribit Pertinacem ea vectigalia sustulisse, in quibus nihil auxilii nautis & mercatoribus præstatur, puta si portu solvitur, aut sub pontibus transitur, quæ tamen hodie exigi solent. Imo & jus piscandi in portibus, cum ad Principem pertineat, ex eo vectigal exigitur, l. *Inter publica*. §. 1. D. de verbor. signific.

Vectigal e lacubus et fluminibus.

## CAP. XLIX.

### *De Vectigali Lupanarium.*

Caligulam ex capturis prostitutarum, quantum quæque uno concubitu mereret, exegisse scribit Sueton. in Calig. cap. 40.

Vectigal lupanarium.

Tertul. lib. de fuga, lenones vectigales esse ostendit his verbis: *Massaliter totæ Ecclesiæ tributum sibi irrogarunt. Erubescendum enim, cum in matricibus beneficiariorum & curiosorum, inter tabernarios, & lanios, & fures balnearum, & aleones, Christiani quoque vectigales continentur.* Sueton. in Calig. cap. 40. *Additumque ad caput legis, ut tenerentur publico, & quæ meretricium, & quæ lenocinium fecissent.* Æschines contra Timarchum ostendit Athenis πορνικὸν τέλος fuisse, id est, *vectigal e quæstu meretricio*. Alexander Severus lenonum vectigal & meretricum in sacrum ærarium inferri vetuit narrante Lampridio, sed sumptibus publicis deputavit ad instaurationem Theatri, Circi, Amphitheatri. Philo librum scripsit, περὶ τοῦ μίσθωμα πόρνης εἰς τὸ ἱερὸν μὴ προσδέχεσθαι, *ut ostenderet, capturas meretricum in templum non admittendas.* Justinus Apologet. Ὃν τρόπον λέγονται οἱ παλαιοὶ ἀγέλας βοῶν καὶ αἰγῶν τρέ-

Lenones vectigales.

*φειν, ὥστε νῦν καὶ παῖδας εἰς τὸ αἰσχρῶς χρῆσθαι μόνον, καὶ ὁμοίως θηλειῶν, καὶ ἀνδρογύνων, καὶ ἀρρητοποιῶν πλῆθος κατὰ πᾶν ἔθνος ἐπὶ τούτῳ τῷ ἄγειν ἔστηκε, τούτων μισθοὺς καὶ εἰσφορὰς λαμβάνετε. Quomodo veteres dicuntur armenta boum & greges caprarum aluisse, ita & nunc pueros ad turpia, & muliebrem patientiam alunt, & ex æquo fœminarum, catamitorum, & opicorum spurco ore multitudinem, unde mercedem & tributa accipitis.* Vide l. 7. C. de spectaculis. Novel. 14. de lenonib. & Evagrium lib. 3. cap. 39.

C A P. L.

*De Ædilitio Vectigali.*

Vectigal ædilitium. ÆDilitia vectigalia Romæ dicta, quæ provinciales ludorum nomine Ædilibus Romanis pendebant, quæque eis in ornatum fori & apparatum munerum conferebant. Cic. lib. 2. ep. ad Q. fratrem; *Quantum vero illud est beneficium tuum, quod iniquo & gravi vectigali Ædilitio cum magnis nostris simultatibus Asiam liberasti?*

C A P. LI.

*De Tributo in Mensem.*

Tributum in mensem. POrtoria in singulos dies fuere, scriptura & decumæ seu canon agrorum in annum, Chrysargyron in lustrum, C. Theodos. lib. 11. de auri lust. collat. Unde & *lustrale aurum* dictum est χρυσαργύρου συντέλεια. Item *aurum quod a negotiatoribus & mercatoribus unoquoque lustro pendebatur.* Itinerarium Beniamini ostendit Urbis Constantinopolitanæ vectigal ex foris rerum venalium & portu ac mercatorum pensionibus, vicies mille aureos in singulos dies refecisse. Dio l. 54. in Gallia εἰσφορὰς παρὰ μῆνα, *menstruum tributum* fuisse commemorat. in diplomate Andronici Junioris est μηνιαχὸν, *tributum in mensem.*

C A P. LII.

*De tributo pro mortuis.*

Tributum pro mortuis. QUoddam vectigal pro mortuis pensitatum ait Boundica Britannica apud Xiphilinum in Nerone. Ἴστε, ὅσον καὶ ὑπὲρ τῶν νεκρῶν τελοῦμεν, Ῥωμαίοις δὲ μόνοις καὶ νεκροὶ ζῶσι πρὸς τὰ λήμματα. Οὐδὲ γὰρ τὸ τελευτῆσαι παρ᾽ αὐτοῖς ἀζήμιόν ἐστι. *Scitis, quantum pendamus pro mortuis. Romanis solis etiam mortui vivunt, ut aliquid ex iis accipiant. Neque enim mori licet apud eos sine tributo & multa.* Lampridius ait, Commodum vendidisse sepulturas. Consule Cic. 7. in Verr. Aliquid etiam pendi solitum esse pro cadaveribus eorum, qui alibi mortui referrentur in patriam, cum portas urbium aut portus inirent, docet Imperator l. ult. C. de relig. & sumpt. funer. Aristot. lib. 2. Rhet. Κἂν ἀπὸ νεκροῦ φέρειν. Unde Proverb. ἀπὸ νεκροῦ φορολογεῖν, *a mortuo vectigal exigere.* Νεκροκορίνθια dicta sunt spolia e Corintho eversa. Vide legem 37. D. de relig. & sumpt. funer.

C A P. LIII.

*De Solario.*

Solarium vectigal. SOlarium dictum est vectigal pro ædibus, quas nonnulli in solo Reip. exstruxerint, A sive tributum pro solo. l. 1. C. de divers. præd. l. 2. D. ne quid in loco vel itinere. Si tamen obstet ædificium, id publico usui utique is qui operibus publicis procurat, debebit id deponere, aut si non obstet, solarium ei imponere. Sic enim & vectigal hoc appellatur ex eo, quod pro *solo* pendatur, l. 5. *Legatum.* §. 1. D. de operib. publ. l. 15. D. qui potior in pignorib. Ecloga 58. Basilic. Εἰ δὲ μὴ βλάπτει τὸ κτισθὲν, φόρον ἐπιτίθησι, ὃ λέγεται ἀπὸ τοῦ ἐδάφους σολάριον. *Qui in solo publico ædificat, si quod ædificabitur non nocet, Solarium ei imponit.* Symmach. lib. 4. ep. 51. *Paterni soli* B *æstimationem jubetur exsolvere.* ep. 19. *Solarium patris solvere jussus est taxatione pretiorum graviter aggerata, neque census exilis tanto oneri convenit.* Justinus lib. 18. *Carthago conditur statuto annuo vectigali pro solo Urbis.* unde apparet vectigal illud antiquum esse. Jam de vectigalibus recentioribus agamus, quia vetustiora expedivimus.

C A P. LIV.

*De Apostole.*

C APostole tributum fuit, quod ad Imperatorem mittebatur a Judæis. Julian. in ep. ad Judæos. ἐπὶ πλεῖον δ᾽ ὑμᾶς εὐωχεῖσθαι βουλόμενος, *melius vobis fieri cupiens fratrem Julium Patriarcham venerabilem monui, ut missio tributi, quæ dicitur apostole, vobis remitteretur,* κωλυθῆναι τὴν ἀποστολήν. Apostole tributum.

Sub Imperatoribus Judæi habuerunt suos Patriarchas, qui exigerent Apostolen. Exactor tributi dictus *Apostolus* l. 14. & 18. C. Th. de Judæis. S. Epiphanius lib. 1. Panarii ἀποστολῆς ἐπικαρπίαν, *collectionem tributi* vocat. D Exactor vectigalis Apostolus appellatus.

C A P. LV.

*De Monopolio.*

MOnopolium fuit, si certæ personæ vel certo corpori concesserit Princeps, ut ei soli jus sit vendendæ alicujus mercis sub onere conferendæ in fiscum pensionis. Strabo lib. 17. τῶν βαρυτίμων τὰ τέλη. καὶ γὰρ δὴ καὶ μονοπωλείας ἔχει. *rerum gravis pretii vectigalia. Habent enim monopolia.* Cassiod. lib. 2. E ep. 4. *Antiochum siliquatici vel Monopolii titulos exercentem.* ep. 30. *Monopolii siliquatici, aurariæ pensionis aliquid impendunt, nisi privilegio Principis liberentur.* Plin. lib. 8. c. 37. e Monopolio lucrum inventum ait. Vetantur Monopolia constit. Zenon. C. de Monopoliis. Procop. lib. 2. Persico. scribit Joannem quendam persuasisse Justiniano, ut urbem ad mare cognomento Petram in Lazis ædificaret. *In ea urbe,* inquit, *ut arce sedens omnia Lazorum ferebat rapiebatque. Nam & salem, & alias merces Lazis necessarias inferri, ut prius, ad eos a mercatoribus non sinebat, aut aliud e La-* F *zis emi, sed in Petra Monopolio constituto,* αὐτὸς κάπηλός τε καὶ ξυμπάσης τῆς περὶ ταῦτα ἐργασίας ἐπιστάτης ἐγίνετο, *ipse caupo, & institor, ac commercii istius solus præpositus erat, omnia emens & vendens Colchis.* Strabo, αἰσθομένους δὲ τοῦτο τοὺς Ταυρίσκους μονοπωλεῖν ἐκβαλόντας τοὺς ἐργαζομένους, *quod cum odorati essent Taurisci, ejectis artificibus ipsi soli eas merces vendiderunt.* Aristot. lib. 1. Politic. μονοπωλίαν τῶν ὠνίων ποιεῖν. Monopolium.

CAP.

## CAP. LVI.

*De Siliquatico.*

Siliquaticum vectigal

Siliquaticum vectigal fuit, quod mercibus omnibus impositum est. Cassiod. lib. 4. epist. 19. lib. 2. epist. 19. & epist. 4. *Siliquatici præstationem, quam rebus omnibus nundinandis, provida definivit antiquitas, in frumentis, vino, & oleo dari præsenti tempore non jubemus.* Dicitur a Græcis κερατισμός. *Siliqua*, κεράτιον. sex siliquæ faciunt scrupulum. Decem & octo siliquæ drachmam, seu denarium. Κέρατα sunt 12. folles. Est & illud siliquatici genus, quod debetur in singulas jugationes, non ex capitibus, vel rebus l. 1. Cod. Theodos. de agentibus in reb. ubi non curialis qui curiali hæres extiterit, in singulas jugationes quotannis curiæ inferre siliquas quatuor tenetur, id est, sextam partem solidi, dimidiam tremissis, l. unica, Cod. de impon. lucrat. descript. lib. 10. Cod. & l. 16. C. de agentibus in reb. Cassiod. lib. 2. epist. 4. *Quicquid ad Antiochum, siliquatici, vel monopolii titulos exercentem, nostra jussione pertinuit.* lib. 3. epist. 25. *Siliquatici titulum, fide dominicatus concessum esse* ait. epist. 16. *ordinationem siliquatici* vocat. Theodosius & Valentinianus augendo ærario quod exhaustum fuerat, siliquaticum instituerunt, ut nundinis quibusque decreto loco & tempore constituto, ex qualibet mercium negociatione fisco in singulos solidos venditor dimidiam siliquam, itidem emptor dimidiam inferret, ut videre est in Constit. Imperat. Theod. & Valent. Lege Cassiod. lib. 5. epist. 13. & lib. 2. epist. 26. *siliquatarium* & *siliquarium* vocat siliquæ exactorem. Vectigal rerum venalium dicitur *venalitium*. l. 4. de proxim. sacror. scrinio. l. *inter cætera*. D. de verbor. significat.

## CAP. LVII.

*De Siliqua & Canonicis solidis conductorum.*

Siliqua & canonici solidi conductorum in vectigalibus numerantur.

Senatorias etiam domos Romæ, & in provinciis siliquam contulisse, & conductores cum divites, tum tenues canonicos solidos pependisse docet Theodoricus apud Cassiodor. lib. 2. Epist. 25. *Nuper itaque provincialium judicum relatione comperimus, domos quasdam præpotentium, suas non implere per ordinem functiones. Hinc fieri, ut dum illationis quantitas procurari quæritur, a tenuibus, summa potior exigatur. Superbia deinde conductorum canonicos solidos non ordine traditos, sed sub iniquo pondere imminentibus fuisse projectos: nec universam siliquam, quam reddere consueverant, solenniter intulisse.* Et epist. 24. *Igitur provincialium judicum relatione, ad magnificum virum Præfectum prætorii directa, comperimus, sic primæ transmissionis tempus exemptum, ut nihil aut parum a Senatoriis domibus constet illatum, allegantes per hanc difficultatem tenues deprimi, quos magis decuerat sublevari.* Hæc ego sic exaudio, tributum ædibus omnibus & Senatorum & plebejorum, seu canonicos solidos impositos esse, & plebejos Senatoriæ functionis onere plerumque esse oppressos. Exactores enim a potentibus contempti in tenues grassabantur, ut ibidem ostendit Theodoricus. Postea subjungit: *Atque ideo P. C. sic æqualibiliter ordinate, ut quicquid unaquæque domus Senatoria profitetur, destinatis procuratoribus per provincias trina illatione persolvat.*

## CAP. LVIII.

*De Folibus.*

Folis unde dicatur & quid sit.

Folis apud Eusebium lib. 10. Hist. eccles. cap. 6. melius dicitur quam *Follis*, quia oritur ab Hebræo *Folem*. Minuta est pecunia Græcis ac Latinis, qui dicitur in Evangelio quadrans, κοδράντης, Arabibus φόλις, Græcis ὀβολὸς χαλκοῦς. Foles ærei primo, deinde argentei, ut Epiphan. κεράτια Græci *Foles* vocant, unde *δικεράτιον, duo Foles* tributum pro reficiendis Urbis muris. Cedrenus in Leone Iconom. Ἰδὼν ὁ βασιλεὺς τὰ τείχη τῆς πόλεως πτωθέντα διελάλησε λέγων, ὅτι ὑμεῖς οἱ τῆς πόλεως ἀδυνατεῖτε τὰ τείχη κτίζειν, ἀλλὰ προσετάξαμεν τοῖς διοικηταῖς τῶν θεμάτων ἀπαιτεῖν εἰς τὸν κανόνα κατὰ νόμισμα μιλιαρίσιον ἕν, καὶ λαμβάνειν αὐτὰ τὰ βασίλεια, καὶ κτίζειν αὐτά. κἀντεῦθεν ἐκράτησεν ἡ συνήθεια παρέχειν τὰ δικεράτια τοῖς διοικηταῖς. *Cum vidisset Imper. mœnia Urbis prolapsa, dixit, Vos cives non potestis mœnia Urbis restituere, sed imperavimus dispensatoribus & magistris thematum, ut peterent in canonem ad nummum miliaresium unum, quod in palatium inferretur ad mœnia reparanda. Unde mos invaluit, ut administratoribus bini Foles penderentur.* Paul. Monach. lib. 21. *Leo Conon præcepit administrantibus, ut ipsi exigerent in regulam per singulos aureos nummum argenteum, quo Imperator accepto ædificaret muros, & ita mos cœpit dandi binas siliquas administrantibus.* Manasses id institutum, aut innovatum esse ait a Nicephoro:

Οὗτος ἐπέθηκε βαρὺ τοῖς Βυζαντίοις ἄχθος
Οὐ κοῦφον, οὐδ' εὐάγγελον, οὐδ' ἐλαφρὸν βαστάσαι,
Ἀνανεώσεως χάριν τῶν γηρασάντων τειχῶν ὃ
Λέγουσι δικεράτιον οἱ τούτου τελωνάρχαι.

*Nicephorus imposuit grave onus Byzantiis, ut renovarentur Urbis muri, qui consenuerant, quod duas Siliquas vocant mancipes hujus tributi.* Harmenopulus in legg. Georg. Κεράτιον ἕν, φόλας δώδεκα, *ceratium unum 12. foles esse vult.* Cedrenus, κέρατα δὲ αἱ δώδεκα φόλεις ὠνομάσθησαν. Harmenopulus, παρεχέτω ὑπὲρ αὐτοῦ ἡμερέσιον κεράτιον ἕν, ἤγουν φόλας δώδεκα. Marcellin. Comes in Chronic. *Nummis quos Romani teruntios, Græci folares vocant, Anastasius suo nomine figuratis placabilem plebi commutationem distraxit.*

Folium æstimatio.

Diversa est æstimatio folium apud auctores, quia foles alii erant ærei, alii argentei. Dicebatur & folis tributum a Constantino magno impositum, quod pro facultatibus solvebant viri clarissimi. Sozomen. lib. 2. ἀπεγράψατο τὰς λαμπροτάτων οὐσίας, τέλος ἐπιθεὶς ᾧ τινι φόλιν αὐτὸς ἐπέθηκεν ὄνομα, *descripsit facultates clarissimorum vectigali imposito, quem folem vocavit.*

## CAP. LIX.

*De Octava Mercium.*

Vectigal octavæ mercium

Fuit & Octava omnium mercium quæ venirent. l. 7. Cod. loca. & cond. *vectigal octavarum* dicitur. l. 7. C. de vectigal.

*octavas dependere.* l. 8. eod. *Octavarii* qui vectigal octavæ exigunt. de vectigali rerum publice venalium vide l. 4. Cod. tit. 19. lib. 12.

### C A P. LX.

*De Quinquagesima pro feris & mercibus.*

FUit & quinquagesimæ portorium pro feris, & mercibus, quæ importarentur. Symmachus lib. 5. epist. 60. *Quæstores ordinis nostri nunquam ferarum suarum portorium contulerunt. Nunc a fratre meo Cynegio V. C. Quæstorio candidato quinquagesimæ vectigal exigitur, quod solos ursorum negotiatores conferre oportet.*

### C A P. LXI.

*De Sextario.*

APuliæ, & Calabriæ negotiatores sextarium pendere cogebantur. Quo onere Theodoricus eos liberat apud Cassiodorum lib. 2. epist. 26. & multam 30. librarum auri præfectis Regiæ sedis imponit, si qui sextarium a negotiatoribus exegerint.

### C A P. LXII.

*De Tributo Tertiarum.*

TErtiæ fuere, cum tertia pars agrorum aut redituum solveretur, quod vectigal subditis suspectum ait Cassiodorus lib. 1. epist. 14. *Ita & illis suspectum te tiarum nomen auferimus, & a nostra mansuetudine importunitates competentium submovemus.* lib. 2. epist. 16. *Tertiarum deputationem* vocat, epist. 17. *tertiarum illationes*. *Nomen illud tertiarum in tributi appellationem transit* epist. 1. lib. 14. epist. 20. & 21. *bina & terna* commemorat epist. 8. lib. 3. in hæc verba: *Quapropter illustris viri comitis sacrarum largitionum suggestione comperimus, pridem tibi secundum morem veterem exactionem binorum & ternorum fuisse delegatam. Unde te præsentibus commonemus affatibus, ut secundum Canonicariæ fidem tempora debeas constituta complere. Binorum & ternorum* idem meminit epist. 21. & 22. lib. 7. & epist. 20. ejusdem lib. *titulos binorum & ternorum* vocat. Quæ sint illa *bina & terna* nemo, quod sciam, satis explicavit. Quidam binos & ternos titulos intelligunt: alii bina & terna vectigalia, nonnulli binam & ternam pensionem. Quæ omnia eodem recidunt, si quis animum advertat. Certum enim est tribus pensionibus anni cujusque indictiones solvi solitas esse l. ult. C. de annon. & tribut. singulæ pensiones quatuor mensibus definitæ erant, unde breves quadrimenstrui fuere, qui de singulis pensionibus conficerentur a Chartulariis, & ad officium Palatinum, aut præfectum Prætorio deferrentur, l. ult. C. de annon. & tribut. Quo pertinent illa verba Cassiodor lib. 12. Variar. epist. 2. *Expensarum notitiam quaternis mensibus comprehensam.* Item, *ut trina illatione devotus possessor suam compleat functionem.* Et lib. 3. epist. 8. verba hæc, *unde te præsentibus commone-*

A *mus affatibus, ut secundum Canonicariæ fidem tempora debeas constituta complere*, de Canonicaria delegatione accipienda sunt. Et *tempora constituta*, de tribus illis pensionibus exaudienda, quarum singulæ quatuor mensibus comprehensæ erant. Eodem pertinent lib. 11. Codic. de collat. fund. patrimonial. & emphyteut. l. 4. rescripti verba, quibus Valentinianus & Valens AA. edicunt, *ut canon patrimonialium & emphyteuticorum fundorum solvatur tribus pensionibus pro solventis arbitrio:* nec enim certa sunt pensionis tempora. Tituli autem binorum & ternorum retra-
B ctabantur a Chartulariis, qui dicti sunt *Tractores*, & quadrimenstruos breves faciebant, l. ult. *nulli.* Codic. de numerariis, l. 3. Codic. de can. largitional. &c.

### C A P. LXIII.

*De Tirocinio, Chrysotelea.*

IN vectigali numerari potest præstatio tironum, qui pro opibus cujusque & agris indicebantur, quæ res improbata, & (Tirocinii & Chrysoteleæ vectigal.)
C ad perniciem militaris disciplinæ inventa est, cum vulgo ignavos, atque ineptos tirones darent, aut pro iis aurum inferrent. Vegetius lib. 1. cap. 7. Hanc causam Romani exitii esse ait, *hinc tot ubique ab hostibus illatæ sunt clades, dum longa pax militem incuriosius legit, dum possessoribus indicti tirones per gratiam, aut dissimulationem probantur.* Symmach. lib. 9. epist. 10. *Postulant taxationem tironis ab hominibus meis Capitularii.* lib. 6. epist. 63. *Nam & tironum conquievit indictio, & argenti nobis facta gratia est.* Cum
D enim quædam provinciæ triticum, equos, oleum, & cætera id genus tributa inferrent, omnes in omnibus provinciis, imo in ipsa etiam Italia possessores, nisi qui privilegio tecti essent, desidente imperio, tyrones præstare, aut tirocinii nomine aurum pendere cogebantur. Verba Imperatorii rescripti, C. de cond. ob turp cau. adscribam. *Imp. Diocletianus & Maximianus AA. Dioni militi. Quod evitandi tirocinii causa dedisse te apud competentem judicem ei de quo quereris, indubiæ probationis luce constiterit, instantia ejus recipies: qui memor censuræ publicæ, post restitu-*
E *tionem pecuniæ, etiam concussionis crimen inultum esse non patietur.*

Tirocinium dicitur onus præstandi tyronis, quod cuilibet possessori, nisi privilegio aliquo tutus esset, incumbebat. ab hoc onere milites liberi erant. Exactores tirocinii a Dione milite aurum evitandi tirocinii causa exegerant. Miles apud Imperatores conquestus est, qui aurum militi restitui, quod ob turpem causam a coactoribus erat extortum, jusserunt, & concussionis crimen inultum esse noluerunt. Hæc omnino vera est rescripti sententia, hæc facti species. Immunes enim (Tirocinium quid dicatur.)
F milites ab hac præstatione tyronum fuisse docetur l. 18. l. 7. C. Theodos. lib. 7. tit. 13. de tironib. Pro tyronibus singulis viginti quinque solidos numerari potuisse certum est ex l. 13. eo. tit. interdum 36. solidos l. 7. ibid. vel triginta solidos l. 20. Tirocinium autem pro tironum præbitione, vel onere præstationis hujus ponitur l. 2. ibid. Ex quibus apparet præstationem hanc tironum, aut evitandi tirocinii causa 25. solidorum, non

temere in vectigali numerari posse. in l. 13. C. Th. de agentib. in reb. *collatio juniorum* vocatur: *Collatione juniorum qui nuper honoratis indicti sunt.*

Chrysotelea quid sit.

Anastasius Dichorus χρυσοτέλειαν instituit, id est, *aurariam præstationem*, cum sumptus militares vendidisset, & pro iis aurum sibi præstari jussisset. Evagrius lib. 3. cap. 42. τήν τε καλουμένην χρυσοτέλειαν ἐπινοήσας, καὶ ἀπεμπολήσας τὴν στρατιωτικὴν δαπάνην κατὰ τῶν συντελῶν εἰς τὸ βαρύτατον. *Cum Chrysotelean dictam repperisset, vendidissetque militares sumptus gravissimo eorum qui tributa pendebant onere.* Valens apud Socratem lib. 4. cap. 34. Hist. eccles. Τῶν δὲ συντελουμένων ἐκ τῶν ἐπαρχιῶν κατὰ κώμας στρατιωτῶν ἐξηργύρισεν ὀγδοήκοντα χρυσίους ὑπὲρ ἑκάστου στρατιώτου τοὺς συντελέας ἀπαιτεῖσθαι κελεύσας, οὐ πρότερον τὰς συντελείας κουφίσας αὐτοῖς. *Numerato pretio vendidit militem qui ex provinciis per vicos a possessoribus præstabatur, cum jussisset ut pro quoque milite aurei octoginta exigerentur a tributariis, nec prius eos vectigalium onere levavit quam id præstitissent.* quod cladem attulit imperio Romano, cum miles deesset. Paul. Diaconus lib. 11. *Valens collatores suos præcepit provinciæ per vicos & civitates per unumquemque militem octoginta solidos exigere.* Adscitis enim Gothis ἀντὶ τῶν εἰωθότων εἰς στρατείαν ἐπιλέγεσθαι ἐκ τῶν ὑπὸ Ῥωμαίων πόλεών τε καὶ κωμῶν χρυσίον εἰσεπράττετο, *pro tyronibus qui legebantur in militiam, exegit aurum ex urbibus & vicis sui imperii.* Vide Sozomenum lib. 5. cap 4. Valens tamen in delectu habendo durior erat, qui clericos ipsos ad militiam cogeret. Ibidem, κληρικοὺς δὲ πάντας γραφῆναι τῷ καταλόγῳ τῶν ὑπὸ τὸν ἄρχοντα τοῦ ἔθνους στρατιωτῶν, ὃ δαπανηρὸν εἶναι σφόδρα καὶ ἐπονείδιστον ἐν ταῖς τῶν Ῥωμαίων στρατείαις νομίζεται. *Clericos omnes adscribi militiæ jussit, quod magnorum sumptuum & turpe in exercitu Romano habetur.*

Vectigal tironum necessarium.

Præbitio tironum adeo necessaria fuit, ut ne sacrum quidem patrimonium ab ea liberum esset l. 12. Cod. Theod. de Tironib. Senatores olim ab eo onere liberi erant, cum tamen sordidum munus non esset. Novella Theodosii ipsas Ecclesias onus illum temonarium sustinere jubet. Synesius epist. 79. *tironicum* vocat στρατιωτικὸν χρυσίον, *aurum militare.* ὃν ἐπὶ τῶν δεσμωτῶν ὄντα ταῖς ἀπαιτήσεσι ἔταξε τοῦ καλουμένου τιρωνικοῦ, *quem inter vinctos existentem præfecit exactioni tironici auri militaris.* l. 15. de Tyronibus. C. Theodos. *Collatio juniorum.* l. 7. eod. Marcel. lib. 21. *supplementa legionib. scripta sunt indictis per provincias tirociniis.* Valens & Theod. Novel. de Tironib. *Turmarii dicti a turmis tironum cogendis*, l. 4. titul. 28. lib. 12. Cod *Turmarii quos capitularios vocant*, l. 3. Cod. Theod. de privileg. eorum. *Ne exactorum, vel turmariorum, quos capitularios vocant, curas subeant, vel obsequium temonariorum, vel prototypiæ.* l. 6. Cod. Theod. de Tironibus: *Solidorum numerum qui Temonario inferendus est, designamus.*

Capitulum & temo quid dicantur. Protostasia vel prototypia.

Capitulum, & temo conjungebantur, eruntque præstationes, & numera. l. 4. Cod. de proxim. sacr. scrinior. l 14. Cod. Theodos. de extraordin. muner. Tirocinii aurum exigebant temonarii, & protostasiæ sive prototypiæ onere fungebantur. l. 3. Cod. Theodos. de desertoribus. l, 7. C. Theod. de tironibus. capitularia & temonaria functio conjuncta d. l. 3. & 14. *Si Temonarius prodiderit desertorem, protostasiæ onere biennio relevetur. Eos omnium vilium munerum, ac totius capitulariæ, sive (ut rem quam volumus intelligi, communi denunciatione signemus) temonariæ functionis jubemus fieri exsortes.* Protostasiæ munus sordidum fuit ad capitationem exigendam. Julianus Aug. *Prototypias*, inquit, *& exactiones in capitatione plebeja curialium munera, & quidem inferiora esse minime dubitatur, atque ideo a Senatoriis easdem domibus submoveri oportet.* Constantinus tamen Senatores Protostasiæ munus sustinere voluerat, l. 1. ibidem. Constantinus vero Senatores, & eorum homines liberos esse voluerat a conferendis temonariis, seu capitularibus oneribus, l. 4. C. de dignitatibus l. 15. Cod. Theodos. de extraordinar. munerib. Taxatio tironis arbitratu Principium 36. aut 30. aut. 15. solidis facta, l. 7. Cod. Theod. de Tironibus. l. 13. l. 20. & Novel. 3. Theodosii de Tironibus. *Temonarii dicti sunt, & Turmarii a turmis Tironum cogendis.* l. 4. tit. 28. libr. 12. C. *Turmarii quos Capitularios vocant.* lib. 6. Cod. Theodos. titul. 33. Symmachus libr. 9. epist. 10. *Taxationem Tironis.* lib. 6. epist. 6. *Tironum conquievit indictio, & argenti nobis facta gratia est.* Veget. lib. 1. cap. 7. *possessoribus indicti tirones.*

## CAP. LXIV.

*De Tributis Illyrici, Achajæ, & aliarum urbium.*

Vectigalia Illyrici, Achajæ & aliarum urbium.

Illyricum pro tributo vinum in usum militum præstabat, & equos generosos. Claudian. 2. Stilic.

*Restituit teneras, & opacum vitibus Istrum*
*Conserit, & patrium vectigal solvere gaudet*

Idem de Laudibus Serenæ:

*Illyricis sudant & equis & vitibus alæ.*

Solvebant Illyrici pro singulis 30. jugeribus agri solidum ob messem militibus debitam. Coi olim 100. talenta annua, quæ Augustus remisit pro Veneris statua, quam illis abstulit, & Romæ C. Julio dicavit. Achaja a Nerone Immunis facta est, postea iterum a Vespasiano vectigalis facta, ut Pausan. Strabo de Cois. Palæstina juris Italici fuit, l. 1. & ult. d. de censibus. Judæa tamen post Constantinum Magnum gravissimo onere oppressa est. Julianus epist. ad Judæos: Τὸ διαγραφαῖς ἀκηρύκτοις ὑποτάττεσθαι ὑμᾶς, καὶ χρυσίου πλῆθος ἄφατον εἰσκομίζειν τοῖς ταμιείου λόγοις, ὧν πολλὰ ἔμαθον ὁρῶν τὰ βρέβια τὰ καθ' ὑμῶν φυλαττόμενα. ἔτι δὲ καὶ μέλλουσαν πάλιν εἰσφορὰν καθ' ὑμῶν προστάττεσθαι εἶρξα, καὶ πυρὶ παρέδωκα τὰ βρέβια τὰ καθ' ὑμῶν ἐν τοῖς ἐμοῖς σκρινίοις ἀποκείμενα, καὶ τὴν λεγομένην παρ' ὑμῶν ἀποστολὴν κωλυθῆναι. *Vos descriptionibus implacabilibus subjici, & auri modum ineffabilem inferre in rationes ærarii, quorum pleraque didici, cum invenerim breves qui servantur contra vos. Et præterea illationem quæ vobis indicenda erat, coercui, & igni tradidi brevia in meis scriniis adversus vos seposita, & impediri volo Apostolen quæ a vobis exigitur.*

Tributa Italiæ.

De Tributis Italiæ Constantinus Porphyrogen. lib. de administr. imp. cap. 27. Παρὰ τοῦ βασιλεύοντος ἐν Κωνσταντίνου πόλει ἀπεστέλλοντο

*πατρίκιοι δύο. καὶ ὁ μὲν εἷς πατρίκιος ἐκράτει τῆς Σικελίας, καὶ τῆς Καλαβρίαν, καὶ τὴν Νεάπολιν, καὶ Ἀμαλφην.* &c. *Mittebantur ab Imperatore Constantinop. in Italiam patricii duo, quorum alter præerat Siciliæ, Calabriæ, Neapoli, & Amalphæ. Alter Benevento, Capuæ, Papiæ cum reliquis, & tributa quotannis fisco Imperatoris pendebant. Sub Irene Patricius Narses missus tenebat Beneventum & Papiam, Romam autem Papa Zacharias Atheniensis* &c. Ibi ait Irenem misisse ad Narsetem fusum & colum per ignominiam. fallitur. Justini uxor Sophia fuit, non Irene.

## CAP. LXV.

### *De Metœcio & Enœcio.*

Metœcium & Enœcium vectigal ... [margin note]

Athenis fuit *μετοίκιον*, id est, vectigal decem vel duodecim drachmarum, quod inquilini in ærarium inferebant, & publicano tres obolos. Hesychius: *Τέλος ὃ μέτοικοι ἐτίθεσαν ἐν τῇ πόλει, δραχμὰς δέκα, τῷ δὲ τελώνῃ τριώβολον.* Harpocration duodecim drachmas pendi ait: *Μέτοικοι ἀνὰ δραχμὰς δύο καὶ δέκα τοῦ ἐνιαυτοῦ εἰς τὸ δημόσιον ἐτέλουν. Inquilini duodecim drachmas quotannis in ærarium inferebant.* Pollux lib. 3. cap 4. *Μέτοικος ὁ τὸ μετοίκιον συντελῶν, τὸ δὲ δύο καὶ δεκάτας δημοσίῳ δραχμὰς, καὶ τῷ γραμματεῖ τριώβολον.* Fuit & Romæ pensio quæ habitationis causa pendi solita, quam Sueton. in Julio *habitationem* vocat, cap 38. *Annuam etiam habitationem Romæ usque ad bina millia nummum, in Italia non ultra quingenos sextertios remisit.* Dio in actis anni 707. *ἐνοίκιον* vocat: *Τὸ ἐνοίκιον, ὅσον ἐς πεντακοσίας τοῦ ἐνιαυτοῦ ἑνὸς, ἀφῆκε. Remisit pensionem unius anni usque ad quingentas drachmas.* & lib. 48. in actis anni 713. idem scribit: *Quia caro in urbe constabant habitationes, cum Cicero M. Cælium, qui a patre semigraverat, etsi filiumfamilias, triginta millibus habitasse scribat.* Ea pensio dicitur in Vet. gl. *obventio*: sed in vectigali numeranda est.

## CAP. LXVI.

### *De Canone.*

Canon quid sit.

Canon pensio dicitur alicui prædio imposita, ut id quod ab emphyteuta domino solvitur, C. de Can. largitional. titul. Proprie dicitur *regula*, quam cum in aliis rebus, tum maxime in tributis & indictionibus servari oportet, ut certius auri, argenti, frumenti, vini modus pendatur, ne infinita sit illatio. l. *modios*. Cod. de Susceptor. & Arcar. libr. 10. & tit. de Canon frum. urbis Romæ Cod. lib. 11. unde & *Canonica illatio* pro omni justa & legitima indictione accipitur, l. 3. Cod. quæ res vend. *Canonicarii* dicti Canonis exactores, Authentic. de collation. Canonem Budæus similem esse ait patrimonio Principis, quod in portoriis & vectigalibus positum est, quæ semper eadem forma exiguntur. *Canonicum* vocatur, quod fieri solitum est. *Canonica illatio*, tributum annuum. *Canon largitionum* auri quantitas, quæ arcæ largitionem quotannis ex provinciis infertur. Quælibet provincia suum *Canonem* pendit. Justinianus Edicto quarto ex Canone Phœniciæ 10. libras auri singulis annis Primicerio notariorum solvi jubet. Præfectus Prætorio partem exactæ pecuniæ in provinciis retinebat, ut magistratibus & officialibus salaria solveret, partem ad arcam largitionum transmittebat, qui dictus Canon, Novel. 128. & l. ult. de Can. largit. tit. Præsides provinciarum quadrimestri quoque exactam pecuniam largitionibus destinatam in tutum provinciæ oppidum ad thesaurensium præfectum mittebant. Numerarii exactores obsignatis literis missam quantitatem notabant, præfectus thesaurorum ad comitem largitionum mittebat, C. de Canone largit. tit. Scrinii Canonum homines dicuntur *Canonicarii*, qui in codicibus pensiones ex provinciis largitionibus debitas notabant, quæ ex indictionibus, superindictis, vectigalibus, tributis, militari veste debentur. Hi enim sunt tituli C. de milit. veste. Pro 30. aut. 20. jugeribus aureus pro singulis vestibus, aut singulæ vestes. Ex mittendariorum scrinio unus in singulas provincias mittebatur, qui vestes, & alia debita largitionibus solvi compelleret, l. ult. C. de exact. tribut. Hujus scrinii Primicerius erat Perfectissimus tertii ordinis. Unus est ducenarius, id est, ducentis præest, unus centenarius, epistolares duo formæ primæ, seu primi gradus, quibus omnibus dantur annonæ de publico, l. 7. C. de Palatin. sacrar. largit. Purpuræ nundinæ vetitæ, & ideo septimus de scrinio exceptorum, sextus de scrinio canonum, quintus de scrinio tabulariorum, ad baphia Phœnices per certum tempus mittebantur, ut omnis fraus eorum prohiberetur solertia, C. de vestib. holoser. l. ult. Epistolares erant, qui ob exigendum Canonem in diversas provincias mittebantur a Canone largitionum.

Canoni illatio.

Canon largitionum.

Postremis imperii temporibus Canonis nomen in usu fuit. In Constitutione Isaacii Comneni. *Τυποῖ δὲ ἡ βασιλεία μου καὶ ἐπὶ χειροτονίᾳ τῶν ἱερέων, καὶ ἐπὶ κανονικῷ τὸν παλαιὸν ἐνεργεῖν τύπον, edicit mea majestas & in ordinandis sacerdotibus, & in tributo ordinario veterem servari legem. ὡσαύτως καὶ ὑπὲρ τοῦ κανονικοῦ ἀπὸ τοῦ ἔχοντος χωρίου τριάκοντα καπνοὺς νόμισμα ἓν ἀργυροῦν, similiter & super ordinario tributo, ex loco habente triginta caminos nummum unum argenteum.* In Canonicarios jus erat Præpositi cubiculi. Novel. 30. Justiniani: *Μὴ δυναμένων τῶν κατὰ καιρὸν ἐκπεμπομένων κανονικαρίων παρὰ τοῦ ἐνδοξοτάτου πραιποσίτου μέχρι ὀβολοῦ γοῦν ἑνὸς κομίζεσθαί τι, ἢ ὀνόματι συνηθειῶν, Cum Canonicarii qui mittuntur a gloriosissimo Præposito cubiculi, usque ad obolum unum referre aliquid aut nomine consuetudinem, aut alia aliqua de causa non possint.* Vide Novel. 128. Cassiodor. lib. 11. & 12.

Canonis nomen quando in usu.

## CAP. LXVII.

### *De Gleba Senatorum.*

Gleba senatorum.

Gleba dicitur glebalis functio, C. Theod. lib. 6. tit. 2. *glebam possessionum, non personarum esse perspicimus.* Synesius in epist. *Καὶ τὸν παλαιὸν βῶλον ὑποτελῆ τῇ συγκλήτῳ διαδεξάμενος, & antiquam glebam senatus vectigalem excipiens.* lego *τῆς συγκλήτου*, quia collatio illa non canonis, vel indictionis, sed oblationis genere quodam a Senatoribus exigebatur,

ſicut aurum coronarium a decurionibus, aut argentum a negotiatoribus. Dicitur glebale aurum, penſio, deſcriptio, collatio, præſtatio glebalis, aurum oblativum, follis ſenatorius, gleba Senatoria. lib. 6. C. Theodoſ. tit. 2. Folis centum & octo denariis æſtimatur ab Epiphan. lib. de menſur. & ponder. *Φόλις, ὃ καὶ ταλάντιον καλεῖται. Διπλοῦν δέ ἐστιν ὑπὸ δύο ἀργυρῶν συγκείμενον, οἳ γίνονται, ρη. δηνάρια. Καὶ φόλις δύο λεπτοὶ κατὰ τὸν δηναρισμὸν, καὶ κατὰ τὸν ἀργυρισμόν.* *Folis quod talantium, ſeu parvum talentum dicitur, duplum eſt ex duobus argenteis compoſitum, qui ſunt centum octo denarii. Et folis ſignificat etiam duo minuta, ad rationem denarii & argenti.* Zoſimus lib. 2. vitæ Conſtant. *Ἀπεγράψατο τὰς τῶν λαμπροτάτων οὐσίας, τέλος ἐπιθεὶς ᾧτινι φόλιν αὐτὸς ἐπέθηκεν ὄνομα.* *Deſcripſit Conſtantinus Clariſſimorum facultates, vectigali impoſito, cui nomen folis indidit.* Novel. de Indul. reliq. *quicquid ex titulo ſenatorii folis in provinciis debetur.* Folis aurei nummi genus eſt l. 2. & 3. C. Theod. quor. app. non recipiant. Singuli foles ſiliquæ duodecimam partem efficiunt. Moſchopulus folem obolum eſſe voluit. Symmachus lib. 4. epiſt. 62. *Sed velim noveris quæſitores glebæ ſenatoriæ protinus affuturos.* Senatores quibus nulla erat poſſeſſio, duos foles in ærarium inferebant, C. Theodoſ. lib. 6. Symmach. lib. 4. epiſt. 62. *aurarium canonem* vocat. Caſſiodor. lib. 2. epiſt. 14. & epiſt. 26. *aurariam penſionem*, quia ſenatores pro modo poſſeſſionum annua auri penſitatione defungebantur: ſi res & cenſus Senatoris anguſtior eſſet, ſeptenos duntaxat ſolidos inferebat, l. 4. tit. 2. lib. 6. C. Theodoſ. & l. 11. Quod ſi cujus fuere adeo res tenues, ut iſta collatione opprimeretur, ſenatoria dignitate exuebatur l. *Quod ad* lib. 6. tit. 2. C. Theodoſ. Ibidem vocatur *Senatoria glebatio.* l. 13. *Glebalis collatio.* l. 8. *Glebalis functio.* Sed & privatorum omnium poſſeſſionibus glebalis collatio indicta erat, l. 86. de decurionibus. Cod. Theodoſ. Quæ interdum, ſi clade publica vexati eſſent, imminuebatur, Novella Theodoſ. & Valenti. de tribut. fiſcali. Dicitur & *glebæ ſarcina*, l. 12. Cod. Theodoſ. de cenſorib. *glebæ profeſſio*, l. 12. Cod. Theodoſ. de annon. & trib. & *glebæ exactio*, l. *Cenſualibus*. *glebæ neceſſitas* l. *Cæleſtis*. lib. 6. tit. 2. eod. Sidon. lib. 6. epiſt. 10. *Ut debitum glebæ canonem non petatis.* Domus divina, id eſt, imperatoris, non erat immunis ab auri glebalis collatione, ibidem. Quia ipſe princeps in ordine ſenatorio numerabatur, l. 8. Cod. de dignitat. lib. 12. Valentinianus & Marcianus Imper. eam glebæ exactionem penitus ſuſtulerunt l. 2. de prætor. & hono. præt. & gleba Cod. lib. 12.

## CAP. LXVIII.

### *De oblationibus Senatorum.*

*Oblationes Senatorum.*

MOris fuit, ut decennalibus Imperatorum, & exactione luſtri Senatus plures auri libras Principi offerret. Symmach. lib. 10. epiſt. 36. ſcribit ſe ſummates Romanos ad ſecretarium condixiſſe faciendæ oblationis gratia. *Oblativas functiones* vocat epiſt. 43. lib. 10. Theod. & Arcadius dicunt ſe remittere Senatui oblationem prompta liberalitate promiſſam, Cod. Theod. de præd. Senat. *Si quid nomine Syriarchiæ a Senatoris poſſeſſionibus annua collatione confertur, jubemus aboleri.* Dicitur *aurum oblatitium Senatorum*, quod in urbe perſolvunt, l. 24. *Ductum*. C. Th. lib. 6. tit. 2. *Dudum præcepimus, ut aurum oblatitium Senatores, qui in ſacratiſſima Urbe degunt, in Urbe complerent. Hi vero qui in provinciis larem foverent, per cenſualium officia in provinciis ſolverent.* Symmach. epiſt. 57. lib. 2. epiſt. 26. lib. 10. ep. 43. *Oblationes, oblatitias functiones.*

*Oblativæ functiones.*

*Aurum oblatitium.*

Erant & aliæ oblationes Senatoriæ, quæ fiebant Præturæ ratione l. 17. D. de Prætor. & Quæſtor. Cod. Theod. Alia eſt oblatio facta populo Rom. tempore penuriæ, ut Symmachus lib. 6. epiſt. 12. 14. 55. Alia eſt oblatio quæ fiebat amicis a novo Conſule, lib. 4. epiſt. 15. *Omnes oportet urgeri ad oblationem publicarum functionum* l. 4. de Annona & trib. Cod. Juſtin. & C. Theod. de oblat. equor. C. de oblation. votorum.

*Oblationes Senatoriæ.*

*Oblatio novi Conſulis.*

## CAP. LXIX.

### *De Collatione Syriarchiæ.*

*Collatio Syriarchiæ.*

ANnua Collatio exigebatur a poſſeſſoribus Senatoriis Syriarchiæ nomine, quæ ſublata eſt l. 1. de præd. Senator. C. Theod. Erant autem olim Syriarchæ, Lyciarchæ, Alytarchæ, Phœniciarchæ, fere ſacerdotes, ludorum editores, qui ad ludorum expenſas aliquid a poſſeſſoribus Senatoriis exegerunt. l. 1. C. de offic. Comit. orient. *Quæ deputata ſunt Alytarchiæ & Syriarchiæ ludis in Syria, exigantur.* Favorinus ſcribit Alytarcham fuiſſe ſacerdotem Antiochiæ, quod ludis qui fiunt Diis *ἀλύταις*, *flagelligeras* præſit. Cæteri ludorum editores per provincias duorum talentorum impendia excedere vetabantur, non item Alytarchæ & Syriarchæ, qui tamen vetantur aliquid exigere l. 1. Cod. Theodoſ. de præd. Senator. Nemo cogebatur fieri Syriarcha l. 103. Cod. Theodoſ. de Decurionibus. Vetus Etymologyc. *Ἀλυτάρχης ὁ τῆς ἐν τῷ Ὀλυμπιακῷ ἀγῶνι εὐκοσμίας ἄρχων. Ἠλεῖοι γὰρ τοὺς ῥαβδοφόρους, ἢ μαστιγοφόρους παρὰ τοῖς ἄλλοις καλουμένους ἀλύτας καλοῦσι, καὶ τὸν τούτων ἄρχοντα, ἀλυτάρχην.* *Alytarcha qui ludis olympiacis præeſt. Elei flagelliferos vocant Alytas, & eum, qui præeſt illis, Alytarchen.* Lucianus Dialog. de Hæreſ. *Alytarcha puto, aut unus ex Ellanodicis ſeu Græcorum judicibus circumiens conſiderat ſortes ſortientium.* *Ἀλυτάρχης οἶμαι, ἢ τῶν ἑλλανοδικῶν αὐτῶν εἷς περιιὼν ἐπισκοπεῖ τοὺς κλήρους ἐν ἑσώπων.* l. 2. Cod. de Cupreſſis. l. 2. C. de Expenſ. ludor. Cod. Theodoſ. l. 12. C. Theodoſ. de jure fiſci. Alytarcha plures Antiochiæ cupreſſos potuit plantare. Alytarchia, ad editionem ludorum pertinens munus, quod ad curam Comitis orientis pertinet l. 1. Cod. de offic. Comit. orient. Sic Aſiarches Euſebio lib. 12. eccleſ. Hiſt. cap. 15. *Munerarius* eſt apud Rofinum. Itaque Lyciarchi, Syriarchi, Aſiarchi, Cappadochiarchi, Bithyniarchi, Phœniciarchi, ſacerdotes erant ludorum editores, in actis Apoſtol. cap. 19. l. 1. Cod. de Naturalibus liber. l. 1. Cod. de offic. Comit. orient. l. 103. Cod. Theodoſ. de Decurionib. Novel. 89. Syriarcha nomen ſacerdotii. l. ultim. C. Theodoſ. de Expenſ. ludor. Tertull. lib. de ſpectacul. In actis proconſularibus martyrum Numerius Maximus proconſul Ciliciæ juſſit Terentiano

*Syriarcha nomen ſacerdotii.*

Ciliciæ ſacerdoti, ut munus ederet. Emiſit feras, quæ Chriſtianis pepercere. Poſtea juſſus Terentianus edere gladiatores. De Lyſiarcha l. 18. Cod. de offic. Comit. orient. l. *Athletæ*. l. 6. de excuſat. tutor. Strabo lib. 14. l. 25. D. de appellatio. Tertullian. lib. de ſpectacul. *ſacerdotes præſides ludorum*. Pauſanias lib. 2. *ſacerdos præeſt ludis Nemeis*. Strabo lib. 17. ἀεὶ δὲ καὶ δυνασταί τινες, καὶ φύλαρχοι, καὶ ἱερεῖς ὑπ' αὐτοῖς. De Phœniciarcha l. 1. Cod. de Natural. liber. Edicto 4. de Magiſt. Phœnic. Novell. 89. §. ult. de ſacerdotibus Aſiæ, Papinianus l. 17. de muneribus & honoribus. D. l. 6. de vacat. muner. *Sacerdotes ſumptus in munera faciunt*. l. 1. Cod. de periculo ſucceſſ. l. fin. Cod. Theodoſ. De Expenſ. ludor. Vetitum autem fuit, ne editores certam ſummam aureorum excederent, exceptis Alytarchis, Syriachis, Aſiarchis, l. 46. 75. Cod. de Expenſ. ludor. l. *non diſtinguemus*. §. *ſacerdotio*. D. de Arbitris l. 1. §. 1. ad legem Juliam de ambitu. l. penultim. Codic. de pactis. l. 35. & *ſi*. Cod. de epiſcop. & cleric l. penult. D. de vacat. muner. Tertullian. libr. de idololatria: *Eodem more apud Ægyptios & Babylonios inſignia erant dignitatis, quo more nunc prætextæ, vel trabeæ, vel palmatæ, & coronæ aureæ ſacerdotum*.

## CAP. LXX.

### *De Auro Negotiatorio.*

*Aurum negotiatorium.*

LAmpridius in Alexandro Severo, *Aurum negotiatorium* vocat aurarium canonem, aurariam penſitationem, quam mercatores omnes, qui per vicos portuſque negotiationis officium exercebant, penſitabant. Verba Lampridii ſic habent: *Aurum negotiatorium & coronarium Romæ remiſit*. Novella Theodoſiani & Valentiniani: *Omnes qui per vicos portuſque negotiationis officium exercent, aurariam functionem cogantur agnoſcere*. l. 11. 13. 19. Cod. Theodoſ. de luſtrali collat. *Auraria functio* dicitur. l. 19. Codic. Theodoſ. de Annon. & tribut. *Auraria præſtatio*.

## CAP. LXXI.

### *De Vectigali ex Lacubus.*

*Vectigal ex Lacubus.*

VEctigalia ex Lacubus refici ſolita argumento erit Lacus Lucrinus, qui boni ominis cauſa in locandis vectigalibus primus a Cenſoribus addicebatur, narrante Feſto. Quare Ulpianus lacus piſcatorios & portus in cenſum a domino deferendos eſſe ait. l. 4. de cenſibus. lib. 3. Herodian. προσόδους τῆς ἁλείας vocat. l. 17. D. de verbor. ſignificat. *Piſcarias* vulgo legunt. Quædam etiam urbes fuere, quæ piſces vectigalis nomine penſitarent, cum ob ſoli duritiem & ſterilitatem lardum ſolvere non poſſent, ut Rhegini apud Caſſiodorum lib. 12. variar.

## CAP. LXXII.

### *De Piſcinica.*

*Piſcinica.*

ΠΙσκινικὴ tributum fuit piſcinis impoſitum. Cantacuzenus lib. 2. cap. primo. *In ſumptus ejus, & familiæ de publicis vectigalibus, quam Piſcinicam vocant, ferentem in annos ſingulos 12. aureorum millia, & alterum tantum e fiſco decrevit*. Nicephorus Gregoras lib. 9. πρόσοδον vocat τῆς ἁλιευτικῆς. Cantacuzenus lib. 4. cap. 42. *De Publicis Byzantii vectigalibus Piſcinicam nominatam, paulo plura denariorum millia in annum ferentem*.

## CAP. LXXIII.

### *De Fiſco.*

*Fiſcus.*

QUanquam a nobis ſupra de Fiſco abunde dictum eſt lib. 2. de offic. cap. 50 libet tamen hic de eodem pauca ſubjungere, quæ aut nobis exciderant, aut minus plene tractata erant. Ad Fiſcum quæſtus caducos pertinuiſſe oſtendimus. Novell. 20. & 30. ταμιεῖον, ſeu fiſcus dicitur *cellarium, quod domini deputatur cellario, deputatur cubiculo, res privata aliis neceſſitatibus*, l. ult. Cod. de neceſſitat. domor. ſacra. *Tamiaca prædia, Tamiaci ſervi* in Cappadociæ provinciis, quorum cura pertinet ad Comitem domorum & Præpoſitum ſacri cubiculi. Sic domus ſeparantur a re privata. Corippus lib. 1.

*Quod fiſci eſt, nullus rapiat: cognoſcite fiſcum*
*Ventris habere locum, per quem omnia membra cibantur.*
*Cunctis ſufficiunt ſacrati commoda fiſci,*
*Ex quibus eſt commune bonum, commune levamen.*

Euſebius lib. 9. ſcribit domos ſacras Chriſtianis ereptas fiſco addictas. Alexander Severus ærarios inſtituit, qui de ære fiſci darent munera, ut Lamprid. vide Valentiniani Novel. de confiſcandis his quæ ad ærar. l. 5. de cenſib. C. Theod. *ſtrenuus exactor incumbat*. Jul. Firm. lib. 3. cap. 13. Aſtron. *Imperatorum exactores, & qui annuas Fiſcariorum præſtationes exigant*. lib. 4. cap. 3. *Fiſcalium præſtationum exactores*. Capitol. in Mario: *Caſſii qui rebellarat, bona proſcripta in ærarium publicum redacta*. Vulcat. de Caſſio, *cujus bona non in Fiſcum Cæſaris illata, ſed in ærarium publicum*. Symmach. lib. 2. ep. 27. *Quantum tu titulis Fiſcalibus exigendis promoveris*. Procurator Fiſci dicitur *Rationalis*, qui Romæ & in Provinciis bona caduca legit ac tollit. Tacit. lib. 2. *Dona Æmiliæ Muſæ divitis inteſtatæ petita in Fiſcum*. Julius Cæſar *Parricidas bonis omnibus, reliquos dimidia parte mulctavit, ſi exularent*, ut Suet. *Spurii Mallii bona vendere, atque in publicum redigere Quæſtores juſſi*. Auguſt. ſanxit, *ut deportatis, id eſt, iis quibus aqua & igni interdictum eſſet, non plus poſſidere liceret quingentis millibus nummum*, ut Dio lib. 56. *Tiberius interdictis aqua & igni ademit omnem teſtamenti factionem*, Dio lib. 57. Aliæ res Fiſcales, alia privata ſubſtantia, & diverſi adminiſtratores. Fiſcus ab ærario non differt, niſi quod in alia arca fuit,

ſub diverſo procuratore, ſeu præfecto. Sub Honorio Attalus Fiſci Præfectus, ait Zoſim lib. 5. ἀποφισκοῦν, *confiſcare*. Doſitheus ſententiarum lib. 3. διὰ βιβλιδίου λέγοντός τινος πατέρα ἴδιον ἀποπεφισκῶσθαι. *per libellum dicente quodam patris ſui bona in fiſcum redacta*. Ædibus ac prædiis quæ fiſco addicta, tabella impoſita, quæ cauſas confiſcationis indicaret, & pannus ſubpurpureus Imperatoris. Agathias lib. 5. πολλοὺς ὅσους τῶν οἰκείων ἀφῃρημένος, ὅτι τε αἱ γραπταὶ σανίδες ἐκεῖναι, καὶ τὰ ῥάκη τὰ ὑποπόρφυρα ἐς τόδε αὐτῷ ἀπετελοῦντο σαν, ἃ δὴ πολλὰ τοῖς τῶν δυσδαιμόνων οἴκοις θαμὰ ἐπέβαλλε. *Cum multis bona ademiſſet, quod tabulæ ſcriptæ illæ & panni ſubpurpurei ab eo ad id adhibiti erant, quos frequentes divitum domibus affixit*.

*Senatores dimidiam bonorum partem Imperatori relinquere tenebantur.*

Antoninus Pius abrogavit veterem legem qua Senatorio viro de bonis ſuis teſtari non licuit, niſi dimidiam eorum partem Imperatori relinqueret, ait Nicephorus in eccleſ. Hiſtor. A bono enim patre non ſcribi hæredem ajebat, niſi malum Principem. *Domitianus lecto teſtamento Agricolæ quo cohæredem uxoris filiæ Domitianum ſcripſit, lætatus eſt velut honore judicioque*, ait Tacit. in Agricola. Fideicommiſſa, & codicillorum commoda æternum repudiavit Theodoſius apud Symmachum lib. 2. epiſt. 13. Fiſcum imperatorium commemorat Phranſes, qui ſcribit Patriarcham ſoli Michaeli claves fiſci imperatorii credidiſſe. Euſebius lib. 2. de vita Conſtat. Chriſtiani fiebant οἰκέται τοῦ ταμιείου, *ſervi ærarii*. bona eorum fiſco addicta. Paulus Diaconus lib. 21. *publico fiſco ſubſtantiam Xylinitæ applicans*. Julianus in epiſt. χρήματα τῆς ἐκκλησίας καὶ τὰ κτήματα τοῖς ἡμετέροις προστεθῆναι πριβάτοις, *bona & poſſeſſiones eccleſiæ Edeſſenæ noſtris addi privatis*. Juſtinianus caduca ſuſtulit l. 1. Cod. de caducis toll. quia ex bellis civilibus orta & aucta erant. Lex de viceſima hæreditatum triennio lata eſt ante legem Papiam de caducis, M. Æmilio Lepido & L. Arruntio Coſs. ut ſcribit Dio lib. 55. Lex vero Papia lata M. Papio Mutilo & Q. Poppæo conſulibus. ideo lex *Papia Poppæa* dicitur. utrique legi cauſa, ut ærarium exhauſtum bellis civilibus repleretur. Ulpian. lib. 15. ad Edict. *Ait Senatus, Cum antequam partes caducæ fiſco peterentur*. l. *item veniunt*. D. de hæred. pet. & l. *cum fiſco*. de S. Conſulto Silaniano. Cajus lib. 17. ad Edict. provinc. Cum fiſco caduca bona defuncti abdicantur propter inultam mortem.

*Caduca bona quæ ſint.*

Caduca autem bona ſunt quæ poſt mortem teſtatoris eo, cui relinquenda erant, mortuo, aut conditione deficiente ante apertas tabulas ad fiſcum lege Papia deferuntur, ſolis parentibus & libertis teſtatoris uſque ad tertium gradum, ſi ſcripti fuerant hæredes, lege exceptis l. 1. Cod. de caduc. toll. Si legatarius antequam dies cederet mortuus eſſet, caducum legatum fiebat. Neque enim ad hæredes ſuos id tranſmittebat, niſi poſt eum diem mortuus eſſet, l. *ex his verbis*. Cod. quando diem legati. Judaici fiſci, Sueton. in Domitiano, meminit: præter cæteros *Judaicus fiſcus acerbiſſime actus eſt*, ad quem deferebantur qui veluti profeſſi Judaicam intra urbem viverent vitam. Judæi enim pecunia liberam ſuæ ſectæ profeſſionem redimebant. Xiphilin. δίδραχμον ἐτάχθη τοὺς τὰ πάτρια αὐτῶν ἔθη περιστέλλοντας τῷ Καπιτωλίῳ Διὶ κατ' ἔτος ἀποφέρειν. Caduci meminit Juvenal.

*Caduçum legatum.*

—— *Propter me ſcriberis hæres,*
*Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.*

Ulpianus Cælibi relictum legatum caducum fieri ſcribit, niſi legi intra centum dies paruerit. Quicquid præter legem legatum erat, aut relictum, caducum fiebat, ibatque in fiſcum, ideo lex Julia *caducaria* dicta Ulpiano. Tacitus: *Lege Papia præmiis inducti, ut ſi a privilegiis parentum ceſſaretur, veluti parens omnium populus vacantia teneret*, id eſt, ærarium, publicum. Sozomen. lib. 1. eccleſ. hiſt. Νόμος γὰρ Ῥωμαίοις παλαιὸς ἀπὸ εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν τῶν ἴσων ἀξιοῦσθαι κωλύων τοὺς ἀγάμους τοῖς μὴ τοιούτοις. *Romæ lex vetus quæ vetat cælibes a viceſimo quinto anno æquari maritis, cum in multis aliis, tum in eo quod ex teſtamento eorum nihil lucri faciunt, quos genere non attingunt*. Improles autem mulctant dimidia eorum parte, quæ legata ſunt.

## CAP. LXXIV.

### *De Vectigali fumi, umbræ, & aeris.*

*Vectigal fumi, umbræ, & aeris.*

EOuſque Regum ac Imperatorum acerbitas proceſſit, ut pro fumo, aere, & umbra quarumdam arborum tributum exigerent. Capnicon ſeu fumarium Nicephorus Imp. repperit ætate Caroli magni. Zonaras: Τούτου καὶ ἡ καπνικοῦ ἐπίθεσις ἐννόημα κάκιστον ἐπαχθέντος τοῖς τῶν ἐκκλησιῶν, καὶ πτωχείων, γηροντοκομείων τε, καὶ μοναστηρίων παροίκοις, καὶ παντὶ μήτε γῆν ἔχοντι, μήτε τέλος, καὶ τὸ τοὺς ἐξ ἀπόρων ὅπως δήποτε ἐς εὐπορίαν μετενεχθέντας χρήματα ἀπαιτεῖσθαι. *Nicephorus indixit tributum e fumo, quod p*ſſ*imo exemplo repertum, & indictum omnibus accolis & parœcis Eccleſiarum, & earum domuum, ubi ſenes, & pauperes, & monachi alerentur, licet neque agros haberent, neque vectigal ſolvere ſolerent: & exegit pecunias ab iis, qui ex inopibus induſtria ſua divites facti eſſent*. Legendus Cedrenus pag. 411. & pag. 933. & Zonaras tomo 3. pag. 1000. De vectigali umbræ & arboribus Plin. 12. *Quis non miretur arborem umbræ gratia tantum ex alieno petitum orbe. Platanus hæc eſt jam ad Morinos uſque pervecta, ac tributarium etiam detinens ſolum, ut gentes vectigal & pro umbra pendant*. Michael Paphlago vectigal pro aere quem aſpirando trahimus, inſtituit. Cedren. Πονηρώτατος ὢν πρὸς ἣν ἄντις εἴπῃ κακίαν, πᾶσαν ἐφεῦρεν ὁδὸν ἀδικίας, προσθεὶς ἐπέκεινα τῶν τελεσμάτων διδόναι ἕκαστον τῶν χωρίων ὑπὲρ ἀερικοῦ κατὰ τὴν ποιότητα καὶ ἰσχὺν αὐτοῦ. *Cum igitur in omni genere injuſtitiæ maxime ingenioſus eſſet, omnem rationem injuriæ reperit, addens ſupra ſolita tributa, ut quiſque pro hauſtu aeris aliquid penderet pro ſuis facultatibus*. Huc pertinet illud Peſcennii nigri apud Spartianum: *Vos terras veſtras levari cenſitione vultis, ergo vero etiam aerem veſtrum cenſere vellem*. Chryſoſt. ad id, *in vanum turbatur omnis homo*. Διὰ τὰ χρήματα ἐλεύθερα στοιχεῖα πεπράκαμεν. Ὁδοὶ τελωνοῦνται, ὁ ἀὴρ ὠναῖς ὑποβάλλεται, δεκατολόγοι, τελῶναι τὰς πόλεις συνέχουσι. *Ut pecunias congeramus, elementa libera vendidimus. Viæ vectigales ſunt, aer venalis eſt: decumani, portitores, urbes obtinent*.

*Capnicum.*

Capnici meminit Cedrenus, quod in regium ærarium transferri ait, τὸ εἰς τὸ βασιλι-

κὸν ταμιεῖον εἰσαγόμενον τέλος δημόσιον, ὃ καπνικὸν καλεῖν εἰώθασι. In Constitutionibus Manuel. Comneni, ὀ καπνικὸν ἀναλαμβάνεσθαι, *non capnicum exigi*. A capnico liberi erant Ecclesiastici ad Nicephorum usque, qui ab iis exegit. Abolevit Joannes Tzimisces devictis Bulgaris, ut Cedrenus ait, ἀφῆκε δὲ ϗ τοῖς ὑποφόροις πᾶσι τὸ λεγόμενον καπνικόν. Insecuti deinde Imperatores reposuerunt, sustulit Manuel Comnenus in ejus constit. Οὐκ ἐξέσται οὔτ᾽ ἀναγραφεῖ, ἢ προκαθημένῳ ἑτέρῳ τινὶ προσώπῳ τῶν δημοσίου τὰ τῶν μοναστηρίων ἀκίνητα ἀναγράφειν ἢ καπνολογεῖν. *Non licebit neque tabulario neque scribæ, præposito cujuscunque secreti, peræquatori, exactori, aut alteri cuiquam personæ publicæ describere monasteriorum immobilia, ut ab iis fumarium exigere.*

## CAP. LXXV.

### *De Exagio.*

Exagion ponderis genus est.

EXagion ponderis genus est. Vet. Inscript. *Sub exagio potius pecora vendere, quam digitis concludentibus tradere*. Glossa: ἐξάγιον, *pensatio*. Novell. Theodos. & Valent. tit. 23. *De ponderibus quoque, ut fraus omnis amputetur penitus, a nobis aguntur exagia, quod sub interminatione superius comprehensa sine fraude debeant custodiri*, Zonaras: ἦν δὲ καὶ πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ χρημάτων ἥττων ὡς ἔοικε. μέχρι γὰρ ἐκείνου παντὸς νομίσματος ἐξαγίου σταθμὸν ἕλκοντος ἐκεῖνος τετάρτηρον ἐπενόησε κολοβώσας αὐτὸ καὶ τὸν σταθμόν. *Nicephorus erat insuper nimis pecuniæ diligens, cum enim usque ad ejus ætatem omnis nummus exagii pondo fuisset, ille quartarium invenit pondere imminuto*. Cedrenus de Nicephoro Phoca: Ἐλάττωσε δὲ καὶ τὸ νόμισμα τὸ λεγόμενον τὸ τετάρτηρον ἐπινοήσας. διπλοῦ δὲ τοῦ νομίσματος ἔκτοτε γεγονότος, ἡ μὲν εἴσπραξις τῶν βασιλείων φόρων τὸ βαρύτερον ἀπῄτει, ἐν δὲ ταῖς ἐξόδοις τὸ μικρότερον ἐσκορπίζετο. *Erat duplex moneta. Tributa exigebat in graviore, erogabat monetam leviorem militibus.*

## CAP. LXXVI.

### *De Trientibus, & Semissibus.*

Semisses & Trientes.

SEmisses aureorum ab Alexandro Severo instituti sunt, ut pro denis aureis semisses aurei penderentur, unde consentaneum est vectigalis modum definitum, & certum pecuniæ genus præstationi vectigalium destinatum. Erat enim quoddam genus nummi vectigalis, quod Matth. vocat cap. 22. νόμισμα κήνσου. Hesychius: κῆνσος εἶδος νομίσματος, ἐπικεφάλαιον. Tremisses sunt aureorum trientes, de quibus Trebel. in Claudio: *Formæ binariæ sunt nummi binis aureis valentes, ternariæ ternis*. Lamprid. *Formas binarias, ternarias, & quaternarias, & denarias, etiam atque amplius usque ad bilibre, usque ad centenarias, quas Heliogabalus invenerat, resolvi præcepit*. Centenariæ formæ dicta centenaria passim apud Zonar Cedr. & alios. *Formam* commemorat Lucanus,

*In formam calidæ percussit pondera massæ.*

Nummus centimonalis.

Nummus centimonalis est forma centenaria majorina pecunia, *Constantius August. Limenio P. P. Comperimus nonnullos flaturarios majorinam pecuniam separato ab ære argento repurgare*, Cod. Theodos. de falsa mon. *formæ flaturariorum*. Isidorus lib. 16. cap. 17. Aureus centenarius centenas auri libras efficit l. 2. Cod. Theodos. si quis pecun. conflav. *Centimonalem tantum nummum in conversatione publica tractari præcipimus majori pecuniæ figuratione submota*. Ibidem, *decargyreus nummus probibitus*. Suidas miliaresium nummi aurei decimam partem esse ait, τὸ τοῦ νομίσματος δέκατον.

## CAP. LXXVII.

### *De Commerciis.*

De commerciis.

SUb Comite largitionum fuerunt quatuor Comites commerciorum, primus per Orientem & Ægyptum, alter per Mœsiam, tertius per Scythiam & Pontum, quartus per Illyricum. l. *negotiatores*. C. de excusationib. muner. Emebant illi quæ ad vestes Principis usui essent, Parthicas pelles, gemmas, metaxam, l. 5. C. de episcop. audient. l. 1. Cod. de commerciis & mercatorib. Vocantur negotiatores qui ad domum Imp. pertinent, quibus interdictum, ne aurum pro quibuscunque speciebus ad barbaricum transferrent. Certis locis fœderis tempore nundinas cum barbaris exercebant, non aliis quam qui præscripti essent, ne alieni regni scrutarentur arcana; commutabantque merces cum Persa, non ultra Nisibin, Callinicum, Artaxatam, l. *lotas*. Cod. de murileg. l. 1. & 2. Cod. quæ res vendi non pos. Libra serici, libra auri pensabatur, quia sericum auro contra carum. Vopiscus Aureliano: *Cum ab eo uxor peteret, ut unico pallio blatteo serico uteretur, ille respondit, ut auro fila pensentur*. Omnes qui commercia tractabant, octavas pendebant, l. 7. Cod. de vectigal. & commis. Comites Commerciorum stationarios habebant in limitibus, qui vectigal exigerent a mercatoribus. Observabant, ne ferrum, cotes, arma, frumentum ad barbaros deferrentur. His Comitibus ex publico dabatur salarium. Menander in eclogis scribit in fœdere, quod ictum est inter Romanos & Persas, hoc expressum esse, ut mercatores Sarraceni & barbari, certis tantum ac definitis itineribus, ad merces vendendas in provincias Imperii Romani pergerent, εἰ μέντοι παρὰ τὸ δοκοῦν τολμήσωσί τι, ἤγουν τὸ λεγόμενον κλεπτοτελωνήσωσι, ἀνιχνευομένους ὑπὸ τῶν ἐν τοῖς ὁρίοις ἀρχόντων ξὺν τοῖς ὅσα ἐπιφέρονται, εἴτε Ἀσσύρια φορτία, εἴτε Ῥωμαῖα παραδίδοσθαι δίκας ὑφέξοντας. *Si præter id quod convenit, fecerint, aut furtivas merces vendiderint, eos inquiri a ducibus limitum cum mercibus Assyriis aut Romanis, quas vendunt, & tradi puniendos.*

## CAP. LXXVIII.

### *De Pactis & Commerciis.*

Pacta.

PActa dicta tributa, quæ Imperatores pendebant Scythis, Bulgaris, aut Sarracenis. Diaconus l. 23. *Dominus Bulgariæ denuntiavit*

*nuntiavit Imperatori, aut tribue mihi pacta, aut demoliar Thraciam.* A

Commercia erant tributa, quæ Sarraceni pendebant Imperatori. lib. 24. *Imperatrix Byzantiis civilia donavit tributa, Habdique, & Hieriæ ea quæ dicuntur commercia relevavit. Commercium nundinarum, quod centum esset librarum auri, Constantinus indulsit ad famulatum S. Joannis Apostoli.* Dicebantur etiam πάκτα. Constantinus Porphyrogen. Chorograph. Πάντα τὰ τοιαῦτα κάστρα ὑπόφορα τῶν Σκλαυῶν, καὶ τελοῦσιν αὐτοῖς πάκτα, καὶ ἐδίδου τὰ προρρηθέντα πάκτα. Στρατηγὸς ἐξέθετ αὐτοῖς πάκτα πλείονα ὧν ἐπετέλουν. *Omnia ejusmodi castra tributaria sunt Sclavis, & solvunt illis pacta prædicta. Dux fecit illis tributa graviora, quam quæ ante solvebant, & tulit in cubiculum Imperatoris Deo carum, id est, in sacrum ærarium,* ἐκόμισεν ἐν τῷ θεοφυλάκτῳ κοιτῶνι. Diaconus lib. 19. *Muhamias Protosymbolus Sarracenorum, qui fuit Prætor annis 20. pollicitus est Imperatori se annalia pacta laturum tria millia librarum auri, id est, 365. milla numismatum auri.* B

## CAP. LXXIX.

### *De Allelengyo & Chartiatico.*

Allelengyon e vectigalibus est. FUit & quoddam genus tributi, quo divites pro tenuibus spondebant, cun militarent, *Allelengyon* dictum. Zonar. pag. 100. tom. 3. Στρατεύεσθαι τοὺς ἀπόρους ἐκ τῶν θεμάτων ἐθέσπισε, καὶ παρὰ τῶν ὁμοχώρων ὅπλατε αὐτοῖς χορηγεῖσθαι, καὶ ἀναλώματα καὶ τὰ τῶν ἀπόρων τέλη τοὺς εὐπορoῦντας εἰσπράττεσθαι, ὃ ἀλληλέγγυον ὠνομάσθη. In constitut. Nicephori περὶ στρατείας τῶν ἀπόρων. lib. 1. Juris Orient. & tit. περὶ ἀλληλεγγύου Basilii Porphyrogenetæ, & in Constit. Roman. tit. περὶ προτόδου τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, ad munera belli divites pro tenuibus 18. numismata dare tenentur. Nicephorus tenues e provinciis cogi ad militiam edixit, & vicinos ac municipes eis arma & sumptus præbere, & divites solvere vectigalia pauperum, quod tributum dicitur *Allelengyon*, ὅτι ἄλλοι ὑπὲρ ἄλλων ἐγγυῶσι. *quia alii pro aliis spondent, & solvunt.* D

Chartiaticum quod fit. Chartiaticum autem tributi genus fuit, in quo duos folles pendebant officialibus pro chartis, ut Zonaras: Ἐπόπτας προὐβάλετο, ἐπισκήπτων ἐπαύξειν σφᾶς τὰ δημόσια, ἀπαιτεῖσθαι δὲ καὶ ὑπὲρ χαρτιατικοῦ ἐπὶ τῷ νομίσματι δύο κεράτια. *Exploratores instituit, quibus præcepit, ut reditus publicos augerent, & pro chartiatico in nummum duos folles exigerent.* Vide Cedrenum & Zonaram in Nicephoro. Officialib. & ministris Magistratuum chartas præbitas docet Frontin. lib. 2. de aquæd. In jure Orientali Nicephorus jussit ἐποπτεύεσθαι πάντας, καὶ ἀναβιβάζεσθαι τὰ τύπον δημόσια τέλη, Cedrenus. vide Novel. 96. Παρέχοντας καὶ χαρτιατικοῦ ἕνεκα ἀνὰ κεράτια δύο, καὶ πάντας τὰ καπνικὰ ἀπαιτεῖσθαι. *In omnes inquiri, & augeri publica vectigalia, ut pendant, etiam chartiatici nomine duos folles, & ab omnibus vectigal fumi exigi.* Zonar. ἀπαιτεῖσθαι δὲ καὶ ὑπὲρ χαρτιατικοῦ ἐπὶ τῷ νομίσματι δύο κεράτια. E

## CAP. LXXX.

### *De Mesarno.*

Mesarnum in tributis numeratur. MEsarnum tributum dimidiatæ ovis fuit, cujus fit mentio in Novel. Isaaci Comneni, ἀπὸ δὲ τοῦ ἔχοντος εἴκοσι καπνοὺς τὸ δίμοιρον νομίσματος, καὶ ἀντὶ τῶν δύο ἀργύρων ἀργυροῦν μέσαρνον ἓν καὶ κριθῆς μόδια τέσσαρα. *Ab eo qui habeat fumaria viginti dimidiatum nummum, & pro duobus argenteis unum argenteum, dimidiatam ovem & hordei 4. modios.*

## CAP. LXXXI.

### *De Pescesio.*

Pescesium. PEscesium tributum fuit, quod Turcorum Sultano Constantinopolitani Patriarchæ pro sacerdotio ineundo pendunt, ut scribit Zygomalas in Turcogræcia, quod ad tria millia florenorum excrevit. In Chronico Constantinopolit διὰς πεσκέσιον φλωρία χιλιάδας δύο. Malaxas in hist. Patriarch. *Amurates qui urbem ceperat, immunitatem episcopis ab omni vectigali dederat.* lib. 3. c. 19.

## CAP. LXXXII.

### *De Metretico.*

Metreticon. DE Metretico supra attigimus. Balsamon ad Concil. 7. Canon. 12. Οὐκ ἐξέσται πράκτορι ἢ ἀναγραφεῖ, οἱῳδήτινι, ἢ καπνικόν, ἢ μετρητίκιον, ἢ ἕτερόν τι ἀναγραφικόν, ἢ πρακτορικὸν φορολόγημα ἀπὸ τῶν ὑποκειμένων ταῖς δηλωθείσαις μοναῖς ἀκινήτων ἀναλαμβάνεσθαι. *Non licebit exactori, aut tabulario, seu scribæ cuicunque aut fumarium, aut mensuraticum, aut aliquod alind tributum quod describitur aut exigitur, exigere ex bonis immobilibus monasteriorum.*

## CAP. LXXXIII.

### *De Ergasteriaco, Capeliatico, & Metaxiatico.*

Ergasteriacon. FUit & Ergasteriacon tributum, quod pro officiis suis solvebant officinatores, in diplomate Andronici junioris. Ibidem καπηλιατικόν, *capeliaticum* tributum caupones pro caupona sua solvebant. Metaxiaticum tributum impositum metaxæ & serico. Suidas: Σηρικὴ ἡ μέταξα ἐστί, ἐξ ἧς ἱμάτια τὴν ἐσθῆτα ἐργάζεσθαι. ἣν πάλαι μὲν οἱ Ἕλληνες Μηδικὴν ἐκάλουν, τὸ δὲ νῦν σηρικὴν ὀνομάζουσι. *Serica est metaxa, ex qua solebant vestem texere, quam Græci Medicam dixere, hodie Sericam dicunt.* Hesychius: Σῆρες ζῶα νήθοντα τὴν μέταξαν, *Seres animalia nentia metaxam.* Eam Procopius ait duos sacerdotes ex Indis attulisse, unde *Metaxarius* in Basilic. eclog. 25. Capeliaticon. Metaxiaticon. Metaxarius. F

## CAP. LXXXIV.

### *De Alemannico.*

Alemannicum vectigal. ALexius Comnenus, cum Alemanni irent in expeditionem Hierosolymit. Alemannicum tributum imposuit, ut scribit

Nicetas lib. 1. Alexii. Τὸ καλούμενον εἰσπράττον Ἀλεμαννικὸν τότε καινισθὲν πρώτως ἐφορολόγει. *Exigebat Alemannicum tributum, quod tunc primum repertum erat.*

## CAP. LXXXV.

### *De Charatzio.*

Charatzium.

CHaratzium genus tributi fuit. Hierem. patriarcha in epist. Καὶ ἀδικεῖ καὶ τὴν ἡμετέραν μετριότητα χρεωστῶν ἤδη χαράτζια τρία, καὶ προσέτι καὶ φλωρία ἑκατὸν ἕτερα. *Injurius est in nostram mediocritatem, cum debeat jam Charatzia tria, & præterea florenos centum.* Videtur Charatzium fuisse nummi genus, ut Miliarisium.

## CAP. LXXXVI.

### *De Campanistico, & aliis recentioribus vectigalibus.*

Campanisticum & alia nova tributa. Mensiticum.

IN Constitutione Manuel. Comneni: καθελκόμενοι εἰς ἀπαιτήσεις καμπανιστικοῦ, &c. Campanisticum est, quod libripendi publico solvebatur. καμπανὸς enim statera. Mesiticum fuit æs, quod pro loco in foro mercibus vendendis solvebatur. *Mese* dicitur forum in Glossis: ἀγορὰ ἡ μέση, quia forum in *medio* urbium. Zygasticum fuit pro rebus ponderandis. ζυγὸς, *libra, lanx.* Metriaticum item solvebatur pro metiendo, seu μετρητίκιον φορολόγημα εἰς κέρδος τοῖς ἀπογραφεῦσιν ἐπινοούμενον, *tributum quod scribæ in suum lucrum invenerunt.* ibidem χρειῶν δόσιν, *necessitatum præstationem* inter εἰσπράξεις, *exactiones* numerat. Gomeriaticum pro sarcinis lanarum solutum. *Gomeria* enim sarcinæ lanarum. Bigliaticum, æs quod excubitores seu biglæ accipiebant. *Bigla* vigilia. Pechyaticum a cubito mensuræ genere dictum, πῆχυς, *cubitus.* Διαβατικὸν tributum, quod mercatores pro transitu mercium pendunt. Poriaticum pro mercibus ibi solvebatur, ubi evehebantur. Obsonium pro stipendio ponitur. Dositheus lib. 3. Ἐὰν καλὸς στρατιώτης ἔσῃ, τρίτῳ ὀψωνίῳ δυνήσῃ εἰς τὸ πραιτώριον μεταβῆναι. *Si bonus miles eris, tertio stipendio poteris in prætorium transire.* Scaliaticum portorium, quod pro statione navium solutum. Moschopulus: ὅρμος τὸ μέρος λιμένος εἰς ὃ ἑλκόμεναι αἱ νῆες δέδενται, ὃ οἱ κοινοὶ σκάλαν λέγουσι. *Ormus pars portus in qua naves tractæ ligantur. vulgo* scalas *vocant.* Antinaulum tributum a nautis exigitur. Nicet. lib. 2. Alex. Comn. διὰ τὸ ἐπιτεθὲν παρ᾽ αὐτοῦ κεφάλαιον εἰς τοὺς ναύτας τὸ νῦν λεγόμενον ἀντίναυλον. Moschop. τελῶναι οἱ τὰ τοῦ ἀντιναύλου διενεργοῦντες, *qui vectigalia e mari & antinaulo exigunt.*

Zygasticum. Metriaticum. Gomeriaticum. Bigliaticum. Pechyaticum. Poriaticum. Scaliaticum. Antinaulum.

## CAP. LXXXVIII.

### *De Tributo ex vicis.*

Tributum ex vicis.

ISacius Comnenus statuit Canonem, seu canonicum tributum pro vico habente 30. caminos seu fumos, καπνοὺς, aureum unum, argenteos duos, arietem unum, hordei modios sex, vini mensuras sex, farinæ modios sex, gallinas 30. lib. 1. Juris orient. in constitut. Niceph. περὶ στρατείας τῶν ἀπόρων.

## CAP. LXXXVIII.

### *De* τετραμοιρίᾳ, *Xylachyro.*

Τετραμοιρία. & Xylachyrum.

IN diplomate Andronici Junioris multa sunt genera tributorum nobis ignota. Εὐεργετεῖ ἡ βασιλεία μου τοὺς Μονεμβασιώτας, ἵνα ἀφ᾽ αἷς ἂν ποιῶσι πραγματείαις διδῶσιν εἰς τὸ κομέρκιον τῆς θεοδοξάστου Κωνσταντίνου πόλεως ὑπὲρ ἐκβολῆς ποσότητος νουμισμάτων ἑκατὸν νούμισμα ἓν, καὶ ὑπὲρ ἐκβολῆς ἀγορᾶς ἑτέρας πραγματείας ποσότητος νουμισμάτων ἑκατὸν νούμισμα ἕν· εἴτε δηλονότι διὰ σίτου ἐν τῷ φοροφορίῳ, καὶ ἀλλαχοῦ, εἴτε διὰ οἴνου ἐὰν ἐξ οἵας δήποτε χώρας διακομίσωσι τούτοις, ἢ διὰ προσφαγίων πακτῶν, ἢ γομαρειῶν, ἢ πετζίων, ἢ πανίου, ἢ λινοκόκκου, ἢ τζοχαρικῆς, ἢ τετραπόδων, &c. μὴ καθελκόμενος εἰς ἀπαιτήσεις καμπανιστικοῦ, &c. δεκατίας, ἁλιευτικῆς τετραμοιρίας, ξυλαχύρου ὀρεινῆς τῆς ἐνιάδος, ὡς τὰς εἰς αὐτοὺς περὶ αὐτὴν ἁπάσας σκάλας. *Majestas mea hoc beneficium tribuit Monembasiotis, ut e negotiationibus, quas facient, dent in commercium divinitus honoratæ Constantinopoleos pro expositis centum numismatis unum numisma, & pro alia negotiatione quæ centum sit nummorum unum nummum, sive per frumentum in platea publica, vel foro, vel alibi, sive ex vino quacunque tandem e regione advehatur, aut ex pactis prosphagiis, id est, eduliis & pulmentariis, aut gomariis, seu sarcinis lanarum, aut centonibus, aut pano, au linococco, aut tzocharica, aut quadrupedum negotiatione non distracti in petitiones campanistici, decimarum aut quartæ partis piscationis, aut Xylachyri, quod e ligno & palea conflatum est, Eniadis montosæ (* ὀρεινῆς *forte) & scalarum omnium ad eam.* Ibidem reperies καστροκτισίαν, tributum ad ædificationem castrorum; κατεργοκτισίαν, tributum ad triremes; κάτεργον enim triremis. μαγειρία vectigal macelli, antinaulum seu census nautis impositus.

Exoprasia unde dicta.

Exoprasia tributum fuit pro iis rebus, quæ exportarentur, & foris venderentur, ab ἔξω, *extra,* & πράττειν, *vendere.* Cosmiaticum quid sit, amplius quærendum est, nisi si forte tributum est pro *mundo muliebri.* Capeliaticum tributum a cauponibus exigitur, κεφάλαιον σιταρίου capitatio ob frumentum tributi genus est.

## CAP. LXXXIX.

### *De Ansario.*

Ansarium.

ANsarium vectigal fuit promercalium. V. Inscriptio: *Vectigal Ansarium promercalium.* Alia Vet. Inscriptio: *Si quid usuarium invehitur, Ansarium non debet.*

## CAP. XC.

### *De Servis Vectigalibus.*

Servi vectigales.

LAmpridius in Alexandro: *Aniaria instituerat pavonum, fasianorum, gallinaceorum, anatum, perdicum etiam, hisque*

*vehementer oblectabatur, maxime palumborum, & ne eorum pastus gravaret annonam, servos habuit vectigales, qui eos ex ovis, ac pullicenis, & pipionibus alerent. Servos vectigales* vocat, qui hoc privatum quoddam vectigal domus regiæ exercebant, vendebantque ova, pullicenos & pipiones, ut ex pecunia, quam reficiebant, aves alerent.

## CAP. XCI.

### *De Tributo Isaurico.*

Tributum Isauricum.

TRibutum Isauricum, aurum erat annuum quod pendebatur barbaris ad quinque millia pondo. Evagrius lib. 3. cap. 35. Καὶ τὰ καλȣ́μενα πρώην Ισαυρικὰ τοῖς βασιλείοις συνήχθη θησαυροῖς. ἦν δὲ ἄρα τȣ͂το χρυσίον εἰς ἕκαστον ἔτος τοῖς βαρβάροις χορηγȣ́μενον πεντακισχιλίας ἕλκον λίτρας. *Et quæ nuper dicebantur Isaurica, regiis thesauris illata sunt. Id autem erat aurum annuum, quod dabatur barbaris ad quinque millia pondo.*

## CAP. XCII.

### *De iis qui constituendi Vectigalia, aut locandi jus habuere.*

De constitutione aut locatione vectigalium.

REges jus constituendi novi vectigalis habuere, auctore Livio lib. 1. Item censores apud eundem lib. 4. Censura tanto incremento aucta est, ut vectigalia Pop. Rom. locare censores possent, non ut nova instituerent sine Senatus & Pop. Romani auctoritate, apud quem summum imperium fuit, teste Polybio lib. 6. Liv. lib. 40. de M. Æmilio Lepido & M. Fulvio Nobiliori censoribus agens, *Censorib.* inquit, *postulantibus, ut pecuniæ summa sibi, qua in opera publica uterentur, attribueretur, vectigal annuum decretum est.* de iisdem tamen paulo post ait: *Portoria quoque & vectigalia iidem multa instituerunt.* Idem lib. 29. *Livius Salinator vectigal novum ex annona salaria instituit. Ea censores locabant Publicanis.* Liv. lib. 32. *Africanus & Pætus censores Portoria venalium Capuæ Puteolisque, item castrorum portorium fruendum locavere.* lib. 39. *Vectigalia summis pretiis, ultro tributa infimis locaverunt. Quas locationes cum senatus precibus & lachrymis publicanorum victus induci, & de integro locari jussisset, censores, edicto submotis ab hasta qui ludificati priorem locationem erant, omnia eadem paulum imminutis pretiis locaverunt.* Cæterum vectigal a proscribere, nisi Romæ, & accito populo, ejusque placito & assensu, ac publico præcone adhibito, & nisi Kal. Martiis quibus vectigal locabantur, Censori nefas fuit, ut Cic. 1. Agraria. Kal. Martiis pensiones rerum locatarum inferri solebant. Macrob. lib. 2. Saturn mense Martio vectigalia locari solita, idibus quoque Juniis. Legendus Solinus cap. 16 sub Imperatoribus vectigalia non lege & ratione, sed arbitratu Imperatorum processerunt. Caligula, Nero, Vespasianus, Nicephorus Constantinop. & alii plerique nova instituerunt. Hodie vectigalia sine Principis auctoritate indici nequeunt. l. 1. & 2. Cod. vectigalia nova institui non posse.

## CAP. XCIII.

### *De Judicibus Vectigalium ac Tributorum.*

Judices Vectigalium ac Tributorum.

LIbera Republ. Romæ Proconsules ac Prætores in Provinciis suis potestatem & imperium habuere. Potestas fuit facultas cognoscendi imperium, exercitus imperandi, bellique gerendi. Cognoscebant autem de omnibus gravioris rei negotiis, de re frumentaria, tributaria, vectigali, quæ omnia per edicta sua administrabant. l. 7. D. de offic. Proconf. Interdum nova vectigalia instituebant, si res exposceret, interdum vetera tollebant, in quo Cicero gloriatur epistolis ad Atticum. Ad eos querelæ Provincialium de Publicanis, Publicanorum de Provincialibus referebantur. Interdum Senatus appellabatur. Quanquam enim a Censoribus tributa constituebantur, & Publicanis locabantur, qui ea exigerent, & ad Quæstorem deferrent; si quæ tamen provinciæ vectigalium onere oppressæ essent, cognitio Senatus fuit, qui Provinciales aut Publicanos caussa cognita relevabat, auctore Polyb. lib. 6. *Senatus*, inquit, *de omnibus rebus arbitratu suo statuere potest. Etenim dare tempus ad onera præstanda & si gravis annus fuerit, Provinciales levare solet, aut ipsos etiam Publicanos, si vectigalia exigere non potuerint.* Imperatores deinde sibi auctoritatem senatus in ea re vindicarunt: nam & Constantinus magnus apud Eusebium quartam vectigalium parte Provinciales levavit, Trajanus reliqua remisit, Gratianus indulgentias dedit, ut scribit Ausonius in Panegyr. Certe olim decurionum decem primarii (δεκαπρώτȣς vocant) in provinciis Tributi modum in capita & agros definiebant, & exigebant pro ea forma quæ ab Imperatore & Præfecto Prætorio ad Rectores provinciarum missa esset, & quod deerat, de suo sarcire cogebantur, ob quæ onera ipsis ruri habitare non licebat. l. unic. Cod. Si curialis relicta civitate ruri habitare maluerit. Id autem imprimis operam dabant, ne tenuiores opprimerentur l. 1. l 3. §. *decaprotos.* l. final. §. *mixta.* de D. de munerib. & honorib. l. *Nec Protostasiæ.* Cod. de munerib. patrim. Hæc autem forma in exigendis vectigalibus servabatur, quam Justinianus præscribit Novel. 128. Significabat Princeps Præfectis prætorio, quanta sibi sequenti anno pecunia opus esset. Ut enim Suidas docet in verbo ἔπαρχος, Præfectis prætorio summa vectigalium cura & cognitio demandata fuit. Illi facta divisione inter populos mense Julio vel Augusto, scribebant apud acta, quantum quæque provincia, vel civitas pro indicto a Principe tributo sequente anno solvere teneretur, quæ adærandæ species, quid in arcam largitionum inferendum, quantum in milites esset insumendum. Hæc descriptio initio cujusque indictionis, id est, mense Septembri ad Præsides, Vicarios, Duces, Procuratores, Proconsules, Correctores, & ceteros Provinciarum præfectos mittebatur, qui vectigalia exigenda curarent. l. ult. Cod. de Canone largitional. tit. Leo & Athemius AA. ad Heliodorum Comitem sacrarum largitionum in hæc verba rescribunt: *Præcipimus, ut si forte delegatio, quæ ab amplissima præfectura in diversas provincias ex more quotannis emittitur, minus contineat omnes largitionales titulos, aut*

*quomodo exactio eorum debet procedere, nihilominus competentem exactionem eorum a viris spectabilibus tam Proconsulibus, quam Vicariis, & viro spectabili comite Orientis, & Præfecto Augustali, nec non & Rectoribus provinciarum, eorumque officiis, & curialibus procurari jubeas, vicenarum librarum auri condemnationem præ oculis habentibus, si quid minus exactum, vel illatum fuerit sacro ærario, quam prisca & inveterata consuetudo sacris largitionibus inferri constituit.* Si provincia vel civitas relevationem peteret annalis indictionis, vel inspectorem aut peræquatorem, referebatur petitio ad Præfectos Prætorio, a quibus tamen nulla forma dabatur, priusquam præfecti de eo qui juratus petitionem retulisset, quæsissent quod vellent, & omnia quæ ab eo didicerant Principem edocuissent. Tum enim voluntate Principis a Præfectis Prætorio sacra proferebatur forma omnibus modis observanda. l. ult. Cod. de annonis & tributis. Rescriptum Imperatoris, quo tributi modum in annum sequentem definiebat, dicebatur delegatio, quam a Præfectis Prætorio acceptam rectores provinciarum in singulis civitatibus legendam publice proponebant. Ipsi vero omne damnum fisci, si quid minus solutum fuisset, ex suo farciebant. Exigebant autem a Provincialibus tributum vestem militarem, & indictum. l. ult. Cod. si propter public. pensitat. Imperator Constantinus Aug. Faustino Præsidi Bæticæ rescripsit, in hæc verba: *Si quis fundum, vel mancipium, aliamve rem ob cessationem tributorum, vel etiam ob vestium, auri argentique debitum, quæ annua exactione solvuntur occupata, convento debitore, & apud Judicem interpellatione celebrata, cum solutio cessaverit, sub hasta distracta comparaverit, perpetuam emptionis accipiat firmitatem.* Non autem tantum Præfecti Prætorio, verum & Comes sacrarum largitionum modum tributorum ab Imperatore definitum, quæ exigi per provincias oporteret, præsidibus significabat. Quare & Hieronymus in cap. 23. Ezechielis, Comitem sacrarum largitionum *Canonicarii tituli præfectum* vocat. Is ex suo officio Palatinos, qui *mittendarii* vocabantur, in singulas provincias destinabat, qui præsides ad exigenda mature tributa, & fiscalem pecuniam repræsentandam compellerent, debitumque ad largitionum arcam canonem mitterent, l. 8. Cod. de Palatin. sacrar. largit. Imperat. Arcadius & Honorius AA. ad Limenium Comitem l. 1. Cod. de offic. Comit. sacrar. largit. in hæc verba rescripsere: *Palatinis hæc cura debet esse præcipua, ut periculo proprio notariis destinatis, super negligentia judicum, (si ita res exegerit) conquerantur, ne eorum sit impunita desidia. Judices quoque de eorum nominibus referre convenit, quos commodis propriis magis, quam utilitatibus publicis studere providerint: Breves etiam quadrimenstruos ad officium palatinum noverint dirigendos, aurumque exactum ad sacras largitiones sine ulla dilatione esse mittendum.* Ubi admonebo auri mentionem fieri, quia in auro vectigal pendebatur. Ideo cum Heliogabalus decimam pretii mercium in auro exegisset, Alexander Severus ad tricesimam redegit, ut non multo plus tribus pro centum penderetur. Lampridius in Alexandro: *Vectigalia publica in ia contraxit, ut qui decem aureos sub Heliogabalo præstiterant, tertiam*

A *partem auri præstarent, hoc est, tricesimam partem. Tuncque primum semisses aureorum formati sunt: tum etiam cum ad tertiam partem auri vectigal decidisset, tremisses, dicente Alexandro, etiam quartarios futuros quod minus non posset.* Cum igitur tricesima solveretur, pendebantur tres pro centum, & tertia pars aurei, quo tremisses pertinebant, sicuti cum pro quibusdam mercibus quinquagesima penderetur, semissibus aureis opus fuit, qui dimidiato aureo æstimabantur, eadem l. 1. Cod. de offic. Comit. sacrar. largit. Judices vocantur Proconsules, Præsides, ac B Rectores provinciarum, qui controversias super vectigalibus, ac tributis decidebant, cum ipsi vectigalibus exigendis præessent. Ideo in insignibus Proconsulum & aliorum qui provincias regerent, ut plurimum erant mulieres, quæ vasa aureis plena manibus gererent, ut exactionem tributorum eis mandatam esse significaretur. Quod ex auctore Notitiæ Imperii Romani cognosces. A Proconsulibus & Præsidibus, Præfectus Prætorio poterat appellari, qui tamen inconsulto Principe provinciales relevare non poterat, ut su- C pra ostendimus. Omnia autem vectigalia, salinas, annonas, ac classes ad species transvehendas sub dispositione Præfecti Prætorio fuisse, & Comitis sacrarum largitionum, docetur Cod. de vectigal. & commis. l. 8. 9. 10. & sequentibus. & l. 1. Cod. de Classicis. Cassiodorus in præfation. variarum. Justinianus Prætorum auctoritatem, quæ temporum injuria prostrata erat, erexit. Novel. 24. Dedit enim Prætoribus potestatem civilem & militarem, ut Prætor impediret πράκτορας μὴ ταύτας τὰς ἐξ ἔθους πονηροῦ γενομένας προστάξεις παραλαμβάνειν, ὅσαι περὶ τειχοποιίας καὶ ὁδο- D στρωσίας, καὶ ἄλλης μυρίας αἰτίας προίασιν ἐκ τῶν θρόνων τοῦ ἐπάρχου. id est, *ut prohiberet exactores tributorum suscipere, & exequi mandata illa quæ malo more a sede Præfecti Prætorio exeunt de muris reficiendis, de viis sternendis & aliis oneribus infinitis.* Et Novel. 25. Η τῶν δημοσίων εἴσπραξις, τῷ πραιτῶρι ἐπικείσεται, καὶ τοῖς πειθομένοις αὐτῷ πραιτωριανοῖς ταξεώταις. *Prætori incumbet, ut publica vectigalia exigenda curet, & prætorianis officialibus qui Prætori parent.*

In Provinciis & Diœcesibus plerumque alii fuere qui rei militari, alii qui vectigalibus præessent. Moderator Arabiæ civilibus tan- E tum rebus & vectigalibus præerat, Dux exercitui. Novel. 12. fuit enim in Arabia φύλαρχος, καὶ δοὺξ, καὶ θεῖον πατριμώνιον, καὶ θεῖα πριβάτα, καὶ θεῖος οἶκος, *fœderatorum comes, & dux, & divina privata, & divina domus*, quæ omnia sub moderatore Arabiæ fuere. Ita & Novel. 8. *Comes Orientis cum officio suo curat exactiones vectigalium publicorum, & civilem ac publicum statum*, τὸν κόμητα τῆς ἑώας ἅμα καὶ τῇ πειθομένῃ αὐτῷ τάξει κινδυνεύειν ὑπέρ τε τῆς δημοσίων εἰσπράξεως, ὑπέρ τε τῆς πολιτικῆς καὶ δημοσίας καταστά- F σεως. Tiberius occidit Capitonem Asiæ procuratorem, quod rem militarem attigerat. οὐ γὰρ ἐξῆν ποτε τοῖς τὰ αὐτοκρατορικὰ χρήματα διοικοῦσι πλέον οὐδὲν ποιεῖν ἢ τὰς νενομισμένας προσόδους ἐκλέγειν, ait Dio lib. 56. *non licuit iis qui pecunias Imperatoris procurabant, aliud efficere, quam reditus solitos exigere.*

## CAP. XCIV.

### *De opibus ærarii Rom.*

Opes ærarii in auro & argento numerat Plin. lib. 33. cap. 3. Sed toto illo capite numeri adeo incerti sunt, ut ratio sæpe non constet. Verba ejus sic habent; *Intulit & Æmilius Paulus Perseo Macedonico Rege devicto prædam pondo trium millium*. Si pondo fuere coronatorum, ad trecenta millia coronatorum ea summa excrescet. Budæus legendum censet, *Perseo Rege victo e Macedonica præda H. S. bis millies*, id est, quinque milliones. Plutar. in Paulo Æmil. Μετὰ δὲ τὰς ὁπλοφόρους ἁμάξας, ἄνδρες ἐπεπορεύοντο τρισχίλιοι, νόμισμα φέροντες ἀργυροῦν. ἐν ἀγγείοις ἑπτακοσίοις πεντήκοντα τριταλαντιαίοις, ὧν ἕκαστον ἀνὰ τέσσαρες ἐκόμιζον. *Post currus armis onustos ter mille homines incedebant ferentes argenteos nummos in vasis septingentis quinquaginta trium pondo. Singula gestabantur a quatuor viris valentibus.* Id argenteum millionem unum cum dimidiato reficit. Εἶτα μετὰ τούτους οἱ τὸ χρυσοῦν νόμισμα φέροντες εἰς ἀγγεῖα τριταλαντιαῖα μεμερισμένον ὁμοίως τῷ ἀργυρίῳ. τὸ δὲ πλῆθος ἦν τῶν ἀγγείων ὀγδοήκοντα τριῶν δέοντα. *Hos sequebantur alii nummos aureos ferentes in vasis aureis ejusdem ponderis cum argenteis vasa erant septuaginta septem*. Id aurum millionem unum cum dimidiato reficit. Liv. lib. 45. eadem de re summam omnis auri argentique translati, H. S. millies ducenties fuisse Valerius Antias tradit, unde tres milliones exsurgunt. Plin. lib. 33. cap. 3. *Auri in ærario pop. Rom. fuere S. Julio & L. Aurelio Coss. septem annis ante bellum Punicum tertium, pondo 726. argenti 92. millia, & extra numerum 375. millia*. Singula pondo IV. unciis constant, & 100. aureos reficiunt, si aurea sunt; si argentea, decem aureos coronatos. Vix utraque summa consurget ad auri millionem. Quare Budæus legit, *Auri pondo 700. millia 26. argenti 92. millia, & in numerato trecenties septuagies quinquies*. Utraque summa ad 71. milliones assurgit, quot pecuniæ non fuere in ærario sub Jul. Cæsare, cum respub. locupletissima fuit, ut jam apparebit, nisi forte a Pompejo jussu Senatus ad belli sumptus ærarium plus justa parte erat imminutum. *L. Scipio victo Antiocho bis millies in ærarium intulit*, ut Plin. lib. 38. tradit, id est, quinque milliones. lib. 33. cap. 3. *S. Julio, G. Martio Coss. octingenta 46. auri pondo fuere in ærario*, id est, 84. millia coronatorum, & præterea sexcenti aurei. Si legeris 86. *millia auri pondo*, refeceris 8. milliones. Cajus Cæsar primo introitu Urbis in civili bello ex ærario protulit laterum aureorum 26. millia, & in numerato 300. millia, nec fuit aliis temporibus respublica locupletior. ea summa 26. millionum est. Orosius, quatuor millia, & 135. auri pondo, & 900. argenti ex ærario sumpta ait, ex quibus ægre dimidiatus millio refici potest. Unde apparet numerum falsum falso ascriptum. Appianus lib. 2. Civilium auctor est, J. Cæsarem confectis bellis, quinque triumphis, sexaginta quinque millia talentorum ferculis præferenda curasse, e quibus 39. milliones auri assurgunt; & præterea bis mille, & octingentas 22. coronas, quæ duo millia auri pondo penderent, e quibus duo milliones existunt. Tiberius reliquit vicies septies millies H. S. id est, 66. milliones, & quinquaginta millia, ut Sueton. in Calig. cap. 37. Dio numerum auget, & tricies ac ter millies H. S. ponit, id est, 80. & unum milliones. ὀκτὼ μυρίας μυριάδων, καὶ δισχιλίας καὶ πεντακοσίας τεθησαυρισμένας.

## CAP. XCV.

### *De Summa Vectigalium & Tributorum.*

Apud Imperatores rationarium seu breviarium Imperii asservatum est, quo totius Imperii Rom. vectigalia, tributa, stipendia descripta essent, cujus meminit Sueton. lib. 2. & lib. 4. *Rationes imperii ab Augusto proponi solitas, sed a Tiberio intermissas publicavit*. Tacitus tamen lib. 1. *Prolatum a Tiberio libellum, quo opes publicæ continebantur*, ait, &c. Imo & agrorum omnium divisiones, & formæ apud Imperatorem erant, teste Aggeno. *In formis*, inquit, *& centuriationib. agrorum, si quis contradicat, sanctuarium Cæsaris respici solet. Omnium enim agrorum formas, & divisionem commentarius, & principatus in sanctuario habet*. Ante ætatem Pompeii Magni, quinquies mille myriades drachmarum Atticarum reficiebantur, id est, sex aurei milliones. ex iis autem quæ Pompejus Reip. acquisierat, octies mille myriades quingentæ, id est, decem auri, plus minus milliones, Plutarch. πεντακισχίλιαι μυριάδες ἐκ τῶν τελῶν ὑπῆρχον, ἐκ δὲ ὧν αὐτὸς προσεκτήσατο τῇ πόλει, μυριάδας ὀκτακισχιλίας πεντακοσίας λαμβάνουσι. Alii hunc locum ita interpretantur. Antea quidem vectigalia rediisse ad bis millies H. S. ex iis autem quæ ipse acquisisset, redire ad ter millies quadringenties. Id est, antea quinque milliones erant, Pompejus refecit octo milliones cum semisse. Ut illi volunt, omnino locus ille Plutarchi de Vectigalibus ex Asia tantum, non autem e cæteris provinciis accipiendus est, cum sola Ægyptus apud Strabonem lib. 17. septem auri milliones Romanis pependerit. Seneca centies H. S. tributum provinciarum esse ait. id est, ducenta & 50. millia coronatorum. Sed de minoribus provinciis id accipiendum. Julius enim Cæsar, auctore Eutropio lib. 6. tributi nomine annuum imperavit H. S. quadringenties Galliis, id est, unum auri millionem. Suet. in Julio cap. 24. eundem numerum ponit, quem vir eruditus parum commode mutare conatus est. Senecæ verba sic habent: *C. Caligula centies H. S. absumpsit, ut provinciarum tributum una cœna fieret*. verba Strabonis: Τῆς Αἰγύπτου δὲ τὰς προσόδους ἔν τινι λόγῳ Κικέρων φράζει, φήσας, κατ' ἐνιαυτὸν τῷ τῆς Κλεοπάτρας πατρὶ τῷ Αὐλητῇ προσφέρεσθαι φόρον ταλάντων μυρίων καὶ δισχιλίων πεντακοσίων, Ὅπου οὖν ὁ κάκιστα καὶ ῥαθυμότατα τὴν βασιλείαν διοικῶν τοσαῦτα προσωδεύετο, τί χρὴ νομίσαι τὰ νῦν διὰ τοσαύτης ἐπιμελείας οἰκονομούμενα, καὶ τῶν Ἰνδικῶν ἐμποριῶν, καὶ τῶν Τρωγλοδυτικῶν ἐπηυξημένων ἐπὶ τοσοῦτον. *Cicero quadam oratione reditus Ægypti commemorat, talentorum 12. millia quingenta in annum, Ptolomæum Auleten, patrem Cleopatræ refecisse. Cum igitur Auletes in administrando regno vir negligentissimus tot reditus in annum refecerit, quid debemus sentire de regno, quod tanta cura regi-*

Summa Vectigalium ac tributorum.

*tur a Romanis, cum negotiatio Indica & Troglodytica reditus in tantum auxerit?* Asia quidem ætate Syllæ 4. millia talentum annui tributi exsolvit. Nam quod ait Appianus Syllam imperasse Asiaticis, *ut 4. annorum tributa statim Romanis inferrent*, Plutarchus tradit *Syllam mulctasse universam Asiam* 20. *millibus talentorum*, qui 12. milliones auri reficiunt. Ἐπιγράψαι Ῥωμαίοις πέντε ἐτῶν φόρους εἰσενέγκειν αὐτίκα, Appianus. Plutarchus: Σύλλας δὲ κοινῇ μὲν ἐζημίωσε τὴν Ἀσίαν δισμυρίοις ταλάντοις. Certe ætate M. Antonii triumviri Asia pependit annui tributi viginti millia talenta, id est 12. auri milliones, quod ita probari potest ex Appiano, apud quem Antonius ostendit Asiaticos Bruto & Cassio 10. annorum tributa persolvisse. Tantundem exegit ab eis Antonius, quod uno tamen anno penderetur. Plutarchus Antonium 20. myriadas talentorum imperasse Asiaticis prodit, id est, 200. millia talentum, quæ reficiunt 120. milliones. Appianus, ἃ γὰρ ἔδοτε τοῖς ἡμετέροις ἐχθροῖς ἐν ἔτεσι δύο, ἔδοτε δὲ φόρους ὡς δέκα ἐτῶν, *quæ enim dedisti duobus annis nostris hostibus, ea sunt tributa decem annorum*. Plutarchus: Antonio μυριάδας εἴκοσι ταλάντων ἡ Ἀσία ἔδωκε, 200. *millia talentum Asia dedit*, id est, 120. *milliones*. Zonaras prodit Basilium Imper. Constantinop. habuisse in thesauris ducenta millia talentum auri, quæ Lipsius esse vult mille, & ducentos milliones. Fugit eum ratio, ut videtur. Ea summa centum & viginti milliones reficit. Nam ut Lipsius ipse rationem ponit cap. 2. lib. 2. de magnitud. Rom. viginti millia talentum reficiunt 12. milliones nostros. Unde sequitur centum millia talentum assurgere ad sexaginta milliones, ducenta millia talentum ad centum viginti milliones. Quid cæteras provincias auri pependisse credibile est. Dio scribit *Augustum Pisoni copias & publicos reditus in libro descriptos dedisse, Agrippæ vero annulum*, τάς τε δυνάμεις καὶ τὰς κοινὰς προσόδους εἰς βιβλίον γράψας ἔδωκε Πείσωνι, τῷ δὲ Ἀγρίππᾳ τὸν δακτύλιον ἐνεχείρισε. Tacitus lib. 1. Annal. de Tiberio, *cum proferri libellum recitarique jussit: opes publicæ continebantur, quantum civium sociorumque, in armis, quot classes, regna, provinciæ, tributa, aut vectigalia, & necessitates, ac largitiones: quæ cuncta sua manu perscripserat Augustus, addideratque consilium coercendi intra terminos imperii*. Suetonius *rationarium imperii*, & *breviarium* in Aug. cap. ultimo vocat: *De tribus voluminibus, uno mandata de funere suo complexus est, altero indicem rerum a se gestarum, quem vellet incidi in æneis tabulis, quæ ante Mausolæum statuerentur, tertio breviarium totius imperii, quantum militum sub signis ubique esset, quantum pecuniæ in ærario & fiscis, & vectigalium residuis*. Seneca epist. 39. breviarium illud *summarium* vocat. Officia & apparitorum ordines ex memoriæ, epistolarum & libellorum scriniis prodibant, l. ult. Cod. de divers. offic. Et est notitia scrinii, memoriæ, probatoriæ, agentium in rebus, Palatinorum sacrarum largitionum, rerum privatarum, partis Augustæ. Item scrinii sacrarum epistolarum, sic in officiis virorum illustrium perfectorum prætoriis, &c. Item scriniis sacrorum libellorum, sic officii virorum (lego *illustrium virorum*) magistrorum militum utriusque (*militiæ* addo) Præfecti Orientis, & Illyrici, &c. Vectigalia, & tributa, fiscique rationes, & largitiones quas fieri oportuit quæ in Augusti breviario continebantur, in scriniis canonum & tabulariorum sub comitibus largitionum, & rerum privatarum erant. Fuit & commentarius Principis, in quo magistratus designati scripti, l. 32. D. ex quibus majores. *Abesse Reip. causa intelligitur & is, qui ab Urbe profectus est, licet nondum provincia excesserit: sed & is qui excessit, donec in Urbem revertatur. & hoc etiam ad Proconsules, Legatosque eorum, & ad eos qui provinciis præsunt, &c. & eos qui ad ærarium delati, aut in commentarium Principis relati sunt*. Pub. Vict. *provinciarum memoriam* in Antoniana bibliotheca in nona regione urbis conservatam fuisse scribit. Hic liber postea *laterculus* dictus, qui minor & major fuit. Notitia consuetudinum 4. *scrinia laterculi sacri* ponit. κατὰ τῶν τεσσάρων σκρινίων τοῦ θείου λατερκούλου. Justinianus Novell. 24. ἀποτεθῆναι κατὰ τὸ θεῖον ἡμῶν λατέρκουλον τοιαῦτα θεῖα μανδάτα διεκελευσάμεθα, id est, *deponi ejusmodi mandata divina jussimus apud sacrum nostrum laterculum*. Ibidem *laterculenses* vocat λατερκουλησίους. A forma πλινθίου quadrata, *laterculus* dictus, ut pugillares a forma litteræ Δ, δελτοὶ, & δικτυωτὰ βιβλία. *laterculum* οἰκειακὸν vocant, quia in eo latent domestica & arcana. Novell. 8. quatuor laterculi, Cedrenus pag. 140. Ἡ παρ' Ἕλλησιν ὀπτὴ πλίνθος λατέρκουλον. ἦν δὲ πλίνθος δημοσία, ἐφ' ἧς τά τε τῆς βουλῆς, καὶ τὰ τῶν στρατευμάτων ὀνόματα ἀπεγράφετο, καὶ ἐγράφετο ἐπὶ τείχους, &c. *Plinthum Græci vocant laterem coctum. Erat autem Plinthus quædam publica, in qua Senatorum ac legionum nomina inscribebantur: quadrata figura in muro Plinthus erat*. quidam *titulum* appellant, cum titulus non sit quadrangula figura, sed dignitatum præscriptio. A Romanis crassum & latum lignum *matrix* dicitur. Antiqui enim in ligno, corticibus, ac tabulis e libro tiliæ confectis scribebant. Sed de laterculo alio loco agimus. Abstineo. Fuit & *tabularium Cæsaris*, de quo Hygenus lib. de limitibus constit. *Subsecivorum omnium librum facere debebimus, ut quando voluerit Imperator, sciat, quot in eum locum homines deduci possint, aut si coloniæ concessa fuerint, concessa coloniæ in ære inscribemus. Data, assignata, concessa, excepta, commutata pro suo reddita veteri possessori*. id est, ut vetus possessor ea veluti sua haberet, &c. *Libros æris & typum totius perticæ linteis descriptum secundum suas terminationes adscriptis finibus* (in editis est *affinibus*) *tabulario Cæsaris inferemus, & si qua beneficio concessa, aut assignata coloniæ fuerint, sive in proximo, sive inter alias civitates in libro beneficiorum adscribemus. Et quicquid aliud ad instrumentum mensorum pertinebit, non solum Colonia, sed & tabularium Cæsaris manu conditoris subscriptum habere debet*. Fuit igitur & *tabularium*, & *beneficiorum liber*. In notitia imperii officium viri spectabilis Castrensis habet *tabularium Dominicum, tabularium Dominæ Augustæ*. Virgil.

—— *& populi tabularia vidit*.

*Tabularium civitatis* l. 1. Cod. de exact. tribut. Vetus Inscriptio: *Tarracone, ob curam tabularii censualis fideliter administratam*. Cicero pro Archia: *Hic tu tabulas desideras Heracliensium publicas, quas Italico bello incenso tabulario scimus periisse omnes*. Vet. Inscriptio: *Tabular. rationis patrimonii Cæsarum.*

Fuit & *tabularium Castrense* in vet. inscript. *a tabulario Castrensi*. Liber beneficiorum pars fuit rationarii imperii instituta ab Augusto. Beneficia dicebantur quæ ex substantia Principis donabantur, quæ a Primiscrinio beneficiorum in officio Comitis Privatorum notantur, l ult. Cod. de quadriennii præscript. *Quia igitur multa scimus tam nosmetipsos quam serenissimam Augustam conjugem nostram variis personis jam donasse, & vendidisse, & per alios titulos adsignasse, &c. & eandem liberalitatem ex nostra substantia sive serenissimæ conjugis nostræ esse confectam, sancimus etiam eos firma jura habere, quod consecuti sunt*, &c. item edicto 5. cap. 1. Justiniani. *Beneficiarii* dicuntur beneficiorum scrinium tractantes, Codic. de episcop. & cler. l. *Beneficiarii, vel officiales rationalis, si interversa ratione fiscali ad ecclesias putaverint transeundum*, l. 7. Cod. Theodos. de cohortalib. Lampridius in Alexandro Severo; *Cogitabat secum & descriptum habebat, cui quid præstitisset*. Idem: *dabat autem hæc in beneficiis, quæ famam ejus non læderent*. l. *scriptura*. C. Theod. de testament. in vet. cons. *Beneficia Principum citra cujusquam injuriam decerni solent*. l. 1. Cod. de collat. *Indulgentiam vero memoratæ descriptionis, & in anteactum & in posterum tempus non solum in revelatis, verum etiam in donatis, adæratis, transalitisque, seu quodlibet aliud nomen novæ descriptionis excogitatum est, volumus observari, nullamque super his unquam reliqua præteriti temporis relaxamus; sed nec in posterum quidquam innovationis, aut oneris adjiciendum esse censemus*. Auctor incertus de limitibus: *qui beneficium nostrum legerit, hoc observet*, &c. Vet. Inscript. *M. Ulpio Aug. lib. Phædimo D. Trajani August. A commentariis beneficiorum*. Frontinus lib. 2. de aquæduct. *Beneficia sua Princeps secundum modum commentariis adscriptum temperat*. Ulpian. l. 1. de censib. *D. Berytensem Coloniam Augusti beneficiis gratiosam*. Jabolenus lib. 12. Epistolωn: *Beneficium Imperatoris, quod a divina scilicet ejus indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus*. Alius fuit sub Consulibus *liber beneficiorum*, in quem Proconsules simul ac Romam redierant, tribunos, centuriones, contubernales suos referebant. Cicero pro Archia *ad ærarium in beneficiis* referre dixit. Beneficia item fuere promotiones ad altiores gradus. Beneficiarii, qui promoventur beneficio tribunorum. Vegetius lib. 2. cap. 7. *Beneficiarius Consulis, Prætoris*. Suetonius in Tiberio cap. 12. *per quosdam beneficii sui centuriones*. Spartianus de Hadriano, qui *Serviani beneficiarium antevenit*. Magistratus facinora patrabant per beneficiarios suos, ideo Tertullianus beneficiarios conjungit cum curiosis. Livius lib. 4. *Tribunos militum, dictatorum, & consulum ferme beneficia fuisse scribit*. Val. Max. lib. 4. cap. 7. *ad equestrem ordinem & splendidæ militiæ stipendia P. Cælii beneficio pervenerat*. Tacit. lib. 4. Hist. *æquatus inter duos beneficiorum numerus*. lib. 1. Hist. *primores militum per beneficia Nymphidii, ut suspectos*. Cæsar lib. 5. Civil. *Equitibus paucis beneficiariis suis*. Vet. Inscript. *Beneficiarius Tribuni, deinde Optio in centuria*. l. 5. Cod. Theod. l. 7. de Cohortalib. Princip. *Beneficiarios in eodem obsequio perseverare volumus*. Festus: *Beneficiarii milites, qui vacabant muneris beneficio*, quales sunt in lege ult. D. de jure immunitatis. Ovid.

*Digna est, quam jubeas muneris esse tui.*

Hæc beneficia libera Rep. a Rectoribus provinciarum concessa non aliter rata erant, quam si iidem Rectores reversi 30. diebus post rationes redditas sua beneficia ad ærarium detulissent, quod lege Julia cautum, ut Cicero ad Messinium. Veget. lib. 2. cap. 7. Omnes consequuti aliquod munus in officio præfectorum beneficiarii, vel ordinarii vocantur. Tertul. lib. de fuga, *Nescio, dolendum, an erubescendum sit, cum in matricibus beneficiariorum & curiosorum inter tabernarios & lanios & fures balnearios, & aleones, & lenones Christiani quoque vectigales continentur*. In actis S. Fructuosi, *observantibus ex officio beneficiariis*. Arcadius Augustus: *Qui beneficium nostrum legerit, hoc observet, ut hæc signa vel termini 50. inter se pedes habeant*. Dolabella, *quæris si in lib. beneficiorum regionis illius beneficium alicui Augustus dederit*. vide auctores finium regundorum, quos Rigaltius recensuit. Ad tabularium Cæsaris, de quo supra diximus, pertinet *breviarium Imperii*, de quo Sueton. in August. cap. ult. *breviarium officiorum* in Galba cap. 12. Dicitur & *notitia*.

*Multa de Beneficiariis & beneficiis.*

## CAP. XCVI.

### *De Tributis Regni Galliæ.*

*Bona Regis Franciæ*

REx Franciæ duo genera bonorum possidet. Patrimonium, sive Domanium, & Indictiones. Patrimonium duplex est, alterum quod a parentibus hereditario jure Princeps accepit, alterum quod regni jure a Repub. consequutus est. Cujusmodi sunt ea quæ vernaculo sermone dicuntur, *Fiefs, droicts de fiefs, lots, ventes, quints, arriequints, rentes, censes, usages tasques, droicts de justice, amandes, confiscations, mainsmortes, aubeines, monnoyes, eaux & forests, ponts & passages, entrees*. & cætera jura, quæ Regib. pro variis provinciarum moribus attribuuntur. Budæus patrimonium Principis, quod regni jure in portoriis, vectigalibus, emphyteuticis reditibus reponitur, quia stata & immutabili forma exigitur, veterum canonem esse putat, de quo abunde a nobis supra dictum est. A patrimonio quod a parentibus acceptum hereditario jure Princeps possidet, fundi patrimoniales dicti sunt, & res privatæ, ex quibus jure privato, non fisci, modum pecuniæ aut frumenti quotannis percipit, tit. de fund. Patrim. lib. II. Cod. Quemadmodum in Imperio Romano alia fuere bona Cæsaris, alia fisci: alius procurator Cæsaris, alius fisci. Bona Cæsaris, quæ Cæsar aliunde quam ab Imperio habuit; bona fisci, quæ jure Imperii. In Gallia olim Reges patrimonio utroque contenti, nullis indictionibus subditos onerarunt. Ludovicus junior sub annum 1167. cum graviora tempora incidissent, vicesimam omnium redituum a populo exegit. Philippus Pulcher centesimam, aut si res exposceret, quinquagesimam & quintam mercium ac rerum venalium: Joannes vicesimam indixit, capite censis capitationem decem assium Turonensium in annum. Carolus quintus focarium, seu focagium in singulos focos, & tributum annuum quatuor

francorum, ut vocant, singulis urbium & suburbiorum incolis, & decem asses Turonenses rusticanis ac villaticis in capita. Carolus septimus decem & octo millia francorum tributi nomine primus indixit. Nostrates *taleam* vocant a *talea*, quæ lignum quadratum ac tesseram significat, quod ex censu a possessoribus per partes æquo jure exigatur. Tributa autem Galliæ Reges sine consensu ac suffragio generalium regni Conventuum instituere non posse jam inde ab ætate Caroli magni testatur Aymonius Monachus lib. 4. cap. 116. 117. Sub Ludovico undecimo & Carolo octavo, varia tributorum genera instituta sunt. Subsidia in primis, vulgo *Aides*, quibus vicesima pars pretii frugum, cæterarumque rerum venalium, quæ intra regni fines veneunt, exigitur. Item octava, aut subinde quarta pars pretii vini heminatim, ac minutatim divenditi. Quod genus tributi ab anno 1363. ad annum 1460. a Carolo quinto, sexto, septimo Galliarum regibus indictum est, quoties venditione aut permutatione res mobiles ad alium transirent. Quod vectigal olim fuit, hodie patrimonii munus, prædiis ac possessionibus indictum pro cujusque censu. Alterum genus dicitur oblatio, sive concessio, *Ottroy*, quod generali Galliæ conventu Regibus id postulantibus indulgetur. Aymonius lib. 4. cap. 116. 117. publicis conventibus Carolum magnum oblata sibi annua dona more solemni suscepisse ait, qui mos a Cyro Persarum rege ortus, ab Augusto usurpatus est, apud Sueton.

Superindicta.

Tertium genus, Superindicta, *Creues*, cum supra statum ac legitimum tributi ordinarii modum aliquid indicitur.

Mutuatio.

Quartum, Mutuatio, *Emprunt*, cum mutui nomine ac titulo Rex a subditis aliquid exigit, quod a Romanis aliquando usurpatum esse supra ostendimus. In quo genere cum difficiliora tempora incidissent, Syllam ne rebus quidem sacris pepercisse Plutarchus auctor est. Id mutui genus D. Ludovicus, Joannes, & Franciscus primus, cum in hostium potestatem venissent, ut λύτρα persolverent, usurparunt.

Æquipollens.

Quintum, Æquipollens, *Equivalent*, denarius unus in libram piscium & carnium in Macello venalium. Item sexta pars pretii vini, quod non domi e privato fundo reficitur, sed hinc inde coemitur a mercatoribus, ut divendatur. Hoc genus vectigalis in Occitania substitutum est in locum vicesimæ mobilium venalium, qua se Occitani gravatos conquerebantur.

Stipendium quinquaginta millibus militum alendis.

Sextum, Stipendium quinquaginta millibus militum alendis a Francisco primo institutum, quod exigitur ob omnibus oppidorum & suburbiorum incolis, non item ab agricolis.

Stipendium superindictum.

Septimum, Stipendium superindictum, *le Taillon*, quod superiori militum stipendio aliquid adjicitur, ut milites suo sumptu vivant, ab Henrico 2. anno 1549. institutum, ne militibus alendis villatici opprimerentur.

Annonæ.

Octavum, Annonæ, *Estappes*, militibus procedentibus, & munitiones stationariis exhibendæ. Utrumque genus ad annonas militares pertinet, l. *Annonam*. D. de extraord. crimi. & tit de erog. mil. annon.

Pecuniæ.

Nonum, Pecuniæ, *Deniers communs*, ad urbes arcesque muniendas, a quo munere ne sacra quidem domus libera est, Cod. de operib. pub.

Angariæ & Parangariæ.

Decimum, Angariæ & Parangariæ, *Levées de chevaux & chariots*, quod onus ipsi etiam Clerici sustinere coguntur, l. 2. Cod. de Episcop. & Cleric. l. *munerum*. D. de muneribus.

Portoria.

Undecimum, Portoria, *Traite & Imposition foraine*, vicesima scilicet pars pretii rerum omnium venalium, quæ extra regni fines exportantur.

Vectigal salinarum.

Duodecimum, Vectigal salinarum, *Gabelle*, quæ vox Italica indictionem omnem, & præstationem pro rebus mobilibus, aut se moventibus significat.

Decima pars redituum Ecclesiæ.

Decimumtertium, Decima pars redituum Ecclesiæ, quam a Clericis Rex exigit Romani Pontificis permissu. Item, dona gratuita, quæ difficili tempore Princeps a Clericis exigere potest.

De his omnibus indictionibus ac tributis Generales Ærarii ac Thesaurarii Principis, vulgo *Generaux de Finances*, cognoscunt, nostra ætate a Regibus instituti, qui supremæ Curiæ titulo, vulgo *Cour des Aides*, insignes, lites omnes ac controversias in hoc nenere ita decidunt, ut ab iis provocari non liceat, cum imperii meri ac mixti amplitudo illis attributa sit, quorum ordo primum Lutetiæ anno 1380. institutus est, deinde per reliquas Galliæ provincias propagatus, honestissimo loco habetur; qui rescripta super exactionibus tributorum quæ a Principibus acceperunt, ut in Imperio Romano Præfecti Diœceseon, & Moderatores Provinciarum, ad eos mittunt, qui vulgo dicuntur Electi, quibus id muneris datur, ut onera tributorum in sua Diœcesi æquo jure partiantur. Electi Decurionibus suæ Diœceseos mandata Principis significant. Decuriones de consilio civium ac municipum, Discussores ac Peræquatores constituunt, vulgo *Asseeurs des Tailles*, qui opera Curialium in Imperio Romano utebantur, ut ex censu cujusque munera dividerent. Discussores, *Asseeurs*, collectariis id dant negotii, ut tributa exigant & colligant, collectaque protinus ad ὑποδέκτηρας seu Receptores deferant, qui Cod. Theodosiano, opinatores, tributarii, numerarii, palatini subinde vocantur, de quibus a nobis pluribus supra actum est. Vulgo Susceptores particulares, *Receveurs particuliers*, quibus eæ partes datæ sunt, ut regias pecunias per Antigrapheas generales, vulgo *Controlleurs generaux*, recognitas cum pittacio subsignato ad Susceptores generales tuto deferant, vulgo *Receveurs generaux*, qui aurarii Susceptores, aut Tribuni ærarii dicti videntur, a quibus deinde aurum exactum, ad Comitem sacrarum largitionum, & ærarii regii Præfectum, *Thresories de l'espargne*, deportatur. Et ne fraus aliqua interveniat, Ant igraphes, seu Antigrapharii, quasi Ephori & Inspectores Susceptoribus adhibentur, qui omnia diligenter observent, recognoscant, & signent. Susceptoribus item Institores, & Tabularii seu Chartularii adjunguntur, vulgo *Commis*, quasi Substituti, qui operas suas Susceptoribus commodant, quorumque factum Susceptores præstant. Susceptoribus insuper adjunguntur Coactores, & Opinatores Palatini, vulgo *Clercs des Finances*, qui Susceptoribus particularibus necessitatem devehendæ ad Susceptores generales regiæ pecuniæ imponant. Comiti sacrarum largitionum,

gitionum, Antigrapheus, sive major Antigraphiarius, adjungitur, ne fraus Regiæ pecuniæ fiat. Nostra ætate summi ærarii Præpositi, quos vulgo Intendentes & Superintendentes vocant, constituti sunt, quorum judicio Regiæ Gazæ discutiuntur, probantur, dispensantur. Sunt præterea Thesaurarii partium fortuitarum, *des parties casuelles*; Thesaurarii generales per provincias, & præsides Thesaurariorum. Thesaurarii militiæ, quos ærarios militiæ Quæstores merito voces, quibus quasi ministri adjunguntur, qui stipendia equitibus solvunt, vulgo *Payeurs de Compagnies*. His adde si lubet Thesaurarios extraordinarios militiæ, & eorum Institores, ac Substitutos, seu Vicarios, vulgo *Commis*. Sunt & Scribæ & Actuarii Thesauri Regii, vulgo *Secretaires des Finances*, qui mandata & rescripta Principis super indictionibus ac tributis hodie conficiunt, ac signant.

## CAP. XCVII.

*De Vectigalibus Regis Turcorum ex Chalcocondylæ libro octavo.*

Vectigalia Regis Turcorum. INter Januæ milites (Janitzeros vulgo vocant) maximam potestatem Duces obtinent, qui legati sunt & plerumque assessores Regis, & consiliarii earum rerum quæ ad regni curam spectant. Ad hos enim pertinet redituum & tributorum administratio. Rationes & thesauros regios proprio sigillo signant, & confirmant. His ordine & dignitate proximus est Scriba, ad quem rationes referunt redituum, vectigalium & aliarum rerum quibus id negotii injunctum est; hic rationes omnium audit, quas deinde Regi & Ducibus proponit. Reliqui Scribæ expediunt ea, quæ ad scripturas ceteras, & regia programmata pertinent. Tributum quod Rex in Europa capit, complectitur nonaginta myriades staterum aureorum. Tributum hoc non Turci, verum alienigenæ pensitant. Nec enim fas ducunt, ut Turci tributum inferant. Verum hoc officium est, ut equis armisque instructi, una cum Rege in militiam erant. Decimas operum soli alienigenæ olim pendebant. Decimas hodie præter tributum quod Boscinam seu Bostinam vocant, solvunt urbium Principes, Præfecti, militesque. Is autem reditus Januæ militibus assignatur. Ovium item greges qui tributi nomine dantur, in Januam abduci oportet. Præter tributum etiam vectigalia non modica per Asiam & Europam habet Rex, quæ capit ab equis, camelis, mulis, & bubus. Hic reditus continet 30. myriades aureorum. Reditus quem inquilini solvunt, 25. myriades assurgit. Ab armentis equarum, camelorum, & mulorum quæ Regis sunt, & undique per regionem pascuntur, quinque aureorum myriades reficiuntur. A reliquis reditibus 20. myriades accipit. Maximus reditus est ex emporiis, trajecto, metallis, orisa, ære, alumine, & quinta parte mancipiorum. Trajectum & Pharum 20. myriades suppeditare ajunt. Reditus metallorum 10. myriades reficit. Ab oriza & aliis ejus generis quæ Januæ milites exigunt, & in Chasia secernunt, 20. myriades. Plurima enim Chasia & optima per Europam & Asiam habentur. Huc accedit tributum Principum & Regum, quod pendunt tam indigenæ quam alienigenæ. Id reficit decem & amplius aureorum myriades. Summa igitur universorum redituum qui ad Regem & Januæ milites referuntur, complectitur quadringentas præter propter aureorum staterum myriades. Est præter hos reditus & alius, quem ferunt ineunte vere Præsides, Duces, Præfecti solemnia munera cum Rex in hostem movet. Is reficit 20. amplius myriadas. Hæ Regis pecuniæ comportantur ad Chasnam, ex quibus stipendium accipiunt peregrini, & Januæ milites, Caripides, Silictorides, Allophatyzides, Spachides. Superest & alius reditus, quem Principes, Duces, & Timarati per universum regnum accipiunt. Hic reditus si addatur illi qui ad Januæ milites defertur, universorum redituum summam excrescit usque ad myriades mille & quadringentas aureorum staterum Venetorum.

# FINIS.

# VINCENTII CONTARENI
DE
# FRUMENTARIA ROMANORUM LARGITIONE
LIBER.

*In quo ea præcipue, quæ sunt a*

JUSTO LIPSIO

cum in Electis, tum in Admirandis de eadem prodita, examinantur.

*Ejusdem*

DE MILITARI ROMANORUM STIPENDIO COMMENTARIUS.

*Illustrissimis atque Excellentissimis Triumviris*

Patavino Gymnasio moderando,

# M. ANTONIO MEMO, D. Marci Proc. ANTONIO PRIOLO, Equiti & D. Marci Pr. ANDREÆ MAUROCENO, Senatori,

## VINCENTIUS CONTARENUS S. P. D.



*I generis vestri claritatem specto, Illustrissimi atque Excellentissimi Triumviri, earum gentium familiæ vestræ sunt, quæ præcipua inter Italicas nobilitate censentur. Si dignitatem; omnes honestissimum, plerique summo proximum in* REP. VENETA *locum obtinetis. Si propensam ad bonarum artium studia juvanda voluntatem; ea fidei vestræ publice sunt commendata. Si quantum vobis præcipue debeam; muneris vestri est, quod honesto fruor otio, quod unis, ut semper optavi, litteris vaco, quod apertus mihi a vobis est cursus ad laudem, atque adeo, nisi per me stet, ad immortalitem, cum sex abhinc annis doctrinarum omnium principibus me in Patavina Academia collegam adjungendum censuistis. Quamobrem caussas, cur inscribi aliquid vobis debuerit depromptum e studiis meis, cur quæram, aut comminiscar, nihil est. Cum enim de vobis cogito, satis multas, & quidem graves reperio. Cum autem vires meas consulo, quid sciam, quid susceperim, quid præstiterim; venit in mentem vereri, non dicam, ne vobis, quorum est incredibilis humanitas, sed ne forte aliis nomine vestro ad libelli hujus commendationem videar abuti. Quos in litteris progressus fecerim, mei judicii non est; id unum scio, tam multis partibus esse plura, quæ nesciam, ut quidquid id est viæ, quod confeci, præ eo quod restat, puncti instar sit. Præterea in tam difficili versor argumento, ut vel me judice, eximium* JUSTI LIPSII *ingenium fatigarit: Quid igitur putem præstare posse me Amplitudine vestra non indignum, & loci claritate, quem post* SIGONIUM V.C. *a me teneri voluistis? Ut nihil præstem, conari juvat, nervosque omnes intendere, ut quod Vobis pro immortalibus Vestris in me beneficiis debeo, saltem voluisse videar aliqua ex parte dissolvere. Cujus autem stultitiæ fuerit, Vos publicos litterarum patronos, æstimatores industriæ, judices ingeniorum adeo negligere, ut quæ propria Vestra cognitio est, eam aliis tribuam, & judicare prius quemquam de me, quam Vos selectos judices malim? Nam obscura, multisque implicata difficultatibus quæstio, & magnum in litteris* LIPSII *nomen faciunt, ut mihi opus sit latere in tutela & præsidio dignitatis Vestræ. Magnum enim & anceps ineo certamen cum gratioso adversario, qui ingenii atque industriæ opinione omnium ferme animos jam pridem occupavit. Male*

*igitur mecum agatur, ni Vos habeam patronos, quorum me recreet virtus, reficiat humanitas, reverentia confirmet. Spero etiam fore, ut me Vobis conciliet* PETRUS BEMBUS, *cui Vos ut patria, sic historia conjunxit; qua res præclare a majoribus Vestris bello & pace gestas immortali memoriæ consecravit. Qui igitur alteram ejus beneficio, non pecuniæ, sed gloriæ, quæ vobis eripi nullo modo possit, hæreditatem crevistis, ei optime merito gratiam referetis, si quod mihi otium facitis, id vobis non modo volentibus, verum etiam faventibus in ejus fama sarta tecta tuenda consumpsero. Id enim ago, molior quidem certe, & hunc libellum, qui mihi viam muniat, præmitto. Is poterat, fateor, & premi diutius & acriore studio perpoliri, ne cetera a fronte, quam nomen vestrum ornat, discreparent. Sed in tanto frugum proventu, quo anno Ceres peregrinata esse his regionibus videtur, mea ego frumenta premere non debui, sed potius Romanorum exemplo largiri, ut ubere annona quemadmodum corpora, ita ingenia alerentur. Hoc enim consilio me ad scribendum contuli. Quod si id sum, quod volebam, assequutus, Vobis secundum Deum referri acceptum volo: sin minus, hoc saltem assequar, ut apud omnes testatum relinquam, me, quantum Vobis debeam, intelligere. Valete.*

Patavii pridie Kal. Sextiles CIↃ IↃC IX.



# INDEX CAPITUM.


C A P. I.

De frumentariæ largitionis initio, & progressione, dum fuit arbitraria.

C A P. II.

Leges de frumentaria largitione.

C A P. III.

De frumentariis Principum largitionibus.

C A P. IV.

De pane pro frumento dari cœpto.

C A P. V.

De modo frumenti.

C A P. VI.

De iis, quibus dabatur publicum frumentum.

C A P. VII.

De numero accipientium publicum frumentum.

C A P. VIII.

De iis, qui curabant publicum frumentum.

C A P. IX.

De iis, qui frumentum distribuerunt.

C A P. X.

De frumentariis provinciis.


---

Præcipua quædam Disputationis Capita, in quibus Contarenus a LIPSIO dissentit.


C A P. I.

1. Non esse id initium frumentariæ largitionis, quod tradit Lipsius primo Electorum Cap. VIII. ex LIVIO qui de largitione verbum nullum facit.
2. Integrum Plinii e libro XVIII. cap. III. locum de Marcii largitione frustra a Lipsio emendari.

C A P. II.

3. Nulli esse culpæ affinem, neque ab aliorum scriptorum consuetudine discedere APPIANUM, cum affirmat lege Sempronia datum plebi frumentum ἀπὸ τῶν κοινῶν, de publico.
4. Legem Semproniam non modo ante Syllam fuisse abrogatam, sed tres præterea de frumentaria largitione, aut promulgatas, aut latas ante Syllanam dominationem.
5. Legem Terentiam, quam significat Marcius trib. pl. apud Salustium in historiarum fragmentis, fuisse perlatam.
6. Ἀνέμητον esse eum, cui nihil dividatur, non autem infinitum, ut Lipsius vertit.
7. S. C. in Catonis sententiam factum, & ratum fuisse.
8. Non unam a Clodio, sed duas latas esse frumentarias leges.
9. Suasu Catonis frumentum gratis datum non fuisse.

C A P. III.

10. Augustum XI. consulatu duodecim frumentationes famis caussa emensum non esse.
11. Pretium frumenti, quo de agit TACITUS libro Annalium XV. non fuisse ejus, quod Imperatores largiri erant soliti, cum id fuerit a lege Clodia omnino gratuitum.

C A P. IV.

12. Neque a Trajano panem pro frumento dari cœptum, ut docet Lipsius in Electis, neque circa Flaviorum imperium, ut in Admirandis cap. X. lib. II. quæ utraque initia confirmat veterum testimoniis, neque tamen eorum pugnam dirimit.

Potuisse Lipsium animadvertere fabulas cani a vetere Persii interprete, cum in Satyram III. significatum ait panem fiscalem ab eo, qui Satyra V. frumentariam largitionem agnoscit. 13.

Labi Lipsium in JUVENALIS loco interpretando, non modo quia poeta reclamat Satyra VII. verum etiam quia ipsemet secum pugnare videtur, cum in Taciti Annalium librum IV. de pane venali hæc scripta docet. 14.

Vitiosam esse eam concludendi rationem, qua utitur Lipsius in VICTORIS loco: Si collegium pistorum a Trajano, ergo & panis fiscalis. 15.

C A P. V.

Æque vitiosam esse alteram, qua utitur, ut ostendat, modum frumenti minimum fuisse modios senos, quia Marcius apud SALUSTIUM ut exilem modium quinum largitionem criminatur. 16.

Falso Lipsium scripsisse in Admirandis ordinariam largitionem fuisse X. modiorum, atque id a se in Electis notatum, ubi non modo hoc non notat, sed contrariam etiam sententiam probat, quam ego cap. III. Dionis testimonio confirmavi. 17.

C A P. VII.

Dionis verba de frumentantium numero a Cæsare ad partem dimidiam redacto Lipsium male interpretatum videri. 18.

Auctum a Cæsare frumentantium numerum probabilius videri, quam veterem, ut putat Lipsius, esse revocatum. 19.

DIONEM in recensus ab Augusto acti tempore, & in pecuniæ summa non modo non errasse, verum etiam in his prodendis summa fide ac diligentia esse versatum. 20.

Factus nec ne sit ab Augusto, quo anno XIII. consulatum gessit, populi recensus, ex lapide Ancyrano intelligi non posse. 21.

Lipsium semel & iterum Ancyrani lapidis exemplar frustra emendare conatum. 22.

Vitiosa tertia Lipsii argumentatio. Auxit Tiberius TACITO teste libro Annalium VI. numerum frumenti: & frumentantium igitur. 23.

C A P. VIII.

Ædiles frumentaria curatione solutos lege Terentia, quam Sempronia verisimilius videri. 24.

Turranium titulo annonæ Præfectum, revera Augusti in hac curatione Vicarium fuisse, contra quam Lipsius sentiat in Electis, & in TACITI Annalium lib. I. 25.

C A P. IX.

Viariam legem a Curione esse jactatam, non vineariam, ut Lipsius vult, COELII locum ex epistola ad Ciceronem corrumpens. 26.

C A P. X.

Africani frumenti modum a Lipsio neque in Electis, neque in Admirandis satis fuisse investigatum. 27.

Potuisse Lipsium animadvertere Josephum in Agrippæ oratione ad Judæos caussæ sæpe servire. 28.

VICTORIS locum de Ægyptio frumento a Lipsio corrumpi, ut invitum Josephum servet. 29.

Multos veterum scriptorum locos trahi a Lipsio repugnantes ad frumentariam largitionem, quacum nihil illis rei est. 30.

# VINCENTII CONTARENI DE FRUMENTARIA ROMANORUM LARGITIONE LIBER.



SI qui sunt, qui cupiant recta grassari ad gloriam, neque ex aliena ignominia famam aucupentur, in his ego nomen profiteor meum. Semper enim in ea fui sententia, ut existimarem, qui ex alienis incommodis sua comparant commoda, violari ab iis hominum inter homines societatem, & dari non obscura pravi atque obtusi ingenii argumenta: quippe cum re ipsa fateantur, præcisam sibi esse omnem super ceteros eminendi spem, ni aliorum ruina se fulciant, atque attollant. Sed ut docent officiorum magistri, incidunt tempora, cum, quæ turpia & injusta sunt, fiunt contraria, & viros bonos, excelsoque animo præditos decent. Neque enim qui serviunt communi utilitati, sapientum judicio sunt ulli culpæ affines, si facere non possunt, quin de aliena fama quid detrahant. Et fuit laudabile Romæ institutum, priusquam odiis, atque ambitu corrumperetur, commendationem ætatis ab accusatione ducendi. Ita enim fiebat, ut qui legibus coerceri non poterant, pœnæ saltem, atque ignominiæ metu a malefactis deterrerentur. Sed & ad arcendam, propulsandamque injuriam deprimere eum, a quo infertur, licet; non modo si nos ipsi lædamur, aut cognatione, & familiaritate nobis conjuncti, sed etiam si alii, qui ope nostra egeant. quod officium qui prætermittunt, dum vitant vitium, in contrarium incurrunt. Hæc faciunt, bona ut spe sim, & judicibus non iniquis caussam meam me probaturum confidam: qui cum publicæ utilitatis, tum civis mei tuendi studio incensus diem JUSTO LIPSIO V.C. dicere audeam. Agitur enim caussa veritatis, quam ut scopum habent omnes propositam, qui bonis artibus operam navant. Pro ea qui mendacium obtrudi alicui patiuntur, non minus violant officium, quam qui ab ægris, ut medici famæ parcant, venenatum poculum exhauriri sinunt. Agitur etiam caussa PETRI BEMBI, qui fuit splendor Italici nominis, & patriæ ornamentum. Is a JUSTO LIPSIO, quem non modo non læserat, sed ne natum quidem scire potuerat, accusatus, & mortis exceptione usus ita a plerisque absolvitur, ut damnentur Itali, qui

A dolorem suum tam lente ferunt, & Germanis defensi BEMBI gloriam non invident. Hanc igitur maculam Italico nomini, civibus meis, & BEMBO præcipue impositam ut delerem, statui mihi omni ope enitendum, atque ut Græci dicunt, *καὶ χειρὶ, καὶ ποδὶ, καὶ πάσῃ δυνάμει*. Quamquam autem quæ nunc instituitur de frumentaria largitione disputatio, potest prima fronte videri *ἀπροσδιόνυσος*, atque a suscepto Bembi patrocinio remota; qui tamen consilii mei rationem perspexerit, non dubito, quin fuisse id tutissimum, necessarium certe fateatur. Cum eo enim res mihi futura est, qui ab ubere ingenii atque industriæ fonte
B ad tantam profluxit hominum existimationem, ut altior videatur omnium censura, & unus ex omnibus nulli errori obnoxius: scilicet Olympi similis, cujus verticem astris propiorem, quam terris negant ullis obduci nubibus, ullis perflari turbinibus ventorum. Ut verendum sit maximopere, ne præjudicia de tanti viri doctrina veritati ad animum aditum præcludant, meque nequidquam clamante ac repugnante loqui e tripode tunc etiam videatur, cum e plaustro jactat in BEMBUM maledicta verius, quam crimina. Quare faciendum est, ut muniam mihi ad defensionem viam, & ad fidem; atque hominem esse LIPSIUM
C ostendam, ad cujus diligentiam & judicium aliquid possit accedere. Quod si assequor, de eodem oleo atque opera consulam veritatis amantibus; iis præsertim, qui aut districti gravioribus negotiis, aut in aliarum artium tractatione occupati ita divertunt ad nostras, ut singula examinare per otium non possint. Hi enim sunt in primis idonei, qui fallantur; præsertim in legendis LIPSII libris, in quibus multa a vero abhorrentia sub veri persona latent. Ea omnia qui velit excutere, provinciam suscipiat eo graviorem, quo est difficilius refellere mendacium, quam dicere. Mihi sa-
D ne satis superque erit pauca e plurimis in medium afferre, ut ex iis conjectura de ceteris fiat. Familiam ducet hæc de frumentatione disputatio: sequentur variæ lectiones meæ, in quibus interdum a Lipsio dissentiam. Hæ dum describentur, institutam absolvam BEMBI defensionem, daboque operam, ut omnes intelligant, LIPSII censuram, ne quid gravius dicam, esse levissimam. Cogent agmen libri de FALSA magnitudine Romana, qui-

quibus ADMIRANDA oppugnabo, & illos præcipue gigantum more congestos auri montes non fulmine, sed solo veritatis fulgore disjiciam. Quo fiet, ut non modo undique tecta sit apologia, sed par etiam pari referatur; & qui Venetam PETRI BEMBI historiam damnavit, ejus fabula de magnitudine Romana explodatur, Urbe ipsa, ut spero, favente, de cujus gloria plurimum detrahitur, cum laudatur falso. Hæc scripseram Lipsio superstite, cum nihil mihi esset optatius, quam ne quid illi humanitus accideret antequam hi libri ederentur. Primum ne cui forte sermones darem de me; citare Lipsium, cum sistere se, & respondere vadato non posset: quocum vivo congredi ausus non essem, cum eo mortuo larvarum more luctari. Deinde ut summum virum, qui multo ante, quæ vocarem in controversiam, esset meditatus, secumque animo peregisset, non imparatum haberem adversarium, atque ita citius e conflictu nostro scintillæ veritatis emicarent. Conflictum dixi, litterarium tamen: in quo, ut homines decet honesto loco natos, & litteris informatos ad humanitatem, solitos rationum ac testimoniorum momentis nos confodissemus. Sed cum MARCUS VELSERUS II. Vir Augustanus nobilitate, dignitatis gradu, & eruditione illustrissimus scripsisset ad me vixisse Lipsium, ita sum commotus, ut hastas, quod ajunt, abjecerim, & hunc ipsum libellum, qui in eo jam erat, ut imprimeretur, librariis extorserim. Et tamen denuo non modo amicorum, sed virorum etiam gravissimorum auctoritas me adduxit, ut eum edi pateret. Ita enim disputabant. unam eandemque esse nunc, & fuisse olim caussam veritatis: imo eo nunc deteriorem, quod quæ damnari potuissent a Lipsio superstite, quasi sancita ejus morte, in hominum animis altiores in dies agerent radices. Has nemo si evelleret, ne pugnare cum mortuo videretur, quam esse veritati emergendi unquam reliquam spem? Turpius eam mortuo, quam vivo proditum iri. Neque deterritum hac religione eum ipsum, quo de ageremus, quin tristem in Bembum censuram exerceret. Quid igitur me ipse morarer, ac ne Lipsii quidem vestigiis auderem insistere? Æternam adversus, falsum, & libros, quibus proditur, esse auctoritatem. Quod erat facturus, si licuisset, Lipsius ut scripta sua purgaret, id ego si facerem publico bono, optionis potius, quam hostis munere fungerer. Sed & habiturum gratiam, si sentiat, excoqui a me, quod in auro suo est, purgamentorum ac sordium. Neque esse verendum, ne viri prudentes apologiæ securum fucum facere, & insultare in mortuum audacius me putent. Neque enim cum Lipsio actum esse tam male, ut non egregios disciplinæ suæ alumnos reliquerit, qui, quo par est, animo doctoris decreta & memoriam colant. Hi certatim ne pro magistro vadimonium obeant, neu multi in me pro uno cooriantur, id vero esse verendum. Quis enim repressos præclaros illos impetus, aut restinctum credat ardorem animorum, quem præ se tulerunt, cum est Lipsius a Lampugnano petitus? Scire me, quam multi sint ejus patrocinium professi per id tempus, siquidem ipse adversarium contemnere, nec responso dignari instituisset. Nec defore, qui nullis obstricti grati animi vinculis, si minus pro Lipsio, at pro veritate meo exemplo non omnem dimicationem subeundam, meque amice monitum ingenti beneficio sibi obstringendum putent. Quod igitur Lipsius vixisset, id minus nemini, quæ mihi ipsi conducere, cui soli cum solo congrediendi spe erepta multo acrior cum pluribus immineret pugna. Si Lipsii sententiam in disquisitionem vocarem, facturum me item ut Cadmum, qui satis mortui draconis dentibus, armatas acies in se vidisset insurgere. Sed illi cessisse prospere, quod in seipsas ferrum convertissent: mecum bene actum iri, si pauci in me conspirarint. Licere mihi defugere hanc pugnam, si male odisse Lipsium, videri velim. Nam futuros, qui hoc sibi persuadeant, si eo rebus humanis exempto arma posuero, perinde ac si mihi esset ereptus; in quibus autem lapsus est humanitus, quorum odium præ me semper tuli, ea serpere in dies longius sivero. His illi cum me obtudissent, eo tandem perpulerunt, ut dicerem, fore me in eorum potestate; quin si hæc probari viderem viris doctis, reliqua etiam, in quibus a Lipsio dissentio, esse editurum. Aleam igitur, quam dicunt, jacio, atque hoc de frumentatione commentario liberare incipio fidem meam. In eo cœpi non omnia persequendi consilium, sed ea tantum, quæ aut censura, aut luce indigebunt. Hoc volui primum, nescius lector ne esset, quem præterea monitum volo, sæpe fore, ut iisdem utar scriptorum veterum locis, quos attulit Lipsius: aut quia sunt ejusmodi, ut cum magis idonei nulli reperiantur ad hanc rem illustrandam, sine illis manca & mutila sit disputatio: aut quia possunt retorqueri in Lipsium, & ad eum confutandum adhiberi: aut quia in illis examinandis est non parvus diligentiæ meæ relictus locus. Ut igitur Attici, Strabone teste, quas veteres fabri negligentius excoxerant, massas recoquendo grande operæ pretium fecerunt: ita spero fore, ut ex veterum locis, quos attulit Lipsius, denuo examinatis, multa eruantur, quæ ipse præteriit, aut quæ ipsum præterierunt. Sed verborum jam satis est, ad rem ipsam veniamus.

## CAP. I.

*De origine & progressione frumentariæ largitionis, dum fuit arbitraria.*

FRumenti largitio, quam frumentationem etiam dixere, quid veteribus fuerit, nomen ipsum satis indicare non potest. Nam & largiendi ratio una atque altera, & frumenti genera multa fuerunt. Donare non modo is dicitur, qui gratis dat; verum etiam qui ex pretio aliquid detrahit. Quin vetustissimum hoc fuisse largitionis genus fatebitur, qui ejus tempora diligenter observarit. Principio enim Senatu, & magistratuum arbitrio frumentum datum est levissimo pretio in modios æstimatum: largitio deinde sancita est legibus, quarum postrema gratis primum dedit. Hæc arrisit Imperatoribus, & habita inter imperii fundamenta diurno tandem pane mutata est. Frumentationis autem nomen nonnisi post latas leges, ut mihi quidem videtur, usurpari cœptum, Augusti præsertim ævo celebratum est. Largitio enim rara & incerta, & quandam retinens venditionis speciem novum nomen nullum desideravit. At statam, & multo, quam solitum esset, frequentiorem, ad plures pertinentem, & quod caput est, plerunque gratuitam suo vocabulo sæpius appellatam esse, quis neget? Sed missis nominibus, quatuor, quæ proposuimus, largitionis tempora sigillatim persequamur. Ante omnia origo & initium indagandum est; qua in parte agit Lipsius sane liberaliter: cum ad unum, & alterum aliquot annorum spatio dirempta digitum intendat. Nam Senatum statim post reges exactos ex Livio lib. II. largitionis hujus auctorem facit anno V. C. CCXLVI. Idem Plinium sequutus lib. XVIII. hanc M. Marcio Ædili

laudem tribuit, qui post annum V. C. CCLX. ædilitatem gessit. Quo fit, ut inter utrumque initium anni minimum XV. intercedant. Scilicet ut quædam flumina, ita frumentaria largitio a duobus diversis fontibus, & capitibus manat. Quod mihi tamen longe secus videtur, qui duorum initiorum falsum unum, dubium & incertum esse alterum autumo. Falsum Livianum: ita enim sane appellemus, quanquam de eo Livius, ut mea fert opinio, ne cogitavit quidem, cum illa scriberet: *Multa blandimenta plebi per id tempus ab Senatu data. annonæ in primis habita cura; & ad frumentum comparandum missi alii in Volscos, alii Cumas.* B (Nam quod legit Lipsius, *Æquos*, adulterinum proculdubio est.) Quid eum adduxerit, de largitione ut hic actum putaret, facile quivis conjectura assequatur. Nam & blandimentum vocatur a Livio annonæ cura; & in eorum, quæ largitiones proculdubio fuerunt, numerum refertur: salis leviore pretio publice dati, portoriis quoque ac tributis plebis liberatæ, quæ Halicarnasseo etiam lib. V. *δημοτικὰ*, *popularia*, & *φιλάνθρωπα πρὸς τοὺς πένητας*, *benigne atque humaniter populo præstita* videntur. Veruntamen quæ contra dici possint, non modo plura, sed etiam graviora sunt. C Ut enim si omnes ad unam largitiones esse blandimenta quis velit, ei ego admodum non repugnarim: ita blandimenta omnia esse largitiones, neque ego, nec sanus quisquam dederit. Neque enim retro res commeat; cum duorum, quæ inter se comparantur, pateat alterum latius; hoc generis, illud formæ obtineat locum. Quam multi enim sunt, qui verbis aut factis blandientes nihil largiantur? Qui vero astipulari Lipsio videtur Halicarnasseus, is aperte adversatur, cum largitiones ab annonæ cura, scriptione, temporibusque discernit. Prodito enim plebem levatam esse tributis, ac vectigalibus, quanquam proprius ille erat de largitionibus agendi locus, de annona tamen ne verbum D quidem, nisi post interjectam bene longam, & multis versibus explicatam rerum obsessa jam urbe gestarum narrationem, satis ut indicet, neque hanc sibi largitionem videri, neque iis assentiri, qui proderent, missos antequam urbs obsideretur, in Volscos & Cumos, qui frumentum ad urbem convehendum curarent. Quamquam utrum ante, an post obsidionem sint missi, ad susceptam disputationem quod attinet, haud in magno equidem ponam discrimine. Livium sequamur: sint antea missi. Quid est? Utrum ii tantum blandiuntur, qui populum donant frumento, an etiam qui annonæ habent E curam? Sane hanc uberem ubique plebs cupit: fame autem prope in furorem, rabiemque agitur. Ut enim ait apud Livium Scipio, *fames ultimum humanorum supplicium est*. Quod si quicunque annonæ habent curam, ut blandiantur plebi, largiri censendi sunt; dici vix poterit, quam multæ sint urbes, quæ nec opinato largiantur. Unæ olim e Græcis omnibus Athenæ, Venetiæ nunc ex Italicis frumento plurimo utuntur importato. Qui ex eo conficiat viguisse, aut vigere utrobique frumentarias largitiones, quis eum sibi audiendum putet? Non igitur si frumentaria procuratio suscepta Ro- F mæ est a Senatu, atque opera data, ut magna esset in urbe annonæ copia, continuo verum est, frumentum plebi, aut plane donatum, aut minoris, quam quanti erat, divisum. His bellum accedit, imminensque ab Etruscis urbi obsidio, quæ vel una patres, si quid saperent, ad habendam annonæ curam potuit adducere: ne plebs cum vastari agros, ardere tecta, omnia extra urbem ferri agique, urbem ipsam vexari videret, ad regum obsequium rediret fessa tot malis: quibus si fames accederet, ne dii quidem, ut est apud Livium, servare urbem

A possent. *Superantur enim*, ut est apud eundem lib. V. *humana omnia mala: famem unam natura vinci non sinit*. Quamobrem Fidenates quoque bello cum Romanis suscepto, ne obsidione cogi ad deditionem possent, frumentum non necessitati modo satis, sed copiæ quoque abunde convexerunt. Et Faliscis a Camillo obsessis terebatur tempus neutro inclinata spe, cum frumentum ex ante convecto large suppeteret, ut Livius ipse, cujus testimonio in re alioqui clara, & aperta uti operæ est, ut controversus locus illustretur, prodit lib. IV. & V. Utrum igitur Fidenates quoque, & Faliscos, an ne Romanos quidem esse largitos dicemus? Sed B & mirari profiteor me prudentiam patrum, si in tantis angustiis publicum frumentum ad ultimum inopiæ reservandum, stulta indulgentia, urbe nondum obsessa, populo diviserunt. Quod si quis missos dicat per id tempus, qui compararent; largitionem aliquanto post esse factam: eum ego Livianis de eodem bello verbis confutabo. *Obsidio erat nihilominus, & frumenti cum summa caritate inopia*. Nam si frumentum publice est divisum, quæ inopia; si donatum, quæ esse caritas potuit? Quo consilio Senatus frumentum emensus, & largitus est, nisi ut inopiam & caritatem levaret? C summa utraque fuit: largitio igitur nulla. Qui autem de hac fame quæ ab Halicarnasseo scripta sunt, legerit, non dubito, quin mihi assentiatur. Amplius CCC. hominum M. in urbe obsessa acri annona fatigabantur: ante obsidionem frumenti haud ita multum erat convectum, & brevi absumptum: hostes circum tenebant omnia, & illatus ex agro Pometino commeatus ad paucorum dierum usum vix eos fefellerat. I nunc, & largitionem factam crede, ubi ne erat quidem, quod largirentur. Unum adhuc si addidero, ad alterum me initium convertam. Traditus ab antiquis usque ad Livii ætatem inter cetera solemnia mos mansit, bonis D vendendis, bona Porsenæ regis vendendi. de cujus origine moris hæc Livius: *Proximum vero est ex iis, quæ traduntur, Porsenam discedentem ab Janiculo, castra opulenta, convecto ex propinquis atque fertilibus Etruriæ arvis commeatu, Romanis dono dedisse, inopi tum urbe ab longinqua obsidione: ea deinde ne populo immisso diriperentur hostiliter, venisse, bonaque Porsenæ appellata*. Hanc ipsam auctionem Halicarnasseus historiarum suarum monimentis mandavit. Qui igitur hasta posita Porsenæ bona fortuito oblata, & populo R. donata subjecere præconis voci, eos putabimus, quæ ære sibi suo ac libra empta essent, donasse? Ad alte- E rum jam initium veniamus, quod notasse videtur Plinius lib. XVIII. cap. III. his verbis: *M. Marcius ædilis pl. primum frumentum populo in modios assibus donavit*. Id mihi initium non tam falsum, quam dubium videri pronunciavi. Neque enim constat, fuerit M. Marcius ædilis primus Romæ, necne fuerit. Si fuit, assentior Lipsio, atque hanc primam largitionem statuo: sin minus, negari non potest, Senatum hanc reliquis omnibus laudem præripuisse. Nam altero ab ædilibus creatis anno, gerentibus eum magistratum Sicinio & Bruto, F Senatus in summa annonæ caritate, & pecuniæ inopia frumentum levissimo pretio æstimatum populo divisit. Quod ut clarius sit, atque apertius, operæpretium me facturum arbitror, si tempora, quæque his gesta sunt, proposuero, non ad corruptam, qua Livius atque Halicarnasseus, sed ad integram, qua Cicero utitur, annorum computandorum rationem exacta, quæ magna etiam, ni fallor, hanc Romanæ historiæ partem luce perfundet. Anno igitur ab V. C. CCLX. a regibus exactis, ut Ciceronem pro Cornelio sequutus, favente Deo, alias docebo, XV. Vetusius & Virgi-

nius, quo mense, incertum, sed ut ex Halicarnassei lib. VI. intelligitur post Kal. Sept. consulatum inierunt.

Anno U. C. CCLX. a regibus exactis XVI. Vetusius & Virginius continuarunt ad Kal. Sept.

Kalendis Septembribus Cassius & Cominius Coss. Halicarnasseus lib. VI.

Septembri extremo secessio plebis. Halic. lib. VII. initio: ut fallatur Livius, qui Cassium & Cominium per secessionem plebis inisse tradit.

Decembri mense plebs in urbem rediit.

IV. Idus Decembris Tribuni & Ædiles pl. primum creati. Tribunorum nomina extant, Ædilium intercidere.

Anno U. C. CCLXI. a regibus exactis XVII. ad Kal. Sept. Cassius & Cominius Coss.

Kal. Sept. consulatum ineunt Geganius & Minucius. His Consulibus Livius lib. II. & Halicarn. lib. VII. famem cœpisse volunt ex incultis superiore autumno per secessionem plebis agris. Quamobrem consules providerunt dimissis passim ad frumentum coemendum, non in Etruriam modo, Volscos & Cumas; sed quæsitum in Sicilia quoque. Cumis naves retentæ: in Volscis ne emi quidem potuit: legati in Siciliam missi vere insequenti, quam Attico more Halicarn. æstatem vocat, rediere magna frumenti vi advecta, quam partim emerant, partim a Syracusarum tyranno dono acceperant. fames igitur continuat in annum insequentem. In hunc Marcii, si primus ædilis fuit, largitio incurrit.

IV. Idus Decembris Ædiles Sicinius & Brutus. Icilius enim qui in Halicarn. historia Bruto jungitur, eo, qui sequitur, anno ædilitatem gessit, Sicinio tribuno pl. II.

Anno U. C. CCLXII. a regibus exactis XVIII. ad Kalend. Sept. Coss. Geganius & Minucius, quibus Coss. ut primum ver mare aperuit, rediisse legatos in Siciliam missos credere par est, nisi si quam patricii fraudem commiserunt. Agitatum igitur in Senatu, quanti frumentum plebi daretur. Erant, qui partim donandum, partim vendendum putarent, idque plebs exspectabat: sed Marcius Coriolanus tribunitiæ potestatis hostis acerrimus, qui contra sentiebant objurgando, negavit laxandam annonam, cui Senatus frequens ambitione atque avaritia corruptus assensus est. Quamobrem ei tribuni diem dixerunt. Plebs ira exarserat, neque erat obscurum suffragio ulturam dolorem suum. Patres igitur, ut Marcium eriperent, seque ac potentiam suam sartam tectam adversus crescentem in dies plebis impotentiam tuerentur, omni ope atque opera enixi sunt. Inter cetera lenimenta factum est S. C. ut frumentum, & res omnes ad victum necessariæ tanti essent, quanti minimi fuissent ante seditionem. Auctores Livius lib. II. Halicarn. lib. VII. Plutarchus in Coriolano. Frumentum gratis ut darent in tanto discrimine, a patribus impetrari non potuit; nec de ea re plebs laboravit. Quin pecuniam acceptam pro frumento Siculo Cassii rogatione sibi retribui recusavit. qua de re Livius lib. II. in actis anni CCLXVI. hæc habet: *Cassius ut sibi reconciliaret civium animos, jubere pro Siculo frumento pecuniam acceptam retribui populo. id vero haud secus, quam præsentem mercedem regni aspernata plebs.* Hæc satis docent, quanta morum postea facta sit labes, cum rivus hic tantis auctus sit tribunitiis largitionibus, ut earum molem ærarium vix ferret; & dissipato Reip. patrimonio pretium etiam levissimum ad ineundam a plebe gratiam remitteretur. Hanc igitur primam reperio certam & minime dubiam in Romana historia frumenti largitionem. De Marciana quid statuam, non habeo. Si primus Romæ ædilis Marcius fuit, anno ante superiorem facta est; & qui-

A dem non multo post initam ædilitatem. Cum enim circa brumam inisset, æstate fame laboratum est. Sed Marcium primum hoc honore esse perfunctum velim mihi certa aliqua & bene firma ratione persuaderi. Ut ut est, Plinii, quem recitavi, locus 2
adeo emendatione non eget, ut si quis PRIMUS cum Lipsio legat, non PRIMUM, ut est in vulgatis codicibus, locum proculdubio corrumpat, quæcumque tandem ejus sententia est. nam multæ esse possunt. Non constat, utrum pretii ratio habeatur, ut hoc dicat Plinius, a Marcio frumentum in modios assibus primum donatum; an magistratus, ita ut ante eum nemo ædilis dederit; an
B repetiti honoris, ut quemadmodum Sicinius iterum tribunatum, ita Marcius ædilitatem gesserit; an largitionis, ita ut prima hæc fuerit. Lipsius reliquas sententias dissimulat, probat postremam, atque ut sola videatur, emendat. Mihi prima iis, quæ proxime scripta erant a Plinio, ad quæ confirmanda Marcii exemplo erat usus, magis consentanea & conveniens videtur. *Iis moribus non modo sufficiebant fruges, verum etiam annonæ vilitas incredibilis erat.* fateor, qui sive pretium sive magistratum significari hic putet, nihil interesse, utrum is PRIMUS, an PRIMUM legat: sed fa-
C tendum illud quoque est, caussam Lipsio, cur quidquam mutaret, non fuisse, ne si demus quidem eam esse, quam vult, loci hujus sententiam. Alioqui cum alii sexcenti, tum ille esset rescribendus e lib. XV. cap. XXV. *Cerasi ante victoriam Mithridaticam L. Luculli non fuere in Italia. is primum invexit e Ponto.* Quid si Plinius *primum* dicere, quam *primus* maluit, ad ambiguitatem vitandam, ne quis forte Marcium primum ædilem plebis putaret? Sic igitur statuo, esse emendandi genus vetustis auctoribus in primis perniciosum, quo tollitur verbum, cujus multæ esse notiones possunt, & supponitur alterum, cujus vis pertinet ad pau-
D ciora. Quod si id eo consilio fiat, ut unum tantum significet, ferendum non esse, ne si constet quidem, id ipsum scriptorem dicere. Sed nimis diu hæsi in his duabus largitionibus. Tertius L. Minucio Augurino deberi videtur locus, quem tradit Livius lib. IV. fame urbem premente præfectum annonæ extra ordinem creatum, in eo magistratu frumentum assibus in modios æstimatum plebi divisisse. Coemerat id frumentum Sp. Mælius privata pecunia ad largitiones faciendas, ut delinita hoc munere plebe, regnum, quod affectabat, facilius occuparet. Sed eo oppresso necdum maturis consiliis, una cum reliquis bonis fuerat publica-
E tum. De eadem re Plinius lib. XVIII. cap. III. *Minucius Augurinus, qui Sp. Mælium coarguerat, farris pretium trinis nundinis ad assem redegit.* quod ita accipio, ut L. Minucius frumentum Mælianum assibus in modios vænale proponendo, adeo pretium ejus imminuerit, ut brevi tantidem in foro prostaret. Nec quemquam commoveat, quod Plinius *far* dicit, Livius *frumentum*. Late enim patet frumenti nomen; triticum, milium, far, hordeum complectitur, uno verbo omnes fruges, quæ legumina non sunt: ut ex Theophrasto docet Plinius lib. XVIII. cap. VII. & potest ex Livii & Halicarnassei locis inter se collatis intelligi.
F Quod enim scribit Livius lib. II. anno ab U. C. CCLXIII. ex Etruscis frumentum Tiberi venisse, id aperte prodit Dionysius lib. VII. fuisse milium & far: cum initio ejus libri missos tradat legates in Etruriam σῖτον, ὅσον ἂν δύναιντο πλεῖστον ὠνησαμένους. *ad frumenti vim, quantam maximam possent, comparandam:* & alibi eorum munus appellet σιτωνίαν *frumenti emptionem*: Ex quibus perspici potest σίτα nomine a Græcis, & *frumenti* a Latinis non triticum modo sive πυρὸν, sed multas

præterea fruges, & inter eas far significari. Id in tanto erat usu apud Etruscos, ut magnam ejus vim suppeditare vicinis possent. & Plinio teste lib. XVIII. cap. VII. *farre tantum e frumento*, id est, ex omnibus frumenti generibus, *trecentis annis usos Romanos tradidit*. Neque tamen fuisse hoc Mælianum proprie far certo affirmarim, quippe qui sciam veteres scriptores non raro triticum significare hoc nomine; poetas præsertim, quorum sunt illa de servorum dimenso:

*Quorum animas & farre suo custodit & ære.*

& de libertis frumento donatis:

*—— ut quisque Velina*
*Publius emeruit, scabrosum tesserula far*
*Possidet.*

Quæ cum scripta sunt, frumentum proculdubio est distributum. Præterea incurrit Augurini largitio in annum U. C. CCCXIV. cum P. R. cœperat jam uti aliis frugibus. Veruntamen usos Romanos diutius farre constat ex ea largitione, quæ facta est M. Manlio, cum Gallos Capitolium occupantes dejecit. Livius in actis anni CCCLXV. *Universi selibras farris, & quartarios vini ad ædes ejus, quæ in arce erant, contulerunt.* Auctor quoque de viris illustribus farre donatum prodit. Plutarchus in Camillo quid sibi voluerit, nescio, cum illa scriberet; si tamen ita scripsit: collara Manlio a singulis σίτου μὲν ἡμιλίτρον ἐπιχώριον (οὕτω γὰρ καλοῦσιν αὐτοί) οἴνου δὲ κοτύλης ἑλληνικῆς τέταρτον. *frumenti selibram vernaculi (sic enim vocant) & vini cotylæ Græcanicæ quartarium.* Si enim ita scripsit, notandum est *frumenti vernaculi* nomine significari solitum far. Sin verba illa mendosa sunt, videndum, ubi lateat vitium. Ego rem malo in medio relinquere, quam temere quoquam progredi. Usos autem Romanos, ut dicere cœperam, farre una cum aliis frugibus post annum ab U. C. trecentesimum docet iterum Livius lib. VII. in actis anni CCCCXII. nam militibus, qui cum Decio in expeditione fuerant, *legiones libras farris, & sextarios vini contulerunt.* Sequitur apud Plinium Trebii largitio, qui ut superiores populo frumentum assibus in modios præstitit. Quamquam autem hujus largitionis obscura sunt tempora, cum eam Livius prætereat, ut Marcianam, & scripta Dionysii non tulerint ætatem, ordo tamen, quo commemoratur a Plinio, & pretii levitas faciunt, ut credam, hanc ante eas factam fuisse, de quibus mox dicam. Nam reliqui ædiles multo pluris in maxima annonæ vilitate frumentum populo admensi sunt cum summa gratia. Testis Livius lib. XXX. anno U. C. DL *Magnam vim frumenti ex Hispania missam M. Valerius Falto & M. Fabium Buteo ædiles curules quaternis æris vicatim populo descripserunt.* Cum tamen anno superiore, quo Mater Deum advecta Romam fuerat, Plinio teste, Italia tantam frugum copiam tulisset, ut major ea æstate, quam antecedentibus annis decem, fieret vilitas annonæ. Biennio post, eodem Livio auctore lib XXXI. *L. Valerius Flaccus & L. Flaminius frumenti vim ingentem, quod ex Africa P. Scipio* (ita malo legere, quam cum Lipsio, *Proconsul*) *miserat, quaternis æris populo cum summa fide & gratia diviserunt.* Anno tamen insequenti U. C. IↃLIII. & rursus IↃLVII. dimidio minoris, id est, binis æris frumentum populo divisum est. Livius lib. XXXI. extremo: *Frumenti vim magnam ex Africa advectam ædiles curules M. Claudius Marcellus & Sex. Aurelius Pætus binis æris in modios populo diviserunt.* & lib. XXXIII. *Ædiles curules M. Fulvius Nobilior & L. Flaminius tritici decies centum millia binis æris populo diviserunt. Id C. Flaminii honoris caussa ipsius, patrisque, advexerant Siculi Romam. Flaminius ejus gratiam communicaverat cum collega.* Aut aliquam superiorum, aut aliam ejusmodi largitionem significat, ut opinor, Plutarch. in Catone Majore illis verbis: Μέλλων ποτὲ τὸν Ῥωμαίων δῆμον ὡρμημένον ἀκαίρως ἐπὶ σιτομετρίας καὶ διανομὰς ἀποτρέπειν, ἤρξατο τῶν λόγων οὕτως· Χαλεπὸν μὲν ἐστιν, ὦ πολῖται, πρὸς γαστέρα λέγειν ὦτα οὐκ ἔχουσαν. *Populum Romanum importune ad frumentarias largitiones ruentem ut averteret, ita exorsus est: Difficile est, Quirites, ad ventrem aurium expertem verba facere.* Quanquam idem Plutarch. ad aliud tempus atque occasionem hoc ipsum Catonis dictum accommodare videtur in Apophthegmatibus: Κάτων ὁ πρεσβύτερος ἐν τῷ δήμῳ τῆς ἀσωτίας καὶ πολυτελείας καθαπτόμενος εἶπεν· ὡς χαλεπόν ἐστιν λέγειν πρὸς γαστέρα ὦτα μὴ ἔχουσαν. *Cato major ad populum agens, cum luxuriam & profusos sumptus perstringeret, dixit: Quam difficile est verba facere ad ventrem, qui auribus caret.* Fieri sane potest, ut hoc dictum semel & iterum usurparit Cato; sed veri etiam simile est, eandem orationem utrobique a Plutarcho esse significatam. Nam luxus temperantia, immanes sumptus parcimonia ni fuissent potiores, nihil erat, cur vellent frumentum sibi publice suppeditari. Fortasse igitur illud orationis exordium fuit, hoc argumentum. Atque hæ sunt largitiones, quas invenio factas, antequam ullæ de eis ferrentur leges. Post eas latas observavi M. Sejum ædilem curulem ad ineundam a populo gratiam revocasse longo intervallo veterem annonæ vilitatem de suo. Cicero in II. de officiis: *Ne M. quidem Sejo vitio datum est, quod in caritate annonæ asse modium populo dedit.* Hic ille est M. Sejus L. F. qui *olei* quoque *denas libras*, rem hoc ævo prope incredibilem, *singulis assibus præstitit P. R. per totum annum*, ut est apud Plinium lib. XV. c. I. Incurrunt Sejanæ largitiones in annum U. C. IↃCLXXIX. qui Plinio est IↃCXXC. Neque vero Senatus modo aut Magistratus frumentum donarunt, verum etiam Privati, præsertim testamento, ut suspicari licet ex Horatio lib. II. Satyra III.

*Hæredes Staberi summam incidere sepulcro.*
*Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum*
*Damnati populo paria, atque epulum arbitrio Arri;*
*Frumenti quantum metit Africa.*

Sed ut ad publicas largitiones redeam, non dubito, quin multæ fuerint omissæ a Livio & Plinio, quarum memoria si extaret, haud paullo essent hæ, quas recensuimus, clariores atque illustriores. Ex his tamen intelligere licet, curationem annonæ, ejusque populo distribuendæ munus ab Ædilibus plebis ad curules esse translatum: pretium auctum, & imminutum pro frumenti copia; hoc distributum eo sæculo vicatim, ut oleum aliquando Livio teste lib. XXV Frumentarias provincias fuisse per ea tempora Hispaniam, Africam, Siciliam. Postremus autem Livii locus e libro XXXIII. excitat nos ad quærendum, quamobrem cum Falto & Buteo, Flaccus & Flamininus, Marcellus, & Pætus, Nobilior & Flaminius parem gloriam & famam tulerint ex divisione frumenti, celebrentur Marcius & Trebius, collegæ autem utriusque nulla relata a scriptoribus gratia, nec nomen posteritati sit propagatum. An Marcii unius, vel Trebii cura fuit importatum frumentum, neque communicata ejus gratia cum collega? an hi largiti sunt collegis aut inconsultis, aut repugnantibus? An solis aut S. C. aut sortito obtigit munus dividendi? An ipsi id sunt assequuti, quod tanto post Cæsar, cum esset ædilis, Bibulo collega, Dione lib. XXXVII. & Sue-

tonio cap. X. auctoribus, *ut communium impensarum solus gratiam caperet, nec dissimularet collega ejus M. Bibulus evenisse sibi, quod Polluci. Ut enim geminis fratribus ædes in foro constituta, tantum Castoris vocaretur; ita suam Cæsarisque munificentiam unius Cæsaris dici.* Nihil habeo, quod affirmem. Vera enim caussa, nisi res tota a scriptoribus manat, quæcunque demum est, in obscuro est.

## CAP. II.

### *Leges de frumentaria largitione.*

DE arbitrariis largitionibus hactenus; jam de iis dicam, quæ sancitæ sunt legibus ad perpetuitatem. Quamquam his quoque modo fixis, modo refixis, largitiones una usque eo fluctuarunt, dum venit Respub. in unius potestatem, qui gratuita annona bene emi imperium putaret. Hæ leges uno a plerisque omnibus nomine dici solent *frumentariæ*, a Cœlio epist. VI. libri XVIII. inter Ciceronianas ad familiares, *alimentariæ* appellantur; ab Asconio in Pisonianam *annonianæ*, sive, ut placet viris eruditissimis, *annonariæ*. Græci σιτικὺς νόμυς, & frumentationem σιτηρέσιον appellant. Sed & alterum habent, ut reliquæ omnes, a latoribus nomen; qui plurimum fuere Tribuni plebis, aliquando Coss. semel autem longo intervallo factum est de ea re S. C. Primus de stata perpetuaque frumentatione legem tulit C. Sempronius Gracchus anno V. C. DCXXX. primo tribunatu. Plutarchus in Gracchis: Τῶν νόμων, ὓς εἰσέφερε τῷ δήμῳ χαριζόμενος, ὁ μὲν σιτικὸς, ἐπευωνίζων τοῖς πένησι τὴν ἀγορὰν. *Quas in populi gratiam leges promulgabat, earum una fuit frumentaria, qua pauperibus frumenti pretium minuebatur.* Quibus verbis & pretium aliquod publico frumento dictum significat, & lege prospectum turbæ solum pauperiorum, cujus gratiam lator aucupabatur. Alter locus una illa re minus similis loci superioris, quod pretium exponit, est in Epitome LX. *C. Gracchus trib. pl. perniciosas aliquas leges tulit, inter quas frumentariam, ut semisse & triente frumentum plebi daretur. Semisse & triente* dicit, quod alii *semissibus ac trientibus* (tot enim modis veteres loquutos volunt) quod animadvertendum est diligenter, ne quem forte inducant, qui semis æris ac trientibus frumentum datum in modios affirmant: aut qui pretium fuisse tradunt senos æris trientes, id est, binos asses, corrupta sequuti Pædiani exemplaria in Pisonianam: aut qui frumentum distributum putant plebi urbanæ modo semissibus, modo tressibus, duplici errore. Nam & ex uno duo faciunt pretia, & ex trientibus tresses, id est, ex tertia assis parte tres asses, cum revera frumentum ne asse quidem vænierit, sed semisse ac triente, id est, dextante, seu mavis apertius, decem e duodecim assis partibus. Quid autem caussæ esse dicemus, cur veteres auctores semissis ac trientis nomina usurpare, quam dextantis maluerint, cum tamen idem una hac voce significetur, quod illis duabus? An hæc verba sunt ipsius legis? Sed tamen quid Graccho venit in mentem illa malle? Dicerem hæc repetita a veterum consuetudine, qui cum ære gravi uterentur, & XII. assis, vel, quod idem erat, libræ partes haberent; sex autem pondera, unciam, sextantem, quadrantem, trientem, semissem, ac libram; cum decem erant unciæ expendendæ, semissem ac trientem conjiciebant in lancem, ut citius negotium conficerent. hoc, inquam, dicerem, si quæ assis partes certum pondus non habebant ac suum, eas reperirem eadem ratione a veteribus expressas. Quando autem non reperio, suspicor Gracchum respuisse partes assis minutiores, & lege frumenti pretium in modios non certam modo pecuniæ summam fuisse, verum etiam certum nummi genus, semisses nimirum ac trientes, cum dextantes non cuderentur. De hac autem re lege cautum, vel ad levandum quæstorem molestia, vel ne permutanda pecunia tereretur tempus, vel alia de caussa, quæ æque mihi est ignota, atque eæ, quas attuli, dubiæ & incertæ. De hoc igitur amplius quærendum. Illud est exploratum & constat inter omnes frumentum hac lege gratis datum non fuisse. Unus a reliquis dissentire Lipsio videtur Appianus, 3. cum scribit Gracchum σιτηρέσιον ἔμμηνον ὁρίσαι ἑκάστῳ τῶν δημοτῶν ἀπὸ τῶν κοινῶν χρημάτων. *Frumentum menstruum publica pecunia coemptum viritim populo constituisse.* Mihi tamen venit in mentem suspicari, Appianum levissimi illius pretii eam habuisse rationem, quam habuit Plinius, cum proderet M. Marcium populo frumentum in modios assibus donasse; & Florus, cum lib. III. cap. XIII. inopem populum vixisse ait ex ærario suo. Tanta enim largitio fuit, ut frumentum donatum potius dici mereatur, quam venditum: & universa hæc jactura pertinebat ad ærarium, quod aut fraudabatur pecunia, quæ redigi potuisset ex frumento vendito, aut exinaniebatur tanta summa deprompta, quanta opus esset ad illud coemendum. Hinc illa apud Ciceronem in Sextiana: *Frumentariam legem C. Gracchus ferebat, repugnabant boni, quod & ab industria plebem ad desidiam avocari putabant, & ærarium exhauriri videbatur.* Et in II. de Officiis: *C. Gracchi frumentaria magna largitio fuit; exhauriebat igitur ærarium.* Et Tuscul. III. *effudisse maximis largitionibus ærarium* dicitur. Quid est autem ærarium, nisi ipsa κοινὰ χρήματα Appiani? Extat apud Priscianum lib. VIII. Orationis C. Gracchi fragmentum, quo grammaticus ille ostendit, *delargiri* a veteribus patiendi significatione esse prolatum. Gracchi verba hæc sunt: *Ærarium delargitur P. R.* quæ verba si ex ea, qua rogationem hanc suasit, oratione fuerunt, fortasse ad ita scribendum non modo Appiano, sed Ciceroni etiam, & Floro Gracchus ipse ansam dedit. Nec debuit Lipsio mirum id videri, cui mirum non accidit, scripsisse eundem historicum frumentum datum ἑκάστῳ τῶν δημοτῶν, *plebejo cuique*, & Senecam lib. IV. de beneficiis cap. XXVII. Frumentum accepisse omnes, quicunque cives essent; cum tamen non omnes, Lipsio judice, acciperent. Ut igitur in multitudine Senecam, & alios; sic in publico sumptu eos, quos dixi, Appianus habuit auctores. Ut accepisse omnes dicuntur, quia plurimi acceperunt: ita largitio facta ἀπὸ τῶν κοινῶν χρημάτων, *publico sumptu*, quia tota fere impensa fuit publica. Semproniam legem anno V.C.DCXXXII. 4. triennio post quam lata erat, Graccho interfecto, omnino autem multo ante convulsam a Sylla tribunitiam potestatem, abrogatam fuisse certum est. Tres enim de eadem re promulgatæ sunt leges ante Syllanam dominationem, una etiam perlata. Primæ auctor ignoratur: sed promulgatam C. Mario trib. pleb. accepimus. Is tribunatum iniit anno V. C.DCXXXIII. continuavit in annum DCXXXIV. auctor Plut. in ejus vita: Νόμυ γὰρ εἰσφερομένυ περὶ σίτυ διανομῆς τοῖς πολίταις, ἐναντιωθεὶς ἐρρωμενέστατα, καὶ κρατήσας &c. *Rogatione promulgata de frumento civibus dividendo cum vehementissime intercessisset, pervicissetque, ne ferretur.* Hoc, ut alia non pauca digna cognitu, in Livianis Epitomis prætermissum est, Scriptum autem fuisse puto lib. LXII. Altera lex fuit Appuleja, quam ferre conatus est L. Appulejus Saturninus anno V. C. DCLIII. aut circiter, quæ quominus ferretur, im-

pedimento fuit Cæpio quæstor urbanus, qui Senatum antea docuerat ærarium pati non posse tantam largitionem, ut est apud auctorem Rhet. ad Heren. lib. I. cui si hoc tantum nomine fides abrogatur, quod hoc solus prodiderit memoriæ, lex sancitur in veteres scriptores iniqua, & parum grati, ut libere dicam, adversus eos sumus. Sane & constat scriptorem illum haurire solitum exempla ex historiis, & illi non leviter suffragatur Florus, qui lib. III. cap. XVI. testatum reliquit, Saturninum Gracchanas leges asseruisse: & iterùm, rogandis Gracchorum legibus vehementer incubuisse. ut appareat non modo Sempronias leges jam tum fuisse abrogatas, verum etiam ceteras una cum frumentaria Saturninum referre conatum. Sed incubuit, opinor, præcipue in frumentariam, ut ignominiam deleret, qua fuerat affectus a Senatu, cum in annonæ caritate quæstor Ostiensis a sua frumentaria procuratione amotus est, eique rei M. Scaurus præfectus, ut Cicero tradit in orationibus pro Sextio, & de haruspicum responsis, in quibus affirmat, hujus ignominiæ dolore Saturninum factum esse popularem. Tertia lex frumentaria ante Syllana tempora fuit Livia, cujus auctor M. Livius Drusus tribunatu suscepto pro auctoritate Senatus, ut plebem adduceret in partes Optimatium, anno V. C. DCLXII. Semproniam largitionem revocavit. Sed per vim lata, jussaque lex, Druso eodem anno domi interfecto, abrogata est a Philippo, quem consulem legi repugnantem tribunitius viator faucibus apprehensum non ante dimiserat, quam sanguis in ora atque oculos redundaret. Florus Epit. LXXI. ubi diserte latam legem tradit, & lib. III. cap. XVII. Asconius in Cornelianam. A Drusi morte sociale bellum statim exarsit, id excepit civile, imo multa civilia, quæ tam exercitum habuere P. R. ut ne injecta quidem a tribunis fuerit mentio ullius largitionis. Ut autem rebus compositis injici non posset, fecit Sylla, qui cum invasisset Remp. tribunitiæ potestatis, adempto inter cetera omni jure legum ferendarum, nervos elisit. Eo consilio turbarum ac seditionum extinctæ sunt faces, quæ tamen eo mortuo statim revixere, cum plebs niti cœpit, ut tribunitia potestas in integrum restitueretur. Res fuit per multos annos magnis contentionibus frustra jactata Consulibus strenue tuentibus S. C. quo acta Syllæ confirmabantur, contra plebe summa vi pugnante, ne spoliata præsidio tribunitio potentum libidini esset exposita. Legatur de his turbis Marcii sive Macri sive M. Lepidi trib. pl. concio apud Salustium in libri III. historiarum fragmentis. Obiit Sylla anno V. C. DCLXXV. Est obviam itum omnibus plebis conatibus usque ad annum DCLXXX. quo anno tanto impetu coorta est plebs in patres, ut sustineri amplius non posset. Quare Coss. ejus anni C. Cassius & M. Terentius Lucullus, ut plebem delinirent, & ad rem integram in adventum Pompeii rejiciendam, si qua possent, adducerent (is tum in Hispania bellum gerebat cum Sertorio) Frumentariam legem tulere. Quo blandimento delinita plebs quietem egit usque ad annum DCLXXXIII. cum Cn. Pompejus & M. Crassus Coss. tribunitiam potestatem in integrum restituerunt. Legem hanc a latoribus veteres *Terentiam* & *Cassiam* vocant, Cicero altero contentus nomine *Terentiam* dixit lib. III. in Verrem. De hac insignis in ea, quam dixi, Marcii concione apud Salustium est locus: *Nisi forte*, inquit, *repentina ista frumentaria lege munia vestra pensantur, qua tamen quinis modiis libertatem omnium æstimavere, qui profecto non amplius prosunt alimentis carceris. Namque, ut illis exiguitate mors prohibetur, senescunt vires: sic neque absolvi cura familiari tam parva res potest, & ignavus quisque tenuissima spe frustratur.*

A Esse autem legem, qua de hic agit Marcius, non Rosciam, ut aliis placuisse video, sed Terentiam & Cassiam, apparet non solum ex eo, quod nullius extra hanc legis frumentariæ eo anno latæ mentio fit a veteribus scriptoribus, sed etiam quod Marcius, quo anno perlata lex Terentia est, eo ipso anno tribunatum plebis gessit. Porro eam legem frumentariam fuisse intelligimus ex Cicerone lib. I. in Verrem III. *Frumentum emere in Sicilia debuit Verres ex S. C. & ex lege Terentia frumentaria. Emundi duo genera fuerunt, unum certarum decumarum; alterum, quod præterea civitatibus æqualiter esset distributum.* B *Illius decumani tantum, quantum ex primis decumis fuisset; hujus imperati, tritici modium IↃCCC. M.* Quæ ita accipio, ut S. C. indictæ sint alteræ decumæ, lege vero Terentia & Cassia præterea imperata octingenta modium millia, & æqualiter distributa civitatibus, ut par omnium esset onus, & frumenti copia ad largiendum suppeteret. Quamobrem viris doctis affirmantibus legem hanc fuisse de frumento ex sola Sicilia exportando, atque ob eam caussam privilegium appellantibus, tantum abest, ut assentiar, ut mihi etiam persuadeam, unum modo caput id fuisse hujus legis, qua ipsa cautum esset, qui frumenti numerus in aliis provinciis, & quanti esset emendus. C Sane enim emptum oportuit, cum Siculum tribus circiter mensibus fuerit absumptum, ut ostendam cap. X. Nisi forte pars decumani distributa est; qua de re nihil habeo dicere. Ne dubitet igitur cum Lipsio quisquam, quin hæc 5-
lex sit perlata; id quærat potius, quod est adhuc obscurum, an fuerit temporaria, ut mihi videri solet. Si enim ad rem in Cn. Pompeii adventum differendam atque extrahendam comparatum est hoc remedium, eo jam reverso, restitutisque in integrum tribunis, fuit supervacaneum, atque ideo fortasse non adhibitum. Sed & cum plebi & patribus D male conveniret, veri admodum simile est, quod illa extorserat, hos, cum primum licuit, largiendi finem fecisse. Legem Terentiam post aliquot annos sequutum est S. C. factum in Catonis sententiam; de quo antequam scribere aggredior, dabunt mihi veniam, qui amant Græcas litteras, ut Salustii locum, quem supra attuli in medium, conferam cum loco Demosthenis ex Olynthiaca. III. unde proculdubio haustus est. Ibi enim summus orator θεωρικὰ χρήματα, id est, eas pecunias, quæ domi ex ærario civibus erogabantur, verbo, ut ab iis, qui spectaturi venirent in theatrum, exigerentur (neque enim erant loca gratuita) reipsa autem, E ut iis quisque uteretur arbitratu suo: eas igitur pecunias cibis iis ait esse persimiles, qui ægris a medico ministrari solent. Ut enim hi nec robur addunt invalido corpori, nec emori sinunt: sic illas pecunias nec sufficere ad vitam tolerandam, & segnitiei atque inertiæ segetem esse. ἴσως ἂν τῶν τοιούτων λημμάτων ἀπαλλαγείητε, ἃ τοῖς ἀσθενοῦσι παρὰ τῶν ἰατρῶν σιτίοις διδομένοις ἔοικε. Καὶ γὰρ οὔτε ἰσχὺν ἐκεῖνα ἐντίθησιν, οὔτε ἀποθνήσκειν ἐᾷ, καὶ ταῦτα, ἃ νέμεσθε νῦν ὑμεῖς, οὔτε τοσαῦτά ἐστιν, ὥστε ὠφέλειαν ἔχειν τινὰ διαρκῆ, οὔτε ἀπογνόντας ἄλλοτι πράττειν ἐᾷ. ἀλλ' ἔστι ταῦτα τὴν ἑκάστου ῥαθυμίαν ὑμῶν ἐπαυξάνοντα. *Fortasse hujusmodi lucra missa fecissetis,* F *quæ cibos referunt a medico ægris præscriptos. Neque enim illi validos reddunt, neque mortem obire sinunt. Hæc item, quæ nunc vobis distribuuntur, neque tanta sunt, satis ut prosint, neque aliud agere hac spe abjecta sinunt. quin uniuscujusque vestrum ignaviam auctum eunt.* Ceterum Salustius in loco transferendo ne hæreret omnino in Demosthenis vestigiis, ut in Lepidi consulis oratione in Syllam, quæ est inter fragmenta libri primi, servilia alimenta hæc appellarat, ita hic uti maluit

similitudine alimentorum carceris, quæ non minus essent exigua ac tenuia, quam ea, quæ medici, ut dicebat Demosthenes, ægris præscriberent. Talem cibum Asinio Gallo Tiberii jussu in publica custodia retento, nulla habita dignitatis ejus ratione, ministratum fuisse Dio tradit lib. LIIX. erat enim ejus τροφὴ τοιαύτη καὶ τοσαύτη, ὥστε μήτε τινὰ ἡδονὴν καὶ ῥώμην αὐτῷ παρασχεῖν, μήτε ἀποθνήσκειν αὐτὸν ἐᾶν. *cibus talis ac tantus, ut voluptatem aut robur afferret nullum, mori autem prohiberet.* Quibus verbis cum Græci oratoris, tum Latini historici ita est expressa sententia, ut de industria id factum videri possit, aut saltem casus industriam imitatus. Ut ut est, mirum in modum his confirmatur eorum sententia, qui locum hunc Salustianum ita legendum putant, ut eum nos describendum curavimus. in quo sequuti etiam sumus aliqua ex parte impressorum ante hos CXXX. plus minus annos codicum fidem, in quibus ita est: *Nisi forte repentina ista frumentaria lege munia vestra pensantur, qua tamen quinis modiis libertatem omnium æstimavere, qui profecto non amplius possunt alimentis carere. Namque ut illis exiguitate mors prohibetur, senescunt vires: sic neque absolvi cura familiari tam parva res, & ignavi quisque tenuissimas perfrustratur.* Quæ in his bene habent, in recentius impressis codicibus depravata reperias ad hunc modum: *Cum tamen qui his modis libertatem omnium æstimavere.* Ex reliquis, ut sunt a me interpuncta & restituta, hæc eruitur neque absurda, neque obscura sententia. Ut eorum, quæ in publica custodia retentis ministrari solent, alimentorum exiguitate, ita hac quinque non amplius modiorum largitione nihil aliud quam mors prohibetur; cum tam parvus frumenti modus neminem liberet cura rei familiaris: nihil aliud quam senescunt vires, cum *ignavus quisque* (ita lego, puto enim inflexam virgulam, qua *us* significatur, librario litteram *i* visam esse) tenuissima ipse frustretur. Neque hæc solum translata sunt a Demosthene in eam concionem, sed alia non pauca; præcipue autem, quæ superioribus verbis statim subjiciuntur; *Quæ tamen quamvis ampla, quoniam servitii pretium ostentaretur, cujus torpedinis erat decipi, & vestrarum rerum ultro injuria gratiam debere?* Item illa de paucorum dominatione sub concionis initium: *Qui per militare nomen ærarium, exercitus, regna, provincias occupavere, & arcem habent ex spoliis vestris: cum interim more pecudum vos multitudo singulis habendos fruendosque præbetis, exuti omnibus, quæ majores reliquere,* Quæ partim expressa sunt, partim adumbrata ex uno ejusdem orationis loco: Κύριοι μὲν τῶν ἀγαθῶν οἱ πολιτευόμενοι, καὶ διὰ τούτων ἅπαντα πράττεται. ὑμεῖς δὲ ὁ δῆμος ἐκνενευρισμένοι, καὶ περιῃρημένοι χρήματα, συμμάχους ἐν ὑπηρέτου καὶ προσθήκης μέρει γεγένεσθε, καὶ τὸ πάντων ἀνανδρειότατον τῶν ὑμετέρων αὐτῶν χάριν προσοφείλετε. *Bona omnia in eorum, qui rempublicam administrant, sunt manu, & per hos omnia geruntur. Vos autem populus enervati & spoliati pecuniis, sociis in famuli & accessionis loco estis. quodque omnem ignaviam superat, eorum ipsorum, quæ vestra sunt, gratiam insuper debetis.* Quæ postrema verba adduxerunt me aliquando ad suspicandum, legi posse apud Salustium *vestrarum rerum ultra injuriam gratiam debere*, ut expressa sit vis verbi προσοφείλειν. id est, non solum injuria non commoveri, sed gratiam præterea debere. Verumtamen nihil muto. Jam ad S. C. redeamus factum in Catonis sententiam anno V. C. DCXCI. Cum enim metuerent Patres C. Cæsarem, quem in prætura studere videbant rebus novis, & plebem solicitare, iverunt frequentes in Catonis sententiam suadentis, ut quando superioribus annis Resp. ma-

A gnum ex frumentaria largitione ceperat fructum, collatis repente hoc remedio in tranquillum omnibus turbis, ea denuo Cæsaris conatibus obviam irent, occupatosque animos pauperiorum hoc munere sibi conciliarent. quo facto Cæsaris spes in ventos abiere, nec moliri quidquam ausus est. Plutarchus id prodit in Catone his verbis: ὁ Κάτων ἔπεισε τὴν βουλὴν ἀναλαβεῖν τὸν ἄπορον καὶ ἀνέμητον ὄχλον εἰς τὸ σιτηρέσιον, ἀναλώματος μὲν ὄντος ἐνιαυσίου χιλίων καὶ διακοσίων καὶ πεντήκοντα ταλάντων. περιφανῶς δὲ τῇ φιλανθρωπίᾳ ταύτῃ καὶ χάριτι τῆς ἀπειλῆς ἐκείνης διαλυθείσης. &c. *Cato persuasit Senatui, ut pauperum turbæ largitionis experti* (nam Lipsium non audio ἀνέμητον 6.
B *infinitum* vertentem) *denuo frumentum daret. Annuus sumptus erat ille quidem talentum M. D L. Sed hac humanitate & beneficio minis illis aperte discussis* &c. Idem in Cæsaris vita: Κάτων φοβηθεὶς μάλιστα τὸν ἐκ τῶν ἀπόρων νεωτερισμόν, οἳ τοῦ παντὸς ὑπέκκαυμα πλήθους ἦσαν ἐν τῷ Καίσαρι τὰς ἐλπίδας ἔχοντες, ἔπεισε τὴν σύγκλητον ἀπονεῖμαι σιτηρέσιον αὐτοῖς ἔμμηνον. ἐξ οὗ δαπάνης μὲν ἑπτακόσιαι πεντήκοντα μυριάδες προσεγίνοντο τοῖς ἄλλοις ἀναλώμασιν. τὸν μέντοι μέγαν ἐν τῷ παρόντι φόβον ἔσβεσεν περιφανῶς τὸ πολίτευμα τοῦτο, καὶ τὸ πλεῖστον ἀπέρρηξεν τῆς Καίσαρος δυνάμεως. *Cato metuens majorem in modum,*
C *ne tenuis ac jejuna plebecula, quæ collocata in Cæsare spe, reliquæ multitudini subdebat faces, quid moliretur novi; persuasit Senatui, ut menstruum illi frumentum distribueret. quæ accessio fuit septingentarum quinquaginta myriadum (sive sestertium trecenties) ad reliquos sumptus. Eo consilio magnus, qui tum omnes invaserat, metus aperte sublatus est, plurimumque de Cæsaris potentia detractum*: In his duobus locis tria sunt maxime digna, quæ animadvertantur. Primum pecuniæ vis effusa quotannis in has largitiones, quæ sunt DCCL. aureorum millia. Singulæ enim Græcorum myriades mille aureis nostris scutatis respondent.
D Deinde Catonem fuisse auctorem Senatui τοῦ ἀναλαβεῖν τὸν ἄπορον καὶ ἀνέμητον ὄχλον εἰς τὸ σιτηρέσιον, Non enim hoc dicit, fuisse per ea tempora ὄχλον (ut ita dicam) νεμητόν. id est, *multitudinem, quæ frumentum de publico acciperet*: suasu autem Catonis turbæ etiam egenorum, qui erant ἀνέμητοι, & largitionis hujus expertes, datum. Potest enim hæc quoque sententia exprimi ex illis verbis. sed negat fuisse tunc ullam in Republica frumentariam largitionem. Id vult intelligi ex eo, quod sumptum in eam factum non iis impensis accessisse dicit, quæ antea fierent in frumentum, quibuscum si ulla fuisset largitio, conferendæ erant; sed τοῖς ἄλλοις ἀναλώμασιν, id est, *reliquis sumptibus*, qui necessario
E fiebant in Republica. Sed & in verbo ἀναλαβεῖν intermissæ ac repetitæ rei significatio est. Postremo notandum utrobique verbum ἔπεισε, quod Græcis interdum *suadere*, sæpius tamen *persuadere* significat: notanda verba, quibus clauditur uterque locus, quod iis quasi testibus omni exceptione majoribus probetur, non modo actum esse in Senatu de frumento distribuendo, verum etiam reipsa fuisse distributum. Quod si quis est, cui hoc videatur ob- 7
F scurum, quamquam reapse clarissimum est; nullas profecto in his Plutarchi verbis, quæ in civilibus monitis leguntur, tenebras offendet. Κάτων τὸν δῆμον ὑπὸ Καίσαρος ὁρῶν ἐν τοῖς περὶ Κατιλίναν διαταρασσόμενον, καὶ πρὸς μεταβολὴν τῆς πολιτείας ἐπισφαλῶς ἔχοντα, συνέπεισε τὴν βουλὴν ψηφίσασθαι νεμήσεις τοῖς πένησιν, καὶ τοῦτο δοθὲν ἔστησε τὸν θόρυβον, καὶ κατέπαυσε τὴν ἐπανάστασιν. id est. *Cato Catilinariæ conjurationis temporibus cum videret esse periculum, ne plebs a Cæsare sollicitata ad mutandam Reip. formam prolaberetur, persuasit Patribus, ut S. C. fieret de frumento tenuioribus distribuendo. idque distributum omnem sedavit tumultum, & seditionem*

*repressit*. Illud minus liquet, quod est vel præcipuum, fuerit ne hæc lex diuturna, & rata usque ad Clodiam. Non fuisse diuturnam, sed annuam suspicari quis posset, eo quod prætore Cæsare imminebat Reip. periculum; ne se plebi rerum novarum avidæ in tanta potestate seditionis ducem præberet. At ex prætura ulteriorem Hispaniam sortitus, neque more, neque jure, antequam provinciæ ordinarentur, profectus est, ut prodit Suetonius Cap. XVIII. ita ut in urbe turbare absens nihil potuerit eo anno, & magna insequentis parte, quæ in reditu ad urbem consumpta est. Contra diuturnam legem hanc fuisse indicare videtur Plutarchus, qui sumptum scribit fuisse ἐνιαύσιον, *anniversarium*, & factum, ut ipsemet, interpretatur, ἐνιαυτῷ, *quotannis*. Et fuit sane Romanæ prudentiæ prospicere, quantas ille turbas esset daturus, qui prætura turbulentissime gesta, in provinciam ad eum, quem dixi, modum esset profectus; & largitione plebis animos optimatibus devinctos tenere. Sed & Cicero productam esse usque ad leges Clodias hanc largitionem significare videtur ad Atticum II. epist. XIX. ubi narrat, ludis Apollinaribus Curioni filio in theatrum venienti cum ita plausum esset, ut salva Rep. tulisse id Cæsarem graviter, & fuisse, qui ob eam caussam Rosciæ legi, etiam frumentariæ minitarentur. Etsi hunc locum qui expenderit diligentius, is non facile statuet, utrum de lata jam lege, an de ferenda hæc Cicero scripserit. Quod si latam significat, utrum ea sit, de qua disputamus, an alia quæpiam. Me quidem ancipites in diversum trahunt conjecturæ. De lata jam lege loqui Ciceronem suadet Roscia, quæ frumentariæ jungitur, & perlata est ante aliquot annos, quam hæc scriberentur. Esse autem eam legem frumentariam idipsum, quo de agimus, S. C. ut suspicer, facit mirum scriptorum omnium, quod quidem hactenus animadverterim, de lege frumentaria inter hanc & Clodias interjecta, silentium. facit breve spatium temporis, inter has elapsum, quod triennium non amplius fuit. facit desultoria, ut ita dicam, Senatus levitas; si quod populo dedit, mox eripuit, ut non multo post redderetur. Nam S. Cta. quin legum nomine interdum veniant, negari non potest. Aliæ rursus ad aliam legem ante Clodias latam ducunt conjecturæ. Quis enim minus proprie hic accipi legis nomen præstare audeat? Nec si nullius præter hanc legis mentio reliqua est, potest continuo confici nullam fuisse. Multa enim sunt ab iis, qui ad nos pervenerunt, scriptoribus præterita, & quædam adhuc in tenebris delitescunt. Ut igitur neque Plutarchus, neque alii prodiderint, Cæsare consulatus candidato, & nihil in summo magistratu non auscuro latam denuo frumentariam legem; tamen sæpius expertam, & prope solennem plebis deliniendæ rationem in tanto discrimine esse neglectam credi vix potest. Cum præsertim Cæsarem consulatum petentem numaria etiam largitione legibus vetita optimates sibi oppugnandum putarint; *ne Catone quidem abnuente eam largitionem e Repub. fieri*, ut est apud Suetonium cap. XIX. Ad extremum, ut Cicero ait, *nemo doctus unquam mutationem consilii inconstantiam dixit esse*. Non modo autem de jam lata lege, verum etiam de ferenda hæc accipi possunt: ea scilicet, quam P. Clodius auram popularem captans, & studium plebis in tribunatu sibi mandando jactaret; quam Cæsaris amici negarent se ferri passuros. Quamquam enim scripta est hæc epistola Cæsare ipso & Bibulo Coss. post ludos Apollinares qui ex vetere Kalendario fiebant pridie Nonas Julias, & Clodius eo tempore nondum erat tribunus pl. creatus, comitiis dilatis a Bibulo in mensem Octobrem, ut est in XXI. ejusdem libri; is tamen Cerealibus Aprili mense jam se tribunatus candidatum professus erat, ut ex epist. VIII. intelligitur. Quamobrem fieri potest, ut Cæsaris amici, aut Clodium se de sententia deducturos, aut tribunum inventuros, qui intercederet, minitarentur. Quæ igitur ambiguam rem faciunt, hæc sunt. Neque tamen dissimulabo, quæ pro S. C. rationes afferentur, eas mihi firmiores videri. Quibus accedit, quod dubitari non poterat, quin Cæsar brevi consulatum peteret. Quamobrem patribus faciendum fuit, ut bene cœptam largitionem perseverando, illi aut ad magistratum, aut ad res novas in eo moliendas præcluderent viam. Cujus autem stultitiæ fuisset Cæsaris amicos id se populo erepturos minari, quod in populi ipsius manu & suffragio situm esset? Tandem leges Clodiæ utrum fuerint eo tempore jactatæ, an non fuerint, obscurum est. Leges Clodias appello, non legem. 8.
Duas enim fuisse reperio frumentarias eodem anno latas, non unam, ut plerisque omnibus hactenus persuasum fuit. Nisi me forte Dio fallit apud quem lib. XXXVIII. in actis anni DCXCVI. hæc leguntur: Ὁ οὖν Κλώδιος τὸν σῖτον προῖκα αὖθις διένειμε. τὸ γὰρ μετρεῖσθαι τοῖς ἀπόροις τοῦ Γαουινίου ἤδη, καὶ τοῦ Πίσωνος ὑπατευόντων εἰσηγήσατο. *Clodius igitur frumentum denuo gratis divisit. Tulerat enim ad populum, ut daretur pauperibus, cum primum Gabinius & Piso consulatum inierunt.* αὖθις dicit, *rursus*, legem posteriorem significans, quæ lata est de publico frumento, quod lege Sempronia semisse ac trientibus ad eam diem datum erat, gratis dando. Non enim suasu Catonis plane donatum erat; id 9.
quod suspicatus est Lipsius in Admirandis. atque haud scio, an hoc illi Dionis verbum, quo ego errorem convelli puto, ad errandum ansam præbuerit. Neque enim ipse aperit, qua nitatur conjectura: & apud alios scriptores frumenti a patribus gratis dati nec vola, ut ajunt, nec vestigium est. Dedit iterum Clodius gratis ex Dione, ante igitur gratis datum erat. falsum est. Cur enim Plutarchus impensarum mentionem facit? Cur lege Clodia priore gratis datum non est? Cur remissos a Clodio, non a patribus semisses ac trientes queritur Cicero? certe illi præivissent, quod hic sequeretur. Clodia lex prior, si usque ad eam ratum fuit S. C. aut de perpetua frumentatione, aut de majore pauperum numero ad eam admittendo, aut de utroque; sin ratum non fuit, insuper de revocanda largitione lata est. Utraque lex in annum incurrit V. C. DCXCV. ex Fastis Capitolinis, ex Dione autem in annum DCXCVI. Gabinio & Pisone Coss. qui Cæsari & Bibulo successerunt. Invenit scilicet Clodius lege posteriore, quid largiretur. quamquam M. Livius, cum leges suas ferret, atque inter eas frumentariam, jactare solitus fuerit, Floro teste, *nihil se ad largitionem ulli reliquisse, nisi si quis aut cœnum dividere vellet, aut cœlum*. Restabat effundenda largitionibus quinta prope pars vectigalium, quam Cicero in Sextiana amissam affirmat hac lege. De publica hac jactura quæram alias opportunius, atque accuratius: nunc satis sit intelligere eo majorem fuisse, quod viguit hæc lex omnium diutissime. Cum enim reliquæ ad breve spatium temporis fuerint ratæ, hæc ad tria sæcula fixa & firma nomen solum amisit. Caussa diuturnitatis fuit ambitio mater civilium bellorum, quæ sunt extincta funere & clade Reip. Dum nemo parem fert, nedum priorem, atque ob eam caussam serviunt omnes plebi miseris modis, & populi gratiam Reip. incommodis aucupantur, non ausus est quisquam verbum unum facere de Clodia lege abroganda.

De

## C A P. III.

*De frumentariis Principum largitionibus.*

VErum ad legis Clodiæ diuturnitatem nihil valuit æque ac Resp. redacta in unius poteſtatem. Cæſar enim rerum potitus animadverſo, quantum eſſet momentum in hac largitione ad plebis animos ſibi conciliandos, largiri perſeveravit, fruſtra ſuadente Saluſtio, ut provideret, uti plebs publico frumento corrupta haberet negotia ſua; & frumentum id, quod antea præmium ignaviæ fuerat, per municipia & colonias militibus daretur, cum ſtipendiis emeritis domos revertiſſent. Quin tantum abfuit, ut audiret Saluſtium, ut præter congiaria, quæ actis uno menſe quattuor triumphis P.R. dedit, frumenti etiam denos modios viritim donarit. Sueton. c. XXXVIII. *Populo frumenti denos modios ac totidem olei libras diviſit*. Dio l. XLIII. *σῖτον ἔξω τῦ τεταγμένυ, ὴ ἔλαιον προσέδωκεν αὐτῷ (τῷ δήμῳ) frumentum inſuper extra ordinem atque oleum ipſi (populo) dedit*. ubi hanc largitionem aperte extraordinariam fuiſſe teſtatur. quod facit, ut mirer Lipſium conjeciſſe ordinariam quoque fuiſſe modium denum. Quamquam autem in eorum, qui largiebantur, poteſtate erat iis largiri, quibus collibitum eſſet; Cæſar tamen iis ipſis menſus eſt, qui publicum frumentum accipiebant. Auguſtus deinde patris conſilium ſequutus hoc quoque *πολίτευμα* adhibuit firmandæ dominationi; *atque ut militem donis, ſic populum annona pellexit*. Dedit enim publicam; dedit privatim coemptam; dedit frequenter extra ordinem in annonæ caritate. Proditum a Dione eſt lib. LV. Auguſtum, cum fame ingenti premeretur urbs, donaſſe plebi alterum tantum frumenti, quantum e publico ſolita erat accipere. Dederat etiam multis ante annis quadruplum cum VI. conſul ludos exhibuerat pro Actiaca victoria, eodem teſte l. LIII. Quæ largitiones fame vexante urbem ab Auguſto ſunt factæ, eas complexus eſt egregie Suetonius c. XLI. paucis verbis: *Frumentum in annonæ difficultatibus ſæpe leviſſimo, interdum nullo pretio viritim admenſus eſt*. In quibus verbis dignum eſt animadverſione, frumentum ſæpe extra ordinem venditum fuiſſe leviſſimo pretio. Hinc enim intelligere eſt, majorem multo fuiſſe publici frumenti numerum eo, qui abibat in largitiones. Quæ obſervatio Taciti locum, de quo diſputabimus inferius, non mediocriter illuſtrabit. Auguſtum tamen & ſuopte ingenio, & cura tuendi principatus propenſum ad liberalitatem, cum multos magna quondam ſterilitate ac difficili remedio urbe expellere coactus eſſet, impetus cepit frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quod earum fiducia cultura agrorum ceſſaret. Nec perſeveravit, quia certum habebat poſſe per ambitionem aliquando reſtitui. Sueton. c. XLII. ab ipſo Auguſto hoc proditum ſcribit. Tot tantarumque largitionum memoriam conſignatam ab eo monumentis breviarii rerum a ſe geſtarum facile mihi perſuadeo. Sed vetuſtas, cui in marmora & æra, nedum in nos homullos jus eſt, invidit nobis tam certa earum teſtimonia corrupto atque exeſo magna ex parte lapide Ancyrano; perditis autem, omninoque ſublatis e medio aheneis pilis, in quibus Romæ erat ſcriptum. De publico frumento in eo lapide ſemel tantum mentio fit obiter in capite, quod aſcribam, cum de accipientium numero diſputabo. De coempto privata pecunia in eodem monumento hæc leguntur:

A ITERVM AERE MEO VIRITIM CONSVL VNDECIMVM DVODECIM FRVMENTATIONES FRVMENTO PRIVATIM COEMPTO EMENSVS SVM.

Suſtuli ex hoc fragmento inſigne mendum, quod
editiones omnes inſederat, & pro illis verbis AE-
RE MERVI ET. quæ nauci non ſunt, repoſui
AERE MEO VIRITIM. ut legi in lapide ipſo
Ancyrano audeo affirmare. AERE MEO fortaſſe
dixit Auguſtus in hoc capite, quod in ſuperiore,
EX PATRIMONIO MEO. Poteſt tamen hoc i-
pſum non incommode ad hæreditates etiam refer-
B ri, de quibus mox dicam. Robur adjicit huic e-
mendationi, quod ſubjicit, FRVMENTO PRI-
VATIM COEMPTO. Sic enim curavi edendum
in ipſo fragmento, non COLUMEIO, ut viri
doctiſſimi, ſed hac quidem in parte nimis religio-
ſi. Parcenda hæc religio eſt veteribus ſcriptori-
bus, qui a nobis tractantur: in his autem fœdiſ-
ſimis vetera monumenta deſcribentium peccatis
procul ableganda. VIRITIM etiam ſcripſi, veſti-
gia ſequutus harum litterarum VI. ET. atque i-
pſum adeo Auguſtum, & veteres ſcriptores, qui
hanc vocem adhibent ad ſignificandas frumenta-
C rias & numarias largitiones. Ex hoc igitur capite
ad eum, quem dixi, modum reſtituto intelligi-
mus, Auguſtum, quo anno XI. conſul fuit, fru-
mentum ſingulis menſibus plebi gratis dediſſe co- 10.
emptum ære ſuo. Id utrum fecerit ob reditum in
urbem ex Cantabria devicta; an ob conſulatum;
an ob peſtem, quæ graſſari eo anno cœpit, non
liquet. Illud conſtat, Auguſtum, niſi ſi fuit divi-
nus, ad famem, ut Lipſio videtur, levandam lar-
giri non potuiſſe: cum fames non niſi anno inſe-
quente ex incultis per ſuperioris anni luem agris
premere urbem cœperit Dione teſte initio libri
LIV. Frumentum datum credo, ſed ab eo, quod
D additur, privata pecunia coemptum fuiſſe, aſſen-
ſum cohibeo. Quamquam enim cum ſæpe alias
Auguſtus, tum ſupremo teſtamento profeſſus eſt,
abſumpta a ſe in Remp. duo paterna patrimonia,
& ſupra quaterdecies millies, quod ex teſtamen-
tis amicorum perceperat (quæ minimum ſunt
trecenties quinquagies centena aureorum millia,
vel ut nunc vulgo loquimur, quinque & triginta
milliones) arguitur tamen ſemel & iterum men-
dacii a Dione lib XLVI. ut qui militibus pecunias
diviſerit *λόγῳ μὲν οἴκοθεν, ἔργῳ δὲ ἐκ τῶν κοινῶν, verbis de ſuo, reapſe de publico*, & plebi R. cente-
nos vicenos nummos a patre legatos, non privata,
E ut videri vult in his fragmentis, ſed publica pecu-
nia perſolverit. Verumtamen favet Auguſto, quod
hiſtoricus idem tradit, ludos pro Actiaca victoria
privato ſumptu ab eo factos. Cœperat ſcilicet ab-
undare Auguſtus, & jam ſecurus imperii tam lar-
ge effundebat privatam pecuniam ad illud retinen-
dum, quam publicam olim ad idem occupandum.
Tiberius maxime tenax, minime popularis, raro
admodum quidquam donavit. Obſervavi tamen
apud Tacitum lib. II. novum ab eo excogitatum
largitionis genus nummariæ ſimul, & frumenta-
riæ: *Nam ſævitiam annonæ incuſante plebe, ſtatuit*
F *frumento pretium, quod emptor penderet, binoſque*
*nummos ſe additurum negotiatoribus in ſingulos mo-*
*dios*. Idem ſcribit lib. XV. Neronem cum urbs de-
lagraſſet, pretium frumenti minuiſſe uſque ad
ternos nummos, quod non perinde accipiendum
eſt, ac ſi aut Nero, aut qui ante eum impera- 11.
runt, pretium ullum vel leviſſimum dixerint
publico frumento, quod lege Clodia gratis dari
cœperat; id quod video Lipſium eſſe ſuſpicatum
commentariis in Tacitum. Fuit enim ab ea le-
ge frumentum omnino gratuitum. Multo etiam

minus hæc de eo accipienda, quod *supra annonarum modum, supraque menstruam tesseram capiebant*. Nero enim prætextu hujus incendii ad quoddam tempus legitimo frumento plebem fraudavit. Xiphilinus: *ἐπὶ τῇ προφάσει τοῦ ἐμπρησμοῦ τῶν Ῥωμαίων τὸ σιτηρέσιον παρεσπάσατο. Incendium caussatus frumentationem publicam sustulit*. Sed pretium, cujus meminit Tacitus, frumenti fuit a Nerone vænalis propositi ad sublevandas P. R. calamitates. Quantum enim collatis inter se horum scriptorum locis odorari possum, legitima largitione, ad quam plebis quota pars admittebatur, sublata, emensus est Nero P. R. sine ullo discrimine frumentum sestertiis ternis, id est, pretio levissimo in modios æstimatum. Magnam Tacitus fuisse hanc largitionem significat; major tamen erat futura omnino gratuita. Sed fuit, ut suspicor, Neronis consilium, pretio levissimo frumenti constituto, una eademque opera populum lenire sibi infensum, ut incendii auctori, & simulare tantam a se quoque factam jacturam, ut neque dare frumentum posset omnino gratuitum, & a provinciis privatisque collationes recipere, atque adeo efflagitare cogeretur. id quod ab eo factum tradit præter Suetonium cap. XXXVIII Xiphilinus, quem ea, quam dixi, ratione Tacito concilio. Fuit alterum quoque pretium annonæ, certa scilicet summa pecuniæ, qua frumentum & privatum negotiatorum, & publicum, quod reliquum faciebant largitiones, vænibat. Ea summa pro copia frumenti, quæ in urbe erat, ut nunc quoque usu venit, & pro anni proventu, nunc major erat, nunc minor. *Modus annonæ* vocatur a Tacito lib. XV. Plinius lib. XVIII. cap. X. *annonam mediam* vocat, cum frumento nec vilitas, nec caritas est, sed pretio vænit mediocri ac tolerabili. De Principum largitionibus hactenus. Neque enim persequi omnes institui, sed specimen tantum exhibere volui, ex quo liceret conjecturam facere de aliis non paucis, quas de industria prætereo; ne cui forte in rebus cuilibet obviis immorari, aut contexere historiam videar.

## CAP. IV.

*De pane pro frumento dari cœpto.*

FRumentaria largitio cum diu obtinuisset, panis tandem successit in ejus locum. De eo igitur, quando vicarius fuit publici frumenti, non abs re erit pauca disputare, ut prima ejus
12. origo, si qua potest, in lucem eruatur. Lipsius hanc annonæ mutationem factam a Trajano, omnino autem circa Flaviorum imperium suspicatur. Adduxere eum in hanc sententiam veteres in Persium commentarii, qui Satyra III. *farinam populi cribro decussam* panem fiscalem interpretantur. Ut, cum Persium decessisse constet anno imperii Neronis VIII. Rubrio Mario & Asinio Gallo Coss. jam tum panis pro frumento datus videatur. Accedit alter Juvenalis locus, quem floruisse Domitiani temporibus, atque adeo vitam usque ad Adrianum produxisse volunt. Is igitur Satyra X. de Populo Rom. scribens, qui dabat olim imperium, fasces, legiones, omnia: nunc, inquit, se

*Continet, atque duas tantum res anxius optat,*
*Panem & Circenses.*

*Panem* ecce nominat, non *frumentum*. Confirmat eum in hac sententia Aurelius Victor, qui Trajanum prodit annonæ perpetuæ mire consu-

A luisse, reperto, firmatoque pistorum collegio. *Si enim*, inquit, *pistorum collegium a Trajano ad commodandum annonæ, ergo & panis*. Duo hic largitionis hujus initia nemo, opinor, tangi non videt: cum Trajanus quadragesimo ferme, postquam illa a Persio scripta sunt, anno imperium susceperit. Uter igitur panem primus dedit, Nerone, an Trajanus? Non aperit Lipsius, quid sentiat: quamquam scriptores veteres, quos testes producit, digladiari videntur inter se; neque est Scholiastæ Persii auctoritas cum Juvenale ipso & Victore comparanda. Mihi vero, ut fatear ingenue, quod sentio, verum neutrum videtur: &
B rationes a Lipsio allatæ in medium paullo negotio dilui possunt. Primum veteres illi in Juvenalem & Persium commentarii non tantum apud me, quantum apud alios plerosque habent auctoritatis pondus. Multa in illis antiqua reperias, multa recondita, multa optimæ notæ: sed contra in iisdem non pauca observavi recentia, frivola, falsa, & ab eorum, in quos sunt scripti, poetarum sententia aliena; quæ propemodum clamant eos non esse sinceros, sed ut alios plerosque (præcipue autem in Satyras Horatianas) infuscatos. Quamobrem adhibenda in iis legendis cautio est, ne
C quem forte vetustatis opinione rapiant in errorem. Rationem censuræ tam asperæ in hos commentarios meæ differam in aliud tempus: nunc satis erit ostendere, obscuratam ab eis, quasi nube obducta, clarissimam Persii sententiam panis fiscalis mentione. Carpebat enim poeta divites, gulæ & luxuriæ mancipia, qui panem atque holera, quibus utitur plebs, aspernabantur, superbum hoc fastidium prætexentes levi aliqua excusatione:

*—— Positum est algente catino*
*Durum bolus, & populi cribro decussa farina:*
*Tentemus fauces. tenero latet hulcus in ore*
D *Putre, quod haud deceat plebeja radere beta.*

Cujus loci priorem partem tantum non interpretatus est Plinius lib. XIX. cap. IV. longa, eaque acerbissima divitum luxus insectatione, de qua pauca operæ pretium est delibare: *Ferendum sane fuerit exquisita nasci poma, alia sapore, alia magnitudine, alia monstro pauperibus interdicta: inveterari vina, saccisque castrari, nec cuiquam adeo longam esse vitam, ut non ante se genita potet. E frugibus quoque quoddam alimentum excogitasse luxuriam, ac medulla tantum earum, superque pistrinarum operibus, & cælaturis vivere, alio pane procerum, alio vulgi, tot generibus usque ad infimam ple-*
E *bem descendente annona. Etiamne in herbis discrimen inventum est, opesque differentiam fecere in cibo etiam uno asse venali? In his quoque aliqua sibi nasci tribus negant.* Reliqua legantur apud illum tristissimum & asperrimum censorem morum, quem cum lego, nec Persium, nec Juvenalem desidero, ac ne Lucillium quidem; quamquam velut stricto ense infremuisse dicitur. Sed Juvenalis mentio opportune facta revocat mihi in memoriam Satyram ejus V. cujus idem ferme est, quod superioris Pliniani loci argumentum, sed ita tra-
F ctatum, ut cum Plinius fulmina mittere videatur, Juvenalis vix coruscet, & quanto hic placidior, tanto sit ille torrentior. In ea igitur Satyra hi versus leguntur, qui superiores etiam Persianos illustrant non mediocriter:

*Ecce alius quanto porrexit murmure panem*
*Vix fractum, solidæ jam mucida frusta farinæ,*
*Quæ genuinum agitent, non admittentia morsum.*
*Sed tener, & niveus, mollique siligine factus*
*Ponetur domino. Dextram cohibere memento:*
*Salva sit artoptæ reverentia. Finge tamen te*

*Improbulum; superest illic, qui pontre cogat.*
*Vis tu consuetis audax conviva canistris*
*Impleri, panisque tui novisse colorem?*

Cum igitur plebeii plerique conficerentur, hodieque conficiant panes, non ex farina succreta cribro pollinario, sed laxiore, quod minutos etiam furfures transmittit: hi panes quia neque candore, neque suavitate pares iis erant, qui parabantur divitibus ex simila, aut siligine, ab illis rejiciebantur. Atque hi sunt, quos significat Persius, cum farinam dicit populi cribro decussam. Cur igitur quisquam fiscales panes hic
13. nobis obtrudat, nihil est. Habeat sibi ille bardus, qui eos primus somniavit. Quid? quod hæc hujus loci interpretatio cum altero pugnat ejusdem poetæ loco Satyra V?

*Libertate opus est, non hac, qua ut quisque Velina*
*Publius emeruit, scabrosum tesserula far*
*Possidet.*

Nonne enim diserte ostendit poeta, distribui solitum ætate sua frumentum, non panem? Quod si cui forte in mentem venerit suspicari, mutatam a Nerone, postquam hæc scripta sunt, aut mortuo jam Persio, annonam, is meminerit, Tacitum l. XV. scriptum reliquisse, Neronem anno imperii XI. Silio Nerva & Attico Vestino Coss. (is fuit a Persii morte annus tertius) dedisse prætorianis militibus sine pretio frumentum, quo ante ex modo annonæ utebantur. Panem enim profecto largitum dixisset, si frumentum per ea tempora dari esset desitum. Hæc de Neronis imperio, & Persii loco. De Tito Imperatore vetus extat inscriptio reperta in horreis Palatinis, ex Panvinio in urbe Roma:

IMP. T. CAESARI.
DIVI. F.
VESPASIANO. AVG.
PLEBS. VRBANA.
QVAE. FRVMENTVM.
PVBLICVM. ACCEPIT.
ET. TRIBVS.

14. Juvenalis autem, cujus ad Domitianum, Nervam, Trajanum, Adrianum pertinere potest locus, panem dicit a populo optari. non nego. fiscalem igitur, & gradilem. hoc pernego. Videtur enim mihi poeta panis nomine significare uberem annonam, quam plebs ubique exigit a Principe. De ea locus est apud Tacitum l. IV. historiarum, eo magis notandus, quod summus vir in ejus interpretatione a me stat, secum pugnat. *Quia naves*, inquit Tacitus, *sævitia biemis probibebantur, vulgus alimenta in dies mercari solitum, cui una ex Republ. annonæ cura, retineri commeatus, dum timet, credebat.* In eum locum Lipsius tale esse notat hoc Juvenalis de populo R.

—— *Duas tantum res anxius optat,*
*Panem & Circenses.*

De pane igitur vænali, ejusque copia locus Juvenalis accipiendus, non de fiscali, quem Domitiani sæculo in usu non fuisse docet, ni fallor, hic poetæ ejusdem locus e Satyra VII. quæ est de vivi adhuc Domitiani egregia in poetas voluntate, quanquam Neronem hic quoque somniat vetus Interpres.

*Summula ne pereat, qua vilis tessera vænit*
*Frumenti.*

*tesseram frumenti* ecce nominat, non panem. Veruntamen idem ille vetus Interpres hoc quoque distorquet, & *summulam*, nisi me fallunt corrupta ejus verba, modum significare ait gradilis panis: quam recte, & apposite ad reliqua poetæ verba, omnes vident. Si enim *summula* modus panis est, quid erit *tessera frumenti væniens*? An non verius est, *summulam* esse eam pecuniolam, quam tesseræ frumentariæ pretio parem orator corradebat? mihi quidem videtur. Dedit igitur frumentum Domitianus. Quid Nerva? Silent historici, sed nummi loquuntur, in quorum uno modius est spicis refertus cum hac inscriptione:

PLEBI VRBANAE FRVMENTO CONSTITVTO.

Quamquam autem, qua sit præcipue ratione constitutum, non constat (potuit enim multimodis constitui) mihi tamen satis superque est, non dici restitutum, ut sane dictum oportuit, si Domitianus panem distribuerat. Illud quoque confirmare omnes potest non mediocriter in hac sententia, quod hic mentio fit *plebis urbanæ*, quæ annonam gratuitam accipere erat solita. Dedit igitur Nerva frumentum, atque adeo ut successores dare possent, constituit. Successit illi Trajanus, quem institisse paternis vestigiis (quod quidem spectat ad hanc largitionem) quamquam veri admodum simile est, non possum tamen certo affirmare: quippe qui nullum adhuc invenerim vetus monumentum, unde id erui possit. Ac ne panes quidem ab eo distributos quisquam veterum tradidit. Solus Victor nescio quid de pistoribus scripsit, ut supra notavi, unde id eruit Lipsius. Sed alia fortasse, quam putat, illis verbis est subjecta sententia, & hoc 15.
dicit Victor: Ut panis ingenti urbem colentium multitudini abunde suppeditaret, nec deficeret unquam, repertum a Trajano, firmatumque pistorum collegium: qua ratione & populo R. universo, & peregrinis optimus Imperator prospexit, quorum plerique pane a propola vitam tolerabant; id quod & stante Republica, & collapsa factum conjicio ex Cicerone in Pisonem, & Tacito l. IV. historiarum: & hodieque Romæ tralatitium est; qua in urbe, ut in plerisque omnibus Italicis, pistorum collegium in eam, quam dixi, gratiam viget; at panis largitio, si sportulas excipias, nulla. Quando igitur nihil vetat credere, idem Trajani consilium fuisse; expectemus necesse est, dum aliquid certius de pane ab eo distributo in lucem eruatur. Interea si a frumentaria largitione, quam diu retinuisse Trajani successores docebo, de ipso Trajano conjecturam ducere licet; (quidni autem liceat?) frumentum ab eo datum videri pronuntio. Adrianus certe, qui illi in imperio successit, *Senatoribus, qui non vitio suo decoxerant, patrimonium pro liberorum modo Senatoriæ professionis explevit, ita ut plerisque in diem vitæ suæ DIMENSUM sine dilatione restituerit*, ut scribit Spartianus. At *dimensum* non panis modus est, sed frumenti, auctore Donato in Phormionem: frumentum igitur largitus est Adrianus. De Antonino autem Pio, quem ille habuit hæredem imperii, hæc apud Capitolinum leguntur: *Vini, olei, & tritici penuriam per ærarii sui damna emendo, & gratis populo dando sedavit.* Quanquam autem hæc extra ordinem largitio videtur in annonæ caritate, quid tamen caussæ fuerit, quamobrem frumentum, non panis populo daretur, non video; si pistorum collegium ea tantum gratia fuerat institutum, ut gratuitum panem conficerent. Post Antoninum Pium imperium suscepit alter Antoninus, quem vulgo appellant Philosophum. Is cum L. Ve-

A ro, quem Augustum dixerat, Lucillam filiam despondit, *ob hanc conjunctionem*, ut ait Capitolinus, *pueros & puellas novorum hominum frumentariæ perceptioni ascribi præcepit*. Nihil dici potuit apertius: & tamen in rem minime dubiam testem alterum dabo L. Appulejum, qui circa Antonini tempora, & horum DD. Fratrum vixisse traditur. Is libro de mundo, *Alius*, inquit, *ad Minutiam frumentatum venit, & aliis in judiciis dies dicitur*. Nulla hic graduum, e quibus panem distributum volunt, sed Minutiæ; nulla panis, sed frumenti mentio. Quin etiam multis post annis L. Septimius Severus, & post

B eum Antoninus ejus filius frumentum dedere, si Lipsio credimus, qui ad Taciti Annalium librum XV. docet ex Herodiano auctum ab utroque modum frumenti, quod cohortibus prætorianis Neronis instituto gratis dabatur. Accepisse autem etiam plebem colligo ex Xiphilino, qui uno eodemque nomine τῶν σιτοδοτουμένων, quo utitur Dio ad eos significandos, quibus frumentum gratis dabatur, de Severo scribens milites & plebem complectitur. Ejus verba recitabo inferius, cum de numero accipientium disputabo. Postremo Alexandrum a vetere consuetudine non recessisse docent Paullus & Ulpia-

C nus J. CC. quorum uterque & floruit, Lampridio teste, illo imperante, & frumentariæ tesseræ mentionem fecit. Ulpiani fragmentum legitur in Pandectis titulo de judiciis: *Si libertis suis tesseras frumentarias emi voluerit testator*. Paulli autem titulo de legatis 2. *Si Titio tessera frumentaria legata sit*. Cum ergo frumenti tam frequens sit apud veteres mentio, de pane autem mirum silentium, non temere, opinor, usque ad hæc tempora frumentum donatum quis affirmaverit. Quid tu? inquiet aliquis, panem fiscalem cujus inventum putas? Ego vero Aureliani, quem

D tradit Vopiscus expeditione suscepta in Orientem, bilibres coronas populo R. pollicitum, si victor redisset. Ac populum quidem aureas expectantem ex panibus accepisse, quos illi Aurelianus voti compos donavit. Ex eo igitur panem quotidie singulis datum, & quidem siligineum, qui hæredes posterosque omnes sequeretur, atque hunc panem, ut ita dicam, coronarium se hæc prodente Constantino principe adhuc datum affirmat. Paullatim deinde hæc quoque largitio una cum imperio P. R. consenuit, ac demum omnino defluxit. Sed alterum quoque est ab Aureliano usurpatum largitionis genus, cu-

E jus meminit in epistola ad Præfectum annonæ apud eundem Vopiscum his verbis: *Inter cetera, quibus, DIs faventibus, Romanam rem juvimus, nihil mihi est magnificentius, quam quod additamento unciæ omne annonarum urbicarum genus juvi*. Vopiscus unciam additam panibus urbis de Ægyptio vectigali testatur. Hanc largitionem a viris doctis ante me observatam fuit mihi consilium denuo commemorare ut alia nonnulla, ut in medium rationem ponerem, qua si minus facta est, at fieri potuit. Aucto igitur non mediocriter Ægyptio vectigali Probi opera, quem

F tradit Vopiscus in Nilo tam multa fecisse, ut vectigal frumentarium solus adjuverit, statuit Aurelianus, quidquid illud fuerat accessionis donare populo R. sed ita, ut, quod in se erat, nemo expers esset ejus largitionis. Jussit igitur ut pistores, qui panes in urbe vænales conficiebant, certi in asses v.g. ponderis pro annonæ modo, ut fit hodieque, panibus singulis unciam adderent, quam ipse gratuitam ementibus dabat, damna pistorum frumento Alex. farciendo. Sed hanc largitionem suspicor non fuisse diuturnam.

## CAP. V.

*De modo frumenti.*

HÆc habui, de ortu & interitu frumentariæ largitionis quæ dicerem. Nunc de modo frumenti ut disputem, ratio suadet, ac via, quæ in omni doctrina momenti plurimum habet. Ac principio quidem certum ac definitum modum nullum fuisse facile adducor ad suspicandum: quippe qui ex Livio præsertim intelligam, frumenti vim, quæ distribuebatur, variam fuisse & incertam, & tamen divisam aliquando cum summa fide & gratia, id est, ut ego interpretor, nulla habita aut proprii, aut amicorum, & clientium commodi præcipua ratione, sed admissa plebe universa ad publicam liberalitatem. qua ratione ad ejus multitudinem frumenti modus fuit exigendus. Sed hæc, ut ingenue fatear, mera est divinatio, ex perlevi orta conjectura: quam autem subjiciam, ea firmiori nitetur fundamento, & facile omnes mihi assentientur, Gracchum, qui primus de stata ac perpetua frumentatione legem tulit, de modo etiam frumenti cavisse. Eum igitur hujus quoque rei auctorem facio. Ab Appulejo autem & Druso non minus hunc ipsum modum servatum verisimile est, quam certum sit, legem Semproniam eos revocare conatos. Sed quanta hæc fuerit menstrua largitio, nemo omnium, qui extant, veterum scriptorum, quod sciam, prodidit. Unus Salustius in ea, quam supra commemoravi, Marcii concione, modum lege Terentia frumento definitum expressit his verbis: *Nisi forte repentina ista frumentaria lege munia vestra pensantur, qua tamen quinis modiis libertatem omnium æstimavere*. Quem locum diligenter examinans veni in eam sententiam, ut mihi persuaserim, aut restitutum hac lege veterem Semproniæ modum, aut hunc recentem vetere majorem fuisse. Vix est enim, ut si plus Gracchus dedisset, fuerit Marcius silentio præteriturus, largiorem tribunum fuisse, quam patres: cum præsertim eos apud plebem criminaretur, & largitionem illam extenuaret; ut hujus exilitate, illorum impotentia commota in studium restituendæ tribunitiæ potestatis acrius exardesceret. Sed tamen parem fuisse legis Terentiæ & Semproniæ modum verius videtur cogitanti, hanc largitionem patribus expressam, delinire satis potuisse plebis animos in eos offensiores, si par tribunitiæ fuisset. Hoc igitur probo: Lipsium 16.
non audio, qui ob has tribunitias querelas additum largitioni modium arbitratur, ita ut seni essent. Nam cum pugnet aperte cum Salustio, nulla tamen sententiam suam fulcit ratione. Quini igitur modii, singulis mensibus ad frumentariam perceptionem admissis dati sunt lege Sempronia; fortasse etiam S.C. facto in sententiam Catonis, ad plebem, legis Terentiæ exemplo, leniendam. Reliquæ sunt Clodiæ leges, latæ paullo ante funus Reipubl. quibus nullam factam ad veterem modum accessionem ut credam, facit Cicero, qui exhaustum a Clodio remissis semissibus ac trientibus ærarium deplorat; de modo autem ab eo aucto ne verbum quidem: cum tamen hac ratione magnum potuerit Reip. vulnus infligi, & Ciceroni non dissimulandum. Dicet quispiam: Ne de numero quidem accipientium aucto Cicero queritur, de quo tamen Clodiam legem priorem non esse latam præstare non audes. Sed multitudo aucta antea fuerat a viris bonis, & Reipublicæ amantibus; modus fortasse a nemine. Cæsare au- 17.
tem rerum potito, ordinariam largitionem fuisse modium denum, eo magis miror Lipsium affirmasse in Admirandis, quod alibi a se id notatum

dicit, quod nullibi est notatum. Nam in Electis, probare hanc sententiam non ausus, suspicatur id, quod res est, hanc fuisse largitionem extra ordinem, ut ego cap. III. Dionis testimonio probavi. A Cæsare usque ad Severum de modo frumenti a veteribus traditum nihil observavi. Severus, Herodiano teste libro III. primus cohortibus prætorianis modum auxit. Caracalla ejus filius patre cæso, ut est apud eundem lib. IV. dimidium ejus, quod pater dabat adjecit, ut menstrua largitio minimum fuerit novenum modiorum. Modus autem frumenti plebi distributi qui fuerit, obscurum est. Frumento deinde post LX. circiter annum dari desito, coronæ bilibres ex siligineis panibus quotidie populo ab Aureliano sunt datæ: quam largitionem si minus majorem frumentaria, quæ antea obtinebat panem certe fuisse verisimile est.

## CAP. VI.

*De iis, quibus dabatur publicum frumentum.*

AD tertium jam venio disputationis hujus caput, de iis, quibus dabatur publicum frumentum. Hæc quæstio duas habet partes; unam de statu, alteram de multitudine accipientium, quas eodem, quo propositæ sunt, ordine exsequar. Quod spectat ad primam, datum est frumentum civibus Romanis tenuioribus, sive ingenui essent, sive libertini, sive nobiles, sive obscuri. Senatores etiam accepisse reperio, & admissos ab Augusto aratores, & negotiatores, a Nerone cohortes prætorias: quæ omnia, antequam porro progredior, veterum testimoniis confirmanda sunt. Cives fuisse liquet ex Persii & Senecæ locis, quos ante me Lipsius notavit, neque ex iis modo, sed ex aliis multis, quibus in re tam clara & certa supersedeo. Quamobrem peregrinos ante civitate, quam frumento donatos autumo. Habitam præcipue tenuiorum, miseræque plebeculæ rationem iisdem testibus credi potest, quibus supra usus sum, de legibus Sempronia & Clodia cum disputarem. Liberti etiam capiebant, ut præter Persium, cujus versus c. IV. illustravi, docet libro XXXIX. ὁ Πομπήιος ἔσχε ἐν τῇ τοῦ σίτου διαδόσει τριβήν τινα. πολλῶν γὰρ πρὸς τὰς ἀπ' αὐτοῦ ἐλπίδας ἐλευθερωθέντων ἀπογραφὴν σφῶν, ὅπως ἔν τε κόσμῳ καὶ ἐν τάξει τινὶ σιτοδοτηθῶσιν, ἐθελῆσαι ποιήσασθαι. *Erant, quæ Pompejum in distributione frumenti morarentur. Multis enim propter spem, quam de se excitarat, manumissis, ut recte atque ordine acciperent, recensum eorum facere instituerat.* quæ verba ad nescio quam liberalitatem detorsit interpres. Accepisse autem & nobiles, & magistratibus functos discimus ex Cicerone Tuscul. III. *Piso ille frugi semper contra legem frumentariam dixerat. Is lege lata consularis ad frumentum accipiendum venerat. Animadverterat Gracchus in concione Pisonem stantem. Quærit audiente populo R. qui sibi constet, cum ea lege frumentum petat, quam dissuaserat. Nolim, inquit, mea bona, Gracche, tibi viritim dividere liceat. Sed si facies, partem petam.* De Senatoribus est etiam Spartiani locus in Adriano, quem supra descripsi: *Senatoribus, qui non vitio suo decoxerant, patrimonium pro liberorum modo Senatoriæ professionis explevit, ita ut plerisque in diem vitæ suæ dimensum sine dilatione restituerit.* Ex quibus verbis intelligere est & datum Senatoribus etiam ante illa tempora frumentum & dari desitum iis, qui decoxissent. Ad hæc aratores, ac negotiantes ab Augusto admissos ad frumentationem prodere videtur Suetonius c. XLII. cum narrat post magnam illam famem, quæ Augustum prope impulit ad abolendas publicas frumentationes, ita ab eo rem temperatam,

A *ut non minorem aratorum ac negotiantium, quam populi rationem deduceret.* Quamquam mihi de hac re attentius cogitanti non videtur Augustus hoc consilio plebem avocasse ab ignavia ac desidia, & ad agriculturam traduxisse. Si enim una cum industriis & navis admittebantur adhuc ad frumentationes ignavi & otiosi, quid erat, cur quisquam commoveretur, & vitam duram ac laboriosam præponeret inerti ac securæ? Patebat adhuc via, quam omnino præclusam oportuit ab eo, qui cuperet aliquid promovere. Nisi forte certus aliquis aratorum ac negotiantium numerus ita est admissus ad publicas frumentationes, ut in locum de-
B mortuorum nonnisi ejusdem farinæ homines sublegerentur. Ex quo consilio fructum aliquem capere Augustum potuisse non nego: veruntamen hæret mihi in animo suspicio alterius sententiæ, quæ lateat sub illis verbis. Potuit enim Augustus alia quapiam ratione aratorum ac negotiantium commodis prospicere: præsertim immunitate, qua interjecto tempore donatas a Nerone frumentarias naves ex Tacito discimus lib. XIII. Postremo prætorianis militibus dedit idem Nero gratuitam annonam Suetonio teste cap. X. & Tacito lib. XV. Hos omnes, quicunque capiebant publicum frumentum, intelligendum est in urbe domicilium
C habuisse. Res clara ex Plutarcho, Plinio, Dione, Lapide Ancyrano. Et jure sane hoc fuit institutum. Neque enim fas est, ut Cassiodori verbis utar, ut *qui urbis affectum domicilii indicio monstrare neglexerint, ejus commodis perfruantur.* Sed ne id quidem, ut frumentum quis caperet, satis fuit. Nam recipi ante, & in album referri oportuit. Hanc Græci ἀπογραφὴν & ἐξέτασιν nostri *recensum*, & *recensionem* vocant, quam stante Republica fuisse usurpatam ex Cicerone intelligimus in Miloniana: *Eum* (Clodium) *qui ædem Nympharum incendit, ut memoriam publicæ recensionis tabu-*
D *lis publicis consignatam extingueret.* Sed & Suetonius idem significat in Cæsare cap. XLI. actum ab eo recensum nec more, nec loco solito prodens. Locum solitum fuisse campum Martium; morem ut per Censores, & publicos Scribas negotium conficeretur, sunt viri doctissimi, qui velint. Sed ut de Censoribus dubitem, facit Dionis de Pompejo locus, quem supra recitavi. Ex eo intelligitur, hos recipere, illos rejicere, in eorum, qui curabant frumentum, potestate fuisse. Sed Cæsar Dictator hoc quoque mutavit, & recensu acto instituit, ut quotannis in demortuorum locum subsortitio a Prætore fieret ex his, qui recensiti non
E essent. Ita res ex arbitraria facta fortuita, & a gratia traducta ad sortem. Recensitis dabantur tesseræ, quas vendi, quia nulla vetabat lex, fiebat non raro, ut qui eas emerant, quamquam recensiti non erant, acciperent nihilominus frumentum. Vænisse autem eas vili, non solum potest conjici ex eo, quod tantisper erant, ut ita dicam, frugiferæ, dum iis, unde erant emptæ, vita suppeditabat; sed intelligitur etiam ex Juvenalis versibus e Satyra VII. supra capite IV. descriptis. Cetera, quæ sunt ujus propria, apud Lipsium legantur.

F

## CAP. VII.

*De numero accipientium publicum frumentum.*

ALtera de numero accipientium quæstionis pars multo est obscurior, sed contendam, qua potero, ei quoque lucem dare. Ante legem Semproniam vix adduci possum, ut credam certum fuisse numerum τῶν σιτοδοτουμένων. Quid mirum? cum rara esset, incertaque largitio, & nunc

major, nunc minor frumenti numerus advehere-retur. C. Gracchus non dubito, quin de hac quoque re lege caverit; sed quam multi acceperint ejus beneficio, nondum potui subodorari. Paribus tenebris circumfusæ sunt leges Apuleja, & Livia. Numerum accipientium lege Terentia indagavi nec satis certis nec nisi leviter impressis vestigiis apud Ciceronem frumentaria, quo loco agit de venditis a Verre Agyrinensium decumis. *Imperas*, inquit, *ut decumas accipiant; Apronio dent lucri tritici medimnum XXXIV. M. Quid est hoc? Una civitas ex uno agro plebis Romanæ prope menstrua cibaria donare Apronio cogitur? Menstrua cibaria* alterutro horum modorum interpretemur necesse est; aut frumentum; quo empto plebs Romana vitam tolerabat, aut quo publice donabatur. In emptum, quæ Cicero dicit, non cadere si ostendero, non levi ac futili conjecturam meam argumento confirmaro. Nam de frumento Romam undecumque importato, sive id Siculum esset, sive invectum ex aliis provinciis, ut eo plebs R. universa uteretur, hæc accipi nullo modo possunt. In urbe enim omnium, quas sol aspiceret, maxima, quis non ultro det fuisse amplius CCCC. M. plebis urbanæ? Alioqui Romam pro ejus magnitudine adeo a veteribus celebrata fecerit ὀλιγάνθρωπον, & parum frequentem. At subducta ratione hanc multitudinem minimum CC. M. medimnum menstrua absumpsisse comperiemus, ut singulis tribuantur modii terni. Qui ingens frumenti numerus a XXXIV. millibus medimnum a Cicerone expressis abest tam longe, ut nullo modo tam impudenti mendatio fucus fieri judicibus potuerit. Sequitur ut de Siculo tantum frumento hæc accipiamus, sed cum duæ sint exactæ ab Siculis decumæ utrum ad utrasque hæc pertinere censebimus, an ad alteras? Decumani frumenti, & ex S. C. empti numerus fuit in singulos menses C. M. medimnum, ut constabit ex capite X. Qui autem dicat XXXIV. M. esse prope centena millia, is non & calumnietur aperte, & judicum odium a reo in se convertat? Restat igitur, si de frumento Romæ vænali hæc a Cicerone sunt scripta, ad alteras tantum decumas ut pertineant, quæ fuerunt medimnum L. M. Vitant, fateor, qui ita locum hunc interpretantur, eam rationem, qua sunt superiores sententiæ jugulatæ. Nam si oratorum in augendo spectetur consuetudo, negari non potest, quin L M. ad XXXIV. M. proxime accedant. Hanc igitur vitant rationem, sed in alias incurrunt. Nam quæri potest primum, de utris hæc dicta putent Siciliæ decumis? neque enim discernit orator. Deinde cum utræque, ut ex multis orationis illius locis constat, sint Romam missæ, cur alterarum tantum ratio habeatur? Quod autem quis dicat, cum præter eum, de quo disputamus, duo sint ejusdem orationis loci, in quibus demptum esse a Verre de P. R. victu frumentum, & altam a Siculis plebem R. affirmat, hique omnes loci in ea sint orationis parte, in qua de primis decumis agitur, de his tantum omnes accipiendos videri: hæc, inquam, quod quis dicat, me non prius commovebit, quam doceat, aut alteras decumas Romam missas non fuisse: aut aliam ullam fuisse caussam, cur mitterentur, quam *ut populo R. satis frumenti ex Sicilia suppeditaretur*: aut quid sibi Cicero velit, cum de emptis decumis disputans datam ait Verri pecuniam *ad frumentum, id est, ad necessitatem salutis & vitæ*. Nam ex his junctis aut fallor, aut efficitur, hoc quoque frumentum in plebis R. usus imperatum atque advectum fuisse. Redeo igitur ad superiorem illam rationem, & quæro, cur ejus in menstruis P. R. cibariis ratio non habeatur. Qui respondere non poterit, si, quam imbibit, opinionem mordicus retinebit, fateri cogetur se in hoc loco interpretando non tam ratione, quam arbitrio suo niti, plusque de sua, quam de Ciceronis sententia laborare. Quando igitur neque de omni frumento publico, quod erat Romæ vænale, neque de Siculo, sive utrasque sive alteras tantum decumas sumamus, hæc scripta videntur, quid restat, nisi ut significari dicamus Ciceronis verbis menstruam annonam lege Terentia plebi donatam eo triennio, quo Verres fuit in Sicilia? Sed certus frumenti numerus latet. Id unum scimus Cicerone auctore accessisse eum ad medimnum XXXIV. M. Hac igitur quasi face prælucente progrediamur conjecturis quam minime audacibus. Imminuit orator modum frumenti ad crimen augendum, nos eum amplificemus, & producamus vel ad L. M. medimnum: qua ratione fiet ad illum tertiæ circiter partis accessio, adeo non levis, ut fortasse ne orator quidem tantum detrahere sit ausus, cum versaretur in re omnibus nota & aperta. Medimna singula modios Romanos capiunt sex. Erunt igitur menstrua modium Romanorum CCC. M. quæ sufficiunt hominum LX. millibus alendis, ut modus frumenti fuerint modii quini. Aut igitur hæc ipsa, aut circiter tanta, mea quidem sententia non major hominum multitudo lege Terentia publicum frumentum accepit. At Senatusconsulto, cujus auctor fuit M. Cato, conjicere possumus admissa ad frumentationem hominum M. circiter C. ex sumptu, quem factum quotannis in eam rem tradit Plutarchus. Is sumptus fuit DCCL. M. scutatorum aureorum. Cum enim frumentum lege Terentia dividendum tradat Cicero in frumentaria emptum in Sicilia H S. quaternis in modios singulos, Romæ pluris fuisse necesse est, nisi si aut classes, quibus advehebatur, nullo Reipubl. sumptu navigarunt, aut faciendi non fuerunt alii sumptus eo majores, quod frumenti pars multo maxima e regionibus quam Sicilia remotioribus petebatur. Ponamus igitur frumentum Romæ fuisse in modios singulos H. S. quinis & paullo amplius, & quidquid excurrit, refectum Reipublicæ semissibus ac trientibus, quos numerabat plebs, atque hac ratione datos inveniemus ex hoc S. C. modios quinos quot mensibus centum hominum millibus. Accipiebant enim singuli quotannis modios sexagenos, qui ea, quam statui, æstimatione H. S. quinum, valebant aureos scutatos septem cum semisse. hi centies millies ducti reddent ad assem summam illam Plutarchi DCCL. M. Sed tamen quia sumptuum Reipubl. modum tenere ad unguem non possumus, una etiam certum accipientium numerum ignoremus necesse est. Sed non erit procul a vero, qui circiter tantum, omnino autem majorem, quam lege Terentia fuisse existimabit. De Clodia priore nihil habeo dicere, præter ea, quæ capite II. extremo sunt dicta. Hac igitur missa veniamus ad C. Cæsarem, qui, cum per seditiones & bella civilia plurimi, ut fit, irrepsissent nullo jure in has largitiones, jamque essent CCCXX. M. accipientium publicum frumentum, anno V. C. DCCVII. recensu acto ad CL. M. retraxit. auctor Suet. c. XLI. & Dio libro XLIII. cujus verba Lipsius male interpretatur. Quanquam enim ad partem dimidiam
redactos prodit, quæ sunt CLX. M. addit tamen 18.
ὁμῶτι, id est, *ferme*, ut aliquanto pauciores fuisse intelligamus, quamquam ipse, ut fit, rotunda summa utitur. Idem numerum a Cæsare imminutum innuit ipsis triumphi diebus, ut ad pauciores largitio perveniret. Neuter tamen rem ita prodit ut intelligere liceat, reduxeritne Cæsar veterem
numerum, an modice actum ierit. Lipsius revo- 19.
catum veterem credit: mihi in re incerta, & probabili placet altera sententia, non ob eam solum

caussam, quod in homine populari fuit hoc magis popularε, sed etiam ut civibus tenuioribus, & obæratis, qui, cum nihil haberent in censu, collocarant in Cæsare spem suam, & ab ejus partibus steterant, gratia ex parte aliqua rependeretur. Ut ut est (dubitare enim malo, quam statuere) denuo certum hunc numerum eadem caussa reddidit incertum, id est, bella civilia, quæ post Cæsaris necem exarserunt. Sed eum Augustus ita denuo coarctavit, ut tamen pateret latius, quam antea & paullo plures CC. millibus essent, qui accipiebant publicum frumentum. Ipsemet testis in breviario rerum a se gestarum, & impensarum, quas in Rempublicam & P. R. fecit; cujus capita quædam non abs re erit ascribere & examinare:

I. ITERVM. AERE. MEO. VIRITIM. CONSVL. VNDECIMVM. DVODECIM. FRVMENTATIONES. FRVMENTO. PRIVATIM. COEMPTO. EMENSVS. SVM. ET. TRIBVNITIA. POTESTATE. DVODECIMVM. QVADRINGENOS NVMMOS. TERTIVM. VIRITIM. DEDI. QVALIA. MEA. CONGIARIA. FRVMENTI ..... NVM. NVNQVAM. MINVS. QVINQVAGINTA. ET. DVCENTA ...... SIA.

II. CONSVL. TERTIVM. DECIMVM. SEXAGENOS. DENARIOS. PLEBI. QVAE. TVM. FRVMENTVM. PVBLICVM. ACCE..... DEDI. EA. MILLIA. HOMINVM. PAVLLO. PLVRA. QVAM. DVCENTA. FVERVNT.

In II. capite expressus est numerus accipientium publicum frumentum: *ea millia hominum paullo plura, quam ducenta fuerunt*. Augustus XIII. consulatu, quem gessit anno V. C DCCLII. largitus est singulis denarios sexagenos, cum L. filium suo tyrocinio deduxit in forum. Idem prope numerus est apud Dionem libro LV. ὁ δὲ Αὔγουστος τὸ τοῦ δήμου τοῦ σιτοδοτουμένου πλῆθος ἀόριστον ὂν, ἐς εἴκοσι μυριάδας κατέκλεισε, καὶ ὥς γε τινὲς λέγουσιν, καθ' ἕνα ἑξήκοντα δραχμὰς ἔδωκε. *Augustus frumentantium multitudinem minime certam ad M. CC. redegit, & viritim sexagenos denarios, ut quidam auctores sunt, dedit*. Quamquam autem hunc recensum factum Dio tradit anno V. C. DCCXLIIX. C. Antistio Vetere & D. Lælio Balbo Coss id est, quadriennio ante XII. Augusti consulatum, non tamen ab ejus breviario dissentit. 20. Hoc enim tantum dicit Augustus, se consulem decimum tertium, congiarium dedisse plebi, quæ per id tempus frumentum accipiebat: nec video, unde Lipsius expiscetur, factum ab eo hoc anno populi recensum. 21. Immo illis verbis. PLEBI. ROMANAE. QVAE. TVM. FRVMENTVM. PVBLICVM. ACCIPIEBAT. (sic enim censeo lacunam illam explendam) non obscure videtur significare solitam per ea tempora accipere tantam multitudinem, non autem a se tum primum redactam ad M. CC. Non solum igitur non erravit Dio, sed prodidit etiam accuratissime, quo primum anno recensus sit factus. Quod autem addit de drachmis LX. valde vereor, ut Lipsio errandi ansam præbuerit. Nam prima fronte id esse, quo de hic agit Augustus congiarium videtur: at hoc datum est XIII. consulatu, eodem igitur populus recensitus. Procederent recte omnia, si idem esset congiarium; sed non est, imo aliud, quod ex quorundam sententia præter hoc dedit Augustus, quadriennio ante decimum tertium

A consulatum, cum plebem recensuit. Cum igitur ab aliis historicis gravibus fortasse, neque indiligentibus id memoriæ proditum reperisset Dio: contra in hoc Augusti breviario, quo non dubito, quin sit usus, nullam ejus mentionem, tutum cepit consilium, ut defugeret auctoritatem, & habere se scriberet auctores hujus rei, affirmaturus eam certius, si ab ipso Augusto proditam reperisset. Hæc dici possunt pro Dione ἀναχρονισμοῦ reo. Superest levis in numero accipientium varietas. Nam Dio M. CC. fuisse tradit; Augustus *paullo plura*. Dicerem positam a Dione summam rotundam, ut sæpe alias ab omnibus scriptoribus, B ni proclive esset conjicere nonnullos eo quadriennio receptos ultra illam certam ac definitam multitudinem. De numero autem accipientium ante recensum nihil habeo, quod liqueat. Dio cum scribit fuisse πλῆθος ἀόριστον, satis indicat ob eam præcipue caussam a se omitti, quod fuerit semper varius & incertus. Sed tamen cum recensus est actus, quantus fuit? Vir doctissimus optime de multis veteribus scriptoribus meritus, de congiario scribens, quod in his fragmentis prodit Augustus a se datum trecentis viginti millibus plebis urbanæ, suspicatur, quamquam ad con- C giaria, quam ad frumentationes major hominum numerus admittebatur, tamen etiam frumentum accipientium ante Augusti constitutionem hunc numrum fuisse. Neque habeo cur probem, neque cur rejiciam hanc suspicionem: hoc tantum noto datum id congiarium anno V. C. DCCXLIX. cum superiore factus esset recensus. Fortasse igitur nihil huic multitudini cum ea, quam quærimus, rei est.

Priore fragmenti hujus capite (libuit enim in eo describendo sequi Augusti ordinem, in explicando autem nostrum) eorum numerus continetur, qui acceperunt frumentum privata pecunia D coemptum ab Augusto. Quæ autem in eo sunt corrupta & mutila, possunt pristinæ integritati, aut saltem sententiæ restitui ad hunc modum: QVAE. MEA. CONGIARIA ET. FRVMENTVM. ACCEPERVNT. HOMINVM. NVNQVAM. MINVS. QVINQVAGINTA. ET. DVCENTA. MILLIA. Nam a capite superiore, cujus initium est LIBRI. ROMANI sive ut arbitror reponendum, PLEBI. ROMANAE. usque ad hoc Augustus nummarias & frumentarias largitiones exsequitur. Supplevi autem ACCEPERVNT. HOMINVM. iis rejectis, quæ ad hanc lacunam explendam Lipsius affert, quia visus E sum mihi sequi Augustum ducem, ejusque vestigiis insistere. Nam duo in largitionibus singulis præcipua, quæ ille sibi memoriæ mandanda proposuit; quid dederit, & quam multis dederit. Cum igitur se duodecim frumentationes emensum jam dixisset, proximum erat, ut eorum adscriberet numerum, qui acceperunt. Quamquam autem his addi tertium caput potest, quantum dederit; hoc tamen in solis expressum nummariis largitionibus videmus. Ubi enim certus erat frumenti numerus apponendus, satis habuit Augustus scribere infinite, datas a se duodecim F frumentationes: id quod ex horum fragmentorum inter se collatione verum esse constabit. Non 22. possum igitur Lipsio assentiri, qui hunc locum ita legit: QVALI. MEO. CONGIARIO FRVMENTI. MODIVM. NVNQVAM. MINVS. QVINQVAGINTA. ET. DVCENTA. MILLIA. non solum quia non assequor, quid sibi velit his verbis, utrum datum singulis modium, an vero nunquam minus largitionibus singulis effusum ducentis quinquaginta modium millibus: verum etiam quia multis partibus majo-

res sunt, & digniores Augusti liberalitate ac prædicatione largitiones, quæ numero accipientium significantur. Nam ducenta quinquaginta modium millia, ut singulis dati fuerint modii quini, acceperunt hominum quinquaginta millia: at ex nostra emendatione frumentum, & omnia congiaria, de quibus supra facta erat mentio (nam hic numerus pertinet ad omnia) nunquam minus acceperunt hominum CCL. M. Neque hæc modo, sed multa præterea me adducunt ad rejiciendam æque illam alteram ejusdem emendationem: FRVMENTANTIVM. NVM. NVNQVAM. MINVS. QVINQVAGINTA. ET. DVCENTA. MILLIA. Namque Augustum tam perverse loquutum nemini unquam poterit persuaderi, qui Suetonium legerit capite LXXXVI. Illene ita loquatur, & eleganter se loqui prædicet? Illene vitet ineptias, qui sensa animi sui verbis illis exprimit apertius, quam his? FRVMENTANTIVM. NVMERVS. NVNQVAM. MINOR. DVCENTIS. QVINQVAGINTA. MILLIBVS. His adde, quod non esse præteritum numerum eorum, quibus pecunia erat dilargitus, clamant reliqua omnia breviarii hujus fragmenta. At is, qui sit expressus, non video. Sed & illa compendiaria nota NVM. aliena esse huic tabulæ videtur. Postremo una eademque ratione potest utraque emendatio jugulari. Cum enim duæ sint capitis partes, prior de frumentaria, posterior de nummaria largitione, atque huic non illi corrupta hæc verba subjiciantur, cur sola frumenti mentione concluditur? cur hæc transferuntur in locum alienum, quæ possunt commode collocari in suo? sed de his jam nimis multa. Permittamus rem totam judicio eruditorum, & ab Augusto ad Tiberium transeamus, a quo auctum numerum accipientium frumentum colligit Lipsius ex his Taciti verbis l.VI. *Iisdem Coss.* (Cn. Domitio & M. Furio anno V. C. DCCXXCV.) *gravitate annonæ juxta seditionem ventum; multaque & plures per dies in theatro licentius efflagitata, quam solitum adversus Imperatorem. Queis commotus incusavit Magistratus Patresque, quod non publica auctoritate populum coercuissent: addiditque, quibus e provinciis, & quanto majorem quam Augustus rei frumentariæ copiam advectaret. Si auxit*, inquit Lipsius, *numerum frumenti; ergo & frumentantium*. Præclare: si quidquid frumenti Romam advehendum Tiberius curabat, largitionibus effundebat. Sed eum arbitror omnium urbem colentium commodis consuluisse, item ut Augustum, qui suscepta rei frumentariæ procuratione, Pompeii exemplo, civitati universæ commeatum suppeditavit: imo habuit etiam frumentum vænale, ut Suetonii testimonio supra confirmavimus. Hoc igitur munus una cum Imperio, cui erat annexum cum suscepisset Tiberius, incidissetque aliquando caritas annonæ, prope absuit populus a seditione facienda, non tamen in theatro abstinuit a verborum licentia, & ab efflagitanda aut cura majore in advectione frumenti, aut aliqua largitione. Hanc eo tempore minime populari, aut liberali seni, qualem eum describit Suetonius, exprimere non potuit: illam, quanta esset, Tiberius ostendit, cum invecto in urbem e multis provinciis ingenti frumenti numero victum docuit a se ipsum Augustum. Hæc mihi verborum Taciti apertissima & minime dubia videtur sententia, quam eo amplector libentius, quod inani ac levi usus esset excusatione Tiberius, si verbum ullum de aucto a se numero frumentantium fecisset. Quid enim? tu quasi in specula constitutus, ut excubes & invigiles pro Populo Romano universo, desque operam, ne inopia prematur rei frumentariæ, defunctum te putas munere tuo, admissa quota plebis parte ad publicas frumentationes? Dabat Augustus annonam gratuitam millibus ducentis: Tu numerum auxisti. Fac esse trecenta. Reliqua multitudo urbem colentium ea major, quam tu alis, amplius duodecim partibus quid faciet? Quis illi prospiciet? A quo annonam efflagitabit? An a Præfecto? at nos te huic curationi præfecimus. Tu vide, cui mandaris, atque ab eo diligentiam exige, quam tu nobis debes. Hæc in Tiberium frivola excusatione culpam suam prætexentem jactare potuit plebs Romana: quamobrem ipse alteram arripuit, a qua non sunt aliena, quæ apud Tacitum legimus lib.IV. *Plebes acri quidem annona fatigabatur, sed nulla in eo culpa ex Principe. Quin infæcunditati terrarum, aut asperis maris obviam iit, quantum impendio diligentiaque poterat*. Atque hac ratione plebi satisfacere Tiberius conatus est, non mentione ulla frumentariæ largitionis. Post Augustum Nero, quod quidem memoriæ proditum sit, primus frumentantium numerum auxit, donato militibus Prætorianis, qui erant eo sæculo minimum decem millia, frumento gratuito, quo ante ex modo annonæ utebantur, ut scribit Tacitus lib.XV. & Suetonius in Nerone capite X. Ab hoc tempore nihil certi reperio usque ad imperium Severi, qui quam multis dederit publicum frumentum, non obscure docet Xiphilinus his verbis: ὁ δὲ Σεβῆρος ἐπὶ τῆς δεκετηρίδος τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ ἐδωρήσατο τῷ τε ὁμίλῳ παντὶ τῷ σιτοδοτουμένῳ (ita enim legendum, non σιτοδυμένῳ, ut habent optimi etiam codices impressi) καὶ τοῖς στρατιώταις τοῖς δορυφόροις ἰσαρίθμους τοῖς τῆς ἡγεμονίας ἔτεσι χρυσοῦς, id est: *Severus cum decennalia imperii celebraret, universæ frumentantium multitudini, militibusque Prætorianis tot aureos donavit, quot annos imperaverat*. Et mox: εἰς τὴν δωρεὰν ταύτην πεντακισχίλιαι μυριάδες δραχμῶν ἀνηλώθησαν, id est: *In id congiarium quinquies mille drachmarum myriades sunt erogatæ*. Quinquies mille drachmarum myriades sunt denarium quingenties centena millia, aut more Romano H. S. bis millies, aureorum nostrorum quinque milliones, ut vocant, veterum autem duntaxat vicies centena millia. Si igitur deni sunt singulis dati, accepere id congiarium hominum rotunde millia ducenta, totidemque per ea tempora publicum frumentum. Hæc mihi haud paullo certior frumentantium multitudinis Severo imperante investigandæ ratio videtur, quam ea, qua usi viri doctissimi e Spartiani verbis ad millia sexcenta accessisse collegerunt. Hic observo, quanquam modo non par fuit numerus eorum, qui gratuitam annonam accipiebant ab Augusto & Severo; id tamen fuisse discriminis, quod ille Quiritibus tantum dabat, hic militibus etiam Prætorianis, qui si fuerunt per ea tempora quadraginta millia, ut Lipsio placet, Quiritium numerum redactum oportuit ad M·CLX. Hujus rei prima initia non comperi: suspicor tamen cœptum minui a Nerone plebis numerum, cum anno imperii X. sustulit, ut dixi, publicam frumentationem, XI. autem gratuitam annonam Prætorianis dedit. Ejus vestigia reliqui, opinor, Imperatores sequuti. Quæret quispiam, Fueritne ullum tempus, cum cives omnes caperent publicum frumentum. Non videtur; & Senecæ locus l.IV. de beneficiis capite XXVII. qui obstare videbatur, fuit egregie a Lipsio in Admirandis explicatus. Neque est quod quisquam commoveatur iis largitionibus, quæ ante legem Semproniam sunt factæ, in quibus memoriæ mandandis Plinius & Livius quasi de industria & composito utuntur Populi nomine, quo uno cives omnes conti-

continentur. Plebem enim eo significatam fuisse docebunt cum alii multi, tum vero Livii libro II. & Valerii Maximi lib. IV. capite IV. de Agrippæ Menenii paupertate loci inter se collati. Hæc de accipientium numero observabam.

## CAP. VIII.

*De iis, qui curabant publicum frumentum.*

CUm de iis dixerimus, qui accipiebant publicum frumentum, proximum est, de iis ut quæramus, quibus commissa erat curatio ac distributio. Et curatio quidem fuit uno verbo eorum, quibus Romæ imposita erat publica annona, quos, qui fuerint, paucis expediam. Regibus pulsis rem suscepit Senatus; mox Ædilibus plebis hæc Reipublicæ pars mandata est; semel extra ordinem ad L. Minutium, deinde ad Ædiles curules translata, diuque gesta præclare, usque ad legem Semproniam, qua lege Gracchus an Ædilium curulium operam repudiarit, & ad alios hanc curationem transtulerit, non habeo dicere. Sane post legem Terentiam, quæ fuit Sempronia quinquaginta annis recentior, Prætorem de majestate curam gessisse publici frumenti constat ex Pædiani argumento in Corneliam. ubi hæc leguntur: *Detulit nomen* (C. Cornelii) *Publius, subscripsit Cajus; & cum L. Cassius Prætor decimo die, ut mos est, adesse jussisset, eoque die ipse non affuisset, seu avocatus propter publici frumenti curam, seu gratificans reo:* cum iis, quæ sequuntur. L. Cassius Prætor fuit M. Lepido & L. Volcatio Coss. anno U. C.
24. DCXXCVII. id est, septennio post latam legem Terentiam: ut mihi veniat in mentem suspicari, si Ædiles curules frumentaria procuratione altera harum legum soluti sunt, Terentia potius, quam Sempronia solutos. Nam Gracchum infensum Patribus, quis credat gratiam ejus legis, qua reddere plebem sibi obnoxiam parabat, cum Prætore communicasse? Terentium contra veri admodum simile est, aucto mirum in modum lege sua numero frumenti Urbi inferendi, ejusque largitione revocata, majorem magistratum ei curationi præficiendum putasse, non solum ut provinciam hanc administraret majore auctoritate, verum etiam ut esset in potestate Senatus. Terentiæ successit lex Clodia, qua Sex. Clodio homini impurissimo, quidquid uspiam frumenti fuit, traditum est. Cicero pro Domo sua: *Scilicet tu homini egentissimo & facinorosissimo Sex. Clodio omne frumentum privatum & publicum, omnes provincias frumentarias, omnes mancipes, omnes horreorum claves lege tua tradidisti.* Et mox: *Queritur etiam importuna pestis ex ore impurissimo Sex. Clodii rem frumentariam esse ereptam, summisque in periculis ejus viri auxilium implorasse Rempublicam, a quo sæpe se & servatam & amplificatam esse meminisset.* Is autem summus vir erat Cn. Pompejus, cui extra ordinem anno U. C. DCXCVI. altero a lege Clodia potestas rei frumentariæ toto orbe terrarum per quinquennium data est, Cicerone suadente, nuper ab eo in patriam restituto. Procuravit igitur annonam Pompejus usque ad annum ab U. C. DCCI. quo Prætoribus denuo esse hoc onus impositum suspicor, non affirmo. Creati deinde sunt a Cæsare Dictatore Prætores duo, totidemque Ædiles Cereales anno U. C. DCCIX. eodemque anno Brutus & Cassius Prætores, ille inter cives, hic inter peregrinos, cum Cæsare cæso jurisdictione urbana abstinerent, neque ire ante tempus in provinciam honestum ac decorum putarent, S. C. extra ordinem ita rei frumentariæ sunt præfecti, ut Brutus in Asia, Cassius in Sicilia frumentum emendum, &

A ad Urbem mittendum curarent. qua illi curatione ut contumeliosa & sordida usi non videntur. Appianus Civilium III. Cicero XV. ad Atticum epistola IX. & sequentibus. Anno ab U. C. DCCXXXI. plebs Augustum, concursu ad eum facto stimulante fame, annonæ procurationem suscipere coegit. Sed eo adhuc superstite alter creatus est annonæ Præfectus, qui utrum Augusto se ultro abdicanti successerit, an vero sit ascitus ab eo tamquam collega in hac procuratione, nemo, quod sciam, veterum tradidit. Illud constat Augustum aliena opera usum in hoc negotio. Tradit enim Suetonius capite VIII. Tiberium civilium officio- B rum rudimentis administrasse curam annonæ, quæ arctior inciderat. Porro illa rudimenta quæ fuerint, docet Vellejus: *Quæstor undevicesimum annum agens capessere cœpit Rempublicam, maximamque difficultatem annonæ ac rei frumentariæ inopiam Ostiæ atque in Urbe mandato vitrici moderatus est.* Jam nemo non videt Augustum annonæ Præfectum imposuisse Tiberio quæstori partes suas, & quidem eo ipso anno, quo eas susceperat. Quamquam enim Vellejus, undevicesimum annum cum ageret, quæstorem Tiberium fuisse prodit, annos tamen exactos numerat, non eum, quem attige- C rat, cum quæsturam iniit, qui fuit revera vicesimus, in eum ipsum incurrens, quo Augusto rei frumentariæ cura mandata est. Quare prope est, ut affirmem Turranium etiam, quem Præfectum annonæ Tacitus vocat lib. I. Annalium, curatorem potius, & quasi vicarium Augusti fuisse, at- 25.
que hinc factum, ut in verba Tiberii jurarit inter primos post Præfectum prætorii, ut ibidem Tacitus notat. Cujus rei illud quoque est argumento, quod neque Principes unquam hanc curam exuerunt, quæ fuit inter maxima Imperii firmamenta; & plebs fame pressa non a Præfecto annonæ, sed a Principe frugum copiam exegit. Vidimus supra, D quantis animis in Tiberium jam rerum potitum plebs ierit in fame. Claudium vero jus medio foro dicentem ita circumvasit clamoribus turbidis, & fragminibus panis appetiit, ut septus militum globo ægre se in Palatium reciperet, ut scribit Tacitus libro XII. & Suetonius capite XVIII. qui addit Claudium commotum hac seditione nihil non excogitasse ad invehendos etiam tempore hiberno commeatus. Quare & negotiatoribus certa lucra proposuisse, suscepto in se damno, si cui quid per tempestates accidisset: & naves mercaturæ caussa fabricantibus magna commoda constituisse, cum tamen Claudio imperante annonæ Præfectus esset Turranius ex Tacito libro XI. Ad hæc Anto- E ninum cognomento Pium ob inopiæ frumentariæ suspicionem lapidibus a plebe Romana petitum narrat Victor. Quibus seditionibus admoniti Imperatores muneris sui, rei frumentariæ studiosissime prospexerunt. Testes nummi veteres, quorum multi extant cum hac inscriptione: ANNONA. AVGVSTA. id est, imperatore curante copiose Urbi illata. De his nummis legendus Antonius Augustinus Dialogo II. Testes etiam sunt veteres scriptores, quorum Plinius in Panegyrico Trajanum hoc nomine miris in cœlum laudibus evehit. Xiphilinus in Pertinace scriptum reliquit, cum Lætus in eum conjuravit, & Falconem consulem Imperatorem creavit, Pertina- F cem ad mare fuisse commeatum inspicientem. Severus denique tantam rei frumentariæ curam gessit, ut septem annorum canonem moriens reliquerit, ita ut quotidie LXXV. modium millia expendi possent. auctor Spartianus. Quæ autem hoc loco sunt a me collecta ad confirmandam superiorem illam conjecturam meam, qui perpenderit, is fortasse Præfectum annonæ appellatum,

re ipsa curatorem & vicarium Principis fuisse mihi assentietur. Cum præsertim accedat superioribus non leve argumentum, quod aucta adeo Præfecti prætorii auctoritate, ut imperium tantum non vice sacra moderaretur, ferret certe molem omnium curarum, hæc quoque procuratio ei delata est. *Triticeas enim copias*, ut est apud Cassiodorum in formula Præf. annonæ, *Præfectura prætoriana procurat*. Qui igitur frumenta in urbem convehenda curarunt, hi sunt.

## CAP. IX.

*De his qui frumentum distribuerunt.*

FRumentum publicum plebi distribuere aliis alii temporibus. Dum stetit Respublica, iidem ferme, qui annonam procurabant; Ædiles plebis, Curules, L. Minutius extra ordinem, ut jam demonstravimus. Lege Sempronia quis distribuerit non liquet: sed Gracchum ipsum præfuisse, aut saltem adfuisse, cum frumentum plebi daretur, ex iis intelligimus Ciceronis verbis Tusculana. III. quæ capite VI. recitavimus. Post legem Terentiam, ut curam gessisse publici frumenti Prætorem, ita etiam distribuendum curasse veri haud absimile est. Post Clodiam Pompejus extraordinaria annonæ præfectura frumentum etiam donavit, auctore Dione libro XXXIX. Biennio post, anno U. C. DCCIII. C. Curio Tribunus plebis legem Alimentariam jactavit, qua jubebat Ædiles metiri. Cœlius ad Ciceronem libro VIII. epist. VI. sed eam latam non prodit. Idem legis Viariæ, quæ non dissimilis esset Agrariæ Rulli, eodem loco mentionem facit, de qua non erit abs re Lipsii exemplo pauca obiter disputare. Sunt,
26. qui eam legem vocent *Vivariam*, quæ quid fuerit, certa conjectura non assequor. nisi forte ab eo, quod est *vivere*, nomen invenit, fuitque Alimentariæ similis, quod utraque de rebus ad victum necessariis erat promulgata; quod tamen ex iis, quæ mox dicam, falsum esse constabit. Aliis placet legem fuisse *Vinariam*. *Sed quæ comparatio*, inquit Lipsius, *erit vini ad agros? & repugnat res ipsa, sicut in viis*. Ego vera divisa Lipsii sententia, quatenus fuisse vinariam negat, assentior: quod esse quidquam in his rationibus momenti putat, eo in alia omnia. Ipse *Vineariam* scribit, *ut lex Curionis ad divisionem vinearum pertinuerit; quæ in Italia & Campania præsertim multæ, sicut illa Rulli ad agrorum*. Sed quid argutamur? quid conjecturis rem certam atque exploratam indagatum imus? Sane Appianus lib. II. de bello civili hæc habet: ὁ δὲ Κυρίων εἰσηγεῖτο βαρυτάτας ὁδῶν πολλῶν ἐπισκευάς τε, καὶ κατασκευάς, καὶ αὐτὸν ἐπιςάτην αὐτῶν ἐπὶ πενταετὲς εἶναι. *Curio ferebat ad populum de muniendis ac reficiendis viis, hanc sibi curationem in quinquennium deposcens*. Hæc apertissime de Viaria lege, non de Vinearia sunt scripta: illa non multo obscurius a Cicerone lib. VI. ad Atticum epist. I. extrema: *Vedius venit mihi obviam, cum duobus essedis, & rheda equis juncta, & lectica, & familia magna, pro qua, si Curio legem pertulerit: sestertia centena pendat necesse est*. Hæc satis docent, quamobrem dixerit Cœlius legem Curionis Viariam similem Agrariæ Rulli fuisse. Nam Rullus quoque creari se lege sua volebat Decemvirum agris dividundis. Cicero Agraria II. *Quos tandem igitur Decemviros creari vult? se primum*. Dabatur eadem lege Decemviris potestas in quinquennium. Cicero ibidem: *Dat præterea potestatem verbo prætoriam, revera regiam; definit in quinquennium, facit sempiternam*. Quin etiam Rullus corrasa undique publice ac privatim pecunia mon-

A tes auri spe devorarat, quibus inhiasse etiam Curionem Cicero significat. Atque hæc meo judicio sunt capita, à quibus legum Agrariæ & Viariæ ducenda similitudo est: quæ multo essent plura, si de Curionis lege aut a pluribus, qui ad nos pervenissent, veteribus scriptoribus, aut ab his, quos laudavimus, plura essent prodita. Quæ tamen accepimus, ejusmodi sunt, ut conjicere liceat, pleraque omnia ex Agraria Rulli in Viariam Curionis esse translata, ut Decemviratum, ut ornamenta, ut potestatem non modo in Italia, sed etiam in provinciis, & alia id genus. Quæ si vera sunt, ab iis etiam dissentiamus necesse est, qui legem Viariam fuisse ajunt, qua numerus jumentorum, vehiculorum, servorum civibus ad iter faciendum
B est definitus: quasi vero id sit vias munire ac sternere, de quo promulgata, ut ait Appianus, a Curione rogatio est. Sed redeamus e diverticulo in viam. Ut igitur dicere cœperam, Curio una cum Viaria, legem etiam Alimentariam jactavit, qua jubebat Ædiles metiri. C. Cæsar Ædilibus suis Cerealibus id negotii, an mandarit, obscurum est. Augustus anno U. C. DCCXXXI. cum annonæ est Præfectus, instituit, ut alii frumentum ad Urbem advehendum curarent, alii dividerent; quo plures partem Reipublicæ caperent ex Suetonio capite XXXVII. Hi principio duo tantum fue-
C runt lecti ex eorum numero, qui ante quinquennium præturam gessissent. Dio initio libri LIV. sed quinto post anno Augustus numerum auxit, instituitque ut magistratus singuli singulos ante triennium prætura functos nominarent, e quibus quatuor sorte legerentur, qui in dividendo frumento sibi invicem succederent, eodem auctore in actis anni DCCXXXVI. Iterum an. DCCLIX. in maximis annonæ difficultatibus viros consulares extra ordinem huic, ut arbitror, curationi præfecit. Quamquam non nego, curatores etiam esse potuisse. De superioribus illis præfectis frumento dando, adtribuendo, præter veteres inscriptio-
D nes, est apud Frontinum libro de Aquæductibus. II. locus sane dignus, qui describatur. Ex eo enim ut ornati sint, intelligere licebit. *Censuerunt placere huic ordini, eos, qui aquis publicis præessent, cum ejus rei caussa extra Urbem essent, lictores binos, & servos publicos ternos, architectos singulos, & scribas librarios, accensos, præconesque totidem habere, quot habent ii, per quos frumentum plebi datur*. Et paucis interjectis: *Utique quibus apparitoribus ex hoc S. C. curatoribus aquarum uti liceret, eos diebus decem proximis, quibus S. C. factum esset, ad ærarium deferrent: quique ita delati essent, iis*
E *prætores ærarii mercedem, cibaria, quanta præfecti frumento dando* (Ursinus legit: *quanta præfectis frumento*) *dare deferreque solent, annua darent & attribuerent*. Verba sunt veteris S. C. Augusti ævo facti, Q. Ælio Tuberone & P. Fabio Maximo iterum Coss. quæ verba obiter docent apparitoribus magistratuum frumentum datum, certumque per ea tempora, & quasi solennem ejus modum fuisse. Post hæc tempora non memini me quidquam observare. Ad panem quod attinet, Valentiniano, Valente, & Gratiano imperantibus a Præfecto annonæ est distributus, ut legimus in
F Codicis Theodosiani titulis de Canone frumentario urbis Romæ, & de Annonis civilibus & pane gradili.

## CAP. X.

*De frumentariis provinciis.*

POstrema superest disputationis pars de frumentariis provinciis, de iis scilicet, quæ & frumenti erant feraces, & magnum ejus numerum po-

pulo Romano suppeditabant. Præcipuæ fuere Sicilia, Africa, Sardinia, Hispania, Boeotia, Macedonia, Chersonesus, Asia, Syria, Ægyptus, e quibus omnibus, si Ægyptum excipias ab Augusto provinciam factam, cum stante Republica, tum vero etiam collapsa frumentum Romam advectum est, aut publicum ex vectigalibus, aut S. C. coemptum, aut privatum a mercatoribus, quod interdum fiscus emebat. Harum provinciarum meminit Cicero frumentaria in Verrem, & pro lege Manilia, ubi Siciliam, Africam, Sardiniam tria fuisse testatur frumentaria subsidia Reipublicæ. Ad Atticum lib. XV. epist. IX. & sequenti, Varro de re Rustica, Livius multis locis, Plin. lib. XVIII. capite VII. uno verbo plerique omnes Græci & Latini rerum Romanarum scriptores, qui tamen tres præcipue celebrant, Siciliam, Africam, Ægyptum, e quibus ingentem frumenti numerum quotannis Romæ illatum credere par est. Atque ex Sicilia quidem, quam M. Cato ille sapiens cellam penariam Reipublicæ, nutricem plebis Romanæ nominavit, ut auctor est Cicero in Verrem, jurisdictione Siciliensi, aut decumarum, aut emptionis nomine advecta Romam quotannis ad octuagies bis centena modium millia fuisse intelligitur ex eadem Ciceronis frumentaria. Ex iis DCCC. modium Siculorum, quæ DCCCCLX. sunt Romanorum, millia lege Terentia importata ad largitiones faciendas supra diximus, quæ, si verum est accepisse hac lege publicum frumentum ad LX. hominum M. tres paullo amplius menses plebem Romanam aluerunt, cum esset menstrua largitio CCC.
27. M. modiorum. Africani autem frumenti modum putat Lipsius memoriæ mandatum a Plutarcho in Cæsare, quem victo Scipione gloriatum prodit, regionem, quam subegerat, talem esse ac tantam, ut ex ea quotannis vectigalis nomine Populus Romanus præter olei pondo tricies centena M. percepturus esset frumenti CC. M. medimnum Atticorum, quæ sunt modium Romanorum duodecies centena M. Sed cui poterit persuaderi tam exiguum vectigal exactum ab Africa universa? Ne quis ergo temere accuset Plutarchum, intelligendum est hæc ab eo scripta de quibusdam tantum Africæ urbibus. Et quidem ingentem illam olei summam exactam a solis Leptitanis tradit aperte auctor commentariorum de bello Africano in calce: *Leptitanos, quorum superioribus annis Juba bona diripuerat, & ad Senatum questi per legatos, atque arbitris a Senatu datis, sua receperant XXX. centenis millibus ponderibus olei in annos singulos multat.* De frumento res est obscurior. Quamquam enim apud eundem scriptorem legimus Tisdritanos propter humilitatem civitatis non pecunia, ut Hadrumetanos & Thapsitanos, sed certo frumenti numero multatos; hoc tamen annuum vectigal an fuerit, non constat. Ut ut est, quæ de oleo sunt scripta, etiam frumentum aut ab una ex omnibus, aut a paucis Africæ urbibus fuisse exactum indicant. Quid autem reliquæ Africæ urbes, quid Mauritania ab Augusto provincia facta, quotannis penderint, non fuit consilium Plutarcho ibi tradere. Alio igitur iter convertendum est, & ipso quidem Lipsio duce, qui ad hanc rem illustrandam in II. de magnitudine R. cap. X. alterum affert locum Josephi ex oratione Agrippæ ad Judæos, in qua affirmat Africam octo mensibus populum Rom. alere, Ægyptum quaternis. Quare cum ex Ægypto, Victore teste in Augusto, urbi illata sint annua ducenties centena M. modium frumenti, facile intelligitur Africam annua circiter quadringenties centena M. modium pependisse. Verum ne hac quidem ratione quidquam promovemus. Cum enim hæc de diversis ætatibus memoriæ sint prodita, non

A temere ad unam videntur revocanda. Scripsit hæc Victor de Augusto, a quo Ægyptus vectigalis est facta; Josephus de Nerone, quo imperante Judæi rebellarunt, centesimo prope anno post Ægyptum subactam. Ante igitur quam par vectigal sub Augusto & Nerone pependisse hanc provinciam constet, nihil ex collatione horum locorum erui poterit, quod faciat ad rem nostram. Huc ac- 28.
cedit, quod suspectus mihi est Josephi locus, nec videtur conniventibus oculis prætereundus. Latet enim fortasse in eo maxime insigne & illustre mendacium, quod vero etiam, si quid in eo veri est, detrahit fidem. Non nego potuisse fieri, ut Ro-
B mam ex Africa quotannis duplo major, quam ex Ægypto frumenti numerus inveheretur. Scio enim Africam maximam esse, & feracissimam; & video quam frumenti vim dare potuerit uni urbi tertia prope pars orbis terrarum: id tamen Agrippæ, sive Josepho affirmanti quominus credam, facit a vero abhorrens ejus dictum de tanta annonæ vi Urbi illata ex his duabus provinciis, ut annuum victum populo R. suppeditarent. Metuo igitur, ne Agrippa in hac re ita servierit caussæ magis, quam veritati, ut in aliis plerisque in eadem oratione, quas miror Lipsium credere, quam exami-
C nare maluisse. Porro Agrippam in hac re fuisse mentitum, vel illud documento est, quod si Ægyptus & Africa Populum Rom. aluere, nil frumento ex aliis provinciis importato opus fuit. At illatum Plin. testatur lib. XVIII. cap. VII. scribens de frumento: *Ex his generibus, quæ Romam invehuntur, levissimum est Gallicum atque e Chersoneso advectum. Quippe non excedunt in modium vicenas libras, si quis granum ipsum ponderet. Adjicit Sardum selibras* (qui *sex libras* legunt, eos non sequor) *Alexandrinum & trientes. hoc & Siculi pondus. Bœotium totam libram adjicit, Africum & dodrantes.* Hoc frumento ex Gallia, Chersoneso, Sardinia, Sicilia, Boeotia Romam invecto, quæro quid fa-
D ctum sit, si solæ Africa & Ægyptus aluere Populum Rom. Quid? quod ne alere quidem potuerunt. Cum sexcenties centena modium M. qui modus fuisse dicitur Africani simul & Ægyptii frumenti, a vicies centenis hominum M. fuerint absumpta: Urbem autem, Lipsio teste (de cujus sententia alias disputabimus) coluerint ad quadragies centena M. Mitto peregrinos, qui dum in Urbe moram, quamvis brevem, trahebant, ejus annona utebantur. Volo enim his tribui, quidquid parcebant lautiores, quibus panis obsonii loco erat. Si igitur quæ de Urbis frequentia traduntur, vera sunt,
E ut sane Lipsio videntur, vix semestria ab Africa & Ægypto alimenta Populo Rom. fuerunt suppeditata. Dicet quispiam: Injuria Josephum carpis, qui non de universa Urbem colentium multitudine hæc scripsit, sed de iis tantum, qui gratuitum frumentum accipiebant; atque hoc dicit, Africanum & Ægyptium vectigal tantum fuisse, ut ingens frumentantium multitudo illo octo, hoc quatuor reliquis anni mensibus aleretur. Velim, qui hac defensione utitur, is me doceat, unde eruat, aut esse hic Agrippæ sermonem de largitione, aut Ægyptium præcipue & Africanum frumentum largitionibus fuisse destinatum. Nam Josephi hic locus
F & est controversus, &, quod gravius est, rejicit a se hanc sententiam. Pugnat enim cum Agrippæ consilio apertissime, quod erat docere, levibus Judæos oneribus premi præ aliis provinciis Populo Rom. subjectis, ex quibus Africa maxime & Ægyptus ingens quotannis vectigal persolvebant. At vectigalis hujus magnitudo ex eo frumenti numero, qui abibat in largitiones, intelligi non potest. Ponamus enim vel trecenta fuisse hominum M. imperante Nerone denos modios quot mensibus

capientia (omnia enim in tam bona caussa Lipsio largiar) subducta ratione, trecenties sexagies centena modium M. quotannis donata reperiemus Sola igitur Africa non aluit modo Populum Rom. sed tantum etiam frumenti dedit, ut reliqua essent anno vertente quadragies centena modium M. & præterea quidquid dabat Ægyptus; quam summam Josephus cur sibi contemnendam, atque omittendam putarit, non video; cum tantum frumenti numerum vix quatuor Siciliæ duabus decumis persolutis suppeditare potuerint. Quod si modus frumenti fuerunt modii quini, quod & verius puto, ne tertia quidem horum vectigalium pars est significata & sola Ægyptus Populum Rom. aluit. Qui igitur si minus augere, at historica fide æquare verbis studebat vectigalium illorum magnitudinem, is usque adeo minuisse comperietur, ut vel plus paullo dimidio, ut omnia largiamur, vel ne tertiam quidem partem, si verisimiliora sequi velimus, significarit. Sic Josephus, quoquo se verterit, re-
29 prehendetur. Vidit hoc vir acutissimus, sed huic, qua de agimus; loci hujus interpretationi mirum in modum addictus, atque ut Josepho opem ferret, Victori adhibuit medicinam, & Ægyptum dimidia vectigalis parte levavit. Suspicatus est enim in Victore legendum *ad centies centena modium millia*. Sed Victoris locus, mea quidem sententia, integer est: idque adeo ipse indicat, cum fidem iis astruens, quæ de ingenti frumenti numero ex una provincia Urbi illato mox erat dicturus, scribit, Augustum, ut annonæ Urbis Ægyptum co-[illegible] efficeret, fossas incuria vetustatis limo clausas labore militum patefecisse, quod a Suetonio quoque capite XVIII. & a Dione libro LI. proditum est. Deinde illa subdit, quæ supra commemoravimus. *Hujus tempore annua Urbi ducenties centena millia frumenti inferebantur*, significans ingentem hanc feracitatem Augusti operibus esse acceptam referendam. Profecto autem si uspiam alibi, in Ægypto fossas purgantibus, & paludes siccantibus ratio operæ constitit. Id reapse expertus est Augusti ævo C. Petronius Ægypti Præfectus, non multo post quam provincia est facta, de quo Strabo legendus libro XVII. haud procul initio. Sed & Aureliano Principe, his ipsis operibus in Ægypto factis a Probo, qui postea imperavit, tanta est facta ad pristinum vectigal accessio, ut ex ea panibus in Urbe vænalibus unciam addiderit gratuitam. Sed altera etiam patet ad veritatem via, ut cum Ægypto Siciliam contendamus. Hæc enim partem Ægypti tertiam vix æquat magnitudine paucosque habet campos, qui fundant cum centesimo, aut, si Ciceronem audimus, plane nullos, cum feracissimi efficiant cum decimo; & tamen bis & septuagies centena modium Romanorum M. quotannis Populo Rom. pependit. Ægyptum autem triplo majorem, & multis partibus fertiliorem (reddebat enim, Plinio teste, modius unus centenos) negabimus triplum, imo aliquanto minus dare potuisse? Mihi sane in mentem venit mirari, non plus etiam dedisse, post tantam adhibitam in ea excolenda ab Augusto & Petronio diligentiam: tantum abest, ut modum, quem Victor memoriæ mandavit, minuendum putem. Imo fit, ut, quomodo hæc a veteribus narrantur, videatur Sicilia ut grani pondere, sic etiam fertilitate cum Ægypto certare. Ut enim par fuit tertiæ ejus parti, sic amplius tertiam vectigalis partem persolvit. Neque est, quod quemquam commoveant duæ decumæ præbitæ a Sicilia. Ægyptum enim tantundem pependisse prodit Orosius lib. primo capite VIII. de fame loquens, quam Josephus Ægypto avertit: *Hujus temporis argumentum historiis fastisque reticentibus, ipsa sibi terra Ægypti testis pronuntiat, quæ tunc redacta in potestatem regiam restitutaque cultoribus suis ex omni fructu suo usque ad nunc quintæ partis incessabile vectigal exsolvit*. Hæc dici possunt pro Victoris loco, ad quem corrumpendum ansam dedit frumentaria largitio. Sed nil 30
mirum. ad eam enim multi præterea veterum scriptorum loci falso revocantur: ut unus de Tiberio, alter de Nerone apud Tacitum, tertius Vopisci de Aureliano, quartus Olympiodori apud Photium. Scribit Olympiodorus post Romam a Gothis captam Albinum Præfectum Urbis ea denuo instaurata scripsisse, non sufficere populo missos commeatus, cum Urbs in dies fieret frequentior: hisque adjecisse diurnum canonem esse quatuordecim millium, ut opinor, modiorum. Hunc Albinus expresserat, ut posset conjici ex eo, quanta ad eam diem hominum multitudo in Urbem confluxisset, non ad largitionem ullam significandam, quæ sane labante imperio, & Urbe recens vastata insignis fuisset, si donari potuissent C. hominum millibus modii quini menstrui, aut panis, qui in frumenti locum jampridem successerat pondo bina millibus CLXXX. De Taciti locis ex libro VI. & XV. Annalium, capite III. & VII. satis disputavi. Vopisci verba ex Aureliani epistola ad Præfectum annonæ in Electis afferuntur, cum tamen a pane gradili frumenti vicario, quo de agitur, mire sint aliena. His Cassiodori locus e libro VI. Variarum in formula Præfecti annonæ subjicitur, qui ad panem vænalem proculdubio pertinet. Eodem Victoris de Trajano referendus est locus, ut capite IV. ostendi. Sed hac de re nimis fortasse multa. Modum igitur scribendi faciam, si prius modios Romanos, quorum passim in hac disputatione mentio est facta, revocavero ad Patavinos: ut quemadmodum regionum tabellis modus in angulo apponitur, ex quo earum magnitudo, urbiumque intervalla cognosci possint: sic habeant in calce hujus libelli studiosi antiquitatis, unde intelligant, quantæ fuerint hæ largitiones, atque in primis Ægyptium & Siculum vectigal. Unciæ igitur Romanæ veteres octodecim, Patavinæ libræ majori, quam *grossam* vocant, a subtili ut discernatur, respondent: ut a Laurentio Pignorio viro haud scio utrum meliore, an doctiore, utroque certe nomine mihi carissimo, animadversum est. Quo fit, ut Siculi & Alexandrini frumenti modius librarum circiter unius & viginti Romanarum, Patavinas XIV. pependerit; & modii veterum terni sextario nostro pondo librarum XLII. frumenti non optimæ notæ; modii autem triceni seni modio nostro sextarium duodenum, maximæ aridorum mensuræ, sint pares. Quare Augustus, qui emensus est quotannis modios sexagenos ducentis hominum millibus, circiter CCCXXXIV. Patavinorum modium millia est largitus. Et Ægyptium vectigal, quod Victor expressit, Patavinorum modium paullo minus DLVI. M. Siculum autem, id est, binæ decumæ CC. M. ferme æquarit. Sed & illud constat, frumenti vim omnem, quam Augusto imperante feracissima Ægyptus quotannis ferebat, fuisse modium Patavinorum vicies septies centenum octoginta millium; Siculi autem frumenti numerum modium ferme decies centenum M. quæ mihi summæ pro decantata harum regionum feracitate sane exiguæ videntur; tantum abest, ut inde aliquid detrahendum putem.

F I N I S.

# JOHANNIS SCHEFFERI

# AGRIPPA LIBERATOR

SIVE

# DISSERTATIO

DE

# NOVIS TABULIS.

# INDEX CAPITUM.


CAPUT I.

*De vocabulo novarum tabularum, earumque apud Græcos appellatione.*

CAPUT II.

*De auctore novarum tabularum & ubi primum sint inventæ.*

CAPUT III.

*Qui has tabulas, & quamobrem postulare solent.*

CAPUT IV.

*De eo, quod præstant novæ tabulæ.*

CAPUT V.

*Unde vis novarum tabularum oriatur.*

CAPUT VI.

*De commodis novarum tabularum vel incommodis, quibusque rationibus a priscis, aut defensæ sunt, aut oppugnatæ.*

CAPUT VII.

*De variis remediis contra novas tabulas, quotiens iniquo tempore reipublicæ petebantur.*

*VIRIS NOBILISSIMIS AMPLISSIMIS*

DNNS.

# JOH. CHRISTOPH. a DRAXDORFF, JOHAN. JACOBO MEJERO, JOH. WENCKERO,

ARGENTORATENSIUM PRÆTORI, CONSULIBUS, EORUMQUE

*REIPUBLICÆ AC SCHOLÆ PATRIBUS, PATRONIS,*

Piis, Prudentissimis, Benignissimis, Felicissimis,

HANC

# DE NOVIS TABULIS

DISSERTATIONEM

## JOHANNES SCHEFFERUS

OBSERVANTIÆ ET CULTUS ERGO

Dat, Dicat, Dedicat.



*Ui bonis literis dant operam, hoc agere consueverunt, ut ex iis ante omnia ipsi suum animum erudiant, ac tum demum, quantum fieri potest, etiam aliorum. Intra primum adhuc cura nostra subsistebat, quippe qui haud nesciremus, quantum alterum & ingenii requirat & doctrinæ. Cum ex necopinato quædam opportunitas decretum nobis diuturniore tempore silentium interrupit, & hanc Dissertationem in publicum prodire jussit. Cujus argumentum illustre quidem & cognitione dignum, at per universum scriptorum quasi campum sic diffusum est, ut in multis nil de eo, in aliis pauca præter nomen inveniantur. Quo factum, ut res per se non cuique obvia, redderetur difficilior, iis præcipue, quorum studiorum ratio non permittebat hujus rei unius causa tot auctores, & non raro irrito ac frustraneo labore perlustrare. Nec tamen aliunde desideriis ipsorum poterat satisfieri, nemine invento hactenus, a quo dispersa hæc de Novis Tabulis, ex auctoribus essent aut collecta sollicite, aut idonee composita. Visum igitur aliquibus id oneris mihi injungere, non tanquam pari, sed ut minus reluctanti. Quod si promptius fortasse, quam mea virium tenuitas suadebat, subierim, non ideo reprehendendus sum, qui eruditioribus, in quo ingenium & operam felicius exerceant, volui demonstrare. Cæterum cum inter rudimenta sit nostrorum studiorum hoc opusculum, ultro sese Vobis offerebat,* DOMINI, *veluti primitiæ quædam Musis debitæ, quarum Vos in hac Urbe publici Tutores estis constituti, easque cura singulari providentiaque sustentatis. Splendidum hoc munus*

*Vestrum atque majus & augustius, quam fors multi judicant. Quippe cujus beneficio non dicam magna civitatis pars, sed potior & melior, imo universa etiam respublica firmatur, præparatis instructisque tot magnorum hominum ingeniis, quorum opera deinde humerisque salus publica, ad miraculum usque & invidiam exterorum sustinetur. Quare nec ignoro longe potiora Vobis deberi. Etiam alia meditabamur; verum grata mens quamcunque etiam beneficiorum, quæ & magna & multa inde ab initio ætatis ad hæc usque tempora ex Academia & Gymnasio Vestro retulit, prædicandorum occasionem non debuit prætermittere. Equidem hoc etiam lubentius eam arripui, quod inter aliorum gratulationes atque vota, quibus secundos exorientis anni successus invicem solemus adprecari, mea quoque non omnino aspernatum iri confidebam. Cum non sic ex consuetudine solenni, ut ex pietate obsequiosa & affectu, nec in ambitum aut adulationes fœde depravato, proficiscantur. Quem merito exuit, quisquis Vos ut* PATRES PATRIÆ, UT ARTIUM BONARUM PRÆSIDES, ET SCHOLARCHAS *veneratur. Nec deinde parva animo fiducia dicam an audacia accessit ex virtute Vestra ac humanitate, quam & publice prædicari par est, nec ab erectioribus ingeniis, sed temporum calamitate pressis ambiri, velut fulcrum quoddam, cujus ope in adversas malevolorum procellas sese erigant, invidiæ esse potest. Cum in promptu sint etiam præstantissimorum hominum exempla, quibus vix aliud quidquam ad gloriam & celebritatem nominis & impunitatem scriptorum magis profuit. Ad quorum magnitudinem tametsi nostrum non pertineat ingenium, Vestra tamen, ut confido, benevolentia facile sublevabitur. Qua & id accedet operi, quod infirmitate nostra est detractum. Rogo igitur ac oro,* DOMINI, *ea promptitudine benevolentiaque parvulum hunc nostrum fœtum suscipiatis, qua soletis aliorum. Nam ut operis fortassis mole ac materiæ jucunditate, certe non industria superamur atque voluntate. Quam in nobis haud minorem esse ea Mnemonis, quem Artaxerxi aquam cava manu ex profluente haustam, cum nil aliud ad manus esset, dono porrexisse legimus, profitemur. Interim dum majora dignioraque Vobis procuro, Deus Vos conservet Reipublicæ, Academiæ, Scholæ, Vobis Domuique Vestræ, mihi denique ac bonis omnibus,* PATRIÆ PATRES, MUSARUM ANTISTITES, LITERATORUM MOECENATES. *Scribebam Argentorati die 3. Januarii, Anno 1645.*

Illustri Vestro Nomini

*cum observantia & submissione addictissimus*

JOH. SCHEFFERUS.

---

# LECTORI BENEVOLO S.



Uisquis es, qui hæc legis, pauca hic in ipso limine, quæso, attende. Primo *titulum* fortassis haud nos inepte Dissertationi hunc fecisse, *Agrippa Liberator*. Secuti enim sumus Platonis, Ciceronis, aliorumque auctoritatem, quorum plerique ejus personæ nomen suis inscripserunt operibus, quæ ex ea re, a qua materiam scribendi & occasionem desumebant, singularem aliquam acceperat celebritatem. Deinde in *tractatione* ipsa frustra fore eum, qui quid ultra tempora Julii civilesque turbas protrahat. Quæ enim in sequentibus memoratu digna accidere, ea alii occasioni reservavimus. *Propositum* etiam nostrum non omiserim hic declarare. Quod non fuit aliud, quam ostendere, quid Novæ Tabulæ sint, & quomodo, quibusve temporibus a priscis usurpatæ. A priscis dico: Nam in talibus ex iis summus, qui vetera nosse cupiunt, recentium incuriosi. Illud quoque fors non inutile fuerit admonuisse, studio nos nostra in hoc toto argumento subduxisse judicia. Nam quæ VI. capite occurrunt, non nostra, sed auctorum sunt, Dionysii puta, Plutarchi, Ciceronis, Platonis, Livii, & aliorum; quorum nomina, imo verba, vel propterea studiosius adduximus. Reliqua sunt hujusmodi, ut æquum judicem non metuant, iniquum facile aspernentur. Vale, & his fruere, studiisque nostris fave.

JO-

# JOHANNIS SCHEFFERI
# AGRIPPA LIBERATOR
## SIVE
## DISSERTATIO
## DE
# NOVIS TABULIS.



Ui rerum publicarum ortus ac interitus scrutantur, ex scriptorum monumentis ac historia notare solent, nihil esse tristius privatim, vel in publicum perniciosius discordia civili. Nec enim unius tantum civitatis, sed cognationis etiam ac familiæ membra distrahit, homines ejusdem sanguinis in se invicem, liberos in parentes, in dominum servos concitat ac armat: atque ita jus, fas, æquum, iniquum, sacra profanaque omnia permiscet. Cujus mali ut diversæ causæ sunt, sic ex uno inæqualitatis quasi fonte, quod Philosophorum summus *Aristoteles* nos docet, dimanare solent. Cæterum hanc inæqualitatem vulgus vix in aliis aut advertit citius aut gravius tolerat, quam in divitiis ac bonis: idque adeo more suo ac ingenio, cum in his solis summam collocet felicitatem. Quare nec frequentior seditionum causa, nec periculosior materia civilium bellorum, quam ingentes paucorum divitiæ & ceteræ totius multitudinis nimia paupertas. Quod & *Aristoteles* & ante eum *Plato* quoque observarunt. Et Thales interrogatus, quem felicissimum putaret statum reip. respondit, τὴν μήτε πλουσίους ἄγαν, μήτε πένητας ἔχουσαν, *Plutarcho* teste in Convivio. Ut jam nil dicamus de ferocia cupidineque, quam paupertas, aut de avaritia & luxuria, quam divitiæ progignunt: quibus semel in rempublicam admissis, eam pessum ire necesse est. Fundamenta enim animamque reipublicæ, id est, æquitatem ac justitiam subvertunt ac extinguunt. Id quod sub illustri reipublicæ Romanæ discimus exemplo, quam nil gravius afflixit hisce rebus. Licet observare inde ab initio usque ad postrema ejus tempora, seditiones omnes contemplanti, nullam prope extitisse, cujus non auctores, aut certe socii validissimi egentes fuerint ac obærati. Instar esto ceterarum illa Catilinæ, in qua quotusquisque fuit non judiciis convictus aut oppressus ære alieno; ut de Cæsare nunc taceam, qui & de se ipse bis millies & quingenties centena millia sibi adesse oportere fassus est, ut nihil habeat; & unicum reorum obæratorumque suis temporibus subsidium & asylum fuit. Nam & urbem, sicut ex scriptoribus accepimus, initio incondita quædam multitudo tenuit, rerumque omnium, præterquam ingentis spei indiga, quam in armis manibusque ponebat. Hac freti, non dubitarunt etiam invalidi adhuc aut temere collecti gentes circumjectas & validiores aggredi, victum & fortunas ferro quærere. Factæ igitur excursiones, facta bella, quibus utrimque agri infestati & direptæ villæ, & pecora abacta, fortunæque aliæ sunt interceptæ. Exigebantur inter hæc tributa, aliaque bello necessaria. Ita, quum & privatos suo sumptu gerere militiam oporteret, (nec enim tunc stipendiariorum usus erat) fieri non potuit, quin a ditioribus pecunias mutuo acciperent, æsque alienum facerent. Nec tamen ex divitiis aut inopia boni malive cives æstimati, bellis scilicet urgentibus & necessaria virtute. Qua innutriti, hostem ferire, murum ascendere, conspici, dum tale facinus patrarent, properabant. Eas divitias, eam bonam famam arbitrabantur. Donec vicinæ gentes subigi paulatim, paxque foras cœpit impetrari. Tunc enim multitudo ad familiaris rei curam, a qua bellis hactenus detinebatur, conversa, demum æris alieni magnitudinem, miseriam temporum, inopiamque suam orsa est considerare. Divites & opulenti contra credita exigere, & acerbius cum plebe, quam pro ratione temporum aut communi libertate agere. Ita factum, ut utrique cogitarent, illi, quomodo plebem, quam offensam noverant, & ob id iratam, metu vindictæ, penitus supprimerent: isti, quomodo sævitiam paucorum qualicunque ratione coercerent. Sed cum impossibilis esset creditorum solutio, remedium, quod ex suo quisque capere debebat, ex republica petitum. Efflagitata primo regum liberalitas, reclusum inde ærarium, donec spes ad novas tabulas se converteret. De quarum causis ac origine, quæ specialius in scriptoribus invenimus consignata, explicare nunc aggredior.

## CAPUT. I.

*De vocabulo novarum tabularum, earumque apud Græcos appellatione.*

NOvas tabulas Latini appellarunt, quod apud eos debita ex adversariis menstruis in certos codices, cum a debitore, tum a creditore, aut eorum loco a mensario referri mos esset, in quibus singulis debitoribus aut creditoribus duæ sive tabulæ sive paginæ assignatæ erant, quarum altera ad hunc, altera ad illum pertinebat; illa tabula accepti, hæc expensi vocabatur. Ut a *Cicerone* disci-

mus ex oratione habita pro Roſcio, ubi de primo ita dicit: *Quod ſi ille (Chærea) ſuas proferet tabulas, proferet ſuas quoque Roſcius.* De ſecundo ita: *Si tabulas C. Fannius accepti & expenſi proferet ſuas, in ſuam rem, ſuo arbitratu ſcriptas, quo minus ſecundum illas judicetis, non recuſo.* Tertium probat *Plinius* lib. 2. cap. 7. ubi de Fortuna: *Huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium ſola utramque paginam facit.* Ac credita quidem *ſcribi*, debita vero *referri* dicebantur. Idem *Cicero* in oratione dicta: *Quemadmodum turpe eſt ſcribere, quod non debeatur, ſic improbum eſt non referre, quod debeas.* *Vetus Schol. Horatii* ſat. 3. lib. 2. *Scribere juris verbum eſt, pro mutuum ſumere.* Scripto ita ac relato debito *tabulas* dicebant *confeciſſe*. Unde idem *Cicero: Paulo ante a M. Perperna P. Saturi tabulas poſcebamus, nunc tuas, C. Fanni Chærea, ſolius flagitamus, & quo minus ſecundum eas lis detur, non recuſamus. Quid ita? non profers?* Reſpondet pro Fannio, *non confecit tabulas.* Et mox. *Quid eſt, quod negligenter ſcribamus adverſaria? quid eſt, quod diligenter conficiamus tabulas? qua de cauſa? Quia hæc ſunt menſtrua, illæ ſunt æternæ: hæc delentur ſtatim, illæ ſervantur ſancte: hæc parvi temporis memoriam, illæ perpetuæ exiſtimationis fidem & religionem amplectuntur: hæc ſunt dejecta, illæ in ordinem confectæ. Itaque adverſaria in judicium protulit nemo: codicem protulit, tabulas recitavit.* E quibus Ciceronis verbis etiam hoc diſcimus, magnam earum tabularum in judiciis fuiſſe auctoritatem. Nam & debitores ex iis pecuniarum poterant convinci, & ſecundum eas, tanquam teſtes fide dignas, judices pronunciabant. Igitur qui ære alieno liberari voluerunt, nec ſolvendo tamen eſſent, abolitionem harum tabularum exigebant, atque ita expectabant novas. Sunt autem *novæ tabulæ* nil aliud, quam *lex ſeu decretum communi conſenſu factum, quo civitate per alterius partis ultimam pauperiem & ex ea ſeditionem, in extremo periculo conſtituta, nexis atque obæratis, ad concordiam faciendam, debita in univerſum remittuntur, ita ut hoc nomine nec corpora eorum, neque bona vincta teneri queant.* Quod Græcorum etiam vocabula, quibus hanc legem conſignare ſolent, demonſtrant. Nam χρεωκοπίαν, ut ex Appii Oratione apud *Dionyſ. Halic.* lib. 6. diſcimus, & χρεῶν ἀπαλλαγὴν, ut apud eundem a Valerio dicuntur, & ut a Claudio, χρεῶν ἀποκοπὰς, ſeu ἄφεσιν χρεῶν vel τῶν δανείων appellare ſolent. T. Largius apud eundem ἄφεσιν ſimpliciter vocavit. Quæ omnia vocabula abrogationem quandam ac ſublationem abſciſſionemque debitorum ſignificant. Quoniam autem duriores hæ voces ad rem perſuadendam avaris præcipue pertinacioribusque fœneratoribus, Solon primus extitit, qui ſingulari aliquo ſophiſmate, ut *Plutarchus* inquit in ipſius vita, novas tabulas aut χρεωκοπίαν, σεισάχθειαν appellavit. Πρῶτον, inquit, Σόλωνος ἦν (ὡς ἔοικε) σόφισμα τὸ τῶν χρεῶν ἀποκοπὴν, σεισάχθειαν ὀνομάσαντος, ἐπικαλύπτων τὴν τοῦ πράγματος δυσχέρειαν ὀνόματι χρηστῷ καὶ φιλανθρώπῳ. *Rem per ſe moleſtam & ingratam utili & humaniore vocabulo obvelans.* Et lib. de repub. gerend. *Cum Solon animum induxiſſet* τὰ ὀφλήματα κουφίσαι, καὶ τὴν σεισάχθειαν (τοῦτο δὲ ἦν ὑποκόρισμα χρεῶν ἀποκοπῆς) εἰσενέγκειν &c. *hac voce, tanquam mitiore, novas tabulas appellavit.* Nihil ſcilicet humanius, nihil in communi vita uſitatius, minusve culpabile, quam ſe illi oneri ſubtrahere, ſub quo, niſi te ſubtrahas, neceſſe eſt ſuccumbas. Hoc autem σεισαχθείας nomen apud Græcos ſignificat, & dicitur quaſi τῆς ἄχθεος σεῖσμα, hoc eſt, *oneris excuſſio*, accommodatum novis tabulis, quia beneficio earum ære alieno tanquam ponderis immenſi onere oppreſſi iterum ſe erigunt ac reficiuntur. Niſi forte cum *Salmaſio* credamus, σεισαχθείας nomen, etiam ante Solonem Athenienſibus cæteriſque Græcis cognitum fuiſſe, deque iis uſurpatum, qui ſe perſoluto ære alieno ex ſervitute, in quam a creditore redacti erant, iterum in libertatem vindicarant. etenim iſthæc potius Solonis mens fuerit, hanc vocem, gratam utriſque, & qui liberabantur, & qui credito accepto libertatem dabant, etiam hic non adeo inviſam fore, remque licet minus gratam, jucundo ſuo nomine acceptiorem redditūram. Latini *novarum tabularum* voce, velut ſolenni in hoc argumento utuntur, ita tamen ut plerumque malo ſenſu accipiant. Quemadmodum & *res novas*, & *novitatem generis*, *ſermonis*, quæque alia ſunt hujuſmodi, dicere conſueverunt. Ita *Cicero* libro de Officiis ſecundo: *Tabulæ vero novæ quid habent argumenti, niſi ut emas mea pecunia fundum: eum tu habeas, ego non habeam pecuniam.*

## CAP. II.

*De auctore novarum tabularum & ubi primum ſint inventæ.*

A Quo aut ubi novæ tabulæ primum inſtitutæ ſint, ut multa alia temporis antiquitas obliteravit. Rem autem eſſe vetuſtiſſimam, apparet ex oratione habita a Poplicola in Senatu, non ita longe poſt exactos reges & a *Dionyſio Halicarnaſſenſi* lib. 5. conſignata. Ibi enim Poplicolam ait πολλά τε καὶ ἐκ πολλῶν πόλεων παραδείγματα, hoc eſt, *multa multarumque civitatum exempla* enumeraſſe, a quibus hoc novarum tabularum decretum fuerit inſtitutum. Adduxiſſe poſtea in exemplum σεισάχθειαν Athenienſium, tanquam recenter, atque patrum etiam memoria geſtam. Ἐξαριθμησάμενος, inquit, δὲ πολλὰ καὶ ἐκ πολλῶν πόλεων παραδείγματα, τελευταίαν παρέσχετο τὴν Ἀθηναίων πόλιν μεγίστου τότε τυγχάνουσαν ὀνόματος ἐπὶ σοφίᾳ οὐ πρὸ πολλῶν χρόνων, ἀλλὰ κατὰ τοὺς πατέρας αὐτῶν ἄφεσιν χρεῶν ψηφισαμένην τοῖς ἀπόροις Σόλωνος προκαθηγησαμένου. *Enumeratis multis multarum civitatum exemplis, poſtremum adduxit Athenienſium, civitatis omnium confeſſione ſapientiſſimæ, quæ non ante multas ætates, ſed patrum memoria, egenis remiſſionem debitorum ſuaſu Solonis decrevit.* Ex quibus verbis manifeſtum arbitror, cum apud Latinos, tum apud Græcos, etiam longe ante Solonem novas tabulas fuiſſe cognitas & uſitatas. Quod *Plutarchus* quoque, ſed obſcurius aliquanto docet, eo loco quem jam ſupra adduximus, cum de verbo σεισαχθείας ageremus. Nam ſi Solon vocem rei tantum immutavit, proque veteri & uſitata, ſed immitiore, mitiorem aliam ac blandiorem ſubſtituit, fieri non poteſt, quin res ipſa diu fuerit, etiam ante ipſum, in notitia Græcorum. Auctor tamen *Diodorus Siculus*, Solonem ab Ægyptiis hanc rem ſumſiſſe, quod an fidem mereatur, alii viderint. Teſtes ſane ſunt *Plutarchus* & *Herodotus* in Clio, Solonem ſcriptis legibus, jamque in publico propoſitis demum in Ægyptum eſſe profectum. Verba poſterioris hæc ſunt: *Potentia Lydorum per Crœſum aucta, contulerunt ſe Sardis, tum cæteri omnes e Græcia Sophiſtæ*, καὶ δὴ καὶ Σόλων, ἀνὴρ Ἀθηναῖος, ὃς Ἀθηναίοισι νόμους κελεύσασι ποιήσας ἀπεδήμησε ἔτεα δέκα κατὰ θεωρίης πρόφασιν, ἐκπλώσας ἵνα μὴ δή τινα τῶν νόμων ἀναγκασθῇ λῦσαι, τῶν ἔθετο. αὐτῶν δὴ ὦν τούτων καὶ τῆς θεωρίης ἐκδημήσας ὁ Σόλων εἵνεκεν ἐς Αἴγυπτον ἀπίκετο παρὰ Ἄμασιν καὶ δὴ καὶ ἐς Σάρδις παρὰ Κροῖσον. *Tum vero Solon vir Athenienſis, qui, cum Leges jubentibus Athenienſibus tuliſſet, decem annos per cauſam contemplandi navigando peregrinatus eſt,*

*ut ne quam legum suarum abrogare cogeretur*. *Harum igitur legum ac contemplandi gratia Solon peregre profectus in Ægyptum ad Amasin se contulit, & Sardis ad Crœsum.* Cui consentit *Heraclides* in republica Atheniensium, ubi de Solone. ὡς δὲ διώχλουν αὐτῷ τινες περὶ τῶν νόμων, ἀπεδήμησεν εἰς Αἴγυπτον. *Cum ei quidam propter leges periculum crearent, profectus est in Ægyptum.* Ac ne forte de hac lege specialiter cui dubium suboriatur, præcavere potest Laertius, qui τὴν σεισάχθειαν πρῶτον in rep. instituisse scribit, hoc est, *primum ante omnia*, non *primus*, ut interpres reddidit, & merito a *Casaubono* reprehenditur. Nam & *Plutarchus* auctor est, hoc Solonis πρῶτον πολίτευμα fuisse, id est, *primum earum rerum, quæ in republica constituit*. Hæc cum non attenderet Vir magnus, ad defendendam *Diodori* sententiam vix amplius quid adfert, quam Solonem in Ægypto peregrinatum esse. Adjuvaretur tamen eo, quod, priusquam curam reipublicæ susciperet, mercaturæ operam dedisse quidam retulerunt, ni constaret ex *Plutarcho*, præcipua de legibus ab Epimenide Cretensi didicisse. Ἐλθὼν, inquit, τῷ Σόλωνι χρησάμενος φίλῳ, πολλὰ προϋπειργάσατο καὶ προωδοποίησεν αὐτῷ τῆς νομοθεσίας. Non in Creta, sed Athenis. Id quod ait Cleodemus apud præcedentem auctorem in Convivio. *Cuperem*, inquit, *audire Solonem*, πολὺν χρόνον Ἀθήνησιν Ἐπιμενίδῃ συγγεγενημένον. Cæterum, ut ex animi sententia nunc loquar, haud absurdum mihi videtur, si quis statuat, novarum legem tabularum ab Ægyptiis, ut multa alia, ad Græcos pervenisse. Nec enim dubito Ægyptios quondam ejus quasi umbram habuisse a Judæis, quibus, quod in vulgus notum, lex a Deo data, ut qui non Judæorum modo sed & exterorum apud eos æs fecissent alienum, nec solvendo essent, quinquagesimo quoque anno liberarentur. Ita ut nec bona ipsorum pignori data, nec corpus ministeriis addictum creditor ultra posset detinere. Quam legem *Moses* lib. 3. cap. 25. latissime exsequitur. Confirmat nostram hanc opinionem Vir Illustr. Clar. *Salmasius* lib. 1. de Usuris. cap. 20. Hanc enim legem ibi *instar fuisse* scribit *novarum tabularum*. Et verba *Mosis* sunt clarissima lib. 5. cap. 15. nisi quod hæc lex ad Judæos solos pertineret. *Septimo quoque anno*, inquit, *remissionem facitote, cujus remissionis hæc erit ratio: Omnibus debitoribus nomina remittuntur, neque creditori fas esto interpellare suum proximum indicta divina remissione*. In vulgata *versione Græca* ita hæc leguntur: Δι' ἑπτὰ ἐτῶν ποιήσεις ἄφεσιν, καὶ οὕτω τὸ πρόσταγμα τῆς ἀφέσεως· Ἀφήσεις πᾶν χρέος ἴδιον, ὃ ὀφείλει σοι ὁ πλησίον, καὶ τὸν ἀδελφόν σου οὐκ ἀπαιτήσεις· ἐπικέκληται γὰρ ἄφεσις κυρίῳ τῷ Θεῷ. Et paulo post: τῷ δὲ ἀδελφῷ σου ἄφεσιν ποιήσεις τοῦ χρέους σου, ὅτι οὐκ ἔσται ἐν σοὶ ἐνδεής. Ubi vides remissionem semper ἄφεσιν χρεῶν vocari. Fuerint ergo prima hujus rei fundamenta apud Judæos, hinc translata ad Ægyptios, a quibus postea deducta ejus est cognitio ad Græcos. Ubi aliquod insignia novarum tabularum exempla a Scriptoribus memoriæ mandata invenimus, quorum præcipua Solonis illud vel Atheniensium, & Spartanorum sub Rege Agide, quod recenset *Plutarchus* in ejus vita, & ante eum sub Lycurgo, quod ibidem memoratur a *Plutarcho*, ut & sub Cleomene, qui Lycurgum imitatus est, & Argivorum sub Tyranno Nabide, quod describit *Livius* lib. 32. cap. 38. & Heracliensium sub Clearcho, a *Justino* consignatum lib. 4. cap. 4. Addere liceat & Cumanorum, quibus ab Aristodemo lex novarum tabularum lata est, & haud absque cura singulari a *Dionys. Halic.* lib. 7. describitur. Apud Romanos licet sæpe multumque etiam cum maximis contentionibus hæc lex a populo sit flagitata, non tamen, nisi semel tantum, eo consensu quem in definitione diximus, & singulari capite latius interpretabimur, propositam invenimus. Idque paulo post exactos reges, Spurio Cassio, Cominio Posthumo COSS. Princeps quidem eam in senatu suasit M. Valerius frater Poplicolæ ejus qui cum Bruto consul factus & testante *Livio* lib. 2. cap. 30. Dictator ad comprimendam populi seditionem creatus est. Dicit enim *Halicarnassensis* libr. 5. censuisse quosdam Patrum, *oportere ad conciliandos vulgi animos* ἀφεῖσθαι τὰ χρέα τοῖς πένησιν, *pauperibus debita remitti:* additque, ἦν δὲ ὁ ταύτης ἡγούμενος τῆς γνώμης Μάρκος Οὐαλέριος. *Erat hujus sententiæ auctor Marcus Valerius*. Quanquam hic quoque & cum eo cæteri apud eum auctorem ferant, *se non esse* πρώτους τὸ πολίτευμα τοῦτο καθισταμένους, *qui primi hanc rem in rempubl. introducant*. Quod quis tamen magis ad exempla aliarum civitatum ac Græcarum imprimis referat, sicut ex sequentibus apparet. Sane apud neminem scriptorum, quod equidem sciam, novarum tabularum ante hunc Valerium in repub. Romana mentionem factam invenimus. Porro Valerium secutus est Servilius, ut testatur idem *Dionysius* lib. 6. Ita tamen, ut omnimodam debitorum abolitionem, aut, si magis e republica videretur, aliquam eorum *diminutionem* (μείωσιν τῶν χρεῶν) censeret obæratis esse concedendam. Σερουιλίῳ, inquit, (pag. 359.) ἐδόκει τὴν ἐπιεικεστέραν τῶν ὁδῶν πορεύεσθαι, τῇ Μ. Οὐαλερίου γνώμῃ τοῦ δημοτικωτάτου προσθεμένῳ, ὃς ἠξίου τὴν ἀρχὴν ἰάσασθαι τῆς στάσεως, μάλιστα μὲν ἄφεσιν τῶν χρεῶν ψηφισαμένους. *Servilio placebat mitiorem viam ingredi, juxta M. Valerii popularissimi senatoris sententiam, qui censebat medendum seditionis principiis decreta debitorum remissione*. ἢ μείωσιν τῶν χρεῶν, *aut diminutione*. Eadem sententia a T. Largio in senatu repetita, teste *Livio* lib. 2. cap. 29. *Non id tempus esse*, dictitante, *ut merita tantum exsolverentur: totam plebem ære alieno demersam esse, nec sisti posse, ni omnibus consulatur*. Quod *Dionysius* amplius declarat in Oratione ejus, ubi eum sic loquentem facit: Ἐμοὶ δοκεῖ κράτιστον μὴ μόνον τοὺς ἐν τοῖς πολέμοις ἀγαθοὺς γενομένους, ἀλλὰ καὶ τὸν ἄλλον ἅπαντα δῆμον ἐλεύθερον τῶν συμβολαίων ἀφεῖσθαι. *Mihi videtur non eos tantum a contractuum vinculis liberandos, qui in bello strenue sese gesserint, sed reliquam quoque plebem universam*. Cæterum hi omnes frustra tunc fuere, neque unquam opulentiores Patrum eo induci poterant, ut proponi novas tabulas permitterent. Donec eas facta secessione plebs paupercula obtinuit, minisque ac contentionibus expressit. Tunc enim missi a Senatu legati, quorum princeps fuit Menenius, iique eas plebi concesserunt. Testis *Dionysius* Halic. lib 6. pag. 405. Ubi Menenium Agrippam sic loquentem facit: *Nos animadvertentes quamlibet seditionem in quavis civitate recte curari, si tollantur ejus causæ, necessarium duximus præcipuas hujus dissidii causas cognoscere, atque abolere, compertoque, quod inclementes æris alieni exactiones præsentium malorum causa fuerit, sic eas corrigimus:* Τοὺς ὀφείλοντας χρέα, καὶ μὴ δυναμένους διαλύσασθαι, πάντας ἀφεῖσθαι τῶν ὀφειλημάτων δικαιοῦμεν. *Qui solvendo non sunt, ei omnibus æs alienum remitti æquum censemus*. Ac ne cui sit dubium, ea tempestate novas plebi tabulas concessas esse, repetitur decretum illud a Minutio apud eundem *Dionysium* lib. 7. pag. 440. quando dicit: Ὑμεῖς, ὦ δημόται, διαλλαττόμενοι πρὸς τὴν βουλὴν, ἀποχρῆν ὑμῖν ᾤεσθε τῶν δανείων ἀφεῖσθαι καὶ βοηθείας ἕνεκα τῶν κατισχυσμένων πενήτων ἄρχοντας ἐξ αὐτῶν ἠτήσασθαι ἀποδεικνύναι· καὶ ταῦτα ἀμφότερα πολλὴν εἰδότες ἡμῖν χάριν ἐλάβετε. *Vos, plebeii, cum in gratiam cum Senatu rediretis, satis putabatis æs alienum remitti vobis; & in auxilium*

*pauperum, ne vi opprimerentur, magistratus petiistis creari ex vestro corpore, & impetrato utroque magnas nobis egistis gratias.* Quod & Appius confirmat in oratione quadam in senatu habita & a Dionysio relata, eodem libro. Σκοπεῖτε, inquit, ὅπως ὅτε ἀπέστη λαβὼν τὰ ὅπλα ὁ δῆμος ἀφ' ὑμῶν, καὶ πολέμιος ἐτόλμησεν ἐκ τοῦ φανεροῦ γενέσθαι, ἀδικεῖσθαι μὲν οὐδὲν, τὸ μὴ δύνασθαι τὰ χρέα τοῖς συμβεβληκόσι διαλύσασθαι σκηπτόμενος· καὶ ἐψηφίσασθε ὑμεῖς χρεῶν τε ἀποκοπὰς καὶ ἄδειαν ὧν ἥμαρτε κατὰ τὴν ἀπόστασιν, οὐδενὸς δὲ ἔτι δεήσεσθαι ἔφη. *Videte, quomodo post defectionem plebis & arma contra vos aperte sumpta, cum nihil aliud quererentur, nisi solvendo se non esse, vosque æris alieni remissionem & per secessionem commissorum impunitatem decrevissetis, quod se nihil præterea postulare dicerent, &c.* Hoc est illud primum unicumque in republ. Romana novarum tabularum exemplum, ex quo multa deinde mala sunt consecuta, non ipsius culpa, ut videtur, sed partim pertinacia paucorum optimatum & divitiis pollentium, partim pravo usurpantium ingenio, temporisque & status, ut loquuntur, dissimilitudine. Sed de eo infra major dicendi locus & occasio nobis dabitur.

## CAP. III.

*Qui has tabulas, & quamobrem postulare solent.*

Ii quorum gratia potissimum novæ tabulæ instituuntur, nexi sunt & obærati. Quorum isti quidem vocabantur, qui ob non solutum statuta die creditum, per judicem creditori in servitutem addicti, nervis vinculisque onerabantur. Quod ex sexcentis auctorum locis comprobari potest. Postea sublato per Pœtilii rogationem nectendi jure, mos tamen obtinuit, ut qui se ipsos etiam sua sponte in servitutem dedissent, ita dicerentur, etiamsi vincti non essent. Varro lib. VI. de LL. *Liber qui suas operas in servitute pro pecunia dabat, dum solveret, Nexus vocabatur. Hoc C. Pœtilio auctore sublatum ne fieret, & omnes qui bonam copiam ejurarent, ne essent nexi.* Ita hunc locum restituit Salmasius, cum prius aliter & vitiose legeretur. Obærati autem erant, qui quidem necdum in servitutem addicti, eam tamen ex legibus sibi metuebant imminentem. Causæ sunt calamitates utrorumque & miseriæ, quæ fere duplices, corporis & famæ. Hæ communes obæratis atque nexis, illæ nexorum propriæ. Quamprimum enim a creditore ad prætorem adducti solvendo se non esse jurarant, infames reddebantur, ut qui fidem creditori præstitam non servassent. Id quod docent Legati Manlii apud Sallustium in Catilina, quando coram rege Q. Marcio sic queruntur: *Violentia atque crudelitate fœneratorum plerique patria, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus.* *Fama* dicit, & *fortunis*. Ita hæc duo etiam *Plutarchus* conjungit l[illegible] [illegible] μὴ δανείζεσθαι. *Fuge*, inquit, *fœnerator*[illegible] [illegible]θερίας ἀπτόμενον, καὶ προσγράφοντα τὴν ἐπ[illegible]. Livius lib. 6. cap. 34. *Fama*, inquit, *& corpore judicati atque addicti creditoribus satisfaciebant.* *Fama* primo ponit, deinde *corpore*, quia alterum ad obæratos, alterum ad nexos pertinet; alterum fiebat ab initio, alterum in fine. Id quod clarius aliquanto videmus ex ejusdem lib. 6. cap. 13. ubi Tribuni ajunt, *Acriores æris alieni esse stimulos, nec egestatem modo atque ignominiam minari, sed nervo ac vinculis corpus liberum territare.* Hic enim expresse ignominia a vinculis distincta, quæ quoniam addictis tantum injici fas erat, manifestum arbitror, alteram illam obæratorum pœnam fuisse, eorum scilicet, qui ad diem præstitutam non solvissent, illiusque rei nomine a Prætore essent judicati. Nec enim statim addicebantur, sed vi legum publicarum triginta dies, *justos* inde appellatos, habebant, intra quos pecuniam conquirerent. Quo omni tempore JUDICATI dicebantur. Gellius lib. 20. cap. 1. *Confessi æris ac debiti judicatis triginta dies sunt dati conquirendæ pecuniæ causa, quam dissolverent. Eosque dies decemviri justos appellarunt, velut quoddam justitium, id est, juris inter eos quasi interstitionem quandam ac cessationem, quibus diebus nihil cum his agi jure posset.* Unde simul discimus illud JUDICATI, quod in verbis Livii supra positis legimus, non ad proximum, sed antecedens verbum referendum esse, & hos ipsos respicere, de quibus dicimus, obæratos. Summa autem ejus infamiæ in duobus maxime consistebat, quod & fidem apud honestiores amitterent & exciderent gratia Patronorum, nec deinceps digni haberentur, qui eos clientium more salutarent, prosequerentur in viis, & id genus alia officia præstarent. Id quod Appius declarat in oratione apud Dionys. lib. 4. pag. 386. Οὐδένα, inquit, τῶν ἀποστερησάντων με προσθετον ἐποιησάμην οὐδὲ ἄτιμον, ἀλλὰ πάντες εἰσὶν ἐλεύθεροι, καὶ πάντες οἴδασί μοι χάριν φίλων τε καὶ πελατῶν καὶ ἐν τοῖς ἀναγκαιοτάτοις ἐξετάζονται. *Nulli eorum, qui me defraudarunt, nexum aut infamiam conciliavi, sed omnes per me liberi sunt, omnes gratiam habent, ut clientes & amici atque in maxime necessariis censeri volunt.* Calamitates autem nexorum sunt, primo *carcer privatus*, in quem addicti detrudebantur a creditore. Livius lib. 6. cap. 36. ubi conqueruntur tribuni, *quotidie de foro addictos duci, & repleri vinculis nobiles domos, & ubicunque patricius habitet, ibi carcerem privatum esse.* Deinde *nervi*, *compedes*, *bojæ*, *massæ*, Græcis ξύλα, πέδαι, κλοιοὶ & μύδροι appellata, quibus vincti tenebantur. Livius lib. II. cap. 3. *Ostentant*, inquit, *nexi vincula sua, deformitatemque aliam, hæc se meritos dicentes.* Plutarchus in Coriolano: Πλούσιοι τοὺς παντελῶς ἀπόρους ἀπῆγον καὶ τὰ σώματα καθείργνυσαν αὐτῶν. *Divites pauperrimum quemque abducebant, corporaque eorum tenebant nexa.* Gellius de iisdem libro supra dicto: *Nervo quoque aut compedibus vinciebantur.* Adducitque verba priscæ legis duodecim tabularum, quam decemviri sic conceperant: *Secum ducito, vincito aut nervo, aut compedibus quindecim pondo, non minore, aut si volet, etiam majore.* vel, ut legit Cl. Salmasius, *non minoribus, aut si volet, etiam majoribus.* Tertio accedunt *operæ*, quibus difficillimis & plane servilibus, qui intra certum tempus solvere non poterant, creditori satisfaciebant, agrum scilicet colendo, pascendo pecora, quæque alia sunt ejus generis vilissima ministeria. Ita enim queruntur apud Dionysium in VI. Δανεισταῖς τελευτῶντες ἀναγκαζόμεθα τοὺς ἑαυτῶν κλήρους οἱ δείλαιοι γεωργεῖν, σκάπτοντες, φυτεύοντες, ἀροῦντες, ποίμνια νέμοντες, ὁμόδουλοι τοῖς ἑαυτῶν δορικτήτοις ἀνδραπόδοις ὄντες, οἱ μὲν ἁλύσει δεθέντες, οἱ δὲ πέδαις, οἱ δὲ ὥσπερ χαλεπώτατα τῶν θηρίων, κλοιοῖς καὶ μύδροις. *Fœneratoribus ad ultimum agros nostros colere cogimur, fodiendo, plantando, pecora pascendo, nostrorum mancipiorum conservi, pars catenis nexi, pars pedicis, nonnulli velut truculentissimæ bestiæ, boiis ac massis orbicularibus.* Hoc est, quod ille nexus clamat apud Livium lib. 2. cap. 23. *ductum se a creditore, non in servitium, sed in ergastulum.* Quod si creditor addictum istiusmodi venundare malebat, id quoque ei licuit, ut ex verbis legis discimus. Et Gellius, vel potius Cæcilius apud eum dicto loco: *Habebantur in vinculis dies sexaginta. Inter eos dies trinis nundinis continuis ad prætorem in comitium producebantur, quantæque pecuniæ judicati essent, prædicabatur. Tertiis autem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tyberim peregre*

*venum ibant*. Hinc legati Manlii in iis verbis, quæ ex Crispo supra adduximus, *miseri, egentes, violentia atque crudelitate fœneratorum plerique patria expertes sumus*. Quarto etiam *verberibus* affecti. *Ostentabat*, inquit Livius lib. 2. cap. 23. de supra dicto nexo, *tergum fœdum recentibus vestigiis verberum*. Florus lib. I. cap. 23. *In terga quoque nexorum serviliter a fœneratoribus sævitum*. Sic L. Papirius C. Publium, quem ob æs paternum nexum habebat, *nudari jubet, verberaque afferri, quibus laceratus juvenis se in publicum proripuit, libidinem crudelitatemque conquerens fœneratoris*. Liv. lib. 8. cap. 26. Ad hæc omnia *victus* accedebat *tenuissimus*. Et singulas farris tantum libras accipiebant, nisi aliud creditori placuisset. Lex duodecim tabularum: *Si volet* (nexus) *suo vivito; si non suo vivit, qui eum vinctum habebit, libras farris in dies dato; si volet, plus dato*. Atque hinc est *fœdus* iste *corporis habitus* illius obærati, quem jam modo diximus, *pallore ac macie perempti*, sicut auctor inquit. Vix enim sufficiebat vel ad vitam tantum sustinendam. Quod indicat Horatius lib. I. Sat. 5. ubi de tenuissimo homine,

> —— *Cui satis una*
> *Farris libra foret, tenui sic tamque pusillo.*

Summum autem ultimumque omnium miseriarum erat, quod nisi post tres nundinas, quibus singulis, ut ex Gellio jam vidimus, ad prætorem ducebantur, æs alienum exuissent, creditoribus darentur, ut aut *membris mutilare* possent, aut *capitis* etiam *supplicio* afficere. *Tertiis nundinis*, inquit Lex, *partes secanto: si plus minusve secuerint, sine fraude esto*. Et videntur hoc innuere tribuni apud Livium lib. 6. cap. 37. Quando dicunt, *non fœnore trucidandi plebem alium patribus unquam fore modum, nisi alterum ex plebe consulem fecissent*. Hic status nexorum apud Romanos fuit. Non tamen apud hos solum, sed & apud Græcos, ut a quibus potissimum leges istas Romani opera Decemvirorum acceperant. Quod jam aliquoties productum a nobis Atheniensium exemplum declarat. Καὶ γὰρ ἐπὶ σώμασιν ἐδανείζοντο καὶ πολλοὶ διὰ ἀπορίαν ἐθήτευον, inquit Laertius. *Multi corporibus oppigneratis pecunias accipiebant, multi operas in servitutem dabant*. Ac tametsi ea res Solonis lege postea Athenis fuerit sublata, mansit tamen mos apud cæteros Græcorum. Unde quoque appellatio ἀγωγίμων, ut toto capite 7. docet Cl. *Salmasius*, de Modo usurarum. Quædam ex his etiam aliis in Oriente populis videntur fuisse usitata, jus nimirum in corpus obærati, quod JUS NEXI *Cicero* appellat; nec in ipsorum modo, sed in corpora quoque liberorum. Id quod cum ex lege Ægyptiorum, cujus infra faciemus mentionem, & Persarum de qua scribit *Appianus* lib. I. B. C. tum præsertim ex Hebræa discimus. Qua speciatim cautum, ne creditor eos, qui ob debita ipsi se in servitutem addixissent, acerbe haberet. Verba legis hæc sunt: *Si quis tuorum consanguineorum præ tenuitate tibi venierit, ne ei servilem in modum imperato, sed eum perinde ac mercenarium advenamque habeto. Cumque apud te servierit ad annum Jubilæum, a te discedito, una cum suis liberis, & in suam cognationem patriamque possessionem revertatur*. Et mox: *Quod si auctis facultatibus alicujus peregrini & incolæ vestri, quispiam vestri generis præ rerum inopia, illi aut omnino peregrinæ nationis homini venierit, redimendi jus esto. Aliquis ex ejus consanguineis eum redimito, aut ipse denique facultatem nactus redimat. Mercenarii conditione quotannis apud illum esto, neve committite, ut ille ei durius imperet*. Quæ postrema legis verba satis indicant etiam Mosis tempestate notam celebremque fuisse nexorum sub duris fœneratoribus miseriam. Atque hæ sunt causæ, quæ apud Græcos & Latinos nexis occasionem, χρεοκοπείαν sive novas tabulas exigendi præbuere. Dionysius lib. 5. Ἤδη δ' ὑπεκινεῖτο τὸ πολὺ τοῦ δημοτικοῦ μέρος, καὶ ἐνόσει, μάλιστα δὲ τὸ ἄπορον μέρος καὶ ὑπὸ δανείων ἐξηναγκασμένον, μηκέτι τὰ κράτιστα τῷ κοινῷ φροντίζειν. οὐ γὰρ ἐμετρίαζον ἐν ταῖς ἐξουσίαις οἱ δανείζοντες, ἀλλ' εἰς δεσμοὺς τὰ τῶν ὑποχρέων ἀπῆγον σώματα, καὶ ὥσπερ ἀργυρωνήτοις οὕτως ἐχρῶντο. *Jam magna pars plebis & præsertim egeni & oppressi fœnore aliquantum commoti erant ac perniciosas reip. cogitationes alebant. Impotenter enim & immoderate se gerebant fœneratores, & in nervum abducebant obæratorum corpora, quibus non aliter utebantur quam emptitiis*.

## CAP. IV.

*De eo, quod præstant novæ tabulæ.*

TRia novæ tabulæ efficiunt, remissionem æris alieni, liberationem corporum & bonorum, ejus nomine oppigneratorum, denique certam etiam de fœnore constitutionem. Remissio æris principaliter hic consideratur, quippe quam constitutam cetera necessitate quadam sequuntur. Quibus enim debita sunt condonata, eorum neque corpora neque bona creditores amplius morari possunt. Tolluntur autem lege hac novarum tabularum. Id quod jam est demonstrandum. Ac de Græcorum quidem σεισαχθείᾳ (nam de Hebræorum aliarumque gentium dicere in præsens nihil attinet, & ex iis locis, quæ a nobis supra sunt adducta, ratio earum abunde satis, nisi fallor, intelligi potest) res est manifesta. Quare qui de ea literis quid prodiderunt, vulgo per ἀποκοπὴν τῶν χρεῶν interpetrari solent. *Plutarchus* in Solone: Πρῶτον ἦν (ὡς ἔοικε) σόφισμα Σόλωνος τῆς τῶν χρεῶν ἀποκοπήν, σεισάχθειαν ὀνομάσαντος. *Primus debitorum sublationem Sisachthiam appellavit*. *Suidas*: Σεισάχθεια, χρεοκοπεία δημοσίων ἢ ἰδιωτικῶν, ἣν εἰσηγήσατο Σόλων. *Dionysius* Halicar. lib. 5. de Atheniensium civitate: κατὰ τοὺς πατέρας αὐτῶν ἄφεσιν χρεῶν τοῖς ἀπόροις Σόλωνος προκαθηγησαμένου, constituit. Fuere tamen, ut *Plutarchus* refert, & in iis etiam *Androtion*, qui putarunt (οὐκ ἀποκοπὴν χρεῶν, ἀλλὰ τόκων μετριότητα) *non condonationem æris alieni, sed allevationem moderationemque usurarum* Solonem instituisse, eamque appellasse σεισάχθειαν. Mox tamen subjicit: οἱ δὲ πλεῖστοι πάντων ὁμοῦ φασι συμβολαίων ἀναίρεσιν γενέσθαι τὴν σεισάχθειαν. *Plurimi tamen ajunt simul* (non *semel*, ut in codice Wechel. male legitur) *pacta conventa etiam Sisachthiam sustulisse*. Ex quo loco observamus, id quod diximus, σεισάχθειαν fœnori quoque certum præscripsisse modum. Nam si postremum *una* (ὁμοῦ) factum est, alterum quoque institutum fuisse apparet. Cæterum quod de sublatione debitorum dixi, ejus Solon ipse etiam est testis. Quando ad Hipponicum & Conona & Cliniam amicos apud eundem auctorem ait, ὅτι γῆν μὲν οὐ μέλλει κινεῖν, χρεῶν δὲ ποιεῖν ἀποκοπάς, *agrorum æqualitatem non constituturum, sed sublaturum æs alienum*. Et Plutarchus in Agide, ubi de Cleomene: Ferebat se Σόλωνα ἀπομιμήσασθαι ἐν τῇ τῶν χρεῶν ἀφέσει. Porro quibus debita hoc modo remittuntur, eorum quoque corpora ob debitum in servitutem tradita liberari necesse est. Quo respectu *Diodorus* lib. I. Bibl. etiamsi nil de σεισαχθείᾳ, illudque tantum dicat, legibus Bocchoridis fuisse cautum apud Ægyptios, ne in corpora debitorum potestatem haberent, sed usuras creditæ pecuniæ exigerent ex facultatibus cujusque aliis, ac bonis, addit: Δοκεῖ καὶ τοῦτον τὸν νόμον ὁ Σόλων εἰς τὰς Ἀθήνας με-

πεπραγμένων, ἣν ὠνόμασε σεισάχθειαν, ἀπολύσας τοὺς πολίτας ἁπάντας τῶν ἐπὶ τοῖς σώμασι τεθειμένων δανείων. Certum enim non tantum corporum liberationem, ſed remiſſionem quoque debitorum, ut jam ſupra demonſtravimus, continuiſſe. Atque hoc eſt, quod *Diogenes Laertius* σεισάχθειαν, λύτρωσιν σωμάτων τε καὶ κτημάτων vocat, hoc eſt, *corporum & poſſeſſionum liberationem*. Hæc eſt illa συμβολαίων ἀναίρεσις, quam *Plutarchus* ſupra appellavit. Conveniebant ſcilicet debitores cum creditoribus, ſubque certa conditione mutuo pecunias accipiebant, ut niſi conſtituta die debitum ſolviſſent, ipſis liceret corpora eorum aut in ſervitutem abducere, aut ipſorum bona vendere, & ſimilia, quæ omnia infirmabantur, lata lege σεισαχθείας; quippe qua res ipſa tollebatur, cujus reſpectu pœna ſumi poterat. Cæterum quæ de Græcorum σεισαχθείᾳ diximus, ea etiam ad legem pertinent novarum tabularum. Clare Menenius apud *Dionyſium* lib. 6. cum earum vim effectumque Plebi in monte Sacro explicaret: Τοὺς ὀφείλοντας χρέα καὶ μὴ δυναμένους διαλύσασθαι, πάντας ἀφεῖσθαι τῶν ὀφειλημάτων δικαιοῦμεν. καὶ εἴ τινων ἤδη τὰ σώματα ὑπερημέρων ὄντων ταῖς νομίμοις προθεσμίαις κατέχεται, καὶ ταῦτα ἐλεύθερα εἶναι κρίνομεν· ὅσοι τε δίκαις ἁλόντες, ἰδίαις παρεδόθησαν τοῖς καταδικασαμένοις, καὶ τούτους ἐλευθέρους εἶναι βουλόμεθα, καὶ τὰς καταγνώσεις αὐτῶν ἀκύρους ποιοῦμεν. *Qui ſolvendo non ſunt, iis omnibus æs alienum remitti æquum cenſemus. Et ſi quorum corpora, quod præſtitutum ſolutioni diem exceſſerint, ex lege jam tenentur, hæc quoque placet eſſe libera. Si qui etiam per judices addicti ſunt creditoribus, etiam hos liberos eſſe volumus, eorumque condemnationes irritas fieri*. Et paulo ante P. Virginius: Οἴομαι δεῖν τοὺς συναραμένους ἡμῖν ποτε, ἢ τῷ δὲ τῶν πολέμων μετέχοντας χρῆσθαι, καὶ μηδενὸς αὐτῶν μήτε τὸ σῶμα, μήτε τὴν οὐσίαν ὑπὸ τῶν δανειστῶν κρατεῖσθαι. *Cenſeo iis, qui bella nobiſcum ſuſceperunt & confecerunt, concedendam remiſſionem, ut creditoribus nec in corpora eorum jus ſit, nec in bona*. *Seneca* ſpecialiter de remiſſione in epiſt. LXXXI. *Animus ſapientis*, inquit, *ubi paria maleficiis ſunt merita, deſinit quidem debere, ſed non deſinit velle debere, & hoc facit, quod qui tabulas novas ſolvunt*. Id eſt, qui conſtitutis novis tabulis ſolvunt, non hoc agunt ex debito; deſierunt enim debere per legem novarum tabularum. Solvunt igitur, quia non deſierunt velle debere; nam ſi deſiiſsent, non debuerunt. Ita *Fortunatianus* lib. 3. artis Rhetor. citante *Beroaldo* ad Suetonii Julium, *Petebat*, inquit, *quidam ab alio uſuram quaſi pecuniæ creditæ. Ille accepiſſe pecuniam confitebatur, ſed depoſitam, & iccirco velle reſtituere ſortem ſine uſura. Pendente interim judicio lex de novis tabulis lata eſt: repetit ille quaſi depoſitam, retinet ille quaſi creditam*. *Retinet*, inquit, quo jure, niſi quia lex novarum tabularum debitori liberam ſolutionem faciebat, ut ſi nollet ſua ſponte ſolvere, cogi non poſset. Obſervat autem ex hoc Fortunatiani loco *Beroaldus*, creditas tantum ſub uſuris pecunias hac lege debitoribus condonari. *Novæ tabulæ*, inquit, *dicuntur, quando debitores creditas cum uſuris pecunias perſolvere non coguntur ipſis creditoribus, & abolitis prioribus debitis novæ tabulæ conficiuntur*. Et mox: *Quando lex relata de novis tabulis, pecunia, quæ cum uſuris credita fuiſſet, repeti non poterat*. Sic *Salmaſius* de Uſuris cap. 4 *Novæ tabulæ debita omnia uſuraria reſcindunt*. Quod an perpetuæ obſervationis ſit, ignoro. Videtur ſane legis generalitas aliud ſuadere, ut quando exempli gratia Menenius ait, *Qui ſolvendo non ſunt, iis omnibus æs alienum remittimus*. Τοὺς ὀφείλοντας χρέα, καὶ μὴ δυναμένους διαλύσασθαι πάντας, inquit, Græcus. Tales autem per calamitatem temporum æque eſse poterant, qui pecuniam etiam ſub nullis accepiſsent uſuris, atque reliqui. Et ſic mutuo datam eo tempore pecuniam, amicis præcipue, patet exemplo Craſſi apud *Plutarchum* in vita ejus. Et Attici apud *Cornelium Nepotem* in ejus vita. cap. 2. 4. & cap. 9. 5. Fruſtra eſset, qui ex vero χρεοκοπείας argutari vellet: id enim ſæpe qualecumque creditum notare ſolet. Sed de his alias.

## CAP. V.

*Unde vis novarum tabularum oriatur.*

CUm novas tabulas multi averſentur, poteſtate quadam inſtruendæ ſunt, qua id conſequantur, ad quod ſolent conſtitui. Eſt autem ea vis ſeu poteſtas in ſolennibus quibuſdam, quæ vel antecedunt ipſas, vel comitantur. Antecedit *Conſenſus*, cum e. g. ex utraque civitatis parte duces aut legati coeunt, & ſuæ publicæque ſalutis ergo has aut petere aut concedere affirmant. Quod Romæ factum diſcimus ex *Dionyſio*. Nam lib. 6. pag. 394. auctor eſt, Menenium Agrippam, cumque eo novem alios legatos dimiſſos Roma in montem Sacrum ex SCto, Scitoque Plebis, hoc eſt, totius civitatis conſenſu, adeoque non pauperum modo, ſed & divitum, & eorum voluntate, quibus ardua hæc res & toleratu difficilis videbatur. Vel cum ambo uni poteſtatem deferunt ſanandæ Reipubl. iſque hunc nec alium ſe curandi modum invenire teſtatur. Quemadmodum apud Athenienſes Solonem feciſſe legimus. Ait enim *Plutarchus*, conſenſu divitum non minus, quam mediorum pauperumve electum, qui rempublicam capeſſeret, civitatiſque controverſias componeret. Conſenſus ergo eſt, qui primum adhibetur, ſi non ſingulorum, & ut privati res ſuas conſiderant, tamen omnium, ut unius civitatis membra ſunt, & ſervari cupiunt. Unde & in definitione *communi conſenſu factum* hoc decretum diximus. Hunc conſenſum ea omnia dein ſequuntur, quæ ad ſanciendam legem ex populi cujuſque moribus ac inſtitutis requiruntur. Id eſt, *verba* ejus, certa & *ſolenni formula* comprehendi ſolent, & in æs incidi, *inſcribique* tabulis & *ſuſpendi* publice ac proponi, quæque alia ſunt ejus generis. Hoc enim volunt, quando legis nomine appellant. Id quod diſertim facit *Cæſar* lib. 3. de B. C. cap. 21. *Sublata*, inquit, *priore lege, duas promulgavit; unam qua mercedes habitationum annuas conductoribus donavit, alteram novarum tabularum*. Et *Fortunatianus* lib. 3. artis Rhetor. *Pendente interim judicio lex de novis tabulis lata eſt*. Hinc Menenius apud *Dionyſium* in 6. ἐπιψηφιεῖται μὲν ἡ βουλὴ ταῦτα, καὶ νόμου τάξιν ἀποδώσει τοῖς γραφησομένοις. *Senatus Conſulto hæc* (quæ de novis tabulis præceſſerant) *ſancientur & inter leges ſcribentur*. Ita etiam σεισάχθειαν *Plutarchus* νόμον vocat, id eſt, *legem*. Et *Laertius* poſtquam de effectu ejus quædam præmiſiſſet, καὶ οὗτος addit ὁ νόμος ἐκλήθη σεισάχθεια. *hæcque lex Siſachthia vocabatur*. Cæterum ex his ſequuntur, ſine quibus leges eſſe nequeunt, *poteſtas* & *auctoritas*. Ex qua dein auctoritate poteſtateque creditores debita expungere, bonis debitorum cedere, corpora eorum in priorem ſtatum reſtituere coguntur. Id quod *Plutarchus* Solonem feciſſe ait. Cum enim quidam eum calumniarentur in ditiorum fraudem hanc legem ſanxiſſe, atque ideo propoſuiſſe, quo ſe cognatoſque, qui non parvam æris alieni ſummam undique contraxerant, bonis cumularet, πρῶτος ἀφῆκε κατὰ τὸν νόμον πέντε τάλαντα. *princeps quinque talenta expunxit: ea enim ſumma*, addit auctor, *fœnus exercebat*. In Græco eſt εὑρέθη τοσαῦτα δανείζων. quod notat, eum *inventum eſſe tanta ſumma fœnus exercere*. Reſpicitque priſcam, non Latinorum

modo, verum etiam Græcorum consuetudinem, qua publicas habebant tabulas, in quibus facultates cujusque, atque opes specialius consignabantur. Unde statim sciri poterat, quantum quilibet aut deberet ipse, aut ipsi alii deberent. Quæ & ante inspici solebant, quam lex harum tabularum publice ferretur, quo necessitas illius magis appareret. Ac de his intelligendi sunt tribuni conquerentes apud *Livium* lib. 6. cap. 27. *Fugere Senatum testes tabulas publicas census cujusque, quia nolint conspici summam æris alieni, quæ indicatura sit, demersam partem a parte civitatis*. Et quando paulo post vociferantur, *se non passuros delectum haberi, donec in specto ære alieno initaque ratione minuendi ejus, sciat unusquisque, quid alieni sit*.

## CAP. VI.

*De commodis novarum tabularum vel incommodis, quibusque rationibus a priscis aut defensæ sint, aut oppugnatæ.*

MAgnæ semper extitere difficultates, quotiens novarum tabularum mentio facta est in republica, aliis rem arbitrantibus esse salutarem, alii vero iniquissimam reique publicæ maxime perniciosam. Quorum omnium rationes ut in medium adducamus, operæ pretium fuerit, quo appareat esse, quod in definitione ejus ita intellectum volumus, si non per se laudabilem aut ab omni parte æquissimam, certis saltem reipublicæ temporibus necessitate maxima, communique salute excusatam. Ac ut de iis ordiamur, qui non admittendas censuere, vix alia re magis affirmant fundamenta reipublicæ everti. Claudius, quo haud alius vehementior hujus rei adversator apud Romanos invenitur, docet in oratione sua apud *Dionysium* lib. 6. ubi ait: Οὐδέποτε εἰσάξω χρεῶν ἀποκοπὰς, λογιζόμενος, ὅτι πᾶσα κακία καὶ διαφορὰ καὶ συλλήβδην ἀνατροπὴ πόλεως ἀπὸ χρεωκοπίας ἄρχεται. *Nunquam novas tabulas in remp. introducam, reputans omnia vitia & dissensiones, &, ut compendio dicam, subversionem civitatis ex interverso ære mutuatio provenire*. Et *Plutarchus* auctor in Solone πάσῃ χρεῶν ἀποκοπῇ στάσιν ἕπεσθαι, *omnes novas tabulas plerumque seditiones subsequi*. Ita *Cicero* lib. 2. de Offic. *Qui pecunias creditas condonandas putant, ii labefactant fundamenta Reipubl.* Cujus rei causam ferunt, quia fidem tollunt, quia æquitatem. *Quid enim inquius*, inquit Appius apud *Dionysium* lib. 5. *quam si bona relicta a majoribus, aucta propria industria & parsimonia, publicentur nequissimis civium? Quid injustius*, ait *Cicero* lib. 2. de Offic. *quam si suum cuique habere non liceat?* quam si ab eo bonis tuis fraudare, cujus inopiam benignitate tua sublevasti. Unde *Dioysius* lib. 6. pag. 191. (Οἱ μὲν ἀριστοκρατικοὶ, καὶ τὰ δικαιότερα πρὸ τῶν ἀδίκων οἰόμενοι δεῖν σκοπεῖν) qui optimatium parti favebant, nec injusta justioribus præponenda judicabant, *Appio assentiebantur*. Cum autem ob hanc causam civitates maxime sint constitutæ, hocque proprium earum sit, ut sit libera & non sollicita suæ rei cujusque custodia, fieri non potest, ut qui hoc jus non consequantur, quiete sese teneant. Ita divites pecuniarum creditarum injusto, sicut arbitrantur, damno agitati, loco inopum seditiones movebunt, eo periculosiores, quo & in rebus agitandis vulgo prudentiores sunt & viribus plus pollent. Quod & *Plato* confirmat lib. 3. de LL. aitque, *fieri non posse hodie sine magna rerum permutatione perturbationeque, si quis aut ἀναδασμοὺς τῆς γῆς, aut* χρεῶν ἀποκοπὰς proponat, *i. e. legem agrariam, aut de novis tabulis; sed quemque clamaturum, non oportere* κινεῖν τὰ ἀκίνητα, *ea communia facere, quæ per se communia non sunt*. Porro fidem etiam societatis omnis vinculum novarum tabularum lege dissolvi affirmant. *Fides*, inquit, *Cicero* lib. 2. de Offic. *esse nulla potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum*. Nulla autem res est, quæ rempublicam vehementius continet, quam fides. Quare Appius, *melius*, ait, *Latinorum imperata facere, quam committere, ut homines nauci fidem a majoribus templis & anniversariis sacrificiis cultam e civitate hoc modo ejiciant*. *Dionysius Halicar.* lib. 5. pag. 332. *Nam & fide sublata succedet inbumanitas & rerum necessariarum, sine quibus urbes coli nequeunt, penuria. Dum nec agricolæ serent aut plantabunt, nec navigabunt nautæ, nec negotiatores transmarinas merces advehent, nec aliis laboribus pauperes otium consument. In omnia enim ista nemo divitum pecuniam subministrabit. atque ita fiet, ut pauperes opulentis succenseant, ipsi vero studium laborandi deponant*. ut testatur idem Appius in antecedenti oratione. Quare *etiamsi patienter damna sua opulenti ferant*, *nihilominus*, ait idem ea ipsa oratione, *intutam inhonestamque harum rerum concessionem futuram*. Denique quod argumentum inter firmiora est, rem esse dicunt solo etiam exemplo insalubrem. ( *Livius* lib. 2. cap. 30. *Plutarchus* in Coriolano pag. 215.) Non enim eo loco plebis voluntates consistere, unde cœpere; verum uno obtento mox majora alia, & pertinacius flagitare. Ἀπληρώτους, inquit Appius, καὶ ἀορίστους ὑπαρχούσας τὰς τῶν ἀνοήτων ὄχλων ἐπιθυμίας ἀρχομένας δεῖν κωλύειν, ἕως εἰσὶν ἀσθενεῖς, οὐχ ὅταν ἰσχυραὶ καὶ μεγάλαι μὴ δύνωνται καθαιρεῖν. *infinitas & inexplebiles esse vulgi cupiditates, quarum principiis obstandum, dum adhuc sunt invalidæ, non cum invaluere. tunc enim ægre convelli posse*. Et documento esse potest respubl. Romana, in quam introducti hac occasione Tribuni (vid *Livius* lib. 2. cap. 33. *Plutarchus* in Coriolano) potestatem plebis magis magisque increscentem eo tandem fastigii extulere, ut & Consules e suo medio ausa sit constituere, sicut docet *Livius* lib. 6. cap. 34. Certe nisi majora circumspectet, spe tamen ejusce liberalitatis publicæ aliena subsidia expectare mavult, quam sibi quærere: atque sic inertiæ & otio se dedit. *Dionysius* lib. 8. cap. 539. & 541. Illud vero longe ajunt esse periculosissimum, si resistentibus aliis plebs aliquem e viris magnis partium suarum nanciscatur adjutorem; tunc enim nihil certius tyrannide metuendum. Qua consideratione idem Appius libro 6. apud *Dionys.* Valerium suasorem harum tabularum δημοκόλακα appellat, eaque plebis partium defensione viam sibi ad tyrannidem munire vociferatur, affirmans hanc ταχεῖαν ὁδὸν εἶναι τοῖς καταδουλῶσαι βουλομένοις τὰς πόλεις, *expeditam vitam esse ad opprimendam civitatis libertatem*. Nec aliud Manlii apud *Livium* lib. 6. cap. 14. M. Cœlii apud *Vellejum* lib. 2. cap. 26. & *Cæsarem* lib. 3. Coment. de B. C. cap. 21. & denique insignis nequitiæ viri Catilinæ apud *Sallust.* toto bello Catilin. exempla testantur. Atque hinc jam iste *novarum tabularum metus*, quem ait *Julius* sub initium tertii de bellis Civ. & *Cicero* lib. 5. Ep. ad Atticum. ep. 21. Hæ sunt rationes, quibus *Seneca* commotus novas tabulas *rem perniciosissimam* lib. 1. de Ben. cap. 4. *Cicero* lib. 2. de Offic. *ingens malum reipubl. Livius* lib. 32. cap. 38. *Facem novantibus res ad plebem in optimates accendendam*. *Halicarnassensis* lib. 7. κάλλιστον πολίτευμα. ᾧ πᾶσα χρῆται προοίμιος τυραννὶς τῶν ἐν ἀνθρώποις. *pulcberrimum inventum, quo utuntur omnes, qui tyrannidem affectant*, appellarunt. Quibus ut nunc ordine respondeamus, necesse fuerit, interposituri non tam nostram, ut in re ambigua, quam veterum sententiam & auctoritatem. Atque primum quidem ob-

servanda putem *Ciceronis* verba, quibus non quosvis novarum tabularum auctores, verum eos demum justitiam, æquitatem, fidem ceteraque bona e republica tollere affirmat, qui *populares esse volunt, ob eamque causam pecunias creditas condonandas putant*. Quales quidem fuere ii, quorum supra mentionem fecimus. *Manlius*, inquit *Livius* lib. 6. cap. 11. *primum omnium ex patribus popularis factus, cum plebis magistratibus consilia communicare, criminando patres, alliciendo ad se plebem, jam aura, non consilio ferri, famæque magnæ malle, quam bonæ esse*. Quibus verbis simul egregie describit notas ac indicia perniciosæ popularitatis. Quæ ex ingenio Manlii magis elucescunt, in quo primum quasi locum tenent nimia ambitio cupiditasve gloriæ & invidia virtutis alienæ. *Erat Manlius*, ut ait Livius, *nimius animis, vitio ingenii vehemens & impotens, qui alios principes sperneret, uni invideret eximio simul honoribus & virtutibus M. Furio*. Sic de Catillina Sallustius: *Vastus animus immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat*. Accedit profusio suarum rerum & cupido alienarum. *Alieni appetens, sui profusus Catilina*, teste eodem Sallustio. Ita Manlius *fundum in Vejenti, caput patrimonii subjicit præconi*, apud Livium lib. 6. cap. 14. hac tamen addita in speciem oratione, *se non passurum quempiam, donec quidquam in re sua superetit, judicatum addictumque duci*. Merito igitur hos detestamur, non ideo, quod novas tabulas instituere conati sint, sed quod alieno tempore hoc agere sustinuerint, quod iis viam ad tyrannidem voluerint munire, adeoque pro ingenii sui pravitate ac malitia, re, ut vocant, indifferenti male uti decreverint. Deinde testes sunt auctores ipsi, incorrupti rerum multis ante ipsos seculis gestarum indices, Appium ceterosque hujus legis dissuasores, nimirum affectibus, seu ex innata quadam animi pertinacia, seu divitiarum amore indulsisse, ut vel hoc solo nomine auctoritas ipsorum tanta esse non debeat, quanta forte videatur. *Appius Claudius*, inquit Livius lib. 2. cap. 29. *& natura immitis & efferatus hinc plebis odio, illinc patrum laudibus, hanc sententiam protulit*, quam deinde recenset. Et mox sequenti capite: *Factione respectuque rerum privatarum Appius vicit*. Huc pertinet, quod Dionysius Appium appellat ἄνδρα μισόδημον καὶ ὀλιγαρχικὸν, cujus opera pauci potentes φέρουσι πάντα τὰ πράγματα τῆς πόλεως lib. 6. pag. 385. Quodque lib. 7 pag. 437. scribit, in hanc Appii sententiam consensisse τοὺς νεωτέρους τῶν πρεσβυτέρων τοὺς πλουσιωτάτους τε καὶ φιλοτιμοτάτους, *juvenes, opulentos & honorum cupidos*. Quasi eos diceret, qui vel ætate ad rem tantam judicandam immaturi, vel affectuum impotentes & judicio corrupti privatam utilitatem publicæ consueverint anteponere. Neque etiam res ipsæ tantæ sunt, quas in medium adducunt. Ut enim lex novarum tabularum aliquid ex iniquo habeat, id omne tamen ultima necessitate facile meretur excusari. Quæ sententia est omnium, qui eam unquam in rempublicam inducendam censuere. Ultimam autem diximus, ut ostendamus, injustorum infamiam non elabi, qui aut fingunt necessitatem, ubi nulla est, aut quamcunque pro ultima extremaque aripiunt. Quod & Valerius docet apud Dionysium lib. 5. pag. 328. quando ait, *Multos ostendi posse, qui & hoc & alia longe difficiliora sustinuerint* (ὅταν τι μηδὲν ἐξῇ πράττειν ἕτερον) *cum non darentur aliud remedium*. Τὰς γὰρ ἀνάγκας κρείττους εἶναι τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως. καὶ τότε τὸ εὐπρεπὲς ἀξιοῦν ἅπαντας σκοπεῖν, ὅταν ἔχωσιν ἤδη τὸ ἀσφαλές. *Necessitati impares esse humani ingenii vires, omnesque homines tum demum de decoro dispicere, cum jam versantur in tuto*. Et patres apud Livium cum fatentur, *nullam se nisi in concordia civium*

A *spem reliquam ducere*. lib. 2. cap. 32. Innuitque Plutarchus, quando τὴν χρεοκοπίαν φάρμακον παράβολον καὶ ἰσχυρὸν appellat, id est, *anceps strenuumque remedium*. Quomodo enim in morbis non præcipitia quæque ab initio adhibere solent medicorum filii, ne exitiosa sit curatio, sed tunc demum, cum aut convalescendum, aut certo pereundum est, ita in publicæ paupertatis morbo hoc remedium adhiberi non debet, nisi morbus contra omnia alia remedia invaluerit. Censetur autem hæc necessitas non tantum ex discordia civili, & interna seditione, qualis fuit Romæ aut Athenis, cum hæc lex ferretur. Illic quidem scissa plebe a patri-
B bus & civitate velut in duo corpora divisa, quorum alterum urbem, alterum montem sacrum occupaverat: Athenis autem, contentionibus jam diu inter opulentos obæratosque agitatis, in aperta bella seditionesque erumpentibus, iisque tunc (ἐν ἀκμῇ) *in summo* constitutis, Τότε, inquit Plutarchus, τῆς γὰρ πενήτων πρὸς τοὺς πλουσίους ἀνωμαλίας ὥσπερ ἀκμὴν λαβούσης παντάπασιν ἐπισφαλῶς ἡ πόλις διέκειτο. *Flagrabat ea tempestate pauperum cum divitibus ex inæqualitate certamen, civitasque prorsus in summo periculo versabatur*. Sed ex aliis reipublicæ malis, qualia sunt, ut sub exemplo rei-
C publ. Romanæ loquar, metus, ne libertas nupere obtenta, per occultas exterorum machinationes, spesque præmiorum obæratis objectas prodatur. *Romani*, inquit apud Dionysium Valerius, *non de parvis quibusdam commodis tantum periclitantur, sed ne rursum tradantur immani, omnique bestia ferociori tyranno*. Aut ne plebs sua sponte ducem eligat, & præsentium pertæsa alium in rempublicam magistratum inducat. Quod Atheniensium vulgus meditatum, auctor Plutarchus, ditioribusque ideo & amantioribus libertatis causam præbuisse, ut facilius consiliis Solonis obedirent. Μόνως ἂν ἐδόκει, inquit in Solone, καταστῆναι καὶ παύσασθαι ταραττομένη (πόλις) τυραννίδος γενομένης. *Una*
D *superesse ratio videbatur obæratis ad salutem, si res delatæ ad dominatum essent*. Et mox: Οἱ πλεῖστοι καὶ ῥωμαλεώτατοι συνίσταντο καὶ παρεκάλουν ἀλλήλους μὴ περιορᾷν, ἀλλ' ἑλομένους ἕνα προστάτην, ἄνδρα πιστὸν, ἀφελέσθαι τοὺς ὑπερημέρους, καὶ γῆν ἀναδάσασθαι καὶ ὅλως μεταστῆσαι τὴν πολιτείαν. *Maxima & validissima pars coitione facta sese mutuo cohortati sunt, ne ea tolerarent, sed unum caperent ducem, virum fidum, eosque, qui ad præstitutum diem non solvissent, vinculis liberarent, agrum dividerent, atque totum reip. statum inverterent*. Ubi etiam hoc amplius considerandum, necessitatem eo fuisse majorem, quod non pauci quidam aut viliores, sed pars
E maxima civitatis contra opulentiores erat concitata. Nam quod paulo ante auctor dixerat, ἅπας ὁ δῆμος ἦν ὑπόχρεως τῶν πλουσίων, *totus populus ære alieno oppressus erat a divitibus*, idem Romæ etiam factum notat Dionysius lib. 6. ubi Publius Servilius testatur, *severitate optimatum crudelitateque fœneratorum universam plebem* (ἅπαν τὸ δημοτικὸν) *ab altera parte descivisse*. Ut jam taceamus, quantum aliorum spes ex ejusmodi casibus fortuitis increscant, quod & Menenius prædixit, in oratione sæpius allata, & eventus confirmavit, ut videre est apud Livium lib. 2. cap. 44. Frustra hic objecerit
F Appius beatam fore civitatem, si tot vitiosorum civium veluti sentina exoneretur. Nam & sine plebe civitatem consistere non posse, omnemque ad vitia esse pronam recte judicavit Menenius apud Dionysium lib. 6. p. 381. Si ergo omnes civitatis vitiosas partes ejectas velimus, metuendum profecto, ne hoc sit eversio illius, non medicina. Quare οὔτε ἀνθρωπείου σώματος ἀεὶ τὸ κάμνον ἀποτεμεῖν χρὴ μέρος. αἰσχρὰ τε γὰρ ἡ ὄψις ἂν γένοιτο τοῦ λειπομένου, καὶ ἡ φύσις οὐκ ἐπιπολὺ ἀρκῆς. οὔτε πολιτικῆς κοινωνίας τὸ νοσοῦσαν

ἐξελαύ-

*ἐξελαύνειν μοίραν. ἐ γὸ ἂν φθάνοι διὰ τῆς ἰδίων μερῶν τὸ σύμπαν ἀπολόμενον σὺν χρόνῳ*, inquit Menenius lib. 6. p. 382. *Neque in humano corpore semper resecandum membrum vitiosum, ne fœdetur reliqua corporis species & natura brevi deficiat, neque a civili societate morbidam partem excludendam continuo, quod alioqui partibus paulatim depereuntibus universitas ipsa tandem sit interitura.* Atque hoc est illud *ἄκαιρον τῆς χρεοκοπείας*, de quo Plutarchus in Solone, quod si observetur, non jam res perniciosa, non malum, verum *φάρμακον* concussæ reipublicæ, ut signanter ab eodem dicitur, hoc est, medicina dici poterit. Hoc enim tempus illud, in quo, ut pars major meliorque patrum ait apud Livium lib. 2. cap. 32. *concordia civium per æqua, per iniqua* reconcilianda civitati. De quo etiam intelligendum universum Menenii consilium, quod est apud Dionysium lib. 6. pag. 379. sicut ipse in prooemio illius abunde satis testatur. Cæterum ex hac necessitate, quam jam diximus, etiam justitia proficiscitur haud parva. Nec enim minus injustum, a cive, ab eo, qui communi tecum jure utitur, qui, si occasio sic ferat, te tuaque armis, corpore ac sanguine defendit, nulla sua culpa, verum temporum difficultate in extremam ultimamque penuriam redacto, corpus denique vitamque exigere, quam quæ debeas, non solvere. Pugnat enim ea, quæ in re ipsa est, justitia cum æquitate naturali, postulata a qualitate negotii, ac humanitate, qua nisi subinde misceatur, injuria potius & aliud quidquis est dicenda. Si præsertim vel nullo vel certe haud magno tuo damno fieri res possit, & salus publica sic suadeat, cui merito cujusque commoda privata, quantacunque etiam, cedere debent. Hoc est, quod Livius lib. 2. cap. 30. Appii sententiam *horridam & atrocem* fuisse suo etiam judicio confirmat, eandemque Dionysius lib. 6. pag. 360. *αὐστηρὰν καὶ αὐθάδη* appellat, quod apud eundem Livium lib. 2. cap. 23. obærati fremunt, *se foris pro libertate & imperio dimicantes, domi a civibus captos & oppressos esse.* & cap. 28. *libertatem prius unicuique reddendam esse, quam arma danda, ut pro patria civibusque, non pro dominis pugnent.* Quod apud eundem Dionysium lib. 6. p. 369. T. Largius, (*ἀξιώσει τε προὔχειν δοκῶν καὶ φρονῆσαι τὰ δέοντα ἱκανώτατος*) *dignitate & prudentia eximius* inquit: *Deducti summus in duas civitates, quarum alteram paupertas & necessitas regunt, alteram satietas & insolentia; pudor autem & decorum & jus, quibus conservatur omnis respubl.* (*αἰδὼς δὲ καὶ κόσμος καὶ δίκη, ὑφ᾽ ὧν πᾶσα πολιτικὴ κοινωνία σώζεται*) *ab utraque exulat. Manu jam jura reddimus, & summum jus ponimus in summa violentia, sicut bestiæ, malentes adversarios nostro metu perdere, quam nostræ securitati consulendo una cum illis manere incolumes.* Nec Consules aliter apud eundem (pag. 391.) judicant: nam junioribus *contentionem pertinaciamque & arrogantiam & immodestiam* objiciunt, qui tamen partes Appii & optimatum, quas paulo ante justas dixerant, fovebant. Et juniores ipsi se in dicenda confirmandaque ista sententia, *ætate lapsos* confitentur. (pag. 393.) Dixi autem tales pauperes intelligi debere, qui ad paupertatem temporum injuria redacti sunt. Ut, exempli gratia, per bella & similia, quales T. Largius apud Dionys. *ἐλεεινοὺς* vocat, statumque eorum Valerius *ἀπορίαν, ἣν οἰκτείρεσθαι μᾶλλον ἢ μισεῖσθαι προσήκει*. Hujusmodi imprimis oberrans ille apud Livium lib. 2. cap. 23. ubi queritur, *Sabino bello se militantem, propter populationes agri non fructu modo caruisse, sed villam incensam, direpta omnia, pecora abacta, tributum iniquo suo tempore imperatum; sic denique coactum æs alienum fecisse: id cumulatum usuris primum se agro paterno avitoque exuisse, deinde fortunis aliis, postremo velut tabem pervenisse ad corpus.* Aut per gravitatem tributorum, de qua & hic ipse queritur, & longo ante confitetur Tullius apud Dionysium lib. 3. pag. 215. solam prope causam æris alieni in republ. fuisse. Quibus temporibus etiam Trebonius apud Cæsarem lib. 3. de B. C. cap. 20. *clementer & moderate* jus dicendum existimat, & ideo *humanus* ab auctore appellatur. Reliqui merito prætereuntur, qui inertia & luxuria in has angustias inciderunt, indigni tanto beneficio. Sic T. Largius apud Dionysium lib. 6. ait, oportere *διακρίνεσθαι ἀπὸ τῶν ἐλεεινῶν τὰ πονηρὰ, καὶ ἀπὸ φιλανθρωπίας τὰ μίσους ἄξια.* Et Appius, quo naturam immitem odiique plenam erga plebem aliqua æquitatis specie obtegeret, considerare jubet, unde plebis illa egestas provenerit, respondetque, *agros a majoribus receptos cæteraque γαστρὶ καὶ ταῖς αἰσχίσταις ἡδοναῖς, ventre turpibusque voluptatibus prodegisse*, apud eundem lib. 5. Unde intelligimus, quid Curtius voluerit, quando lib. 10. cap. 3. dixit Alexandrum *æs alienum militum, quanquam ipsorum luxu contractum erat*, dissolvere tamen decrevisse. De reipublicæ perturbationibus, quæ hinc consequuntur, non est, cur magnopere dicamus. Eæ enim e nimia partim pertinacia, partim singulorum quorundam ex plebe seditiositate ortæ sunt. Nec plebs Tribunos postulatura erat, nisi Brutum aut Sicinium aliquem habuisset: nec Tribunos militum Consulari potestate, nisi Canulejos ac Icilios: neque Consules plebejos, nisi Sextios & Licinios, ut testatur Dionysius lib. 6. pag. 404. & Livius lib. 4. cap. 1. & lib. 6. cap. 34. Adeo non tam rei ipsius, quam personarum vitia hæc erant, quod in specie de tribunatu Dionysius lib. 7. pag. 470. & Cicero lib. 3. de LL. sentiunt. Ad postremum maxima huic sententiæ auctoritas accedit, si consideremus, quales ii viri fuerint in republica, qui novas tabulas ejusmodi temporibus admittendas censuere. Dionysius lib. 5. pag. 328. *ἐπιεικεῖς τὴν φύσιν καὶ μετρίους τοῖς τιμήμασι τῶν βίων* appellat, hoc est, *æquiores ingenio censuque mediocres.* & lib. 6. (pag. 384.) *ἄνδρας ἀκεραίους τε καὶ τῶν στάσεων οὐδετέραις συμφιλονεικοῦντες, medios, nec ulli parti obnoxios.* & paulo post (pag. 391.) *εἰρήνης ἐπιθυμοῦντας καὶ πρεσβεύοντας τῆς ἡλικίας, pacis amantes atque seniores.* Quales profecto omnes nec affectibus reguntur, nec ad altiora, quam in libera republica concessum est, contendunt, nec per inopiam aut divitias ingentes ad non salutaria publice, sed privatim sibi utilia consilia vertuntur. Denique tot annorum experientia edocti, causas rerum ac momenta accuratius & considerant & intelligunt. Imprimis autem memorabiles sunt Solon apud Græcos & Menenius apud Latinos, duo illa reliquorum quasi capita & principes. Quorum alterum *virum justitiæ insignis* Justinus appellat lib. 2. cap. 7. & *χρηστὸν* Plutarchus, hoc est, *bonum atque probum. Quem nemo unquam*, inquit Valerius apud Dionysium lib. 5. (pag. 329.) *plebis adulatorem & maleficum* (*δημοκόπον καὶ πονηρὸν*) *vocavit, verum omnes, cum qui consilio ejus paruere, prudentiæ; tum quibus eo auxilium præstitit, sapientiæ singularis testimonium ei perhibent.* Quod & Plutarchi de Solone est judicium. *Creatus est Archon*, inquit, in ejus vita, *δεξαμένων προθύμως αὐτὸν, ὡς μὲν εὔπορον τῶν πλουσίων, ὡς δὲ χρηστὸν τῶν πενήτων. Honorantibus eum divitibus, ut divitem; ut probum, pauperibus.* Et in Poplicola: *ἰδίων τοῦ Σόλωνος ἡ τῶν χρεῶν ἄφεσις, ᾗ μάλιστα τὴν ἐλευθερίαν ἐβεβαίωσε τοῖς πολίταις.* Et alio loco: *χρεῶν ἀποκοπῇ μόνῃ καθάπερ φαρμάκῳ χρησάμενος εὐκαίρως καὶ τὴν οὖσαν στάσιν ἔλυσε. Novis tabulis solis quasi medicina in tempore adhibita exortam civilem discordiam discussit.* Non minor gloria Menenii, quippe quem Dionysius

ἡλικίας ἐν τῇ κρατίστῃ τότε ὄντα vocat καὶ συνέσει δοκοῦντα τῶν ἄλλων διαφέρειν, μάλιστα δὲ ἐπαινούμενον, ὅτι τῆς μέσης τάξεως ἦν οὔτε τῆς αὐθαδείας τῆς ἀριστοκρατικῶν αὔξων οὔτε τῷ δήμῳ ὅσα βουληθείη πράττειν ἐπιτρέπων. *Virum stata ætate insignique prudentia, sed maxime laudatum, quod sapienter se gereret in republ. medius inter patres, neque superbiam fovens optimatum, neque plebi omnem permittens licentiam* lib. 6. (pag. 379.) Quam laudem ut jam ante habuit, ita neque post amisit, quam hanc legem in rempubl. introduxisset. *Omni enim vita*, Livio testante lib. 2. cap. 33. *pariter patribus ac plebi carus fuit*. Atque ex his omnibus jam manifestum arbitramur, posse talia reipublicæ tempora incidere, quibus ut salutares necessariasque novas tabulas, ita haud iniquas & abominandas esse, confitendum sit.

## C A P. VII.

*De variis remediis contra novas tabulas, quoties iniquo tempore reipublicæ petebantur.*

Antecedenti capite strenuum novarum tabularum remedium esse demonstravimus, adeoque importunum, ni in ultima necessitate adhibeatur. Nunc cum sæpe meliora adhuc reipubl. sint tempora, quædam tamen ex inopia privatorum difficultas, maxime post bella, & civilia imprimis, *Cæsare* notante lib. 3. de B. C. soleat existere, quibus tunc remediis veteres sint usi, considerandum est. Ac in genere quidem spes earum sublata. *Nunquam*, inquit Cic. lib. 2. de Offic *quam me consule, nec majus æs alienum fuit, nec melius nec facilius dissolutum est. Fraudandi enim spe sublata, solvendi necessitas consecuta est.* Quod tamen non ita intellectum vult, quasi malis publicis sit insultandum, nec parendum aliquo modo necessitati temporum, sed inveniendam rationem, qua *neque tenuiores* (verba sunt ipsius Ciceronis) *propter imbecillitatem circumveniantur neque locupletibus ad sua vel tenenda vel recuperanda obsit invidia*. Hanc in eo quidam ponunt, si ex publico debita solvantur. Cujus consilii auctores quidam sunt in Senatu T. Largio & Q. Clœlio COSS. quod testatur Halicarnassensis lib. 5. (pag. 333. secutusque postea Manlius, auctore Livio lib. 6. cap. 14. diversa tamen ratione. Illi, sicut ibi auctor inquit, & vult Cicero, *quo & pauperum fides publica gratia servaretur, & creditores jus suum consequantur*. Hic, quo istiusmodi in speciem quidem justo, re vera autem callidissimo consilio plebem sibi redderet obnoxiam, ut qui sciret rem esse ipsi haud ingratam. Inest autem huic sententiæ, quod dixi, quædam species justitiæ. *Quid enim justius* (verba Flori sunt, ex mente plebis lib. 3. cap. 13.) *quam ut populus vivat ærario suo*. Melior sane ac tutior hæc ratio, quam si concedatur, ut largitio hujusmodi a privato fiat, quod vel ejusdem Manlii exemplo manifestum. Et observant Reges Principesque, ac propterea ipsi largitiones istiusmodi Populo proponunt. Ita Alexander apud *Curtium* lib. 10. cap. 2. *Priusquam excerneret, quos erat retenturus, edixit, ut omnes æs alienum profiterentur. Grave enim plerisque esse compererat. Illi tentari ipsos rati, quo facilius ab integris sumptuosos discerneret, prolatando aliquantum extrahere temporis. Et rex satis gnarus professioni æris pudorem, non contumaciam obstare: mensas totis castris poni jussit, & decem millia talentorum proferri. Tum demum fide facta professi sunt. Nec amplius*, inquit auctor, *ex tanta pecunia, quam centum & triginta talenta superfuere*. Servius quoque hoc respectu apud *Dionys.* lib. 4. (pag. 215.) *Quotquot vestrum*, inquit, *ære alieno gravati, non sunt solvendo propter inopiam, his ego succurrere paratus de meo pecuniam dabo* (ἐκ τῶν ἐμαυτοῦ χρημάτων δίδωμι διαλύσασθαι τὰ χρέα) *qua satisfaciant creditoribus*. Cæterum cum multis & periculis & difficultatibus referta sit hæc ratio, invenere viam P. Valerius & C. Marcius Rutilius, qua itidem ex ærario, *sed impendio magis publico quam jactura*, ut ait auctor quem mox proferemus, æs alienum dissolveretur. Eam Livius sic describit lib. 7. cap. 21. *Inclinatis semel in concordiam animis novi Consules fœnebrem quoque rem, quæ distinere unanimos videbatur, levare aggressi, solutionem æris alieni in publicam curam verterunt, quinque viris creatis, quos* mensarios *ab dispensatione pecuniæ appellarunt. Hi rem difficillimam tractatu, & plerumque parti utrique, semper certe alteri gravem, magna moderatione sustinuerunt. Tarda enim nomina & impeditiora inertia debitorum quam facultatibus, aut ærarium, mensis cum ære in foro positis, dissolvit, ut populo prius caveretur, aut æstimatio æquis rerum pretiis liberavit: ut non modo sine injuria, sed etiam sine querimonia partis utriusque exhausta vis ingens æris alieni sit.* Cæterum postremum hoc remedium, quod auctor innuit, & ex privatis uniuscujusque facultatibus desumitur, etiam Cicero postea suasit Catilinæ temporibus, cujus verba hæc leguntur in Orat. Lat. II. *Exponam vobis, Quirites, ex quibus generibus hominum istæ inopiæ comparantur: deinde singulis medicinam consilii atque orationis meæ, si quam potero, afferam. Primum est eorum, qui magno in ære alieno, majores etiam possessiones habent, quarum amore adducti, dissolvi nullo modo possunt. Horum hominum species est honestissima (sunt enim locupletes) voluntas vero ac causa impudentissima. Tu agris, tu ædificiis, tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus & copiosus sis, & dubites aliquid de possessione detrahere ac fidem acquirere? Quid enim exspectes? bellum? quid? ergo in vastatione omnium tuas possessiones sacrosanctas futuras putas? an tabulas novas? errant, qui istas a Catilina exspectant: meo beneficio tabulæ novæ proferentur, verum auctionariæ. Neque enim isti, qui possessiones habent, alia ratione ulla salvi esse possunt.* Et secutus hæc exempla Cajus Julius, cum suis etiam temporibus fides laboraret, multique spem novarum tabularum animo jam concepissent. Nisi quod bona & possessiones æstimari non voluerit ex præsentis temporis conditione, redactis scilicet per bella ad iniquam æstimationem rerum pretiis, sed quantum valuissent ante bellum. *Suetonius* cap. 42. in Julio: *De pecuniis mutuis disjecta novarum tabularum expectatione, quæ crebro movebatur, decrevit tandem, ut debitores creditoribus satisfacerent, per æstimationem possessionum, quanti quasque ante civile bellum comparassent.* Ipse lib. 3. B. C. *Quum fides tota Italia esset angustior, neque creditæ pecuniæ solverentur, constituit, ut arbitri darentur, per eos fierent æstimationes possessionum & rerum, quanti quæque earum ante bellum fuissent, atque eæ creditoribus transderentur. Hoc & ad timorem novarum tabularum tollendum minuendumque, qui fere bella & civiles dissensiones sequi consuevit, & ad debitorum tuendam existimationem esse aptissimum existimavit.* Et Appianus lib. 2. B. C. Αἰτοῦσι δὲ αὐτῆς τῶν χρεῶν ἀποκοπὰς, διά τε πολέμους καὶ στάσεις καὶ τὴν ἐκ τῶνδε τοῖς πιπρασκομένοις ἐπιοῦσαν εὐωνίαν, τὰς μὲν ἀποκοπὰς οὐκ ἔδωκε, τιμητὰς δὲ τῶν ὠνίων ἀπέφηνε, οἷς ἔδει τοὺς χρήστας τοῖς δανείσασιν ἀντὶ τῶν χρημάτων διδόναι. *Cum populus novas quoque tabulas peteret causando bella seditionesque & inde secutam vilitatem rerum venalium, eas quidem preces repulit. Verum censores creavit qui statuerent pretia rerum venalium, unde pro pecuniis*

*ſatiſaciendum erat, fœneratorum poſtulatis.* Porro ad majorem hujus inventi commendationem ea addemus, quæ a Cæſare ſcribuntur libro ſupra dicto capite 20. *Iiſdem temporibus*, inquit, *M. Cœlius Rufus prætor, cauſa debitorum ſuſcepta, initio magiſtratus tribunal ſuum juxta C. Trebonii prætoris urbani ſellam collocavit, & ſi quis appellaſſet de æſtimatione & ſolutionibus, quæ per arbitrium fierent, fore auxilio pollicebatur. Sed fiebat æquitate decreti & humanitate Trebonii, qui his temporibus clementer & moderate jus dicendum exiſtimabat, ut reperiri non poſſet, a quibus initium appellandi naſceretur. Nam fortaſſe inopiam excuſare & calamitatem aut propriam ſuam aut temporum queri & difficultates auctionandi proponere, etiam mediocris eſt animi: integras vero tenere poſſeſſiones, qui ſe debere fateantur, cujus animi aut impudentiæ eſt? itaque qui hoc poſtularet, reperiebatur nemo.* Addit etiam Suetonius *deduxiſſe Cæſarem ſummæ æris alieni, ſi quid uſuræ nomine numeratum aut perſcriptum fuiſſet.* Quod apud alios non invenimus. Eſt tamen iſthoc quoque inter remedia ſublevandæ inopiæ, fideique ſubveniendæ. Manlii ſententia apud Livium lib. 6. cap. 15. *Sortem aliam ferte, de capite deducite, quod uſuris pernumeratum eſt.* Sic C. Licinius & L. Sextius promulgavere legem, apud eundem lib. 6. cap. 35. de ære alieno, *ut deducto eo de capite, quod uſuris pernumeratum eſſet, id quod ſupereſſet, triennio æquis portionibus perſolveretur.* Quod quid juſti in ſe, aut injuſti contineat, non diſquirimus. Livius ait, eam legem a Licinio *non ad bonum publicum, ſed adverſus opes patriciorum & pro commodis plebis eſſe promulgatam.* Suetonius, *quartam partem crediti hac conditione fere deperiiſſe.* Appius apud Livium, *fidem ea abrogatam, cumque ea ſublatam omnem humanam ſocietatem.* Poſſet huc referri τόκων μετριότης, quam Solonem Athenis inſtituiſſe ſcribit Androtion apud Plutarchum. Id eſt, *quando uſuræ minuuntur.* Cujus rei varia etiam apud Romanos exempla occurrunt, ut videre eſt apud Livium lib. 7. cap. 16. & cap. 27. & apud Cæſ lib. 3. de B. C. cap. 20. Auctor idem eſt Androtion a Solone introductam quoque τῶν τε μέτρων ἐπαύξησιν καὶ νομίσματος τιμὴν. *Menſurarum augmentum & monetæ precium. Quippe minam, quæ ante fuerat ſeptuaginta & trium, centum fuiſſe drachmarum. Ita cum numero parem ſummam valore minorem præſtarent, multum acceſſiſſe commodi magnum æs diſſolventibus, nihil tamen creditoribus detrimenti.* Sed de his & aliis quæ ad iſthoc argumentum clarius reddendum pertinebunt, alias loquemur. Claudimus cum Platone e lib. 5. de LL. ubi de remedio contra novas tabulas ſic diſſerit: *Solum reſtat votum & exigua quædam commutatio, provida quidem illa & circumſpecta, dum ſenſim ad longi temporis ſpacium mutatio apparatur, quæ*

A *nimirum fuerit hujuſmodi, ut, quibus ſunt multa nomina, æquitate quadam animi* ( δι᾽ ἐπιείκειαν ) *velint de ſua copia tenuioribus aliquid impertiri, partim onera quædam, quibus ſibi ſunt illi obnoxii, condonantes, partim etiam ubi res & neceſſitas poſtulat, aliquid ultro largientes: videlicet in hanc moderationem ſeſe componentes, ut ſtatuant, non in hoc paupertatem eſſe, cum facultates diminuuntur, ſed cum augetur inſatiabilis cupiditas.*

---

B Cum in præcedentis diſſertationis capite quædam de initiis & originibus malorum, quorum vi deinde *Novæ tabulæ* exigi cœpere, diſputaverimus: non ineptum fore arbitrati ſumus, ſi, quæ reſtabant pagellæ, eas memorabili *Plutarchi* loco ſuppleremus, quo breviter, ſed acute diſſeritur, quomodo iis malis a prudenti legis latore obviam iri debuiſſet. Verba ejus ſunt in vita Numæ hujuſmodi: Νουμᾶς οὐδὲν διέκρινε τοιοῦτον, ἀλλὰ τὰς μὲν ϛρατιωτικὰς ἔπαυσε πλεονεξίας, τὸν δὲ ἄλλον οὐκ ἐκώλυσε χρηματισμὸν, οὐδὲ τὴν τοιαύτην κατεσόρεσεν ἀνωμαλίαν, ἀλλὰ καὶ πλούτῳ προϊέναι μέχρι παν-
C τὸς ἀφῆκε, καὶ πενίας πολλῆς ἀθροιζομένης καὶ ὑπορρεούσης εἰς τὴν πόλιν ἠμέλησε· δέον εὐθὺς ἐν ἀρχῇ, μηδέπω πολλῆς μηδὲ μεγάλης ἀνισότητος οὔσης, ἀλλ᾽ ἔτι τοῖς βίοις ὁμαλῶν καὶ παραπλησίων ὄντων ἐνϛῆναι πρὸς τὴν πλεονεξίαν, ὥσπερ ὁ Λυκοῦργος, καὶ φυλάξασθαι τὰς ἀπ᾽ αὐτῆς βλάβας, οὐ μικρὰς γενομένας, ἀλλὰ τῶν πλείϛων καὶ μεγίϛων κακῶν, ὅσα συνηνέχθη, σπέρμα καὶ ἀρχὴν παρασχούσας. Hæc prolixius paulo & in modum quaſi paraphraſeos ſic Latine redderemus: *Nullum inter artes liberales & illiberaliores Numa habuit delectum, quemadmodum Lycurgus, ut has ſervis relinqueret, illas vero liberis. Nam & aurifabros in rempublicam ad-*
D *miſit, & tibicines, & ſutores, omnes denique qui quadam ratione quæſtum facere poſſe viderentur. Iſthoc tantum legibus procurans, ut a rapinis multitudinem ad pacis artes ſtudiaque converteret. Sed hac ratione & honorem fecit quæſtuariæ, & in animis ſuorum civium pecuniæ amorem accendit: cum præſertim nullum ei certum modum poneret, ſed in quantum, quiſque poſſet, cumulandi ejus jus concederet, non conſiderans fore, ut, quod poſtea evenit, alter bona alterius ad ſe rapiat, & quod eſt in civitate maxime pernicioſum, plebis multitudo paupertate opprimatur. Debebat autem ſtatim ab initio huic rei obviam iviſſe bonis æqualiter divi-*
E *ſis, præſcriptoque divitiarum modo, ſicut fecerat Lycurgus. Nec difficile hoc erat ea tempeſtate, qua fere cives omnes inter ſe æquales fuerant, adeoque nec æquationem bonorum jure poterant detrectare. Ita ea ſuſtuliſſet mala, quæ ex avaritia, tanquam ex radice, infinita & graviſſima in republ. Romana provenerunt.*

---

# NOTÆ.

Placuit his notas aliquas, ſed breviuſculas, ſubjicere, quibus, quæ difficiliora intellectu videbantur, redderentur clariora. Sumus autem in iis ſecuti mentem Plutarchi, quantum quidem eam in tanta feſtinatione, cogitatione noſtra conſequi potuimus, ſecuri ejus, quod aut objici poſſe videretur, vel in contrarium diſputari.

Τοιοῦτον) Referendum ad antecedentia verba, quibus Plutarchus oſtenderat, Lycurgum quæſtuariam inter opera & miniſteria ſervilia retuliſſe. Et conſentit *Xenophon* de Rep. Laconum. Idque ideo feciſſe ait, quo cives ſuos in perpetua conſervaret libertate. Ἐναντία γε μὴν, inquit de Lycurgo, καὶ τάδε τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι κατέϛησεν ἐν τῇ Σπάρτῃ νόμιμα. ἐν μὲν γὰρ δήπου ταῖς ἄλλαις πόλεσι, πάντες χρηματίζονται ὅσον δύνανται. ὁ μὲν γὰρ γεωργεῖ, ὁ δὲ ναυκληρεῖ, ὁ δὲ
F ἐμπορεύεται, οἱ δὲ καὶ ἀπὸ τεχνῶν τρέφονται. ἐν δὲ τῇ Σπάρτῃ ὁ Λυκοῦργος τοῖς μὲν ἐλευθέροις τῶν ἀμφὶ χρηματισμὸν ἀπεῖπε μηδενὸς ἅπτεσθαι. Sic etiam noſter: οὐ γὰρ χρηματίζεσθαι τοῖς ἐλευθέροις ἐξῆν, ἵνα ἐλεύθεροι παντελῶς καὶ καθάπαξ ὦσιν. Sane opes ac pecuniæ interdum libertati præponuntur ab avaris, ſæpe auro & argento regnum emitur. Ut non plane abſque ratione ſuſpectum libertati ſit, quicquid opibus plus juſto pollet.

Πλεονεξίας) Quæſtus illegitimos hoc verbum notat, cum per fraudem atque malas artes pecuniæ contrahuntur. Ut ſic πλεονεξία ϛρατιωτικὴ, rapinas denotet, & furta, aliaque ſcelera, quæ interdum innocentes gravius, quam hoſtes premunt. Videtur autem primum Romanorum vitam auctor reſpexiſſe, quam rapinis fere iſtiuſmodi agebant. Has jam e republica ſubmotas voluit rex Numa, quia animos red-

dant horridos & efferatos : quæstuariamque cives exercere jussit, quippe quæ quietum tranquillumque statum postularet.

Χρηματισμὸν ) *Quæstuariam* reddidimus, eamque intelligimus, quæ in pecuniis præcipue comparandis est sollicita. Notat hic autem vitiosum quid, non tam in actu ipso, qui sæpe licitus esse potest, quam agentis animo, plus æquo tali studio addicti. Quod apparet, quia ex eo πλεονέκτας postea factos in rep. Romana scribit. Sunt autem πλεονέκται, qui abrepti avaritia, jus, decorum, fidem, probitatem, omnia honesta negligunt, ut cupiditati satisfaciant. Hoc sensu etiam Tyrannos *Pollux* vocat πλεονεκτικοὺς lib. 1. cap. 2. m. 2. Cæterum hæc Numa præcavere debuit. Quæ quidem ex adverso non modo non præcavit, verum potius promovit, quia ex *Plutarchi* mente, civibus, & liberis, & in universum omnibus quæstuariam concessit. Nempe sic divitiæ honorabantur earumque studium accendebatur etiam in vulgo, facili & prono unoquoque ad suscipienda ea, quæ nec contra ingenium suum & sub magnis auctoribus posset agere. Ubi vero divitiæ honori esse incipiunt, hebescit virtus, paupertas probro habetur; contra succedit ambitio & superbia, quibus primum concutitur respubl. mox evertitur.

Ἀνωμαλίαν ) Quæ hæc est *irregularitas*? Referendam putem ad antecedentia. Liberorum enim & ingenuorum hominum studia liberalia esse debent. Tale autem χρηματιστικὴ a *Plutarcho* non censetur. Est igitur & rationi & naturæ adversum, si ei liberi incumbant. Quare merito servis isthoc muneris imposuit Lycurgus. Numa vero ex adverso perperam concessit liberis, quorum animi, ut ad altiora se erigerent, a sordidis hujusmodi artibus erant avertendi.

Καὶ πλούτῳ ) Etiam hoc in Numa reprehendit. Nec enim ut immodicas accumularent opes, civibus permittere debuisse judicat, sed iis certam definire mensuram. Aliter nimirum Avaritia promovebatur, quæ fere crescere cum ipsis nummis solet, sicut ait Juvenalis Sat. XIV. Ex avaritia autem πλεονεξία oritur, qua quies civitatis & tranquillitas reipublicæ evertitur. Addere his licet rationem ex Philosophia sumtam, quam proponit *Aristoteles* lib. 1. Pol. cap. 5. Ἡ τῆς κτήσεως αὐτάρκεια πρὸς ἀγαθὴν ζωὴν οὐκ ἄπειρός ἐστιν. οὐδὲν γὰρ ὄργανον ἄπειρον οὐδεμιᾶς ἐστι τέχνης. ὁ δὲ πλοῦτος, ὀργάνων πλῆθός ἐστι οἰκονομικῶν καὶ πολιτικῶν. Sed *quis sit divitiarum modus, quæris? Primus habere, quod necesse est; & proximus, quod sat est*, inquit, *Seneca* Epist. II.

Πενίας πολλῆς ) Unde præcipua seditionum causa & materia, sicut in principio nostræ dissertationis indigitavimus. *Aristoteles* Polit. 2. cap. 4. Ἡ πενία στάσιν ποιεῖ καὶ κακουργίαν.

Ἐν ἀρχῇ ) Nota, quando isthæc fieri debuerant. Principio nimirum, antequam aut mala invaluerant, aut possessio bonorum, tempore firmata, non nisi cum injuria multorum everteretur. Pertinent huc quæ ex Platone sub finem dissertationis diximus.

Αὐτῆς ) πλεονεξίας, quam profunda observatione & judicio sententioso σπέρμα καὶ ἀρχὴν τῶν πλείστων καὶ μεγίστων κακῶν mox appellat. Sed de ea ante, & fortasse alia occasione pluribus agemus, si vitam Deus valetudinemque dederit.

# FINIS.



# DE VETERI RITU NUPTIARUM ET JURE CONNUBIORUM

BARNABAS BRISSONIUS.

# AD LECTOREM.



*Abes hic, benigne Lector, Nuptiarum omnia, quæ quidem ex veterum ſcriptis erui atque obſervari potuere, ſacra atque ſolennia, florido Briſſonii ſtylo, Hotmanorumque conſignata. Quem libellum cum jam diu deſiderari, ob ejuſque præſtantiam utilitatemque requiri, atque a quam plurimis expeti cerneremus; digniſſimum profecto, qui a nobis recuderetur, judicavimus. Ceterum fœde corruptum depravatumque exſtitiſſe eum hactenus, non ignaris, ea nobis cura curæ præcipue fuit, ut, ſi non in totum emaculatus, (quis namque Augiæ ſtabulum hoc, niſi Hercules quiſpiam ſemel ſimulque expurgare potuiſſet?) multo tamen, quam ante, correctior nitidiorque prodiret. Veſte itaque eum nova, & quaſi Nuptiali, quæque ejus formam merito commendare poſſit, induimus; nihilque, quod ad ornatum ejus faceret, omiſimus: confuſionem in eo omnem evitavimus: ac proinde auctorum quæ citantur, loca, legumque allegationes, diſtinctis typis expreſſimus: innumeroſque ejus nævos ac maculas, quæ ejus faciem hactenus deturparunt, ſuſtulimus. Quod ſane paſſim, qui conferre editiones non gravabitur, deprehendet. Adeoque laborem hunc noſtrum probis probatum iri non diffidimus. Tu fruere ſis, Lector, & vale.*

---

## BARN. BRISSONII J. C.

Et in ſuprema Pariſienſi

CURIA PRÆSIDIS,

DE

# RITU NUPTIARUM

## LIBER SINGULARIS.



Icturus de ritu nuptiarum, pauca de ſponſalibus, quæ earum celebritatem antecedunt, præfabor. Fuit autem hoc in more priſcis temporibus poſitum, ut qui uxorem ducturus eſſet, ab eo unde ducenda erat, eam in matrimonium datum iri ſtipularetur: idque qui nuptum daturus erat, ſponderet: qui contractus ſtipulationum ſponſionumque, dicebatur *ſponſalia*. Hoc Servium Sulpicium *in libro de dotibus*, Neratium Priſcum *in libro de nuptiis*, tradidiſſe, Gellius ſcriptum reliquit (*a*). Quibus Ulpianus & Florentinus con- A ſentiunt, (*b*) qui *ſponſalia* quoque a *ſpondendo* dicta, & *ſponſi ſponſæque* appellationem inde ductam credunt, quod veteribus ſtipulari & ſpondere uxores futuras moris eſſet. Nec clam me eſt, horum nominum originem a Græco fonte Verrium Flaccum idoneum auctorem derivaſſe, qui, ut apud Sex. Pomp. legimus, ſponſarum nomen inde tractum exiſtimabat, quod *σπονδὰς* interpoſitis rebus divinis facerent. Sed a priore harum vocum notatione qui diſſentiret, præter unum Verrium, præterea inveni neminem. B Veteris certe moris, quo prius illud etymon nititur, multa ſunt in Plauti Comœdiis non obſcura impreſſa veſtigia. Sic enim ille *in Aulularia* Megadorum ab Euclione filiam ſtipulantem facit:

*a* lib. 4. noct. Attic. cap. 4.

*b* in l. 2. & 3. D. de ſponſalib. l. ſponſ. D. de verb. ſignif.

M. *Quid nunc etiam mihi despondes filiam?*
E. *Illis legibus,*

*Cum illa dote quam tibi dixi.* M. *Sponden ergo?*
E. *Spondeo.*

In *Trinummo* quoque Lysiteles a Charmide ita stipulatur:

*Sponden ergo tuam gnatam uxorem mihi?*
Ch. *spondeo: & mille auri Philippum dotis.*

Et paulo post:

*Istbac lege filiam tuam sponden mihi uxorem dari?*

Ch. *Spondeo.* Ca. *& ego spondeo idem hoc.*

Sed & *in Curculione* Phædromus ita a militie stipulatur:

Ph. *Spondesne miles mihi uxorem tuam?*

Inde Arnobius, *lib. 4. adversus Gentes*, fabulosa gentilium deorum conjugia ridens, *Uxores*, ait, *dii habent, atque in conjugalia fœdera conditionibus veniunt ante quæsitis: habent pactas, habent interpositis stipulationibus sponsas.* Memini etiam idem ipsum Servium grammaticum adnotare ad eum Virgilii versum, qui est lib. 10. Æneidos:

*Quid soceros legere, & gremiis abducere pactas?*

Nec vero a filiæ duntaxat patre nuptum datum iri, sed & a patre viri ductum iri sponsio interponebatur, si modo Donato fides accommodanda est, qui Terentii verba *ex prima Andriæ scena* ad eam rem expendit, quæ ita habent:

*Hac fama impulsus Chremes*
*Ultro ad me venit, unicam gnatam suam*
*Cum dote summa filio uxorem ut daret.*
*Placuit: despondi. hic nuptiis dictus est dies.*

Ad constituenda plane sponsalia nudus consensus sufficiebat: nec quicquam intererat, utrum testatio interponeretur, an aliquis sine scriptura sponderet. Denique & absenti absens per epistolam vel internuncium recte despondebatur. *a* In tabulas tamen ut plurimum sponsalitiæ conventiones referebantur. Ex quo illud Juvenal. *b*.

*Si tibi legitimis pactam junctamque tabellis*
*Non es amaturus.*

Tertullianus in libro de virginibus velandis: *Hæ sunt tabellæ priores naturalium sponsaliorum & nuptiarum.* Quæ tabulæ signatoriis eorum, qui interfuerant, anulis obsignabantur. Unde Juvenalis de nuptiis contrahendis agens,

*Veniet*, ait, *cum signatoribus auspex.*

Apulejus Apolog. 2. *Habes, Æmiliane, causam totam, cur tabulæ nuptiales inter me & Pudentillam non in oppido sint, sed in villa urbana consignatæ.*

In argumentum etiam contractorum sponsaliorum a sponso sponsæ arrhæ dabantur: quemadmodum ex Paulo *lib. 2. sententiarum*, & ex Gratiani, ac Valentiniani, aliorumque Imperatorum constitionibus intelligimus *c*. Quin & anulus sponsæ pignoris loco mittebatur, quem *pronubum* Tertullianus *in lib. de cultu feminarum* vocat, *Aurum*, inquiens, *nulla norat præter uno digito, quem sponsus oppignerasset pronubo anulo.* Isidorus Hispalensis lib. 20. Etymolog. *Feminæ*, ait, *non usæ sunt anulis, nisi quos virgini sponsus miserat: neque amplius quam binos aureos in digitis habere solebant.* Item lib. 2. de divin. offic. cap. 15. *Quod in primis*, ait, *nuptiis, anulus a sponso sponsæ datur, fit nimirum vel propter mutuæ dilectionis signum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur. Unde & quarto anulus digito inseritur, ideo quia in eo vena quædam, ut fertur, sanguinis ad cor usque perveniat.* Quam eandem rationem Gellius *d* & Macrob. *e* ex Appione & Attejo Capitone reddunt, cur apud Romanos communi assensu receptum esset, anulum in digito, qui minimo vicinus est, quem & medicinalem vocant, atque adeo manu præcipue sinistra gestare. Nicolaus quoque Pontifex ad consultationem Bulgarorum rescribens, ut est apud Gratianum, *Et postquam*, ait, *arrhis sponsam sibi sponsus per digitum fidei anulo insignitum desponderit.* Sed & hunc ipsum morem Juvenalis a me subjecti versus indicant: *f*

*Conventum tamen & pactum & sponsalia nostra*
*Tempestate paras, jamque a tonsore magistro*
*Pecteris, & digito pignus fortasse dedisti.*

His a Paulo *g* relatam speciem adjungamus licet, in qua sponsum alienum anulum sponsæ muneri misisse proponit. Ferreum vero anulum, eumque sine gemma, sponsæ mitti ætate sua consuevisse, Plinius *lib. 33. Naturalis historiæ* auctor est.

Cæterum a qua ætate sponsalia contrahi olim poterant, ex Modestino *lib. 4. Differentiarum* liquet, cujus ipsamet verba ponam *h*: *In sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, ut in matrimoniis. Quapropter a primordio ætatis sponsalia effici possunt, si modo id fieri ab utraque persona intelligitur: id est, si non sint minores quam septem annorum.* Quæ verba certam nominatim sponsalibus contrahendis præscriptam ætatem non fuisse significant. Quamquam quod ad legis Papiæ præmia attinet, ea demum sponsalia probari admittique Augustus constituit, quibus biennio post justæ ac legitimæ nuptiæ accedere possent, ut proinde minores natu decem annorum virgines frustra sponsæ haberentur. Cujus rei constituendæ causa fuit, quod sponsaliorum obtentu, quæ ad exitum & effectum brevi perduci per sponsarum immaturam ætatem non poterant, legi fraudem fieri animadvertisset. Id quod ex Dione *lib. 54.* didici, cujus hæc sunt verba: *Ὡς δ' οὖν βρέφη τινὲς ἐγγυώμενοι τὰς μὲν τιμὰς τῶν γεγαμηκότων ἐκαρποῦντο, τὸ δὲ ἔργον αὐτῶν οὐ παρείχοντο, προσέταξε μηδεμίαν ἐγγύην ἰσχύειν, μεθ' ἣν οὐδὲ δυοῖν ἐτοῖν διελθόντοιν γαμήσει τις. τουτέστι, δεκέτην πάντως ἐγγυᾶσθαι τόν γέ τι ἀπ' αὐτῆς ἀπολαύσοντα. Δώδεκα γὰρ ταῖς κόραις ἐς τὴν τοῦ γάμου ὥραν ἔτη πλήρη, καθάπερ εἶπον, νομίζεται.* Quorum verborum sententiam quia nec assecutus est, nec expressit interpres, ego in eorum gratiam quibus Græca lingua minus innotescit, in Latinum ea convertam, ut potero. *Quoniam autem*, ait Dio, *quidam infantes puellas despondentes, præmiis quidem conjugum fruebantur, cæterum effectum rei, & conjugum opus non præstabant, ea sponsalia vires nullas habere constituit, post quæ duobus transactis annis sponsa duci*

*a* l. sufficit. l. in sponsalibus. D. de sponsalib. *b* Sat. 6. 7. 8.
*c* l. si quis officium. D. de rit. nupt. l. arrhis. l. mulier. C. de sponsalib.

*d* lib. 10. c. 10. *e* lib. 7. c. 13. *f* Sat. 6.
*g* in l. si donatæ. 36. §. ult. D. de don. int. vir.
*h* l. in sponsalibus. 14. D. de sponsal.

*minime*

*minime posset: Hoc est, ut omnino decennis virgo desponderetur, si quidem ex ea commodi quod capere sponsus vellet. Duodecimo namque anno virgo matura viro & nubilis, ut jam ante dixi, existimatur.* Quam eandem Augusti constitutionem Zonaras totidem prope verbis retulit, quæ sunt ab ejus interprete, ne quem debita laude fraudem, fidelius, ac planius quam ab illo altero, viro alioquin erudito, ac bene de Græcis merito, reddita. Atque hoc nimirum est, quod breviter ac strictim, more suo, Tranquillus in ejusdem Principis vita scribit his verbis *a*: *Cumque etiam immaturitate sponsarum, & matrimoniorum crebra mutatione vim legis eludi sentiret, tempus sponsas habendi coarctavit.* Quo procul dubio pertinet Caii *b* locus quem *ex ejus lib.1.ad l.Juliam & Papiam* Pandectarum concinnatores delibarunt. In eo ita est: *Sæpe justæ ac necessariæ causæ non solum annum vel biennium, sed etiam triennium aut quadriennium & ulterius trahunt sponsalia: veluti valetudo sponsi sponsæve, vel mortes parentum, aut capitalia crimina, aut longiores peregrinationes quæ ex necessitate fiunt.* Itaque a septimo anno utiliter quidem contrahi sponsalia potuisse, non dubium est: verum eorum demum sponsaliorum nomine quæ cum virginibus decem ad minus annos natis contraherentur, ex lege Papia, commodi lucrive quid percipi poterat.

Hæc de sponsalibus, quæ viam ad explicanda nuptiarum solennia muniant, breviter prædicenda censui. Sponsalibus factis, consequens erat nuptiis diem dici. Nec vero temere & e re nata, ac quolibet, prout incidisset, die nubebant: sed in ea re non levem mensium, temporum ac dierum delectum habebant. Novarum certe Calendarum posteros omnes dies a nuptiis habitos alieros, Sex. Pomp. *libro* 12. scribit. Mensis item Majus, quem admodum Plutarchus ἐν Αἰτίοις testatur, nuptiis infaustus & inauspicatus existimabatur. Ex quo illud olim vulgi sermone tritum proverbium; *mense Majo nubunt malæ*. Ovidius lib. 5. Fastor.

*Nec viduæ tædis eadem, nec virginis apta*
*Tempora: quæ nupsit, non diuturna fuit.*
*Hac quoque de causa, si te proverbia tangunt,*
*Mense malas Majo nubere vulgus ait.*

Dies etiam alios qui nuptiis contrahendis vitabantur, Macrobius *lib.* 1. *c.* 15. recenset, cujus ipsamet verba subjicere satius fuerit: *Nec hoc prætermiserim*, ait, *quod nuptiis copulandis Calendas, Nonas & Idus religiosas, id est, devitandas censuerunt. Hi enim dies præter Nonas feriati sunt: feriis autem vim cuique fieri piaculare est. Ideo tunc vitantur nuptiæ, in quibus fieri vis virginibus videtur. Sed Verrium Flaccum juris Pontificii peritissimum dicere solitum refert Varro, quia feriis tergere veteres fossas liceret, novas facere jus non esset, ideo magis viduis quam virginibus idoneas esse ferias ad nubendum. Subjiciet aliquis: Cur ergo Nonis, si feriatus dies non est, probibetur celebritas nuptiarum? Hujus quoque rei in aperto causa est. Nam primus nuptiarum dies verecundiæ datur: postridie autem, nuptam in domo viri, dominium incipere oportet adipisci, & rem divinam facere. Omnes autem postriduani dies, seu post Calendas seu post Nonas Idusve, ex æquo atri sunt. Ideo & Nonas inhabiles nuptiis esse dixerunt, ne nupta aut postero die auspicaretur libertatem uxoriam, aut atro immolaret, quo nefas est sacra celebrari.* Idem etiam auctor c. 16. ejusdem libri ex Varrone, *Mundus*, ait, *cum patet, deorum tristium atque inferum quasi janua patet. Propterea non modo prælium*

*a* cap. 34. *b* l. pen. de sponsalib.

A *committi, verum etiam delectum rei militaris causa habere, ac militem proficisci, navem solvere, uxorem liberum quærendorum causa ducere religiosum est.* Parentalibus quoque, quæ mense Februario celebrabantur, conjugium propter infaustos & ominosos ejusmodi dies vitandum esse, Ovidius *lib.* 2. *Fastorum* præcipit his versibus:

*Postea præteriti tumulis redduntur honores,*
*Prodigiisque venit funeribusque modus.*
*Dum tamen hæc fiunt, viduæ cessate puellæ,*
*Expectet puros pinea tæda dies.*
B *Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,*
*Comat virgineas hasta recurva comas.*
*Conde tuas, Hymenæe, faces, & ab ignibus atris*
*Aufer, habent alias mœsta sepulchra faces.*

Pomponii tamen nuptias pridie Idus Februar. celebratas, Cicero *lib.* 2. *Epist. ad Q. frat. Epist.* 2 indicat. Sed & Saliorum diebus festis, abstinendum nuptiis, idem Ovidius suadet lib. 3. Fastor.

*Nubere*, ait, *si qua volet, quamvis properabitis ambo,*
*Differ, habent parvæ commoda magna moræ.*

C Contra conjugio aptissimum esse id tempus, quod Idus Junias sequitur, ostendit *lib.* 6. quo loco filiæ diuturnam salutem precatus, ita concludit:

*Hanc ego cum vellem genero dare, tempora tædis*
*Apta requirebam, quæque cavenda forent.*
*Tunc mihi post longas monstratur Junius idus,*
*Utilis & nuptis, utilis esse viris.*
*Primaque pars hujus thalamis aliena reperta est:*
*Nam mihi sic conjunx sancta, dialis ait.*

Atque ad hunc superstitiosum dierum nuptialium delectum referenda suspicor hæc Ciceronis *ex lib.*2. *Epist. ad Q. fratrem* verba: *De nostra Tullia, tui*
D *mehercule amantissima, spero cum Crassipede nos confecisse. Dies erant duo qui post Latinas habentur religiosi. Ceterum confectum est.*

Jam ubi nuptiis dictus dies venerat, maxima circa comendam ornandamque sponsam cura impendebatur. Quod priusquam exponam, recte atque ordine facturum me puto, si usurpatas ab antiquis matrimoniorum contrahendorum formas aperiam. Tribus autem generibus uxores quæsitas invenio: usu, farre, coemtione. Arnobius lib. 4. *adversus Gentes*: *Uxores enim ii habent, atque in conjugalia fœdera veniunt conditionibus ante quæsitis: usu, farre, & coemtione genialis lectuli sacramenta*
E *conducunt.* At Cicero *in Topicis* duo tantum uxorum genera facit: *Si ita*, inquit, *Fabiæ pecunia legata est a viro, si ea uxor materfam. esset, si in manum viri non convenerat, nihil debetur. Genus est enim uxor: ejus duæ formæ. una matrumfamiliarum; hæ sunt quæ in manum convenerunt: altera earum, quæ tantummodo uxores habentur.* Sed enim dissidium hoc facile Ulpiani interventu componitur: qui in manum tam farre quam coemtione conveniri *Institutionum fragmentis* docet. Itaque Boethius ad illum Ciceronis locum, totidem quot Arnobius, uxorum quærendarum modos constituit.
F Et confarreationem quidem solis Pontificibus convenisse scribit. Tametsi a primo urbis ortu id ritus genus institutum, omnibusque peræque nuptiis far intervenisse, Dionysius Halicarnasseus indicare videtur, cum ita scribit *c*: ἐκάλουν τε τοὺς ἱεροὺς οἱ παλαιοὶ γάμους Ρωμαϊκῇ προσηγορίᾳ περιλαμβάνοντες φαρράκια, ἐπὶ τῆς κοινωνίας τοῦ φάρρος, ὃ καλοῦμεν ἡμεῖς ζέαν. *Veteres vocarunt sacras nuptias Romana voce confarreationem, a communione farris, quod nos zeam vocamus.* Idem subjicit, non nuptiis mo-

*c* lib. 1. Antiquit.

do, ſed & ſacrificiis omnibus far a priſcis Latinis adhibitum. Quod & Arnobius *lib. 2. adverſus gentes* teſtatur: *Tus*, ait, *neque ipſe Romulus, aut religionibus artifex in comminiſcendis Numa, aut eſſe ſcivit aut naſci: ut pium far monſtrat, quo peragi mos fuit ſacrificiorum ſolennium munia.* Ovidius lib. 1. Faſtor.

*Ante deos homini quod conciliare valeret,*
*Far erat, & puri lucida mica ſalis.*
*Nondum pertulerat lachrymatas cortice myrrhas*
*Acta per æquoreas hoſpita navis aquas.*
*Tura nec Euphrates, nec miſerat Indica coſtum,*
*Nec fuerant rubri cognita fila croci.*

Aſconius in 3. contra Verrem oratione: *Nefarium eſt, quod ſacra polluit, farre pio ſolita celebrari.* Incruenta quippe, & a ſanguine pura, priſca ſacrificia ex Numæ inſtituto erant, atque ut Plutarchus loquitur, *ἀναίμακτοι αἱ τε πολλαὶ δι' ἀλφίτε καὶ σπονδῆς καὶ τῶν ἀτελεστάτων ποιούμεναι. Incruenta ſacrificia farina & libatione vini plerumque faciebant, & rebus ſimpliciſſimis.* Quinetiam inter eius inſtituta idem auctor hoc refert: *μὴ θύειν ἄνευ ἀλφίτων. ne ſacrificent ſine frugibus.* Valer. Max. *lib. 2. Memorabil. cap. 1.* de priſcis Romanis agens: *Erant adeo continentiæ attenti, ut frequentior apud eos pultis uſus, quam panis eſſet. Ideoque in ſacrificiis mola, quæ vocabatur, ex farre & ſale conſtat.* Mola quippe ſecundum Sexti Pomp. interpretationem nihil aliud erat, quam far toſtum & ſale aſperſum. & quod eo molito hoſtiæ aſpergerentur, inde *molæ* nomen invenit. Virgilius lib. 2 Æneid.

*Et ſalſæ fruges, & circum tempora vittæ.*

Ubi Servius, *Salſæ fruges*, ait, *ſal & far, quod dicitur mola ſalſa: qua & frons victimæ & foci aſpergebantur, & cultri.* Fit autem de horna fruge, & horno ſale. ut Horatius: *Et horna fruge.* Quæ Horatii verba habentur *lib. 3. Carmin. Od. 23.* Ex quo eodem loco duos itidem verſus proferam, in quibus ita eſt:

*Mollibit averſos penates*
*Farre pio, & ſaliente mica.*

Quo genere loquendi etiam Tibullus utitur, Elegia 4. lib. 3.

*Et vanum*, ait, *metuens hominum genus, omina* (ſic enim lego) *noctis,*
*Farre pio placant, & ſaliente ſale.*

Simili modo Ovidius lib. 4. Faſtor.

*Farra deæ, micæque licet ſalientis honorem*
*Detis, & in veteres turea grana focos.*

At Virgilius, non *in ſecundo* duntaxat *Æneid.* unde paulo ante verſum retuli, ſed & *lib. 12.* fruges ſalſas dixit:

*Dant fruges*, inquit, *manibus ſalſas.*

Quod Servius interpretatur, *far & ſal: quibus rebus*, ait, *& cultri aſpergebantur & victimæ.* Quo exemplo, Arnobius, lib. 3. adverſus gentes, *Nſi tura*, inquit, *& ſalſas fruges dii acceperint, nequeunt bene facere.* Idem lib. 6. *Non tura, neque fruges ſalſas, non denique vinum liquens, paterarum effuſionibus inferamus.* Eaque de cauſa mola *ſalſa* dicebatur. Horat. lib. 2. Sat. 3.

*Aute aras, ſpargiſque mola caput, improbe, ſalſa.*

Et Martialis alicubi:

*Conſumſi ſalſaſque molas, & turis acervos.*

Ovidius farra mixta ſale dixit *lib. 1. Faſtor.* in his verſibus:

*Inde vocor Janus, cui cum Cereale ſacerdos*
*Imponit libum, farraque mixta ſale.*

Far plane genus eſſe frumenti optimi, Servius *in lib. 1. Georg.* adnotat. Ceterum, ut Latini farreas molas, ita Græci *κριθινὰς οὐλάς, molas ex hordeo*, ſacrificiis ſuis adhibebant, quemadmodum eſt ab Euſtathio accurate copioſeque expoſitum *in lib. 1. Iliad.* qui ex Dione *οὐλάς, molas* eſſe docet, *τὸ μίγμα τὸ ἐκ κριθῆς καὶ ἁλῶν. miſtura ex hordeo & ſale.* Meminit & Suidas *in verbo οὐλοθυτεῖν.* Quo in vocabulo mendum eſſe apud Moſchopul. *in lib. περὶ σχεδῶν*, admoneo. Ubi *ὁλαὶ* pro *οὐλαὶ* legitur. Quem errorem ipſa ſatis definitio convincit. Sic enim explicat. *αἱ ἁλσὶ μεμιγμέναι κριθαὶ καὶ τοῖς θύμασιν ἐπιβαλλόμεναι. Sale miſtum hordeum & victimis impoſitum.* Sed ut ad propoſitum tandem aliquando redeat oratio, conſentanea his quæ de farris uſu diximus, Plinius, propius ad noſtrum argumentum accedens, *lib. 18. Natural. hiſtor. cap. 3.* tradit: *Quin & in ſacris*, ait, *nihil religioſius confarreationis vinculo erat: novæque nuptæ farreum præferebant.* Unde Apulejus lib. 10. de Aſino aur. *matrimonium confarreare* dixit. Nec vero uxorem duci olim niſi ſacrificiis peractis potuiſſe, Servius notat *in 3. Æneid.* ad eum verſum:

*Connubiis arviſque novis operata juventus.*

Inde Seneca in Octavia, Actu 4.

*—— Vidit attonitus tuam*
*Formam Senatus, tura cum ſuperis dares,*
*Sacraſque grato ſpargeres aras mero,*
*Velata ſummum flammeo tenui caput.*
*Et ipſe lateri junctus atque hærens tuo*
*Sublimis inter civium læta omina*
*Inceſſit, habitu atque ore lætitiam gerens*
*Princeps ſuperbo. Talis emerſam freto*
*Spumante Peleus conjugem accepit Thetin.*

Valerius Flacc. lib. 8. Argonautic.

*Inde ubi ſacrificas cum conjuge venit ad aras*
*Æſonides, unaque adeunt, pariterque precari*
*Incipiunt: ignem Pollux undamque jugalem*
*Prætulit, ut dextrum pariter vertantur in orbem.*

Et mox:

*Primus & ecce fero, quatioque hanc lampada veſtro*
*Conjugio: primus celebro dotalia ſacra.*

Plane apud Hetruſcos & Priſcos Latinos in conjunctione nuptiali a novo marito & a nova nupta primum porcum immolari conſueviſſe, Varro *lib. 2. de re Ruſtic. cap. 4* auctor eſt. Ut ut ſit, quo ritu olim confarreatio perageretur, unus Ulpianus, ac ne is plane quidem, explicat *in fragmentis Titulorum ex ejus Corpore exceptorum*, cum ita ſcribit: *Farre convenitur in manum certis verbis, & teſtibus decem præſentibus, & ſolenni ſacrificio facto, in quo panis farreus adhibetur.* Quemadmodum autem confarreatione jungebantur, ita diffarreatione conjugia dirimebantur. Sex. Pomp. lib. 4. *Diffarreatio genus erat ſacrificii, quo inter virum & mulierem fiebat diſſolutio: dicta diffarreatio, quod fieret farreo libo adhibito.* Sed omiſſam ſuo jam tempore confarreandi adſuetudinem, aut certe inter paucos retentam, Tiberius Imp. apud Cornel. Tacit. *lib. 4.* narrat.

Igitur ad alia duo matrimoniorum genera, coemtione & uſu contracta, gradum faciamus. Prioris Cicero *in Orat. pro Murena* meminit. Concipi vero certis verbis coemtionem ſolitam, idem indicat

*lib.* 1. *de Orat.* cum ait: *Nam neque illud est mirandum, qui quibus verbis coemtio fiat, nesciat, eundem ejus mulieris, quæ coemtionem fecerit, causam posse defendere.* De ejus certe formula totoque adeo coemtionis ritu quod proferam aliud nihil habeo, præterquam quod est a Boethio *lib.* 2. *commentarior. ad Topica Ciceron. ex Ulpiani institutionibus* relatum. Boethio in ipsis lapsæ jam Latinitatis ruinis, & ut ita dicam, parietinis nato, ut & aliis ejusdem ævi seculi scriptoribus, tantum tribuo, quantum eum ex veterum libris, quibus nos injuria temporum orbati sumus, hausisse video. Nec enim sum nescius, eum in illis suis Topicorum commentariis, quorum sex duntaxat libri ex septem, quos se conscripsisse ipsemet *lib.* 1. *de differentiis topic.* testatur, ad nos salvi pervenerunt, in crassos ac supinos errores esse prolapsum. Quale illud est, quod ad explicationem ejus loci adfert, quo Cicero legem jubere scribit, *Assiduo assiduum vindicem esse*. Quod jussum legi Æliæ Sentiæ (etenim *Sanctiæ* contra ejus, ut existimo, mentem libri impressi scriptum habent, quando nulla ejus nominis lex in veterum monumentis, quod sciam, exstat) attribuit, cujus utique nec interpres esse Sextus Ælius, ex quo interpretationem *assidui* Cicero producit, potuit: ac nec ipse Tullius ex ea lege, quæ post ejus demum obitum, imperante Augusto, in aliam penitus sententiam lata est, exemplum nisi fatidico spiritu & mentis afflatu proferre. Qui error eo perniciosior est, quod ex ejus commentariis in ordinem verborum Ciceronis manavit. Etenim imperitus quidam, legis verbum, quod erat a Cicerone, de Lege 12. tabularum sentiente, ut ex Gellio patet, *a* simpliciter, sicut & alio ejusdem libri loco *b*, prolatum, explanare volens, margini ex Boethii commentariis interpretationem vitiosam adscripsit, quæ deinde in contextum irrepsit. Quod vitium altissimas deinde radices in omnibus codicibus egit. Similiter & illud apud Boethium nota dignum est, quod maximæ capitis diminutionis exemplum a deportatione sumit; *c* qua tamen constat libertate salva solam civitatem amitti. Nam deportati quidem *ἀπόλιδες* fiunt & ad peregrinitatem rediguntur, ceterum libertatem naturalem, & ea omnia quæ meri sunt gentium juris, retinent. *d* Et quamvis erroris ejus Callistratus, aut forte Callistrati titulo Tribonianus, patronus advocari possit, *e* non eo tamen ab instituta accusatione desistam: in eaque subscriptores melioris notæ veteres omnes consultos habebo. qui mediæ capitis diminutioni, aquæ & ignis interdictionem & eam quæ in ejus locum successit deportationem subjiciunt *f*. Verum hæc nihil ad hujus libri institutum pertinent: ad quod ut redeam, ipsamet Boethii de coemtionis ritu verba recensebo: *Coemtio*, ait, *certis solennitatibus peragebatur, & sese in coemendo* (perperam enim in impressis codicibus *communicando* legitur) *invicem interrogabant: vir ita, An sibi mulier materfa. esse vellet: illa respondebat, Velle. item mulier interrogabat, An vir sibi paterfa. esse vellet: ille respondebat, Velle. itaque mulier in viri conveniebat manum, & vocabantur hæ nuptiæ per coemtionem. & erat mulier materfam. viro loco filiæ.* Hæc ille: quæ totidem verbis refert Servius *in lib.* 4. *Æneid.* occasione sumta ex illis Virgilii verbis:

*Reppulit, & dominum Æneam in regna recepit.*

Idem ad eum *ex lib.* 1. *Georgic.* versum, *Teque sibi generum Tethis emat omnibus undis. Quod ait, emat*, inquit ille, *ad antiquum nuptiarum pertinet ritum: quo se maritus & uxor invicem emebant: sicut habemus in jure.* Quo etiam Virgilium respexisse Nonius Marcell. *in lib. de propriet. sermon. antiq.* existimat: cui interpretationi & Isidorus *lib.* 5. *Etymolog.* accedit. Coemtionem porro imaginariis venditionibus peractam, ut & adoptionem, credibile est: in eaque facienda nummos aliquot dicis causa intervenisse. Id enim in aliis quoque legitimis actibus observabatur, in quibus specie tenus Mancipationum solennia repræsentanda erant. Cujus moris vestigia a nobis in nostris nuptiis usurpari quidam opinantur, tredecim nummorum numeratione. Verum ego ex Barbararum coloniarum, quæ in Gallias ex Germania migrarunt, ferroque & armis sedes occuparunt, moribus id in usu mansisse potius crediderim. Tam enim Burgundiones quam Saxones uxores suas a parentibus vel tutoribus earum emisse observavi: idque *ex Capite seu Titulo* 14. & 34. *earum legum, quas Gundobaldus Rex Burgundionibus scripsit: & ex Tit.* 6. 9. & 17. *legum Saxonicarum* patet. Idque *pretium nuptiale* appellatur *in Tit.* 12. *legum Burgundion.* & erat 100 solidorum ex Saxonum legibus, ut *Cap.* 6. docet. Enimvero quæ coemtione in manum convenerant uxores, proprie matrumfam. nomine exaudiebantur, ut Cicero *Topicis* auctor est. Gellius lib. 18. cap. 6. *Illud compendio probabilius est, quod idonei vocum antiquarum enarratores tradiderunt, matronam dictam esse proprie quæ in matrimonium cum viro convenisset, quoad in eo matrimonio maneret, etiamsi sibi liberi nondum nati forent; dictamque esse ita a matris nomine, non adepto jam, sed cum spe & omine mox adipiscendo: unde ipsum quoque matrimonium dicitur. Matrem autem familias appellatam esse eam quæ esset in mariti manu mancipioque, aut in ejus, in cujus maritus, manu mancipioque esset: quoniam non in matrimonium tantum, sed in familiam quoque mariti, & in sui heredis locum venisset.* Eadem harum vocem differentia a Servio traditur *in lib.* 11. *Æneid.* quem quisquis cum Gellio contulerit, non dubitabit *mancipi* pro *mancipio* semel atque iterum mendose apud illum scriptum esse. Matrisfa. vero *ex Ulpiani lib.* 54. *aut* 59. *ad edictum* (variant enim codices) nobis a Triboniano proposita definitio, verbis in quorum interpretatione versabatur, aptata fuit, non ad prisci sermonis proprietatem relata. Illud conniventibus oculis prætereundum non est, quod in viri familiam venisse Gellius scribit eam, quæ in manum conveniret. Nam hujus in alienam familiam transitus ratione, capite minui censebatur: indeque in minimis capitis minutionibus conventio in manum numeratur. Ulpianus Tit. 11. fragmentor. *Minima capitis diminutio est, per quam & civitate & libertate salva, status duntaxat hominis mutatur. Quod fit adoptione & in manum conventione.* Hinc illustratur quod Cicero *in Topicis* scribit: *Si ea mulier testamentum fecit, quæ se capite nunquam diminuit, non videtur ex edicto Prætoris secundum eas tabulas possessio dari.* Ubi Boethius, *Mulieres*, ait, *antiquo jure tutela perpetua continebat. Recedebant vero a tutoris potestate, quæ in manum convenissent. Itaque fiebat eis prioris status permutatio, & erat capite diminuta quæ viri convenisset in manum.* Quod autem de perpetua mulierum tutela Boeth. notat, Ulpiani verbis comprobatur, quæ sub *Tit.* 11. *fragmentor.* sunt posita. sic autem habent: *Tutores constituuntur tam masculis quam feminis sed masculis quidem impuberibus duntaxat, propter ætatis infirmitatem: feminis autem tam impuberibus quam puberibus, & propter sexus infirmi-*

*a* lib. 16. noct. Attic. cap. 10. *b* in loco ex comparatione.
*c* lib. 2. comment. in locum ab adjunctis.
*d* l. quidam. D. de pœnis. l. si deportati. §. 1. D. de legat. 3. l. neque. §. 1. D. de milit. test.
*e* l. cognitionum. §. ult. D. de var. & extraord.
*f* Ulpian. in fragment. Ti. 11.

*tatem, & propter forensium rerum ignorantiam.* Cicero pro Muræna: *Mulieres omnes, propter infirmitatem consilii, majores in tutorum potestate esse voluerunt.* Quamobrem Augustum memoriæ proditum est summi beneficii loco & jure singulari Liviæ uxori & Octaviæ sorori concessisse *τὰ σφέτερα ἄνευ κυρίου τινὸς διοικεῖν. sua sine tutore administrare.* Hæc enim sunt Dionis *lib.* 49. hoc ipsum referentis verba: quæ indultum eis fuisse sine tutore auctore res suas gerere significant. Quod & Vestalibus licuisse, Plutarch. *in Numa* docet, qui inter reliqua earum virginum privilegia hoc recenset: *καὶ τ᾽ ἄλλα πράττειν ἄνευ προστάτου διαγούσας ὥσπερ αἱ τρίπαιδες. & alia facere sine tutore, tanquam quæ tres liberos haberent.* Sed enim inter mulierum ac pupillorum tutores lata erat differentia. Nam pupillorum quidem pupillarumque tutores, ut Ulpia. *in Fragment.* explicat *g*, & negotia gerebant & auctoritatem interponebant. Mulierum autem tutores auctoritatem duntaxat interponebant. Idcirco Cato apud Livium *h* majores voluisse dicebat, nullam ne privatam quidem rem feminas sine auctore agere. Cui L. Valerius apud eundem respondens, *Nunquam*, inquit, *salvis suis exuitur servitus muliebris, & ipsæ libertatem quam viduitas & orbitas facit, detestantur.* Unde Apulejus *Apolog. pro se ipso secunda*, emtionis a Pudentilla factæ testem, ut auctorem, ejus tutorem Cassium Longinum citat: *Adest*, ait, *etiam tutor auctor mulieris, vir gravissimus & sanctissimus, omni cum honore mihi nominandus Cassius Longinus. Quære, Maxime, cujus emtionis auctor fuerit.* Ex illa vero tutorum differentia Cicero *Topicis* argumentum a dissimili ita ducit: *Non quemadmodum quod mulieri debeas, recte ipsi mulieri sine tutore auctore solvas; ita quod aut pupillæ aut pupillo debeas, recte possis eodem modo solvere.* Ubi Boethius (nam quæ ab eo bene dicta sunt, non reticeo) *Mulieres*, ait, *antiquitus perpetua tutela tenebantur: pupilli item sub tutoribus agunt. sed mulieribus si quid debitum fuisset, sine tutoris auctoritate poterat solvi: pupillis vero minime.* Et mox: *Illæ perpetua tutela etiam provecta jam ætate continentur: illorum tutelæ certus annorum numerus terminum facit. Differt enim persona mulierum a persona pupillorum vel in eo, quod pupilli non perpetua reguntur tutela: mulieres vero perpetua. Vel quod pupillus nullum suæ etiam ministrandæ utilitatis judicium habere potest: cum sit aliquis mulieribus, etsi non firmus, in explicanda familiaris rei utilitate delectus.* Hactenus ille. Nec tamen quod tutore minime auctore mulier promiserat, magis debebatur, quam quod pupillus sine tutoris auctoritate spopondisset, ut ex Cicerone *pro Cæcinna* liquet: nec mulier quæ in tutela erat, manumittendi jus potius quam pupillus habebat, quod est ab Ulpiano *Tit.* 1. traditum. Præterea pupillos suos adrogandos dare tutores non poterant, quod tantam esse tutoribus in pupillos auctoritatem potestatemque fas veteres non ducerent, ut caput liberum, fidei suæ commissum, alienæ ditioni subjicerent. quemadmodum ex Gellio didicimus *i*. At mulieri in manum convenienti tutores utiliter auctoritatem præstabant: licet ex conventione in manum eadem prope quæ ex adrogatione effecta sequerentur. Et vero sine tutorum auctoritate non potuisse in manum mulierem convenire, Cicero *pro Flacco* satis dilucide ostendit. Inde idem pro Cluentio: *Nubit genero socrus, nullis auspicibus, nullis auctoribus.* Quod autem ea tutela *legitima* tam a Cicerone quam ab Ulpiano appellatur, indicio est, lege 12. Tab. introductam. Id quod verum puto, & ex Atheniensium legibus hoc caput a De-

A cemviris descriptum, quandoquidem & apud illos mulieres tutorum, quos *κυρίους* vocabant, potestate continerentur, ut est a Budæo *in linguæ Græcæ Commentar.* observatum. Jam, propinquorum tutela conventione in manum mulieres liberatas, ut Boethius supra citato loco perstrinxit, mirum non est: cum eo modo capite minuerentur, statumque ac familiam mutarent, & in virorum mancipium redigerentur; in quorum manu eas fuisse, etiam Cato in eo quem paulo ante produxi Livii loco dicit. Quin etiam in manum conveniendo mulierem cum capite fortunas quoque suas in familiam ac domum mariti transtulisse sciendum est. Nam, ut Cicero B *in Topicis, in loco ab effectis*, scribit: *Cum mulier viro in manum conveniebat, omnia quæ ejus fuerant, viri fiebant dotis nomine.* Unde Boethius, uxore defuncta quæ in manum convenisset, bona ejus ad virum pertinuisse bene colligit. Quapropter Lucio Flacco inter cetera vitio datum legimus, quod Valeriæ gentilis suæ, quæ Androni Sestilio nupsisse dicebatur, bona avertisset, ejusque hereditate virum, ad quem ea legitimo jure pertinebat, fraudasset. Quod crimen Cicero in ea quam pro eo reo dixit, oratione ita refellit, ut in manum Sestilio convenisse Valeriam neget. Idque argumento ab enumeratione partium ducto probat. Nam si in ma- C num convenisse dicatur, utique usu vel coemtione convenisse eam necesse fuisse dicit, cum hæ solæ essent inter ejus conditionis & qualitatis personas usitatæ matrimoniorum species. Atqui usu convenire in manum non potuisse, docet hac ex jure sumta ratione: quod de tutela legitima, qua majorum more Valeria continebatur, nihil potuerit absque tutorum omnium auctoritate usu diminui: ut proinde ei non licuerit, tutoribus minime auctoribus factis, alienæ se ditioni subjicere, in alienamque familiam se & bona sua transferre. A quo non abhorret quod idem *lib.* 1. *Epist. ad Attic.* ita scri- D bit: *De Tadiana re mecum Tadius locutus est, te ita scripsisse, nihil esse jam quod laborares: quoniam hereditas usu capta est. Id mirabamur, te ignorare de tutela legitima, in qua dicitur esse puella, nihil usucapi posse. Diminuendi* enim verbo in hanc sententiam usos veteres apparet ex Senatusconsulto de petitione hæreditatis. *k* Coemtione vero, quod erat alterum partitionis membrum, in manum peræque convenire non potuisse Valeriam contendit, cum ei rei auctoritatem Flaccus, qui e tutorum numero erat, non præstitisset: ac per hoc sine eo auctore dicta ab ea dote nihil actum esse, ibidem adseverat. Quod & *in Oratione pro Cæcinna* E pro certo ac constanti ponit. Ideoque ex lege Julia de maritandis ordinibus, a Prætore urbano tutor mulieri virginive, quæ ex ea ipsa lege nubebat, ad dotem dandam, dicendam, promittendamve dabatur, si legitimum tutorem ea non haberet, ut est ab Ulpiano memoriæ proditum *l*. Atque hæc erant jura quæ sibi conventionis in manum beneficio maritus in bonis uxoris vindicabat. Vice versa etiam uxor eorundem & bonorum & sacrorum cum viro socia ac particeps fiebat. Qua communione merito existimavit Romulus inter se arctiori vinculo colligatum conjuges iri. Est enim hujus rei origo ab ejus legibus arcessenda, quibus hoc compre- F hensum fuisse Dionys. Halicarn. auctor est *m*, *γυναῖκα γαμετὴν κατὰ νόμους ἱεροὺς συνελθοῦσαν ἀνδρὶ κοινωνὸν ἁπάντων εἶναι χρημάτων τε καὶ ἱερῶν. Uxorem quæ secundum leges sacras in manum convenerit viri, participem etiam esse bonorum & sacrorum.* Unde mirum non est, Nuptias a Modestino *n* divini & humani juris conjunctionem definiri, & a Gordiano *o* uxorem rei divinæ & hu-

*g* Tit. 11. *h* lib. 44. *i* lib. 5. cap. 19.
*k* l. item veniunt. §. item placere. & l. deperditum. D. de petition. hered. *l* Tit. 11. *m* lib. 2.
*n* in l. 1. D. de ritu nupt. *o* in l. adversf. C. de crim. expil. hered.

A manæ ſociam appellari. Quapropter nec turpe judicium ob res viro ſubtractas adverſus eam dari prudentibus placuit *p*, quam ſocietas vitæ quodammodo dominam faceret. Hinc quoque forte ab initio moribus comparatum fuit, ut ne inter conjuges factæ donationes valerent. Quod & aliis poſtea rationibus utile viſum eſt. Quas inter etiam hanc Plutarch. ἐν Αἰτίοις commemorat, *ὅτι δεῖ κοινὰ καὶ γυναιξὶ εἶναι τὰ ἀνδρῶν, καὶ ἀνδράσι τὰ γυναικῶν*. *debere uxoribus virorum bona eſſe communia*. Ex iiſdem etiam Romuli legibus deſcendiſſe Halicarnaſſeus admonet, quod uſu apud Rom. invaluit, ut viro mortuo ſuperſtes uxor non aliter ac patri filia heres B exiſteret: & quidem eo ſine liberis defuncto totam ex aſſe hereditatem ſibi vindicaret: liberis vero relictis, æquam cum iis partem ferret. Ac plane ſuorum heredum loco ac numero ejuſmodi uxores habitas, & perinde atque illos heredes vel exheredes ſcribi debuiſſe, ne præteritione earum teſtamenta vitiarentur, ex veteri juriſprudentia intelligimus. Sic enim Ulpian. *in fragmentis Titulorum ex ejus Corpore excerptorum*, ſcribit *q*: *Sui heredes inſtituendi ſunt vel exheredandi. Sui autem heredes ſunt, liberi quos in poteſtate habemus, tam naturales quam adoptivi. Item uxor quæ in manu eſt, & nurus quæ in manu eſt filii, quem in poteſtate habemus*. Et C alias *r*: *Adgnaſcitur ſuus heres, aut adgnaſcendo, aut adoptando, aut in manum conveniendo, aut in locum ſui heredis ſuccedendo*. Quod nec Servium latuit, qui *in 7. Æneid.* ad illum Virgilii verſum,

*—— Quæſitas ſanguine dotes*
*Abnegat, externuſque in regnum quæritur heres.*

*De jure*, ait, *traxit, ut non generum, ſed heredem diceret. Nam per coemtionem facto matrimonio ſibi invicem ſuccedebant*. His conſequens eſt, a muliere herede ſcripta viro, cui ea in manum conveniſſet, inutiliter legatum relictum fuiſſe: ut & juris ipſa D ratio dictat, & ex eo inferri poteſt, quod Ulpianus *Tit. 23. fragmentor.* definit his verbis: *Ei, cujus in poteſtate, manu, mancipioque eſt heres ſcriptus, legari non poteſt*. Quinetiam mancipari eam a viro potuiſſe, argumento eſt quod Sex. Pomp. ex Ælio Gallo ſcribit, remancipatam eam dictam quæ mancipata erat ab eo cui in manum convenerat. Itaque in eo quod ab Ulpiano ſcriptum eſt *ſ*, eum qui liberum caput mancipatum ſibi vel a parente vel a coemtore manumiſit, per ſimilitudinem patroni tutorem fiduciarium effici; videndum eſt, ne ad maritum coemtoris nomen, potius quam ad alium E quemquam referendum ſit. Ex his ſatis patere arbitror, quid eſſet, in manum convenire. Quod loquendi genus ab Apulejo *lib.* 8. non ſemel eſt uſurpatum.

Ceterum de uxorum uſu quærendarum forma nihil a quoquam veterum auctorum literis proditum reperi. Tentari quidem certe, non incolorate poſſet; nec vero quid obſtet, præter juris rationem, qua Flacci partes tueri Cicero niſus eſt, video. Uſu partas ac quæſitas uxores eas fuiſſe, quæ matrimonii cauſa in domum abſque coemtionis ſolennibus deductæ toto vertente anno cum viro adſueſſent: F quæ poſt id temporis ex 12. Tab. in manu mancipioque viri fuerint, quaſi uſu, id eſt, poſſeſſione viro mancipatæ. Uſum enim pro poſſeſſione veteres dicebant. Et ita 12. *Tab.* ſcriptum erat: *Annuus uſus eſto*. Unde & *uſucapionis* nomen. Uſum vero legitimum fuiſſe dominiorum quærendorum & adipiſcendorum modum nemo ambigit. Et vel juris civilis auctoribus tacentibus, ejus rei unus locupletiſſimus eſſet teſtis Horatius, cum ait:

*Si proprium eſt, quod quis libra mercatur & ære,*
*Quædam, ſi credis conſultis, mancipat uſus.*

Proinde quemadmodum res mobiles, vel ſe moventes, anno poſſeſſæ, poſſeſſoris, ex jure Quiritium, fiebant: ita mulierem quæ cum viro una matrimonii cauſa anno integro morata eſſet, ei uxorem cum re & effectu partam conciliatamque fuiſſe ſuſpicari poſſumus. Probabile hoc facit, quod annui hujus uſus interrumpendi interpellandique gratia trinoctio perfecto a viro uxorem abnoctare lex 12. Tab. jubebat. Hoc enim de uſurpatione uxorum, id eſt, uſus earum interruptione, ex Q. Mutio Scævola Gellius & ab eo mutuatus Macrobius prodiderunt. Cujus uſurpationis quæ fuiſſet utilitas, non video, niſi in manum & mancipium viri per annuam poſſeſſionem mulier tranſitura fuiſſet. Quorſum enim, quæſo, de uſurpatione annui uxorum uſus lege cautum fuiſſet, ſi non ejuſmodi uſu aliquid viro præter nudum matrimonii nomen acceſſiſſet? Nam ad uxoris inane conſortium (id eſt, conventionis in manum viribus deſtitutum) conſequendum, annum exſpectari nihil attinebat, quod mero conſenſu, mutuaque voluntate, protinus conjuges naniſcebantur. Neceſſe eſt igitur amplius aliquid annuo uſu maritum nactum ac conſecutum fuiſſe. Quæ res exiſtimandi copiam præbet, ut, quemadmodum ſervus venditus & traditus, neque tamen emtori mancipatus, nec in jure ceſſus, nec ab ipſo annum poſſeſſus, in bonis tantum ejus erat; non autem, quoad horum quid interveniſſet, ex jure Quiritium ejus fiebat: ſic quæ nec farre nec coemtione in manum conveniſſet, ſed in domum duntaxat pro uxore deducta eſſet mulier, uxor quidem habebatur: ceterum non ante in manum viri conveniſſe cenſebatur, quam apud eum annum nulla trinoctii abſentia interpoſita impleviſſet. Tranſacta vero annua die, tum uſu viro quæſita uxor judicabatur, pro eoque erat ac ſi in manum ſolennibus verbis conveniſſet, utpote uſu ac poſſeſſione, quod ſolennitati defuerat, ſupplente. Sed hæc ut ſunt in conjectura poſita, ita a lectoribus accipi & æqui bonique conſuli velim. Liberum enim ſuum cuique de his judicium, imo vero liberam ſuſpicionem relinquo. Ad eam certe uxorum uſu quæſitarum ſpeciem Plautus, ſive quis alius argumenti Amphitryonis auctor eſt, adluſiſſe videtur his verſibus:

*In faciem verſus Amphitryonis Juppiter,*
*Dum bellum gereret cum Telebois hoſtibus,*
*Alcumenam uxorem cepit uſurariam.*

Niſi quis malit ex alio Prologi verſu, quo uſuram corporis ejus cepiſſe eum ſcribit, verba ea interpretari. Equidem aſſentiri iis non poſſum, qui ſolo uſu uxores cum concubinis confundere conantur. Aliud enim ſemper fuit uxorum, aliud concubinarum nomen. Nec uxorii nominis dignitas concubinis unquam eſt tributa. Hoc ergo inter eas quæ quoquo modo in matrimonium conveniſſent (quas Cicero tantummodo uxores, Gellius matronas appellatas ſcribit,) & concubinas, intererat, quod illæ matrimonii, hæ conſuetudinis ſolius cauſa haberentur. Atque ex affectu & animo habentis ea res plerumque cenſebatur. Quamquam in liberæ mulieris ejuſque ingenuæ, quæ corpore quæſtum non feciſſet, conſuetudine non concubinatus, ſed matrimonium intelligebatur, ut Modeſtinus *lib.* 1. *Regular.* ſcribit *t*: qui & illud eodem libro tradiderat, *u* Stuprum committere eum qui liberam mulierem conſuetudinis, non matrimonii cauſa con-

*p* l. 1. D. rer. amot. *q* Tit. 22. *r* Tit. 23. *ſ* Tit. 11. §. 4.

*t* l. in liberæ. D. de ritu nupt. *u* l. ſtuprum. D. ad l. Jul. de adult.

A tineret. Honestæ quippe vitæ & ingenuam, minime prostituti corporis, mulierem in concubinatu habere non licebat: sed vel in matrimonio habere necesse erat, vel qui hoc recusabat, in legem Juliam de adulteriis incidere, stuprique crimen committere judicabatur. *x* Ex earum vero mulierum, quæ vel in matrimonio vel in concubinatu promiscue haberi poterant, consuetudine, utrum matrimonium, an concubinatus induceretur, ex destinatione animi eorum qui eas habebant, pendebat. Nam si martiali eas honore & affectione viri prosequerentur, uxores; sin minus, concubinæ censebantur. Ex illis suscepti, justi ac legitimi; ex his, vulgo B quæsiti ac spurii existimabantur. Quamobrem obscurum jam nemini esse puto, quod concubinam ex sola animi destinatione æstimari oportere Paulus scribit. *y* Exemplum appositum suppeditat Capitolinus in M. Antonino Philosopho, qui Faustina uxore mortua, a secundis nuptiis eum Imperatorem abstinuisse scribit: enisam tamen esse quandam Fabiam, ut in ejus matrimonium coiret; sed illum, ne tot liberis superduceret novercam, concubinam dumtaxat sibi adscivisse, procuratoris uxoris suæ filiam. Aliud etiam occurrit ex Papiniano *lib. 8. Responsor.* quo Coccejum Cassianum, virum clarissimum, Rufinam quamdam ingenuam, pleno hono- C re dilexisse, ex eaque filiam suscepisse memorat: cum tamen pro concubina eam habuisse, nec uxorio eam nomine dignatus esset, & filiam alumnæ nomine nuncupasset, vulgo quæsitam eam filiam judicatam refert. Itaque quæ concubina fuerat, mutata voluntate uxor haberi poterat. Testem habemus eundem Papinianum lib. 12. Responsor. *Donationes*, ait *z*, *in concubinam collatas, non posse revocari, convenit: nec, si matrimonium inter eosdem postea fuerit contractum, id irritum recidere, quod ante jure valuit. An autem martialis honor & affectio pridem præcesserit, personis comparatis, vitæ conjun-* D *ctione considerata, perpendendum esse respondi. Neque enim tabulas facere matrimonium.* Cui optime quadrat quod Quintilianus *lib. 5. cap. 11.* ita scribit: *Ex contrario nihil obstat, quo minus justum matrimonium sit mente coeuntium, etiamsi tabulæ signatæ non fuerint. Nihil enim proderit signasse tabulas, si mentem matrimonii fuisse non constabit.* Mens ergo & voluntas viri, uxorem a concubina (quæ modo in concubinatu retineri jure poterat) separabat: cum ad matrimonii substantiam tabularum nuptialium obsignatio necessaria non esset. Unde Imp. Probus Fortunato rescripsit *a*, quam liberorum procreandorum causa domi habuerat uxorem, non E eo minus ei justam uxorem esse, quod tabulæ nuptiales nullæ intercessissent. Dignitate item uxor a concubina distinguebatur, ut noster Ulpianus significat *b*. Atque ideo Ælius Commodus Verus, Spartiano referente, *uxorem dignitatis esse nomen, non voluptatis*, dicebat. Plane eam quæ uxoris loco sine nuptiis in domo esset, pellicem ex quorundam sententia appellatam esse Paulus refert *c*. Cujus tamen vocis aliam idem interpretationem *ex Massurii Sabini libro Memorialium* adducit. ubi rectius, meo quidem judicio, *Memorabilium* legeretur. Nam hanc fuisse libri cujusdam ab eo editi inscriptionem, Macrobius *lib. 3. Saturnalior. cap. 6.* ostendit. At F Gellius pellicem appellatam, probrosamque habitam, quæ juncta consuetaque esset cum eo, in cujus manu mancipioque alia matrimonii causa foret, Numæ lege docet *d*, in qua ita erat: *Pellex ædem Junonis non tangito. Si tangit, Junoni crinibus demissis agnum feminam cædito.* Ac de uxorum quidem generibus & differentiis satis.

Ceterum antiquitus nuptiæ non nisi captatis prius auguriis fiebant. Iisque faciendis Auspices (quo nomine τοὺς ἐπ' οἰωνοῖς ἱερεῖς appellatos Plutarch. ἐν Αἰτίοις scribit) olim interponebantur, ut Val. Max. *lib. 2. cap. 1.* tradit, his verbis: *Apud antiquos non solum publice, sed etiam privatim nihil gerebatur, nisi auspicio prius sumto. Quo ex more nuptiis etiam auspices nunc interponuntur: qui quamvis auspicia petere desierint, ipso tamen nomine veteris consuetudinis vestigia usurpantur.* Sic Tacitus de nuptiis Messalinæ tractans *lib. 11.* & de Neronis cum Pythagora conjugio *lib. 15.* agens, utrobique auspicum adhibitorum meminit. Plautus etiam in Prologo Casinæ,

*Ultro*, ait, *ibit nuptum, non manebit auspices.*

Cicero pro Cluentio: *Nubit genero socrus, nullis auspicibus, nullis auctoribus, funestis ominibus.* Lucanus lib. 2. de bello Pharsal.

*Pignora nulla domus, nulli coiere propinqui,*
*Junguntur taciti, contentique auspice Bruto.*

Juvenalis, Sat. 10.

*—— Torusque palam genialis in hortis*
*Sternitur, & ritu decies centena dabuntur*
*Antiquo: veniet cum signatoribus auspex.*

Symmachus lib. 2. Epist. *Sororem Pompejam olim viro maturam te auspice in manus optat accipere.* Servius *in Æneid.* ad illum versum,

*Cui pater intactam dederat, primisque jugarat*
*Ominibus.*

*Id est, auguriis. Et secundum Romanos locutus est, qui nihil nisi captatis faciebant auguriis, præcipue nuptias.* Idem *in lib. 4. Æneid.* ad eos versus:

*Dis equidem auspicibus reor & Junone secunda*
*Huc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.*

*Dii*, ait, *qui sunt auspices matrimonium, Æneam huc venire fecerunt. Nuptæ enim captatis auguriis fiebant.* Quod ille Lucani & Juvenalis paulo ante prolatis testimoniis comprobat. Hinc Claudianus in Epist. ad Serenam:

*Atque utinam sub luce tui contingeret oris*
*Conjugis in castris & solio generi*
*Optatum celebrare diem, me jungeret auspex*
*Purpura, me sancto cingeret aula toro.*

Idem in Rufin. lib. 1.

*—— Hac auspice tædæ*
*Oedipodem matri, natæ junxere Thyesten.*

Seneca in Troade, Act. 4. Sc. 1.

*Quicunque hymen funestus, illætabilis,*
*Lamenta, cædes, sanguinem, gemitus habet,*
*Est auspice Helena dignus.*

Ac de hujusmodi auspicibus accipiendus est ille Suetonii *in Claudio* locus, quo Valeriam Messalinam uxorem supplicio adfecisse eum Imperatorem narrat, dote prius inter auspices consignata. Erat autem prosperrimi augurii nuptialibus negotiis accipitris circi altero pede claudi aspectus, ut Plinius *l. 10. c. 8.* prodidit. Quinetiam his conjugalibus auspiciis antiquitus Pilumnum & Picumnum deos de-

*x* l. in concubinatu. *y* l. penult. D. de concubin.
*z* l. donationes. D. de donationib. *a* l. si vicinis 9. C. de nupt.
*b* l. item legato. 49. §. 4. D. de legat. 3.
*c* in l. libro. 144. D. de verb. signif. *d* l. 4. cap. 3.

putatos, Nonius Marcellus, Varronis auctoritate adductus, *in cap. de doctorum Indagine* scribit.

His ita expositis tempus est ad novæ nuptæ cultum, vestitum, ornatumque transeamus. Ac primum ut a vertice incipiam, senis crinibus eam ornari solitam reperio: sive quod is ornatus vetustissimus esset, seu quod eo virgines Vestales ornabantur, quarum castitatem viris suis nubentes spondebant, quemadmodum Sex. Pompejus tradit. Cælibari præterea hasta, quæ in corpore gladiatoris abjecti occisique stetisset, nubentis caput, eodem auctore, comebatur: ut, quemadmodum illa fuerat conjuncta cum corpore gladiatoris, sic ipsa cum viro esset: vel quia matronæ in Junonis Curitis tutela essent, quæ ita a ferenda hasta (quæ Sabinorum lingua *curis* dicitur) appellabatur: vel ut fortes viros genituram ominarentur: vel quod nuptiali jure imperio viri subjiciebatur nubens, quia hasta summa armorum & imperii est. Hanc autem consuetudinem alia hujus instituti addita ratione Plutarch. *in Romulo* retulit: Ἔνιοι δὲ λέγουσι, καὶ τὸ τὴν κόμην γαμουμένης αἰχμῇ διακρίνεσθαι δορατίου, σύμβολον εἶναι τοῦ μετὰ μάχης καὶ πολεμικῶς τὸν πρῶτον γάμον γενέσθαι, περὶ ὧν ἐπὶ πλέον ἐν τοῖς αἰτίοις εἰρήκαμεν. *Quidam dicunt comam uxoris discerni cuspide hastæ, idque symbolum esse post prœlium bellicum primas nuptias factas esse, de quibus plura diximus in quæstionibus Romanis*. Quibus verbis Plutar. nos ad eum librum rejicit, qui vulgo Ῥωμαϊκὰ inscribitur, quem tamen ipse Αἰτιῶν inscripsisse videtur. Verba autem ejus in eo libro hæc sunt: Διὰ τί τῶν γαμουμένων αἰχμῇ δορατίου κόμην διακρίνουσι. *Propter quam caussam nubentium coma cuspide hastæ discernatur*. Cujus rei causas complures, hanc vero Sexto Pompejo concordantem adfert: Ἢ τὰ μὲν πλεῖστα τῶν γαμικῶν εἰς τὴν Ἥραν ἀνῆπτον. Ἥρας δὲ ἱερὸν τὸ δόρυ νενόμισται, καὶ τῶν ἀγαλμάτων αὐτῆς δόρατι στηρίζεται τὰ πλεῖστα, καὶ Κυρῖτις ἡ θεὸς ἐπωνομάσθη. τὸ γὰρ δόρυ κύριν ἐκάλουν οἱ παλαιοί. *Aut quia pleraque ad nuptias pertinentia ad Junonem referuntur? Junoni autem sacra habetur hasta, & pleræque ejus statuæ hasta nituntur. Ipsaque dicitur Dea Quiritis: hasta enim antiqui* curis *dicebatur*. Curitis porro Junonis etiam Martian. Felix. *lib.* 2. *de nupt. Philolog.* inter cetera ejus deæ cognomina meminit. Nec non Sextus Pompejus, *Curitim*, ait, *Junonem appellabant, quia eandem ferre hastam putabant*. Ovid. lib. 2. Fastor.

*Sive quod hasta curis priscis est dicta Latinis.*

Eum vero, de quo agere cœpimus, morem idem Ovid. *lib.* 2. *Fastor.* eo qui jam a me supra relatus est loco perstringit, mense Februario, quo inferis parentabatur, nuptiis abstinendum hac periphrasi monens:

*Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,*
*Comat virgineas hasta recurva comas.*

Arnobius *lib.* 2. *adversus Gentes*, veteres quosdam ritus desuetudine sublatos recensens, *Cum in matrimonia*, inquit, *convenitis, toga sternitis lectulos, & maritorum genios advocatis, nubentium crinem cælibari hasta mulcetis*. Corona deinde redimiri novæ nuptæ consueverant. Tertullian. in lib. de corona militis: *Coronant & nuptiæ sponsos*. Catull. in carmine de nuptiis Juliæ & Manl.

*Cinge tempora floribus*
*Suave olentis amaraci.*

Lucanus, de nubente loquens,

*Turritaque premens frontem matrona corona*
*Translata vitat.* & quæ sequuntur.

A Claudianus etiam Stiliconem ad nuptiarum apparatum corona tempora cingere sic admonet:

*Solitas galea*
*Fulgere comas,*
*Stilico, molli*
*Necte corona.*

Enim vero recta tunica novæ nuptæ induebantur, qualem prima Caja Cæcilia texuit, ut est a Plinio *lib.* 8. *Natural. histor. cap.* 48. relatum. Quod quidem ex felici textricis conjugio in usum venisse non dubito; cujus memoriam, boni ominis causa, in
B nuptialibus ritibus novas nuptas usurpasse constat.

Cingulo insuper nupta cingebatur, quod vir in lecto solvebat. Factum id ex lana ovis, Sex. Pomp. scribit: ut sicut illa in glomis sublata, conjuncta inter se est, sic vir suus secum vinctus cinctusque esset. Cingulum id Herculano nodo vinctum vir ominis gratia solvebat, ut sic ipse felix in suscipiendis liberis esset, sicut Hercules fuit, qui 70. liberos reliquit. Inde Catull. in nupt. Jul. & Manlii:

*Te suis tremulus parens*
C *Invocat: tibi virgines*
*Zonula solvunt sinus.*

Et in carmine ad Januam:

*Nec quærendum aliunde foret nervosius illud,*
*Quod zonam posset solvere virginem.*

Et alias:

*Tam gratum mihi quam fuit puellæ*
*Pernici aureolum tulisse malum,*
*Quod zonam solvit diu ligatam.*

D Ovidius in Epistola Phyllidis ad Demophoontem:

*Cui mea virginitas avibus libata sinistris,*
*Castaque fallaci zona revincta manu.*

Arnob. lib. 3. *adversus Gentes*: *Nisi virginalia vincula jam ferventes dissolverent atque imminentes mariti*. Citatur & a Nonio Marcello hic Varronis versus Γέροντος διδασκάλου. *Novus maritus taciturnus, taxim solvebat cingulum*. Ab hac vero cingulorum replicatione Junoni, quæ conjugalibus fœderibus præesse credebatur, Cinxiæ cognomen in-
E ditum fuit. Sex. Pompejus, *Cinxiæ*, ait, *Junonis nomen sanctum habebatur in nuptiis, quod initio conjugii solutio erat cinguli, quo nova nupta erat cincta.* Arnobius lib. 2. *adversus Gent. Unctionibus superest Unxia, cingulorum Cinxia replicationi*. Ex quo emendandus est Martiani Felicis locus, apud quem *lib.* 3. *de nuptiis Philolog.* in ea oratione quam Philologia ad Junonem habet, ita vulgo legitur: *Iterducam, & Domiducam, Unxiam, Cinthiamque mortales puellæ debent in nuptias convocare.* ubi *Cinxiam* proculdubio legendum est.

Junoni autem multos habitos in nuptiis honores
F quod ea jungendis & conciliandis matrimoniis præesse censeretur, præter Plutarchi supra citatum locum, Ovidius non semel *in Epistol. Heroid.* indicat. veluti in Epistol. Phyllidis ad Demophoont.

*Junonemque, toris quæ præsidet alma maritis.*

Et in Epist. Medeæ ad Jason.

*Conscia sit Juno sacris præfecta maritis.*

Et in Epist. Hypsipyles.

*Non ego sum furtim tibi cognita: pronuba Juno Adfuit.*

Sed & Virgil. lib. 4. Æneid.

*Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ.*

Statius Papin. in Sylvis.

*—— Dat Juno verenda*
*Vincula, & insigni geminat concordia tæda.*

Junonem plane nuptiarum præsidem Dio Chrysostomus, *oratione septima*, quæ *Euboica aut Venator* inscribitur, vocat. Eaque ratione τελείας cognomine a Græcis Juno ornatur. Plutarch. ἐν Αἰτίοις, *quæstione secunda*: Πέντε δεῖσθαι θεῶν τοὺς γαμοῦντας οἴονται· Διὸς τελείου, καὶ Ἥρας τελείας, καὶ Ἀφροδίτης, καὶ Πειθοῦς· ἐπὶ πᾶσι δὲ Ἀρτέμιδος. *Matrimonium contrahentes quinque Deorum ope indigere putant. Jovis nuptiarum præsidis, Junonis Pronubæ, & Veneris, Suadæ, ac Dianæ.* Non enim *adulta Juno* eo verbo exaudienda est, quemadmodum illic perperam interpres vertit, sed *nuptiarum præses*. Epitheton namque hoc a voce τέλος descendit, quæ antiquis *nuptias* significabat. Pollux, *lib. 3. Onomast.* Προτελεῖσθαι ἐλέγοντο οὐ μόνον αἱ νύμφαι, ἀλλὰ καὶ οἱ νυμφίοι, καὶ τέλειος ὁ γάμος ἐκαλεῖτο, καὶ προτέλειοι οἱ γεγαμηκότες. Διὰ τοῦτο καὶ Ἥρα τελεία ἡ ζυγία. ταύτῃ γὰρ τοῖς προτελείοις προτετέλην. Προτελεῖσθαι *dicebantur non solum sponsæ, sed & sponsi, & nuptiæ. Etiam nuptiæ* τέλειος *dicebatur. & qui matrimonio jungebantur,* προτέλειοι. *Propterea & Juno* τελεία *dicitur, quæ est Juga. Huic enim in primis puellæ sacra faciebant.* & quæ sequuntur. Suidas, Ἥρα, ait, τελεία καὶ Ζεὺς τέλειος, ἐτιμῶντο ἐν τοῖς γάμοις ὡς πρυτάνεις ὄντες τῶν γάμων. τέλος γὰρ ὁ γάμος. Διὸ καὶ προτέλεια ἐκαλεῖτο ἡ θυσία ἡ πρὸ τῶν γάμων. *Juno* τελεία *& Jupiter* τέλειος *colebantur in nuptiis, tanquam Præsides nuptiarum.* τέλος *enim significat nuptias. Propterea* προτέλεια *dicuntur sacrificia, quæ fiunt ante nuptias.* Eustath. in 2. Iliad. [illegible], ait, ὁ γάμος, ὅθεν τελείους τοὺς γεγαμηκότας ἔλεγεν. Τέλος, *nuptiæ, unde* τελείους *dicunt matrimonio junctos.* Idem in 12. *Iliad.* Ἐκ δὲ τοῦ λοιποῦ τέλος, ὃ σημαίνει τὸν γάμον, τὰ προτέλεια, ὧν χρῆσις μὲν μόνη παρὰ Αἰλίῳ Διονυσίῳ, ἑρμηνεία δὲ παρὰ Παυσανίᾳ, εἰπόντι, ὅτι προτέλεια ἡ πρὸ τῶν γάμων [illegible] θεα, [illegible] λεγόμενα θεώρετρα. ἐκεῖθεν δὲ καὶ τέλειοι οἱ γεγαμηκότες, καὶ τελειωθῆναι τὸ γῆμαι. *De reliquo* τέλος *significat nuptias,* τὰ προτέλεια, *quorum usus solus apud Ælium Dionysium, explicatio vero apud Pausaniam, qui dicit* προτέλεια *esse dona, quæ dantur ante nuptias, quæ etiam dicuntur* θεώρητρα: *unde & matrimonio juncti* τέλειοι *& ducere uxorem aut nubere* τελειωθῆναι. Itaque τελεία Juno nihil aliud quam γαμήλιον significat. quod epitheton Junoni tributum Servius in 4. *Æneid.* ad versum, *Et Junone secunda*, notat. Quem quidem interpretis Plutarchi errorem eo dissimulandum non putavi, quod eo quoque in fraudem illectum Ludovicum Vivem videam *in suis ad cap. 22. lib. 4. de Civit. Dei Commentariis*. Junoni vero τῇ τελείᾳ sacra facientes fel cum reliquis victimarum extis non porrigebant, sed demtum & divulsum abjiciebant; mystice significantes, bilem omnem atque iracundiam a nuptiis abesse oportere. Quod me Plutarchus ἐν γαμικοῖς παραγγέλμασι, *in conjugalibus præceptis* docuit. Sed est ille ejus auctoris locus in Frobenianis codicibus, duobus In verbis corruptus. Sic enim scriptum habent: Οἱ τῇ γαμηλίᾳ θύοντες Ἥρᾳ τὴν χολὴν οὐ συγκαθαγίζουσι τοῖς ἄλλοις ἱεροῖς, ἀλλ' ἐξελόντες ἔρριψαν περὶ τὸν βωμόν, αἰνιττομένου τοῦ νομοθέτου, τὸ μηδέποτε δεῖν χολὴν μηδὲ ὀργὴν γάμῳ παρεῖναι. *Qui Junoni pronubæ pronubæ sacrificant, ii fel non cum reliqua victima præsecant, sed exemtum apud aram abjiciunt, quo instituto legis auctor obscure significavit, conjugio nunquam debere bilem iramque interesse.* Atqui legendum est γαμηλίᾳ θύοντες Ἥρᾳ. Rursus, χολὴν, id est, *fel*, non χολὴν, quod aliud penitus significat. Qui me locus admonet, ut aliud huic adfine & cognatum apud eundem auctorem librariorum vitio commissum erratum corrigam. Nam *in Numa*, quo loco anni menses recenset, passim ita scriptum est: Τῶν δ' ἐφεξῆς τὸν μὲν Μάϊον καλοῦσιν, ἀπὸ Μαίας. Ἑρμῇ γὰρ ἀφιέρωται. τὸν δὲ Ἰούνιον, ἀπὸ τῆς Ἥρας. *Sequentium vero mensium Majum quidem appellant a Maja. Mercurio enim est sacer. Junium vero a Junone.* Ubi Ἥρας legendum esse contendo. Idque sequentia verba manifeste demonstrant, in quibus ita est: εἰσὶ δέ τινες οἱ τούτους ἡλικίας ἐπωνύμους εἶναι λέγοντες πρεσβυτέρας καὶ νεωτέρας. μαιῶρες γὰρ οἱ πρεσβύτεροι παρ' αὐτοῖς, ἰουνιῶρες δὲ οἱ νεώτεροι καλοῦνται. *Sunt quidam, qui istos menses nomen ab ætate traxisse contendunt, seniore scilicet & juniore: Seniores enim dicuntur majores, juvenilis vero ætatis homines juniores.* Apparet enim Plutarchum duplex Junii mensis etymon attingere, quem a Junone nonnulli, a junioribus alii dictum censent. ut & idem ἐν Αἰτίοις, & Macrob. *lib. 1. Saturnal. cap. 12.* testis est: *Junius*, inquiens, *Majum sequitur: aut ex parte populi, ut supra diximus, nominatus; aut ut Cincius arbitratur, quod Junonius apud Latinos ante vocitatus, diuque apud Aricinos Prænestinosque hac appellatione in fastos relatus sit: adeo ut, sicut Nisus in commentariis fastorum dicit, apud majores quoque nostros hæc appellatio mensis diu manserit, sed post detritis quibusdam literis, ex Junonio Junius dictus sit.* Censorinus *in lib. de die natali c. 18.* Junium quoque a Junone potius quam junioribus dictum putat: quod illo mense maximi Junoni habentur honores. Quibus & Bedam *in lib. de ratione tempor.* adde. Hanc certe lectionem omni scrupulo amoto rectam esse, D. Amiotus, Abbas Bellosanensis, vir raræ doctrinæ, & ea, quam magna cum laude sustinet, regiæ institutionis cura vere dignus, mihi scriptorum codicum auctoritate comprobavit: qui & illud me docuit, *in eadem Numæ vita*, paulo post in Februarii mensis etymologia mendum esse. Nam cum vulgo τοῖς φυτοῖς ἐναγίζουσι καὶ τότε, legatur; τοῖς φθιτοῖς legendum esse, veteres codices, quos ille accuratissime evolvit, ostendunt. De cujus lectionis veritate nemo dubitabit, qui eo mense justa diis manibus solvi, & mortuis parentari solitum, secum reputabit. Quod ex Ovidii Fastis, Macrobio *lib. 1. Saturn. cap. 13.* aliisque veterum scriptis cuivis in promtu esse potest. Verum, ut ad propositum redeat oratio, ex ea superstitiosa gentilium opinione, quam de Junone animo conceptam habebant, multa ei deæ secundum munerum, potestatum, ac in re uxoria officiorum varietatem ac diversitatem, cognomina indita fuisse observavi. Primum enim a conjunctione maris & fœminæ *Juga*, Sexto Pomp. teste, vocabatur; exemplo Græci sermonis, quo Ζυγία vocabatur. Quod nomen Apulejus Græcissans *lib. 6. de Asino aur.* usurpavit. Quæ appellationis hujus notatio a Dionysio Halicarn. his verbis comprobatur: Ζεὺς γὰρ καὶ Ἥρα πρῶτοι ζεύγνυντές τε καὶ συνδυάζοντες. ὑπὸ τοι ὁ μὲν καὶ πατὴρ καλεῖται πάντων, ἡ δὲ ζυγία ἀπὸ τοῦ ζεῦξαι τῷ θήλει τὸ ἄρρεν. *Jupiter & Juno primi juncti sunt & sociati. itaque ille pater omnium dicitur, hæc vero jungit marem cum fœmina.* Musonius etiam: Ὅτι δὲ, ait, μέγα καὶ ἀξιοσπούδαστον ὁ γάμος ἐστί, καὶ ταύτῃ δῆλον· θεοὶ γὰρ ἐπιτροπεύουσιν αὐτόν, καθὼς νομίζονται παρ' ἀνθρώποις μεγάλοι. πρῶτον μὲν Ἥρα. καὶ διὰ τοῦτο ζυγίαν αὐτὴν προσαγορεύουσιν. *Conjugium esse rem magnam, & dignissimam, quam sectemur, ex hoc quoque constat, Deos ei præesse, qui magni*

*magni ab hominibus existimantur. Primum quidem Juno, quam propterea Jugam dixerunt.* Quod vero de jugo, matrimonio contrahendis imponi solito, Servius & post eum Isidorus commemorant, quia idoneorum & locupletum auctorum testimonio ab eis non firmatur, admittere non ausim. Nec sum nescius, Plauti *ex Curculione* versum ad hanc rem proferri posse, in quo ita est: *Jamne ea fert jugum?* Sed id μεταφορικῶς dictum esse, probabilius est. quemadmodum illud Horatii:

*Nondum subacta ferre jugum valet*
*Cervice.*

Ut autem a matrimoniorum conjunctione *Juga* & *Zygia*, ita a mulieris in domum mariti deductione *Domiduca* & *Iterduca*, a cingulo novæ nuptæ *Cinxia*, ab unctione *Unxia*, Juno appellabatur. Et ita actui cuique peculiare numen stulta gentilitas adsignabat. Quam ridiculam eorum superstitionem B. Augustinus *lib. 6. de Civit. Dei cap. 9.* ita exagitat: *Cum mas & femina conjunguntur, adhibetur deus Jugatinus. Sit hoc ferendum. Sed domum est ducenda quæ nubit, adhibetur deus Domiducus. ut in domo sit, adhibetur deus Domitius. ut maneat cum viro, additur dea Manturna.* Et paulo post: *Impletur cubiculum turba numinum, quando & paranymphi inde discedunt. Adest dea Virginensis, & deus pater Subigus, & dea mater Prema, & dea Pertunda, & Venus, & Priapus. Virginensis quidem,* ut ibidem indicat, *ad hoc, ut virgini zona solvatur. Subigus, ut viro subigatur. Prema, ut subacta, ne se commoveat, comprimatur.* Cujusmodi etiam ineptias Arnob. *lib. 2. adversus Gent.* scite ridet.

Verum ut ad instituta pergamus, coronam, ex verbenis a se lectis compositam, nova nupta, Sex. Pomp. teste, sub amiculo ferebat. Eandem & soccos luteos gestasse, Catullus suspicandum relinquit. Sed ut hoc obscurum est, ita velo obnubi solitam, cum ad virum deduceretur, tam certum est quam quod certissimum. Tertullianus de virginibus velandis, *Atqui,* ait, *etiam velatæ ad virum ducuntur.* Unde *nuptiarum* nomen ductum esse, consentiens in unum omnium Grammaticorum fert opinio. *Nubere* enim & *obnubere* priscis *velare* & *operire* significabat, ut Sex. Pomp. non uno loco, Non. Marcell. & alii complures notant. Quo in significato Arnob. *lib. 3. adversus Gent.* hoc verbo usus est. *Quod aqua,* inquit, *nubat terram, appellatus est cognominatusque Neptunus.* Caper, in lib. de orthograph. *Vir ducit, mulier nubit, quia pallio obnubit caput suum genasque.* Velum autem id, quo nuptæ operiebantur, *flammeum* vocabatur: quo boni ominis gratia eas velari solitas Sex. Pomp. tradit, idcirco quod eo assidue Flaminica uteretur, cui divortium facere non licebat. Sueton. in Neron. cap. 28. *Puerum Sporum exsectis testibus etiam in muliebrem formam transfigurare conatus est: cum dote & flammeo per solenne nuptiarum celeberrimo officio ad se deductum pro uxore habuit.* De quo Imperatore etiam Tacit. *lib. 15.* agens, *Ipse,* inquit, *per licita atque illicita fœdatus, nihil flagitii reliquerat, quo corruptior ageret, nisi paucos post dies uni ex contaminatorum grege, cui Pythagoræ nomen fuit, in modum solennium conjugiorum denupsisset. Inditum Imperatori flammeum.* Martial. lib. 11. Epigrammat.

*Flammea texantur sponsæ: jam virgo parata est.*
*Tondebit pueros jam nova nupta tuos.*

Idem lib. 12.

*Proluxere faces, velarunt flammea vultus.*

A Juvenalis *Sat. 6.* de muliere crebris divortiis maritos mutante:

*Permutatque domos, & flammea conterit.* ——

Quintilian. declamat. 306. *Operiet flammeo canos.* Tertullian. in lib. adversus Valentinian. *His nuptiis recte deducendis pro face & flammeo tuus, credo, ille arcanus ignis erumpet.* Apulejus Apolog. 2. *Venit igitur ad eum nova nupta secura & intrepida, pudore dispoliato, flore exoleto, flammeo obsoleto.* Ambrosius in libr. de viduis: *Suasimus, fateor, ut vestem*
B *mutares, non ut flammeum sumeres; ut a sepulchro recederes, non ut thalamum præparares.* Proinde Catullus, *initio carminis de nuptiis Juliæ & Manlii,* Hymenæum ad flammeum capiendum excitat. Et alio ejusdem carminis loco,

*Tollite, ait, pueri, faces,*
*Flammeum videor videre.*

Claudian. in Epithalamio,
*Jam nuptæ trepidat sollicitus pudor,*
*Jam produnt lachrymas flammea supplices.*

Idem lib. 2. de Raptu Proserp.
—— *Et vultibus addunt*
C *Flammea, sollicitum prævelatura pudorem.*

Idem in carmine Honorii & Mariæ:
*Ipsa caput distinguit acu, substringit amictus,*
*Flammea virgineis accommodat ipsa capillis.*

Juvenalis, Sat. 10.

—— *Cui nubere Cæsaris uxor*
*Destinat. optimus hic, & formosissimus idem*
*Gentis patriciæ rapitur miser, extinguendus*
*Messalinæ oculis. dudum sedet illa parato*
*Flammeolo.*

D Seneca *in Octavia,* de Poppæa Neroni nubente:

*Velata summum flammeo tenui caput.*

Martianus Capella lib. 5. de nuptiis Philolog. *In quibus,* ait, *species rerum collocandæ sunt, veluti nuptiarum, velatam flammeo nubentem.* Idem lib. 9.

*Flammea virgineum quæ obnubere sueta pudorem,*
*Regina deme pronuba.*

Apulejus rursus lib. 4. de Asino aur. *Jam feralium nuptiarum miserrimæ virgini choragium struitur Jam*
E *tædæ lumen atræ fuliginis cinerem arcessunt, & sonus tibiæ Zygiæ mutatur in querulum Lydii modum, cantusque lætus hymenæi lugubri ululatu, & puella nuptura deterget lachrymas ipso flammeo.* Hoc vero velamen luteum erat, ut hæc Plinii verba declarant, quæ ex ejus *lib. Natur. histor. 21. cap. 8* apposui: *Lutei video honorem antiquissimum in nuptialibus flammeis totum feminis concessum, & fortassis ideo non numerari inter principales, hoc est, communes maribus ac feminis, quoniam societas principatum dedit.* Ex quo Lucan. lib. 2. de bello Pharsal.

F *Non timidum nuptæ leviter tectura pudorem*
*Lutea demissos velarunt flammea vultus.*

Rapi plane, ut Sextus Pomp. auctor est, simulabatur virgo ex gremio matris, aut si ea deesset, ex proxima necessitudine, tum cum ad virum transferebatur: propterea quod ea res Romulo feliciter cessisset, qui per vim sibi suisque ex Sabinis uxores quæsivit. Ex quo illud Catulli,
*Qui rapis teneram ad virum*
*Virginem.*

A Expoſui, quo cultu atque ornatu nova nupta ad virum procederet. Unde lucem accipient Halicarnaſſei hæc verba *ex lib. 3. Antiquit.* Μετὰ τοῦτο τὴν γυναῖκα κοσμησαμένην, οἷς ἔθος ἐςὶ κοσμεῖσθαι τὴν γαμουμένην. Deinceps de pompæ apparatu ac traductionis ritu agam. Solennis autem moris fuiſſe, ut in viri domum, tanquam conjugii manſionem ac domicilium, nuptæ traducerentur, abunde *libro primo Selectarum ex jure civili Antiquitatum*, multis Jureconſultorum & aliorum auctorum teſtimoniis probavimus: quæ quod inde facillime peti poſſint, huc transferenda non cenſui. Unde *uxorem ducere*, quaſi *domum ducere*, imminute Latini dicunt, quemadmodum ex compluribus Plauti locis
B patet. Sic enim in Aulularia:

E. *Quod ſempiternum tibi ſalutare ſit procreandis liberis.*
M. *Ita dii faxint.* E. *volo te domum uxorem ducere*

Idem Trinummo, Actu 5. Sc. 2.

*Nunc quid cauſæ eſt, quin uxorem cras domum ducat?*

C Et in Epidico, Actu 2. Sc. 1.

*Genere natam bono pauperem domum ducere uxorem.*

Idem Ciſtellar. Act. 2. Sc. 1.

*Illam extrudet, cum hanc uxorem ducet domum.*

Item Act. 1. Scen. 1.

*Et nunc alia ducenda eſt domum,*
*Sua cognata.*

D Atque ex hoc more repetenda eſt ejus ratio, quod Jure civili cavetur *a*, nuptiis mulierem domicilium ſuum mutare, & in viri domicilium tranſire. Quod & ex juris diſciplina Servius adnotat ad illum Virgilii verſum lib. 4. Æneid.

*Et patrio Andromachen iterum ceſſiſſe marito.*

Item unam poſt matrimonium viri & uxoris domum dici *b* mirandum non eſt, δυοῖν οἴκων, ut Plutarch. *lib 4. Sympoſiacor. cap. 3.* ſcribit, εἰς τὸ αὐτὸ
E συνιόντων. Plane eam quæ deſponſata eſt, ante contractas nuptias non mutare domicilium Modeſtinus belle tradit *c*, quod in domum viri nondum ſit deducta. Hanc autem conditionem, *Si in familia nupſerit*, impletam videri ſtatim atque ducta eſt uxor, quamvis nondum in cubiculum mariti pervenerit, traditum exſtat *d*. Enimvero deductio hæc veſpere fiebat. Antiquitus ſiquidem non niſi noctu mulieres ducebantur, ut Sex. Pompejus *lib.* 14. & Servius *in* 8. *Eclog. Virgilii* ex Varrone, ſcribunt. Unde Valerius Max. lib. 1. cap. 5. *At Cæcilia Metelli, dum ſororis, adultæ ætatis virginis, more priſco, noctu connubia nuptialia petit, omen*
F *ipſa fecit.* Tacitus quoque *lib.* 11. a Nerone cum Pythagora confectas nuptias referens, *Et interdiu*, ait, *in viro nubente ſpectata, quæ etiam in femina nox operit.* Ea ratio eſt, cur noctem adeſſe *in Epithalamio* Catullus moneat, his verſibus:

*Veſper adeſt, juvenes, conſurgite: veſper olympo.*
*Surgere jam tempus, jam pingues linquere menſas.*
*Jam veniet virgo, jam dicetur hymenæus.*

*a* l. exigere 65. D. de judic. l. cum quædam puella. D. de juriſd. l. ult. §. item reſcripſerunt. 3. D. ad municipal. l. ultim. C. de incol.

A Pari de cauſa Claudianus in *Epithalamio*, Heſperi ortum præcinit:

*Attolens thalamis Idalium jubar*
*Dilectus Veneri naſcitur Heſperus.*

Idem lib. 2. de raptu Proſerpinæ:

*Jam ſuus inferno proceſſerat Heſperus orbi.*

Pueri vero patrimi tres nubentem, Sex. Pomp. teſte, deducebant. quorum unus facem præferebat, reliqui duo nubentem tenebant. Unde Catullus in Carmine de nuptiis Jul. & Manl.

B *Mitte brachiolum teres,*
*Prætextate, puellulæ.*

Fax porro ea quæ præferebatur, ex ſpina alba fiebat, ut idem Pomp. ſcribit. Ideoque Catullus in illo carmine, cujus modo teſtimonium citavi,

*Pelle*, inquit, *humum pedibus, manu*
*Spineam quate tædam.*

Eaque ratione Plinius, ſpinam nuptiarum facibus auſpicatiſſimam dixit. Non deſunt tamen, qui nuptiales faces ex pinu confici ſolitas, omni aſſevera-
C tione contendant, & apud Catull. legendum cenſeant, *pineam quate tædam*. Moventur Ovidii verſibus *ex lib. 2. Faſtor.* quo loci a conjugio per aliquot dies abſtinendum, hac periphraſi ſuadet:

*Dum tamen hæc fiunt, viduæ ceſſate puellæ,*
*Exſpectet puros pinea tæda dies.*

Quamquam illic abſque ullo verſus vitio, recte *ſpinea tæda* legi poſſet. Sed proferam alios locos, qui eandem immutationem non ferant. Varro *lib. 2. de vita Pop. Rom.* ut eſt apud Nonium: *Cum a no-*
D *va nupta ignis in face adferretur, foco Ædilis ſumtus* (ſic enim lego) *fax ex pino ablata eſſet, ut eam puer ingenuus adferret.* Idem Varro, Γέροντος διδασκάλῳ: *Romæque noctu initia fieri ſolita, etiam nunc pinea fax indicat.* Quem ego Varronis locum, ad hanc quæſtionem ea ratione accommodari poſſe cenſeo, quod in honorem Cereris faces in nuptiis prælatas Sex. Pomp. tradit. Tametſi Servius *in* 8. *Eclog. Virgilii*, nulli id religioni acceptum fert; ſed ex eo inoleviſſe, Varronis auctoritate fretus, ſcribit, quod non niſi noctu antiquitus a ſponſis uxo-
E res ducerentur. Confirmat vero illam de pineis facibus opinionem Virgilius *in Ciri*, cum ait:

*Pronuba nec caſtos incendet pinus amores.*

Seneca in Medea, choro primo:

*Multifidam jam tempus erit ſuccendere pinum:*
*Excute ſolennem digitis marcentibus ignem.*

Rurſus idem Varro apud Chariſium Soſipatrum, *In Aſia*, ait, *fax ex ſpina alba profertur, quod purgationis cauſa adhibetur.* Sane, ſpinæ albæ ad maleficia depellenda vim ineſſe, antiquitas credidit. O-
F vid. lib. 6. Faſtor.

*Sic fatus, ſpinam, qua triſtes pellere poſſet*
*A foribus noxas, hæc erat alba, dedit.*

Et poſtea:

*Virgaque Janalis de ſpina ponitur alba,*
*Qua lumen thalamo parva feneſtra dabat.*
*Poſt illud neque aves cunas violaſſe feruntur;*
*Et rediit puero qui fuit ante color.*

*b* l. 1. §. ſi vir. D. de Sen. Si l.
*c* l. ea quæ. D. ad municipal.
*d* l. cui fuerit. 15. D. de condit. & demonſtr.

Verum quid prohibet ex variis arborum generibus faces nuptiarum confici solitas dicere? Plinius enim in eo, cujus supra testimonio usus sum, loco, spinum quidem facibus nuptiarum auspicatissimam fuisse scribit; suis tamen temporibus carpinum & corylum facibus familiarissimas fuisse subjicit. Potest autem hic facium in nuptiis præferendarum mos aliis præterea testimoniis comprobari. Plautus Casina, Act. 1. Sc. 1.

*Primum omnium huic lucebis novæ nuptæ facem.*

Seneca in Octavia, Act. 2. Sc. 2.

*Hic mihi jugales præferat tædas deus,*
*Jungatque nostris igne Poppæam toris.*

Et iterum Act. 3. Sc. 1.

*Tellure rupta, Tartaro gressum extuli,*
*Stygiam cruenta præferens dextra facem*
*Thalamis sceleftis: nubat his flammis meo*
*Poppæa nato.*

Idem, Act. 1.

*Quæ nupta demens, nupsit incesta face.*

Et alias:

*—— Conjugem captam sibi*
*Toris nefandis flebili junxit face.*

Cicero pro Cluentio Avito: *Non timuisse, si minus vim deorum, hominumque famam; at illam ipsam noctem, facesque illas nuptiales.*

Virg. Eclog. 8.

*Mopse, novas incide faces, tibi ducitur uxor.*

Claudianus in carmine de nuptiis Honorii & Mar.

*—— Alii funalibus ordine ductis*
*Plurima venturæ suspendunt lumina nocti.*

Ambrosius in lib. de viduis: *Vel cum accensis funalibus mox ducitur, nonne pompæ funebris exequias magis putat, quam thalamum præparari?*

Statius Papinius *in Sylvis*, nuptiarum quandam celebritatem describens,

*Fronde*, ait, *virent postes, & fervent compita flammis.*

Possent & ex Epigrammatis Græcis complura de nuptialibus facibus loca congeri. Eas faces Catullus, *in carmine de nuptiis Pelei*; & Cato, *in lib. de re Rustica*, non semel *tædas jugales* vocant: Valerius Flaccus *faces jugales* lib. 2. Argonauticor. appellat. Lucanus lib. 2. de bello Pharsal. *faces legitimas*. Statius Papinius *tædas geniales*, in Genethliaco Lucani *lib. 2. Sylvarum.* & *festas tædas* lib. 3. Sylvar. ut & Claudianus *lib. 2. de raptu Proserpinæ*. Plutarchus ἐν Αἰτίοις, a Romanis *cereos* appellatos tradit: ubi & illud adnotat, quinque, nec plures nec pauciores, in nuptiis accendi solitas faces. Est etiam ibidem observandum, quod nostram illam de restitutione loci ejus, quem paulo ante ex Varrone protuli, conjecturam confirmat, apud Ædiles accendi faces consuevisse. Hinc & nuptias *sanctæ fœdera tædæ* Silius Italicus *lib. 6.* nominat. Fax autem illa, qua prælucente nova nupta ducta erat, rapi ab amicis consueverat; ne aut eam sub tecto viri, uxor ea nocte poneret, aut vir in sepulchro comburendam curaret, quo utroque alterius mors captari putabatur. Enimvero silentio præterire non possum, quod quibusdam visum iri posse scio, in altum tolli nubentes priscis temporibus consuevisse. Qua de re nos subtilis ingenii vir noster Loisfelius, *ex Optati Afri lib. 6.* admonuit, quo loco in Donatistas, qui virgines post crines semel solutos ad iteratam professionem adegerant, ita invehitur: *Invenistis igitur hujusmodi virgines, quæ jam spiritaliter nupserant: quasi secundo coegistis ad nuptias: ut crines iterum solverent, imperastis. Hoc nec mulieres patiuntur quæ carnaliter nubunt: ex quibus si alicui maritum mutare contigerit, non repetitur illa temporalis festivitas: non in altum tollitur, non populi frequentia procuratur.* Verum ex suæ id gentis potius quam Latiæ moribus ab Optato mihi videtur esse dictum. Compertum siquidem habeo, apud Pœnos, Græcos, Ægyptios, usu receptum fuisse, ut nubentes sellæ insidentes, curruque sublimes vectæ, a patris domo in mariti domicilium transferrentur. Quod ego Apuleii, Pollucis, Synesii, Suidæ testimoniis ita aperte comprobabo, ut nullus dubitationi reliquus sit futurus locus. Apulejus quidem *Apologia pro se ipso secunda* sic habet: *Venit igitur ad eum nova nupta secura & intrepida, pudore dispoliato, flore exoleto, flammeo obsoleto, virgo rursum post recens repudium, nomen potius asserens puellæ, quam integritatem. Vectabatur octaphoro. Vidistis profecto qui adfuistis, quam improba juvenum circumspectatrix, quam immodica sui ostentatrix.* Pollux vero *lib. 3. Onomast. cap. 3.* Ἐπὶ ζεύγους δὲ, inquit, αἱ νύμφαι ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ μετῄεσαν. *In curru sponsæ plerumque solent traduci.* scilicet in domum sponsi. Quod latius ac copiosius a Suida exponitur in voce ζεῦγος: Ζεύξαντες, ait, τὴν λεγομένην κλινίδα, ἥ ἐστιν ὁμοία διέδρῳ, τὴν τῆς νύμφης μέθοδον ποιοῦνται. παραλαβόντες δὲ αὐτὴν ἐκ τῆς πατρῴας ἑστίας ἐπὶ τὴν ἅμαξαν ἄγουσιν ἐς τὰ τοῦ γαμοῦντος ἑσπέρας ἱκανῆς. κάθηνται δὲ τρεῖς ἐπὶ τῆς ἁμάξης, μέση μὲν ἡ νύμφη, ἑκατέρωθεν δὲ ὁ νύμφιος καὶ ὁ πάροχος. *Mulis aut bobus junctis lecticæ, quæ similis est duabus sellis, sponsam arcessunt. Eam autem ex paterna domo petitam, & currui impositam in sponsi domum bene vesperi deducunt. Tres autem in illo curru sedent, sponsa quidem media, utrimque vero sponsus & parochus*: Synesius quoque *Epist. 3.* de puella post patrui funus nubente agens, quem nos, quod ejus verba paulo obscuriora sint, Latine loquentem faciemus. *Vixergo*, inquit, *exspectato septimo die, quo nos justa mortuo feceramus, epulumque funebre agitaveramus, anum deliram, nutricem suam, in vehiculum mulis junctum tollens, meridie, quo tempore forum populi frequentia repletum erat, insignibus nuptialibus ornata, pompæ more currum agens recta Teuchira* (nomen id est urbis Cyrenaicæ præfecturæ) *contendebat. Futurum enim est, ut sequenti die fasciis redimita caput, ac Cybeles instar turrita urbem circumeat & oberret.* Hæc ille. Sed & Constantinopoli idem usu receptum fuisse videtur, quemadmodum indicio sunt Claudiani versus, quos *ex carmine de nuptiis Honorii & Mariæ* subjungam:

*Ante fores jam pompa sonat, pilentaque sacram*
*Præradiant ductura nurum: calet obvius ire*
*Jam princeps.*

At vero priscis Romanis, quorum duntaxat ritus exequi mihi propositum est, curulem illam novæ nuptæ transvectionem in usu fuisse, nusquam legi. Quinimo a pueris patrimis & matrimis duobus manu ductam nubentem, Sext. Pomp. non obscure significat.

Nubentes plane colus comta cum fuso & stamine comitabatur. Cujus moris gravissima duo testimonia proferam. Unum ex Plutarch. ἐν Αἰτίοις. Τὴν νύμφην, ait, εἰσάγοντες, νάκος ὑποστρωννύουσι. αὕτη δὲ εἰσφέρει μὲν ἠλακάτην καὶ τὴν ἄτρακτον. *Sponsam adducentes, vellus ei substernunt. Illa vero secum fert colum & fusum.* Alterum ex Plinio, apud quem *lib. 8. Natur. histor. cap. 48.* ita est: *Lanam cum colo & fuso Tanaquil, quæ eadem Cæcilia vocata est, in templo Sangi durasse, prodente se, auctor est M. Varro, factamque ab ea togam regiam undulatam in*

*æde Fortunæ, qua Servius Tullus fuerat usus. Inde factum ut nubentes virgines comitaretur colus comta, cum fuso & stamine.* Illam autem de colo & fuso Cajæ Cæciliæ observationem nec Plutarch. prætermisit, cujus hæc sunt in illo eodem lib. verba: Ἢ διὰ τὴν Γαΐαν Καικιλίαν καλὴν καὶ ἀγαθὴν γυναῖκα τῶν Ταρκυνίου παίδων ἑνὶ συνοικήσασαν, ἧς ἐν τῷ τοῦ Σάγκτου ἱερῷ χαλκοῦς ἀνδριὰς ἑστήκει, ἔκειτο δὲ πάλαι καὶ σανδάλια καὶ ἄτρακτοι. *Aut quia Caja Cæcilia honesta fuit ac proba matrona, uxor unius de filiis Tarquinii? Cui Cajæ in Sancti templo statua priscis temporibus fuit posita cum sandaliis & fuso.* Quo loci Σάγκτου pro Σαγγοῦ scriptum esse, prima facie quis superioribus Plinii motus verbis judicaret. Et ita certe Genium eum nuncupat Livius lib. 8. *Ædes ejus*, ait, *quæ essent in Palatio, diruendas; Bona Semoni Sango censuerunt consecranda. Quod ex eis redactum, ex eo ænei orbes facti, & positi in sacello Sangi versus ædem Quirini.* Nam & Genii Sangi sacellum in eadem cum novo Quirini Templo regione urbis Romæ Pub. Victor & Sex. Ruffus collocat. Idem Livius *lib.* 32. Veliterni ædem fuisse Sangi narrat. Sextus etiam Pomp. lib. 14. *Propter viam*, ait, *fit sacrificium, quod est proficiscendi gratia, Herculi aut Sango, qui scilicet idem est deus.* Lactantius Firmian. lib. 1. divinar. Institut. cap. 15. *Privatim vero singuli populi, gentis aut urbis conditores, seu viri fortitudine insignes erant, seu feminæ castitate mirabiles, summa veneratione coluerunt; ut Ægyptii Isidem, Mauri Jubam, Macedones Cabyrium, Pœni Uranum, Latini Faunum, Sabini Sangum* (aut, ut alii codices habent, *Sancum.*) Verum M. Cato *in Originum fragmentis*, quem Sabini *Sangum* (nam illic *Sangnum* vitiose scriptum est) dicerent, Romanos *Sanctum* pronunciasse, Barbaros *Sagam* dixisse, notat. Utrumque etiam promiscue dictum, B. Augustinus *lib.* 18. *de Civit. Dei, cap.* 19. declarat. *Sabini etiam*, ait, *regem suum primum Sangum, sive, ut aliqui appellant, Sanctum retulerunt in deos.* Ut proinde Σάγκτου scriptura apud Plutarchum mutanda esse non videatur: quam video Latinorum quoque auctorum in libris hæsisse, veluti apud Ovid. *lib.* 6. *Fastor.* ubi deus hic, aut semideus potius, quo de agimus, idem esse cum Fidio & Hercule declaratur his versibus:

*Quærebam Nonas Sancto Fidiove referrem,*
*An tibi, Semipater. Tunc mihi Sanctus ait:*
*Cuicunque ex illis dederis, ego munus habebo:*
*Nomina terna fero: sic voluere Cures.*
*Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini:*
*Inque Quirinali constituere jugo.*

Apud Silium etiam Italicum *lib.* 8. *de bello Punico*, quo loco de Nursinis & Tetricæ rupis accolis agit, versus hi leguntur:

*Ibant, & læti pars Sanctum voce canebant*
*Auctorem generis: pars laudes ore ferebant,*
*Sabe, tuas, qui de patrio cognomine primus*
*Dixisti populos magna ditione Sabinos.*

Sed & Varro (ex cujus recognitione magnam a philologis omnibus gratiam Vertranius Maurus, raræ vir & reconditæ doctrinæ, inivit) lib 4. de Lingua Lat. *Unde*, ait, *sub dio, divo, Dius Fidius. Itaque inde ejus perforatum tectum, ut videatur divum, id est, cælum. Quidam negant, sub tecto per hunc dejerare oportere. Ælius Gallus Dium Fidium dicebat, Dijovis filium,* Διόσκουρον, *Castorem: & putabant, hunc esse Sanctum, ab Sabina lingua; & Herculem, a Græca.* Accedat & Dionysii Halicar. auctoritas, cujus hæc sunt *lib.* 4. verba: Τούτων τῶν ὁρκίων ἐστὶ μνημεῖον ἐν Ῥώμῃ κείμενον ἐν ἱερῷ Διὸς Πιστίου ὃν Ῥωμαῖοι Σάγκτον καλοῦσι. *Istorum sacramentorum monumentum Romæ est positum in templo Dii Fidii quem Romani Sanctum vocant.* In quibus verbis convertendis aptius, meo quidem judicio, *Dium Fidium*, quam *Jovem fidei præsidem*, interpres dixisset. De eo etiam accipiendum est, quod apud eundem auctorem *lib.* 2. de Medio Fidio narratur. Quem locum consulendum cuique relinquam: dum tamen errati, quod illic deprehendet, monitorem me & præmonstratorem habeat. Nam Μόδιον Φαβίδιον cum vitio scriptum inveniet, pro Μίδιον Φίδιον. Non absimili errore apud Sex. Ruffum, in descriptione regionis tertiæ urbis Romæ, *Sangi Fidoni*, pro *Fidii*, scriptum esse, facile existimarim. Ejus vero simulacrum ex marmore antiquo *in libro Epigrammat. urbis Romæ* expressum est. Quin & *in inscriptione quadam Reatina* ita habetur: SANCTO FIDIO SEMIPATRI DE DECUMA VICTOR TIBEI LUCIUS MUMUS DONUM MORIBUS ANTIQUIS PRO USURA HOC DARE SESE JUSSUM ANNO SUO PERFECIT. In qua inscriptione *semipatris* appellatio ad enarrationem Ovidii versuum notanda est. Atque ut in hoc vocabulo diutius, quamquam non sine fructu, immorantem me æquiore animo philologiæ studiosi ferant, abjiciam pro coronide, epitheti, quod a Livio Sango huic tribuitur, explicationem: qua gratum me eis fecisse, si candidi sunt, adgnoscent. Quotus quisque enim est, qui, in eum Livii locum incidens, quo *Semonem Sangum* nominat, insolentia vocis turbatus non hæsitet, ac subsistat? Ejus certe vocis vim ac potestatem unus mihi Fulgentius Placiades *in libello obscurarum vocum ad Chalcid.* patefecit: cujus verba, ut in scriptis libris (quorum ope libellum eum aliquando integritati suæ restitui posse, non diffido) habentur, producam. *Semones*, ait ille, *dici voluerunt deos, quos nec cælo adscriberent, ob meriti paupertatem, sicut sunt Priapus, Hippona, Vertumnus; nec terreno eos deputare vellent, pro gratiæ veneratione. Sicut Varro in Mystagogorum libro ait: Semoneque inferius derelicto, deum depennato attollam orationis alloquio.* Ex quo auctore (nec enim alii indicii precium & τὰ μήνυτρα deberi puto) postea Merulam & Beroaldum ejus vocis sensum assecutos deprehendi. Unde *Semonem Sangum*, id est, *Semideum* & *Medioximum* Livius dixit. De his autem deorum gradibus atque ordinibus videndus est Apulejus *in lib. de Dogmate Platon.* & iterum *in lib de deo Socratis*, & Martian. Capel. *lib.* 1. *de nupt. Philolog.* Sed labor longius a proposito, ad quod tamen non ante revertar, quam admonuero, a Plutarcho reliquos omnes auctores in eo dissidere, quod non unius ex Tarquinii liberis, sed Tarquinii Prisci uxorem Cajam Cæciliam, quæ eadem Tanaquil vocitata est, fuisse scribant. Qua de causa Sex. Pompeii verba, quod ad rem apprime faciant, subjungenda duxi. *Caja Cæcilia*, ait, *est appellata, ut Romam venit, quæ antea Tanaquil vocitata erat, uxor Tarquinii Prisci, Romanorum regis, quæ tantæ probitatis fuit, ut id nomen ominis boni causa frequentent nubentes: quam summam adseverant lanificam fuisse.* Julius Paris in Epitom. lib. 10. Valer. Maximi: *Ceterum Caja usu super omnes celebrata est. Fertur enim, Cajam Cæciliam Tarquinii Prisci regis uxorem, optimam lanificam fuisse.* Quid ergo? Erroris aut oscitantiæ reum Plutarchum agemus? Mihi crimen hoc tam diligenti Romanarum antiquitatum investigatori intendere religio esset. Crediderim itaque, scripsisse eum, Ταρκυνίων ἑνὶ συνοικήσασαν. sed cum Ταρκυνίου imperitus librarius descripsisset, nihilo peritiorem quendam, sensus supplendi causa, vocem παίδων inseruisse.

Nunc ad rem. Præterea utensilia mulieris, & quæ in usu ac ministerio ejus erant, per puerum

impuberem in vase operto gestari consueverant. Puer, *camillus*; vas ipsum, *cumerum* proprio nomine vocabatur. Varro lib. 6. de lingua Latina: *Igitur dicitur in nuptiis camillus, qui cumerum fert; in quo, quod sit in ministerio, plerique extrinsecus nectunt.* Hinc *camillus* nominatur in Samothraciis mysteriis Dius quidam, administer diis magnis. Verbum Græcum arbitror, quod apud Callimachum in poematis ejus inveni. Verba vero hæc imperite sunt apud Sex. Pompejum, aut Paulum, ejus Epitomes auctorem, non depravata modo, sed & confusa & permixta, *lib. 3.* in quo ita est: *Cumeram vocabant antiqui vas quoddam, quod opertum in nuptiis ferebant, in quo erant nubentis utensilia; quod & camillum dicebant, eo quod sacrorum ministrum χάμιλλον appellabant.* Rectius vero alia parte *cumerum* vas esse dicitur nuptiale, a similitudine *cumerarum*, quæ fiunt palmeæ vel sparteæ ad usum popularem, sic appellatum. Quod vero ad *camilli* vocem attinet, apud eundem Sex. Pomp. *lib.* 6. traditur, *Flaminium camillum*, puerum dictum ingenuum, patrimum & matrimum, qui flamini Diali ad sacrificia præministrabat: camillosque ab antiquis ministros, secundum nonnullorum sententiam, omnes pueros appellatos, sicut habetur in antiquo carmine, cum pater filio de agricultura præciperet:

*Hiberno pulvere, verno luto, grandia farra, camille, metes.*

Macrobius *lib. 3. cap. 9.* ex Statio Tullian. *de vocabulis rerum, lib.* 1. ait, Callimachum dixisse, *Tuscos Camillum appellasse Mercurium*: quo vocabulo significabant præministrum deorum. Unde apud Virgilium *Camilla* appellatur, Dianæ scilicet præministra. Romanos quoque, pueros puellasve nobiles & investes, camillos & camillas appellasse, Flaminicarum & Flaminum præministros. Nec non Servius in lib. 11. Æneidos, *Camilla*, ait, *quasi ministra dicta est. Ministros enim & ministras impuberes, camillos & camillas in sacris vocabant. Unde & Mercurius, Hetrusca lingua, Camillus dicitur, quasi minister deorum.* Et ut symbolam quoque Græci auctores ad hujus vocabuli explicationem conferant, Dionysius Halicarn. *lib. 2. Antiquitat.* ex Romuli institutis, sacra quædam per mulieres celebrata, memorat: in ejusque ministerii societatem etiam liberos vocatos. Orbis vero, & prole carentibus concessum, ex quaque tribu puerum & puellam eleganti forma optare ac seligere, quo sacris ministrarent: puer quidem, donec pubertatis annos attigisset; puella vero, donec nupsisset. Idem adjicit, quo munere apud Hetruscos, & antea apud Pelasgos, in Curetum & majorum gentium deorum mysteriis fungebantur, qui ab iis κάδωλοι vocabantur; eodem functos apud Romanos, qui *camilli* vocabantur. Sed & Plutarchus *in Numa*, τὸν ὑπηρετοῦντα τῷ ἱερῷ τοῦ Διὸς ἀμφιθαλῆ παῖδα, *ministrantem in templo Jovis pubescentem puerum utrumque parentem babentem, camillum* dici tradit. ὡς, ait, καὶ τὸν Ἑρμῆν οὕτως ἔνιοι τῶν Ἑλλήνων κάμιλλον ἀπὸ τῆς διακονίας προσηγόρευον. *sicut & Mercurium nonnulli Græcorum camillum dicunt a ministerio.* Quæ eo pluribus, ut scenescentis jam vocabuli vetustate pæne obliteratam significationem excitarem. Quinetiam asses tres ad maritum nubentes deferebant, ut apud Nonium Marcellum Varro scribit: quorum unum, quem in manu tenebant, tanquam ementi marito dare: alium, quem in pede habebant, in foro Larium familiarium ponere: tertium, in sacciperio, in compito vicinali resignare solebant. Atque eo, quem supra descripsi, comitatu, nubentes ad mariti ædes accedebant.

Ædium porro fores floribus & frondibus ornari consueverant. Unde Catullus in carmine de nuptiis Pelei:

*Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.*

Juvenalis, Satyr. 6.

*Longa per angustos figamus pulpita vicos,*
*Ornentur postes & grandi janua lauro.*

Lauro quippe postes ornare, tam in publicis quam privatis gaudiis moris erat. Tertullian. Apologet. cap. 35. *O nos merito damnandos! Cur enim vota & gaudia Cæsarum casti & sobrii & probi expungimus? Cur die læto non laureis postes obumbramus?* Plinius lib. 15. Natur. histor. cap. ult. *Laurus triumphis proprie dicatur, vel gratissima domibus janitrix Cæsarum Pontificumque, sola & domos exornat, & ante limina excubat.* Latinus Pacat. *in Panegyr. Theodos.* de publica quadam congratulatione tractans, *Quid portas*, ait, *virentibus sertis coronatas, quid aulæis tardantes plateas, accensisque funalibus auctum diem?* Rutilius Claud. Itinerarii lib. 1.

*Festa dies pridemque meos dignata parentes*
*Poste coronato vota secunda colat.*
*Exornent virides communia gaudia rami.*

Ex hoc vero more, Juvenalis, de muliere statim post nuptias divertente, dixit:

*Ornatas paulo ante fores, pendentia liquit*
*Vela domus, & adhuc virides in limine ramos.*

Statius Papin. lib. 1. Sylvar.

*Fronde virent postes, & fervent compita flammis.*

Claudianus *lib. 2. de raptu Proserpinæ*, quo apparatu ea in thalamos Plutonis veniens excepta sit, narrans,

*Pars*, inquit, *aulæa tenent, alii prætexere ramis*
*Limina*

Enimvero pro foribus ædium mariti, interrogatæ nubentes, quænam essent, *Cajas* se esse respondebant. Hoc ita auctor *Epitomes lib. 10. Valerii Max.* scribit: *Ceterum Caja usu super omnes celebrata est. Fertur enim, Cajam Cæciliam, Tarquinii Prisci regis uxorem, optimam lanificam fuisse. Et ideo institutum fuit, ut novæ nuptæ ante januam mariti interrogatæ, quænam vocarentur, Cajam esse se dicerent.* Plutarchus in ἐν Αἰτίοις eos qui nubentem introducerent ei verba hæc suggessisse testis est, *Ubi tu Cajus, ego Caja*, Quorum verborum eum esse sensum quidam existimabant, ubi tu dominus & paterfam. ego domina & materfam. ut, quemadmodum Jureconsulti in exemplis proponendis Caii Seii, & Lucii Titii; Philosophi vero Theonis & Dionis nomina usurpant: ita & in nuptialibus his cerimoniis, nomen Cajæ exempli causa fuerit usitatum. Aliis, Cajæ Cæciliæ nomini, quod omnis boni causa, ut jam ex Sex. Pomp. docuimus, nubentes frequentabant, morem hunc accepto ferendum esse magis placebat. Certe Jureconsultos ridendi ea res Marco Tullio argumentum præbuit in Orat. pro Muræna. *Ut Caja*, ait, *quia in alicujus libris exempli causa id nomen invenerant, putarunt, omnes mulieres, quæ coemtionem facerent, Cajas vocari.* Quintilianus lib. 1. cap. 7. *Nam & Cajus C. litera notatur, quæ inversa mulierem declarat: quia tam Cajas vocitatas esse quam Cajos, ex nuptialibus sacris apparet.*

Postes vero januæ lana tangi a nubentibus, adi-

pegue ungi & oblini conſueverant. Unde *uxores* quaſi *unxores* dictas Grammaticis placet. Plinius lib. 22. Natural. hiſtor. cap. 2. *Lanis auctoritatem veteres Romani etiam religioſam habuere, poſtes a nubentibus his attingi jubentes.* Ex quo illud Lucani, nuptiarum quandam feſtivitatem deſcribentis, lib. 2. de bello Pharſal.

*Infulaque in geminos diſcurrit candida poſtes.*

Plutarchus ἐν Αἰτίοις, de nova nupta loquens, Ἐρίῳ δὲ, ait, τὴν θύραν περιστέφει τοῦ ἀνδρός. *Lana coronat fores viri.* Donatus in 2. ſcen Hecyr. Terentii: *Uxor dicitur ab ungendis poſtibus, & figenda lana, id eſt, quod cum puellæ nuberent, maritorum poſtes ungebant, ibique lanam figebant.* Servius in 4. Æneidos, *Moris*, ait, *ut nubentes puellæ ſimul ac veniſſent ad limen mariti, poſtes, antequam ingrederentur, ornarent laneis vittis, & oleo ungerent: & ideo uxores dictæ quaſi unxores.* Quæ verba, ut alia pleraque, Iſidorus, ſuppreſſo auctoris nomine, in ſuam Etymologiarum farraginem transſcripſit *a*. Quod vero ad unctionem attinet, Plinius *lib.* 28. *cap.* 9. novas nuptas adipe lupino poſtes inungere ſolitas, ne quid mali medicamenti inferretur, ſcribit. Inde Arnobius lib. 3. *adverſus Gentes*: *O egregia numinum, ac ſingularis interpretatio poteſtatum! Niſi poſtes virorum adipali unguine oblinerentur ab ſponſis.* & quæ ſequuntur. ubi etiam unctionibus iis deam Unxiam præfuiſſe ſcribit. Quod cognomen antiquitatem Junoni indidiſſe, Martianus Felix *lib.* 2. docet, in quo Philologia his verbis Junonem affatur: *Cum nihil contagionis corporeæ ſexu intemerata pertulerim, Iterducam, & Domiducam, Unxiam, Cinxiamque mortales puellæ debent in nuptias convocare, ut earum & itinera protegas, & in optatas domos ducas, &, cum poſtes ungent, fauſtum omen adfigas.*

Unctione peracta, nova nupta limen januæ tranſiliebat, eoque modo in ædes inducebatur. Religioni quippe habebant, ſi in tranſgrediendo mulier limen contigiſſet. Unde Catul. in Carmine de nuptiis Jul. & Manl.

*Transfer, omine cum bono,*
*Limen aureolos pedes,*
*Raſilemque ſubi forem.*

Lucanus lib. 2. de bello Pharſal.

*Turritaque premens frontem matrona corona*
*Tranſlata vitat contingere limina planta.*

Plutarch. ἐν Αἰτίοις, hujus moris cauſas perquirens, Διὰ τί, ait, τὴν γαμουμένην οὐκ ἐῶσιν αὐτὴν ὑπερβῆναι τὸ (ſic enim lege, non τὸ) οὐδὸν τῆς οἰκίας, ἀλλ᾽ ὑπεραίρουσιν οἱ προπέμποντες; *Propter quid nuptam non ſinunt tranſire domus limen, ſed eam ſuper illud tollunt?* Cujus rei tres rationes adfert. Unam quod Sabinæ a Romanis raptæ, eodem genere ac modo ſint in ædes introductæ. Hoc enim valent ea verba: πότερον, ὅτι τὰς πρώτας γυναῖκας ἁρπάσαντες οὕτως εἰσήνεγκαν, αὗται δὲ οὐκ (ita enim veteres codices recte habent) εἰσῆλθον; *Utrum, quod primas fœminas rapientes ſic eas importarunt in domos, ipſæ vero non ingreſſæ ſunt?* Quam rationem idem auctor probat *in Romulo*, his verbis: Διαμένει δὲ μέχρι ... τὴν νύμφην αὐτὴν ἀφ᾽ ἑαυτῆς μὴ ὑπερβαίνειν τὸν ... εἰς τὸ δωμάτιον, ἀλλ᾽ αἰρομένην εἰσφέρεσθαι, ὅτι ... καὶ τότε κομισθῆναι βιασθείσας μὴ εἰσελθεῖν. *Durat autem adhuc ſponſam ipſam per ſe non per limen ire ... mum, ſed ſublatam inferri & propterea tum vi ... rtari, non vero per ſe illam intrare.* Secundam ... obſervationis rationem idem auctor reddit,

A quod in eum locum, in quo pudicitiam eſſent amiſſuræ, quodammodo invitas & nolentes ingredi, virginali pudori conſentaneum eſſet. Addit & tertiam, ut, quas coacta ingreſſa eſſet ædes, eas non niſi invitam eam egreſſuram ominarentur. Cujus rei demonſtrandæ cauſa, in Bœotia currus axem pro foribus comburi ſolitum narrat. ἐμφαίνοντας, ait, δεῖν τὴν νύμφην ἐμμένειν. (nam ita legendum, non ut vulgo perperam ἐμβαίνειν, non modo ſcripti codices, ſed & Latina verſio docent) ὡς ἀνῃρημένου τοῦ ἀπάξοντος. *oſtendentes ſponſæ manendum*
B *in illa eſſe curru ſublato.* Varroni autem placuiſſe, Servius *in* 8. *Virgilii Eclog.* auctor eſt, ideo ſponſas limen non tetigiſſe, ut ne a ſacrilegio inchoarent, ſi depoſituræ virginitatem calcarent rem Veſtæ, id eſt, numini caſtiſſimo conſecratam. At Iſidorus *lib.* 9. *Etymolog. cap. ult.* novas nuptas limen calcare vetitas tradit, quod illic januæ & coeant & ſeparentur. Secundum quæ apud Plautum Caſina ſuſpenſo greſſu limen tranſgredi admonetur.

*Senſim*, ait, *ſuper attolle limen pedes, nova nupta:*
*Soſpes iter incipe hoc, ut viro tuo ſemper ſis ſuperſtes.*

C Jam, ingredienti nuptæ claves dabantur, ad ſignificandum, quemadmodum Sex. Pomp. explicat, partus facilitatem: vel, quod magis eſt, ut ſignificaretur, ei rerum omnium domeſticarum, quæ clavibus concludi ſolent, cura ac cuſtodia, tota denique domus ac rei familiaris adminiſtratio diſpenſatioque permitti. Nam & ex diverſo cum illi nuncius remittebatur, claves adimebantur, ut Cicero, 3. *in Anton. Orat.* indicat. *Mimam*, inquiens, *exegit, claves ademit, res ſuas ſibi habere juſſit ex* 12. *Tab.* Quem locum belle ac feliciter Petr. Victor. reſtituit. Atque adeo ἐκ τῆς κλειδῶν ὑποβολῆς, *ex cla-*
D *vium ablatione*, viro uxorem repudiare Romulus conceſſit, ut Plutarch. in ejus vita auctor eſt.

Hoc amplius, ut reliqua perſequamur, in pelle lanata, quemadmodum a Sex. Pomp. traditur, nova nupta ſtatuebatur; vel propter morem vetuſtum, quo antiquitus homines pellibus erant induti; vel quo teſtaretur ſe lanificii officium viro præſtaturam. Et hoc eſt, quod Plutarch. ἐν Αἰτίοις ait, τὴν νύμφην εἰσάγοντες, νάκος ὑποστρωννύουσιν. *ſponſam introducentes vellus ſubſternunt.* Siquidem νάκος, interprete Suida, ἔντριχον δέρμα ſignificat, ἤτοι δορὰ προβάτου. *vellus, pellis eſt lanata aut pellis ovis.* & Heſychius vocem νάκεσι. δέρμασι προβάτων. να-
E κεσι, id eſt, *pellibus ovium* valere ſcribit.

Sed & aqua & ignis nuptiarum ſolennibus adhiberi conſueverant. Hinc Scævola noſter, *Die*, inquit, *b nuptiarum, priuſquam ad virum tranſiret, & priuſquam aqua & igni acciperetur.* Sic enim rectius in Florentino Codice, quam, ut in aliis, *aqua & ignis acciperetur*, ſcriptum eſſe, Servius hunc quoque morem referens, comprobat, ad illum *ex* 4. *Æneid.* verſum:

*Dant ſignum: fulſere ignes, & conſcius æther*
*Conjugii.*

F Ubi hæc Varronis verba ab eo recitantur: *Aqua & igni mariti uxores accipiebant. Unde & hodie faces prælucent, & aqua petita de puro fonte per puerum feliciſſimum, vel puellam quæ intereſt nuptiis, de qua ſolebant nubentibus pedes lavari.* Apud Sex Pomp. aut potius Paulum qui eum in Epitomen infeliciſſime contraxit, *lib.* 1. verba hæc leguntur: *Aqua & igni interdici ſolet damnatis, quæ accipiunt novæ nuptiæ: videlicet quia hæ duæ res maxime vitam continent.* Et iterum: *Aqua aſpergebatur nova nupta*,

*a* lib. 9. cap. ult.

*b* l. penult. §. 1. D. de donationib. int. vir.

*sive ut pura castaque ad virum veniret, sive ut ignem & aquam cum viro communicaret.* Varro lib. 4. de lingua Latina, *Igitur*, ait, *causa nascendi duplex, aqua & ignis. Ideo ea in nuptiis in limine adhibebantur, quod conjungit. Hinc & mas ignis, quod ibi semen; aqua femina, quod fœtus ab ejus humore & eorum conjunctione sumit Venus.* Quam Varronis rationem Plutarchus ἐν Αἰτίοις his verbis exposuit: *Διὰ τί τὴν γαμουμένην ἅπτεσθαι πυρὸς καὶ ὕδατος κελεύουσι; πότερον ὡς ἐν στοιχείοις καὶ ἀρχαῖς τὸ μὲν ἄρρεν ἐστὶ· τὸ δὲ θῆλυ, καὶ τὸ μὲν ἀρχῆς κινήσεως ἐνίησι, τὸ δὲ ὑποκειμένου καὶ ὕλης δύναμιν; Cur jubent nubentem tangere ignem & aquam? An quod horum, quatenus in elementis & principiis numerantur, alterum mas est, alterum femina: & ignis principia motus, aqua subjecti & materiæ facultatem suggerit.* Alias tamen ille hujus moris rationes, quas commemorare nihil attinet, adfert. Illam vero quam ex Festo primum reddidimus, Ovidius *lib. 4. Fastor.* amplexus est, cum de aqua & igni agens, ita scribit;

*An quod in his vitæ causa est, hæc perdidit exul:*
*His nova fit conjunx, hæc duo magna putant?*

At Dionysius Halicarnasseus, hujus instituti originem a Romulo arcessit *lib. 2. Antiquit.* Κατέλεξεν, ait, *αὖθις ἐκ τῶν ἀγάμων ἄνδρας ἰσαρίθμους, οἷς αὐτὰς συνήρμοττε κατὰ τοὺς πατρίους ἑκάστης ἐθισμούς, ἐπὶ κοινωνίᾳ πυρὸς καὶ ὕδατος ἐγγυῶν τοὺς γάμους, ὡς καὶ μέχρι τῶν καθ' ὑμᾶς ἐπιτελοῦνται χρόνων. Posthæc comperto puellarum sexcentarum octoginta trium numero delegit totidem viros cælibus, quibus eas elocavit, ritu cujusque patrio, ignis & aquæ communionem inter conjuges pactus.* Accedat & Varronis testimonium *ex lib. 2. de vita pop. Rom.* quod a Nonio Marcello refertur in verbo *Titionem*, & in verbo *Felix*: sed utrobique ita corrupte, ut inde sensus nullus elici posse videatur. Sic autem restituendum censeo: *Contra a novo marito cum ignis e foco in titione ex felici arbore, & in aquali aqua allata esset.* Quæ verba ad hunc solennem nuptiarum ritum perspicuum est pertinere: ut in titione, id est, fuste ardente, ignem; in aquali, quæ vox vas aquarium significat, aquam a novo marito allatam significent. Huc vero respiciens Statius Papin. *in Epithalamio Stellæ & Violantillæ*, Musas, ad eorum nuptias convenientes, ignem & aquam gestantes facit:

—— *Procul*, ait, *ecce canoro*
*Demigrant Helicone Deæ, quatiuntque novena*
*Lampade solennem thalamis coeuntibus ignem,*
*Et de Pieriis vocalem fontibus undam.*

Valerius Flacc. lib. 8. Argonauticor.

*Inde ubi sacrificas cum conjuge venit ad aras*
*Æsonides, unaque adeunt, pariterque precari*
*Incipiunt: ignem Pollux undamque jugalem*
*Prætulit.*

Eodem etiam respexisse videtur Claudianus *lib. 2. de nupt. Proserp.* cum ait:

*Confessus socerum, nimbis Hymenæus hiulcis*
*Intonat, & tristes firmant connubia flammæ.*

Hic commode, Cœnæ nuptialis silentio minime prætermittendam mentionem subjici posse, & vero debere existimo, qua opipare ac laute acceptos convivas fuisse, facile quis vel me tacente intelligeret. Plautus Curculion. Act. 5. Sc. penult.

*Tu ut hodie adveniens cœnam des sororiam,*
*Hic nuptialem cras dabit.*

Rursus Sc. ult.

*Tu, miles, apud me cœnabis: hodie fient nuptiæ.*

Cicero lib. 3. Epist. ad Q. fr. *Pridie idus scripsi ante lucem. Eo die apud Pomponium in ejus nuptiis eram cœnaturus.* Juvenalis, Sat. 6.

—— *Ducendi nulla videtur*
*Causa, nec est quare cœnam & mustacea perdas.*

Sueton. in Calig. cap. 25. *Alii tradunt, adhibitum cœnæ nuptiali, mandasse ad Pisonem, contra accumbentem, Noli uxorem meam premere: statimque e convivio abduxisse eam secum.* Auson. in Epistol. ad Paulin.

*Natalis si forte fuit solennis amico,*
*Conjugioque dapes, aut sacra repotia patrum.*

Has *epulas geniales* Claudianus *lib. 2. de Raptu Proserp.* vocat. Exstat utique in Symposiac. Plutarchi caput, quo tractatur, *Διὰ τί πλείστους ἐν γάμοις ἐπὶ τὸ δεῖπνον καλοῦσιν. quare plurimos in nuptiis ad convivium vocant.* Leges sane sumtuarias, quibus effervescens Romanorum luxuriæ æstus coercebatur, nuptiis aliquid indulsisse, & de præscripta victus ac cœnarum tenuitate remisisse, accepimus. Lex siquidem Licinia, cum in certos quosdam dies centenos æris impendi permisisset, nuptiis ducenos indulsit. Lex vero Julia, quæ ad populum Cæsare Augusto imperante pervenit, profestis diebus ducentos finiit: Calendis, Idibus, Nonis, & aliis quibusdam festivis, trecentos. Nuptiis autem & repotiis H. S. millies esse concessit, quemadmodum Gellius *lib. 2. cap. 24.* refert. Ut autem nuptiis apud virum cœnabatur, ita sponsaliorum nomine convivium præberi sponso a puellę parentibus consuevisse, non male mihi videor ex his Ciceronis verbis conjicere, quæ sunt lib. 2. Epist. ad Q. fratrem: *Ad VIII. Idus April. sponsalia Crassipedi præbui. Huic convivio puer optimus Quintus tuus, meusque, quod perleviter commotus fuerat, defuit.* Satagebant profecto veteres, ut quam maxima populi frequentia, celeberrimoque, prout ipsi loquebantur, officio, nuptæ deducerentur. Suet. in Calig. c. 25. *Liviam Horestillam, C. Pisoni nubentem, cum ad officium & ipse venisset, ad se deduci imperavit.* Idem *in Neron. c. 28.* de Sporo agens, *Cum dote*, ait, *& flammeo per solenne nuptiarum celeberrimo officio deductum ad se, pro uxore habuit.* Quintilianus Declamation. 306. *Aspice illam virginem, quam pater tradidit, euntem die celebri, comitante populo.* Eaque ratione feriis publicis & festis diebus virgines contra atque viduas minime nupsisse Plutarch. ἐν Αἰτίοις scribit, *ὅτι ταῖς μὲν παρθένοις καλὸν μὴ ὀλίγων, ταῖς δὲ χήραις αἰσχρὸν πολλῶν ὄντων γαμεῖσθαι. quod virginibus honestum sit in multorum præsentia, viduis vero turpe multis præsentibus nubere.* Enimvero Carthagini maritis novis multa fuisse convivia obeunda, sed & sportulas civibus erogandas, Apulejus *Apologia pro se ipso secunda* indicat. Quorum sumtuum molestiis ut supersederet, in suburbana se villa potius quam in oppido uxorem duxisse profitetur.

Tibiam utique nuptialibus festivitatibus intervenisse, non pauci auctorum loci declarant. Plaut. Casina:

*Age, tibicen, dum illam educunt huc novam nuptam foras,*
*Suavi cantu concelebra hanc plateolam.*

Terentius Adelph. Act. 5. Sc. 7.

—— *Verum hoc mihi mora est,*
*Tibicina, & hymenæum qui cantent.*

Et mox:

*—— Missa hæc face,*
*Hymenæum, turbam, lampadas, tibicinas.*

Cicero, aut Cornificius, lib.4. Rhetoricor.ad Herenn. *De parte ejus matrimonii commovebant?* (aut, ut alias, *commonebant?*) *Nam hic sanctimonia nuptiarum, uno signo tibiarum intelligitur.* Apulejus lib.4. de Asino aur. *Jam feralium nuptiarum miserrimæ virgini choragium struitur. Jam tædæ lumen atræ fuliginis cinerem arcessunt, & sonus tibiæ Zygiæ* (ea enim recta est, quam & Beroaldus amplectitur, lectio) *mutatur in querulum Lydii modum.* Claudianus in Epithalamio:

*Dicant pervigiles carmina tibiæ.*

Præterea Talassionem in nuptiis Romanos, non secus atque Græcos Hymenæum, inclamare consuevisse, sciendum est. Unde Martial. Epigr. 36.

*Quid si me jubeas Talassionem*
*Verbis dicere non Talassionis.*

Idem lib. Epigrammat.

*Nec tua defuerant verba, Talasse, tibi.*

Quam acclamationem ex eo inolevisse, Livius *lib.* 1. auctor est, quod in Sabinarum raptu, virgo una, longe ante alias specie & pulchritudine insignis, a globo cujusdam Talassii rapta fuerit: multisque sciscitantibus, cuinam eam ferrent deducendam; ne quis violaret, Talassio eam ferri clamitatum. Qua de causa vocem hanc nuptialem factam, & ad posteros inde manasse, Plutarchus quoque *in Romulo & in Αἰτίων libro* censet. Eusebius etiam *in Chronico*, secundum B. Hieronymi versionem, *Sabinæ*, ait, *raptæ anno ab Urbe condita tertio; & una virginum pulcherrima, cunctorum acclamatione rapientium, Talassio, duci Romuli, decernitur. Unde in nuptiarum solemnitatibus, Talassio vulgo acclamitant, quo scilicet talis nupta sit, quæ Talassium habere mereatur.* Hanc eandem acclamationis hujus nuptialis rationem Servio quoque placuisse video, qui superioribus consentit ad eum versum lib. 1. Æneid.

*Pergama cum peteret, inconcessosque hymenæos.*

Nonnullis tamen, ad lanificium vocis hujus originem causamque referendam esse, videbatur. Qua in sententia Varronem fuisse Sex. Pomp. testatur, *Talassionem*, inquiens, *Varro ait signum esse lanificii. Talassionem enim vocabant quasillum, qui alio modo appellatur calathus: vas utique lanificiis aptum.* Itaque Plutarch. ἐν Αἰτίοις, inter ceteras decantati in nuptiis Talassionis rationes, hanc primo loco ponit: Πότερον ἀπὸ τῆς ταλασίας; καὶ γὰρ τὸν τάλαρον τάλαντον ὀνομάζουσι. Quæ verba, concisius quam par esset, interpres ita convertit: *An propter lanificium quod quasillum vocatur?* Plenius quippe ita verti debuit: *An propter lanificium? Etenim calathum talantum nominant.* Sed quid, quæso, sonat dictio τάλαντον? Equidem Romanam eam fuisse, vel Latio donatam, nusquam reperi. Interpres ejus loco κυάσυλλον legisse videtur. Quæ quidem vox pura puta Latina est, vel ipso Servio teste, qui *in 2. Eclog. Virgilii*, quem Græci κάλαθον vocant, Latine *quasillum* dici admonet: citatque illud Cicer. Philippic. *At vero inter quasilla pendatur aurum.* Sed ad Talassionis originem nequaquam vox ea accedit, ac ne alludit quidem. Sunt quibus pro τάλαντον, legendum videatur κάλαθον. Quod probare non possum, tum quia calathus vox Græca est, &, ut Eustath. *in 5. Iliad. 9. ac 10. Odyss.* scribit, ἀπὸ τῶν κάλων ἤτοι ξύλων κυκλοειδῶς θεόντων ἢ γυρουμένων, *a lignis in orbem euntibus ac flexis*, nomen invenit: tum quia Talassionis origini non magis quam quasillum respondet. Ego unius ad hujus vulneris medelam Sex. Pompeii opera uti nos posse censeo, qui in eo, quem supra produxi, loco, priscos Romanos quasillum *talassionem* vocasse scribit: quod tamen vocabulum vetustatis situ obrutum est. Ac proinde apud Plutarchum, inepto ταλάντου nomine expuncto, ταλασσιόνα vel ταλάσιον reponendum opinor. Necesse est enim, si auctoris mentem sartam tectamque servare volumus, ταλάρου vocem Græcam Romana aliqua, ex qua talassionis vox fluxisse ac manasse sono ipso judicetur, pensare. Τάλαρος porro, & ταλασία, & ταλάσιος, vocabula Græca sunt. Quorum posteriora duo valde corrupte apud Suidam, non quidem auctoris, sed librarii vitio, exposita lector offendet. Illic enim ταλάσιον, ἔργον ἢ ἱερουργία. ταλασία, ἱερουργία. ταλάσιος, ἱερουργός, vitiosissime definiuntur, quandoquidem ad lanificium, non ad sacrificium, hæ voces pertinent. Ideoque, ἐριουργία & ἐριουργός, pro recta interpretatione reponi debent. Quod Hesychius consultus satis comprobabit. Quamquam hic error manifestior est, quam ut cujusquam auctoritate convincendus sit. Plane inter τῆς γυναικωνίτιδος σκευῶν, ταλάρους καὶ καλάθους, *Gynæcei instrumentum quasillos & calathos*, Pollux *lib. 5. Onomast.* numerat. Notat & Hesychius, κάλαθον, γυναικεῖον σκεῦος εἰς ἐρίων παράθεσιν, *calathum esse instrumentum muliebre ad deponendam lanam* significare. Sic apud Virgil. lib. 7. Æneid.

*—— Non illa colo, calathisve Minervæ.*
*Femineas assueta manus. ——*

Ovid. lib. 2. Fastor.

*Ante torum calathi lanaque mollis erat.*

Alias, tam τάλαρος, quam κάλαθος, τυροκομεῖον, *quod τάλαρος & κάλαθος sit in quo casei reponuntur*, significant, ut ex Polluce *lib. 1. cap. 11. & lib. 7. c.* 10. & Eustathio *in 4. Iliad.* liquet, qui ταλάρου vocem inde deducit, quod τάλας, ἤτοι τλήμων, εἴη πρὸς αἴρειν τὰ ἐντιθέμενα. *quod τάλας*, hoc est, *miser sit ad imposita tollenda*, quod difficulter ei possint auferri. Inde apud Virgil. *lib. 3. Georgic.* Servius calathos vasa ænea exponit, quibus lac vel recens caseus in urbem distrahitur. Ceterum, ut hunc locum concludam, lanificiis priscas matronas valde deditas fuisse, præcipuamque his curam & operam impendisse constat. In fœdere certe inter Romanos & Sabinos percusso, lex hæc atque conditio dicta est, ut volentes nuptæ apud viros, quibus conjunctæ erant, manerent, omnium operum ac munerum vacationem, præterquam lanificii, habituræ, ut est a Plutar. *in Romulo* memoriæ proditum. Inde Juvenalis, *Sat.6.* veterum mulierum continentiam ac temperantiam prædicans,

*—— Et vellere*, ait, *Tusco*
*Vexatæ, duræque manus. ——*

Cujus moris tot sunt a D. Tiraquello, altero nostri seculi Varrone, *in lib. de Legib. connubialib.* congesta testimonia, ut multitudine sua lectorem pæne obruant.

Enimvero nuces a novis maritis jaci & pueris spargi consuevisse, indicant Catullus & Virgilius. Ille siquidem in carmine de nupt. Jul. & Manl.

*Ne nuces*, inquit, *pueris neget,*
*Desertum domini audiens*
*Concubinus amorem.*
*Da nuces pueris, iners*

*Concubine:*

*Concubine, satis diu*
*Lusisti nucibus.*

Virgilius vero Ecloga. 8.

*Sparge, marite, nuces: jam deserit Hesperus Oetam.*

De cujus moris causa parum video inter veteres convenisse. Varro quidem, teste Servio ad eum Virgilii, quem modo protuli, versum, spargendarum nucum hanc esse rationem putabat, *ut Jovis omine* (ita quippe legi rectius credo, quam *omne*) *matrimonium celebraretur: ut nova nupta matrona esset, sicut Juno. Nam nuces in tutela erant Jovis: unde & juglandes vocatæ, quasi Jovis glandes.* Quod ab Isidoro quoque *lib. 17. cap. 7.* notatum est. Illud vulgare fuisse, idem Varro tradiderat, idcirco sparsas nuces, ut a rapientibus pueris fieret strepitus, ne puellæ vox virginitatem deponentis posset audiri. Aliis placuit, ea id gratia factum, ut se puerilibus omnibus ludis renunciare, & juvenilia cuncta ludicra relinquere, maritus eo indicio testaretur. Quo sensu Persius dixit,

*Et nucibus facimus quæcumque relictis,*
*Cum sapimus patruos.* ——

At Plinius diversam reddit, quintamque insuper perstringit hujus moris rationem, lib. 15. Natur. histor. cap. 22. *Nuces*, ait, *juglandes quamquam & ipsæ nuptialium Fescenninorum comites, multum pineis minores universitate, eadem portione, ampliores nucleo. Necnon & honor his naturæ peculiaris, gemino protectis operimento, pulvinati primum calicis, mox lignei putaminis. Quæ causa eas nuptiis fecit religiosas, tot modis fœtu munito. Quod est verisimilius, quam quia cadendo tripudium sonumve faciant.*

Nubentibus utique, prætextis dispositis, a multitudine puerorum, quos ad eam celebritatem frequentes convenisse nemini dubium est, obscœna clamabantur; versusque mollicie ac lascivia diffluentes, maxima, nec ulli reprehensioni obnoxia licentia occinebantur. Quos versus Fescenninos vocabant, sive quod ex urbe Fescennina allati essent, sive quod *fascinum* arcere putabantur. Servius *in 7. Æneid.* ad ea verba,

*Hi Fescenninas acies,*

Fescenninum scribit oppidum esse Campaniæ, ubi nuptialia carmina sunt inventa. Seneca *lib. 4. Declamation.* de servo loquens qui dominæ nupserat, *Inter nuptias*, inquit, *& Fescenninis in crucem generi nostri jocabantur.* His enim versibus libere & localariter multa in sponsos sponsasque jaciebantur. Catullus in Epithal. Jul. & Manl.

*Ne diu taceat procax*
*Fescennina locutio.*

Varro *Agathone*, ut est apud Non. Marcellum: *Pueri obscœnis verbis novæ nuptulæ aures restaurant.* Quæ verba, quantum conjectura adsequi possum, ad argumentum quo de agimus, pertinebant. Martian. Capella lib. 9. de nupt. Philolog. *His Hymenæo diutius velut Fescennina quadam licentia personante, geminanteque crebrius.* Seneca in Medea, Choro primo.

*Hinc illinc, juvenes, mittite carmina:*
*Festa dicax fundat convitia Fescenninus.*

Claudianus in Epithalamio:

*Dicant pervigiles carmina tibiæ:*
*Permissisque jocis turba licentior*
*Exultet tetricis libera legibus.*

A Ausonius in Parecbasi Centonis nuptialis: *Hactenus castis auribus audiendum mysterium nuptiale ambitu loquendi, & circuitione velavi. Verum quoniam Fescenninos amat celebritas nuptialis, verborumque petulantiam notus vetere instituto ludus admittit, cetera quoque cubiculi & lectuli opera prodentur.* B. Hieronym. in Epist. ad Demetr. de Virginit. servand. *Quam habitura pronubam? Quo deducenda comitatu? Stridor Punicæ linguæ procaci tibi Fescennina cantabit?* Idem in Epist. ad Gerontiam: *Responde mihi, carissima in Christo filia. Inter ista nuptura es? Quem acceptura virum? Cedo, fugitivum, an pugnaturum? Quid utrumque sequatur,* B *intelligis: & Fescennino carmine terribilis tibi rauco sonitu buccina concrepabit, ut quas habeas pronubas, habeas forte lugentes.* Erant autem Fescennini versus joculares, incompositi, rudes, qui temere alternis jaciebantur.

Horatius lib. 2. Epistol.

*Fescennina per hunc inventa licentia morem*
*Versibus alternis opprobria rustica fudit.*

C Livius lib. 7. *Non sicut ante Fescennino versui similem, incompositum, temere ac rudem alternis jaciebant.* Atque hujus nominis versus in Pollionem scripsisse Augustum, Macrobius *lib. 2. Saturn. c. 4.* auctor est.

Interea vero lectus nuptialis componebatur. Eum autem proprio nomine *genialem* quasi *generalem* appellatum, Servius *in 6. Æneid.* ostendit: Geniales scribens eos proprie esse lectos, qui puellis nubentibus sternuntur, dictosque ita a *generandis* liberis. Cicero pro Cluentio: *Lectum illum genialem, quem biennio ante filiæ suæ nubenti straverat, in eadem domo sibi ornari & sterni, expulsa atque exturbata filia, jubet.* Apulejus lib. 10. de Asino aur. *Et mulierem,* D *quam dixit propter multi formæ scelus bestiis esse damnatam, meisque præclaris nuptiis destinatam. & torus nuptialis noster futurus accuratissime desternebatur. Lectus Indica testudine perlucidus, plumea congerie tumidus, veste serica floridus.* Idem lib. 9. *Quæ, suo pudore postposito, tori genialis calcato fœdere, larem mariti lupanari maculasset infamia.* Toga vero sterni lectos, & maritorum genios advocari consuevisse, Arnobius *lib. 3. adversus Gentes*, mores vetustate obliteratos recensens, testis est. Et hinc forasse *sacri genium lecti* Juvenalis *Sat.* 6. dixit.

Etiam hoc addam, quod nisi a B. Augustino non semel detectum esset, libens suppressissem, super E Priapi fascinum novam nuptam considere jussam. Quemadmodum ille *lib. 7. de Civitat. Dei cap. 24. ad fin.* & apertius *lib. 6. cap. 9.* scribit his verbis: *Sed quid hic dicam, cum ibi sit & Priapus nimis masculus: super cujus immanissimum fascinum sedere nova nupta jubebatur, more honestissimo ac religiosissimo matronarum.* Quam obscœnitatem perstringere credo Lactantium *lib. 1. de falsa Religion cap. 20.* cum ait: *Et Mutinus* (vel, ut quidam codices habent, *Tutinus*) *in cujus sinu pudendo nubentes resident, ut illarum pudicitiam prior deus delibasse videatur.* Ita quippe lego, non sicuti vulgo scriptum est, *deliberasse*. Priapo vero, ut ne fœda hæc veterum impietas intacta relinquatur, genitale membrum cum falce affingebant, quo & pueros & aves in hortis, quibus præesse credebatur, terreret. Virgilius in Copa:

*Est tugur I custos armatus falce saligna,*
*Sed non & vasto est inguine terribilis.*

Tibullus Eleg. 1.

*Pomosusque ruber custos ponatur in hortis,*
*Terreat ut sæva falce Priapus aves.*

Columella lib. 10.

——*Sed truncum forte dolatum*
*Terribilis membri, medio qui ſemper in horto*
*Inguinibus puero, prædoni falce minetur.*

Auctor Priapejor.

*Priape, quod ſis faſcino tentus gravi.*

Et alias.

*Soles ſacrum revinctus pampino*
*Ruber ſedere cum rubente faſcino.*

Pleni ſunt teſtimoniorum, poetarum libri: quibus omiſſis, ad exitum feſtinans, quod ſupereſt expediam.

Nuptam deinde in lecto pronubas collocaſſe ſciendum eſt. Donatus *in Terentii Eunuch.* ad B ea verba,

*Deinde eam in lecto collocarunt,*

*Verbum hoc*, ait, *proprium eſt, & adſcribitur pronubis*. Quo in ſignificato verbum hoc in Catulli verſibus, quos ſtatim proferam, obſervandum eſt. Idem Donatus *in* 1. *Æneid.* pronubas in obſequio nubentium fuiſſe tradit. Lampridius de Heliogabalo: *Nupſit & coiit, ut & pronubam haberet.* Claudianus lib. 2. de Raptu Proſerp.

*Ducitur in thalamum virgo; ſtat pronuba juxta*
*Stellantes nox picta ſinus; tangenſque cubile,*
*Omnia* (ſic enim lego) *perpetuo genitalia fœdere*
*ſanxit.*

Ad hujuſmodi autem officium, ſpectatæ pudicitiæ mulieres, & quæ uni duntaxat viro nupſiſſent, adhibebantur: quo matrimonii perpetuitatem, quemadmodum Sex. Pomp. auctor eſt, auſpicarentur. Unde Catullus in carm. de nupt. Jul. & Manl.

*Vos unis ſenibus bonæ*
*Cognitæ bene feminæ*
*Collocate puellulam.*

Tertul. *in lib.* qui *Exhortatio ad caſtitatem* inſcribitur: *Monogamia apud Ethnicos in ſummo honore eſt, ut & virginibus legitime nubentibus univira pronuba adhibeatur, & ſic auſpicii initium ſit.* Sed & B. Hieronym. *in calce libri primi adverſus Jovinian.* Unicubas ſemper habuiſſe inter gentiles matronas decus merito dicit: per illaſque ſolas Fortunæ muliebri ſacra fieri conſueviſſe. Eodemque libro, quæ fuerit alienarum a religione noſtra mulierum de fe-

A cundis nuptiis opinio, multis exemplis, accurate conquiſitis, docet.

Atque hæc ſunt Nuptiarum omnia, quæ quidem non incurioſe legendo veterum ſcripta obſervare potui, ſolennia. De quibus in genere apud Tacit. *lib.* 11. fit mentio, cum inquit: *Cuncta nuptiarum ſolennia celebrat.* Et lib. 12. *Necdum celebrare nuptiarum ſolennia audebant.* Sic etiam pompam & nuptiarum celebritatem accipe in Theodoſ. & Valentinian. conſtitutione *a*. Ob eamque ſolennium multitudinem credo a Ciceron. *lib.* 6. *de Repub.* dictum fuiſſe, *firmiter majores matrimonia ſtabilita eſſe voluiſſe.* Quæ verba a Priſciano *lib.* 15. referuntur.

Poſtridie vero nuptiarum apud novum maritum cœnabatur: &, quia quaſi inſtauraretur redintegrareturque potatio, eum diem *Repotia*, Sex. Pomp. teſte, appellabant. Horat. lib. 2. Serm. Sat. 2.

*Ille repotia, natales, alioſve dierum*
*Feſtos albatus celebret.* ——

Sumtibus certe, qui in eos dies ferent, modum legibus ſumtuariis ſtatutum, Gellius *lib.* 2. *cap.* 34. memorat. Meminit & *Repotiorum* Auſon. in eo C *Epiſtolæ ad Paulinum*, quem paulo ante retuli, loco. Hinc hodieque (etſi hoc erit fortaſſe durius: ſed tentemus, & luſiſſe putemur, ſi nil ſit) in quibuſdam Aquitaniæ regionibus, eum diem qui nuptias conſequitur, *Repentalia* nominant, non tam a pœnitentia, quam corrupta voce a repetita potatione, quaſi *Repotalia*. A Græcis eum diem ἐπαύλια vocari, Pollux *lib.* 3. *Onomaſt.* teſtis eſt. *Repotiorum* certe vocabulo, pro repetita & iterata crapula Apulejus *Apolog.* 1. uſus eſt. Novæ autem nuptæ munera a cognatis & propinquis mittebantur. Eaque ſunt *Nuptialia munera* apud Juriconſultos *b*. At apud Cicer. *pro Cluentio Avito*, & A- D pulejum *lib.* 6. *de Aſino aur. Nuptialia dona* ea accipienda ſunt, quæ ante contractas nuptias, mulieri a viro offerebantur. Poſtridie vero nuptiarum, nova nupta libertatem auſpicans uxoriam, in domo viri rem divinam faciebat, ut eſt a Macrob. *lib. Saturn. cap.* 15. proditum. Atque hic hujus libri finis eſto.

*a* in l. ſi donationem. C. de nupt.
*b* in l. 1. §. ſed ſi. D. de tutel. & rat. diſt. l. tutor ſecundum. 13. §. 2. D. de adminiſt. tut.

# BARN. BRISSONII, J.C.

## Et in ſuprema Pariſienſi Curia Præſidis,

## DE

# JURE CONNUBIORUM.

## LIBER SINGULARIS.



Olennes nuptiarum ritus ita E ſunt a me proprio libro expoſiti, ut vix quicquam ad plenam & perfectam ejus argumenti cognitionem jure ac merito deſiderari poſſe videatur. Huic conſequens duxi, alterum de juſtis injuſtiſque Quiritium nuptiis librum adjungere. Superiori enim tractatui hoc veluti cumulo addito, juris civilis & antiquitatis Romanæ ſtudioſis hac in parte ſatisfactum iri arbitror: quibus non modo, quo ritu, ſed & inter quas perſonas olim juſtæ ac legitimæ nuptiæ contraherentur, utriuſque libri conjunctione planum fiet. Atque ut via & arte procedat oratio, a qua ætate juſtæ nuptiæ contraherentur, primum diſpiciendum eſſe cenſeo. Nam, cum nuptiis habilem ætatem conſtituerimus, ad alias inſpectiones veniemus:

&, ad certa veluti capita omnia nuptiarum impedimenta revocantes, facilem, ni fallor, lectoribus ejus quæstionis, quam tractandam suscepimus, cognitionem relinquemus.

Igitur, ut ab ætate ordiamur, in matrimoniis contrahendis ætatem contrahentium definitam esse, Modestinus *lib.4. differentiarum* scribit *c*. Ea vero definita ætas pubertas est, vel ipso Justiniano teste, qui justas nuptias inter se cives Romanos contraxisse tradit *d*, qui secundum præcepta legum coibant; masculos quidem puberes, feminas autem viri potentes. Cui accedere Dionis testimonium velim, qui *lib.* 54. ita scribit: *Δώδεκα γὰρ ταῖς κόραις ἐς τὴν γάμου ὥραν ἔτη πλήρη νομίζεται. Duodecimum annum puellis justum nuptiarum tempus esse statuit.* A duodecimo siquidem anno pubertatem feminas auspicari, prudentibus placuit: ex eoque tempore Romæ puellæ nuptum dabantur. Id quod ea ratione factum Plutarchus interpretatur *e*, ut celerius conjugum mores tenella adhuc ætate imbiberent, & ab obsequium virorum facilius flecti fingique possent. Aliter atque Spartæ servabatur, in qua adultiores demum virgines, & plenis nubiles annis, viris in matrimonium collocabantur. Verba Plutarchi, quæ hanc institutorum utriusque gentis diversitatem declarant, hæc sunt: Τοῦ *μὲν Λυκούργου πεπείρους καὶ ὀργώσας νυμφεύοντος, ὅπως ἥτε ὁμιλία, δεομένης ἤδη τῆς φύσεως, χάριτος ᾖ καὶ φιλίας ἀρχὴ μᾶλλον, ἢ μίσους καὶ φόβου παρὰ φύσιν βιαζομένων, καὶ τὰ σώματα ῥώμην ἔχῃ πρὸς τὸ τὰς κυήσεις ἐπιφέρειν, καὶ τὰς ὠδῖνας, ὡς ἐπ' οὐδὲν ἄλλον γαμουμένων ἢ τὸ τῆς τεκνώσεως ἔργον, τῶν δὲ Ρωμαίων δωδεκαέτεις καὶ νεωτέρας ἐκδιδόντων. οὕτω γὰρ ἂν μάλιστα καὶ τὸ σῶμα καὶ τὸ ἦθος καθαρὸν καὶ ἄθικτον ἐπὶ τῷ γαμοῦντι γενέσθαι. δῆλον οὖν ὅτι τὸ μὲν φυσικώτερον πρὸς τέκνωσιν. τὸ δὲ ἠθικώτερον πρὸς συμβίωσιν. Lycurgus maturas & viri appetentes elocat, quo ea consociatio, impellente jam natura, benevolentiæ & amoris potius, quam odii & timoris contra naturam coactarum esset initium, corporaque firmiora essent ad ferendum uterum, atque enitendum, tanquam ad nihil aliud nuberent, quam ad pariendum. Romani natas duodecim annos & minores jungunt matrimonio. ita potissimum corpus & mores puros illibatosque in manum viri censentes perventuros.* Ex eo vero tempore pubertatem in feminis legibus definitam, quod generationi essent ab eo anno aptæ, Macrobius *lib.* 7. *Saturnalium* ita scribit: *Nec hoc tacebo*, ait, *quod, cum calor semper generationis causa sit, feminæ ideo celerius, quam pueri, fiunt idoneæ ad generandum, quia calent amplius. Nam & secundum jura publica duodecimus annus in feminis, quartus decimus in puero definiunt pubertatis ætatem*. Idemque auctor *lib.* 1. *Commentarior. in Somn. Scipionis*, post annos bis septem generationis vim in masculis moveri scribit. ideoque & tutelam pueris, quasi virile jam robur adsit, absolvi: ab ea tamen feminas, propter votorum festinationem, maturius biennio, legibus liberari. Aristoteles quoque, his consentiens, *lib.7. περὶ ζώων ἱστορίας, τὰ θήλεα θᾶττον τῶν ἀῤῥένων καὶ νεότητα καὶ ἀκμὴν λαμβάνειν, historię animalium, feminas celerius masculis adolescentiari & florem ætatis pervenire* tradit. Indeque testamenta feminis citius quam masculis facere licet *f*. Ceterum si minor 12 annis domum pro uxore deducta esset, non ante justa & legitima uxor fiebat, quam apud virum duodecimum annum implesset *g*. Sed nec prius a viro dos, ejus nomine promissa, peti poterat. Nam cum omnis dotis promissio tacita futuri matrimonii conditione suspendatur *b*, ante duodecim annorum ætatem, nondum utiliter secuto matrimonio, dotis petitio viro non competebat. Quapropter si ante impletum duodecimum annum repudiata conditione discessisset, pecuniæ in causam dotis numeratæ, quæ dos fieri nuptiis minime secutis non potuerat, exemplo dotis, condictio ei dabatur, cum iisdem tamen privilegiis quæ actioni de dote concedebantur. At, cum apud virum major 12. annis esse cœperat, tum matrimonio subsistente in dotem pecunia numerata vertebatur. Interim vero dum pubertas conjugis exspectabatur, siquidem sponsalia intercessissent, quamvis uxorem putaret esse qui duxerat, sponsæ tamen vice ea habebatur *i*, eique vitium oblatum maritus sponsi loco persequi ex Severi rescripto poterat *k*. Quod si sponsalia non antecessissent, nec pro sponsa nec pro uxore haberi poterat. Nec eo magis donationes ei factæ valebant, utpote quæ quasi ad uxorem, non quasi ad extraneam, factæ essent. Quamquam autem nuptiæ cum minore 12. annis non consisterent; in patrem tamen, qui filiam minorem duodecim annis nuptum collocasset, auctorque ei factus esset ad contrahendum, actio in factum, ex edicto *Quod falso tutore auctore gestum est*, non dabatur *l*. Ignoscendum enim patri prudentes censuere, si filiam suam maturius in viri familiam perducere voluerit. Præsumtum est quippe, propensiori potius in filiam affectu, quam viri in fraudem illiciendi causa, hujusmodi nuptias eum conciliasse. Quam conjecturam capi, paterna pietas & naturalis erga liberos caritas suadet. Non modo autem in matrimonio, sed ne in concubinatu quidem, minor annis duodecim puella haberi jure licito poterat *m*.

Post ætatis vero inspectionem, ad justam matrimoniorum conjunctionem, status ac conditionis eorum, qui matrimonio jungerentur, ratio habenda erat. Ac primum inter liberas ac serviles personas nuptias olim non constitisse, certo certius *n* est. Quinimo libera mulier, quæ cum alieno servo post trinam domini denunciationem in consuetudine perseverasset, Senatusconsulto Claudiano, quod a Justiniano sublatum *o* est, libertatem amittebat, servitutique vindicabatur, quemadmodum Ulpianus *in fragmentis Titulorum p*, & Tertullianus *q* significant. Quamobrem, si ancilla libero nupsisset, dotisque nomine pecuniam numerasset, sive scisset ancillam se esse, sive ignorasset, nec matrimonium erat, nec viri ea pecunia prius fiebat, quam tempore legibus statuto penes se pro suo habitam ac possessam eam usu cepisset. Plane, si apud virum ad libertatem pervenisset, conciliabatur convalescebatque matrimonium: exindeque dotis nomen, si necdum usucapio impleta esset, sortiebatur: matrimonioque soluto ejus, ut dotalis, repetitio competebat *r*.

Justa vero matrimonia non inter liberas quascunque passim personas, sed inter solos cives Romanos contrahebantur *ſ*. Nam cum Latinis peregrinisque connubium, nisi id eis concessum esset, non erat. Testes sunt Ulpianus *in Titulorum fragmentis t*, & Boethius *in commentar. ad Topica Ciceronis*. Ex quo Seneca lib. 4. de benefic. *Promisi tibi*, ait, *filiam in matrimonium: postea peregrinus apparuisti. Non est mibi cum extraneo connubium.*

*c* l. in sponsalibus 14. D. de sponsal.
*d* Institut. de nupt. in princ. *e* in Numa.
*f* l. a qua ætate. 5. D. de testament.
*g* l. minorem. 4 D. de ritu nuptiarum.
*b* l. dotis promissio. 68. D. de jure dotium.
*i* l. cum hic status. 32. §. si quis sponsam. 27. D. de donat. int. vir.

*k* l. si uxor. 13. §. divus. 3. & §. si min. 8. D. ad l. Jul. de adult.
*l* l. penult. §. 3. D. quod falso tut. *m* l. 1. in fin. D. de conc.
*n* l. si neget. D. de liber. l. Proculus. 67. D. de jure dol. l. 3. C. de incest. nupt.
*o* Rubr. de Senat. Claudian. tol. *p* Tit. 11. §. 1.
*q* in lib. 2. ad uxor. *r* l. Proculus. 67. Di. de jure dotium.
*ſ* Institut. de nupt. in princ. *t* Tit. 5. §. 3.

A Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 6. *Libertinis vero nullo jure uti prætextis licebat, ac multo minus peregrinis, quibus nulla esset cum Romanis necessitudo.* Itaque maximam apud populum invidiam Antonio conflavit, ab eo contra leges ac patriæ instituta contractum cum Cleopatra conjugium. Cujus facti indignitatem Plutarchus absque nota prætereundam non censuit. Sic enim *in ejus cum Demetrio collatione* scribit: Ἔπειτα τὴν ἀςὴν καὶ δικαίως γαμηθεῖσαν ἐξήλασε, τῇ ξένῃ δὲ μὴ κατὰ νόμους συνόντι χαριζόμενος. *Postquam civem & legitime nuptam exegit, cum peregrina autem & non secundum leges nupta consuevit.* Ægre etiam tulisse populum Ro- B manum Xiphilinus narrat, quod Titus Berenicen Ægyptiacam in Palatio uxoris loco habebat, ut proinde repudiare eam sit coactus. Itaque, qui cives Romani non erant, connubii jus, nisi civitate impetrata, non habebant. Memoriæque adeo proditum est, Campanos, civitate Romana donatos, & a Censoribus Romæ censeri coactos, ut sibi cives Romanas uxores ducere liceret, petiisse; &, si qui prius duxissent, ut habere eas sibi liceret; utque ante eam diem nati, justi sibi liberi heredesque essent. Quorum utrumque eis indultum esse, Livius refert *lib.* 37. Ex peregrino autem C & cive Romana qui nascebantur, peregrini nascebantur: quoniam lex Mensia, quæ in hac parte legi naturæ derogabat [u], ex alterutro peregrino natum, deterioris parentis conditionem sequi jubebat [x]. At ejusmodi peregrinitatis observationem tandem exolevisse, significare videtur Prudentius *lib.* 2. *contra Symmachum*, his versibus:

*Distantes*, ait, *regione plagæ, divisaque ponto*
*Litora, conveniunt nunc per vadimonia ad unum*
*Et commune forum, nunc per commercia & artes*
*Ad cœtum celebrem, nunc per genialia fulcra*
*Externi ad jus connubii: nam sanguine misto*
D *Texitur alternis ex gentibus una propago.*

At a provincialibus, cujuscunque ordinis aut loci essent, cum Barbaris conjugia contrahi, Valentinianus & Valens prohibuere. quorum de ea re extat in Cod. Theod. constitutio [y].

Enimvero patribus cum plebe connubium ne esset, XII. tabulis sancitum erat: quemadmodum Dionysius Halicarn. *lib.* 11. *Antiquit.* cum Livio *lib.* 4. *ab V. C.* narrat. Nam, cum auspicia plebeii non haberent, eaque apud solos patricios subbderent; idcirco ne incerta prole auspiciorum jura turbarentur, inter eos connubium decemviri diremerunt. E Quod tamen eorum legis caput non multum post temporis, tribunorum plebis contentione ac convitio, abrogatum esse, iidem docent.

Senatores etiam, senatorumve filii, libertinas uxores ducere prohibebantur. Quæ prohibitio quoniam *ex lege Julia de maritandis ordinibus* descendit, necessario nobis ejus legis sententia, breviter tamen, quoad ejus fieri poterit, explicanda est. Nam ab aliis dicta nec repetere, nec interpolare libet. Primum autem admonebo, Julium Octavium Cæsarem Augustum, compositis intestinis externisque bellis, cum & orbi pacem, & sibi, bona populi gratia, imperium conciliasset, ingravescente F jam ætate, civitati reformandæ legibusque scribendis animum adjecisse. Quam rem, jam factam, ut futuram, Ovidius *lib. ultimo Metamorph.* assentatorie ita canit:

*Pace data terris, animum ad civilia vertet*
*Jura suum, legesque feret justissimus auctor,*
*Exemploque suo mores reget.*

[u] l. lex naturæ. 24. D. de stat. homin.
[x] *Ulpian.* in fragment. Tit. 5. 6. §. 7.

Legum autem earum quasdam ipsemet consulatum gerens tulit, quasdam per Coss. ordinarios, suffectosve, rogari & ad populum ferri curavit. Etenim, ne antiquum reipublicæ statum pessumdare subvertereque videretur, legem inconsulto senatu, & cujus patres auctores prius facti non essent, protinus ferendam sibi esse non censuit. Quemadmodum Zonaras ita scribit: Οὐ μέντοι πάντα ἐθελογνωμονῶν ἐνομοθέτει, ἀλλ' ἔςιν, ἃ καὶ εἰς τὸ δημόσιον προετίθει, ὅπως ἄν τι μὴ ἀρέσῃ, ἐπανορθώσῃ. *Non omnia suo arbitrio constituit, sed quædam promulgavit publice, ut, si quid minus displiceret, corrigeret.* Et alias: Νόμους δὲ μετὰ ταῦτα ὁ Καῖσαρ ἤνεγκε, καὶ τοῖς βουλευταῖς αὐτοὺς ἀναγνῶναι ἐπέτρεψε, ὅπως, εἰ μή τι ἀρέσκῃ, ἢ ἄμεινόν τι νοήσωσιν, εἴπωσιν. *Post hæc leges tulit Cæsar, & eas examinandas senatui commisit, ut, si quid minus placeret, aut si quid melius esse censerent, dicerent.* Sic per Coss. suffectos Papiam & Popæam legem de præmiis parentum tulit, quæ propter argumenti adfinitatem Juliæ conjungi solet. Quæ leges fama se supra ceteras, quarum ille Princeps auctor fuit, extulerunt. Quota enim pars juris earum legum commemoratione vacat? aut quę frequentiores occurrunt, quam ex Jureconsultorum ad eas leges commentariis, inscriptiones? Constat namque, non ex catalogo modo qui Pandectis Pisanis præfigitur, sed & ex capitum inscriptionibus, leges has Junium Mauritianum libris sex, Marcellum totidem, Terentium Clementem æque atque Ulpianum viginti, Paulum decem, Cajum quindecim, interpretatos esse. Quorum si nobis scripta integra aut Justiniani facinus aut temporis injuria reliquisset, supervacanea & inanis omnis nostra hæc opera esset. Nunc, quoniam si non libenter, at patienter certe, tanta librorum veterum jactura ferenda est; earum, quæ tanquam ex vasto incendio salvæ ad nos pervenerunt, reliquiarum intuitu, amissorum desiderium leniamus: veteremque tam celebrium legum memoriam, eorum, quæ in manibus habemus, ope, ab oblivionis injuria, qua fieri poterit diligentia, vindicemus. Qua in parte sicubi fefellero, veniam me ab æquis judicibus exoraturum facile confido, eo quod, in tenebris, quod ajunt, micantes, & solis plerumque conjecturis res ignotas investigantes, labi atque errare, humanum est. Ceterum lex Julia, cujus capita aliquot explicare institui, proprium, differentiæ ergo, *de maritandis ordinibus* nomen invenit. ad cujus præcepta Apulejus *Apologia* 2. ita alludit: *Lex Julia de maritandis ordinibus, nunquam in hunc modum interdicit: Uxorem in villa ne ducito.* Hanc etiam legem Horatius signat, *in Carmine Seculari*, cum ait:

*Diva, producas sobolem, patrumque*
*Prosperes decreta super jugandis*
*Feminis, prolisque novæ feraci*
*Lege marita.*

Eadem lex, apud Ulpianum, *in Institut. tit.* 13. *&* 14. *& tit.* 15. & apud Juvenalem *Sat.* 6. legis Juliæ appellatione exaudienda est. Sed & ad eam referendum est, quod Tertullianus *lib. adversus Valentinianum* ita scribit: *Credas enim, ubi de loco in locum transmigratur, leges quoque Julias intervenire.* Complura autem capita habuisse eam legem, non est obscurum. Nam & tricesimum quintum a Martiano memoratur [z]. Potissimum autem illud fuit, quo senatores, liberique eorum, libertinas, & quæ ipsæ, quarumve parentes, artem ludicram fecissent, ducere prohibebantur. quod ni hæc ver-

[y] in l. un. de nupt. gentil.
[z] in l. capite. 19. D. de ritu. nupt.

ba conceptum fuiſſe, Paulus teſtis eſt *a* : QVI SENATOR EST, QVIVE FILIVS, NEPOSVE EX FILIO, PRONEPOSVE EX FILIO NATO, CVJVS EORUM EST, ERIT : NE QVIS EORVM SPONSAM, VXOREMVE, SCIENS, DOLO MALO HABETO LIBERTINAM : AUT EAM, QVÆ IPSA, CVJVSVE PATER MATERVE, ARTEM LVDICRAM FACIT, FECERIT : NEVE SENATORIS FILIA, NEPTISVE EX FILIO, PRONEPTISVE EX NEPOTE FILIO NATO NATA, LIBERTINO, EIVE, QVI IPSE, CVJVSVE PATER MATERVE, ARTEM LVDRICAM FACIT, FECERIT, SPONSA NVPTAVE SCIENS DOLO MALO ESTO : NEVE QVIS EORUM DOLO MALO SCIENS SPONSAM VXOREMVE EAM HABETO. Quibus legis verbis ex Jureconſultorum commentariis congrua interpretatio aptanda eſt. Ait lex, SENATORIS FILIUS. *Senatoris filium*, quemadmodum Ulpian. *lib.* 1. *ad l. Julian.* exponit *b*, *accipere debemus, non tantum naturalem, verum etiam adoptivum. Nec intereſt, a quo vel qualiter adoptatus ſit*. Quod idcirco Ulpianus addidit, quia, cum per adoptionem dignitas non minuatur, ſed augeatur, etiam natalium ſplendorem ſenatoris filius, inferioris dignitatis homini, veluti plebejo, in adoptionem datus, retinet *c*. Cujus rei exemplum ex Publio Claudio, Appii filio, ſumi poteſt, quem, etiamſi ſe plebejo homini in adoptionem dediſſet *d*, ſenatorem tamen manſiſſe, dubium non eſt. Ac nec jus originis in honoribus ſuſcipiendis, adoptione mutari, verum eſt *e*. Nec illud quidem intereſt, jam in ſenatoria dignitate conſtitutus ſuſceperit filium quis, an ante dignitatem ſenatoriam. Accedens quippe & ſuperveniens patri dignitas, in liberos quoque jam ante procreatos transfunditur *f*. Et ideo decurionis quoque filius non is duntaxat habetur, qui ex patre decurione conceptus & natus eſt; ſed & is, qui ante natus eſt, quam decurionis honor patri acceſſit. Nec ſum neſcius, ſuperiori ſententiæ videri quibuſdam refragari Conſtantini conſtitutionem *g*, quę propter hyperbaton obſcuritate aliqua laborat: aliud tamen nihil ſignificat, quam, filios, ac filias, qui quæve ante ſuſcepti ſuſceptæve fuerunt, quam in ſenatorium ordinem cooptati, vel alias, citra ſenatoriam dignitatem, clariſſimorum titulo partes eorum earumve decorati eſſent, clariſſimatus nihilominus dignitate fruituros. quod his, quæ poſuimus, mirifice conſentit. Atque hæc quæſtio ab interpretibus ad filios ante regnum a patre adeptum conceptos ac genitos producta eſt. Quæ controverſia priſcis temporibus inter Xerxes & Arthemenem, Darii filios, incidit: cum hic, utpote natu maximus, ætatis privilegio regnum ſibi vindicaret, quod jus & ordo naſcendi & natura ipſa gentibus dedit: ille vero non ordine, ſed naſcendi felicitate, niteretur, regique ſe primum natum, fratre, qui ante privato natus eſſet, ſuperiorem contenderet. Quam tamen litem arbiter, ab his addictus, Anaphernes, ſecundum Xerxem dedit *h*. Sed hoc exemplum in ſimili deinde contentione Perſæ ſecuti non ſunt. Nam, cum Parſati minorem natu filium Cyrum Arſicæ, qui poſtea Artaxerxes nominatus eſt, præferendum contenderet, eo quod hunc privato, illum regnanti Dario pepeiſſet, exploſa hac ſubtilitate, regnum ad Arſicam delatum eſſe, Plutarchus *i* auctor eſt. Sed enim, ne longius a re propoſita aberrem, quod ad adoptivum filium attinet, tamdiu eum ſenatoris filium habendum, Paulus *lib.* 2. *ad l. Juliam & Pap.* bene monet *k*, quamdiu in familia manet, patriſque adoptivi poteſtate continetur. Emancipatus enim, tam jus, quam nomen filii, emancipatione amittit; adoptioneque quæſita adgnatio, e poteſtate dimiſſo eo, in totum perit. Civile quippe hoc vinculum contrario civili ac legitimo actu, id eſt, emancipatione, penitus diſſolvitur *l*. Ideoque in omni jure, finita patris adoptivi poteſtate, nullum ex priſtino jure veſtigium retinetur *m*. Proinde per adoptionem quæſita dignitas emancipatione extinguitur. At naturalibus liberis honorem, natalibus partum, emancipatio non adimit, nec minuit. Quæ enim a genere, a ſanguine, ab ipſo ortu emancipatis tribuerentur, ea manere eis incolumia conſtat *n*. Proindeque, *emancipatum a patre ſenatore, ſenatoris nihilominus filium haberi*, Ulpianus *l.* 1. *ad l. Juliam* ſcribit *o*. Idem adjicit, *eum qui poſt mortem patris ſenatoris natus ſit, quaſi ſenatoris filium eſſe*. Aliam vero ejus cauſam eſſe, qui, poſtquam pater ejus e ſenatu motus eſt, conceptus & natus fuerit. Nam quæ patri mortis tempore inhæſit dignitas, ea veluti hereditario jure ad poſteros tranſmittitur: at quæ vivo patre vitio ejus amiſſa eſt, ad liberos poſtea conceptos manare nequaquam poteſt *p*. Plane jam procreatis liberis patris caſum non obeſſe placuit. Similique modo, qui decurione patre editus eſt, licet poſtea pater ejus decurio eſſe deſierit, quaſi decurionis tamen filius, nec in metallum dari, nec aliis plebeiis ſuppliciis affici poterit *q*. Quod ſi ante ejus conceptionem dignitate pater exutus ſit, ut plebeii filius in honoribus erit intuendus. Sed nec liberti ingrati delictum, propter quod in ſervitutem revocatur, filiis, ab eo, dum libertate potiretur, conceptis, nocet *r*. Ita, quod ad ſtatum, conditionis tempus ſpectamus. Benigne tamen, ac ſingulari jure, Juſtinianus conſtituit *ſ*, ut, ſi curialis fortunæ exortes ultro ſeſe & ſponte ſua curiæ dederint, ab iis, vel poſtquam curiæ adſcripti fuerint, concepti liberi, non curialem, ſed priſtinam patrum conditionem ſortiantur. Ceterum, filii appellatione etiam filia continetur *t*. Et tamen, ut ne ſenatoris filia libertino nubere poſſet, ſenatuſconſulto ſpecialiter prohibitum fuit *u*, licet ad hanc quoque ſpeciem lex Julia porrigi potuiſſe videatur. Ait lex, NEPOSVE. Filii appellatione, ſi nudam ac propriam verborum ſignificationem extra voluntatis cauſam ſpectemus *x*, nepos non continetur; & ideo nepotem exprimi neceſſe fuit. Porro ſi quis & patrem & avum habuerit ſenatorem, & quaſi filius, & quaſi nepos ſenatoris intelligitur. Et, quamquam pater amiſerit dignitatem ante hujus conceptionem, avi nihilominus dignitas ei proderit *y*. Sequitur in lege: NE QVIS EORVM SPONSAM VXOREMVE. Senatores igitur, ſenatorumque liberi, libertinas in matrimonio habere prohibentur, ne ampliſſimi ordinis dignitas hujuſmodi conjugii conſortio vileſcat. Eaque de cauſa, cum Acten libertam juſto ſibi matrimonio conjugere Nero cuperet, Conſulares viros ſummiſiſſe dicitur *z*, qui regio genere ortam pejerarent. Et Seneca, *lib.* 7. *Controverſiar.* cum probare niteretur, magnos

*a* in l. 44. *b* l. ſenatoris filium. D. de ſenator.
*c* l. per adoptionem. D. de adoption. l. 6. §. 1. D. de ſenator.
*d* *Cicero* pro domo ſua. *e* l. ordine. §. ult. D. ad municip.
*f* l. 2. §. in filiis. D. de decurion. l. moris. §. parentes. D. de pœnis.
*g* l. ſi ſenat. 11. C. de dignitatib. lib. 12. *h* *Juſtin.* lib. 2. hiſt.
*i* in Artaxerxe. *k* in l. ſenatoris filium. D. de ſenatorib.
*l* §. ult. Inſtitut. de cap. dimin.
*m* l. per adoptionem. 17. D. de ritu nupt. l. ordine. §. ult. D. ad municipal. l. in omni D. de adoption.
*n* arg. l. amiſſione. 5. §. ult. cum l. ſeq. D. de capit. min. & l. eum qui. D. de interdict. & relegat.
*o* l. emancipatum. D. de ſenator.
*p* l. ſenatoris filium. D. de ſenatoribus.
*q* l. 2. §. in filiis. D. de decur. l. moris. §. penult. D. de pœnis.
*r* l. ſi manumiſſus. C. de libert. & eor. lib.
*ſ* in l. ult. C. de his qui ſponte munera.
*t* l. ſi quis ita. 16. D. de teſtament. tut.
*u* l. emancipatum. §. ult. D. de ſenatorib.
*x* l. filii. 48. D. de verb. ſign.
*y* l. mancipatum. §. ult. D. de ſenat.
*z* *Sueton.* in Neron. cap. 28.

viros feciſſe, ut libertinas uxores ducerent, veluti exempli loco ſubjunxit, *M. Cato coloni ſui filiam duxit uxorem, ſed ingenuam*. Ideoque exemplum propoſitioni non quadrat. Ex quo apparet, quod Diocletianus reſcripſit *a*, uxorem libertam ſuam manumiſſori, *ſi non ſit ex his perſonis, quæ ſpecialiter prohibeantur*, ducere non eſſe interdictum, ſic cum Accurſio accipiendum eſſe, ſi non ſenator ſit, ſenatoriſve filius, nepos. Tam enim ſuas, quam alienas libertas uxores ducere, qui ſenatoris dignitate præditi, ſenatoribuſve orti ſunt, prohibentur. Proinde ſi quam ex familia ſua ancillam, ſenatoris filius, 20 annis minor, ad libertatem matrimonii cauſa perducere ſtudeat, non erit concedendum *b*: quoniam indigne illiciteque hujuſmodi conditionis mulierem ſit ducturus. Juſtæ ergo non ſunt nuptiæ, quas ſenatorii ordinis viri cum libertinis contraxerint. Cui conſequens eſt, nec dotem eſſe; quæ in ea matrimonia, quæ conſiſtere non poſſunt, minime cadit. Nec enim dos ſine matrimonio eſſe poteſt *c*. Ubicunque igitur matrimonium non eſt, nec dos eſt: proinde ex hac cauſa caduca dos fiet *d*. Nec tamen, quod Accurſius exiſtimat, fiſco vindicabitur. Hoc enim in inceſtis demum nuptiis locum obtinet *e*. Quo fit, ut ſi libertina ſenatorem quaſi ingenua decepe-rit, & ei nupta ſit, actio in factum, doli nomine, in eam ex divi Pii reſcripto *f* competat, quod ex dote, quæ nulla eſt, vir lucrum nullum fecerit. Ei quoque, quod poſuimus, conſequens eſt, ex ejuſmodi matrimonio juſtos patri liberos non naſci. Sequitur etiam, rerum amatorum actionem inter perſonas, quæ ita coierint, ceſſare *g*. Ac nec viro, jure mariti, adulterii accuſatio, ob ſtuprum ab ea, quæ, quamvis uxoris animo habita fuerit, uxor tamen eſſe non poſſit, commiſſum, competet: licet propter qualecunque matrimonium violatum, ne peccatum ſuum mulier impune auferat, jure extranei accuſatio admittatur *h*. Quamquam autem nuptiæ non ſint, non eo tamen donationes, quaſi inter conjuges factæ, ratæ erunt *i*, ne lucro eis ſit illicita conjunctio. Alioquin meliore loco res eorum eſſent, qui contra leges convenirent, quam qui juſtas & civiles nuptias contraherent: quod utique ratio non patitur. Quapropter, quaſi ab indignis ablata, quæ donata teſtamentove relicta erunt, in fiſcum cogentur *k*. Plane, ſi quis in ſenatorio ordine agens, libertinam in matrimonium acceperit, quamvis interim uxor non ſit, attamen in ea conditione eſt, ut, ſi vir dignitatem amiſerit, uxor eſſe incipiat *l*. ſic eveniet, ut, quæ ab initio non conſiſtebant nuptiæ, remoto poſtea obſtaculo impedimentoque convaleſcant. Atqui, quæ ab initio minus valent, temporis tractu non confirmari, pro regula traditum eſt *m*. Cui objectioni quidam interpretes ut occurrant, iis nuptiis, quæ ab initio nullius momenti erant, vires, non ſolius temporis lapſu atque tractu, ſed perſeverantia conſenſus, qui poſt amotum impedimentum durat, accedere dicunt. Eoque pacto regulam contrariam flexu eludunt magis, quam elidunt. Mea hæc fuit ſemper ſententia, & ſic in animum induxi meum, regulam illam juris & productam longius, & latius acceptam eſſe, quam pateat. Ad ea namque duntaxat, quæ teſtamentis dantur relinquunturque, pertinere eam, & iiſdem prope cum Catoniana regula finibus ac terminis circumſcribendam eſſe, cenſeo. In quam me opinionem etiam Rufinus impellit, qui eam regulam ita extulit *n*: *Quæ ab initio inutilis fuit inſtitutio, ex poſtfacto convaleſcere non poteſt*. In ceteris vero ſpeciebus atque cauſis, falſam eam eſſe, perſpicuum eſt. Conſtat ſiquidem, inutiles ab initio nuptias multis poſtea ex cauſis conciliari. Ut ecce, ſi ancilla libero nupſerit, & apud eundem virum libera facta ſit, matrimonium, ab initio inutile, convaleſcit *o*. Pari modo, ſi minor 12 annis domum ducta ſit, licet ab initio nuptiæ non ſint, ſi tamen apud virum duodecimum annum impleverit, juſta & legitima uxor fiet *p*. Similiterque, quod contra mandata ab his, qui officium aliquod in provincia gerunt, contractum fuerit matrimonium; ſi, eo depoſito, in voluntate conjuges perſeverent, convaleſcit *q*. Ac, ne in ſolo nuptiarum ſermone hæreamus, etſi pecuniæ alienæ numeratione mutuum non contrahatur *r*, conſumtis tamen nummis naſci conditionem, minime eſt ignotum *ſ*. Sed, etſi aliena pecunia ſolvendi cauſa detur, quamquam liberationem ejuſmodi ſolutio ab initio non pariat, conſumta tamen ea ab eo qui accepit, liberatio procedit *t*. Longum eſſet, exempla omnia, quæ ex libris noſtris promi poſſunt, recenſendo enumerare, quibus comprobetur, multa, quæ ab origine effectum non habuere, poſtea, ſublatis obſtaculi impedimentique cauſis, confirmari ac corroborari: ut, extra teſtamentarias quæſtiones ſuperiori regulæ locum non eſſe, veriſſime pronunciare mihi poſſe videar. Atque hæc fuit veteris illius Interpretis, cujus non ita pridem in lucem miſſæ ſunt breves *in Tit. de diverſis regulis Juris antiqui* notæ, ſive is Placentinus eſt, ſeu quis alius, (nihil enim præter conjecturam habemus,) ſententia. Verum quæ ad alia excurrit, ad inſtitutum jamjam revocetur oratio. Si ſenatori indulgentia principali fuerit permiſſum, libertinam juſtam uxorem habere, poſſe eam juſtam uxorem eſſe, Ulpianus prodit *u*. Illud olim in dubium venit, ſi quis, libertinæ nuptiis devinctus, deinde in collegium ſenatorum cooptaretur, num matrimonium dirimeretur. Vetus quidem juriſprudentia ob ſupervenientem dignitatem nuptias ſolvi credebat, quando in eum caſum res ceci-diſſet, a quo incipere utiliter non potuerat. Quod Juſtiniano diſplicuit: qui matrimonium nihilominus manere, & hoc bono eventu uxorem frui voluit *x*. Enimvero, ſi libertino ſenatoris filia nupſerit, licet poſtea pater ſenatu ob turpitudinem moveatur, nihilominus ea juſta uxor fiet *y*: cum invidioſum ſimul & iniquum ſit, quæſitam liberis dignitatem propter patris crimen auferri. Senatoris certe filia, quæ artem ludicram, vel corpore quæſtum fecerit, aut judicio publico damnata ſit, libertino impune nubit *z*. Nec enim huic honos ſervandus eſt, quæ tanto ſe dedecore maculaverit, nominique ſuo tam inſignem ignominiæ notam inuſſerit. Sed & quæ ſenatorio quidem ſanguine creta non eſt, ob matrimonium tamen cum ſenatore contractum clariſſimæ feminæ nomen adepta eſt, mortuo marito, libertino recte

*a* in l. uxorem 15. C. de nupt.
*b* l. ſi rogatus. 20. §. 2. D. de man. vind.
*c* l. 3. de jure dot. *d* l. dote. 61. D. de ritu nupt.
*e* l. inceſtæ. 52. D. de ritu nupt. *f* l. a divo. 58. D. eod. tit.
*g* l. ſi concubina. 17. D. de rer. amot.
*h* l. ſi uxor. 13. §. 4. D. ad l. Jul. de adulter.
*i* l. 3. §. videamus. D. de donat. int. vir.
*k* l. cum hic ſtatus 32. §. fin. D. de donat. int. vir. l. 2. D. de his quæ ut indign.
*l* l. ſi quis in ſenatorio. De ritu nupt.
*m* l. quod initio. 29. D. de diverſ. reg. jur.

*n* in l. penult. D. de diverſ. reg. jur.
*o* l. Proculus. 67. D. de jure dot.
*p* l. minorem. 4. D. de ritu nupt.
*q* l. eos qui. D. de ritu nupt. l. etſi contra. C. de nupt.
*r* l. 2. §. mutui. D. ſi cert. pet.
*ſ* l. nam etſi fur. 13. D. ſi cert. pet.
*t* l. ſi quis pro eo. 56. §. ſi nummos. D. de fidejuſſorib.
*u* l. ſi ſenatori. 31. D. de ritu nupt.
*x* l. ult. C. de nupt.
*y* l. generali. 34. §. fin. D. de ritu nupt.
*z* l. ſenatoris 47. D. de ritu nupt.

nubit *a*. Nam solas senatorum filias, neptesque, a libertinorum nuptiis lex repellit.

Indignos autem hujusmodi nuptiis libertinos haberi, licet se patrono, homini ingenuo, adrogandos dederint, Marcellus *l.* 1. *ad l. Jul.* scribit *b*: quandoquidem publica ingenuitatis jura hujusmodi adrogatione non sint adepti. Quo pertinet Massurii Sabini a Gellio relatus locus, in quo ita est *c*: *Libertinos vero ab ingenuis adoptari posse, Massurius Sabinus scripsit. Sed id neque permitti dicit, neque permittendum esse unquam putavit, ut homines libertini ordinis per adoptionem in jura ingenuorum invadant. Alioquin*, inquit, *si juris antiquitas ista servetur, etiam servus a domino per prætorem in adoptionem dari potest.* Et hoc est quod ab Ulpiano definitur *d*, *Eum, qui se libertinum fatetur, nec adoptando ingenuum facere patronum posse.* Tametsi enim libertum suum, causæ cognitione adhibita, adrogare liceat; tamen in ejus unius perniciem, damnum ac præjudicium, privataque ejus familiæ jura, ea adrogatio valet *e*. Ceterum, ingenuitatis ornamenta omnia adrogato nequaquam confert ac tribuit. A quo non abhorret, quod Synesius, *epistola prima*, lubenter se, si per leges, acerrimas ingenuitatis patronas, liceret, spurios suos liberos in locum legitimorum adoptaturum, scribit in hunc modum; Παρ' ἐμοῦ δ' οὕτως ἠγαπήθη διαφερόντως, ὡς ἥδιστ' αὐτὸν εἰσποιῆσαι φιλοσοφίᾳ, καὶ τοῖς γνησίοις ἐγκρῖναι. ἀλλὰ τοῦτο μὲν οὔ φασιν ἐπιτρέψειν οὐδὲ οἱ νόμοι τῆς πολιτείας. δεινοὶ γάρ εἰσιν τῆς εὐγενείας προστάται. *A me vero usque eo adamatum est, ut libentissime ipsum in philosophiam adsciturus atque inter legitimos adoptaturus fuerim. Sed hoc concessuras se negant vel reipublicæ leges. sunt enim ingenuitatis acerrimæ propugnatrices.* Eademque ratione naturalem in servitute quæsitum filium, in potestatem quidem patris, Principis beneficio redigi posse, libertinum tamen semper manere, ex Ulpiani *lib.* 4. *ad l. Jul. & Pap.* traditur *f*. Plane liberti alieni adrogatio non admittebatur *g*, ne jure suo manumissor fraudaretur. Quare, si libertum eum esse liqueret, qui se adrogandum non patrono dare studeret, nequaquam ferenda hæc, quæ patrono facta fuisset, injuria credebatur. Quod si per obreptionem, conditione sua celata, statuque dissimulato, in alienam familiam cum capite suo fortunas libertus transtulisset, patroni tamen jus integrum nihilominus manebat *h*.

Quæri potest, an, si aureos anulos ab Imperatore libertus acceperit, a senatoriis nihilominus nuptiis submoveatur. Quam quidem quæstionem ab Ulpiano *l.* 1. *ad l. Jul.* tractatam fuisse, suspicor. Eoque referendum esse caput illud quod sub *Rub. de jure aureor. anulor.* a Triboniano relatum est in hæc verba: *Libertinus, si jus aureorum anulorum impetravit, quamvis jura ingenuitatis, salvo jure patroni, nactus sit, tamen ingenuus intelligitur.* Aureorum enim anulorum beneficio, liberti omnia ingenuitatis munia, salvo tamen patronorum jure, cui per Principem nihil detrahitur, consequuntur *i*. Eaque de causa aureis anulis honorem libertorum augeri, conditionem non mutari, traditum est *k*. Denique, vivere eos quasi ingenuos, mori ut libertos, *l*, quod in eorum bonis omnia sibi patronatus jura patroni vindicent *m*. Longe minor de eo, qui natalibus sit restitutus, dubitatio est. Hic enim per omnia ingenuus fit, perindeque habetur ac si medio tempore maculam servitutis non sustinuisset *n*. Et ideo in hujusmodi restitutionibus patroni voluntas & consensus exquiri ac explorari solet, cui jura omnia, quæ ex manumissione competebant, depereunt.

Præterea senatores, senatorumve filii, eas ducere prohibentur, quæ ipsæ, quarumve pater, mater, artem ludicram fecerint. De patre autem matreque tantum lex loquitur. Et ideo, avum, vel aviam, artem ludicram fecisse, nihil nocet *o*. In odiosis enim, quæ interpretatione adjuvanda non sunt *p*, patris appellatione avum non comprehendimus. Veluti in lege Julia de adulteriis, qua patri filiam in adulterio deprehensam occidendi jus datur, patris appellatio ad avum minime porrigitur *q*. Aliter atque in his, quæ benigne atque favorabiliter constituuntur; in quibus, patris appellatione avum contineri, justa interpretatione recipitur *r*. Et ita patribus lege Papia servatum jus antiquum, avis quoque Nerva, Plinio teste *s*, indulsit. Secundum quæ legem municipalem Parisiensis Præfecturæ, quæ patri, filii sine liberis mortui, certam bonorum speciem defert, Parisiensis Curia ad avum producendum esse pronunciavit. Sed & illam Principis constitutionem, qua cessiones actionum, mutandi judicii causa, præterquam a patre, filio, & aliis exceptis personis, factæ inhibentur, avum complecti obtinuit, licet de patre duntaxat loquatur. Patrem autem hic justum intelligimus, sive is naturalis sit, sive adoptivus. In matre nihil refert, justa sit, an vulgo conceperit *t*. Nam mater quidem semper certa est, etiamsi vulgo conceperit; vulgo vero quæsitorum incertus pater est, cum solum populum patrem ciere possint. Unde festivo scommate Diogenes quendam vulgo editum lapides in vulgus jacientem repressit; cavendum ei esse, admonens, ne patrem ictu offenderet. Quod belle quoque Synesius *epist.* 4. de vulgo quæsitis loquens, expressit: Τοῖς γὰρ, ait, οὕτω γεγονόσιν, ἀποδέδεικται μὲν ἡ μήτηρ, ὁ δὲ λοιπὸς τῶν γονέων ἀμφισβητήσιμος. ὅσον οὖν ἀμφοτέροις παρὰ τῶν εὖ γεγονότων ὀφείλεται, τοῦτο πᾶν ἥκειν ἔδει παρὰ τῶν ἀπατόρων εἰς τὰς μητέρας. *Sic natis ostenditur quidem mater, alter vero parentum est dubius. quantum igitur ingenui debent utrique parentum, tantum debent præstare qui patrem ignorant, matribus.* Solius ergo matris, quam partus ipse indubitate demonstrat, merito turpitudo spectatur; non etiam patris, quem promiscuus matris concubitus aut ignotum, aut certe incertum reddit. Quod si post legitime copulatas nuptias senatoris socer, socrusve, artem ludicram facere cœperint, non idcirco ab initio recte contractum matrimonium dissolvetur. At si ipsamet uxor artem ludicram facere cœperit, utique dimittenda erit. Honeste enim in matrimonio retineri non potest.

Ait lex, ARTEM LUDICRAM, veluti mimicam, histrionicam, & quamcunque aliam scenicam. Artem enim ludicram facere dicuntur, qui operas suas in scenam saltandi gesticulandive causa locant, vel etiam extra scenam gesticulantur *u*. Athletæ plane, thymelici, xystici, agitatores, & qui aquam equis refocillandorum eorum causa spargebant, ceterique omnes qui sacris & in deorum honorem in-

*a* l. cum te. 10. C. de nupt. *b* l. sciendum. 32. D. de ritu nupt.
*c* lib. 5. noct. Attic. c. 19. *d* in l. ult. D. de statu homin.
*e* l. cum eum. C. de adoption. *f* in l. ult. D. de adoption.
*g* d. l. ult. D. de adoption.
*h* l. sed si hac lege. §. patronum. D. de in jus voc. l. 1. §. nepos. D. si quis a parent.
*i* l. ult. D. de jure aur. anul.
*k* l. pen. D. de jure aur. anul. l. sed si hac lege. §. sed si jus. D. de in jus voc.
*l* l. 1. C. ad l. Viscel. *m* l. etiam. 3. De bon. libert.
*n* l. 1. 2. 3. D. de natal. restitut. l. imperialis. C. de nupt.
*o* l. lege Julia. §. 2. D. de ritu nupt.
*p* l. cum quæreretur. D. de lib. & post.
*q* l. patri. 20. D. ad leg. Jul. de adult.
*r* l. justa. 201. D. de verb. signif. *s* in Panegyric.
*t* l. lege Julia. 44. §. 3. D. de ritu nupt.
*u* l. mater. §. ult. D. ad leg. Jul. de adult. l. 2. §. ult. de his qui not. infam.

ftitutis certaminibus deferviebant; item defignatores, quos βραβευτὰς vocabant, artem ludicram facere non exiftimabuntur, quemadmodum Ulpianus, *ad edictum Prætoris de his qui notantur infamia* explicat *x*. Eodem jure etiam *Attellanarum actores* habitos obfervavi: quod genus ludorum, ab Ofcis acceptum, juventutem tenuiffe, nec ab hiftrionibus pollui paffam, eoque inftitutum, ut earum actores, velut artis ludicræ expertes, notæque vacui, neque tribu moverentur, nec a ftipendiis militaribus repellerentur, Livius *y* cum Valerio Max. *z* fcribit. Proinde & his jus erat, non cogi in fcena perfonam ponere; quod ceteris hiftrionibus pati neceffe erat, quemadmodum ex Sexto Pompejo Paulus adnotavit *a*. Erant vero Attellanæ, ut eft a Donato *b* & Diomede *c* fcriptum, falibus atque jocis compofitæ fabulæ, quæ vetuftam in fe elegantiam delectationemque Italica feveritate temperatam, lafcivia ac petulantia vacuam habebant. Eftque ab Attella id earum nomen, Ofcorum civitate, in qua primum actitatæ funt, ductum. Quas non in libera tantum Republica, fed vel Imperatorum temporibus in ufu fuiffe, duo Tranquilli loci arguunt. Quorum unus eft *in Tiberio d*, in hæc verba: *Unde nota in Attellanico exodio proximis ludis adfenfu maximo excepta percrebuit, hircum vetulum capreis naturam ligurire*. Alter *in Galba e*, his verbis. *Siquidem Attellanis notiffimum canticum exorfus, Venit io Simus a villa: cuncti fimul fpectatores confentiente voce reliquam partem retulerunt, ac fæpius verfu repetito egerunt*. Hoc idem Spartian. *n Hadriano* comprobat: *In convivio tragœdias, comœdias, Attellanas, fambucas, pro re femper exhibuit*. Exodia vero huic fabularum generi inferta, ex fuperiore Tranquilli loco liquet. Quod & Juvenalis indicat:

*Rufticus*, inquit, *exodio rifum movet Attellanæ*.

Livius, qualia ea fuerint, exponit *f* in hunc modum: *Juventus hiftrionibus fabularum actu relicto, ipfa inter fe more antiquo ridicula intexta verfibus jactitare cœpit, quæ inde exodia poftea appellata, conferta que fabulis potiffimum Attellanis funt*. Attellanarum utique probatiffimos actores, Nonium & Pomponium, Macrobius memorat: poft quos diu jacentem artem Attellanicam fufcitaffe Mummium fcribit *g*. Ac plane Pomponii, celebris Attellanarum fcriptoris, apud Senecam *h* fit mentio. Enim vero mimi, pantomimi, hiftriones, ὀρχησταὶ, qui fracto, molli, atque effeminato geftu motuque corporis, & muto manuum fermone, res quafcunque fictas geftafve exprimebant, & ita oculis fubjiciebant, ut manibus quodammodo loqui viderentur, artem ludicram facere procul dubio cenfebantur. De quorum artificiofa faltatione, fi, quæ cogitatione complexus, aut obfervatione confecutus fum, ea hic effundere vellem, latiffimus certe digreffionis excurfionifque campus pateret. Sed ne parergis liber hic turgefcat, magis eft, ut proprium ei tractationi librum aliquando, fi Deus dederit, exiturum deftinemus.

Interim vero, quo loco ac numero ejufmodi voluptatum artifices olim fuerint, fcire intereft. Idque ipfa legis, in qua confiftimus, prohibitio exigit. Hoc enim expofito, nemini dubium relinquetur, cur ab earum nuptiis, quarum pater artem ludicram feciffet, fenatores fenatorumque filios lex Julia repulerit. Artem plane ludicram, fcenamque totam, veteres in probro duxiffe, genufque id hominum non modo honore civium reliquorum carere, fed & tribu moveri, cenforia notatione, voluiffe, Cicero *lib. 4. de Repub.* fcripferat; ut a B. Auguftino *lib. 2. de Civit. Dei, cap. 13.* refertur. Idemque *lib. 1. de confenfu Euangelift. cap. 33. Nonne Cicero*, ait, *cum Rofcium quendam laudaret hiftrionem, ita peritum dixit, ut folus effet dignus qui in fcenam deberet intrare; ita virum bonum, ut folus effet dignus, qui eo non deberet accedere; quid aliud apertiffime oftendens, nifi illam fcenam effe tam turpem, ut tanto minus ibi effe homo debeat, quanto magis fuerit vir bonus*? Unde Tertullianus in lib de Spectaculis, *Etenim*, ait, *ipfi auctores & adminiftratores fpectaculorum, locum, quadrigarios, fcenicos, xyfticos, harenarios illos amentiffimos, quibus viles animas feminæ, aut illi etiam corpora fua fubfternunt, propter quos in ea committunt, quæ reprehendunt, ex eadem parte, qua magni faciunt, deprimunt & diminuunt: imo manifefte damnant ignominia & capitis mutatione: arcentes curia, roftris, fenatu, equite, ceterifque ordinibus fimul & ornamentis Quiritium.* Arnobius lib. 5. *adverfus Gentes*: *Exiftimatur tractari fe honorifice Flora, fi in ludis flagitiofas confpexerit res agi, & migratum a lupanaribus in theatra. Itane iftud non eft deorum imminuere dignitatem, dicare & confecrare turpiffimas res diis, quas cenfor animus refpuat, & quarum actores inhoneftos effe jus veftrum, & inter capita computari indicavit infamia?* Quam veluti amentatam haftam veriffime Arnobius, ex ipfo Quiritium jure, in eos torfit. Edicto namque prætoris infamia notabantur *i*, qui artis ludicræ, pronunciandive caufa, in fcenam prodiiffent. Quapropter Æmilius Probus, in præfatione libri De vit. excellent. Imperator. *Magnis*, inquit, *laudibus tota fuit Græcia, victorem Olympiæ citari. In fcenam vero prodire, & populo effe fpectaculo, nemini in eifdem gentibus fuit turpitudini: quæ omnia apud nos partim humilia, atque ab honeftate remota, ponuntur.* Hujus rei argumentum eft, quod, qui ad Principem provocantem, eum, qui artem ludicram faceret, torfiffet, verberaffet judex, lege Julia de vi publica, contra atque fi idem in reliquorum civium corpus admififfet, non apprehendebatur *k*, ipfamet legis exceptione nominatim tutus: quæ genus id hominum, quafi beneficio fuo indignum, afpernabatur. Quinetiam Hylam pantomimum, querente prætore, in atrio domus fuæ Auguftum flagellis (quod erat fervile fupplicium) verberaffe, Tranquillus memorat *l*: ubi & illud refert, magiftratibus omni loco omnique tempore coercitionem in hiftriones, lege veteri permiffam, Auguftum ademiffe. Marito etiam cum paucas omnino perfonas in uxoris adulterio deprehenfas occidendi jus lex Julia de pudicitia daret, id ei licere in eos, qui artem ludicram facerent, voluit *m*. Accufandi quoque, & publico judicio reos poftulandi, his, qui artem ludicram feciffent, poteftas denegabatur *n*. Proinde & hujufmodi artem, citra capitale flagitium, exercere non poterat. Tiberium quidem certe, Dio auctor eft *o*, hiftriones urbe expuliffe, atque ea interdixiffe, quod & feminas ignominia adficerent, & turbas excitarent. Contra, Cajus eos, ftatim atque imperio potitus eft, eodem Dione tefte *p*, revocavit. Rurfus Domitianus fcenam his interdixit, ut Sueton. in ejus vita memorat *q*, intra domum duntaxat exercendi artem jure conceffo. Fuit plane tempus, cum nec equitibus fcena indecora effet, ut eam illis fenatufcon-

*x* l. athletas. D. de his qui not. inf. *y* lib. 7. ab U. C.
*z* lib. 2. cap. 1. *a* lib. 14. *b* in Terent.
*c* lib. 3. de art. gram. *d* cap. 45. *e* cap. 13.
*f* lib. 7. ab U. C. *g* lib. 7. Saturnal. cap. 10. *h* lib. 3. controv.

*i* l. 1. D. de his qui not. infam.
*k* *Paulus* lib. 5. Sententiar. Tit. de vi publica.
*l* in Augufto, cap. 45. *m* l. marito. 24. D. ad l. Jul. de adulter.
*n* l. qui judicio. 4. D. de accufat. *o* lib. 57. *p* lib. 59. *q* cap. 7.

fulto

ultro Augusti temporibus interdici necesse fuerit. Quod Suetonius in Augusto docet *r* his verbis. *Ad scenicas quoque & gladiatorias operas equitibus Romanis aliquando usus est, verum priusquam senatusconsulto interdiceretur.* Quod idem Dio ita refert, *l.* 54. Ἐπειδήπερ καὶ ἱππεῖς, καὶ γυναῖκες ἐπιφανεῖς, ἐν τῇ ὀρχήστρᾳ καὶ τότε γε ἐπεδείξαντο, ἀπηγόρευσεν. οὐχ ὅτι τοῖς παισὶν τῶν βουλευτῶν, ὅπερ που καὶ πρὶν ἐκεκώλυτο, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐκγόνοις, τοῖς τε ἐν τῇ ἱππάδι δηλονότι ἐξεταζομένοις, μηδὲν ἔτι τοιοῦτον δρᾶν. *Quoniam & equites & feminæ illustres in scenam prodire solebant, vetuit, ne senatorum filiis, quod & ante vetitum erat, sed & nepotibus, & equestris ordinis viris id facere liceat.* Ex quo lucem accipiet alter Suetonii in Tiberio locus, quo ex juventute utriusque ordinis profligatissimum quemque, quo minus in opera scenæ harenæve edenda senatusconsulto teneretur, famosi judicii notam sponte subiisse narrat *s*. Postea tamen, quod & mirum visum iri præmonet, equitibus gladiatorium ludum indulgentia quadam permissum fuisse, Dio auctor est *t*. Καὶ τοῖς ἱππεῦσιν, ait, ὃ καὶ θαυμάσειεν ἄν τις, μονομαχεῖν ἐπετράπη. Αἴτιον δὲ, ὅτι ἐν ὀλιγωρίᾳ τινὲς τὴν ἀτιμίαν τὴν ἐπ' αὐτῷ ἐπικειμένην ἐποιοῦντο. Ἐπεὶ γὰρ μήτ' ὄφελός τι τῆς ἀπορρήσεως ἐγίγνετο, καὶ τιμωρίας μείζονος ἄξιοι εἶναι ἐδόκουν, ἢ καὶ ἀποτραπήσεσθαι ἐνομίσθησαν, συνεχωρήθη τοῦτο σφίσι ποιεῖν, καὶ οὕτως ἀντὶ τῆς ἀτιμίας θάνατον ὀφλισκάνειν. *Equitibus, quod mirum videri possit, in gladiatoriis ludis pugnare permisit. Caussa erat, quod infamiam, quæ hoc facientes manebat, nihili faciebant non nulli. Etenim quia edicto nihil proficiebatur, & videbatur majore pœna dignum, vel quia futurum existimabat ut ipsi desisterent, permissum ipsis fuit dimicare: ita mortem pro infamia referebant.* Suetonius etiam, Neronem quadringentos senatores, sexcentosque equites Romanos, & quosdam fortunæ atque existimationis integræ, ad ferrum exhibuisse, narrat *u*. Proinde, Vitellio imperante, quemadmodum Tacitus scribit, severe cautum fuit, ne equites Romani ludo & harena polluerentur; cum priores id Principes, pecunia, & sæpius vi, pertulissent. Ac Domitianum quoque, quæstorium virum, quod gesticulandi saltandique studio teneretur, senatu movisse, traditum est *x*.

Quod autem ait lex, FACIT, FECERIT, cum effectu accipiendum est *y*. Et ideo, qui operas suas locaverit ut in scenam prodiret, neque prodiit tamen, lege contineri non videtur *z*. Factum enim, non voluntas, apprehenditur. Quo pertinet apud Quintilianum *a* proposita quæstio, an theatrali lege, quæ eum, qui artem ludicram exercuisset, a XIV. primis theatri ordinibus arceri volebat, is, qui prætori in hortis ostensus esset, nec tamen productus, contineretur. Cui non absimilis & alia quæstio tractatur apud eundem, aut alium Quintilianum, *Declam.* 302. Certe in senatusconsulto *b* de postulando, & in alio legis Juliæ capite *c*, sola operarum ad bestias depugnandas locatio, etiam nulla pugna secuta, notat. Ita quippe utrobique verba scripta sunt. In edicto autem prætoris de infamibus, quod ad ludicram artem attinet, consilium ac conatus non punitur.

Ceterum, huic legis Juliæ capiti congruenter Constantinus sanxit, ut ne senatoribus, præfectis, duumvirisve, vel sacerdotibus municipiorum, libertam, libertæve filiam, scenicam, vel scenicæ filiam, tabernariam, tabernariæve filiam, vel lenonis aut harenarii filiam, uxorem habere liceret. Quam constitutionem Valentinianus & Martianus in Novellis laudant *d*. Ei vero Justinianus, quantum ad scenicas personas attinet, derogavit *e*, constituens, mulieribus, quæ pudorem suum scena aut ludo quandoque polluissent, si derelicta inhonesta conversatione, honestiorem commodioremque vitam fuerint amplexæ, licere principali rescripto, cuilibet personæ, quacunque dignitate præditæ, nubere, quasi omni pristinæ vitæ macula pœnitentia, Principisque beneficio, diluta atque abstersa.

Addidit vero legi Juliæ senatus, ut neque damnatam publico judicio ducere uxorem, aut retinere, jus esset *f*. Damnatam accipe eam, quæ non provocavit. Ceterum, si provocavit, nondum damnata videtur. Idem est, etsi ab eo, qui jus damnandi non habuit, damnata sit. Damnata enim tum videtur, cum damnatio tenuit. Quam ego interpretationem ex similibus aliis locis haurio *g*. Publico plane judicio damnata non videtur, quæ calumniæ prævaricationisve nomine, ex causa publici judicii sit condemnata, licet infamiæ notetur *h*. In calumniatores enim nulla publica quæstio constituta est. Nam etsi lege Remnia eis pœna irrogata sit, non tamen in publicorum judiciorum legibus lex ea numeratur. Igitur, si ob publici judicii accusationem per calumniam institutam, sive ob privatum judicium per calumniam motum, ut calumniatrix mulier damnata sit, senatusconsulto non continetur. Ergo, dicet aliquis, publico judicio reos postulare mulieribus licet. Quod ita verum est, si suam suorumque injuriam exequantur, vel læsæ majestatis, aut annonæ fraudatæ accusationem perferant. His enim ex causis ad accusationem publici judicii admittuntur *i*: quam si destituisse arguantur, ob eamque rem damnatæ sint, a senatorum nuptiis idcirco non arcebuntur, quod prævaricationis crimen in hac specie judicium publicum non sit *k*. Porro, senatoriis personis exceptis, ceteris omnibus ingenuis libertinas uxores ducere lege Papia concessum fuisse, Celsus testis est *l*. cujus ipsa verba subjeci: *Lege Julia Papia cavetur, omnibus ingenuis, præter senatores, eorumque liberos, libertinas uxores habere licere.* Quod & Dio comprobat *m*, de Augusto loquens. Ἐπειδὴ δὲ ait, πολὺ πλεῖον τὸ ἄρρεν τοῦ εὐγενοῦς ἦν, ἐπέτρεψε καὶ ἐξελευθέρας τοῖς ἐθέλουσι, πλὴν τῶν βουλευόντων, ἄγεσθαι, ἐννόμους τὴν τεκνοποιΐαν αὐτῶν εἶναι κελεύσας. Quæ verba Latine reddam, quoniam in hac parte recta non est, quod ejus pace dictum sit, Xylandri interpretatio: qui εὐγενῆ illic pro *patricio* accepit, cum *ingenuum* procul dubio significet. Sic enim Theophilus *lib.* 1. *Institut.* & Constantin. Harmenop. *l.* 1. *tit. ult.* εὐγενῆ definiunt: ὁ ἅμα τῷ τεχθῆναι ἐλεύθερός ἐστι. id est, *qui statim ac natus est, liber est.* Itaque recta est hæc, quæ sequitur, illius loci interpretatio: *Jam vero, quoniam masculorum ingenuorum numerus major erat, quam mulierum, potestatem fecit omnibus pro arbitrio, senatoribus exceptis, libertini generis uxores ducere; justosque esse, qui inde susciperentur, liberos constituit.* In eundemque lapidem & Zonaræ interpres impegit in eadem Augusti constitutione referenda. Nam Zonaras ipsamet Dionis verba in suos annales transcripsit: nec dissimilitudo ulla est in

*r* cap. 43. *s* cap. 35. *t* lib. 56. *u* in Nerone. c. 12.
*x* *Suet.* in Domit. cap. 8.
*y* arg. l. 1. §. hæc verba. D. quod quisque jur.
*z* l. 3. D. de his qui not. infam. *a* lib. 3. instit. orat. cap. 6.
*b* l. 1. §. 6. vers. in senatusconsulto. D. de postul.
*c* l. qui libertinus. 37. D. de oper. libert.
*d* Tit. 4. Novel. Mart. *e* in l. imperialis. C. de nuptiis.
*f* l. palam. 33. §. senatus. 10. D. de rit. nupt.

*g* l. edicto. 13. D. de bonor. poss. l. 2. §. ult. D. de pœnis. l. furti. §. 1. D. de his qui notant. infam.
*h* d. l. palam. §. si quæ calumniæ. D. de ritu nupt.
*i* l. de crimine 12. C. qui accus. non pos. l. qui accusare. 8. l. hi tamen. 11. l. mulierem. 13. D. de accus. l. ult. D. ad l. Jul. de an. l. in quæstionibus. D. ad l. Jul. majest.
*k* l. 3. §. ult. D. de prævaricator.
*l* in l. lege Papia. 23. D. de ritu nup. *m* lib. 54.

A verbis, præterquam quod pro ἐξελευθέρας, ἀπελευθέρας, pro βουλευόντων, βουλευτῶν Zonaræ codex habet. Hoc vero est, quod Marcellus significat *n*, *Observandum esse*, inquiens, *ut inferioris gradus homines*, equestris ut puta vel plebeii ordinis, *uxores ducant eas, quas, qui altioris dignitatis sunt*, veluti senatores, *ducere, legibus, propter dignitatem, prohibentur*.

Excipiebat autem lex quasdam personas, quas ne inferioris quidem ordinis hominibus, dummodo ingenuis, ducere permittebat. Veluti *lenam, a lenone lenave manumissam, vel eam, quæ palam quæstum corpore faceret, fecisset. item in adulterio deprehensam, vel judicio publico damnatam, vel quæ artem ludicram exercuisset*. B Cujus exceptionis auctorem laudo locupletem, Ulpianum nimirum, *in fragmentis Titulorum ex ejus Corpore excerptorum, Tit. de cælibe, orbo, solitario*. Atque ad hoc legis Juliæ de maritandis ordinibus caput referenda esse censeo, quæcunque de ingenuorum statu & conditione ex Ulpiani libris ad l. Jul. & Pap. in Pandectis tractata reperiuntur. Ingenuum namque habendum eum qui ingenuus pronunciatus fuisset, licet natura & revera ingenuus non esset, Ulpianus *lib. 1. ad l. Jul.* tradiderat, ut ex inscriptione *l. ingenuum. D. de statu homin.* liquet. C Idque nimirum propter rei judicatæ auctoritatem, quæ pro veritate habeatur. Unde & hausta est illa juris regula, quæ *rem judicatam pro veritate haberi* definit. Cui tamen non in hac modo specie, sed & in omnibus causis, in quibus de statu, conditione, qualitateque personæ quæstio vertitur, locus est. In his enim vel maxime sententia jus facit *o*. Eodem libro Ulpianus, in hujus capitis, ut verisimile est, interpretatione, scripserat *p*: Si quis per collusionem ingenuus esse pronuntiatus esset, medio tempore, id est, ante collusionem detectam, & post sententiam de ingenuitate dictam, quasi ingenuum accipi.

D Lenas autem, ut singula legis verba expendamus, Ulpianus *ad edictum Prætoris, sub titulo de His qui notantur infamia*, dici ait *q* eas, quæ per mulieres quæstuarias prostituunt. Nec refert, suo, an alterius nomine, id genus vitæ exerceant. Ac nec illud interest, principaliterne hoc negotium gerant, an alterius negotii accessione utantur *r*. Ut puta, si cauponam quis, vel stabulum exercens, mancipia quæstuaria habeat, occasione ministerii quæstum corpore facientia, is lenonis loco habebitur. Lenones porro, lenæque, edicto Prætoris, infamia notabantur. Proinde nec accusandi publico judicio jus habebant *ſ*: & ut viles, turpes, famosæque personæ, E in adulterio deprehensi lenones, a maritis impune occidi poterant *t*. Et merito certe, ignominia hujusmodi personas notandas, veteres censuerunt: quas, cum Terentio *u*, *pestem perniciemque communem adolescentium*; &, cum Justiniano *x*, ὀλεθρίους καὶ κοινὰς λυμεῶνας τῆς σωφροσύνης, *perniciosas & communes pestes castitatis*, vocare jure possumus. Quapropter silentio prætermitti Q. Metelli judicium non debet, qui in prætura urbana, Vetibio lenoni bonorum possessionem secundum tabulas denegaverit, separandam fori ac lupanaris conditionem existimans, jurisque ac legum auxilio indignos censens eos, qui tantam civitati labem inferrent. F Laudanda quoque Honorii & Theodosii constitutio, qua lenones patres dominosve, quos necessitatem filiabus ancillisve peccandi imposuisse constiterit, non solum potestatem, quam in eas habebant, amittere, sed & proscriptionis exiliique pœna plecti, sanciunt *r*. Denique, nec satis unquam pro merito Justinianus laudabitur, qui genus hoc hominum urbe regia pelli, eosque, qui illecebris pellectas puellas ad quæstum alere comperti essent, acerbissimis pœnis subjici voluit *ʒ*.

Verum videamus, quænam palam quæstum corpore facere ex legis Papiæ sententia intelligerentur. *Palam*, Ulpiano interprete *a*, est, *coram pluribus*: eique voci plerumque socia adjungitur vox *aperte*: quarum altera, ut Asconius Pædianus distinguit, ad publicum conspectum, altera ad dictorum significationem pertinet. Valer. Max. lib. 6. cap. 1. *Cum de stupro nihil negaret, sed sponsionem se facere paratum diceret, quod palam atque aperte corpore quæstum factitasset*. Palam autem quæstum fecisse, non ea tantum existimatur, quæ se in lupanario, &, ut Tertul. loquitur, publicarum libidinum loco, prostituit; verum etiam, si quæ in taberna, vel caupona, aut alicubi alias, pudori suo non parcit *b*. Cujusmodi feminis olim, propter infamiæ notam, turpitudinemque vitæ, testimonii dictio non erat: legeque adeo Julia de vi, nominatim cavebatur *c*, ut ne ad testimonii fidem admitterentur.

Et, quoniam hic se de impudicis mulieribus agendi locus offert, non alienum erit, quæ de re meretricia ex veteri memoria observando notavi, in medium producere. Nec enim erit inutilis aut injucunda hæc a proposita oratione digressio. Primum autem invenio, publicarum libidinum victimas atque hostias (sic enim Tertullianus non semel *e* meretrices appellat) Romæ sub fornicibus prostare consuevisse. Inde illud Horatii in Sermonibus *f*:

*Contra, alius nullam, nisi olenti in fornice stantem.*

Qua periphrasi meretricem designat. Idem, eodem loco:

*Quidam notus homo, quum exiret fornice, Macte*
*Virtute esto, inquit, sententia dia Catonis.*
*Nam simul ac venas inflavit tetra libido,*
*Huc juvenes æquum est descendere; non alienas*
*Permolere uxores.* ——

Seneca, in lib. de Beata vita, *Voluptas*, ait, *humile, servile, imbecillum, caducum, cui statio ac domicilium fornices & popinæ sunt*. Arnobius lib. 2. *adversus Gentes*: *Stant in lupanaribus promtæ, in fornicibus objunctæ*. Plautus, Bacchidibus:

*Omnes fornices, lustra, & lustrales cellulas, quæsivi sedulo.*

Martialis, lib. 1. Epigram.

*At meretrix abigit testes veloque seraque:*
*Raraque summœni fornice rima patet.*

Arbiter Petronius, Satyrico: *Tandem, imo jam sero, intellexi, me in fornicem esse deductum: execratus itaque aniculæ insidias, operui caput, & per medium lupanar fugiens, cepi in aliam partem*. Isidorus, lib. 10. Etymologiar. *Fornicatrix est, cujus corpus publicum ac vulgare est. Hæ sub arcuatis prostituebantur, quæ loca fornices dicuntur. unde & fornicariæ*. Sed & in lexico Latino-græco suburbicariæ ædis B. Germani Parisiensis ita scriptum re-

*n* l. observandum. 49. D. de ritu nupt.
*o* l. adoptivum. §. 1. D. de in jus voc. l. sive contr 3. D. de liber. adgnosc. l. Papinianus. §. si ex causa. D. de inoff. test.
*p* l. 4. D. de collusion. deteg.
*q* l. 4. §. ait prætor. D. de his qui not. inf.
*r* l. palam. §. lenonem. D. de ritu nupt.

*ſ* l. qui judicio. 4. D. de accusat. *t* l. marito. 24. D. de adulter.
*u* in Adelph. *x* Novella 14. *y* Valerius Max. lib. 7. cap. 7.
*ʒ* l. ult. C. de spectac. lib. 11. *a* Novella 14.
*b* l. palam 33. D. de verb. signific.
*c* d. l. palam. D. de ritu nupt. *d* l. 3. §. lege Julia. D. de testib.
*e* in lib. de cultu feminar. & in lib. spectacul. *f* lib. 1. Sat. 2.

peri: *Fornicaria, πόρνη ἀπὸ καμάρας, ἐν ᾗ ἵσαν ται.*

Lupanaris vero vocabulum unde ductum sit, Lactantius, *lib.* 1. *divinar. Instit. cap.* 20. sic exponit, de Acca Laurentia agens: *Fuit enim Faustuli uxor; &, propter vulgati corporis vilitatem, Lupa inter pastores, id est, meretrix, nuncupata est. unde etiam* lupanar *dicitur*. B. Hieroym. in Chronic. Eusebii: *Verum parvulos, prope ripam Tiberis expositos, Faustulus, regii pastor armenti, ad Accam Laurentiam uxorem suam detulit; quæ, propter pulchritudinem, & rapacitatem corporis quæstuosi*, Lupa *a vicinis appellabatur. Unde ad nostram usque memoriam meretricum cellulæ* lupanaria *dicuntur*. Idem & Isidor. tradit, *lib.* 18. *Etymolog. cap.* 42. Græci porro *οἴκημα* vocant. Sic enim Dio, *lib.* 59. Messalinæ libidinem narrans, loquitur: Ἤδη δὲ καὶ ἐπ' οἰκήματος, ἐν τῷ Παλατίῳ, αὐτή τε ἐκαθίζετο, καὶ ἄλλας τὰς πρώτας ἐκάθιζεν. *Ipsa in cella meretricia sedebat in Palatio, & alias primarias fœminas ibi collocavit*. Invenitur & hoc verbum apud Xiphilinum *in Heliagabalo*. Καὶ τέλος, ait, ἐν τῷ Παλατίῳ οἰκήματι ἀποδείξας, ἐνταῦθα ἠσέλγαινε. *Denique cellam in Palatio habebat quandam, in qua libidinem exercebat*. Ubi interpres *οἴκημα, cubiculum*, non satis apte, vertit: cum *cellam*, vel *lupanar*, commodius reddere potuisset. Suidas: Οἰκήματα, τὰ χαμαὶ τοπεῖα. Οἰκήματα, *loca quæ humi sunt*. Οἴκημα, τὸ δεσμωτήριον. Ἀττικοὶ δὲ, τὸ πορνεῖον. Οἴκημα *carcer. Atticis Lupanar*.

Ex illo autem Martialis a me supra prolato versu, sub mœnianis & projectis abditas fuisse meretricum cellas, colligere est: qua ratione idem auctor scorta, *submœnianas uxores*, *lib.* 12. *Epigr.* vocat:

*Et plena*, inquiens, *turpi matris olla resina,*
*Submœnianæ qua pilantur uxores.*

Unde etiam explicantur sequentes ejusdem poetæ versus, qui *lib.* 11. *Epigr.* leguntur:

*Submœnianis inquinatior buccis.*
*Quem cum fenestra vidit a Suburrana,*
*Obscœna nondum lena, fornicem clausit.*

Ex quo etiam liquet, in Suburra, quæ in secunda Urbis regione sita erat, meretricum mansionem fuisse, quod versus hi Priapejorum significant:

*Nota Suburranas inter Tbeletusa puellas,*
*Quæ, puto, de quæstu libera facta suo est.*

Et hinc fortasse est, quod in descriptione urbis Romæ, in eadem cum Suburra regione, *lupariæ*, tam a Pub. Victore, quam a Sexto Ruffo, ponuntur. Sed extra urbis mœnia quædam prostabant meretrices, quas *extramuranas* idcirco Lampridius *in Heliagabalo* vocat. Quin & in theatris, & in aliis urbis locis, meretrices constitisse, non dubium est. Idem Lampridius in Heliagabalo: *Fertur una die ad omnes circi, theatri, & amphitheatri, & omnium urbis locorum meretrices, tectus cucullione mulionico, ne adgnosceretur, ingressus*. Idem alias: *Omnes de circo, de theatro, de stadio, & omnibus locis & balneis meretrices collegit in ædes publicas*. Isidor. l. 18. Etymolog. cap. 42. *Idem vero theatrum, idem & prostibulum, eo quod post ludos exactos meretrices ibi prosternerentur*. Ex quibus satis abundeque probatum arbitror, in fornicibus & submœnianis meretricum cellulas positas structasque fuisse: quas, quod & humi depressæ essent, & exiguum lumen admitterent, obscuras esse, fuliginisque plenas, plerumque contingebat. Qua de causa Seneca in

A libris Controversiar. *fornicis fuliginem* dixit. Auctor quoque Priapejorum:

*Quilibet huc licebit intret*
*Nigra fornicis oblitus favilla.*

Indeque Horatius *olentem fornicem* dixit, *lib.* 1. *Sat.* 2. ut & Prudentius, lib. 2. contra Symmachum:

—— *spurcam redolenti fornice cellam.*

Certa vero meretrici cuique cellula constituebaB tur, propriusque ei titulus inscribebatur, quo & prostitutæ nomen, & quantum uno concubitu mereret, designabatur, quo facilius in eam quisque incideret, ad quam animum appulisset; pretiumque concubitus a se pendendum sciret. Seneca, lib. 2. Controversiarum: *Deducta es in lupanar: accepisti locum: pretium constitutum est: inscriptus est titulus: hactenus in te inquiri potest. Ceterum, nescio, quid cellulam & obscænum lectulum vocas*. Et paulo post: *Meretrix vocata es, in communi loco stetisti, superpositus est cellæ tuæ titulus, venientes recepisti*. Et alias: *Stetisti cum meretricibus: stetisti* C *sic ornata, ut populo placere posses: cum veste, quam leno dederat: nomen tuum pependit in fronte: pretia stupri accepisti*. Inde Martialis *inscriptam cellam* pro *lupanario* dixit.

*Intrasti*, ait, *quoties inscriptæ limina cellæ,*
*Et puer arrisit, sive puella, tibi.*

Hoc ipsum Juvenalis aperte expressit g, Messalinam exagitans, Claudii imperatoris uxorem, libidinis prodigiosissimæ feminam, cujus explendæ causa, toro conjugali relicto, meretricis habitu plerumque in lupanar noctu descendebat, venientesD que, nomine insignioris fornicariæ sibi accommodato, usque ad satietatem admittebat.

*Respice*, inquit, *rivales divorum: Claudius, audi,*
*Quæ tulerit. Dormire virum cum senserat uxor,*
*Ausa Palatino tegetem præferre cubili,*
*Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos.*
*Linquebat. Comite ancilla non amplius una,*
*Et nigrum flavo crinem abscondente galero,*
*Intravit calidum veteri centone lupanar,*
*Et cellam vacuam, atque suam. Tunc nuda papillis*
*Constitit auratis, titulum mentita Lyciscæ,*
*Ostenditque tuum, generose Britannice, ventrem.*
E *Excepit blanda intrantes, atque æra poposcit.*
*Mox, lenone suas jam dimittente puellas,*
*Tristis abit: sed, quod potuit, tamen ultima cellam*
*Clausit, adhuc ardens rigidæ tentigine vulvæ:*
*Et, lassata viris, nondum satiata, recessit.*
*Obscurisque genis turpis, fumoque lucernæ,*
*Fœda lupanaris tulit ad pulvinar odorem.*

Quod autem superiores auctores *titulum*, Tertullianus *elogium* appellat in lib. de Spectaculis: *Ipsa etiam*, ait, *prostibula, publicæ libidinis hostiæ, in scena proferuntur, perque omnis ætatis, omnis cognationis ora transducuntur: locus, stipes, elogium, etiam quibus opus non est, prædicantur*. Utitur tamen ille F auctor *tituli* verbo in eandem sententiam in lib. de pudicitia: *Et ubi*, ait, *proponetur liberalitas ista? Ibidem, opinor, in ipsis libidinum januis, sub ipsis libidinum titulis: illic hujusmodi pœnitentia promulganda est*.

Inter meretricem plane & prostibulum hanc veteres differentiam posuisse, Nonius Marcell. notat, quod meretrices copiam sui tantummodo noctu facerent; prostibula vero ante stabulum starent, quæstus diurni & nocturni causa. Et ad hanc com-

g Sat. 6. vers. 115.

probandam differentiam, e Plauti Cistellaria locum producit. Eademque ratione *prosedas* appellatas ab eodem Plauto meretrices, quæ ante stabula sederent, Sext. Pomp. *l.* 14. docet: locus vero Plauti, de quo sentit, ex Pœnulo, *Act.* 1. *Sc.* 2. petendus est. Quorum locorum auctoritate adductus credo, apud Petronium Arbitr. verbum hoc corruptum esse: nam in Satyrico scriptum veteres libri habent, *jam pro sella meretrix assem exegerat*; cum, meo quidem judicio, scribendum sit, *jam proseda meretrix.*

Cum vero ait Juvenalis, *tunc nuda papillis constitit auratis*, morem meretricum signat. Quas nudas prostare consuevisse, didici ex Xyphil. in Heliogabalo. Ἐν τῷ Παλατίῳ, inquit ille, *οἰκήματι ἀποδείξας, ἐνταῦθα ἠσέλγαινε· γυμνός τε ἀεὶ ἐπὶ τῆς θύρας αὐτοῦ ἑστώς, ὥσπερ αἱ πόρναι*. *In Palatio in cella se prostituerat, & libidinem exercebat. Nudus semper ad fores stabat, sicut meretrices.* Petronius Arbiter, in Satyrico: *Cum ego negarem, me cognoscere domum; video quosdam inter titulos, nudasque meretrices, furtim spatiantes.* Enimvero, apud ædiles, flagitium profiteri, suumque nomen edere, meretrix cogebatur. Cornel. Tacit. lib. 2. *Nam Vistilia, prætoria familia genita, licentiam stupri apud ædiles vulgaverat, more inter veteres recepto, qui satis pœnarum adversus impudicas in ipsa professione flagitii credebant.*

Sed & meretricum erant ab honestarum matronarum cultu atque ornatu, distincta vestimenta: quemadmodum *in nostris selectarum ex Jure civili antiquitatum Commentariis* fusissime comprobavimus. Nec in stolæ modo, & pallæ usu, sed & in crinium colore, differentia ea cernebatur. Siquidem, ut Servius *in* 4. *Æneidos* notat, matronis nigra coma, meretricibus flava, probabatur: quod ex eo Juvenalis, quem modo retuli, loco confirmatur.

*Et nigrum*, ait, *flavo crinem abscondente galero.*

Valerius, *lib.* 2. de matribus familias agens: *Indulgentibus namque maritis, & auro abundante & multa purpura usæ sunt; & quo formam suam concinniorem efficerent, summa cum diligentia capillos cinere rutilarunt.*

Ceterum, meretricum quæstum vectigali obnoxium esse Caligula voluit, tributumque illud primus instituit: cujus ad hæc usque tempora exemplum manere dicitur. Sic enim Tranquillus in ejus vita scribit *b*: *Ex gerulorum diurnis quæstibus pars octava, ex capturis prostibulorum quantum quæque uno concubitu mereret: additumque ad caput legis, ut publico tenerentur, quæ meretricium, quæve lenocinium fecissent.* Meminit ejus & Lampridius in Alexandro. *Lenonum*, ait, *vectigal, & meretricum, & exoletorum, in sacrum ærarium inferri vetuit, sed sumtibus publicis ad instaurationem theatri, circi, amphitheatri, & ærarii, deputavit.* Cui non absimile tributum in urbe quoque Constantinopolitana pendi & exigi consueverat. *Χρυσάργυρον* id appellabatur. Quod tandem ab Anastasio sublatum est *i*: qui omnes ejus tabulas magno studio conquisitas flammis aboleri curavit, ut ejus instaurandi revocandique facultatem posteris præcideret.

Porro, meretrices ut plurimum servilis, aut certe libertinæ conditionis erant. Plautus, Cistell. act. 1. sc. 1.

*Eunt depressum: quia nos sumus libertinæ.*

*Et ego, & mater tua, ambæ meretrices fuimus.*

Livius, lib. 39. *Scortum nobile, libertina Hyspala, Fecenia, non digna quæstu cui ancillula adsueverat, etiam postquam manumissa erat, eodem se genere tuebatur.* Lamprid. in Heliagabalo: *Meretrices a cunctis lenonibus redemit. sæpe & manumisit.* Ac plane senatusconsulto, Tiberii temporibus facto, quæstum corpore facere eæ mulieres vetitæ sunt, quarum avus, pater, maritusve, equo publico meruisset. Tacitus, lib. 2. *Eodem anno gravibus decretis libido feminarum coercita est; cautumque, ne corpore quæstum faceret, cui avus, aut pater, aut maritus, eques Romanus fuisset.*

Sed hæc fuerit, ut ait Thucydices, ἐκβολὴ λόγου, *digressio* non inutilis. Ut igitur ad legis interpretationem redeam, sive summœniana cella & fornice, mulier corpus suum vulgaverit, sive alibi, ut cum Imperatoribus loquar, venalem *k* formam exhibuerit, & prostitutam meretricio more vulgo se præbuerit, lege Julia notatur. *Palam* enim hic accipimus, *passim* & *sine delectu*. Nec interest, pecunia accepta, an sine quæstu palam se prostituerit. Quæ vero cum uno, aut item altero, licet pecunia accepta, se commiscuit, in eadem causa non est. Nec vero ea tantum, quæ palam quæstum corpore facit, sed & quæ aliquando fecit, licet facere desierit, ab ingenuorum nuptiis repellitur. Non enim contracta ex anteactæ vitæ turpitudine macula, pœnitentia aboletur. Addit Ulpianus, hujus loci interpretationem persequens, ei non ignosci, quæ, obtentu paupertatis, quasi egestate coacta, turpissimam vitam elegit, similis Chrysidi illi Terentianæ, quæ se inhoneste optavit parare divitias, quam in patria honeste pauper vivere.

Prohibebantur præterea ingenui in adulterio deprehensas ducere. Nec exigebat lex, ut damnatæ essent. Igitur, etsi post deprehensionem absolutæ essent, adhuc tamen illis nota ex ipsa deprehensione, quam solam lex spectabat, contracta oberat *l*. Enimvero, nec pœnæ, nec infamiæ, qua ob crimen adulterii plectitur mulier, non accusata, nec damnata, subjicitur *m*; etsi nuptiis ejus, si deprehensa est, abstinere ingenuos lex Julia de maritandis ordinibus præciperet. Non distinguimus hic, ut in l. Julia de adulteriis, a quo, vel ubi, deprehensa sit. Proinde sive maritus, sive quis alius, deprehendisse proponatur, & sive in domo patris, vel mariti, sive alibi usquam deprehensa sit, erit notata, secundum verba legis. Atque hæc ita de ea, quæ sponte peccarit, accipienda sunt. Vim passam enim integræ existimationis esse, nec nuptias ejus aliis interdici, merito placuit *n*. Damnatam porro ex causa veri adulterii commissi ducere uxorem, etiam lex Julia de adulteriis vetabat. Quin imo factum hoc pro adulterio vindicabat *o*. Ob aliam vero causam lege Julia damnata, veluti quod domum præbuisset, pretiumve pro comperto stupro accepisset, impune ducebatur *p*. Quamquam senatusconsulto postea eæ nuptiæ senatoribus interdictæ videantur *q*. Maritus plane, ream adulterii a se jure mariti vel extranei postulatam, post abolitionem denuo uxorem ducere, & quidem citra legis Juliæ pœnam, potuit. *r*. Is enim in eam legem committit, qui vel publico judicio damnatam in matrimonio habet, vel adulteram sciens, ut ignorantiam simulare non possit, retinet uxorem *s*. Ab extranea vero adul-

*b* cap. 40.
*i* *Zonar.* tomo 3. Aanal. in Anastas. *Niceph.* histor. Eccles. lib. 16, cap. 40.
*k* in l. si ea. 22. C. ad l. Jul. de adult.
*l* l. palam. §. quæ in adulterio. D. de ritu nupt.
*m* l. etsi. 12. C. ad l. Jul. de adult.

*n* l. fœdissimum. C. ad l. Jul. de adult.
*o* l. mariti. 29. §. 1. D. ad l. Jul. de adult. l. castitati. 9. C. eod. tit. l. auxilium. D. de minoribus.
*p* d. l. mariti. §. 1. *q* d. l. palam §. senatus. D. de ritu nupt.
*r* l. generali. 34. §. ream. D. de nupt.
*s* l. sine metu. 17. C. ad l. Jul. de adult.

terii rea, nec ante damnationem uxor, duci potest *t*. Bene itaque Papinianus, cum Mævius, in adulterio Semproniæ damnatus, eandem Semproniam, non damnatam, uxorem duxisse proponeretur, eique moriens hereditatem reliquisset, respondit *u*, neque tale matrimonium stare, neque hereditatis lucrum ad mulierem, sed ad fiscum, pertinere. Similiterque, si talis mulier virum heredem instituisset, ab eo, quasi ab indigno, hereditatem auferri.

Verum enimvero, quando in legis Juliæ & Papiæ explicationem ingressi sumus, e re est, reliqua ejus capita ad rem uxoriam pertinentia persequi. Invenio autem, legibus illis (quod tandem a Justiniano abrogatum est) eas nuptias, quas vir sexagenarius cum uxore quinquagenaria contraheret, fuisse improbatas *x*. Unde scite Lactantius, lib. I. de falsa Rel. cap. *Utrum*, ait, *sexagenarius factus est, & illi lex Papia fibulam imposuit? an impetravit jus trium liberorum?* Ac plane Apulejo inter cetera criminis loco objectum ab adversariis legimus, quod sexaginta annos natam feminam duxisset: idque factum accuratissime ille, *Apolog. pro se ipso secunda*, diluit ac purgat. Improbabat autem lex ejusmodi nuptias, tanquam liberorum quærendorum causa minime contractas, veroque conjugii fructu ac fine destitutas. Hoc enim in illis legibus condendis agebat Augustus, ut exhaustam bellis civilibus civitatem sobole repleret. Sexagenarius autem ut generandi, ita quinquagenaria pariendi impotens esse vulgo existimatur *y*. Aristoteles quidem certe *in Politicis* *z* finem gignendi ut plurimum viris septuagesimum annum adferre, mulieribus vero quinquagesimum, scribit. Itaque Dionysius Halicarnasseus, *l*.4. eorum sententiam refellens, qui Lucium & Aruntem Tarquinios, Tarquinii Prisci fuisse filios, non nepotes, credunt, id admitti non posse, argumento ejusmodi docet: Η γυνὴ δὲ πέντε ἔτεσιν ἦν αὐτῷ νεωτέρα, καθάπερ εἰκός. ἑβδομηκοστὸν ἂν δήπου καὶ πέμπτον εἶχεν ἔτος, ὅτε ἐπέθνησκε Ταρκύνιος, ἐπειδὴ τὸν νεώτερον τῶν υἱῶν ἔσχατον ἐκύησεν, ἔτος ἔχουσα πεντηκοστόν. προσωτέρω γὰρ οὐκ ἔτι κυίσκεται ταύτου τοῦ χρόνου γυνή, ἀλλ᾽ ἔστιν αὐταῖς τῶν ὠδίνων ὅρος, ὡς οἱ ταῦτ᾽ ἐξητακότες γράφουσιν. *Uxor erat quinque annis eo junior, ut probabile est. Erat tum nata annos quinquaginta quinque, cum Tarquinius moreretur, cum minimum filium pareret, erat quinquaginta annorum. Ultra hoc tempus non uterum fert mulier, sed hic est pariendi terminus, ut qui hæc exquisiverunt scribunt.* Sed & idem Aristoteles *a*, *in libro de natura Animalium*, raro contingere, ut ad septuagesimum usque annum vir generet; frequentius vero quinto & sexagesimo anno generandi vires consumi, tradit. Ideoque Dionysius Halicarnasseus, in eo, quem paulo ante citavi, libro: Ἄωρος δὴ γίγνεται πάλιν ὁ γάμος τοῦ Ταρκυνίου μικρὸν ἀπολείποντος ἐτῶν ὀγδοήκοντα. καὶ ἡ τῶν τέκνων γένεσις τοῖς ταύτην ἔχουσιν τὴν ἡλικίαν ἄπιστος. *Intempestivum hoc est conjugium Tarquinio pæne octogenario, nec ea ætate liberorum procreatio est credibilis.* Quapropter apud Plautum, *Mercatore b*, has Eutychus, senibus sexagenariis, quasi a re Venerea jam per ætatem exclusis ac submotis; leges dicit:

*Annos natus sexaginta qui erit, si quem scibimus,*
*Seu maritum, sive hercle adeo cælibem, scortarier,*
*Cum eo nos hic lege agemus.*

Similiter Micio apud Terentium, *Adelphis*, Demeæ suadenti ut uxorem duceret,

*— Satin', ait, sanus es?*
*Ego novus maritus anno demum quinto & sexagesimo,*
*Fiam? —*

Mulierem vero post quinquagesimum annum non parere, Plinius absolute definit *c*, majoremque partem quadragesimo profluvium genitale sistere. Solinus quoque, post annum quinquagesimum omnium mulierum fœcunditatem conquiescere, *in Polyhistore* tradit. Ac plane, quibus cruor menstruis intervallis fluere destitit, eas jam concipere non posse, ab auctoribus medicinæ constanter adfirmari, B. Augustinus auctor est *d*. Subjicit vero Plinius Masinissam regem post octoginta sex annos filium generavisse, qui Methymnus appellatus sit. Cui & Valerius Maximus *e*, & Florus *f*, & Solinus, consentiunt. Quod de eo minus mirum videtur, quem vel ante omnes homines robore senectæ admirabilem fuisse, literarum monumentis proditum est. Qui, quemadmodum Cicero refert, in libro quem *de senectute* scribit, vel nonaginta annos natus, nullo unquam imbri, nullo frigore, ut capite operto esset, adduci potuerit; & pedibus iter ingressus, in equum omnino non ascenderit. Sed & Catonem Censorium idem Plinius *g*, cum Solino, octogesimo exacto anno filium e Salonii clientis sui filia, avum Catonis Uticensis, procreasse scribit. Unde Plutarchus in ejus vita nuptias eum contraxisse οὐ καθ᾽ ἡλικίαν, *non conveniente iis tempore*, ait. Beatus quoque Augustinus suis temporibus senem octoginta & quatuor agentem annos ad libidinem sibi Lyristriam emisse refert *h*. Verum ea leges, quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον, *ut plurimum*, accidunt, spectant; non quæ ἐκ παραλόγου, *præter opinionem*. Et ideo alienam a nuptiis contrahendis superius memoratam ætatem, velut liberorum suscipiendorum spe destitutam, præmiis adficiendam non existimarunt. Atque hic succurrit, quod de Augusto Valerius Max. narrat *i*, aditum eum a Trachallis, testamento Septitiæ matris præteritis, quæ iis irata, jam pariendi impotens, seni admodum nupserat; tam supremum ejus judicium, quam nuptias, improbasse. Nam hereditatem maternam filio habere jussit; dotemque, quia non procreandorum liberorum causa conjugium intercesserat, ad virum pertinere noluit. Eleganter itaque Dionysius matri jam effœtæ nuptias juvenis appetenti, civitatis quidem leges a tyranno abrogari violarique posse, naturæ vero præceptis vim adferri, nuptiarum in ætate minime ad eam rem idonea conciliandarum causa, non posse, respondit. Qua de re verba Plutarchi *in Solone* subjicere operæpretium fuerit: Ὁ μὲν γὰρ, ait, Διονύσιος, ἀξιούσης τῆς μητρὸς αὐτοῦ δοθῆναι τινὶ τῶν πολιτῶν πρὸς γάμον, ἔφη. τοὺς μὲν τῆς πόλεως νόμους λελυκέναι τύραννον, τοὺς δὲ τῆς φύσεως οὐκ εἶναι δυνατὸν βιάζεσθαι γάμους νυμφαγωγῶν παρ᾽ ἡλικίαν. *Dionysius petenti matri, ut elocetur alicui civium, respondit, civitatis quidem leges posse solvere tyrannum: naturæ vero legibus vim adferre non posse nuptiarum, ætate minime ad eam rem apta, conciliandarum gratia.* Quo loci in ejusmodi intempestivas imparesque nuptias ita invehitur: Ἐν δὲ πόλεσι τὴν ἀταξίαν ταύτην οὐ δοτέον, οὐδὲ περιπτέον ἀώρους καὶ ἀχαρίτους ἐπιπλοκὰς, καὶ μηδὲν ἔργον γαμήλιον ἐχούσας μηδὲ τέλος. Ἀλλὰ γέροντι νέαν ἀγαμένῳ φαίητις ἂν ἐμμελὴς ἄρχων ἢ νομοθέτης τὸ πρὸς τὸν φιλοκτήτην· Εὖ γ᾽ οὖν ὡς γαμεῖν ἔχεις, τάλας. Καὶ νέον ἐν δωματίῳ, πλουσίας πρεσβύτιδος, ὥσπερ οἱ πέρδικες ἀπὸ συνουσίας παχυνόμενοι, ἐξανευρὼν, μετοικήσαι πρὸς παρθένον νύμφην ἀνδρὸς δεομένην. *In civitatibus non est admit-*

*t* l. reas. 26. De rit. nupt.
*u* l. Claudius 13. D. de his quæ ut indign.
*x* l. penult. C. de nupt.
*y* l. si sterilis 21. D. de act. emt. l. si major. 12. C. de legit hered.

*z* lib.7.cap.16. *a* lib. 1. *b* scena ult.
*c* lib.7. Natur. hist. cap.14. *d* l.3. contra Julian. Pelag.
*e* lib.8.cap.13. *f* in epitome Liv. l.50.
*g* lib.7.c.13. *h* l.3. contra Julian. Pelag. *i* l.7.c.7.

*tenda ea confusio, nec tolerandæ intempestivæ & ingratæ conjunctiones, quæ nullum habent opus & finem nuptialem, verum seni juvenculam ducenti prudens magistratus vel legislator illud ad Philoctetem dictum objiciat, commode vero potes, miser, ducere uxorem. Quod si juvenem repererit in anus cubiculo pecuniosæ ad instar perdicum ex concubitu pinguescentem, traducet eum ad virginem quæ virum requirat.* Enimvero huic, de quo agimus, legis capiti, Claudium Cæsarem obrogasse legimus, cum comperisset, etiam sexaginta annos natis, aut eo amplius, generandi vires inesse. Sic enim Suetonius in ejus vita *k*: *Capiti Papiæ Poppeæ legis, a Tiberio Cæsare, quasi sexagenarii generare non possent, edicto obrogavit.* Obrogari enim dicitur, cum prior lex, alia lege lata, postea aliqua ex parte commutatur. Quod circa Papiam legem senatusconsulto Claudiano factum esse, ex Ulpiani fragmentis liquet, in quibus *l* ita est: *Sed Claudiano senatusconsulto major sexagenario, si minorem quinquagenaria duxerit, perinde habebuntur, ac si minor LX. annorum duxisset uxorem. Quod si major quinquagenaria minori sexagenario nupsisset, impar matrimonium appellabatur, nec ad capiendas hereditates, vel legatas dotes proficiebat.* Plane, postquam conjuges, supra sexagesimum masculi, supra quinquagesimum feminæ, in matrimonio perstiterant, solidum inter se capere, perinde ac si liberos suscepissent, eodem Ulpiano teste, poterant: cum imputari eis nihil posset, quorum conjunctio ad ætatem a prolis generatione alienam pervenisset. Et hoc Beatus Augustinus significat, cum ait *m*: *Pro modo nunc temporis, quo longe breviore spatio vivunt homines, intra centum annos amborum generare posse dicuntur. Si vero in summam ducti amborum anni centenarium numerum excesserint, sic asseverantur non posse filios procreare, etiamsi fœcunda sit mulier, & fluentibus adhuc muliebribus possit ex juvene: ut jure etiam fuerit constitutum nequaquam jus liberorum habere, nisi cum amborum anni computati & simul adducti centenos transisse dicerentur.* Sic enim locum emendo, fretus Ulpiani auctoritate, qui tum inter se conjuges solidum cepisse scribit, cum lege Papia finitos annos excessissent, id est, vir annos sexaginta, uxor quinquaginta. Jus enim liberorum, cujus Augustinus meminit, ad solidi capionem, de qua apud Ulpianum agitur, pertinet. His & alius ad rem faciens ejusdem Augustini locus adjungendus est ex *l. 1. Quæst. in Genesin*, in quo ita est: *Sic enim medici tradunt, quoniam, cujus corpus viri secundum hoc jam deficit, ut cum femina provectioris ætatis, quamvis menstrua adhuc patiatur, generare non possit, de juvencula potest. Et rursus mulier, quæ jam provectæ ætatis est, quamvis adhuc menstrua fluant, ut de seniore parere non possit, de juniore potest.*

Alio præterea, quemadmodum Ulpianus auctor est *n*, legis Juliæ de maritandis ordinibus capite, tutor a Prætore urbano ei mulieri virgini, quam ex ea lege nubere oportebat, dari jubebatur ad dotem dandam, dicendam, promittendamve, si legitimum tutorem pupilla non habebat. Eoque pertinet, quod idem alias *o* scribit, non tantum ad dotem dandam nupturæ curatorem dari oportere, verum etiam ei quæ jam nupta est. Ut enim Martianus Capella, *lib. 9. de nuptiis Philologiæ*, scribit, *Etiam matrimonio copulato dotem dare viro femina nullis legibus prohibetur.* Et Paulus, lib. 2. Sententiar. *p*, *Dos*, ait, *aut antecedit, aut sequitur matrimonium. Et ideo vel ante nuptias, vel post, dari potest.* Sed & ad dotem augendam, & mutandæ quoque dotis gratia, curator dari potest. Plane in nuptiis contrahendis tutoris curatorisve consensus non exigitur, eoque spreto pupilla pro arbitrio suo recte nubit. Et ita Verus & Antonin. rescripserunt *q* in hæc verba: *Ad officium curatoris administratio rerum pupillæ pertinet: nubere autem arbitrio suo potest.* Verum ei ad dotem constituendam tutor ex lege Julia dabatur. Quodsi curator generalis, vel dotis dandæ causa constitutus, amplius dotis promisisset quam facultates mulieris ferrent, ipso jure eam promissionem non valere, Terentius Clemens *l. ad legem Juliam & Pap.* scribit *r*, quia lege rata non habeatur auctoritas dolo malo facta. Qui locus perspicue indicat, lege Julia id fuisse comprehensum. Nec tamen tota obligatio, sed tantummodo, quod superfluum est, & amplius promissum quam promitti oportuerit, infirmabitur. Inutilis enim adjectio utilem dotis constitutionem vitiare non debet. Quemadmodum & immodica donatio non omnino, sed quatenus duntaxat legis modum excedit, revocatur *s*. Potest vero mulier omnia bona sua in dotem dare: nec ulla lege hoc prohibitum reperitur *t*. Sed si in eo capta circumventaque est, quod ampliorem grandioremque, quam natalium splendor & viri dignitas postularet dotem dederit, restitutionis auxilium probe implorat *u*. Ceterum separabat lex dationem dotis, dictionem, & promissionem. Dictionem quidem ita Cajus *in Institut. fragment.* explicat *x*: *Sunt & aliæ obligationes, quæ nulla præcedente interrogatione contrahi possunt, id est, ut, si mulier, sive sponso, sive jam marito, uxor futura, dotem dicat: quod tam de mobilibus rebus, quam de fundis fieri potest. Et non solum in hac obligatione ipsa mulier obligabitur, sed & pater ejus, & debitor ipsius mulieris, si pecuniam, quam debebat, marito in dotem dixerit. Quæ tantum tres personæ nulla præcedente interrogatione possunt dictione dotis legitime obligari.*

Sed ad alia pergamus. Lege etiam Julia de maritandis ordinibus, jusjurandum, Paulo teste *y*, remittebatur, quod liberto in hoc impositum erat, ne uxorem duceret; libertæ, ne nuberet; si modo nuptias contrahere recte vellent. Eodemque legis capite tricesimo quinto, qui liberos, quos in potestate habebant, injuria prohibebant uxores ducere, vel nubere, per magistratum cogebantur *z*. Fuisse quoque hæc fere verba eadem lege comprehensa, non temere adfirmare posse mihi videor: *Divortii faciendi potestas libertæ, quæ patrono nupsit, invito patrono ne esto. Sed, quandiu patronus eam uxorem esse volet, & uxor esse velle debebit.* Quæ verba ex duobus Ulpiani locis *a*, *ex lib. 3. ad leg. Jul. & Pap.* sumtis, perspicue eliciuntur. Idem etiam alias *b*, *Si liberta*, ait, *ab invito patrono divertit, lex Julia de maritandis ordinibus, retinet istam in matrimonio, dum prohibet alii nubere invito patrono.* Indeque etiam rescriptum Alexandri interpretandum est. ita habet *c*: *Libertæ tuæ, ducendo eam uxorem dignitatem auxisti; & ideo non est cogenda operas tibi præstare, cum possis legis beneficio contentus esse, quod invito te alii non possit juste nubere.* Patronum autem in hac lege accipimus, eum, qui ex servitute sponte manumisit, vel filium ejus. Sed, an is, qui ex causa fideicommissi manumisit, hoc idem jus habeat, quæri potest. Hic enim pro patrono habetur, quamquam plurimum

*k* cap. 23. *l.* Tit. 19 *m* lib. 3. contra Jul. Pelag.
*n* Tit. de tutel. *o* l. non tantum. 7. D. de tut. & curat. dat.
*p* Tit. 21. *q* l. sciendum. 20. D. de ritu nupt.
*r* l. sive generali. 61. D. de jure dot.
*s* l. ut mihi 21. §. 1. D. de donationibus. l. sancimus. prin. & §. in autem. Cod. eod. tit.
*t* l. nulla. 5. Cod. de jure dot. l. mulier. 72. D. eod. lit.
*u* l. si ex causa 9. §. 1. D. de rum. l. un. C. si adversus dotem.
*x* lib. 2. cap. 9. *y* l. adigere 9. §. ultim. D. de jure patron.
*z* l. capite 19. D. de ritu nupt.
*a* l. in eo jur. 45. D. de rit. nupt. l. ult. D. de divort.
*b* l. un. §. 1. in fin. D. unde vir & ux. *c* l. libert. 8. C. de op. lib.

ab eo qui nulla necessitate cogente gratuitam præstitit libertatem, differt. Nec enim magnam ei gratiam libertus debet, qui vel nolente eo ad libertatem rapitur. Ideoque operas ei imponere, ut est ab Adriano rescriptum, in ipsa manumissione non potest *d*, nisi testatoris filius ejusmodi fideicommisso a patre ea mente, ut plenum jus patroni haberet, gravatus sit *e*. In tantum, ut & si manumitti eum ita testator, ut operas heredi extrario promitteret, voluerit, non cogatur manumissus promittere; sed &, si promiserit, in eum actio non dabitur, quod juri publico derogare non potuerit, qui fideicommissariam libertatem dedit *f*. Et tamen, eos, quibus supremis judiciis libertas per fideicommissum relinquitur, eorum libertos effici, a quibus manumittuntur, negari non potest *g*. Sed non per omnia in eo patronorum jura non manumissores vindicant *h*. Nam honorem quidem & reverentiam patronis debitam ab iis exigere possunt *i*; & in jus sine venia eos vocare non conceditur *k*; & ad impuberum libertorum legitimam tutelam, utpote manumissores, vocantur *l*; & tam contra tabulas, quam ab intestato, ad libertorum bona veniunt *m* quasi patroni. Ceterum nec operas imponendi, ut dixi, nec ingratos libertos accusandi jus habent *n*, nec alimenta ei præstare liberti coguntur *o*. Magis est itaque, ut nec legis hujus beneficium habeant, qui necessitate coacti manumiserint. Idque ita constitutum fuisse Marcellus *lib.3 ad l. Jul. & Pap.* scribit *p*. Cui & Modestinus assentitur *q*, & merito: cum magis debitam libertatem præstitisse, quam ullum beneficium in mulierem contulisse videantur. Diversa longe ejus, qui hac lege emit ut manumittat, causa est. Hic enim si manumiserit, ut patronus hoc jus hubebit *r*, propterea quod sponte sua hanc legem subiit, quam ei ab initio recusare integrum erat. Quamobrem & ali hic a liberto, si egestas premat, debet, & in jus vocari sine venia non potest, & omnia omnino legitimorum patronorum jura nanciscitur *s*. Sed an idem servabimus, si, cessante eo, ex constitutione D. Marci servus ad libertatem ereptus sit? Non enim vindictam imposuit. Propius est tamen, & hunc quoque lege contineri: quippe qui patronus existimetur *t*, cum potestas legis factum manumissoris suppleverit, non etiam patronatus commoda ademerit *u*. Plane, qui ancillam suis nummis emit, pro patrono in hoc jure non habetur *x*: sicut nec libertum ut ingratum accusare, nec operas ab eo exigere, nec alimenta desiderare, nec ad bona ejus contra tabulas admitti jure potest *y*: licet honos ei servetur nec in jus vocari citra veniam, si modo non fidem fregerit, queat *z*. Patronus hic certe accipitur & qui collusionem detexit, per quam in ingenuitatem quis ex libertinitate obrepserat. Fraude enim hac patefacta, ejus libertum effici eum, minime dubium est *a*. Sed & siquis

A præjudicio patronus pronunciatus est, cum alioquin non esset, pro patrono habetur *b*. In hac enim causa sententiam jus facere, receptum est. Aliter atque de eo dicendum est, qui se patronum esse juravit. Nec enim in hac parte, nec quod ad successionis jura attinet, pro patrono habetur *c*; tametsi in jus vocari sine venia non possit. Quod si filiusfamilias jussu patris, vel consentiente eo, non castrensis peculii ancillam manumiserit; existimo, etiam patrem legis beneficio fruiturum, quandoquidem manumisisse ipse videtur, & patronus est *d*. Quod si filiusfamilias in castris quæsitam ancil- B lam manumiserit, ei legis hujus beneficium competet; cum suam, non patris libertam eam fecerit *e*. Quod & ab Adriano rescriptum dicitur *f*. Et certe castrensis peculii servi in familia patris non computantur, nec in his juris quicquam pater habet. Quæsitum est, an, qui sibi cum alio communem libertam duxit, ad hoc jus admittatur. Quod negasse Javolenum, Cajus *lib. 9. ad l. Jul. & Pap.* retulit *g*. Contra tamen alios sentire. Quorum sententiam magis probat, propterea quod ejus liberta sit, quamvis alterius quoque sit. Nam quod commune est, pro parte nostrum esse, negari non potest *h*. Filio etiam patroni in libertam paternam, C eandemque uxorem, ex sententia legis, idem juris, quod patrono ipsi, datur *i*. Quod si fratri suo a patre adsignatam alter frater uxorem duxerit, hoc idem jus non habebit *k*. Nihil enim juris in hujusmodi liberta habet, quæ adsignatione fratris perinde propria facta est *l*, atque si ab eo libertatem consecuta esset. quod senatusconsulto inductum est. Ceterum, de nupta liberta lex loquitur, nec ad sponsam pertinet. Et ideo sponsalium conditioni, invito patrono, renunciare liberta potest, nec cum alio connubium amittit *m*. Interdum plane, quæ de nuptiis statuuntur, ad sponsalia porriguntur: nimirum, ubi eadem ratio utrobique D versatur. veluti, inter quos nuptiæ prohibentur, inter eos quoque sponsalia, utpote viam ad matrimonium facientia, prohibita intelliguntur *n*. At, quod de nupta constitutum est, non protinus ad sponsam producendum est, quoniam arctiori vinculo constricta est quæ nupsit, quam quæ duntaxat desponsa est. Enimvero in ea demum, quæ juste, legitime, ac civiliter nupta est, lex locum habet. Nam, si ignominiosam libertam suam patronus duxerit, id est, quæ quæstum corpore fecerit, artemve ludicram exercuerit, vel judicio publico sit damnata, quia contra legem maritus est, legis hujus beneficium non habet *o*. *Indignus enim est be-* E *neficio legis, qui adversus eam commisit* *p*. Nec tamen legitime duntaxat nuptam libertam, sed & eam quoque quæ in concubinatu solum patroni sit, sententia legis adprehendi, notandum est. Igitur, quemadmodum Ulpianus *libro primo ad l. Juliam* scribit *q*, quæ in concubinatu patroni est, si ab

*d* l. ut jusjur. §. rescript. D. de op. libert. l. mater. 5. C. eodem tit.
*e* l. qui ex causa 29. D. de bon. libert.
*f* l. cerdonem. 42. D. de oper. libert.
*g* l. hi quibus, C. de fideicom. lib.
*h* l. nequaquam 24. D. de excus. tut. *i* l. mater. C. de op. lib.
*k* l. is quoque. D. de in jus voc. & d. l. nequaquam.
*l* l. 3. D. de legit tutor.
*m* l. qui ex causa D. de bon. lib. l. 1. C. de bon. poss. contr. tab.
*n* l. 1. C. de libert. & eorum liber.
*o* l. si quis a liberis. §. si quis a liberti. D. de lib. adgn.
*p* l. proxime 50. D. de rit. nupt. *q* l. pen. D. de divort.
*r* l. in eo 45. D. de rit. nupt.
*s* l. 3. §. sed si hac D. de bon. lib.
*t* l. sed si hac lege 10. D. de in jus voc. l. 3. §. is plane. D. de suis & legit. l. servum. 8. in fin. D. de jure patron.
*u* l. justa causa. §. 1. D. de manum. vindict. l. ult. C. si mancip. it a fuer. ali.
*x* d. l. in eod. §. 2. D. de rit. nupt.

*y* l. si tuis. C. de oper. libert. l. si quis a liberis. §. si quis a liberti. D. de lib. adgn. l. 1. C. de bon. lib.
*z* d. l. sed si hac leg. D. de in jus voc.
*a* l. adoptivum. §. patronum. D. de in jus voc. l. 4. D. de collus. deteg.
*b* d. l. adopt. §. 1. D. de in jus voc.
F *c* l. si juravero. D. de jure patron.
*d* l. si consentiente. D. de manumissionib. l. pater. D. de manum. vind.
*e* d. l. in eo. §. 3. D. de rit. nupt.
*f* l. servum. D. de jur. patr. l. 3. §. si quis filiusfam. D. de bon. lib.
*g* l. illud. 46. D. de sit. nupt. *h* l. servi. 5. §. 1. de legat. 1.
*i* l. filio. 48. D. de rit. nupt. *k* d. l. filio. §. ult.
*l* l. 1. D. de adsign. lib.
*m* l. in eo jure. §. hoc. caput. D. de ritu nupt.
*n* l. oratio. 16. D. de sponsalib.
*o* l. filio. 48. §. 1. D. de ritu nupt.
*p* l. auxilium. 37. D. de minoribus.
*q* l. 1. D. de concub.

eo invito discesserit, ei connubium adimetur: quippe cum honestius sit patrono, libertam concubinam quam matremfam. habere.

Ait lex, *Invicto patrono*. *Invitum* accipere debemus *r* eum, qui non consentit ad divortium. Proinde non tantum nolente & dissentiente vel contradicente liberto divertere non potest, sed omnino sine ejus assensu. Et alias quoque invitus dicitur *s*, qui consensisse non probatur, nisi ubi lex consensum ex taciturnitate & silentio colligit, veluti in dotis repetitione *t*, & in sponsalibus nuptiisve constituendis *u*. His consequens est, ab absente & ignorante patrono non recte libertam divertere. Rectius enim, ait Ulpianus, hic invitus dicitur, quam qui dissentit. Quod dictum novum videri superficiem solam verborum inspicienti posset. summam tamen rationem habet. Nam, qui contrariam voluntatem contestati, dissensus sui rationes reddiderunt, multo minus habent quod querantur, quam quibus ignorantibus res gestæ sunt: cum iis, quid animi habeant, explicandi facultas non sit data; spretaque ac neglecta sit, quæ exquirenda fuerat, voluntas. Qua de causa multa invitis & dissentientibus aliquibus recte fiunt, quæ his absentibus & ignorantibus facta non tenent. Ut accidit, cum, tribus judicibus datis, absente uno, ex his duo pronunciarunt. Quamquam enim, præsente eo, & invito, duorum, utpote numero superiorum, sententia prævaluisset; quia tamen omnes convenire ad deliberandum oportuit, idcirco quod absente uno gestum est, irritum constituitur *x*. Forsan enim, si præsens fuisset, qui absfuit, rationum suarum pondere ac momento reliquos de sententia deducere, & in suam trahere potuisset: quemadmodum de Paphnutio episcopo proditum est *y*, qui in Nicæno concilio, cum universis placeret, a conjugum usu atque consortio prohibendos eos quoque, qui ante sacros ordines susceptos uxores duxissent, solus intercessit, orationeque sua reliquos episcopos, qui prius aliud senserant, in suam opinionem adduxit. Merito igitur, ut ad legis sententiam revertamur, eadem est patroni absentis & ignorantis, quæ contradicentis ac reclamantis, causa. Generaliterque adeo statui potest ignorantes eodem cum dissentientibus loco habendos esse; ac proinde invitis nobis fieri ea existimari, quæ ignorantibus nobis fiant, quamquam prohibitio nulla intercesserit *z*. Ideoque ignorantem invito jungi sæpius videas *a*. His consequens est, si patronus post nuptias furere cœperit, ab eo divertendo libertam hujus legis necessitate minime solvi *b*: quoniam nec scire nec consentire furiosus intelligatur. nisi quod, quæ per dementiam patri dotem repetenti contradicere filia non potest, consentire, voluntatem ejus affectu paterno supplente benigne, censetur *c*. Quamobrem Pomponius infantes & furiosos, quorum nulla voluntas est, invitos recte dici ajebat *d*.

Ait lex, *Potestas ne esto*. Quibus verbis non infectum efficit divortium, quod jure civili matrimonium solvit; sed libertæ, quæ divertit, dotis repetitionem, connubiumque, id est, alii jure nubendi potestatem adimit: licet constare matrimonium dici non possit, cum sit separatum *e*. Divertere igitur liberta potest, & est quidem divortium,

*r* d. l. in eo. §. deinde. D. de rit. nupt.
*s* l. filiusfam. 8. §. invito. D. de procuratorib.
*t* l. 2. §. 2. D. sol. matr.
*u* l. in sponsalibus. in fin. D. de sponsalibus.
*x* l. si duo. 39. D. de re jud. l. si in tres D. de recept. qui arbitr.
*y* *Socrat.* lib. 1. cap. 11. *Sozom.* lib. 1. cap. 23.
*z* l. in causæ 27. versic. ceterum. D. de procuratorib.
*a* l. solvendo. 39. D. de negot. gest. l. furiosus. D. de oblig. & act. l. 3. C. de hered. vend. l. solutione. l. solvere. D. de solutionibus.

A confirmationemque factæ inter eos donationis impedit *f*; sed alii nubendi lex ei potestatem denegat ac tollit, quandiu eam animo uxoris & pro conjuge patronus habeat. Satis enim incivile & inofficiosum est, libertam, nuptiis patroni honoratam & hoc beneficii cumulo auctam, pro arbitrio patronum deserere. Et ideo bene Imperator Alexander *g* patronum, qui libertam uxorem duxit, legis beneficio contentum esse debere rescripsit, *quod invito eo non possit ea alii juste nubere*. Nec enim dixit, divertere non posse, sed nec in concubinatu quidem a quoquam haberi hujusmodi libertam posse, Julianus censebat; quæ, hoc impedimentu deficiente, jure licito in concubinatu a quovis B haberetur *h*. Plane, si voluntate patroni liberta discesserit, connubium cum alio habet, & de dote cum patrono agere potest *i*, quam ei dedit.

Ait lex, *Quandiu volet*. Itaque, si vel patronus esse, vel eam conjugem velle desierit, statim legis auctoritas finitur. Qualiquali autem voluntate intelligi possit, patronum animum habere desiisse quasi in uxorem, legis hujus beneficium amittit. Proinde si rerum amotarum cum ea egerit, vel aliqua actione quæ constante matrimonio inter eos non detur, vel accusare eam adulterii deprehensi cœperit, vel alio crimine postulare, quod uxori nemo C objicit, vel si aliam sibi despondérit, destinaveritve, aut cum alia matrimonium contraxerit, vel aliam in concubinatu habere instituerit, incipit libertæ cum alio connubium esse: quod ea duntaxat ratione ei adimitur, quod patronus sibi eam nuptam velit. Quare, ubicunque vel tenuis intellectus videri potest nolentis nuptam, alteri se liberta vel in matrimonium, vel in concubinatum recte dabit *k*. Ceterum, verba hæc, *Quandiu volet*, tractum habent *l*. Unde dubitari potest, si patronus ab hostibus captus sit, statimne hujus legis necessitate liberta solvatur, an etiam exspectan D dum ei sit, dum patronus redeat. Nodus sane hic vindice dignus. In hujus enim quæstionis dissolutione Julianum & Ulpianum in contrarias sententias scissos invenio. Verum ipsamet Ulpiani verba subjicere præstat *m*: *Si ab hostibus patronus captus esse proponatur, vereor, ne possit ista connubium habere nubendo: quemadmodum haberet; si mortuus esset. Et qui Juliani sententiam probant, dicerent, non habituram connubium. Putat enim Julianus, durare ejus libertæ matrimonium etiam in captivitate, propter patroni reverentiam. Certe si in aliam servitutem patronus sit deductus, procul dubio dissolutum esset matrimonium*. Quæ verba apertissime ostendunt, inter E Jurisconsultos de hac specie minime convenisse. Captivitate enim matrimonium mero jure solvitur *n*, quod is in servilem causam deductus, servusque hostium factus, jam pro nullo habeatur. Itaque Triphonius *o*, *Captivi*, ait, *uxor*, *tametsi maxime velit*, *& in domo ejus sit*, *non tamen in matrimonio est*. Similiter Paulus *p*: *Si quis sic stipulatus sit a marito*, *Si quo casu Titia tibi nupta esse desierit*, *dotem dabis? hac generali commemoratione*, *& ab hostibus capta ea*, *committi stipulationem*, *eoque genere bona gratia solvi matrimonium censebatur q*. At Julianus, spreta hac stricta & subtili juris ratione, F durare adhuc matrimonium censebat, nec licentiam habere libertam, cujus patronus, idemque

*b* d. l. in eo. §. deinde. D. de ritu nupt.
*c* l. 2. §. voluntatem. D. soluto matr.
*d* l. invitum. D. de servit. urb. *e* l. ult. D. de divort.
*f* l. & ideo 62. §. 1. D. de don. int. vir.
*g* in l. libertæ. C. de oper. lib. *h* l. 3. D. de concub.
*i* l. libert. 35. D. soluto matr.
*k* l. ult. §. ult. D. de divortiis. *l* l. 3. D. ad. sen. Ter.
*m* l. in eo jure. 45. §. ult. D. de tit. nupt. *n* Novel. 37.
*o* l. in bello. 12. 4. §. D. de capt.
*p* l. si quis sic stipul. 56. D. solut. matr.
*q* Novell. 37.

maritus

maritus, ab hostibus captus esset, ad aliud matrimonium migrare, non tantum propter debitam patrono reverentiam, sed etiam, ut existimo propter suspensum ejus statum, & postliminii spem. Juliani hæc sententia expressis verbis in alio Pandectarum capite consignata est, quod apertissimum aut oscitantiæ, aut inscitiæ Triboniani exemplum est. Ex libro enim 62. Digestorum Juliani hæc verba referuntur r, sub tit. de Divortiis: *Uxores eorum, qui in hostium potestatem pervenerunt, possunt videri nuptarum locum retinere, eo solo, quod alii temere nubere non possunt. Et generaliter definiendum est, donec certum est, maritum vivere in captivitate constitutum, nullam habere licentiam uxores eorum migrare ad aliud matrimonium. nisi mallent ipsæ mulieres causam repudii præstare. Sin autem in incerto est, an vivus apud hosteis teneatur, vel morte præventus, tunc, si quinquennium a tempore captivitatis excesserit, licentiam habet mulier ad alias migrare nuptias: ita tamen: ut bona gratia dissolutum videatur pristinum matrimonium, & unusquisque suum jus habeat imminutum. eodem jure & in marito in civitate degente & uxore captiva observando.* Sed mihi, dicam ingenue, caput hoc valde suspectum est. Nam vix adduci possum, ut credam, pura esse Juliani omnia verba, quæ sub ejus nomine referuntur; quinimmo, a Triboniano aliquid fermenti esse inditum, credibile est. Movet me, quod tota hæc clausula, *Sin autem in incerto*, &c. nihil aliud continet, quam quod διαῤῥήδην, *expresse*, ab ipso Justiniano constitutum est *Novell.* 22. his verbis: Ἀλλὰ καὶ τὸ τὰ τῆς αἰχμαλωσίας, &c. id est, ut ego interpretor, *Captivitatis etiam casus, ad eam matrimonii dissolutionem, quæ bona gratia fit, pertinet. Sive enim vir eum casum patiatur, uxore in civitate manente; sive rursus, muliere ab hostibus capta, vir in civitate remaneat; stricta quidem & subtilis ratio matrimonium solvit. Nam servitute alterutri ex conjugibus contingente, fortunæ statusque ac conditionis inæqualitas ac disparitas, nuptiarum æqualitatem stare non patitur. Verumenimvero, hæc benignius humaniusve inspicientes, quamdiu quidem captivum conjugem vita frui constat, dissolvi matrimonia non concedimus, nec ad secundas migrare nuptias: nisi velint hoc temere facere, & subjacere pœnis injusti divortii, ut vir quidem ante nuptias donationis, uxor vero dotis amissione multetur. Quod si incertum sit, superstitne, an non, quæ in militiam abiit persona; tunc quinquennium exspectare, tam virum, quam mulierem: post quod sive certus de morte nuncius afferatur, sive in incerto maneat, impune nuptias contrahere licet.* Ex quibus colligitur, quinquennium illud, quo exspectari absentis conjugis reditus debet, a Justiniano præstitutum esse. Hoc enim ille sibi tribuit, his verbis, θεωροῦντες, & συγχωροῦμεν. Quamquam sequentia verba dubitationem forte lectori moverent in quibus ita est: Καὶ τοῦτο γὰρ δὴ ταῖς καλουμέναις *bona gratia* διαλύσεσι παρὰ τῶν πρὸ ἡμῶν συνηρίθμηται. καὶ ἡμεῖς δὲ εἰς τοῦτο σύμφαμεν, ὥστε ἐνταῦθα οὐδὲ διαζυγίῳ γίνεται καιρὸς, οὔπω τῶν προσώπων διεστώτων ἀλλήλων, καὶ οὐδεὶς ἐντεῦθεν κερδανεῖ, οὔτε ὁ ἀνὴρ τὴν προῖκα, οὔτε ἡ γυνὴ τὴν προγαμιαίαν δωρεάν, ἀλλ᾽ ἕκαστος ἐπὶ τῶν οἰκείων μενεῖ. id est: *Et hæc enim species in his dissolutionibus nuptiarum, quæ bona gratia fiebant, ab antiquis, & qui nos antecesserant, numerabatur. Nos quoque in hoc consentimus, ut hinc neque divortii detur occasio, sic distractis a sese personis, nec aliquis inde lucrum ferat, nec vir dotis, nec mulier ante nuptias donationis, sed unusquisque sua sibi habeat.* Quod sic accipi potest, ut per captivitatem quidem, bona gratia dissolvi matrimonium veteres crediderint. Quorum sententiæ Justinianus, adhibito temperamento, quod exposuimus, accedit. Nam, ante eum, quinquennium illud observatum non fuisse, argumento est Constantini constitutio, quæ de quadriennio loquitur. quam, quod causæ nostræ jugulum premat, integram subjungam. *Uxor*, ait *s*, *quæ, in militiam profecto marito, post interventum annorum quatuor, nullum sospitatis ejus potuit habere indicium, atque ideo de nuptiis aliis cogitavit, nec tamen ante nupsit, quam libello ducem super hoc suo voto convenit; non videtur nuptias iniisse furtivas, nec dotis amissionem sustinere, nec capitali pœnæ esse obnoxia, quæ post tam magni temporis jugitatem non temere, nec clanculo, sed publico, contestatione deposita, nupsisse firmatur.* Videndum est igitur, ne Justinianum in Julianum infuderit Tribonianus, & veterious nova more suo permiscuerit. Nec abest suspicio, quin & alio capite, huc quoque spectanti, quod ex Pauli lib. 4. ad leg. Jul. & Pap. descriptum est, aliquid de suo inseruerit. Ita enim caput habet *t*: *Non ut a patre filius, ita uxor a marito, jure postliminii recuperari potest: sed tunc demum, cum & voluerit mulier, & adhuc alii post constitutum tempus nupta non est. Quod si noluerit, nulla causa probabili interveniente, pœnis discidii tenebitur.* Nam, constitutum aliquod tempus fuisse, ante posteriores Impp. non legimus. Et certe Quintilianus, in ficto themate, quod hic prætermitti non debet, non certi alicujus temporis meminit. festinatio quidem mulieris, quæ, morte mariti solo rumore intellecta, alii confestim nupserat, ita apud eum notatur *u*: *Adulteros fuisse in matrimonio, constat: nemo negat. Matrimonium duobus generibus solvitur, aut repudio, aut morte alterius. Neque repudiavi: & certe vivo. Sed rumor de morte venit. Hæc statim nupsit alii marito. Quid est hoc aliud, quam improbius adulterium? Meæ igitur nuptiæ manserunt: illæ non fuerunt legitimæ. Legitimum porro matrimonium, nisi soluto priore, esse non potest. An opinione contenti sumus?* Et postea: *Ergo uxor, sic a me amata, testamento relicta heres, audita morte mariti, non inquisivit, ubi periissem: non aliquos certiores nuncios, non reversuros a supremis officiis servulos exspectavit: sed festinato quoque nupsit, & in novæ libidinis amorem, mea judicia protinus eludens, transtulit mœchum, in eadem domo, in eodem cubiculo, in eodem lecto. adeo mariti prioris etiam memoriam abjecerat. Desii ista mirari, cum adulterum vidi juvenem, propter quem tandiu vidua esse non posset, quamdiu peregrinari poteram ego, qui uxorem sic amavi. Temere profecto, temere in longius ituri, conjuges nostras domi relinquimus: subito absentum obliviscuntur, & pæne cum ipsis horis uxorum pectora refrigescunt. Mirer nunc ego, unde rumor? quæ tam maligni mendacii causa? cui fingere istud expedierit? Ille profecto in causa fuit juvenis, qui ad domum meam ductus est: quæsitus est locus.* Sed hæc, qui acutiore sunt ingenio præditi, & qui plus otii ad has res speculandas & perscrutandas habent, diligentius exactiusque me, homine forensibus negotiis præpedito, investigabunt: satisque habebo, si, me veluti classicum canente, ad hujus rei accuratiorem disquisitionem excitentur. Ut ut sit, aliam quandam huic quæstioni formam Justinianus, *Novella* 117. dedit: quam Juliani Patricii *x* verbis, quæ mentem Justiniani perspicue reddunt, proferam: *Jubemus uxores militum, sive in expeditionibus degentium, sive in militiis, sive milites sint, sive fœderati, sive scholares, sive alia qualicunque arma-*

*r* l. uxores. D. de divort.
*s* l. uxor. 7. C. de repud. & judic. de morib. subl.
*t* l. non ut a patre. 8. D. de captiv. & postl.
*u* declamatione 347.
*x* Novell. Constit. 108, c. 387.

*ta militia decorati, exſpectare, quantoſcunque annos in expeditione fuerint; etſi nullas literas, nullum reſponſum a maritis* ( ſic enim procul dubio legendum ) *ſuis receperint. Sin autem talis mulier maritum ſuum defunctum audierit, non liceat ei ſtatim ad alias nuptias pervenire, niſi prius pervenerit aut per ſe, aut per parentes ſuos, aut per aliam qualemcunque perſonam ad priores numeri & chartularios ſcrinii.*

Tutores etiam, pupillas ſuas uxores ducere, & filiis ſuis nuptum dare, ſenatuſconſulto, quod Marci Antonini & Commodi orationem ſubſecutum eſt, prohibebantur *y*. Eoque referendum eſt quod Marcellinus, Hermogenis interpres, Νόμος, ait, *μὴ γαμεῖσθαι τὴν ὀρφανὴν, μήτε τῷ ἐπιτρόπῳ, μήτε τῷ ἐπιτρόπου παιδί. Lex eſt, neque a tutore neque a tutoris filio pupillam uxorem duci poſſe.* Cauſam autem harum prohibendarum nuptiarum vel hanc præcipuam fuiſſe invenio *z*, ne pupillæ in re familiari circumſcriberentur ab iis, qui rationes eis geſtæ tutelæ reddere neceſſe habebant; neve fraudes in tutelæ adminiſtratione commiſſæ, hujuſmodi domeſtici matrimonii velamento, quo tutelæ reddendæ ratio inhibebatur, tegerentur, quas palam proferri reipublicæ expedit. Atque hanc prohibitionis harum nuptiarum cauſam Principum oratio continebat *a*, quam Paulus libro ſingulari perſecutus erat: ceteri etiam Jureconſulti ſatis multis verbis de ejus ſententia egerant. Summa vero eorum, quæ ad ejus interpretationem adferri ex eorum conciſis a Triboniano ſcriptis poteſt, hæc eſt: Sententia orationis ſenatuſconſultique contineri quoſcunque, qui rationibus reddendis ſunt obnoxii. Non tantum igitur tutores, adoleſcentumve curatores, ſed & curatores ventri boniſque dati, ſenatuſconſulto apprehenduntur. Hi quoque, qui tutores quidem non ſunt, periculo tamen tutelæ ſuo nomine obſtringuntur, a pupillarum nuptiis arcentur. quales ſunt qui falſis allegationibus a tutela ſe excuſaverunt *b*. Ad eos enim, poſtquam religionem jus dicentis circumveniſſe eos conſtiterit, periculum adminiſtrationis exinde pertinet, ex quo dati ſunt *c* Idemque & in honorariorum tutorum perſona ſervandum eſt. Nam & hi male geſtæ tutelæ periculum præſtant *d*. Heredes quoque tutorum, licet extranei, quoniam rationes reddere debent, ſenatuſconſulti prohibitione concluduntur *e*. Ac vel ejus, qui tutor curatorve datus non juſte provocaverit, heres quandoque victus, quia præteriti temporis damnum, ſiquod pupilla paſſa ſit, adgnoſcere debet, ad orationem pertinet *f*. Alia eſt ejus, qui pro tutore curatoreve, cum revera tutor curatorve non ſit, negotia adminiſtrat, cauſa. Hunc enim, cum nomine tenus, quod ſibi falſo uſurpat, tutor ſit, a pupillæ, cujus res geſſit, nuptiis repelli, Leoni & Anthemio diſplicuit *g*. Et certe in toto fere jure eorum adminiſtratio diverſam a tutorum adminiſtratione rationem habet *h*. Fidejuſſores plane, nominatoreſque tutorum, aut qui eos dedere magiſtratus, licet, deficientibus tutoribus, in tutelæ periculum incidant, quia tamen ex alterius perſona hoc incommodi eis accedit, ſenatuſconſulto non continentur. Quod vero ſenatuſconſulti verbis cavebatur, ne uxorem tutor pupillam ſuam duceret, ſic acceptum eſt, ut ne deſponderi quidem poſſit *i*. Sed nec filiis ſuis modo, verum etiam nepotibus, nuptum dare pupillas ſuas tutores prohibiti intelliguntur. Quamquam enim de filiis duntaxat oratio loqueretur, ad nepotes tamen interpretatione producta eſt: quod prohibitionis eadem circa illos, quæ circa filios, ratio verſetur; licet, ſi propriam verborum ſignificationem ſpectemus, filiorum appellatio nepotes non complectatur. Nihil autem intereſt *k*, filii ſui juris, an in patris poteſtate, tutoriſve vel curatoris, ſint. Naturales etiam liberi, licet in adoptionem dati & in alienam familiam translati ſint, ſenatuſconſulto tamen comprehenduntur *l*. Adoptivi vero tamdiu, quoad de poteſtate dimittantur. Emancipatione enim adoptionis jura in totum perimuntur atque evaneſcunt *m*. Ad ſenatuſconſultum quoque libertum pertinere placuit, qui filio ſuo naturali, quem in ſervitute ſuſceperat, poſtea manumiſſo, pupillam ſuam in matrimonio collocat *n*. Nec vivo demum tutore, verum etiam poſt mortem ejus, filius tutoris prohibetur eam uxorem ducere, cujus tutelæ rationi pater obſtrictus fuit; ſive heres ei exſtiterit, ſive abſtinuerit, aut etiam exheres ſcriptus ſit. Nam & fieri poteſt, ut per fraudem in eum collata bona patris propter tutelam revocari oporteat *o*. Quod ſi avus tutelam geſſerit, neptis ex filio emancipato natæ, nepti ex altero filio eam recte collocabit: cum hoc factum ſuſpicione propter parem affectionis ſtimulum vacet. Sed & ſi filiusfa. tutor puellæ vel curator ſit, ( poteſt enim *p* ) patri ejus, fratrive qui in ejuſdem patris poteſtate eſt, pupillam non recte nuptum dabit *q*. Patriæ namque poteſtatis vinculo, unius prope ejuſdemque loco hæ inter ſe perſonæ habentur *r*. Quamquam autem in arbitrio matris, pater eſſe voluerit, cui nuptum filia communis collocaretur; non tamen ea tutorem ejus eligere poterit, cum contra voluntatem patris hoc ea facere videatur, qui ideo maxime eam prætulit, ne filiæ nuptias tutori committeret. Concludamus igitur, non eſſe matrimonium, ſi tutor vel curator pupillam, vel adultam, vel eam cui adminiſtrationis rationes reddere debet, ſibi liberiſve ſuis junxerit. Ex quo ſequitur, ut, cum ceſſet matrimonium, nec dos eſſe intelligatur *ſ*. Conſequens eſt etiam, ob res, conſtante hujuſmodi qualiquali conjunctione, diſcidii conſilio ſubreptas, rerum amotarum actionem denegari *t*; quæ divortii nimirum, quo juſta matrimonia dirimuntur, cauſa competens, ad illicitam conjunctionem non pertinet. Qua ratione motus quis, nec ſine colore, inter hujuſmodi perſonas factas donationes, matrimonii impedimento deficiente, valere diceret *u*. Sed cum quaſi ad conjuges, non quaſi ad extraneas perſonas fiant, nec ut ſponſis factæ, quoniam & hic ſponſalia improbantur, conſiſtere poſſint; idcirco placuit, quaſi ab indignis ea, quæ donata ſunt, ablata, fiſco vindicari. De-

*y* l. ſenatuſconſulto, 59. D. de ritu nupt.
*z* l. libertum. 64. §. 1. D. de ritu nupt. l. ſi tutor C. de interd. matr.
*a* l. non ſolum. 67. §. 3. D. de ritu nupt.
*b* l. ſi quis tutor. 60. De ritu nupt.
*c* l. 1. l. 2. & 3. C. ſi ex falſis allegat. §. ult. Inſtit. de excuſ. tutor.
*d* l. quod ſi forte. 14. §. 1. D. de ſolution.
*e* d. l. libertum. §. 1. D. de ritu nupt.
*f* d. l. ſi quis tutor. §. ult. D. de ritu nupt.
*g* l. ult. C. de interd. matr.
*h* l. apud. §. ſi quis non tutor. 24. D. de doli except. l. 2. §. cum eo. l. 2. D. de eo qui pro tutor. l. debitores. D. de ſolutionibus.

*i* l. ſenatuſconſulto. 59. l. 60. §. 5. D. de rit. nupt.
*k* l. non eſt matrimonium. 66. D. de ritu nupt.
*l* d. l. ſiquis tutor. §. naturales. D. eod. tit.
*m* l. quinetiam. 55. & §. 1. in fin. D. eod. tit.
*n* l. libert. C. de interd. matr.
*o* l. non ſolum. 67. D. de ritu nupt.
*p* l. filiusfam. §. 1. & 2. D. de tutor. & rat. diſt. l. tutorem. D. de adm. tutor.
*q* d. l. non ſolum. §. ſed & ſi filiusfam. D. de ritu nupt.
*r* §. ei vero. Inſtit. de inutilib. ſtip. l. frater a fratre. 38. D. de condict. indeb.
*ſ* l. 3. D. de jure dot.
*t* l. ſi concubina. 17. D. rer. amotar.
*u* l. cum hic ſtatus. 32. §. ult. D. de donat. int. vir.

linquunt enim qui senatusconsulto vetitas nuptias contrahunt *x*. Plane ex testamento tutoris, in cujus matrimonium convenerit pupilla, sibi relicta capiet, nec quasi indigna repelletur. Contra tutor ex ejus testamento capere nihil poterit *y*. Hoc tam varie, quod non, ut tutori, ita pupillæ a tutore suo circumscriptæ, illicitarum nuptiarum adversus amplissimi ordinis decretum contractarum crimen objici imputarique possit. Pupilla ergo, ut nullius culpæ adfinis, legatum, quod testamento tutoris meruerit, consequitur. Per contrarium vero tutor, merito indignus cui occasione hujus conjunctionis lucri commodique aliquid quæratur, a petitione legati, testamento pupillæ sibi relicti, submovetur. Verum cur infirmatur pupillæ a tutore, cum quo in matrimonium coiit, facta donatio; legatum vero testamento datum sustinetur? Differentiæ inter hanc & illam speciem ratio forte est, quod, quæ inter conjuges fit, matrimonii prætextu, intuitu, contemplationeque fieri intelligitur donatio. Cessante ergo matrimonio, quod donationi locum facit, causamque præstat, vires habere huic caduco innixa fundamento donatio non potest. At, quod testamento relinquitur, cum non ita matrimonio acceptum feratur, sed & ob meritum extrinsecus accedere censeatur *z*, ex ejus solius vitio, qui testamenti honore indignus habetur, corruit. Quod fit, ut pupillæ, cui contra atque tutori, peccati hujus propter ætatis sexusque infirmitatem, legumque imperitiam, venia tribuitur, eorum, quæ testamento tutoris meruerit, persecutio non denegetur. Creditur tamen cum his, quæ diximus, Cervidii Scævolæ responsum pugnare, quo fructuum, quos mulier ususfructus tibi a viro relicti nomine perceperit, repetitionem heredibus dandam respondit *a*, si postea illicitum fuisse matrimonium pronuncietur. Sed non est eadem omnium injustorum matrimoniorum ratio atque causa. Nam pupillæ quidem, quæ laqueis tutoris irretita, ejusque vinculis constricta, senatusconsultum offendit, culpa excusata est: non æque vero ceteris mulieribus, quæ inhonestis illicitisque se nuptiis maculaverint, parcimus. Itaque non eo minus verum est, quod generaliter definitur *b*, Nihil propter injustum matrimonium capi posse; &, Quod ab herede ignorante perperam solutum fuerit, id condici posse. Verumenimvero exceptiones quasdam senatusconsultum patitur. Una est, si desponsata a patre, vel testamento destinata, denominatave sit puella tutori, filiove ejus. Hanc enim patris voluntatem, quem hujusmodi conditionem filiæ quæsiisse, spectata prius planeque perspecta ac cognita futuri generi integritate atque fide, verisimile est, ad exitum perduci, senatusconsultum non impedit *c*. Altera est, si rationes tutor curatorve reddiderit, & id temporis effluxerit, quo in integrum restitutionem pupilla impetrare possit. Ante constitutum enim petendæ in integrum restitutionis tempus, pupillam suam rationibus redditis uxorem ducere, nec matrem quidem ex alio matrimonio factam, potest *d*. Ex prætoris autem edicto olim post 25. annos utilis annus ad petendum in integrum restitutionem concedebatur. Ideoque, cum Marcellus in hac quæstione annum vicesimum sextum nominat *e*, utilem, non continuum, accipere, vel ex ipsis disertis Triphonini *f* Valerianique *g* Imperatoris verbis, debemus. At hunc utilem annum Justinianus in continuum quadriennium tandem mutavit *h*. Pupillæ utique, quæ ante redditam sibi tutelam decesserit, filiam tutor in matrimonium filio suo collocare non vetatur *i*, quoniam rationum reddendarum obligatio, æris alieni hereditarii vicem similitudinemque repræsentat ac sustinet: proindeque non minus cum tutoris quam cum cujuslibet alterius debitoris filio nuptias ea recte contrahit. Mater etiam pupillę cum tutore filiæ suæ, vel filio tutoris, nuptias contrahere non prohibetur *k*. Sed nec tutores pupillis suis, vel curatores adultis, filias suas neptesve nuptum dare vetantur *l*. Nulla enim ex hoc matrimonio pupillarium rationum interversio contingere potest; cui præcipue periculo prospicere senatus voluit. Item, qui ei, quam in matrimonio habebat, absens & ignorans curator constitutus est, in senatusconsulti pœnam non incidit; dum tamen alius in ejus locum substituatur, ne maritorum ignorantia fraus amplissimi ordinis consulto quæratur *m*. Quamquam enim curæ datio non teneat, propterea quod uxori suæ maritus curator creari non possit *n*: tamen satagere ille debet, ut alius ei curator detur. Nam & qui non jure tutores curatoresve dantur, curare debent *o*, ut alii in eorum locum sufficiantur; aut certe pupilli propinquos ac necessarios certiores facere, ut alium ei tutorem petant; ne pupilli utilitates ac negotia deserantur. Proinde, cum Alexandro propositum esset, nurui socerum post liberos ex matrimonio susceptos curatorem datum; matrimonium quidem rite ab initio contractum non vitiari, justosque esse ex eo quæsitos liberos, rescripsit *p*: verum omnis scrupuli amovendi causa insistere socerum debere, ut alius ejus loco daretur. Qua de specie etiam consulti per epistolam Impp. Galienus & Valerian. in hæc verba rescripserunt *q*: *Licet orationis sub divo Marco habitæ verba deficiant, is tamen, qui post contractas nuptias nurui suæ curator datus est, excusare se debet, ne manifestam sententiam ejus offendat, & labem pudoris contrahat.* Pœna autem tutoris, qui senatusconsulto vetitas nuptias copulavit, ea est, ut ei infamiæ nota veluti de tutela confesso inuratur *r*, quod hujusmodi conjunctione fraudem administrationis tegere laboraverit. Corporalis quoque ei pecuniariave extra ordinem pro dignitate pupillæ coercitio imminet *s*. Quinetiam lege Julia de adulteriis, qui pupillam illicite duxerit tutor, postulari potest *t*. Postremo relegatione plectendum libertum, eundemque tutorem patronæ suæ, senatus censuit *u*, qui eam sibi filiove suo in matrimonio collocasset. Nec vero pœnas has rusticitatis imperitiæve velamento deprecari quemquam posse, Impp. rescripserunt *x*. In his enim, quæ malo more, nefarieque geruntur, rusticitatis

*x* l. 3. §. 1. D. de donat. int. vir.
*y* l. ult. D. de legat. 1. l. 1. l. 2. D. de his quæ ut indign.
*z* l. nec adjecit. D. pro socio.
*a* l. uxori. 27. D. de usufruct. leg.
*b* l. 1. D. unde vir & uxor. l. Claudius. 13. de his quæ ut indign. l. qui contra. C. de incest. nupt.
*c* l. non est matrimonium. 66. D. de rit. nupt. l. si patris. C. de interd. matr. l. qui pupillam. 7. D. ad legem Jul. de adult.
*d* l. quamquam. 62. §. ult. D. de rit. nupt.
*e* d. l. qui pupillam. D. de adulter.
*f* in l. filius. §. si quis eo tempore. D. de liber. & post.
*g* l. si patris. C. de interd. matr.
*h* l. ult. C. de tempor. in integ. restit.
*i* l. non solum. §. pen. D. de rit. nupt.
*k* l. 2. C. de interd. matr.
*l* l. libertam. 64. in fin. D. de ritu nupt. l. curatorem. C. de interdict. matr.
*m* l. amplissimi. C. de excus. tutor.
*n* l. maritus. C. qui dare tutor. l. virum. D. de cur. furios.
*o* l. 1. §. ultim. D. de eo qui pro tutor. l. tutores. §. qui sine. D. de adm. tutor.
*p* l. cum proponas. C. de interd. matr.
*q* in l. licet. 17. C. de excus. tutor.
*r* d. l. amplissimi. C. de excus. tutor. l. non est matrimonium. D. de ritu nupt.
*s* l. si tutor. C. de interd. matr.
*t* l. qui pupillam. D. ad l. Jul. de adult.
*u* l. libertum. 64. D. de ritu nupt.
*x* l. 1. C. de interd. matr.

excuſatio non accipitur *y*; cui in his demum, quæ ex meris civilis juris præceptis pendent, parci ſolet *z*. Imperitiam aut in Impp. reſcripto, juris legumque inſcitiam accipio. Quæ, ut Accurſii objectiones diluam, in maſculis ferenda non eſt: aliter atque in feminis, quæ inceſti, in quo ſola juris obſervatio intervenit, pœnas non timent, ob conceſſam eis juris ignorantiam: propter quam, pœnam quidem eis remitti, non item illicitam conjunctionem retineri, cenſeo. Nam & citra exiſtimationis ſuæ damnum, dotis in ejus matrimonii cauſam datæ condictionem pupilla habet *a*.

Mandatis quoque Principalibus præſides provinciarum, procuratores Cæſaris, præfecti cohortis, aut equitum tribuni,& omnes omnino qui aliquod in provincia officium gerunt, inde oriundam, vel ibi domicilium habentem, ubi adminiſtrant, feminam ducere prohibentur *b*, potentatus, ut Papinianus ait, ratione: ne videlicet, potentia, in qua conſtituti ſunt, ad vim abutentes, matrimonia ſibi arbitrio nutuque ſuo concilient, trahantque ac rapiant verius quam ducant. Qua de cauſa & eis in ea provincia, in qua adminiſtrant, emere, fœnuſve exercere, mutuamque pecuniam dare, non licet *c*. Hujuſmodi ergo matrimonia adverſus mandata contracta, perinde nulla ſunt,atque ea quæ contra ampliſſimi ordinis decretum a tutoribus eorumque liberis contrahuntur. Quo fit, ut, cum matrimonium non conſiſtat, nec dos ſit, nec rerum amotarum actio inter eas perſonas, quæ ita coierint, detur *d*. Nec tamen, quia nuptiæ non ſint, eo magis donationes inter eos factæ ratæ erunt *e*, ne ex delicto ſuo lucrum ferant, meliorque ſit in legem committentium, quam eorum, qui ſecundum præcepta legum in matrimonium conveniunt, conditio *f*. Utique enim prohibitas nuptias contrahentes peccare delinquereque *g* intelliguntur. Et ideo magis eſt, ut quæ ita donata fuerint, quaſi ab indignis ablata, fiſco vindicentur *h*. Exemplo certe pupillæ, tutori liberiſve ejus nuptæ, provincialis mulier, quæ contra mandata provinciæ rectori nupſerit, ex viri teſtamento capiet. Imperatores autem Gratianus, Valent. & Theodoſius, quod de adminiſtrantibus veteri jure cautum erat, ad adminiſtrantium liberos, propinquos, comites, conſiliarios, domeſticos porrexerunt *i*. Quos & arrharum ſponſalitiarum, in matrimonii argumentum datarum, diſpendio multant. Qua in parte juri antiquo derogare eos fortaſſis exiſtimet qui penitus non inſpexerit. Nam ad arrharum acceptarum reſtitutionem mulierem, quæ finita adminiſtratione nuptias implere nolit, adigi Paulus indicat *k*. Id quod Accurſium cruciat, qui in hujus nodi diſſolutionem tanquam in ſalebra hæret. Nos, ut ejus hæſitationi certa & vera diſtinctione medeamur, multum intereſſe dicemus, ſponſaliane ſola, an vero nuptias, provinciarum rectores, arrhis datis, tum cum provinciam cum imperio obtinerent,contraxerint. A perfectis ſiquidem & conſummatis nuptiis, quas mandata principalia ſtare non patiuntur, mulieribus provincialibus abire ac recedere,etiam cum arrharum lucro, Impp. permittunt. At, ſi in provincia ſponſalia duntaxat contracta ſint, quia nihil in ea re contra mandata peccatum eſt, quæ hujuſmodi conditioni renunciare volet, acceptas arrhas reſtituere jure ac merito debet. Et hæc eſt inter Imperatorum conſtitutionem Paulique locum ab Accurſio non animadverſa differentia. Nuptiis enim duntaxat, non etiam ſponſalibus, qui in provincia aliquod officium gerebant, interdicebantur. Quinetiam deſponſam ſibi,antequam in provinciam mitterentur, uxorem illic ducere non prohibebantur *l*, utpote ceſſante ea, quæ ſibi eos in provinciis ſuis matrimonia conciliare vetabat, ratione. Sed, etſi contra mandata in provincia matrimonium contractum eſſet, poſt depoſitum tamen officium, ſi in eadem voluntate uterque perſeveraret, juſtæ efficiebantur, quæ ab initio non conſtiterant, nuptiæ.Indeque poſtea, ut ex juſto matrimonio editi, liberi juſti legitimique patri fiebant;quemadmodum Paulus *lib. 5. Reſponſorum* tradit *m*, qui a Gordiano teſtis laudatur *n*. Plane, filiabus ſuis conditionem in provincia quærere, eaſque in matrimonium collocare, & dotem eis conſtituere, non prohibebantur qui provinciis præerant: filiis vero uxorem provincialem ducentibus conſentire auctoritatemque præſtare minime poterant. De cujus varietatis ratione ſi mihi liquere negem, inſciitam meam potius quam antiquorum inconſtantiam prodam.Quorum etſi mentem mihi plane perſpectam eſſe, ac cognitam, adfirmare non auſim; tamen, quatenus eam conjectura aſſequi licet, duplici eos ratione adductos credo. Primum enim præſumtum habuiſſe exiſtimo, patrem impenſiore affectu, majorique contentione, in conditione filio quærenda, quam in filia nuptum collocanda,laboraturum. Nam filiæ quidem, in manum mariti mancipiumque tranſeuntes, familiæ ſuæ finem adferunt; per filios vero cum nomine paterna familia propagatur. Ne vero, filiorum amore, domuſque amplificandæ ſtudio,ad matrimonia filiis concilianda, ſua poteſtate abuterentur:frenis quibuſdam ac habenis cohibendam eſſe eam potentiam cenſuerunt. nihil quicquam tale eos filiarum cauſa attentaturos rati.Huic rei argumento eſt, quod filiam ſuam pupillo ſuo tutor in matrimonium collocare non prohibetur *o*: filio vero ſuo pupillam in matrimonium collocare prohibetur. Licet ergo tam in filiæ quam filii nuptiis auctoritas patris intercedere deberet; verendam tamen magis eſſe præſidis in eollocando filio, quam in filia nuptum danda, impreſſionem prudentes cenſuere. Alia quoque veteres ratio in hoc jure ſtatuendo movere potuit,quam Cyno, Ludovico Romano,& noſtri ſeculi Varroni πολυγραφωτάτῳ D. Tiraquello,cujus memoriam ſancte ac religioſe, pro eo ac debeo, colo, placuiſſe video. difficilis nimirum virginalis pudicitiæ cuſtodia,cui adſervandæ continendæque ne Argi quidem lumina plerumque ſufficiunt.Cavendum enim forte (nihil enim præter conjecturam habemus) prudentes cogitarunt,ne,dum paternæ adminiſtrationis exitus exſpectatur, interim filia, jam matura viro & plenis nubilis annis, ætatis lubrico, ſexuſve infirmitate, vel amoris facibus, aliquod dedecus admittat. Cui malo obviam ut irent, patri liberam conditionis filiæ quærendæ poteſtatem, vel ipſo adminiſtrationis ſuæ tempore, relinquendam eſſe cenſuerunt. Et certe probabile eſt, ſubiiſſe animos veterum illam cogitationem, puellarum nuptias non æque ac maſculorum conjugia protrahi ac differri poſſe;moramque nullam nuptiarum tempeſtivitati, ſi famæ ac caſtitati puellarum conſultum velimus, fieri oportere. Qua eadem ratione filiam

*y* l. 5. C. de in jus voc.
*z* l. ſi quis id quod. D. de juriſdict. omnium jud. l. 2. D. ſi quis in jus voc. non ier. l. ult. C. de teſtam.
*a* l. ſi tutor. C. de interd. matr.
*b* l. ſi quis officium 38. l. præfectus 63. D. de ritu nupt.
*c* l. aufertur. 46. §. quod a præſide. D. de jure fiſc. l. 1. C. de contract. jud. l. principalibus. D. ſi cert. pet. l. eos. C. eod. tit.
*d* l. ſi concubina. D. rer. amot.
*e* l. cum hic ſtatus. 32. §. ult. D. de don. int. vir.
*f* l. 3. §. 1. D. de don. int. vir. *g* l. ult. D. de legat. 1.
*h* d. l. cum hic ſtatus. §. ult. D. de don. int. vir.
*i* l. 1. C. ſi rector provinc.
*k* l. ſi quis officium. D. de ritu nupt.
*l* d. l. ſi quis officium. §. 1.
*m* l. eos qui. 65. §. 1. D. de ritu nuptiarum.
*n* l. etſi contra. C. de nuptiis.
*o* l. libertum. 64. §. ult. D. de ritu nupt.

ſuam pupillo jam adulto nuptum dare, ſi tam adulto, quam puellæ, hæ nuptiæ cordi ſint, tutori permiſere; ne forte, in longius tempus protractis nuptiis, vel moræ impatientia, vel amaſii illecebris, in aliquod probrum prolabatur, ex quo ei, genérique, ac toti familiæ, labes ac macula aliqua, quæ deinde elui non poſſit, aſpergatur. At maſculorum conjunctionem, quæ citra periculum exiſtimationiſque damnum proferri poſſit, inhibendam ob impreſſionis metum, merito in ſuperioribus ſpeciebus cenſuerunt. Juvat hanc rationem, quod alias quoque in hoc nuptiali jure diverſam maſculorum ac feminarum cauſam juris auctores conſtituunt. Nam puellæ quidem poſt 25. annum, non item maſculi, impune citra parentum conſenſum matrimonia contrahunt *p*. Eodemque refert Accurſius, quod ex Paulo recenſetur, Nepoti uxorem ducenti avum & filium conſentire dedere: nepti vero nubenti voluntatem auctoritatemque avi ſufficere.

Tempus eſt autem, ut ad ea injuſtarum nuptiarum genera, quæ naturali ratione, ſanguiniſque jure prohibentur, noſtra ſe convertat oratio. Qua in quæſtione fixum ſit hoc, ratumque principium, ex gradu adſcendentium deſcendentiumque in infinitum duci uxores non poſſe: & inter eas perſonas, quæ parentum liberorumve locum inter ſe obtinent, inceſtas ac nefarias nuptias eſſe *q*. Veluti inter patrem & filiam, vel avum & neptem; matrem & filium, vel aviam & nepotem: & uſque in infinitum. Nec intereſt, ex juſtis nuptiis ejuſmodi perſonarum conjunctio deſcendat, an non *r*. Nam & ex ancilla ſuſceptam & vulgo quæſitam filiam ducere genitori minime conceditur: ſervileſque adeo cognationes in hoc nuptiali jure obſervantur *ſ*, cum contra naturale jus pudoremque ſit, a patre filiam quomodocunque quæſitam duci. Proinde in his quidem ſpeciebus inceſtum jure gentium committi conſtat *t*: cujus veniam ſexus infirmitate deprecari mulieres non poſſunt *u*, cum naturali jure, cujus, utpote non ſcripti, ſed nati, ignorantia defendi nequeunt, prohibitam rem admiſerint. Nec enim ſexui, nec ruſticitati in his parcitur, a quibus naturalis nos ratio, animis noſtris divinitus indita, atque impreſſa, avocat. Fœditas vero illarum conjunctionum lucet ipſa per ſe, ut, qui in ea flagitia prolabitur, humanitatem ipſam exuiſſe videatur. Ciceroni utique inceſtum cum filia Q. Fuſius Calenus apud Dionem *lib.* 46. objicit his verbis: *Καὶ προσέτι καὶ τὸ στόμα αὐτοῦ διαβάλλειν ἐπεχείρησε, τοσαύτῃ ἀσελγείᾳ καὶ ἀκαθαρσίᾳ παρὰ πάντα τὸν βίον χρώμενος, ὥστε μηδὲ τῶν συγγενεστάτων ἀπέχεσθαι, ἀλλὰ τήν τε γυναῖκα προαγωγεύειν, καὶ τὴν θυγατέρα μοιχεύειν. Os etiam Antonii turpitudinis inſimulare inſtituit, ipſe per omnem vitam in tantam libidinem & impuritatem projectus, ut ne a proximis abſtinuerit, uxorem proſtituerit, cum filia inceſtum commiſerit*. Quo nomine & eum Salluſtius ita inſectatur: *Verum, ut opinor, ſplendor domeſticus tibi animos attollit: uxor ſacrilega ac perjuriis delibuta, filia matris pellex, tibi jucundior atque obſequentior quam parenti par eſt*. Prædicabat etiam Caligula, matrem ſuam ex inceſto, quod Auguſtus cum filia Julia commiſiſſet, procreatam *x*.

Ac ne cum his quidem perſonis, quæ vel adfinitatis ratione, parentum liberorumve vicem repræſentant ac ſuſtinent, juſtæ ſunt nuptiæ. Quare A nec novercam, nec proavi noſtri uxorem, nec ſocerum, id eſt, uxoris noſtræ matrem, nec ejuſdem aviam, proaviam, ducere licet *y*. Cujuſmodi nuptias Cicero *pro Cluentio Avito* ſic exagitat: *Lectum illum genialem, quem triennio ante filiæ nubenti ſtraverat, in eadem domo ſibi ornari & ſterni, expulſa atque exturbata filia, jubet. Nubit genero ſocrus, auſpicibus nullis, nullis auctoribus, funeſtis omnibus. O mulieris ſcelus incredibile, & præter hanc unam in omni vita inauditum! O libidinem effrenatam & indomitam! O audaciam ſingularem!* Plane duplicem cauſam, cum novercam uxorem ducere non liceat, Philo Judæus *in libro* B περὶ τῶν ἐν εἴδει reddit: *Διά τε*, ait, *τὴν εἰς τὸν πατέρα τιμὴν, καὶ διότι μητρυιᾶς καὶ μητρὸς ὄνομα συγγενὲς, εἰ καὶ μὴ τὸ τῆς ψυχῆς συνῳδὸν πάθος. Et propter reverentiam in patrem & propter matris & novercæ cognatam appellationem, ſi non & propter animæ ſenſum legi conſonum*. Unus mihi tam infauſti matrimonii cupiditate incenſus imperator Antoninus Caracalla occurrit, de quo Spartianus his verbis: *Intereſt ſcire, quemadmodum novercam ſuam Antoninus duxiſſe dicatur: quæ cum eſſet pulcherrima, & quaſi per negligentiam ſe maxima corporis parte nudaſſet, dixiſſetque Antoni-* C *nus, Vellem ſi liceret; reſpondiſſe fertur, Si libet, licet. An neſcis, te imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere? Quo audito, furor inconditus ad effectum criminis roboratus eſt: nuptiaſque eas celebravit, quaſi ſciret, ſe leges dare, cum vere ſolus prohibere debuiſſet: matrem enim (non alio erat dicenda nomine) duxit uxorem: ad parricidium junxit inceſtum*. Sed nec ſocero nurus, pronuruſve, recte nubit. Socerum enim parentis locum obtinere, placet *z*. Ac ejuſmodi quidem nuptias, quas cum privigno noverca, cum ſocero nurus contraxerit, inceſtas ac nefarias eſſe, nemini dubium eſt; cum pudori, caſtitati, verecundiæ na- D turali, publicæque honeſtati tales conjunctiones adverſentur. Quinimo ex his cauſis inceſtum jure gentium admitti, Papinianus ſcribit *a*. Quod quibuſdam parum conſiderate dictum videtur, qui pro certo ac conſtanti ponunt, inter parentes & liberos duntaxat jure gentium inceſtum committi: cum his vero, qui ex latere veniunt, vel cum adfinibus, jure civili, vel moribus. Ipſumque adeo ſibi contrarium eſſe Papinianum perſuadent, qui pecuniæ in hujuſmodi nuptiarum cauſam datæ repetitionem tribuat: quæ utique denegaretur, ſi in ſpecie hac jure gentium inceſtus admiſſus cenſeretur: quod mulieribus jus gentium non æque ac civile E ignorare liceat. Verum ego jureconſultorum coryphæum vellicari non niſi gravate ferre poſſum. Nec enim adduci poſſum, ut credam, aliquid tanto viro excidiſſe, quod a nobis, qui in illius magiſtri verba jurare addicti ſumus, jure notari queat. Credo itaque, ejus auctoritate fretus, (nec vana fides,) inceſtum jure gentium committi, ſi ſocero nurus, vel noverca privigno commiſceatur, quod hæ perſonæ ſibi parentum ac liberorum loco ſint, ut paulo ante comprobavimus; & quod omnium mentibus a natura inſita ratio ab hujuſmodi conjun- F ctionibus abſtinendum dictet. Confirmat noſtram, imo vero Papiniani opinionem, quod alibi legimus, Si adulterium cum inceſtu committatur, utputa cum privigna, nuru, noverca, mulierem quoque ſimiliter plectendam *b*: cujus tamen impunitum eſſet facinus, ſi ſola juris civilis obſervatione

*p* l. oratione 16. §. 1. D. de ritu nupt.
*q* l. nuptiæ. 53. D. ritu nupt. §. ergo. Inſtit. de nupt.
*r* l. & nihil. 54. D. de ritu nupt.
*ſ* l. adoptivus. 14. §. ſerviles. D. de ritu nupt.
*t* l. ult. D. de ritu nupt.
*u* l. ſi adulterium cum inceſtu. 38. D. ad l. Jul. de adulter.

*x* *Suet.* in Calig. cap. 23.
*y* l. ſi qua mihi. 12. §. 1. & l. adoptivus. 14. §. nunc videamus. l. Ariſto. 40. D. de rit. nupt. §. ergo. Inſtit. de nupt.
*z* l. quia parentis. 16. D. ſolut. matr.
*a* l. ult. §. 1. D. de condict. ſine cauſa.
*b* l. ſi adulterium cum inceſtu. 38. D. ad l. Jul. de adult.

tale crimen in turpibus numeraretur. Verum, cum juris naturalis ignorantiam vitiis suis obtendere ac prætexere mulieres non possint, merito eis ejusmodi incestus, cujus turpitudinem indita divinitus ac impressa ratione notam habent, pœna irrogatur. Atque hoc dubium faciebat in specie a Papiniano tractata. Videbatur enim pecunia a muliere illiciti matrimonii nomine data, repeti non posse, quasi contra jus gentium ac naturalem honestatem (cujus ignoratione excusari nequit) data esset. Sed alia ratitione repetionem competere Papiniano subtiliter placet, quia scilicet, matrimonii effectu non secuto, quod nec jure sequi possit, nulla magis causa dotis dandæ quam turpis intercesserit.

Porro nec patris quoque sponsam uxorem ducere filio conceditur, non magis quam patri filii sponsam: quamvis nec illa noverca, nec hæc nurus proprie dici possit. Ab earum quoque, quæ in parentum concubinatu fuerint, nuptiis abstinendum, pie Imp. Alexander constituit *c*. Contra religionem quippe ac pudorem est, cum ea matrimonium coire filium, quæ pudicitiam patri prostraverit. Sed & per adoptionem quæsitarum cognationum rationem hic habendam, prudentes censoere. Etenim matrimonio inter se jungi eæ personæ non poterant, quæ per adoptionem, parentum liberorumve loco sibi esse cœpissent: in tantum, ut etiam dissoluta adoptione idem juris maneret *d*. Itaque eam, quæ per adoptionem filia neptisve facta esset, ne post emancipationem quidem uxorem ducere, qui quandoque adoptasset, poterat *e*.

Hæc de ascendentium descendentiumque gradu. Jam ex transverso etiam cognationis gradu quasdam illicitas esse nuptias, non est obscurum. Ac primum, inter fratrem sororemque prohibitas esse nuptias, nemini dubium est, sive ab eodem patre eademque matre progeniti fuerint, sive ab altero eorum *f*. Æmilius Probus, in proœmio lib. de vit. excellent. Imperatorum: *Neque enim Cimoni fuit turpe, Atheniensium summo viro, sororem germanam in matrimonio habere. At id quidem nostris moribus nefas habetur*. Cujus tamen Cimonis facti Herodianus aut inscius, aut immemor, *lib. Historiarum*, Πτολεμαῖος μὲν, ait, *καὶ μέχρις ἀδελφῆς ἰδίας ἔρωτος προχωρήσας, παρά τε τοὺς Μακεδόνων καὶ Ἑλλήνων νόμους*. *Ptolemæus autem ad sororis propriæ amorem progressus est contra Macedonum & Græcorum leges*. At Dio, apud Ægyptios patrio id more receptum fuisse, ita scribit *g*, de Cæsare agens: *Καὶ μετὰ τοῦτο ἐς ἐκκλησίαν ἐσελθὼν, τόν τε Πτολεμαῖον, καὶ τὴν Κλεοπάτραν παρεστήσατο, καὶ τὰς διαθήκας τοῦ πατρὸς αὐτῶν ἀνέγνω, ἐν αἷς, ἐκείνους μὲν συνοικῆσαι ἀλλήλοις, κατὰ τὰ τῶν Αἰγυπτίων τὰ πάτρια, καὶ βασιλεύειν, ἐγέγραπτο*. *Et posthæc venit in concionem, ac Ptolemæum & Cleopatram adduxit, & testamentum patris recitavit, in quo, illos voluit matrimonio jungi, secundum Ægyptiorum instituta*. Romanis utique semper detestabilis & execranda talis conjunctio visa est. Ideoque inter ea, quæ de Caligula, non ut principe, sed ut monstro, Suetonius narrat, hoc refert *h*, quod cum omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecerit: quem etiam Drusillam germanam, Cassio Longino consulari collocatam, abduxisse, & in modum justæ uxoris propalam habuisse scribit. Quam ejus turpitudinem nec Dio, *lib.* 52. silentio prætermisit. Eademque se ac famam suam turpitudine fœdasse Othonem, Xiphilinus memorat. Plutarchus autem *in Parallelis, ex Chrysippi lib.* 1. *rerum Italicarum*, auctor est Papyrium quendam Romanum, amoris impatientia & ardore victum, Camillam sororem gravidam fecisse. Quod ubi Papyrius Tolucer, communis eorum pater, rescivit, ensem filiæ misit, quo puella pectus transfodit: eodemque lethi genere scelestum ac nefarium facinus suum Papyrius deinde expiavit. Plane, per adoptionem factam sororem, adoptione soluta, uxorem ducere, nihil vetabat *i*. Adoptione enim quæsita fraternitas, eo usque demum impediebat nuptias, quoad maneret adoptio *k*. Similiterque adoptivi patris matrem, materteram, aut neptem ex filio, ducere uxorem, post emancipationem nemo impediebatur; cum in extranei causam emancipatione redactus esset. Adoptivæ utique sororis filia, uxor duci, vel constante adhuc adoptione, licito jure poterat, quod ea cognata non esset, cum avunculus nemo fiat per adoptionem. Hæ enim demum cognationes per adoptionem contrahuntur, quæ adgnatorum jus adjunctum habent *l*. Pari ratione alio patre natam, patris sui sororem adoptivam, ducere quis poterat, quoniam inter eos nulla cognatio intercedebat, quippe cum ea patri adgnata non esset. Sed & Maximianus Constantino, per adoptionem nepoti, filiam in matrimonium tradidit. Quod Panegyrici, Maximiano & Constantino AA. dicti, auctor tantum abest ut vituperet, ut summis contra laudibus efferat, *O divinum*, inquiens, *tuum, Maximiane, judicium, qui hunc tibi jure adoptionis nepotem, majestatis ordine filium, etiam generum esse voluisti; divi, inquam, Constantii filium, in quem se prima illius juventa transfudit*. Quinetiam Claudius Neronem, a se in locum filii adoptatum, cum filia sua Octavia matrimonio junxisse legitur *m*; filia tamen prius in adoptionem tradita, ut in alienam familiam eo modo transferretur, ne soror fratri nubere videretur. Agrippina enim Claudio persuasit, Domitium Neronem privignum, filii loco adoptare, quem non filium modo, sed & generum habere voluit: verum, ne frater sororem ducere videretur, adoptionis commento, necessitudinis species dissoluta est. Inde Junoni Octavia a Seneca comparatur: sic enim in Tragœdia ejus nominis scriptum est:

*Tu quoque terris*
*Altera Juno, soror Augusti,*
*Conjunxque, graveis vince dolores.*

Et alias:

*Fratris thalamos sortita tenet*
*Maxima Juno, soror Augusti,*
*Sociata toris.*

Alio etiam loco:

*Mœret infelix soror,*
*Eademque conjunx.*

Simili joco etiam Cicero Clodium, incestus cum sorore suspicione laborantem, *in Oratione pro domo sua*, proscindit, *Sed tamen*, inquiens, *ego mihi sororem virginem adscisco: tu sororem tuam virginem esse non sivisti. Sed vide, ne tu te debeas Jovem dicere, quod tu jure eandem sororem & uxorem appellare possis*.

Enimvero fratrum sororumve filias uxores ducere non licebat *n*: tametsi talium conjugiorum usum in rempub. invehere Claudium imperatorem, A-

*c* l. liberi. 4. C. de nupt. *d* §. ergo. Instit. de nupt.
*e* l. 14. in pr. & §. 1. l. 55. D. de ritu nupt.
*f* §. inter. Instit. de nupt. *g* lib. 42. *h* cap. 24.
*i* l. quinetiam. 55. §. 1. D. de ritu nupt.

*k* l. per adoptionem. 17. D. de ritu nuptiarum.
*l* l. 2. §. parvi. D. de suis & legit. *m* Dio, lib. 59.
*n* l. nemini. 17. C. de nupt. l. ultim. C. de incest. nupt. §. fratris. Instit. de nuptiis.

grippinæ Germanici fratris sui filiæ amore incensum, tentasse, literis proditum est; ut publici juris velamento, ejus matrimonii a se cum ea contrahendi turpitudo tegeretur. Sic enim de hoc ejus incepto Tacitus, *lib.* 12. scribit: *Claudius, senatum ingressus, decretum postulat, quo justæ inter patruos fratrumque filias nuptiæ etiam in posterum statuerentur: neque tamen repertus, nisi unus, talis matrimonii cupitor, Taledius Severus, eques Romanus.* Tranquillus, *in Claudio*, de ejus nuptiis agens: *Verum*, ait, *illecebris Agrippinæ, Germanici fratris sui filiæ, per jus osculi & blanditiarum occasiones allectus in amorem, subornavit proximo senatu, qui cogerent se ad ducendum eam uxorem, quasi reip. interesset; dandamque ceteris veniam talium conjugiorum, quæ ad id tempus injusta habebantur. Ac vix uno interposito die confecit nuptias, non repertis qui sequerentur exemplum, excepto libertino quodam, & altero primipilari.* Zonaras, *in Claudio*, etiam senatusconsulto hujusmodi nuptiarum jus sancitum fuisse in ejus Principis gratiam, tradit; auctoreque Vitellio senatum Claudium ad Agrippinam uxorem ducendam adegisse. Ἐντεῦθεν, ait, ὁρμηθέντες οἱ βουλευταὶ πρὸς τὸν Κλαύδιον, ἦλθον καὶ ἠνάγκασαν δῆθεν αὐτὸν γῆμαι, καὶ ψήφισμα ἐποιήσαντο, ἐξεῖναι Ῥωμαίοις ἀδελφιδᾶς ἄγεσθαι. *Tum & senatores ierunt ad Claudium, & compulerunt eum ad hoc matrimonium, & senatusconsultum fecerunt, quo statuebant licere Romanis fratrum filias ducere.* Inde Seneca, in libro joculari de ejus Imperatoris morte, *Ut Romæ*, ait, *sacra essent, quibus ipse, cum sibi Agrippina nuberet, 30. senatoribus, innumeris equitibus Romanis, mactatis, principium dedit.* Huc pertinent & hi, quos subjungam, Senecæ *ex Octavia* versus, quibus nutrix Octaviam Claudii filiam ita adfatur:

*Frustra parentis invocas manes tui,*
*Miseranda, frustra: nulla cui prolis suæ*
*Manet inter umbras cura: qui nato suo*
*Præferre potuit sanguine alieno satum,*
*Genitamque fratris conjugem captus sibi*
*Toris nefandis flebili junxit face.*

Ne tamen tam mali exempli nuptiæ in posterum frequentarentur, Nerva vetuit, ne fratrum filiæ ducerentur. Id quod Xiphilinus *in Nerva* tradit, his verbis: Ἐνομοθέτησε δὲ ἄλλα, καὶ περὶ τοῦ μὴ ἐκτέμνεσθαί τινα, μήτε ἀδελφιδοῦν γαμεῖν. *De aliis quoque leges tulit, & ne quis exscinderetur, neve fratrum filias ducere liceret.* Etenim ne de nominis vi ac potestate dubitetur, quod idem auctor de Hadriano, Τραιανὸς, ait, ἀδελφιδῆν ἐγεγαμήκει. *Trajani sororis filium duxit.* Ælius Spartianus ait, *Trajani per sororem neptem eum uxorem accepisse.* Et Pollux *lib.* 8. *Onomastici*, & Hesychius, & Moschopulus ἐν συλλογῇ Ἀττικῶν ὀνομάτων. Ἀδελφιδοῦς, ajunt, ὁ ἀδελφοῦ ἢ ἀδελφῆς υἱός, καὶ θυγάτηρ αὐτῶν ἀδελφιδῆ. *Moschopulus in farragine vocum Atticarum*: Ἀδελφιδοῦς, *fratris aut sororis filius, & illorum filia* ἀδελφιδῆ. Porro illam Nervæ constitutionem Zonaras, *tomo* 2. *Annalium*, ita refert: Οὗτος ἐνομοθέτησε καὶ τὸ μήτε τινὰ παιδογόνα μόρια παρὰ Ῥωμαίοις ἐκτέμνεσθαι, μήτε μὴν ἄγεσθαι πρὸς γάμον ἀδελφιδῆν. *Hic legem tulit, ne genitalia membra apud Romanos mutilarentur, neve liceret ducere sororis filiam.* Domitianum tamen non puduisse cum Julia fratris filia, tanquam cum uxore, palam versari, Suetonius & Xiphilinus memoriæ prodiderunt. Eadem tam perdita ac flagitiosa libidine incitatum Heraclium Imperatorem ferunt: cui non aliunde id morbi vitiique, quo laboravit, quam ob illicitam cum fratris filia conjunctionem accidisse, vulgo creditum Zonaras verbis scribit, Λέγεται δὲ καὶ τὸ αἰδοῖον αὐτοῦ στρεφόμενον ἄνω τὸ οὖρον πέμπειν· καὶ εἰ μὴ σανὶς ἐν τῷ ἤτρῳ αὐτοῦ ἐτίθετο, κατὰ τοῦ προσώπου αὐτοῦ τὸ ἐκκρινόμενον ἀνεδίδοτο. ὃ συμβαίνειν ἐδόκει διὰ τὴν ἔκθεσμον μίξιν τῆς ἀδελ-

A φόπαιδος. *Dicitur & pudendum ejus membrum inversum superiore ex parte urinam emisisse, & si non tabula imponeretur imo ventri, reddebatur per os eluvies ventris. Hoc videbatur accidere propter illegitimum cum fratris filia conjugium.* Acerbissime vero hujus generis nuptias, ut incestas & nefarias, Impp. Anastasius & Zeno Constitutionibus suis damnarunt. In quas etiam B. Ambrosius *lib.* 8. *Epistol.* ita invehitur: *Tu copulare paras filium tuum & neptem ex filia: hoc est, ut accipiat sororis suæ filiam, diversa licet matre, quam*
B *socrus, editus? Interroga nominum religionem. Nempe avunculus iste illius, illa hujus neptis vocatur: nec ipse te revocat sonus nominum, cum hic avum resonet, illa hoc nomen ad avunculum, quod ad avum referat?* Et mox: *Quid est, quod dubitari queat, cum lex divina etiam patrueles fratres prohibeat convenire, qui sibi quarto sociantur gradu? Hujusmodi autem gradus tertius est, qui etiam jure civili a consortio conjugii exceptus videtur.* Sed nec in concubinatu quidem haberi sororis filia, licet libertina, absque incesti crimine potuit *o*. Non modo autem fratris aut sororis filiam, verum etiam neptem proneptemve ducere non licet *p*.
C An autem mortuorum fratrum conjuges, fratribus superstitibus ducere licuerit, quæri potest. Sane eam quæ in manum fratris convenerit, dissolutis seu morte seu repudio nuptiis duci citra incesti crimen non posse, Imperatorum constitutionibus cavetur *q*. Quamquam non desunt aliquot in Romana historia ejusmodi matrimoniorum exempla. Lucius enim Tarquinius, cui post regnum scelere partum Superbi cognomen facta indiderunt, Tulliam minorem natu, quæ Arunti fratri nupserat, Arunte veneno ab ea sublato, cum ipse conjugem quoque suam eodem genere interemisset, duxit.
D Quod nefarium ejus factum Dionys. Halicarnas. *lib.* 4. duobus locis refert: quorum utrumque, vel ea præcipue de causa, ut, si qua inest in verbis aut obscuritas, aut depravatio, adhibita explanatione, emendationeve, tollatur, subjungam. Prior sic habet: Τοιαῦτα τῆς Τυλλίας λεγούσης ἀσμένως δέχεται τὰς αἱρέσεις ὁ Ταρκύνιος, καὶ αὐτίκα δοὺς αὐτῇ πίστεις, καὶ λαβὼν τὰ πρωτολεῖα τῶν ἀνοσίων γάμων, καὶ διαπραξάμενος, ἀπέρχεται. διελθόντος δὲ οὐ πολλοῦ μετὰ ταῦτα χρόνου, τοῖς αὐτοῖς πάθεσιν ἀποθνήσκουσιν ἥτε πρεσβυτέρα τῶν Τυλλίας θυγατέρων, καὶ ὁ νεώτερος τῶν Ταρκυνίων. *His auditis libenter conditionem accepit Tarquinius, moxque data & accepta fide, ac delibato incestarum nuptiarum fructu abiit. Nec ita*
E *multo post, eodem fato major Tullia minorque Tarquinius absumti sunt.* Et mox: Μετὰ τοῦτο τὸ ἔργον, οὐδὲν ἔτι διαμελλήσας, ὁ Ταρκύνιος ἀπάγεται γυναῖκα τὴν Τυλλίαν. *Deinde Tarquinius sine mora duxit Tulliam, ipsius tantum voluntate.* In quibus verbis obscuritas nulla est, quæ lectorem vel mediocriter literis Græcis tinctum morari possit, præterquam in voce πρωτολεῖα. Cujus scripturam corruptam esse forte suspicabitur, qui apud Suidam leget προτέλεια a Lycurgo, ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας, appellari τὰ πρὸ τῶν τελεσθῆναι τι τῶν εἰς τὸ θεῖον ἀναφερομένων γινόμενα ἢ διδόμενα. *in oratione de sacerdotio.* προτέλεια *dici, quæ*
F *fiunt aut dantur, antequam perficiatur aliquid eorum, quæ ad numen divinum pertinent.* Προτέλεια insuper, ut & Pollux *l.* 3. *Onomast.* scribit, appellatam eam diem, ἐν ᾗ εἰς τὴν ἀκρόπολιν τὴν γαμουμένην παρθένον ἄγουσιν οἱ γονεῖς εἰς τὴν θεὸν, καὶ θυσίας ἐπιτελοῦσιν. *in qua in arcem virginem nubentem ducunt parentes ad Deam, & sacram rem faciunt.* Et certe pro quolibet auspicio, initio, primordio, verbum hoc Græci usurpant. Lucianus *in Dialogo.*

*o* l. etiam. 56. D. de ritu nupt.
*p* §. fratris. Instit. de nupt. l. sororis. 39. D. de ritu nupt.
*q* l. nemini. C. de nupt. l. fratris. C. de incest. nupt.

περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων· Ἄρξομαι δ' ἀπὸ τοῦ πρώτου δείπνου, ἢν δοκῇ, ὡς ἐοικός, διαπίνοντα τὰ προτέλεια τῆς μελλούσης συνουσίας. *De iis, qui mercede conducti in divitum familiis vivunt. Exordiar vero a primo convivio, si videtur, unde, ut decet, futuræ consuetudinis auspicium capias.* Gregorius etiam Nyssenus Lazari a mortuis excitationem οἱονεὶ τὰ προτέλεια τῆς καθολικῆς ἀναστάσεως, *tanquam primitias universalis resurrectionis*, vocat. Cum vero verbum hoc *primitias* significet, nemo dubitavit, erratum esse in Hesychii codicibus, in quibus legitur, προτολεῖον ὑπάρχον. Est enim emendandum, προτελείων, ἀπαρχῶν. Verum in eodem significato vocem quoque πρωτόλειον a Græcis usurpari observavi: Suidas: Πρωτόλεια, ἡ πρώτη λεία, τὰ πρὸ τῶν λοιπῶν ἐξαίρετα. Πρωτόλεια. *prima spolia, spolia eximia.* Idem προτόλειον, ἀπαρχήν. πρωτόλειον, *primitias*, interpretatur. Hesychius etiam, πρωτόλεια ἁρπάγματα, πρωτόλειον ἀπαρχή. πρωτόλεια, *præda*, πρωτόλειον *primitiæ*. In Etymologico quoque πρωτόλεια exponuntur esse τὰ πρῶτα τῶν λείων καὶ τῶν τοῦ πολέμου λαφύρων ἐξαίρετα καὶ πρώτιστα, ἅπερ εἰώθασιν οἱ πρώτιστοι λαμβάνειν, οἷον ἡ Χρυσηῒς ἐδόθη τῷ Ἀγαμέμνονι, καὶ ἡ Βρυσηῒς τῷ Ἀχιλλεῖ· δηλοῖ δὲ καὶ ἀπαρχάς. *prima spolia, & prædæ bellicæ optima & omnium prima, quæ solent accipere Principes, sicut Chryseis, quæ data est Agamemnoni, & Bryseis Achilli. notat etiam primitias.* Utramvis ergo lectionem sequare, sensus constabit; eumque locum sic fidus interpres Gelenius reddidit, *Delibato incestarum nuptiarum fructu abiit.* Alter ejusdem Halicarnassei, in quo de incestis Tarquinii & Tulliæ nuptiis fit mentio, locus ita habet: Ἀλλ' ὅδ' εὐθὺς ἅμα τῷ αὐτὰ διαπράξασθαι τὰ θαυμαστὰ ἔργα, πρὶν ἡμέραν θεῖναι τὰς ὑποδεξαμένας τὰ δύστηνα σώματα πυράς, φίλους ἑστία, καὶ γάμους ἐπετέλει, καὶ τὴν ἀνδροφόνον νύμφην ἐπὶ τὸν τῆς ἀδελφῆς θάλαμον ἤγετο, τὰς ἀπορρήτους πρὸς αὐτὴν ἐμπεδῶν ὁμολογίας, ἀνόσια καὶ ἐξάγιστα, καὶ οὔτε Ἑλλάδος οὔτε βαρβάρου γῆς οὐδαμόθι γινόμενα, πρῶτος εἰς τὴν Ῥωμαίων πόλιν εἰσαγαγὼν, καὶ μόνος. Quem totum locum sic Gelenius Latino sermoni tradidit: *Hic est ille Tarquinius, Quirites, qui, nondum Princeps, fratrem germanum, quia malus esse nolebat, veneno sustulit, assumta ipsius uxore in societatem ejus sceleris, suæ conjugis germana, quam diis invisus adulterio jam ante corruperat. Hic uxorem, pudicam matronam, & communium liberorum parentem, eodem veneno, eodem tempore, necavit: ac ne paululum quidem lugubri specie dissimulavit utrumque veneficium, sed confestim post perpetrata hæc egregia facinora, fumantibus etiam tum rogis, qui misera illa corpora exceperant, ipse amicos excipiebat nuptiali epulo, ducens viricidam sponsam in sororis thalamum ex pacto nefario, primus ac solus inducens in hanc urbem morem impium & apud omnes Græcos simul atque barbaras nationes abominabilem.* Sed quid ea, quæso, verba significant, πρὶν ἡμέραν θεῖναι τὰς πυράς? Equidem, ne diutius lectorem teneam, adfirmare non dubitabo, legendum esse, πρὶν ἢ μαρανθῆναι, quod idem valet atque παύσασθαι καὶ σβέσασθαι. id est, *ante extinctas pyræ flammas.* Quo loquendi genere Homerus usus est, *Iliad. lib.* 10.

Αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ πῦρ ἐκάη, καὶ φλὸξ ἐμαράνθη.

*Postquam ignis deflagravit, & flamma extincta est.*

ubi Eustathius, *Observa*, ait, τὸ ἐμαράνθη λεχθὲν ἐπὶ σβέσεως φλογός. Ἐμαράνθη *dictum est de extinctione flammæ.* Et mox, Φλογὸς, inquit ille, μαρανθείσης ὑπομένει ἀνθρακιά. *igne extincto remanent carbones.* Aristoteles vero, *in libro* περὶ νεότητος καὶ γήρως, inter μάρανσιν & σβέσιν differentiam facit. Ἀλλὰ μὴν, ait, πυρός γε δύο ὁρῶμεν φθοράς, μάρανσίν τε, καὶ σβέσιν· τὴν μὲν γήρας, τὴν δὲ βίαιον. *de juventute & senectute. Ignis videmus duos interitus: defectiones & extinctionem. illud quidem senectutem, hoc autem vim.* Rursus, quis est sensus horum Halicarnassei verborum, ἐμπεδῶν ὁμολογίας? Et hic quoque, ut breve id faciam, mendum est, legendumque, ἐμπεδῶν, id est, *firmans, stabiliens*, ut sit sensus, *illicitas nefandasque cum ea jungens pactiones.* Hesychius enim ἐμπεδοῖ interpretatur βεβαιοῖ, πιστοῦται, ἀσφαλίζεται. *firmat. stabilit, fidem facit.* Ut autem ad ipsam historiam redeam, Livius, *lib.* 1. *ab V. C.* easdem nuptias breviter, nec, nisi adhibita fusiori Halicarnassei narratione, perspicue ita perstringit: *Aruns*, inquit, *Tarquinius, & Tullia major*, (sic enim ex Halicarnasseo emendo) *prope continuatis funeribus, cum domos vacuas novo matrimonio fecissent, junguntur nuptiis, magis non prohibente Servio quam approbante.* Nam verbum hoc *junguntur*, non ad Arruntem & Tulliam majorem, sed ad L. Tarquinium & Tulliam minorem, de quibus ante egerat, referri placet. Ceterum, etiam Marcum Crassum fratris defuncti uxorem duxisse, & quos habuit liberos, ex ea suscepisse eum, nec in aliquam factum hoc reprehensionem incurrisse, Plutarchus in ejus vitæ initio scribit. Quod cum mirum quibusdam videatur, verbum συνοικεῖν, quo Plutarchus in ea historia referenda utitur, interpretatione, quæ menti plane auctoris repugnat, ad nudam cohabitationem, ut & τὸ παῖδας ἔσχεν, ad puerorum ejus educationem, deflectere nituntur. Sed, quam aliam Crassus, quem minime cælibem vitam duxisse, imo vero justos liberos sustulisse, ex lib. 5. Epistolar. familiarium Ciceronis, & ex eodem Plutarcho *in Cicerone*, constat, uxorem duxerit, legere non memini. Nam alterius Plutarchus, cui usitatum est in ipso limine cujusque genus, familiam, conjugium narrare, non meminit; & verbum συνοικεῖν de nuptiali conjunctione passim, non apud Plutarchum modo, sed & reliquos Græcos auctores, accipi, tam certum est quam quod certissimum, ut testimonia proferre putidæ sit futurum diligentiæ. Atque adeo, vetustum & antiquitate ipsa spectabilem, ex insigni reginæ bibliotheca, manuscriptum Plutarchi codicem exhibuit mihi egregius ille antistes, qui nobis incredibili felicitate Plutarchum Gallice loquentem reddidit; in cujus margine ad eum locum fugientibus jam literis adnotatum est, Crassum uxorem fratris duxisse. Ut proinde temere mutanda non sint, quæ certam semper & constantem interpretationem habuere. His accedere & Apuleii, *ex Apologia pro se ipso secunda*, aliud exemplum velim, quo cum viri mortui fratre Pudentillam tabulas nuptiales fecisse narrat. Quod non posset aptius quam ipsismet auctoris verbis referri. Sic autem habent: *Æmilia Pudentilla, quæ nunc mihi uxor est, ex quodam Sicinio Amico, quicum antea nupta fuerat, Pontianum & Pudentem filios genuit; eosque pupillos in potestate avi relictos paterni (nam superstite patre Amicus decesserat) per annos ferme quatuordecim memorabili pietate sedulo aluit. Non tamen libenter in ipso ætatis suæ flore tamdiu vidua, sed puerorum avus invitam eam conciliare studebat alteri filio suo Sicinio Claro, eoque ceteros procos absterrebat; & preterea minabatur, si extrario nupsisset, nihil se filiis ejus ex paternis eorum bonis testamento relicturum. Quam conditionē cum obstinate propositam videret mulier sapiens, & egregie pia, ne quid filiis suis eo nomine incommodaret, facit quidem tabulas nuptiales, cum quo videbatur, cum Sicinio Claro; verum enimvero vanis frustrationibus nuptias eludit, eo ad, dum puerorum avus fato concessit, relictis filiis ejus heredibus: ita ut Pontianus, qui major natu erat, fratri suo tutor esset.* Hæc ille. Utcunque sit, hujusmodi matri-

matrimonia, aliquot sunt Impp. Constitutionibus, ut & Concilii Neocæsariensis Canone secundo, interdicta *r*. Quinetiam, cum quidam Ægyptiorum, mortuorum fratrum conjuges matrimonio sibi copularent hoc colore, quod virgines mansisse dicerentur, forte profecto a Judæis instituto, apud quos fratri mortuo fratrem superstitem sobolem excitare invaluerat: Zeno eas nuptias, & qui eas contraxisset, & inde susceptos liberos, incestarum nuptiarum pœnis subjacere voluit *s*. Titum plane Imperatorem, animam agentem, unius duntaxat peccati pœnitere se testatum esse, Xiphilinus refert. Conjecisse autem quosdam, id esse, quod Domitiani fratris uxorem in deliciis habuisset.

Uxoris etiam sororem ducendi & sic duabus sororibus conjungendi licentiam, dissoluto quoquo modo conjugio, Impp. Valentinianus, Theodosius, & Arcadius submoverunt *t*. Honorius tamen Imp. duas Stiliconis filias unam post alteram in matrimonio habuisse fertur. Sed quam infelix fuerit utriusque matrimonii exitus, historiarum monumenta testantur. Ex neutra enim liberos suscepit morteque immatura utraque obiit, ut Zonaras *tomo 3. Annalium* his verbis narrat: Ἄγεται ait, de Honorio loquens, τοίνυν τὴν Στηλικῶνος θυγατέρα Μαρίαν εἰς γαμετήν· ἧς θανούσης λέγεται τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς Θερματίαν γῆμαι ἐν ἀτελεῖ τυγχάνουσαν ἡλικίᾳ. κἀκείνη δὲ ταχὺ ἐτελεύτησεν. *Ducit igitur Stiliconis filiam Mariam uxorem. qua mortua fertur ejus sororem Thermatiam duxisse immaturæ tum ætatis. & illa brevi mortua est.* Marcellinus Comes, in Chronico: *Stilico comes; cujus duæ filiæ, Maria & Tharmantia, singulæ uxores Honorii Principis fuere: utraque tamen virgo defuncta, spreto Honorii regno, regnum inhians*, & quæ sequuntur. Paul. Diaconus, lib. 14. appendicis ad Eutropium, *Ei*, ait, *soboles nulla fuit: nam duæ Stiliconis filiæ, id est, Maria & Tharmantia*, (sic enim lege) *una post alteram ei conjugio sociatæ, utraque Dei judicio inopinata morte præventæ, ex hac luce virgines migravere.*

Verum enimvero duorum fratrum liberi invicem recte matrimonio jungebantur, consobrinæque uxoris ductæ fit in plerisque Pandectarum locis mentio *u*. Sic Tullias duas regis Servii Tullii filias Lucio & Arunti Tarquiniis, Prisci Tarquinii nepotibus, consobrinis suis, matrimonio junctas fuisse, Dionys. Halicarn. *libro* 4. *Antiquitatum* refert. Sed manifestum est, eo loci in Græco codice erratum. Ita quippe scriptum est: Ἦσαν δὲ Τυλλίῳ δύο θυγατέρες ἐκ γυναικὸς γινόμεναι Ταρκυνίας, ἣν ἐνεγγύησεν αὐτῷ βασιλεὺς Ταρκύνιος. ταύτας τὰς κόρας ἐπιγάμους γινομένας ἐκδίδοται τοῖς ἀδελφοῖς τῆς μητρὸς αὐτῶν, υἱωνοῖς τε Ταρκυνίου. Secundum quam scripturam hoc Halicarnas. ait: *Erant Servio Tullio filiæ duæ ex uxore Tarquinia, quam ei rex Tarquinius Priscus despondit. Has puellas viro maturas, & nubiles, nuptum dedit fratribus matris earum, nepotibus Tarquinii.* Quod utique consistere non potest. Nam Tarquiniam, Tullii conjugem, filiam fuisse Tarquinii Prisci, in confesso est: Lucium vero & Aruntem Tarquinios, non Tarquinii Prisci filios, sed nepotes fuisse omni adseveratione contendit Halicarnasseus, & eorum, qui contra sentiebant, opinionem accuratissime refutat: pugnantque inter se, nepotes fuisse Tarquinii, & fratres Tarquiniæ Tullii conjugis: & hoc modo non consobrinis, sed avunculis junctæ fuissent Tulliæ. Itaque procul dubio legendum est, ἀδελφιδοῖς, id est, *nepotibus per fratrem*, seu υἱοῖς ἀδελφοῦ τῆς Ταρκυνίας. Nam, ut ille existimat, ex Tarquinii Prisci filio, qui in juvenili ætate mortem obierat, nati erant. Quamquam Livio probabilius videtur, Tulliarum non consobrinos eos, sed avunculos fuisse. Verba ejus hæc sunt, lib. 1. ab U. C. *Hic Lucius Tarquinius, Prisci Tarquinii regis filius neposne fuerit, parum liquet: pluribus tamen auctoribus, filium crediderim. Fratrem habuerat Aruntem Tarquinium, mitis ingenii juvenem. His duobus, ut ante dictum est, duæ Tulliæ filiæ nupserant.* Hæc ille. Sunt & alia complura ejusmodi matrimoniorum in historiis exempla. Namque Augustum filiam suam Juliam Marcello, Octaviæ sororis suæ filio, nuptum dedisse, a Dione *x* & Suetonio *y* relatum est. Et filium suum immatura morte præreptum Quintilianus lugens, avunculo eum generum destinatum significat *z*. Sed & Constantius Imp. sororem suam, quam in Græcis Socratis codicibus Helenam; in Latinis Cassiodori, Constantiam nominari invenio, Juliano in matrimonium tradidit, atque ita patruelis patrueli juncta est: Julianus enim ex Constantio, Constantini Magni consanguineo fratre, ortus erat. Quamquam sobrinarum diu Romæ ignorata conjugia Tacitus *lib.* 12. memorat, posteaque tempore addito ea percrebuisse. Id quod & Plutarchus ἐν Αἰτίοις confirmat, has nuptias plebiscito permissas significans. Πρότερον γὰρ, inquit, οὐκ ἔγημαν τὰς ἀφ' αἵματος, ὥσπερ οὐδὲ νῦν τηθίδας, οὐδὲ ἀδελφὰς γαμοῦσιν, ἀλλ' ὀψὲ συνεχώρησαν ἀνεψιαῖς συνοικεῖν ἐκ τοιαύτης αἰτίας. Ἀνὴρ, χρημάτων ἐνδεὴς, τὰ δὲ ἄλλα χρηστὸς, καὶ παρ' ὁντιναοῦν τῷ δήμῳ τῶν πολιτευομένων ἀρέσκων, ἐπίκληρον ἀνεψιὰν ἔχειν ἔδοξε, καὶ πλουτεῖν ἐπ' αὐτῆς. ἐπὶ τούτῳ δὲ γενομένης αὐτοῦ κατηγορίας, ὁ δῆμος ἀφεὶς τὴν αἰτίαν ἐλέγχειν, ἔλυσε τὸ ἔγκλημα, ψηφισάμενος, πᾶσιν ἐξεῖναι γαμεῖν ἄχρις ἀνεψιῶν, τὰ δὲ ἀνωτέρω κεκωλῦσθαι. *Olim non ducebant consanguineas, sicut ne nunc quidem ducunt materteras, aut sorores, sed vero concessum fuit, ut liceret consobrinas ducere propter hanc causam. Vir quidam pauper, sed bonus, & qui populo, si quisquam, erat carus, consobrinam, quæ sola erat paternorum bonorum heres, duxisse putabatur, & ab illa ditatus est. De hac re fuit accusatus. Populus, omissa causæ cognitione ipsum absolvit, plebiscito facto, omnibus licere consobrinas uxoris loco habere. conjugium autem superiorum graduum vetuit.* In cujus loci versione interpres non contemnendo errore lapsus est. Vocem enim ἀνεψιαῖς, de neptibus interpretatur, qua tamen appellatione illic sobrinas exaudiendas constat. Duorum enim fratrum sororumve filii, filiæ, ἀνεψιοὶ & ἀνεψιαὶ inter se sunt. Cujus rei vel locuples testis est Pollux, *lib.* 4. *Onomast. cap.* 4. At religiosissimus Princeps, pudorisque, continentiæ ac pietatis diligentissimus, Theodosius major, etiam has nuptias prohibuit, quemadmodum Ambros. *l.* 8. *Epist.* indicat *a*. *Nam & Theodosius*, inquit, *Imperator etiam fratres patrueles & consobrinos vetuit inter se conjugio convenire, & severissimam pœnam statuit, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora. Et tamen illi invicem sibi æquales sunt. Tantummodo, quia propinquitatis necessitudine & fraternæ societatis ligantur vinculo, pietati eos voluit habere quod nati sunt.* Meminit & hujus Theodosii constitutionis Sextus Aurelius Victor, apud quem ita est: *Illa tamen, quibus Trajanus adspersus est, vinolentiam scilicet, & cupiditatem triumphandi, usque eo detestatus est, ut bella non moverit, sed invenerit, probibueritque lege, ministeria lasciva psaltriasque comessationibus*

*r* l. fratris. & l. ult. C. de incest. nupt. l. nemini. C. de nupt. l. 1. & l. 3. de incest. nupt. in C. Th.
*s* l. licet. C. de incest. nuptiis.
*t* l. fratris. C. de incest. nuptiis.

*u* §. duorum. Institut. de nupt. l. 3. & l. non solum. 67. §. 1. D. de ritu nupt. l. 2. C. de instit. & sub.
*x* lib. 53. *y* in Augusto. cap. 63.
*z* lib. 6. Orat. instit. cap. 1. *a* Epist. 66.

*adhibери; tantum pudori & continentiæ tribuens, ut consobrinarum nuptias vetuerit tanquam sororum.* Quæ posteriora verba ab eo sumsit Paul. Diaconus, *lib.* 12. *appendicis ad Eutrop.* apud quem tamen *mysteria* pro *ministeria* in nonnullis codicibus male legitur. Atque ad hanc Theodosii constitutionem referendum est quod B. Augustin. *lib.* 15. *de Civitate Dei, cap.* 16. scribit: *Experti autem sumus de connubiis consobrinarum etiam nostris temporibus, propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat; quia id nec divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana: veruntamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti; &, quod fiebat cum consobrina, pæne cum sorore fieri videbatur, quia & ipsi inter se propter tam propinquam consanguinitatem fratres vocabantur, & pæne germani sunt.* Et mox: *Veruntamen, quis dubitet, honestius hoc tempore etiam consobrinarum probibita esse conjugia, nec solum secundum ea quæ disputavimus, propter multiplicandas difficultates, ne habeat duas necessitudines una persona, cum duæ possint eas habere, & numerus propinquitatis augeri, sed etiam quia nescio quo modo inest humanæ verecundiæ quiddam naturale atque laudabile, ut, cui debet causa propinquitatis verecundum honorem, ab ea contineat quamvis generatricem tamen libidinem, de qua erubescere videmu etiam ipsam pudicitiam conjugalem.* Verum illam Theodosii constitutionem Arcadius & Honorius ejus filii postea abrogaverunt. quorum de ea constitutio in Codice Justiniani exstat in hæc verba *b*: *Celebrandis inter consobrinos matrimoniis licentia legis hujus salubritate indulta est, ut revocata prisci juris auctoritate, restinctisque calumniarum fomentis, matrimonium inter consobrinas habeatur legitimum, sive ex duobus fratribus, sive ex duabus sororibus, sive ex fratre & sorore nati sint.* Refragari tamen duæ eorundem Imperatorum constitutiones videntur, quæ in Cod. Theodos. referuntur. Una *c* sub tit. *Si nuptiæ ex rescripto petantur.* Altera *d* sub tit. *De incestis nuptiis.* Sed ego Anianum illis constitutionibus violentas manus attulisse suspicor; cum, ad Gothorum suorum, in quorum gratiam ex Alarici Regis præcepto breviarium Codicis conscripsit, usum, constitutiones illas accommodare studeret. Quod ex collatione earundem constitutionum, cum iis quæ sub iisdem rubricis in Codice Justiniani collocatæ sunt, deprehendi potest. Neutro enim loco in Justiniani Codice de consobrinarum nuptiis fit mentio. Sed & constitutioni Arcadii & Honorii incestarum nuptiarum pœnam idem Anianus, ex gentis suæ moribus, ignis & proscriptionis, ab eorum Imperatorum sententia abhorrentem, inseruit: ac, ut semel dicam quod sentio, quod Tribonianus in Pandectas & Codicem pro imperio ausus est, idem Anianus in breviarium Codicis Theodosiani, & Caii Institutiones, admittere non dubitavit. Itaque illis in libris plerumque Tribonianus & Anianus pro antiquis Jurisconsultis atque Imperatoribus leguntur. Quale illud est, quod apud Cajum legitur, cives Romanos effici servos tribus modis; id est, testamento, aut in ecclesia, aut ante consulem manumissos. Nec enim dubium est, Cajum, cum Cicerone *in Topicis*, & Ulpiano *in Instit.* scripsisse, libertos eos cives Romanos esse, qui testamento, censu, vindicta, manumissi essent. Manumissiones quippe in ecclesia Cajus ignorabat: quibus vires atque robur Constantinus Magnus primus tribuit. Et, ne longius a proposito recedam, in earundem Caii Institutionum epitome, cujus Anianus, aut ejusdem farinæ alius, auctor est, fratres amitinos vel consobrinos in matrimonio jungi nulla ratione permitti, scriptum est: quod tamen civili juris antiqui definitioni adversatur. Similiter Theophilus, ad suorum quoque temporum rationem jus antiquum detorquens, contra Justiniani mentem scripsit, δύο ἀδελφῶν ἀρρένων ἢ θηλέων παῖδας οὐ δύνασθαι πρὸς γάμον συνάπτεσθαι. *duorum fratrum filios non posse cum consobrinis conjugio jungi.* Nam earum nuptiarum prohibitio ex recentiorum Imperatorum constitutionibus, quibus & conciliorum ecclesiasticorum canones accesserunt, descendit; ut ex concilio Romano, quod imperante Leone sub urbis Romanæ episcopo Gregorio III. celebratum est, patet. Gothorum utique, ut & Alemanorum legibus, consobrinorum consobrinarumque interdictæ fuere nuptiæ. In Alemanorum enim legibus, quas eis Clotharius rex descripsit, ita legitur, tit. 40: *Nuptias prohibemus incestas. Itaque uxorem habere non liceat socrum, nurum, privignam, novercam, filiam fratris, filiam sororis, fratris uxorem, uxoris sororem. Filii fratrum, filii sororum, inter se nulla præsumtione jungantur. Si quis contra hoc fecerit, a loci judicibus separetur, & omnes facultates amittat, quas fiscus aaquirat. Si minores personæ sunt, quæ se illicita conjunctione polluerunt, careant libertate, servis fiscalibus adgregandæ.*

Nunc ad reliqua pergamus. Amitam quoque & materteram uxorem ducere non conceditur, quoniam, ut Justinianus ait *e*, parentum loco habentur. Unde apud Halicarn. Brutus inter cetera, quæ Tarquinio Superbo vitio dat, hoc, ut probrum, objicit, quod Servii Tullii uxorem Tarquiniam, ἣν, ait, προσῆκεν αὐτῷ τιμᾶν ὥσπερ μητέρα, πατρὸς ἀδελφὴν οὖσαν, *quæ illi colenda erat tanquam mater, quippe quæ erat Patris Soror*, antequam viro justa fecisset, laqueo necasset. Itaque exterminandi Syllani sibi invisi causa, Nero accusatores, Tacito *f* teste, summisit, qui cum Lepida, amita ejus, Cassii uxore, incesti eum postularent.

Illæ etiam sunt injustæ nuptiæ, quæ legitimo consensu carent. Nuptiæ enim consensu solo contrahentium fiunt. Quare cum furioso furiosave matrimonium contrahi nequit *g*. Nec enim voluntatem, sensum, intellectumve habent. Dissimilis mutorum surdorumque causa est, quibus, utpote consensus compotibus, valetudo vitiumque corporis, quo minus matrimonium contrahant, non obest *h*. Quamquam autem matrimonium contrahi furor non sinit, rite tamen contractum non dissolvit *i*: similiterque, qui sponsalibus contrahendis ab initio impedimento fuisset furor, idem, postea superveniens, jam contracta ea non dirimit. *k* Ceterum, non consensum duntaxat eorum, qui coeunt, sed & eorum, quorum in potestate sunt, exigimus *l*. Idque naturali ratione, ex qua parentibus debita reverentia atque observantia descendit *m*, & civili jure, quo patriæ potestatis jus receptum est *n*, desiderari, belle Justinianus scribit *o*. Filiis ergo familias absque parentum voluntate justas nuptias contrahere non licet. Qui locus a tam multis jam tractatus est, ut nobis non sit hæc disputationis materia attentanda. Quid enim, ut de nostris taceam,

*b* l. celebrandis. C. de nupt.
*c* l. un. si nupt. ex rescript. pet. in C. Th.
*d* l. 2. de incest. nupt. in C. Th.
*e* §. item amitam. Inst. de nupt. *f* lib. 16.
*g* l. furor. 8. D. de sponsalib. l. oratione. 16. in fin. D. de ritu nupt.
*h* l. ubi non voce. 124. D. de regul. jur. l. in quibuscunque. 48. D. de obl. & act.
*i* l. patre furioso. D. de his qui sunt sui vel al. jur. d. l. oratione. in fin. D. de ritu nupt.
*k* d. l. furor. *l* l. 2. D. de ritu nupt.
*m* l. veluti. D. de just. & jure. *n* d. l. patre furioso.
*o* Instit. de nupt.

ad D. Claudii Espencæi, eruditissimi celeberrimique Theologi, qui hanc quæstionem accuratissime persecutus est, copiam addi possit? Itaque ea demum, quæ instituti Operis ratio necessario postulat, attingam. Consequens est autem, cum justæ ac legitimæ non sint nuptiæ patre minime consentiente factæ, justos ac legitimos non haberi inde susceptos liberos, ac per hoc, ut recte Apulejus infert *p*, spurios nasci. Nec refert, vivone avo, an post ejus mortem, in lucem edantur; cum patris morte, quæ ab initio injustæ sunt, non eo magis convalescant nuptiæ *q*. Infamiæ quoque notam non evadere eum, qui sciens uxorem non jussu ejus, cujus in potestate est, duxerit, ipsa Prætoris de infamibus edicti verba declarant *r*. Nepoti autem uxorem ducenti tam avum quam patrem consentire debere, Paulus testatur *s*. Aliter atque si neptis nubat, cui solius avi auctoritatem sufficere tradit. Cum tamen pater furit, avus sapit, avi solius auctoritas sufficit *t*. Qua in specie, aut etiam, si morte vel emancipatione pater de medio sit subductus, procedere posse, Accursius monet, quod Paulus ex Pomponio scribit *u*, Si nepotem ex filio, neptem ex altero filio in potestate habeam, nuptias inter eos me solo auctore contrahi posse. Versa vice, si avus furore teneatur, nepoti patris solius voluntas exquirenda est. Is plane, cujus pater ab hostibus captus est, si non intra triennium revertatur, uxorem ducere potest *x*. Pari modo, si ita pater absit, ut, ubi gentium ac locorum sit, ignoretur, post triennium, ex quo apertissime fuerit ignotum, ubi degat & an superstes sit, non prohibentur *y* liberi ejus utriusque sexus nuptias absque ejus auctoritate contrahere. Sed & si ante triennium nuptias contraxerint, dummodo eam filius uxorem duxerit, vel filia hujusmodi homini nupserit, ut certum sit, patrem, si adesset, ejus conditionem non repudiaturum, nuptiæ valebunt *z*. Enimvero consensus patris non ita accipiendus est, ut satis sit, mandatum filiæ mariti quærendi dedisse: nam & personam patri demonstrari oportet *a*. Patris autem ad nuptias constituendas jussum præcedere oportere Justinianus tradit *b*. Ubi jussum pro voluntate accipiendum esse constat. Velle porro intelligitur, si, quod agitur, sciat, nec evidenter dissentiat *c*. Contrariam quippe voluntatem contestari necesse est. Alioquin, si taceat, nec contradicat, pro jussu & consensu silentium ejus interpretamur *d*. Itaque, & nutu, & literis, & per nuncium, patris consensum interponi posse, dubium non est *e*. Consensus porro, qui in aliis causis exigitur, vel ex intervallo & negotio jam perfecto, cum effectu interponitur. Quod & in hac quæstione probare videtur, Justiniano prima fronte contrarius, Papinianus, cum ita scribit *f*: *Dotis promissio non ideo minus valebit, quod ignorante initio patre nuptiæ factæ fuerint, si postea consenserit, cum omnis dotis promissio futuri matrimonii conditionem accipiat.* Verum ea, meo quidem judicio, verba sic accipienda sunt, ut ex die accommodati consensus incipiant nuptiæ esse, exindeque dos peti possit. Quod ita censuisse Papinianum, indicio sunt sequentia ejus verba, quibus objicit, maritum a petitione dotis, cujus promissio ad primas tantum, non etiam ad secundas nuptias extenditur, repellendum videri. Cui objectioni locum non esse in specie proposita significat, quoniam, accedente demum patris consensu, nuptiæ esse cœperint. Plane consensus sui qualemqualem, dum tamen apertam, significationem dare patrem sufficit, nec tabulis nuptialibus ac dotalibus subscribere eum necesse est.

Hæc ita in filiorumfa. matrimoniis servantur. Emancipati vero filii citra parentum consensum justas nuptias contrahunt *g*: nec interesse existimo, justæne ætatis sint, an minores 25. annis, cum hujus distinctionis nullum consultorum imperatorumve auctorem habeamus. Quamquam Accursio aliter videri scio, qui, quod de feminis propter infirmitatem ac fragilitatem sexus ab Impp. constitutum est *h*, ad mares porrigere, nulla probabili ductus ratione, conatur *i*. Proinde minime dubium est, juste quæsitos filios videri, & suos heredes patri adnasci, quos emancipatus ex uxore, non ex patris voluntate ducta, susceperit. Atque adeo, ad bonorum quoque possessionem avi, cujus testamento præteriti sunt, eos patre mortuo admitti, Ulpianus scribit *k*. *Non enim*, ait, *per rescissionem, qui filius justus est, efficitur non filius, cum rescissio, quo magis admittatur, non quo minus, adhibeatur.* Quæ verba obscurum sensum habent. & licet iis facem jam eruditissimi aliquot viri prætulerint, quia tamen, ut est in proverbio, ϗ τρὶς τὰ καλὰ, deciesque repetita placent, non pigebit familiarem eorum verborum interpretationem facere. Sciendum est igitur, Prætorem, qui juris civilis custodiendi magis, quam convellendi atque infringendi causa, constitutus erat, ne aperte contra juris civilis auctoritatem emancipatis præteritis subvenire videretur (quibus tamen naturali ratione succurri æquum erat) eorum capitis diminutionem rescindere consuevisse *l*; ut, eo facto quasi potestati patris redditi, contra tabulas bonorum possessionem peterent. Hac ratione, dixisset aliquis, nepotem, quem emancipatus ex matrimonio citra consensum patris contracto sustulit, avitum testamentum per bonorum possessionem expugnare non posse: quoniam, ut ad bonorum possessionem admittatur, rescindi patris ejus emancipationem necesse sit. qua rescissa, videbitur non ex justis nuptiis nepos hic conceptus, quæ parentis consensu (in cujus potestatem, per rescissionem emancipationis, patrem ejus redigimus) non fuerint firmatæ. Huic tacitæ objectioni Ulpianus occurrens, rescissionem emancipationis (sic enim interpretari convenit) quæ a Prætore fit, eo comparatam esse scribit, ut aditum ad bonorum possessionem emancipatis patefaciat. Proinde, quæ admittendorum eorum causa inducta est, excludere & repellere eos non debet; ne, quod pro eis favorabiliter constitutum est, in eorum incommodum atque odium retorqueatur. Ut enim scite Quintilianus in Declamationibus argumentatur, Quæ pro aliquo scripta est lex, contra eum valere non debet. Itaque rescissio hæc, quominus justus patris filius nepos intelligatur, non efficit; sed contra, viam sternit ad bonorum possessionem petendam. Nam etiamsi, ut subjicit Ulpianus, tam turpem & ignominiosam uxorem duxisset filius, ut toti familiæ ejus adfinitas dedecori esset, nihilominus tamen ex ea natus filius ad bonorum possessionem admittetur. Potuit enim avus in eum suo jure uti, & eum

*p* lib. 5. de Asino aureo. *q* l. Paulus 11. D. de stat. hominum.
*r* l. 1. D. de his qui not. infam.
*s* l. oratione. 16. §. 1. D. de ritu nupt.
*t* l. si nepos. 9. D. de ritu nupt.
*u* l. si nepotem. 3. D. de rit. nupt.
*x* d. l. si nepos. §. ult. D. de ritu nupt.
*y* l. si ita. 10. D. de ritu nupt.
*z* l. si filius. 11. D. eod. titulo.
*a* l. general. 34. D. eod. tit.
*b* Instit. de nupt.

*c* l. in sponsalibus. in fine. D. de sponsal. arg. l. 2. §. velle. D. sol. matr.
*d* l. si, ut proponis. C. de nupt.
*e* arg. l. pater. §. 1. D. de acq. hered. l. consensu. D. de oblig. & act. l. 2. D. de pact.
*f* l. dotis promissio. 68. D. de jure dot.
*g* l. filius. 25. D. de ritu nupt.
*h* l. viduæ. & l. in conjunct. C. de nupt. *i* in glos. d. l. filius.
*k* l. 3. §. si emancipatus. D. de bon. poss. contra tab.
*l* l. sed cum patrono. §. ult. D. de bon. possessionibus.

pro imperio exheredare. Parentibus siquidem liberos exheredare licet *m*; quos & occidere licebat. Quodsi cum exheredasset, de inofficioso testamento queri nepos hic necesse habuisset. In quo judicio & patris delicta, & nepotis merita, centumviri examinassent; perpendissentque, an ob patris vitium nepotem plecti, alienumque a substantia avita fieri; & contra, an liberos e vili, abjecta, famosaque nuru susceptos, ad bona avi, cujus familia labe hac aspergitur, admitti æquum esset. Hæc per transennam interlocutum me non pœnitet, cum locus hic, adhibita nostra interpretatione, planior posthac legentibus futurus, occurret.

Ut autem eo redeat, unde exiit, oratio, admonendi sumus, non idem filiabus, quod filiis emancipatis, juris esse. Filiæ namque emancipatæ, quoad vicesimum quintum annum attigerint, non modo primas, sed ne secundas quidem nuptias sine patris voluntate recte contrahunt *n*. Quinetiam morte patris, sui juris factæ, donec ad legitimam ætatem pervenerint, matris, & propinquorum, & curatoris, sub cujus potestate constitutæ sunt, sententiam explorare necesse habent *o*. Quodsi inter tutorem, matrem, & propinquos, de electione futuri mariti minus conveniat, ad arbitrium magistratus erit recurrendum *p*. Hujusmodi quondam discordiam inter matrem & tutores, M. Geganio Macerino iterum, & T. Quinctio Capitolino, V. Coss., ortam Livius memorat *q*. Virginem siquidem, maxime forma notam, tum temporis duo juvenes petiere. Unus plebeii generis, tutoribus fretus, qui & ipsi ejusdem ordinis erant: nobilis alter, nulla re præterquam forma captus; cui mater, splendidissimis nuptiis jungi filiam cupiens, favebat. Quod certamen cum domi & intra privatos parietes componi nequisset, ventum in jus est: postulatuque matris & tutorum utrimque audito, magistratus secundum matris arbitrium jus nuptiarum dedere. At quæ vicesimum quintum annum egressæ sunt filiæ, inconsultis parentibus impune pro arbitrio nubunt, nec pœnam exheredationis ob eam rem timent *r*. An vero abducendæ filiæ, quæ sine ejus voluntate nupsisset, jus patri olim competeret, quæri potest. Ulpianus quidem, certe bene, concordantia matrimonia jure patriæ potestatis turbari non posse; patrique, interdicto sibi filiam exhiberi desideranti, persuadendum, ne acerbe patriam exerceat potestatem scribit *s*. Imo vero, de uxore exhibenda ac ducenda, patrem, etiam qui in potestate eam habeat, a marito recte conveniri posse, Venulejus auctor est *t*. Interdicto quoque succurri marito, cujus uxor invita a parentibus detinetur, Impp. rescripsere *u*. Ex illo vero generali Ulpiani axiomate, quo bene concordantia matrimonia jure patriæ potestatis non esse turbanda definit, interpretationem, meo quidem judicio, accipit, quod Paulus *in lib. Sententiarum* scribit *x*, Eorum, qui in patris potestate sunt, sine voluntate ejus matrimonia jure non contrahi, sed contracta non solvi.

Porro duas eodem tempore uxores habere Romæ non licuit *y*. Binarum vero eodem tempore contractarum nuptiarum crimen, infamiæ pœna vindicatum, notum est. Edicto enim Prætoris, qui vel bina sponsalia eodem tempore constituta habebat, infamia notabatur *z*. Unde Impp. Valerian. & Galien. *Eum*, inquiunt *a qui duas simul habuit uxores, sine dubitatione comitatur infamia. In ea namque re non juris effectus, quo cives nostri plura contrahere matrimonia prohibentur, sed animi destinatio cogitatur*. Quibus postremis verbis, ut eorum vim potestatemque breviter explanemus, tacitæ objectioni respondet. Dixisset enim aliquis, non posse quem duas uxores habere: nam, manente prioris non repudiatæ conjugio, alteram additam conjugem, uxorem esse non posse. Sed voluntatem contrahendi matrimonii, non juris effectum & conjunctionis validitatem, spectari debere, Impp. ajunt: quemadmodum & Ulpianus factum notari tradit *b*. Ideoque, si vel cum ea quis nuptias faciat, vel sponsalia constituat, quam uxorem ducere non liceat, infamiam non eo tamen effugere. Illius vero Galieni & Valeriani constitutionis ultimam partem, ut hoc obiter admoneam, Tribonianus *in tit. De donationib. ante nuptias*, junctis & additis aliquot, prout sensus desiderabat, verbis, retulit *c*. Impp. etiam Diocletian. & Maximianus *d*. *Neminem*, inquiunt, *qui sub ditione sit Romani nominis, binas uxores habere posse, vulgo patet: cum etiam in edicto prætoris hujusmodi viri infamia notati sint. Quam rem competens judex inultam esse non patietur*. Utique enim, stupri crimen in posteriorem uxorem committi, non dubium est. Ex quo sequitur, capitalem pœnam ei, qui tale facinus admiserit, ex Constantini constitutionibus, quæ stupra & adulteria capite plectunt, imminere: quod & Constantini quædam constitutio non obscure indicat, qua capitali pœnæ non esse obnoxias eas mulieres statuit *e*, quæ, vivis maritis militibus, nullo accepto de eorum sospitate nuncio, post quatuor annorum spatium alteri nupserint. Incidisse autem aliquando Romæ de duabus uxoribus simul ductis controversiam, Crassus, apud Ciceronem *lib. I. de Oratore*; ita scribit: *Quid? quod usu memoria patrum venit, ut paterfamilias, qui ex Hispania Romam venisset, cum uxorem prægnantem in provincia reliquisset, Romæque alteram duxisset, neque nuncium priori remisisset, mortuusque esset intestato, & ex utraque filius natus esset, mediocrisne res in controversiam adducta est, cum quæreretur de duobus civium capitibus, & de puero qui ex posteriore natus erat, & de ejus matre? quæ, si judicaretur, certis quibusdam verbis, non novis nuptiis, fieri, cum superiore divortium, in concubinæ locum duceretur*. Ac neque hic omittendum censeo, Papyrii non minus lepidum atque festivum, quam prudens figmentum, quo matrem, instantius percunctantem quid in senatu egissent patres, elusit *f*. Actum enim in senatu dixit, utrum utilius videretur, magisque ex republica esse, unusne ut duas uxores haberet, an ut una apud duos nupta esset. Quod ubi illa audivit, domo trepidans egressa, ad ceteras matronas retulit; postridieque ad senatum copiosæ matrumfamilias catervæ confluxerunt, deprecantes, una potius ut duobus nupta fieret, quam uni duæ. Senatoribus vero, quæ illa mulierum intemperies, & quid sibi postulatio istæc vellet, mirantibus, &, non ut parvæ rei prodigium, illam verecundi sexus impudicam insaniam pavescentibus, puer Papyrius publicum metum demit. Nam in medium curiæ progressus, quid ipsi mater audire institisset, quid matri ipse simulasset, sicuti fuerat, enarravit. Nec clam me est, memoriæ proditum *g*, Helium Cæcinam, tribun. plebis, legem habuisse scriptam, paratamque, quam Julius Cæsar se absente ferre jussisset, ut uxores, liberorum quærendorum

*m* l. in suis. 11. in fin. D. de lib. & post.
*n* l. viduæ. 18. & l. in conjunctione. 20. C. de nuptiis.
*o* l. 1. & d. l. in conjunctione. 20. C. de nupt.
*p* l. 1. C. de nuptiis. *q* lib. 4. ab U. C.
*r* §. causas. Nov. ut cum de appellat. cognoscitur.
*s* l. 1. §. ult. D. de liber. exhib. *t* l. 2. D. de lib. exhib.
*u* l. si invita. 11. C. de nupt. l. 3. C. de lib. exhib.
*x* lib. 2. tit. 19. *y* §. adfinitatis Instit. de nupt.
*z* l. 1. in fin. l. quid ergo. 13. §. 1. D. de his qui not. infam.
*a* l. eum qui. 18. C. ad l. Jul. de adulter.
*b* d. l. quid ergo. §. cum autem factum. D. de his qui not. infam.
*c* l. ea quæ. C. de donationib. ante nupt.
*d* l. 2. C. de incest. nupt. *e* l. uxor. C. de repudiis.
*f* *Gell.* lib. 10. noct. Attic. cap. 23. *Macrob.* lib. 1. cap. 6.
*g* *Sueton.* in Julio, cap. 52.

causa, quas & quot vellent, ducere Quiritibus liceret. Sed ea lex promulgata non fuit: primumque ex Romanis Antonium duas in matrimonio mulieres habuisse, Plutarch. scriptum reliquit, *in collatione Demetrii & Antonii*, his verbis: Ἀντώνιος δὲ πρῶτον μὲν ὁμοῦ δύο γυναῖκας ἠγάγετο, πρᾶγμα μηδενὶ Ῥωμαίῳ τετολμημένον. *Antonius primus duas uxores eodem tempore habuit, quod nullus Romanorum antea sustinuerat facere*. Valentinianus quoque, Severæ conjugis prædicatione in Justinæ amorem pellectus, cum neque subnixum jam liberis matrimonium solvere, & uxori, ex qua Gratianum susceperat, repudium mittere sustineret, neque frenis amorem, quo puellam tantopere sibi laudatam deperibat, cohibere posset, alteram Severæ Justinam uxorem superduxit, ex qua Valentinianum juniorem sustulit. Ac, ut facti ejus turpitudinem amoliretur, lege sanxit, ut cuilibet duas simul uxores habere liceret: quemadmodum Socrates *b*, Paul. Diacon. *i* & Nicephorus *k* scribunt. Sed nec ea lex accepta fuit. Nam & Judæos, qui forte hoc colore, quod primis generis humani satoribus polygamia propagandæ ac multiplicandæ sobolis necessitate permissa fuisset, quasi majorum vestigiis insistentes, plures sibi uxores habere licere existimabant, Impp. Theodosius, Arcad. & Honorius, prohibuere in diversa sub uno tempore conjugia convenire *l*. Nec non Justinianus, *Nov.* 79. quæ de naturalibus liberis tractat, Εἴ τις, ait, νομίμῳ συνοικοίη γυναικὶ, ἄλλας ἐπεισάγειν οὐκ ἂν δύναιτο, τοῦ συνοικεσίου συνεστῶτος, καὶ ἐξ αὐτῶν νομίμως παιδοποιεῖσθαι. *Si quis justam uxorem duxerit, alias præter hanc ducere non licet, quam diu matrimonium durat, & ex illis legitime liberos tollere*.

An autem concubina uxori jure Quiritium adjungi posset, dubitari scio. Hoc certe nec jura antiqua, nec sua, concedere Justinianus scribit *m*. Nam, nec prudentes hoc probasse, indicio est quod Ulpianus ait *n*, Si Patronus, qui libertam duxerat, ei concubinam adhibuisset, inde conjecturam capi, nolle eam nuptam habere; quoniam cum uxore concubina haberi non posset. Idem ipsum Constantini Magni constitutio prohibuit, quæ ita habet *o*: *Nemini licentia concedatur, constante matrimonio, concubinam penes se habere*. Quamobrem Gellius, eam, quæ juncta consuetaque esset cum eo, in cujus manu mancipioque alia matrimonii causa foret, probrosam habitam lege Numæ, ostendit *p*; ejusmodique mulieres, quæ cum eo, cui uxor esset, corpus miscerent, *pellices* appellatas, ibidem tradit. Quod & Cajum Flaccum, *lib. de jure Papyriano*, scripsisse, Paulus *lib.* 10. *ad l. Juliam. & Pap.* notaverat *q*.

Ceterum, sunt & illæ injustæ nuptiæ, quæ a mulieribus intra luctus tempus contrahuntur. Luctus autem tempus, regia lege definitum, decem mensium erat: per quos mulier abstinere a nuptiis jubebatur, duplici, ut Harmenopulus explicat *r*, ratione: Διὰ τὸ μὴ σύγχυσιν γίνεσθαι τῆς γονῆς, καὶ διὰ τὴν ὀφειλομένην αἰδῶ καὶ τιμὴν τῷ ἀνδρί. *Ne semen commisceatur, & propter reverentiam & honorem, quem debet marito*. Cujus rei Plutarchus *in Numa* testis est: Ἀλλὰ τὸ, τοῦ μακροτάτου πένθους χρόνον εἶναι δεκαμηναῖον, ἐφ' ὅσον καὶ χηρεύουσιν αἱ τῶν ἀποθανόντων γυναῖκες. ἡ δὲ πρότερον γαμηθεῖσα, βοῦν ἐγκύμονα κατέθυσεν, ἐκείνου νομοθετήσαντος. *Longissimum luctus tempus esse decem mensium, quo etiam in viduitate debere manere mortuis viris fœminas, lege sanxit: quæ ante hoc tempus nubat, vaccam prægnantem debere sacrificare*. Ovid. lib. 1. Fastorum:

*Quod satis est, utero matris dum prodeat infans,*
*Hoc anno statuit temporis esse satis.*

*Per totidem menses a funere conjugis uxor*
*Sustinet in vidua tristia signa domo.*

Idem lib. 3.

*Annus erat, decimum cum Luna receperat orbem:*
*Hic numerus magno tunc in honore fuit.*

Et mox:

*Assuetos igitur numeros servavit in anno.*
*Hoc luget spatio fœmina mœsta virum.*

Quamobrem, cum fœderis inter Octavium Cæsarem & Antonium sanciendi causa, Octaviam illius sororem huic nuptum dari placuisset, & ea legibus prohiberetur nuptias contrahere, quod M. Marcellum paulo ante mortuum lugeret, & necdum decem menses a viri morte effluxissent, per senatum legibus solvi eam, gratiamque ei legitimi luctus temporis fieri, necesse fuit, ut Plutarch. *in Antonio* his verbis narrat: Ὡς οὖν ἔδοξεν ἀμφοτέροις, ἀναβάντες εἰς Ῥώμην, ἐπετέλουν τὸν Ὀκταβίας γάμον, οὐκ ἐῶντος μὲν νόμου πρὸ δέκα μηνῶν ἀνδρὸς τελευτήσαντος γαμεῖσθαι, τὸν δὲ συγκλήτου δόγματι τὸν χρόνον ἐκείνης ἀνέντος. *Cum placuisset utrique conditio, Romam profecti sunt ad Octaviæ nuptias celebrandas. Quia vero vetabat lex, ne qua mulier nisi exactis decem mensibus a morte viri nuberet, tempus est ei senatusconsulto remissum*. Et quæ sequuntur. Itaque, quod apud Senecam, *epist.* 65. *ad Lucilium*, legitur, annum fœminis ad lugendum constituisse majores, de anno utique Romuli, qui decem duntaxat mensibus constabat, ut fuse a Macrobio *s* tractatur, non de anni suis temporibus ordinata dimensione, accipiendum est. Eodemque modo legitimum luctus tempus in jureconsultorum scriptis interpretandum adfirmo. Primi namque Gratianus, Valentinianus, & Theodosius Impp. luctus tempus, duobus mensibus auctum, anno definiere; ut ex eorum Constitutione, in C. Theodos. relata, constat. quæ ita habet *t*: *Si qua ex fœminis, perdito marito, intra anni spatium alteri festinarit nubere (parum enim temporis post decem menses servandum adjicimus,) tametsi id exiguum putemus, probrosis inusta notis, honestioris nobilisque personæ & decore & jure privetur*, &c. Indeque colligi potest, Apulejum *u*, qui annui luctus temporis mentionem faciat, aut post eorum Imperatorum ætatem, aut eorum seculo vixisse. Apud eum enim Charite Lepolemum, nuptias ejus ambientem, hac excusatione repellit, quod nondum annum luctus complevisset. At Caligula die suo natali, quo & Augusti templum consecravit, ut ad spectacula, quæ edebat, omnes convenirent, luctus inhibuisse, & præterea viduis, intra constitutum legitimum tempus, nubere, nisi prægnantes essent, concessisse fertur. Verba Dionis *x*, quæ hoc comprobant, hæc sunt: Καὶ τὰ πένθη πάντα ἐπέσχεν, ὥστε καὶ ταῖς τῶν ἀνδρῶν ἐστερημέναις, γαμεῖσθαι, καὶ πρὸ τοῦ καθήκοντος χρόνου, ἄν γε μὴ ἐν γαστρὶ ἔχωσιν, ἐξεῖναι. *Et omnem luctum inhibuit, ut etiam fœminis, quæ maritos amiserunt, nubere ante legitimum tempus, nisi prægnantes essent, liceret*. Plane Heliogabalus, quemadmodum Xiphilin. narrat, Pomponio Basso e vivis sublato, quem vel ea præcipue de causa reum postulari curavit, ut ab uxore, cujus ipse amore flagrabat, divelleret, eam protinus duxit, nullo ad lugendum virum spatio dato. Eadem observatione spreta, Ariadna, Zenonis Isaurici uxor, quadragesimo a viri obitu die Anastasio nupsit, ut a Zonara *y* refertur. Qua autem ratione intra annum luctus nubere mulier prohibebatur, ea-

*b* lib. 4. hist. ecclesiastic. c. 30. *i* lib. 11. append. ad Eutrop.
*k* lib. 11. hist. ecclesiast. c. 33. *l* l. nemo. 7. C. de Judæis.
*m* l. ult. C. commun. de manumissionibus.
*n* l. ult. in fin. D. de divort. *o* l. un. C. de concub.

*p* lib. 4. cap. 3. *q* in l. Massurius. 144. D. de verb. sign.
*r* lib. 4. tit. 6. *s* lib. 2. cap. 12.
*t* l. 1. de secund. nupt. Cod. Theod. l. 2. C. de sec. nupt.
*u* lib. 8. de Asino aur. *x* lib. 59. *y* in Anastasio.

dem, post missum ex justa causa repudium, alii nubendi potestatem, ex Impp. Theodos. & Valentin. constitutione, non habebat *z*: ne, ut ipsi ajunt, de prole dubitandi occasio daretur. Idemque tempus, etiam bona gratia & communi consensu dissoluto matrimonio, exspectandum mulieri esse, antequam in alterius manum conveniret, Imp. Anastasius constituit *a*. Cum vero sine probabili ac legitima causa mulier a viro diverterat, connubium ei cum alio ante transactum quinquennium non erat *b*.

Illud consequenter tractandum occurrit, an cum ea, quæ ex alio prægnans & gravida esset, matrimonium jure contrahi potuerit. Quam quæstionem ex facto olim accidisse, memini me apud Dionem *c* legere. Nam cum ardenti Liviæ ducendæ amore flagraret Augustus, ejusque desiderio mora inde afferri videretur, quod ea ex Nerone sextum jam mensem gravida esset; pontifices consuluisse dicitur, an fas esset, prægnantem ducere. Quod illi hac distinctione dissolverunt: ut, siquidem, ex quo gravida foret, dubium atque incertum esset, nuptiæ differendæ essent: sin autem constaret, ex quo concepisset, nihil prohibere, quin duceretur. Itaque, licere sibi quod libebat, Augustus videns, Liviam protinus duxit. Id quod etiam Suetonius ita paucis narrat *d*: *Cum Scribonia divortium fecit, pertæsus morum perversitatem ejus; ac statim Liviam Drusillam matrimonio Tiberii Neronis, & quidem prægnantem, abduxit, dilexitque ac probavit unice & perseveranter.* Idem *in Tiberio e*, de ejus patre agens: *Uxorem Liviam Drusillam, & tunc gravidam, & jam apud se Tiberium enixam, petenti Augusto concessit*. Non abs re igitur festinatas has Liviæ nuptias, quæ nec maxima suspicione carerent *f*, Antonius probri loco Augusto objecit *g*. Quas etiam eleganter Prudentius ita exagitat, lib. 1. contra Symmachum:

*Adjecere sacrum, fieret quo Livia Juno,*
*Non minus infamis thalami sortita cubile,*
*Quam quum fraterno caluit Saturnia lecto.*
*Nondum maternam partu vacuaverat alvum,*
*Conceptamque viri sobolem paritura gerebat*
*Pronuba; jam gravidæ fulcrum geniale paratur;*
*Jam sponsus, saliente utero nubentis, amicos*
*Advocat, haud sterilem certus fore jam sibi pactam.*
*Vitricus ante venit tardum præfervidus ortum*
*Privigni nondum geniti: mox editur inter*
*Fescennina novo proles aliena marito.*
*Idque deum sortes & Apollinis antra dederunt*
*Consilium: nunquam melius nam cedere tædas*
*Responsum est, quam cum prægnans nova nupta jugatur.*

Quinetiam Octaviam, Augusti sororem, post Marcelli, viri ejus, mortem, adhuc gravidam, ventreque pleno, Antonio desponsam, Dio, *lib.* 48. ita scribit: Καὶ τὴν Ὀκταβίαν, τὴν τοῦ Καίσαρος ἀδελφὴν γυναῖκα τῷ Ἀντωνίῳ, ἐπειδὴ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς ἐτετελευτήκει, καὶ κύουσαν προμνηστευσάμενοι, τοσαύτῃ μεταβολῇ ἐχρήσαντο. *Octaviam Cæsaris sororem, cum ejus maritus esset mortuus, & quidem prægnantem Antonino despondentes, tali usi sunt permutatione.* Martiam quoque uxorem, tum ex se gravidam, petenti Q. Hortensio Catonem Uticensem concessisse, Plutarchus refert *h*. Ceterum Livia, apud Augustum, Claudium Drusum Neronem intra trium mensium spatium peperit. Quem natum Augustus patri Tiberio reddidit. Ea res joci materiam, ut Dio auctor est *i*, præbuit; indeque pervulgatus fuit senarius Græcus, quo significatur, fortunatis vel trimestres nasci liberos. Quod deinde in vulgi sermone tritum proverbium abiit. Qua de re, pro Græcis Dionis, Suetonii Latina verba subjungam *k*. *Patrem*, ait, *Claudii Cæsaris, Drusum, olim Decimum, mox Neronem prænomine, Livia, cum Augusto gravida nupsisset, intra mensem tertium peperit: fuitque suspicio, ex vitrico per adulterii consuetudinem procreatum. Statim certe vulgatus est versus,*

Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία.
*Beatis etiam sunt trimestres liberi.*

At vel tricesimo die pater fieri ex uxore, Caligula gloriosum duxit. Eaque gratia Milоniam Cæsoniam, adulterio sibi ante cognitam, & jam tum partui propinquam, duxisse eum Dio narrat *l*. Qua de re ita Suetonius *m*: *Cæsoniam neque facie insigni, neque ætate integra, matremque jam ex alio viro trium filiarum, sed luxuriæ ac lasciviæ perditæ, & ardentius & constantius amavit: ut sæpe chlamyde peltaque & galea armatam, & juxta adequitantem, militibus ostenderit, amicis vero etiam nudam. Quam enixam uxorio nomine dignatus est: uno atque eodem die professus, & maritum se ejus, & patrem infantis ex ea natæ*. Augustum porro ex Livia liberorum nihil quicquam sustulisse, infantemque unicum, qui conceptus fuerat, abortivum & immaturum editum, Suetonius testis est *n*. Ex quo interpretandum est, quod ait Plinius *o*: *Est quædam privatim dissociatio corporum, & inter se sterilis; at, ubi cum aliis junxere, gignunt, sicut Augustus & Livia.* Nam Augustus ex priore uxore Scribonia liberos suscepit, vicissim & Livia ex priore viro Druso. Juncti tamen inter se nihil liberorum procrearunt.

Jam, non nisi incestas ac nefarias nuptias cum virginibus Vestalibus contrahi potuisse, certissimum est. Heliogabalum tamen, humani generis portentum, Aquiliam Severam, Vestalem, duxisse, narrat Xiphilinus *in Heliogabalo*: Εἶτα, inquiens, τὴν Παύλαν, ὡς καὶ κηλῖδά τινα περὶ τὸ σῶμα ἔχουσαν, ἀποπέμψας, Ἀκυλίᾳ Σεβήρᾳ συνῴκησεν, ἐκφανέστατα παρανομήσας. ἱερωμένην γὰρ αὐτὴν τῇ Ἑστίᾳ ἀσεβέστατα ᾔσχυνε. *Postea Paulæ, tanquam quæ ulcus haberet in corpore, repudiata, Aquiliam Severam duxit, apertissime contra leges. Nam Virginem sacratam Vestæ impiissime violavit.* Quod ita perstrinxit Lampridius in ejus vita: *In virginem Vestalem incestum admisit*. Atque hæc habui, quæ de legitimis incestisque Quiritium conjugiis dicerem; quæ, ut sunt, utinam brevia videantur.

*z* l. consensu. 8. §. 4. vers. si vero causam. C. de repud.
*a* l. si constante. C. eod. tit.
*b* d. l. consensu. §. hæc nisi.
*c* lib. 48. *d* in Augusto. cap. 62. *e* cap. 4.

*f* *Sueton.* in Claud. cap. 1. *g* *Suet.* in Aug. cap. 69.
*h* in Catone Uticensi. *i* lib. 48.
*k* in Claud. cap. 1. *l* lib. 59. *m* in Calig. cap. 25.
*n* in Augusto. cap. 63. *o* lib. 7. ca. 13.

# F I N I S.

# ANTONII HOTMANI, J.C.

## DE

# VETERI RITU NUPTIARUM

## OBSERVATIO.

# INDEX CAPITUM.


CAP. I.

*De ſperata, pacta, & ſponſa.*

CAP. II.

*De proxenetis, auſpicibus, & pronubis.*

CAP. III.

*De matrimoniis contrahendis liberorum cauſa.*

CAP. IV.

*De dote.*

CAP. V.

*Quid ſit,* dicere *aut* promittere dotem.

CAP. VI.

*De donatione propter nuptias.*

CAP. VII.

*De Hypobolo.*

CAP. VIII.

*De bonis paraphernis & receptitiis: tum de theoretro.*

CAP. IX.

*De ſponſalibus.*

CAP. X.

*De arrhis & ſponſalitiis largitatibus.*

CAP. XI.

*De oſculo.*

CAP. XII.

*De multa repudii.*

CAP. XIII.

*De die nuptiarum.*

CAP. XIV.

*De tribus diebus nuptiarum.*

CAP. XV.

*De nuptiis, connubio, & matrimonio.*

CAP. XVI.

*De pompa nuptiali.*

CAP. XVII.

*De coma tonſa.*

CAP. XVIII.

*De oleo, aqua, & igne*

CAP. XIX.

*De ingreſſu ſponſæ in domum mariti.*

CAP. XX.

*De nuptiis quæ farre contrahebantur.*

CAP. XXI.

*De coemtione.*

CAP. XXII.

*De uſu, ac legis Miſcellæ interpretatione.*

CAP. XXIII.

*An uxor ſit in poteſtate mariti.*

CAP. XXIV.

*An coemtione filia e patris poteſtate ſit emancipata.*

CAP. XXV.

*De communione ſacrorum inter virum & uxorem.*

CAP. XXVI.

*De communione bonorum inter virum & uxorem.*

CAP. XXVII.

*Qualis eſſet communio cum uxore uſu ducta.*

CAP. XXVIII.

*Quis uxoris uſurariæ tutor eſſet.*

CAP. XXIX.

*De ſacrificiis nuptialibus.*

CAP. XXX.

*De ſacris nycteliis.*

CAP. XXXI.

*De deductione in cubiculum mariti.*


AN-

# ANTONII HOTMANI, J.C., DE VETERI RITU NUPTIARUM OBSERVATIO.

## CAPUT. I.

*De sperata, pacta, & sponsa.*



IN Matrimoniis contrahendis Jurisconsultos duo præcipue, ad ritus pertinentia, vocabula usurpasse constat: Sponsalia & Nuptias. Sponsaliorum nomine non tantum stipulationum sponsionumque contractum intelligi, significat Florent. *in l. 1. D. de sponsal.* Nam & sponsalia futurarum nuptiarum mentionem fuisse scribit: ut nimirum ad sponsaliorum ritus pertinerent etiam præcedentes apparatus, quibus conditiones expediuntur, ut est *in l. ejusd. tit.* At hoc proprie non sponsalia, sed spes nuptiarum dicitur Cujus rei meminit Ulp. *in l. 6. eod. t. Non suffecturum*, inquit, *putarem ad dissolvendam sponsaliorum spem hunc nuncium*. Sic *in l. si uxor. D. ad l. Jul. de adulter. l. 11. C. de repud.* Philo Judæus appellat τὰ προτέλεια τῶν γάμων· Ἐλπίδα καὶ τὰ θύσειν τοὺς γάμους, παραχοῦσα. *lib.* Περὶ τῆς εἰς τὰ προπ. συνόδου. *sponsalia vocat, quæ spem nuptiarum celebrandarum faciunt. in libro de congressu eruditionis gratia.* D. Dionysius Areop. hoc vocabulo usus est *epist. 7.* ubi Maximus Scholiastes sic adnotavit: Προτελείας μὲν ἐκάλουν Ἀθηναῖοι τὰς τῶν γάμων μετὰ τῶν θυσιῶν εὐχάς· τῶν γὰρ γάμων τέλος ἐκάλουν, ὡς τελοῦν τὰ πρὸς τὸν βίον τῶν ἀνθρώπων. Μυστήριον γοῦν εἶχον τὸν γάμον. ἔλεγον δὲ προτελίζεσθαι καὶ τὸ προμυεῖσθαι, καὶ ὁσονεὶ προκαθαίρεσθαι εἰς ἑτοιμασίαν μυστηρίων. *Προτελείας vocant Athenienses vota nuptiarum caussa cum victimis: nuptias vero vocant* τέλος, *tanquam perfectam reddentes vitam hominum. Igitur mysterium habuit conjugium. dixit igitur* προτελίζεσθαι *tanquam initiari ad præparationem mysteriorum.* Itaque *speratæ nuptiæ* dicebantur. *l. mulier. C. de sponsal. & l. si legibus. C. de epis. aud.* & *puella sperata* dicebatur. quod hoc versu significasse Plautum, retulit Varr. lib. 5. de ling. Lat. *Sequor hercle quidem: nam libenter te, mea sperata, consequor.* Et Afranius, in Fratriis: *Speratam non odi tuam.* Is etiam dicebatur *speratus*, ut eodem loco Afranius indicat: *Curre, & nuncia venire, & mecum speratam adducere videat puellam.* Hi versus apud Nonium exstant.

Inter hos autem disceptabatur, cujus quis esset juris, conditionis, gentis: & potissimum de bonis

A erat quæstio. Quum vero conventa esset conditio, ut est apud Festum, id est, inter se convenissent, pacta quædam nuda intervenire solebant, puellaque non jam sperata, sed *pacta* dicebatur. *l. 2. C. de sponsal. l. si cum ante, C. de donat. ant. nupt.* Virgil.

*—— Et gremiis abducere pactas.*

B Inde etiam Lavinia *pacta* Turno dicebatur a Livio lib. 1. *pactæque nuptiæ*. Tacit. lib. 12. *pactum inter Claudium & Agrippinam matrimonium.* Symmach. epist. 40. lib. 9. *Nolo existimes, culpabiliter ad me delatum, quod pactas filiæ tuæ nuptias suspendas.* Tum demum sponsalia fiebant, incipiebatque *sponsa* nuncupari. *l. 3. D. de sponsal.* Quod Nonius his verbis adfirmat: *Inter speratam, dictam, & pactam, hoc interest; quod virgo, priusquam petitur, sperata dicitur: dehinc promissa, vel pacta, vel sponsa dici potest.* C Quapropter alludit hoc modo Arnobius lib. 4. contra Gentes: *Habent speratas, habent interpositis stipulationibus sponsas.*

## CAP. II.

*De proxenetis, auspicibus, & pronubis.*

D AD hanc rem personas interponi solitum fuisse, apparet ex Ulpiano, *in l. ult. D. de sponsi.* Qui *proxenetæ* dicebantur, id est, conciliatores, interpretes, & internuncii: non tamen quod sponsores aut fidejussores essent. Ait enim Jurisconsultus: *Si proxeneta intervenerit faciendi nominis causa, ut multi solent, videamus, an possit quasi mandator teneri. Et non puto teneri quia hic magis monstrat nomen quam mandat. l. 2. D. de proxen.* Hos etiam *auspices* dictos fuisse puto. Quum enim auspices adeundi mos desiisset qui auspicia peterent, E hi proxenetæ veteris consuetudinis vestigia ipso nomine usurparunt. quemadmodum licet colligere ex Valer. *lib. 2. cap. 1.* Hinc etiam scribit Cic. lib. 2. de divin. *Nihil fere quondam majoris rei, nisi auspicato, nec privatim quidem, gerebatur. quod etiam nunc auspices nuptiarum declarant, qui re omissa nomen tantum tenent.* Notum est istud Ciceronis pro Cluent. *Nubit genero socrus, nullis auspicibus, nullis auctoribus.* Qui igitur ad hanc rem adhibebantur proxenetæ, Latine *pronubi*, & καταχρηστικῶς

A *auspices* dicebantur, incipientes & felici omine inchoantes. Qua de causa in veteri Glossario, nuper in publicum edito, auspices, *pronubi*, *παράνυμφοι*, adpellantur. & hi, quod conventum erat, ut rite fieret, tabulisque mandaretur, curabant. Juvenal.

*——Veniet cum signatoribus auspex.*

Lucan. de nuptiis Catonis & Martiæ:

*Junguntur taciti, contentique auspice Bruto.*

B Tum unus horum, quod erat conventum proferebat, ceteris audientibus, &, ut ita fieret, postulantibus. Cujus consuetudinis hoc Martianus Capella *lib. 2. in fin.* reliquit vestigium: *Tunc exurgens*, inquit, *virginis mater poscit de Jove, superisque cunctis, uti sub adspectu omnium, quidquid sponsalium nomine præparaverat Majugena, traderetur, ac demum dos a virgine non deesset: tuncque tabulas ac Papiam Popæam legem finerent recitari.* Ideo Tacitus de Messalina scribit, *atque illam audiisse auspicum verba*. Quod confirmat Servius, *lib. 4. Æneid.* Si quæ vero feminæ ad nuptias conciliandas adhibebantur, non *auspices* quidem, C cum hoc sit muneris virilis, sed *pronubæ* tantum dicebantur. Ovidius, epist. 6.

*Non ego sum furtim tibi cognita: pronuba Juno*
*Adfuit.* ——

Hæcque pronuba univira esse debebat, ut ait Tertullianus *in exhortatione ad castitatem*. Catullus:

*Vos unis senibus bonæ cognitæ.*

D

## CAP. III.

*De matrimoniis contrahendis liberorum causa.*

Auspicum etiam curæ erat, nubentes profiteri, se liberorum procreandorum causa convenire. Quem morem notat Tacitus his verbis: *Cum uxore Principis prædicta die, adhibitis, qui obsignarent, se velut suscipiendorum liberorum causa convenire.* Idque confirmat Ulpianus, *tit. 4. regul.* dicens, Latinum libertum jus consequi liberis, cum lege Junia uxorem ducebat testatione interposita, quod liberorum quærendorum causa uxorem duxerit. E Nam, matrimonia contraxisse Romanos quærendorum liberorum causa, vulgare est. *l. si vicinis. C. de nupt.* adeo ut id esset in ore muliercularum, ut ait Ennius hoc versu, quem prodidit Festus in verbo *Quæso*:

*Ducit me uxorem sibi liberum quærendum gratia.*

Hunc enim pertinet, quod ex Varrone retulit Macrob. lib. 1. sat. cap. 16. *Mundus cum patet, deorum tristium atque inferum quasi janua patet: propterea*, F *uxorem liberorum quærendorum causa ducere, religiosum est.* Et Plautus in Capt.

*Liberorum quærendorum causa ei, credo, uxor data est.*

Atque id notat D. Augustinus, *lib. 3. contra Julianum, & serm. 324. & lib. 1. de Nuptiis, ad Valerium Comitem.* Legimusque, Augustum ideo testamentum improbasse cujusdam, cujus non procreandorum liberorum causa conjugium intercesserat: Valer. Max. lib. 7. cap. 7. *Est enim*, inquit Quintilianus, declam. 2. *uxor, quam jungit, quam deducit utilitas: cujus hæc reverentia est, quod videtur inventa causa liberorum.* Ὁ οὖν κωμικὸς Μένανδρος, inquit Clem. Alex. *lib. 2. Strom.* Παίδων, φασί, ἀρότρῳ τῶν γνησίων δίδωμί σοί γε τὴν ἐμαυτοῦ θυγατέρα. *Comicus Menander, Liberis, inquit, procreandis legitimis do tibi meam filiam.* His intelligitur, quod ait Callistratus, *l. liberorum. D. de verbor. significat.* parentes pios liberorum quærendorum causa uxores ducere.

## CAP. IV.

*De dote.*

Apud auspices etiam de dote conventiones fiebant, ut maritus aliquid haberet ab uxore ad sustinenda onera matrimonii. *l. 7. D. de jur. dot.* quamvis (ut apud Martianum Capellam *lib. 9.* prisci juris adsertor Arcanus respondit) regulariter, etiam matrimonio copulato, dotem dicere femina nullis legibus prohibeatur. *l. cum multæ. C. de donat. ante nupt. Eaque dos*, ait Ulp. tit. 7. regular. *aut dabatur, aut dicebatur, aut promittebatur.* Dabatur, cum præsens erat dos. non quod ea statim traderetur viro, quamvis & hoc fieri potuisse constet, *l. 1. D. pro dote.* sed pridie nuptiarum, aut circiter, apud auspices deponebatur, ut in crastinum nuptiarum viro solveretur: quod in Messalinæ cum filio nuptiis Suetonius, Tacitus & Juvenalis factum fuisse commemorant. at, si dos præsens non fuisset, ea, ut eodem loco scribit Ulpianus, aut dicebatur, aut promittebatur.

## CAP. V.

*Quid sit*, dicere *aut* promittere dotem.

Dicere, est ultro aliquid polliceri. Plautus, in Pseudolo: *Quin tibi hanc operam dico*, id est, ultro polliceor. *Dictum* enim accipimus, quod verbo tenus pronunciatum est. *l. sciendum. 19. D. de ædil. edict.* Inde dicimus, *dicere dotem* eum, qui nulla stipulatione pollicetur. Cicero, pro Flacco: *Doti omnem suam pecuniam dixerat.* Et Afranius, in Fratriis, ut refert Nonius: *Dat rustico nescio cui, vicino suo, pauperi, cui dicat dotis paululum.* Jus autem erat, ut mulier, ejusque debitor aut parens, dicerent dotem, eodemque modo obligaretur ac si conceptis verbis promisisset. *Hæ tres personæ*, inquit Cajus lib. 2. Instit. tit. 9. *nulla interrogatione præcedente possunt dictione dotis legitime obligari.* *Promittere* vero *dotem* omnes possunt; & ex stipulatu ab eis peti potest. *l. promittendo. 41. D. de jur. dot.* Licet enim promissio & pollicitatio eandem plerumque vim habeant, tamen pollicitatio majoris est adseverationis, inquit Donatus in Andriam Terentii. *Polliceri* enim significat ultro promittere, deducto vocabulo a verbo *liceor*, quo utuntur, qui in auctione facienda ultro pretium suum deferunt. *l. 3. D. de pollic.* At *promittere* sæpius ad stipulationem refertur. quod notat Donat. in Heautont. Terent. *Pollicemur*, inquit, *magis sponte, promittimus rogati.* Ideo scribit Ulpianus: *Promissum potest referri, & ad nudum promissionem sive pollicitationem, vel ad sponsionem: secundum quod incipiet is, qui de hujusmodi causa stipulari spopondit, ex stipulatu posse conveniri. l. sciendum. 15. D. de ædil. edict.*

## CAP. VI.

### *De donatione propter nuptias.*

HUic vero doti solebat antiquitus pignus vel hypotheca subjungi. *l.* 1. *D. qui pot. in pign. hab.* Hoc Græci ὑποτίμημα vocabant. ut est apud Hesychium & Pollucem: Αἱ πρὸς τὰς φερνὰς ὑποθῆκαι. *ad dotem hypothecæ.* Nam, ut Harpocration scribit, εἰώθεσαν καὶ οἱ τότε, εἰ γυναικὶ γαμουμένῃ προῖκα διδοῖεν οἱ προσήκοντες, αἰτεῖν παρὰ τοῦ ἀνδρὸς ὥσπερ ἐνέχυρόν τι τῆς προικὸς, οἷον οἰκίαν ἢ χωρίον. *solebant tunc, cum nubenti fœminæ dotem dedissent ejus necessarii, a viro vicissim petere pignus dotis, aut domum, aut fundum.* Et, quia successu temporis pacta sæpe interveniebant, ut mulier ex illo pignore aliquid lucraretur; factum est, ut illud pignus nomen donationis adsumeret, diceretur que *donatio propter nuptias*, quæ a viro dabatur ad prospiciendum uxori de dote consequenda, si forte matrimonium dirimeretur. *l. ex morte.* 9. *C. de pact. conv.* indeque ἀντίφερνα dicta est: a Latinis autem prius *antenuptialis donatio* (quod ante efficiebatur, & nunquam post nuptias) sed postea, quia constitutum est, ut etiam post nuptias fierent tales donationes, voluit Justinianus, eas, *donationes propter nuptias*, adpellari. *l. cum multæ. C. de donat. ante nupt.* Ut facile appareat, hanc donationem propter nuptias, præter illam hypothecam, quæ jam Justiniani constitutione in omnibus mariti bonis tacite inest, nihil aliud esse, quam cautionem diuturni conjugii, vel donationem sub conditione, si vel dos a marito consumta sit, vel sine causa matrimonium diremtum fuerit. Ejus enim hic est tantum usus, ut dos mulieris sit tutior: & ut, quemadmodum mulier, sine causa divertens, dote; sic etiam maritus rebus donatis multetur. aut ut pactis conventis morte viri mulier aliquid lucretur; aliter nimirum nec proprietas, nec ususfructus ad uxorem pertinet. Itaque (ut ex Synopsi Βασιλικῶν didicimus) erat quasi dotis compensatio, ἀντισήκωσις. quam Scholiastes tacite semper contrahi asserit: Φησὶ γὰρ ὁ κανών. Τῇ προικὶ σιωπηρῶς ἡ πρὸ γάμου δωρεὰ ἕπεται. *dicit regula: Dotem tacite semper donationem propter nuptias sequi.* Cæs. l. 6. de bell. Gall. *Viri, quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis æstimatione facta cum dotibus communicant. hujus omnis pecuniæ conjunctim ratio habetur, fructusque servantur: uter eorum vita superarit, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum temporum pervenit.*

## CAP. VII.

### *De Hypobolo.*

DOnationem vero propter nuptias ὑπόβολον a Græcis adpellatam fuisse ut existimem, moveor auctoritate Harmenopuli, qui *lib.* 4. *cap.* 4. ita scriptum reliquit: Ἔτι τὴν πρὸ γάμου δωρεὰν ἤτοι τὸ ὑπόβολον. *Aut donationem ante nuptias, aut propter nuptias*: nimirum videlicet, quia doti subjungitur ac supponitur. Nec me movet, quod ait, *ejusdem libri cap.* 10. aliquid esse minus ipsa dote. Nam solum Justiniani tempore observatum est, ut æquales essent donationes propter nuptias & dotes. Quod nec Accursium latuit *in Auth. æqualitas. C. de pact. conv.* Exstatque hac de re expressa constitutio Leonis imperatoris qui dictus est Philosophus, *Novell.* 20. qua sancivit, ut major donatione propter nuptias dos esset. Sicque interpretatus est Theodorus Balsamo, Græci juris non ignarus, *titul.* 13. *Nomoc. Photii, cap.* 6. & ad illa verba *Novellæ Justiniani* 117: Καὶ ὑπὲρ τοιαύτης ὕβρεως τρίτον μέρος τῆς διατιμήσεως ἣν ἡ προγαμιαία ποιεῖ δωρεά. *Et pro hac donatione ante nuptias tertiam partem æstimationis illorum, quæ ante nuptias sunt data.* Scholiast. *in Synop. Basil. lib.* 39. *tit.* 2. addit: Σημειῶσαι, ὅτι λαμβάνει ἡ γυνὴ καὶ τὸ τρίτον τοῦ ὑποβόλου ἀπὸ ὕβρεως ἰδίας. id est, ut interpretatur Julianus Patricius, *Mulier tertiam partem æstimationis, quam propter nuptias donatio facit, ex alia mariti substantia capere potest.* Et paulo ante sic scribit: Οὐκ ἀπαιτεῖται ἡ πρὸ γάμου δωρεὰ τὸ γυναικὸς ὑπόβολον, καὶ οἶμαι, αἰνίσσεται. *Non recusatur ante nuptias donatio, quæ datur fœminæ, &, puto, id significatur.* Sane enim, id quod modo dicebam a Græcis ὑποτίμημα vocari, id videmus etiam ὑπόβολον nuncupari. Unde apud Pollucem ὑπόχρεων χωρίων & ὑπόβολον pro eodem ponuntur, *libro tertio, cap.* 10. Eustath. Ὀδ. α. citat Pherecratis versum: Οὐχ ὁρᾷς τὴν οἰκίαν τὴν Πολυκτίονος κειμένην ὑπόβολον, *Nonne vides istam domum Polyctionis esse donationem.* Multa tamen de jure hypoboli fuisse a Græcis Impp. immutata, in confesso est. veluti, ut ex bonis mariti, quæ hypoboli nomine doti subjecta sunt, tantum retineatur, quantum pacto conventum fuerit: aut, si nulla de eo pactio facta sit, triens retineatur: imo, sæpissime συνεκδεχικῶς trientem illum adpellari hypobolum, satis constat ex Harmenopulo, ceterisque similibus probatis auctoribus: quod etiam testatur Balsamo. deinde hypoboli nomine nihil retentum fuisse, si nihil conventum esset. Videturque fuisse portio dotis, quæ additamenti causa data dicebatur. *in l. inter socerum.* 26. *§. cum inter.* 2. *D. de pact. dot. l. etiamsi non dotem. C. de jur. dot.* sicque hodie in Gallia Lugdunensi vulgo loquuntur. Hoc a Longobardis, & Neapolitanis, *doarium, dotarium*, & *dotalitium* nuncupatur. *lib.* 2. *de feud. tit.* 8. *§. ult. lib.* 3. *Const. Neapol. tit.* 13. 16. & 17. *cap. plerumque, de donat. inter vir. & uxor.* Hæc sunt quæ de dote ejusque cautione dicenda videbantur.

## CAP. VIII.

### *De bonis paraphernis & receptitiis: tum de theoretro.*

CEtera bona mulieris dicebantur παράφερνα. *l. si ego.* 9. *§.* 3. *D. de jur. dot.* Latine *receptitia*, id est, extra dotem, *l. maritus. D. ad leg. Falcid.* Græci posteriores adpellarunt ἐξώπροικα, quod extra dotem essent usibus puellæ tradita. *l. donationes.* 31. *§. species. D. de donat.* ad sustentationem mulieris instrumento dotali recepta, quasique peculium. *l. ult. C. de pact. convent. l.* 3. *C. ne uxor pro mar. d. l. si ego.* In his bonis, invita muliere, nullum jus erat marito se immiscendi, quia quæ præter jus dotis excipiebantur, ea *receptitia* adpellabant. Unde *servus receptitius* apud Nonium Marcellum, & Agellium, *libro* 17. *cap.* 6. & *receptitia dos* apud Ulpianum, *tit. de dote*, quam sibi soluto matrimonio extraneus contra communis juris regulam reddi stipulatur. *l. mortis causa.* 31. *§.* 2. *vers. sed & dos. D. de mort. causa donat.* Erant & alia quædam munera quæ novæ nuptæ a parentibus & amicis offerebantur die sponsaliorum, aut postea, ut est *in l. die sponsaliorum.* 25. *D. depositi. l. si, cum ante nuptias munera darentur. C. de donat. ante nupt.* tum etiam crastino die nuptiarum, cum primum deposito flammeo visendam se præbebat, ut ait Harmenopul. quæ ideo θεώρητρα vocat Harpocration, Suid. vero ἀνακαλυπτήρια & ἐπαύλια. Jul. Pollux, ὀπτήρια καὶ προσφθεγκτήρια veteres adpellasse, ait. Dicuntur in jure *Munera nuptialia. l. tutor secundum.* 13. *§. ult. D. de administ. tut. l.* 1. *§. præterea. D. de tutel.*

*& rat. distr.* Sed hæc munera non sunt solennia, ut ibidem dicitur. nam ea tantum solennia sunt, quæ ad ritus pertinent.

## CAP. IX.

*De sponsalibus.*

SPonsalia autem fiebant aut inter præsentes, aut inter absentes. Nam, ut ait Ulpianus, *l. fin. D. de sponsal.* parvi refert, an per se, an coram, an per internuncium, vel per epistolam, an per alium, hoc factum sit. Hic autem erat sponsaliorum ritus: Adolescens (aut ejus nomine pater) filiam pactam stipulabatur a patre, vel ab eo in cujus erat tutela: vel, si illa sui juris fuisset, a quocunque alio. Ejusque stipulationis hæc erat formula, quam tradit Plautus in Aulularia:

M. *Quid nunc? etiam mihi despondes filiam?* E. *Illis legibus,*
*Cum illa dote quam tibi dixi.* M. *Sponden ergo?* E. *Spondeo.*

Indeque *sponsa* dicebatur, non quod sponderet, sed quod, ut ait Servius, *lib. 10. Æneidos*, spondebatur, a patre videlicet, vel a quocunque alio, veluti tutore. &, si tutor furiosus esset, aut absens, alter dabatur in ejus locum tutor, non curator ad nuptias contrahendas, dotemque dicendam. Ulp. *tit. regul.* 11. Lege enim cautum fuerat, ne quis uxorem duceret, priusquam aliquis eam sibi despondisset. Quod ex Dione licet probare, qui *lib.* 58. ita scribit: Ἔγημε Λολλίαν Παυλίναν, αὐτὸν τὸν ἄνδρα αὐτῆς Μέμμιον Ῥήγουλον ἐγγυῆσαί οἱ τὴν γυναῖκα ἀναγκάσας, μὴ καὶ ἀνέγγυον αὐτὴν παρὰ τοὺς νόμους λάβῃ. *Duxit Lolliam, Paullinam, cogens ejus maritum suam illi uxorem despondere, ne non desponsam contra leges haberet.* Ex eodemque auctor refert Xiphilinus, Neronem Sporum, quem exsecari jusserat, veluti uxorem duxisse, ἐκδόντος αὐτὸν τοῦ γε Τιγελλίνου, ὥσπερ ὁ νόμος ἐκέλευε. *Tigellino ipsum elocante, ut lex præcipit.* Unde Agellius, *lib. 4 c. 4.* ex Servii Sulpicii verbis, ait observatum fuisse, ut, qui uxorem ducturus erat, ab eo, unde ducenda erat, stipularetur, eam in matrimonium ductum iri: qui daturus erat, item spondebat. isque contractus stipulationum sponsionumque, dicebatur *sponsalia*: & quæ promissa erat, *sponsa* adpellabatur: qui stipulabatur ducendam, *sponsus*. Hactenus ille. Quibus consentiunt Jurisconsulti *in l. 1. 2. & 3. D. de sponsal.* Indeque apparet, non satis verum esse, quod Donatus & Servius asserunt, sponsam non spondere, sed a patre desponderi. Quorum sententiæ conscriptæ sunt *in Andria Terent. act. 1. scen. 1. Heaut. act. 4. sc. 5. Ad act. 4. sc. 7. in Virg. lib. 10. Æneid.* ubi Servius addit, ante usum tabularum cautiones sibi invicem emisisse, in quibus spondebant, se consentire in jura matrimonii, & fidejussores dedisse. Tabularum vero, quas Servius ait intervenisse, mentio fit in Apuleii Metamorph. lib. 4. *Tabulis*, inquit, *maritus nuncupatus ad nuptias.* Et in Apolog. 2. *Habes, Æmiliane, causam totam, cur tabulæ nuptiales inter me & Pudentillam non in oppido sint, sed in villa urbana consignatæ.* nam eæ consignabantur. Suetonius: *Illud omnem fidem excedit, quod nuptiis, quas Messalina cum adultero filio fecerat, tabellas dotis & ipse consignaverat.* Tamen nihil oberat, quominus justum matrimonium esset, si signatæ tabulæ non essent. *l. 4. D. de fid. instrum.* Quod & auctoritate Quintiliani, *lib. 5. cap. 11.* & Jurisconsultorum, patet. *l. donationes. D. de donat. l. 1. l. 7. D. de sponsal.*

## CAP. X.

*De arrhis & sponsalitiis largitatibus.*

HIs ita peractis, solebant arrhæ quædam intervenire, quæ a sponso sponsæ dabantur, in testimonium, & quasi pignus, de futuris inter eos nuptiis, factæ sponsionis: eæque aut sponsæ dabantur, aut apud proxenetas deponebantur, quo fiebat, ut hoc modo *proxeneticæ*, illo vero *sponsalitiæ* nuncuparentur. *C. de sponsal. & arrhis sponsal. & proxenet.* Fiebant etiam donationes quædam a sponso, vel etiam, sed raro, a sponsa sponso: quæ ideo *largitates* adpellabantur, quia gratuito conferebantur *l. cum veterum. & seq. C. de donat. ante nupt. l. 1. C. si advers. donat.* Arrhæ autem nomine sæpius non nummi, sed pronubus anulus dabatur. Juven. satyr. 6.

—— *Et digito pignus fortasse dedisti.*

Eum vero anulum ferreum fuisse, refert Plin. lib. 33. cap. 1. *Qui legationem acceperant*, inquit, *aureo anulo tantum utebantur; intra domos, ferreis. quo argumento etiam nunc sponsæ anulus ferreus mittitur, isque sine gemma.* Aureos tamen anulos etiam dedisse, feminasque domi gestasse, satis constat ex Tertulliani apologet. sic enim scriptum est: *Circa feminas illa majorum instituta ceciderunt, quæ modestiæ, quæ societati patrocinabantur: quum aurum nulla membra norant, præter unicum digitum, quem sponsus oppignerasset pronubo anulo.* Clem. Alex. *lib. 3. pædag. cap. 11:* Δίδωσιν οὖν αὐταῖς δακτύλιον ἐκ χρυσίου, οὐδὲ τοῦτον εἰς κόσμον, ἀλλ᾽ εἰς τὸ ἀποσημαίνεσθαι τὰ οἴκοι φυλακῆς ἄξια, διὰ τὴν ἐπιμέλειαν τῆς οἰκουρίας. *Dant illis anulum aureum, non ad ornatum, & ad obsignanda digna custodia, propter curam rei domesticæ.* Aitque Isidorus *lib. 20. etym.* mulieres binos aureos anulos in digitis habuisse, ac præsertim in quarto digito, quod in eo vena quædam sanguinis ad cor usque proveniat, ut idem auctor scribit *lib. 2. de div. offic. ex Agellii lib. 10. cap. 10. & Macrobii lib. 7. cap. 13.* Solere & alia multa arrhæ nomine dari, indicat hic locus Capitolini de Maximino juniore: *Desponsa illi erat Junia Fadilla, proneptis Antonini, quam postea accepit Troxotius, ejusdem familiæ senator. manserunt autem apud eam arrhæ regiæ, quæ tales fuerunt: monolium de albis novem, reticulum de prasinis decem, dextrocherium cum castula de hyacinthis quatuor, præter vestes auratas & omnes regias, ceteraque insignia sponsaliorum.* Sed & claves domus uxori tradi, solenne fuisse, Festus ait: ad significandam partus facilitatem. licet verisimilius sit, has communionem denotasse. scribit enim Tertul. *lib. de exhort. ad castit.* ad claves custodiendas uxores plerosque domum duxisse. &, has in divortiis adimi, Ciceronis Philip. 2. & B. Ambrosii epist. 65. ad Syagrium, auctoritates vulgares sunt. Solinus, cap. 16. de Thracum moribus: *Nupturas, quæ præ aliis specie valent, subarrhari volunt.* alii, *subhastari*. Ubi M. Ant. scribit, *subarrhandi* verbum apud antiquos auctores se non legisse. Julianus Pontifex: *Si quis desponsaverit uxorem, vel subarrhaverit.* Innoc. 3. in cap. 16. de desponsf. impub. *Subarrhavit eandem.* & cap. 14. & 34. leg. Burgund. Xenophon, *lib. 3. ἀναβ.* ait, Thraces solitos uxores futuras emere.

## CAP. XI.

*De osculo.*

ACcedebat & plerumque osculum. Quod religionis erat l. *si a sponso*, 16. C. *de donat. ant. nupt. Osculum*, inquit Servius, Æneide, *religionis erat; suavium, voluptatis*. Et Donatus *in Eunuchum Ter.* sic scribit: *Oscula Officiorum sunt; basia, pudicorum adfectuum; suavia, libidinum vel amorum*. Neque vero tam frequens erat apud antiquos, quam est apud nos, osculum. Nam, ut apud Persas testantur Xenophon *lib. 1. pæd.* & Herodot. *lib. 1.* sic apud Romanos nulli jus erat præter cognatos cognatasque osculari, ut est in problemate Plutarchi. Cujus rei erga feminas rationem reddit Plinius, ex Catone *lib. 14. cap. 13.* ut scirent, an temetum bibissent. Aliam recitat Plutarchus, *in Romulo*. Eucher. Lugd. episc. lib. 3. in Genes. cap. 29: *Osculatus est Jacob Rachel. consuetudinis fuit in illa simplicitate antiquorum, ut propinqui propinquas suas oscularentur. Et hoc hodie fit in multis locis*. Adeoque rara erat ea communicatio, ut & Cato censor Manlium senatu ejecerit, quod coram filia sua impense uxorem suam osculatus esset, ut refert Plutarchus in ejus vita. Scribit etiam Valerius, *lib. 6. cap. 1.* P. Mævium in libertum (quamvis gratum admodum sibi) animadvertisse, quia eum nubilis jam ætatis filiæ suæ osculum dedisse cognoverat; præsertim cum non libidine, sed errore lapsus videri posset. Ceterum, amaritudine pœnæ, teneris adhuc puellæ sensibus, castitatis disciplinam ingenerari, magni æstimavit; eique tam tristi exemplo præcepit, ut non solum virginitatem illibatam, sed etiam oscula ad virum perferret. Qua de causa non sine ratione quæsitum est a nostris doctoribus, utrum ea, quæ osculum præbuit, dotem amittat. Bald. *in cap. tuæ. de procurat.*

*Εςι κ) ἐν κενοῖσι φιλήμασιν ἁδεῖα τέρψις.*
*Est & in inanibus osculis dulcis oblectatio.*

ut ait Theocritus Ιδ. κη. Unde illud Plauti in Curculione:

*Qui e nuce nucleum esse vult, frangit nucem:*
*Qui vult cubare, pangit saltem suavium.*

Ovid. lib. 1. amor.

*Oscula qui sumsit, si non & cetera sumsit,*
*Hoc quoque, quod sumsit, perdere dignus erat.*

Erant tamen quædam venustatis blanditiæ, quæ quidem fiebant osculo, sed non eo modo. Nam alii dextram ad osculum referebant, totumque corpus circumagebant, ut scribit Plinius *lib. 28. cap. 2.* vel caput submittebant: quod in adorando frequentissimum fuisse probat Petrus Pithœus, vir singularis doctrinæ ac præstantissimi ingenii. Labiorum etenim ad solis ortum projectionem cum manus deosculatione fieri, hic locus Luciani *περὶ ὀρχήσιος* confirmat: Καὶ ἀνδρὶ, ἐπειδὰν ἕωθεν ἀναςάντες προσεύχωνται τὸν ἥλιον, ὐχ ὥσπερ ἡμεῖς τὴν χεῖρα κύσαντες ἡγύμεθα ἐντελῆ ἡμῶν εἶναι τὴν εὐχὴν, ἀλλ' ἐκεῖνοι, &c. *Et viro, quando mane surgentes solem adorant, non sicut nos manum osculantes putamus nostram adorationem perfectam esse, sed illi, &c.* Eodemque modo alludit Apulejus lib. 4. *μεταμορφ. Et admoventes oribus suis dextram priorem, digito in erectum pollicem residente, ut ipsam prorsus deam Venerem, religiosis adorationibus venerabantur*. Alii

A non suam, sed ejus, quem salutabant, manum deosculabantur. quod Pciamum fecisse, Achillem salutando, ait Homerus, Ιλ. ω.

*Τὺς δὲ λάθ' εἰσελθὼν Πρίαμος μέγας, ἄγχι δ' ἄρα ςὰς*
*Χερσὶν Ἀχιλλῆος λάβε γύνατα, κ) κύε χεῖρας*
*Δεινάς, ἀνδροφόνυς, αἵ οἱ πολέας κτάνον υἷας.*
*His latuit ingrediens Priamus magnus, prope vero stans*
*Manibus Achilles prehendit genua, & osculatus est manus*
*Terribiles, homicidas, quæ ei multos interfecerant filios.*

B Plutarchus, *in Catone Uticensi*: *Ὑποτιθέντων τὰ ἱμάτια, κ) καταφιλόντων τὰς χεῖρας. Supponentes vestitus & osculantes manus*. Cornelius Tacitus, lib. 15. *dextram osculis fatigare*. Item, lib. 17: *exosculari Othoni manum*. Ad illaque pertinent hæc verba Macrobii, Saturnal. 1: *Invenies dominum spe lucri oscula alienorum servorum manibus infigentem*. Seneca epist. 47. *Hos ego eosdem deprehendam alienorum servorum osculantes manum*. Et Apul. apol. 2: *Pontianus ante pedes nostros advolutus, flens, & manus nostras osculabundus*. Suetonius, in Tiberio: *Chariclem medicum, quod e convivio egrediens manum sibi osculandi causa adprehendisset*, &c. Alii, ut est apud Arrianum, *de Epicteto, lib. 1. cap. 19.* oculos deosculabantur, alii collum ceterasque corporis partes, quas Physici consecratas numinibus prædicabant, ut aurem memoriæ, frontem genio, dextram fidei, genua misericordiæ, quemadmodum notat Serv. *lib. 3. Æneid.* Plautus, in Pœnulo:

C *Sine te exorem, sine te prendam auriculis, sine dem suavium.*

D Mentum etiam misericordiæ gratia osculari, afferit Plin. *lib. 11. cap. 45.* Et hæc solita oscula & quotidiana, ut vocat Suetonius *in Octavio*, *perfunctorias salutationes* adpellavit Optatus Milevitanus, *lib. 4. contra Donatistas*. Quinetiam genua, ac interdum pedes exosculari moris erat. quod de Cajo Cæsare notat Seneca, lib. 2. de benefic. cap. 12 *Invenit*, inquit, *aliquid infra genua, quo libertatem detruderet*. Et, hoc edictis vetuisse C. Caligulam & Diocletianum, testatur Pomp. Lætus. Julius Capitolin. de Maximino juniore ita scribit: *In salutationibus superbissimus, adeo ut manum porrigeret, &*
E *genua sibi pateretur osculari, nonnunquam etiam pedes*. quod nunquam passus est senior Maximinus. qui dicebat, *Dii prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis osculum figat*. Hæ salutationes erant quotidianæ. Labellis vero labella jungere, *φιλεῖν τῷ στόματι*, aut impudicum erat, aut sane religiosum. Nec omittenda sunt verba epistolæ Salviani Trapio conscriptæ: *Osculare saltem obsecratione pedes parentum tuorum quasi ancilla, manus quasi alumna, ora quasi filia*. Tunc itaque aliquid necessitatis intervenisse putabant, cum sponsi, non contenti strictissima stipulationis formula, utrimque
F osculo delibato ad omnem comitatem amicitiamque procliviores se reddebant: & ideo sponsas velari dixit Tertullianus, lib. de veland. virgin. *Atquin*, inquit, *apud ethnicos velatæ ad virum ducuntur*. Sic autem ad desponsationem velantur, quia & corpore & spiritu, masculo mixtæ sunt per osculum & dexteras, per quæ primum resignarunt pudorem, spiritu, per commune conscientiæ pignus, quo totam condixerunt confusionem. Quintil. declamat. 279: *Nec satis est, maritum tantum osculi putari*.

## CAP. XII.

*De multa repudii.*

QUod si a pactione sponsus & sponsa discederent, repudiumque fieret, (est enim hoc verbum huic rei proprium, *l. inter divortium*. 119. *l. inter stuprum*. 101. §. 1. *D. de verb. signif.*) multabatur is qui causam præbuerat, si sponsa, arrhas in duplum reddere debebat: si sponsus, non repetebat. *l. pen. C. de spons.* Antiquitus, in id quod intererat, condemnationem fieri, retulit Agell. *lib.* 4. *cap.* 4. Quod si neuter præbuisset causam dissolvendorum sponsaliorum, cessabat hujusmodi pœna, ut, si mors intervenisset, *l.* 3. *C. de sponsal.* aut aliud impedimentum. *l.* 5. *C. eod. tit.* nisi osculum intervenisset. Sponsalitias enim largitates in partem tunc tantum sponsus repetebat. *l. si a sponso. C. de donat. ant. nupt.* Cujus juris ratio est, singularis mulierum favor, quæ sæpissime spe futuri conjugii, solitæ suæ verecundiæ tantillum terminos egressæ, aliquid de sua pudicitia delibasse videntur.

## CAP. XIII.

*De die nuptiarum.*

SI vero promissis staretur, dies nuptiis dici solebat. Pacuvius apud Nonium, cap. de doct. indag. *Gnatam despondit, nuptiis hanc dicit diem.* Et Terent. in Andria: *Hic nuptiis dictus est dies.* Προθεσμίαν τῶν γάμων adpellat Basilius, ὁμιλ. ἐν λιμῷ καὶ αὐχμῷ. Eratque diligentissime observandum, quis is futurus esset dies. Neque enim mense Majo fiebant; quemadmodum testatur Ovid. *lib.* 6. *Fast.* & Plutarch. *in probl.* Nec mensis Februarii iis diebus, quibus parentalia celebrabantur; ut idem Ovid. refert *lib.* 2. *Fast.* Ac, ex ejusdem auctoris lib. 3. Martii triduum, quo Saliorum festa celebrabantur, infaustum fuisse constat, donec nimirum essent recondita arma in templo Martis. Ex omnibus autem mensibus Junium aptissimum fuisse, ex ejusdem lib. 7. monemur. Macrobius etiam, *lib.* 1. *Saturn. cap.* 15. ait, calendas, nonas, idus, omnesque ferias, præterquam viduis, religiosa fuisse. Cujus rei diversas rationes reddit Plutarch. *in probl.* Eoque pertinet illud Varronis a Macrobio ex Augurum libris relatum, lib. 1. Satur. cap. 13. *Viros vocare feriis non oportet.* Denique cavebatur, ne ullus esset motus cæli, aut terræ, neve turbatiore cælo fœdus inirent. quam ad rem antiqui auspices adhibebant.

## CAP. XIV.

*De tribus diebus nuptiarum.*

AT, non unum tantum, sed tres dies, in nuptiis peragendis rituales fuisse, sciendum est, ut recte intelligatur Scævolæ responsum, *in l. pen. D. de donat. init. vir. & uxor.* dum ait: *Uxori, cum in separata diæta ab eo esset, die nuptiarum, priusquam ad eam transiret*, &c. Nam primo die sponsus visitabat sponsam apud ejus patrem. Et hic dies προαύλια dicebatur. Diem intelligo non naturalem, sed civilem; ut is incipiat a media nocte. *l. more. D. de feriis.* Serv. 6. *lib. Æneid.* Nocte vero sequente apud socerum manebat sponsus. Quo fit, ut dies secundus ἀπαύλια dictus sit: quia eo die pernoctaverat sponsus apud socerum. Non tamen sponsæ conditione usus erat, sed

A in separata diæta fuerat. Luce itaque oriente, circiter primam aut secundam horam diei, (hæc enim horæ, inquit Festus, sponsalibus dedicatæ erant,) sponsa domo patris egrediebatur. Et hic proprie nuptiarum dies dictus est. Tertius vero dies, quia vir maritus factus erat, ἐπαύλια nuncupabatur, & *postridie nuptiarum* dicebatur. Sic Nonnus interpretari videtur cap. 2. D. Joan. *Et die tertia nuptiæ factæ sunt.*

——— Ἀλλ' ὅτε πέτρας
Πορφυρέας τριτάτη θαλαμηπόλος ἔγραφεν ἠώς.
——— *Quando rupes*
B *Purpureas tertia nuptiarum illustravit aurora.*

Jul. Pollux: Προαύλια, ἡ πρὸ τῶν γάμων ἡμέρα. ἐπαύλια δὲ, ἡ μετ' αὐτὴν, intelligo, τῶν γάμων ἡμέραν. ἀπαύλια δὲ, ἐν ᾗ ὁ νυμφίος εἰς τοῦ πενθεροῦ ἀπὸ τῆς νύμφης ἀπαυλίζεται. Προαύλια *dies dicebatur ante nuptias*, ἐπαύλια *dies post nuptias*, ἀπαύλια *vero dies, in qua sponsus in soceri ædibus cum sponsa concumbit.* Et, quam Hesychius notat ἀνακαλυπτήριον ἡμέραν vocari, ea est ἡ δευτέρα μετὰ τοὺς γάμους, *crastinus dies nuptiarum*: quo, teste Festo, repotia fiebant. Erat enim dies ille, in quo primum
C sponsa in ædibus sponsi pernoctaverat. Eustath. Ιλ. ω. sic refert ex Pausania: Καθ' ἣν ἐν τοῦ νυμφίου οἰκίᾳ ἡ νύμφη πρῶτον ἐπηυλίσθαι. *Diem, qua sponsa in sponsi domo primum manet.* Neque vero prætereundum est, tertio die, qui postridie nuptiarum sive crastinus erat, novam nuptam ad patris domum redire: ubi repotia fiebant, & dona ab amicis offerebantur, quæ ἀνακαλυπτήρια, ὀπτήρια, καὶ θεώρητρα, diximus adpellari. Suidas: Καλεῖται δὲ ἐπαύλια ἡ μετὰ τὴν ἐχομένην ἡμέραν τοῦ γάμου, παρὰ τοῦ τῆς νύμφης πατρὸς δῶρα φερόμενα τῷ νυμφίῳ καὶ τῇ νύμφῃ ἐν πομπῆς σχήματι. Παῖς ἀρχηγεῖται, χλανίδα λευκὴν ἔχων, καὶ λαμπάδα καιομένην. ἔπειτα
D μετὰ τοῦτον κανηφόρος. εἶθ' αἱ λοιπαὶ ἀκολουθοῦσιν ἐφεξῆς τῷ νυμφίῳ, φέρουσαι χρυσία, λευκανίδας, &c. *Vocantur autem* ἐπαύλια *etiam illa munera, quæ post sequentem nuptiarum diem a sponsæ patre, sponso & sponsæ cum pompæ specie feruntur. Puer enim præcedit vestem albam habens, & facem accensam. Dehinc mulier, quæ canistrum fert. Dein reliquæ sequuntur ordine, ferentes aurea vasa, patellas, &c.* καὶ τὴν προῖκα ἅμα τῷ νυμφίῳ φέρουσιν. *& simul dotem sponso ferentes.* quæ verba Pausaniæ sunt, ut ea protulit eadem Eustath. Ιλ. ω. & Apostolius *in parœm.*

## CAP. XV.

E *De nuptiis, connubio, & matrimonio.*

HIs igitur diebus nuptiæ celebrabantur. Dicendum autem est, quid sint nuptiæ. Nam plerumque matrimonii & nuptiarum vocabula confunduntur. ut *in l. heres. D. de negotiis gest.* Itaque inquit Justinianus, *Nuptiæ, sive matrimonium, est viri & mulieris conjunctio.* Longe tamen aliud est matrimonium, aliud nuptiæ, aliud connubium. *Connubium* enim, ut definit Ulpianus, tit. 6. regul. *est uxoris jure ducendæ facultas.*
F Et Servius ait, lib. 1. Æneid. *Connubium est jus legitimi matrimonii.* Matrimonium vero est individua illa consuetudo vivendi, quæ, ut ait Columella *lib.* 13. *cap.* 1. ita a natura instituta est, ut non solum jucundissima, verum etiam utilissima vitæ societas iniretur. At nuptiæ propriæ sunt illæ celebritates, quæ in copulandis nuptiis observantur. Clemens Alex. *lib.* 2. *strom.* Γάμος οὖν ἐστι σύνοδος ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἡ πρώτη κατὰ νόμον ἐπὶ γνησίων τέκνων σπορᾷ. *Nuptiæ igitur sunt & mulieris con-*

*junctio, instituta ad legitimos liberos secundum leges procreandos*. Quintil. declamat. 3. *Vis*, inquit, *scire quid sint nuptiæ? Aspice illam virginem, quam pater tradidit, euntem die celebri, comitante populo*. Quod vero Modestinus definit nuptias, maris & feminæ communicationem, *l.* 1. *D. de rit. nupt.* magis ad matrimonium pertinet. Sed, ut solent Jurisconsulti, non proprietatem verborum secutus, animi destinationem significare voluit. Ex eo autem, quod cooperta & velata sponsa erat flammeo, *nuptiæ* dicuntur adpellatæ. *Nubere* enim apud priscos, *operire* & *tegere* significat. Unde & *nubes* dictas Varro asserit, quod cœlum tegant. Sic etiam *nuptias*, quod sponsa flammeo operiatur. Ejusdem fuit sententiæ Festus: quamvis etiam putet, *nuptias* dictas esse a verbo νύμφη, contrario nimirum sensu, ait enim Cornutus in Neptuno: Τὰς γαμυμένας νύμφας καλῦσιν ἀπὸ τ̃ νυῶ πρῶτον φαίνεϑαι κρυπτομένας τέως. *Nuptas vocant nymphas, quia tum primum conspiciuntur, quæ ad illud usque tempus velatæ fuerant*.

## CAP. XVI.

### *De pompa nuptiali.*

QUis vero fuerit sponsæ ornatus, obiter quædam adnotabo: quia de eo fit mentio *in l.* 5. *§. interdum. D. commodat.* Ubi dicitur, uxori maritum commodare, quo honestius culta ad se deduceretur. Igitur sparsis capillis, senisque crinibus ornabatur. tum corona de floribus herbisque, ut ait Festus, & gemmis flammeoque, teste Plinio, *lib.* 21. *cap.* 8. tegebatur: veste lanea induebatur, ut idem Plinius testatur, *lib.* 8. *cap.* 48. cinguloque præcingebatur, quod erat factum ex lana ovis, Herculeanoque nodo vinciebatur, quemadmodum scribit Festus, quem solvere maritus debebat: quo fiebat, ut *zonam* dicerentur virgines *solvisse*, quæ virorum coitum admiserant, ut ex Homero, Catullo, Pausania, & Suida, ceterisque, patet; tum etiam eæ, quæ primum pepererant, quod explicat Commentarius Græcus, *lib* 1. *Argon*. Nec interesse puto in his celebritatibus, an Græcorum, an Latinorum nitar auctoritate Hæc enim ab omnibus etiam aliis gentibus observabantur. Velatam item fuisse, satis notum est, maxime Tertulliani testimoniis, *lib. de veland. virginib.* Domoque patris egrediebatur, ducente eam matre ac ceteris parentibus & amicis. Et quædam vehebatur, cujus conductor πάροχος dicebatur: quædam pedibus iter peragebat, & qui eam comitabatur, χαμαίπυς adpellabatur. utrosque communi nomine νυμφαγωγὺς Jul. Pollux, *lib.* 3. nominat, οἳ τὴν νύμφlω ἐκ τῆς τ̃ πατρὸς οἰκίας ἦγον. *qui sponsam ex patris domo ducebant*. Eam vero frequenti adfinium & amicorum officio stipatam præcedebant tibicines; & alius, qui Thalassium invocabat. cujus nominis varias recenset causas Plutarch. *in probl.* Inter eos celebres pueri erant patrimi & matrimi, ut refert Festus, qui sponsam ducebant. tum & tertius, qui anteibat, facem præferens ex spina vel spinu alba confectam, de qua Festus & plerique auctores meminerunt. Puer enim ingenuus eam ferebat, quod Nonius ex Varrone probat. Quinque & aliis facibus, quæ omnino cereæ erant, utebantur, teste Plutarcho *in probl.* atque, has præferre faces ominosum fuisse, ex Plauti Casina doctissimus Muretus putat, ubi Chalino conservo suo Olympio minitatur his verbis:

*Primum omnium huic lucebis novæ nuptæ facem.*
*Post illa, ut semper improbus nihilique sis.*

A Servis itaque has faces præferendas dari, suspicari quis poterit ex Ennii versu, quem obiter citat Festus in verbo *Prodinunt*:

*Prodinunt famuli, tum candida lumina lucent.*

Præferebat & alius puer vas quoddam opertum, quod *cumeram* Festus nominat, in quo erant nubentis utensilia: tum colum onustam lana, quemadmodum refert Plutarchus *in Romulo*, ut significarent, uxoris officium esse nere: qua ratione etiam vinculum laneum debebat esse ad utrumque postem januæ, per quam sponsa colum gestans transi-
B ret, ut scriptum reliquit Donatus *in Hecyram Terentii*; atque ideo, die nuptiarum in pelle lanata sedere nuptam debere, testatur Festus. Cum vero nova nupta domum viri accederet, maritus, aut alius ejus nomine, (vir enim absens, inquit Paulus, uxorem ducere potest, *lib.* 2. *sentent. tit.* 19.) in limine domus stabat, eam ad se vocans. Catullus:

*Ac domum dominam voca.*

Quæ vero virgines comitabantur, more Græcorum canere solebant, *Hymen, o hymenææ*. Catull.

C
*Vosque item simul integræ*
*Virgines, quibus advenit*
*Par dies, agite in modum.*
*Dicite, O hymenææ, hymen:*
*Hymen, o hymenææ.*

Quod etiam describit Homerus, Ιλ. ρ'. & Statius *in epith. Stellæ*, *lib.* 1. *Sylv.* Propius vero accedens (inquit ille, qui reliquias decimi libri Valerii Maximi collegit) ante januam mariti interrogata quænam esset, Cajam se dicebat: ac, ut testis est Plutarchus *in Probl.* clamare alta voce solebat, *Cai Cæci-*
D *li*, viro interim clamante, *Caja Cæcilia*: quia cum viro ita paciscitur, ut omnia communia sint, & pariter imperent: ac si dicerent, Ubi tu dominus ac familiæ princeps, ego quoque domina & hera: si tu dives, ego dives: omni denique tuæ fortunæ particeps. *Nihil*, inquit Ulp. *tam humanum est, fortuitis casibus, mulieris maritum, & uxorem viri, participem esse. l. si cum dotem. §. si maritus. D. solut. matrim.* Idque fiebat in memoriam Cajæ Cæciliæ, honestæ feminæ, quæ uni ex Tarquinii liberis collocata erat, ut testantur Plinius *lib.* 8. *cap.* 48. & Festus: cujus rei etiam meminit Cicero *in orat. pro Muræna*, & Velius Longus. Ideoque *assem Ca-*
E *janum* dictum exstimavit doctissimus Adrian. Turneb. *in Adverf.* quem sic notatum Ɔ C fuisse, argumento est hic Quintiliani locus. lib. 1. Inst. cap. 12. *Nam & Cajus C. litera notatur, quæ inversa mulierem declarat: quia tam Cajos esse vocitatos quam Cajas, etiam ex nuptialibus sacris apparet*. Quum vero proximi essent, more Sabinorum, ridicula quædam dicteria depromi solebant a circumstantibus. Lucanus:

*Non soliti lusere sales, nec more Sabino*
*Excepit tristis convitia festa maritus.*

F Ad hanc rem Fescenninos versus proprios fuisse, Festus narrat. Idque a pueris fieri, argumento est locus Varronis, quem citat Nonius: *Pueri obscœnis verbis novæ nuptæ aures redurant*. Quod quia depositis prætextis fiebat, ideo *prætextatus sermo* dicebatur, ut inquit Festus. Indeque factum est, ut *prætextatus sermo* pro obscœnis verbis acciperetur. Suet. in Vesp. *Erat*, inquit, *dicacitatis plurimæ, & sic scurrilis ac sordidæ, ut nec prætextatis verbis abstineret*.

## CAP. XVII.

### *De coma tonsa.*

ORnatus autem sponsi in eo præcipue notabatur, quod tonderetur. Juvenal. Satyr. 6.

*—— Jamque a tonsore magistro*
*Pecteris. ——*

Quod etiam a ceteris adstantibus observatum fuisse suspicor, præsertim ab iis, qui ad celebrationem nuptiarum adhibebantur. Ausonius:

*Et juvenes quatuor, totidem innuptæque puellæ.*
*Omnibus in morem tonsa est coma: pectine summo*
*Flexilis obtorti per collum circulus auri.*

Nam id fiebat ornatus causa, non quod capilli omnino amoverentur, sed comebantur potius, ac, qui superflui erant, tondebantur. *Quid*, inquit Seneca, lib. de brev. vitæ, *illos otiosos vocas, quibus apud tonsorem multæ horæ transmittuntur, dum decerpitur, si quid proxima nocte succreverit, dum de singulis capillis in consilium itur*, &c. Ac liberorum hominum erat, esse comatos, id est, comam adornare; & his solis cæsariem habere licebat. *cæsaries* enim dicta est a *cædendo*, ut notat Servius, *lib.* 1. *Æneid.* id est, ferro sæpius adornando, quia coma vulgo ferro colitur. Et *lib.* 10. admonet, antiquo more viros, sicut mulieres, composuisse capillos. quod verum esse, statuæ antiquorum docent, & personæ, quas tragœdiis videmus esse similes in utroque sexu, quantum ad ornatum pertinet. Græci *βόστρυχον* & *πλόκαμον* hujusmodi cæsariem adpellabant. Qualem Euphorbum gestasse cecinit Homerus, auro videlicet religatam, Ἰλ. ρ'.

Πλόχμοι θ' οἱ χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ ἐσφήκωοντο.
*Cincinni auro & argento vincti erant.*

Et ita liber habere dicebatur cæsariem, τὴν κεφαλὴν κεκοσμημένος τῇ συνθέσει τῆς κόμης, *caput ornatum habens compositis comis*, ut ait Joseph. *l.* 14. *antiq. c.* 17 Servi vero non tondebantur. horum enim dicebatur Græce ἀνδραποδώδης θρὶξ, teste Suida, *servilis & abjectissimus pilus sive tonsura*. Quo fit, ut apud Aristophanem, *in avibus*, objiciatur poetæ, qui se θεράποντα dixerat, δοῦλος ὢν, κόμην ἔχεις. *Servus cum sis, comam alis*. Et hic procul dubio est sensus hujus loci, quem plerique adsecuti non sunt. Cum vero servi manumitterentur, hunc vilem capillum abjiciebant, & non modo tondebantur, sed etiam radebantur Cujus moris hanc fuisse rationem scribit Nonius, quod tempestatem servitutis tunc servi effugisse viderentur, quasi naufragio liberati. Sane enim testis est Petronius Arbiter, non licuisse cuiquam mortalium in nave neque ungues neque capillos deponere, nisi cum pelago ventus irascitur. Cujus consuetudinis meminit etiam Artemidorus, *lib.* 1. *cap.* 13. Ναυαγήσαντες μὲν γὰρ, ἢ ἐκ μεγάλης σωθέντες νόσου, ξυρῶνται οἱ ἄνθρωποι. *Qui naufragium fecerunt, aut ex gravi morbo convaluerunt, tondentur homines*. Alludit itaque Lucianus hoc modo, *in fine Hermotimi*: Δοκῶ δέ μοι οὐκ ἀλόγως ἂν καὶ ξυρήσασθαι τὴν κεφαλὴν, ὥσπερ οἱ ἐκ τῶν ναυαγίων ἀποσωθέντες ἐλεύθεροι. *Videor mihi non absurde tonderi, tanquam qui ex naufragio servati sunt*. Sidonius Apollinaris, illius antiqui ritus memor, sic scribit ad Faustum, lib. 9. ep. 9: *Philosophia, quæ violenter e numero sacrilegarum artium exemta, raso capillo superfluæ religionis ac supercilio scientiæ, amputatisque pervenustarum vestium rugis, mystico*

A *amplexu, jam defæcata, tecum conjunxit*. Sed hæc alterius erunt otii. Redeo, unde diverteram: modo tamen hoc addidero, his, quibus aliquid acciderat quo tristiores fierent, aut radi solitum fuisse, ut notat Plutarch. *de superst.* & Senec. *lib.* 5. *de benef. c.* 6. dicebaturque *tonsura lugubris*, quasi ἐν χρῷ κουρά. aut vero crinem submittere, sordidoque capillo & promisso sive demisso prodire, ut narrat Plinius *lib.* 7. *cap.* 27. Unde Seneca, in Troad. act. 1:

*Solvite crinem:*
*Per colla fluant*
*Mœsta capilli.*

Hoc pluribus exemplis, quæ passim leguntur, probare, B facile est. Maritus itaque, & qui cum eo erant, ornatus causa tondebantur: quo pertinet illud Martialis, lib. 11:

*Tondebit pueros jam nova nupta tuos.*

Quod a Catone neglectum fuisse, notavit Lucanus his versibus:

*Intonsas rigidam in frontem descendere comas*
*Passus erat, mœstamque genis increscere barbam.*

C

## CAP. XVIII.

### *De oleo, aqua, & igne.*

CUm vero in mariti domum pervenerant, postes domus inveniebant ornatos laneis vittis, & oleo unctos: & ideo *uxores*, inquit Servius, *lib.* 5. *Æneid.* dictæ sunt, quasi *unxores*. Hujus rei meminit Donat. in Terentii Hecyram: *Uxor vel ab ungendis postibus & figenda lana. id est, quod, cum puellæ nuberent, maritorum postes ungebant, ibique lanam figebant. vel quod maritos ipsæ ungebant.* cujus rei testem adfert Ennium:

D *Exin Tarquinium bona femina lavit & unxit.*

Quamvis Servius, *lib.* 6. *Æneid.* hunc versum ad funus referat. Quem imitatus est Virgilius, dicens,

*—— Corpusque lavant frigentis, & ungunt.*

Aquam item & ignem in limine adpositum utrimque tangebant, quasi eo fœdere inexplicabili & mutuo nexu forent copulati.

E *His nova fit conjunx: hæc duo magna putant.*

inquit Ovid. *lib.* 4. *Fast.* Hæ enim duæ res, ajunt Festus, in verbo *Aqua*, & Lactantius *lib.* 2. *cap.* 18. humanam maxime vitam continent. Alterum enim quasi masculinum elementum est, alterum quasi femininum. Alterum activum, alterum patibile. Ideoque ab ipsis institutum erat, ut sacramento ignis & aquæ nuptiarum fœdera sancirentur, quod fetus animantium calore & humore corporentur atque animentur ad vitam: sive, ut deinde ait Festus in verbo *Facem*, ut casta puraque ad virum perveniret. Nævius apud Nonium, in verbo *Puriter*: F *Sequere me; puriter volo facias*. id est, sacrifices. *igni & aqua volo hunc accipere*. Ignis enim, quemadmodum ait Plutarch. *in probl.* purgat; aqua vero lustrat. τὸ πῦρ καθαίρει, καὶ τὸ ὕδωρ ἁγνίζει. Et refert Servius *lib.* 4. *Æneid.* hac aqua nubentium pedes lavari solitos fuisse. Quod & in Græcia significavit Euripides, *in Phœnissis*:

Ἐγὼ δ' οὔτε σοι πυρὸς ἀνῆψα φῶς νόμιμον
Ἐν γάμοις, ὡς πρέπει ματρὶ μακαρίᾳ,
Ἀνυμέναια δ' Ἰσμηνὸς ἐκηδεύθη λουτροφόρου χλιδᾶς.

*Ego*

*Ego neque lampadem accendi tibi legitimam,*
*In nuptiis ut decet beatam matrem,*
*Nec Ismenus curavit hymenæum qui constat ex balneis deliciarum.*

Hoc Harpocration explicat in verbo λυτροφόρος. Ἔθος ἦν τοῖς γαμοῦσι, λοῦτρα μεταπέμπεσθαι ἑαυταῖς κατὰ τὴν τοῦ γάμου ἡμέραν. ἔπεμπον δ' ἐπὶ ταῦτα τὸν ἐγγυτάτω γένους παῖδα ἄῤῥενα. καὶ οὗτοι ἐλουτροφόρουν. *Mos erat nuptias celebrantibus mittere balnea ipso nuptiarum die. Mittebant autem puerum proximæ cognationis. Et isti balnea ferebant.* Hisque possunt intelligi verba Scævol. *in l. pen. D. de donat. inter vir. & ux. Et priusquam*, inquit, *igni & aqua acciperetur*, id est, nuptiæ celebrarentur. Qui mos fuit loquendi, omnium rerum communicationem significare volentibus. Dionysius Halicarnasseus, *lib.* II. de Romulo erga Sabinas sic scribit: Ἐπὶ κοινωνίᾳ πυρὸς καὶ ὕδατος ἐγγυῶν τοὺς γάμους. *Communicatione ignis & aquæ spondens nuptias.* Sane enim sæpissime ignem pro domo, sicut & hodie moris est accipi, notat Porphyrius, *lib.* ζητημάτων Ὁμηρικῶν, τί Ὅσσαι μὲν Τρώων πυρὸς ἐσχάραι δηλοῖ; Ὅσαι ἑστίαι, τόσοι Τρώων ἐφέστιοι καὶ πολῖται. *in Quæstionibus Homericis. Quid Quot sunt Trojanorum ignis foci significat? Hoc significat, quot sunt foci Trojanorum, tot sunt incolæ & cives.* Eurip. *in Orest.* Ἔδοξε δ' Ἄργει τῷδε, μηδ' ἡμᾶς στέγαις, μηδὲ πυρὶ δέχεσθαι, μήτε προσφωνεῖν τινα. *Decrevit Argos hoc neque tectis non recipere, nec igne dignari, nec quenquam alloqui.*

## CAP. XIX.

### *De ingressu sponsæ in domum mariti.*

SPonsa solebat in limine domus quasi obstinata stare, ut significaret, se invitam duci in eum locum, ubi virginitatem perditura esset. Catullus:

*Tardat ingenuus pudor,*
*Quod tamen, magis audiens,*
*Flet, quod ire necesse sit.*

Alia etiam additur ratio, quod hoc modo sponsam superstitem fore putabant. Sic enim scribit Plaut. in Casina:

*Sensim superadtolle pedem, nova nupta: sospes*
*Iter incipe hoc, ac viro tuo semper sis superstes.*

Itaque sponsi amici eam in altum ferebant, in memoriam Sabinarum, quæ raptæ sunt, ut scribit Plutarch. *in Romulo.* Cujus rei meminit Optatus, lib. 7. *Non in altum tollitur,* &c. Hocque fieri dicunt nonnulli, ne sponsæ terrerent limen pedibus. Id enim prohibebant matronæ, quia illud contra majestatem Vestæ esse existimabatur. Lucanus:

*Turritaque premens frontem matrona corona,*
*Translata vitat contingere limina planta.*

Deinde rapi solebat fax nuptialis, qua prælucente nova nupta deducta fuerat ab utrisque amicis, ut ait Festus, ne aut uxor sub lecto viri, aut vir in sepulcro comburendam curaret. quo utroque mors propinqua alterius captari putabatur. Postea matri sponsam tradebant, aut alicui ex proxima necessitudine, a qua, Festus ait, vi maritum debere evellere, in memoriam Sabinarum: quia hic raptus summi boni causa fuerat, ut refert Plutarch. *in prob.* Unde Virg. lib. 10. Æneid.

*Qui socios legere, & gremiis abducere pactas.*

Illico autem, quum sponsa ingressa sic esset domum sponsi, uxor dicebatur, & vir maritus. *l. cum te. C. de donat. ant. nupt. l. genera. D. de rit. nupt.* & ex eo dicitur uxor duci. *l. cum fuerit. D. de condition. & demonstrat.* & is dicitur uxorem habere, qui eam duxerit in domum. *l. aufertur. D. de his quæ ut indign. l. hæc conditio. D. de condit. & demonstr.* Plaut. in Aulularia:

*Post mediam ætatem qui uxorem duxit domum.*

Hoc explicatius declarat Sid. Apoll. epist quinta, lib. I. *Jam quidem*, inquit, *virgo tradita est, & nondum tamen cuncta thalamorum pompa defremuit, quia nondum ad mariti domum nova nupta migravit.* Aliud vero erat, si vir deductus fuisset in domum mulieris. quia, ut ait Pomponius, deductione opus erat in mariti, non uxoris, domum, quasi domicilium matrimonii. *l. mulierem. 5. D. de rit. nupt.* Si tamen in villa fierent nuptiæ, nihil intererat. Apul. apol. 2: *Lex Julia de maritand. ordinib.* inquit, *nunquam scilicet ad hunc modum interdixit, Uxorem in villa ne ducito.* Quod ita intelligendum est, si ibi dicis causa maritus domicilium figat, (domicilium enim etiam in villa esse potest, *l. I. §. 2 D. de lib. adgnosc.*) non ut clam & contra jus duceret. quo fit, ut Apulejus sic finxerit, *lib. 6. Metam.* Venerem conquerentem impuberes nuptias, & præterea in villa sine testibus & patre non consentiente factas. quæ legitimæ non possunt videri.

## CAP. XX.

### *De nuptiis quæ farre contrahebantur.*

JAm vero, sic ducta uxore, discrimen erat, quo jure eam maritus acciperet. Nam tribus modis Romani uxores habebant, farre, coemtione, & usu: quemadmodum, post Arnobium *lib. 4. contra gentes*, meminit Boethius *in Topicis*. Confarreatio fiebat, cum, certis verbis, & decem testibus præsentibus, solennique sacrificio facto, in quo panis farreus adhibebatur, mulier in manum viri conveniebat: ut asserit Ulp. *tit. 9. regul.* Profertur hac de re Servii auctoritas & libro manuscripto *lib. I. Georg.* His verbis farre nuptiæ fiebant per pontificem maximum & dialem flaminem: per fruges & molam salsam conjungebantur; unde confarreatio adpellatur. ex quibus patrimi & matrimi nascebantur. Et hic modus in sponsalibus religiosissimus fuit. In cujus signum præferebatur far tostum, quod sacrificiis sæpe adhibebatur. inde enim panis farreus prohibebatur sceleratis. Indeque *nefarios* dictos fuisse, asserit Nonius. Et ait Dionys. Halicarnass. *lib. 3.* priscos legitima sacraque matrimonia, Romana adpellatione, *farreacea* dixisse, a communione *farris*, quod Græci ζέαν vocant. Plinius tamen, *lib. 18. cap. 8.* far, quod a farina deducit, aliud esse vult quam ζέαν. Ex eo autem confarreandi modo, *confarreari matrimonium*, dicebant. Apul. lib. 10. Metam. *Talis mulieri matrimonium confarreaturus.* Inde etiam in veteri glossario, *confarreatus*, dicitur συμβιώσεως χάριν ζευχθείς. *Una vivendi causa junctus.* Et, quæ hoc modo nubebant, statim e patris potestate in viri manum transibant. Quod his verbis indicat Tacitus, lib. 4. *Et quando exiret e patrio jure, qui in flaminium adsciceretur, quæque in manum flaminis conveniret.* Sed hic modus confarreationis in desuetudinem abiit. Tiberius enim Cæsar, apud Tacitum *lib. 4.* de

flamine diali in locum Servii Maluginensis defuncti legendo, ita disseruit: *Nam patricios, confarreatis parentibus genitos, tres simul numerari, ex quibus unus legeretur, vetusto more: neque adesse, ut olim, eam copiam, omissa confarreandi assuetudine, aut inter paucos retenta. Pluresque ejus causas adferebat; potissimum, penes incuriam virorum feminarumque. Accedere ipsius cerimoniæ difficultates, quæ consulto vitarentur.* Et infra: *Sed lata lex, qua flaminica dialis, sacrorum causa, in potestate viri, cetera promiscuo feminarum jure ageret.*

## CAP. XXI.

### *De coemtione.*

QUod ad alios modos attinet, scribit Cic. in Topicis: *Uxoris duæ sunt formæ, una matrumfamilias; altera earum, quæ tantum usu uxores habentur. Matresfamilias*, inquit Boethius, *erant, quæ ducebantur per coemtionem: quæ vero usu, minime. Coemtio fiebat, cum sese in communicando* (vel, si mavis, *coemendo*) *invicem interrogabant: Vir, an sibi materfamilias esse vellet; ubi illa respondebat, Velle: item mulier, an vir sibi paterfam esse vellet; ille respondebat, Velle. Itaque sic mulier viri conveniebat in manum: & vocabantur hæ nuptiæ per coemtionem.* quod, ut Varro scriptum reliquit, (ejus verba Nonio referente, *cap de dict. ind.*) nubens mulier tres ad virum asses ferebat: atque unum quem quidem in manu tenebat, tanquam emendi causa, marito dare solebat; alium, quem in pede habebat, in foco larium familiarium ponere; tertium, in facciperio, cum condidisset, resignare solebat: & ita dicebatur matrimonium *per æs & libram* contractum. Sed abs re non est, hic addere, coemtionem non in nuptiis tantum celebrari, sed in omnibus legis actionibus, in quibus mancipatio interveniebat, videlicet, ut, præter jus naturale, jus Quiritium accederet: ut cum Ulp. ait, quosdam præponi frumento coemendo. *l. cuicunque.* 5. *§.* 1. *D. de inst act.* & Pomponius, venales novicios coemendo. *l. si negotia. D. de negot. gest.* Symmachus, epist. 80. lib. 5. *Ad equorum coemtionem cum pretiis commeabunt.* Theodosius, *l.* 2. *C. de frum. urb. Const. Auri statuta quantitas ad coemtionem frumenti.* Cic. in quadam Verrina: *Non modo non vendebant, sed etiam coemebant.* Horat. Od. 29. lib. 1.

*Quin tu coemtos undique nobiles*
*Libros Panæti, Socraticam & domum*, &c.

Et postea, lib. 2. Od. 3.

*Cedes coemtis saltibus, & domo.*

## CAP. XXII.

### *De usu, ac legis Miscellæ interpretatione.*

USu uxor habebatur, cum mulier ita collocabatur viro, ut is nullum jus præter usum in eam haberet. Quemadmodum servus jure Quiritium domini non erat, sed tantum in ejus bonis, id est, in usu, si is neque mancipatus esset, neque in jure cessus, neque ipso anno possessus, ut Theoph. *tit. de libert.* post Ul. *tit.* 2. *regul.* interpretatur. Sic etiam, si nulla mancipatio in nuptiarum celebratione intervenisset, mulier sane jure Quiritium uxor non erat, nec materfamilias, sed tantum jure naturali uxor. Et ideo Boethius ait, eas quæ usu ducebantur, non fuisse matresfamilias. Nulla etenim in re jus Quiritium inerat, nisi fictitia venditio, quæ mancipatio dicebatur, accessisset. Aliter vero usus tantum in re haberi dicebatur. Cic. lib. 7. epist. *Cujus quando proprium te esse dicis mancipio & nexu, meum autem usu.* Et Lucretius, lib. 3:

*Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.*

Et is, qui rem jure gentium tantum habebat, non proprie dominus dici poterat, sed possessor: & res ipsa, non dominium, sed usus vel possessio nuncupabatur. Ut quando ait Festus, *Possessiones adpellantur agri late patentes, publici privatique, qui non mancipatione, sed usu, tenentur.* Quo pertinent & illa Javoleni, *quæstio.* 115. *D. de verb. sign. Quod ad nos non pertinet, aut non potest pertinere, hoc possessionem adpellamus: possessio igitur usus est.* &c. Loquitur ibi de fundis, qui extra Italicum solum erant, & ideo mancipari non poterant. Sic etiam mulier in usu tantum esse dicebatur, si nulla mancipatio facta fuisset. Non quod pellex esset, aut concubina, ut quidam voluerunt, *ex l. Masurius.* 144 *D. de verb. sign.* Intererat enim, quo animo eam apud se vir haberet, uxoris, an concubinæ loco. Solo enim delectu concubina ab uxore separatur, inquit Paulus, *lib. 2. sent.* Et Ulpianus ait, concubinam sola animi destinatione æstimari: *l. pen. D. de concub.* cum testatione tamen, non uxoris, sed concubinæ loco esse: *l. in concubinatu. eod. tit.* aliter enim uxor dicebatur: præsertim si esset ingenua mulier, & honestæ vitæ; pleno ac maritali honore dilecta: *l. cum tabulis. §. quoniam. de his quæ ut indign.* cum dignitate, *l. item legato. §. parvi. de legat.* 3. vicinis aut aliis scientibus eam liberorum procreandorum causa domi habitam fuisse: *l. si vicinis. C. de nuptiis.* & sine mendacio, *l. Titiæ. D. de aur. & arg. leg.* non consortio sororiæ adpellationis decorata, *l. cum qui. C. de Episcop. & Cler.* Nam, ut Hieronymus ad Rusticum monachum testis est, plerique sub nominibus pietatis quærunt suspecta consortia, ac ficto matrum nomine erumpunt in licentiam maritalem. Ideo Papinianus inspiciendum ait, an maritalis honor & adfectio pridem præcesserit, personis comparatis, vitæ conjunctione considerata: *l. donationes* 31. *D. de donat.* Concubina igitur nunquam usucapiebatur, uxor sæpissime. illa pellex dicebatur, hæc uxor. in illis concubinatus, in his nuptiæ esse dicebantur. *l. in liberæ. D. de rit. nupt.* Itaque uxor, quæ usu tantum habebatur, differebat ab ea quæ materfamilias erat, quod hæc in mariti potestatem & familiam transibat, eratque illi loco filiæ; hæc vero ad usum, & liberorum tantum quærendorum causa, ducebatur. ut, quando viduæ, cui maritus viduitatem indixerat, per legem Juliam Miscellam licebat nihilominus nubere, modo sobolis tantum gratia ad secundas nuptias migrare se adfirmaret, & cautionem Mutianam præstaret, non etiam coemtionem faceret. Hoc enim modo minus videbatur defunctus lædi, cum mulier nec confarreatione nec coemtione, in alterius familiam non transiens, bona, quæ tanquam sua heres ab primo marito acceperat, in secundum non transferret, nec suis liberis spem succedendi auferret. Atque hanc legis Miscellæ veram existimo interpretationem. Nam, ut prius dictum est, solenne quidem erat, in omnibus nuptiis adjicere, se liberorum quærendorum causa nuptias contrahere. Sed hoc in his nuptiis erat singulare, quando mulier usu tantum ducebatur ut adjecta particula, *tantum*, designaret, se non nubere ut

esset secundo marito loco filiæ, ne videretur domum primi mariti in partes distrahere; quod Agrippinam in Liviæ secundo matrimonio metuisse scribit Tacitus *lib.* 4. Quorsum enim hoc jussisset lex Miscella, cum idem fuisset, si mulieri simpliciter nubere permisisset? Et hoc modo quæ nupserat, non tam firmo vinculo haberi dicebatur. Itaque Julius Cæsar, inquit Suetonius, paratam legem habebat, ut uxores liberorum quærendorum causa, & quas, & quot ducere vellent, liceret. Et moris fuisse refert Strab. *lib.* 11. Romanos uxores suas aliis viris elocare, cum duos tresve filios ex eis suscepissent. Cujus rei vulgatissimum est Catonis minoris exemplum (quod male vulgo intelligi suspicor) a Plutarcho relatum. Non enim, ut adultera esset, sed ut uxor haberetur, Martiam despondit Hortensio Philippus pater, præsente Catone, & sponsalia comprobante. Ideo tamen hoc improbatum est a Christianis, quod vivente marito non possit uxor alteri nubere. August. *lib. de bon. conjug.* & Salvian. *lib.* 8. *de jud. Dei.* De hoc genere uxorum mihi videor non absurde hunc locum interpretari. Ac de Romanorum connubio verecundius judicandum existimo, quam a plerisque audio, Strabonis, Appiani, & Plutarchi auctoritate, fieri. Athenienses hujusmodi uxoribus utebantur; cum, ut ait Laert. in Socrate, licebat eis *γαμεῖν μὲν ἀστὴν μίαν, παιδοποιεῖσθαι δὲ καὶ ἐξ ἑτέρας. ducere civem Atticam, sed liberos procreare apud aliam.* Hanc enim Philostr. *in Sclopiano*, ἡμίγαμον καὶ κατὰ νόμους, *semi-nuptam & secundum leges* nuncupat. De utraque, Socratis & Catonis, uxore sic meminit Tertullianus Apologet. *Ex illa, credo, majorum & sapientissimorum disciplina Græci, & Romani Catonis; qui uxores suas amicis concedebant, quas in matrimonium duxerant liberorum causa.* Sed plerumque, eodem modo, quo servus, qui in bonis tantum erat, si per annum possessus esset, in dominio esse dicebatur; sic mulier, quæ usu tantum habebatur, materfamilias fiebat, si, usu illo per annum sine usurpatione continuato, usucapta esset. quod & in omnibus possessionibus, quæ usu tenebantur, eveniebat, in quorum adquisitione nullus nexus intervenerat. Nam, ut cum Horatio juris nostri regulas complectar, lib. 2. epist. 2.

*Si proprium est quod quis libra mercatur & ære.*
*Quædam, si credis consultis, mancipat usus.*

Illoque usu in manum convenire dicebatur, materque familias fiebat, nimirum usucapta. Cic. pro Flacco: *In manum*, inquit, *convenerat. Nunc audis. Sed quæro, utrum usu, an coemtione.* Valdeque mihi suspectus est locus Servii, qui nuper ex libro manuscripto prodiit, ubi nuptiæ fieri dicuntur usu, si mulier anno uno cum viro, licet sine legibus, fuisset. Nam & ante annum uxor & nuptiæ fuerant. Sed uxor fiebat usu materfamilias, si mulier anno uno cum viro fuisset tanquam usucapta. Quod si usus ille ab uxore intra annum trinoctio interrumperetur, illa usucapi non poterat. Eratque hac de re lex 12. tab. lata, quam refert Agellius, *lib.* 3. *cap.* 2. ut mulier, quæ sui juris esset, si annum unum apud virum matrimonii causa fuisset, ni trinoctium usurpatum esset, pro usucapta haberetur.

## CAP. XXIII.

*An uxor sit in potestate mariti.*

Est autem exagitanda quæstio, an uxor sit in potestate mariti. Et non erit inconveniens, hic conscribere verba Philonis *lib.* 2. *alog.* de Adamo, qui, uxorem accusans, dicebat, *Mulier, quam mecum esse concessisti*; non, *quam mihi dedisti*. Εὖ τὸ

A *μὴ φάναι, Ἡ γυνὴ ἣν ἔδωκας ἐμοί, ἀλλά, μετ᾽ ἐμοῦ. οὐ γὰρ ἐμοί, ὡς κτῆμα, ταύτην αἴσθησιν ἔδωκας, ἀλλὰ καὶ αὐτὴν ἀφῆκας ἄνετον καὶ ἐλευθέραν. Bene hoc, quod non dixeris Mulier quam dedisti mihi, sed mecum esse. Non enim mihi tanquam possessionem dedisti, sed ipsam liberam & solutam esse sivisti.* Constat tamen, receptæ reverentiæ esse, quemadmodum ait Ulpianus, si mulier viro subsit. *l. alia. D. solut. matr.* Mart. lib. 8:

*Inferior matrona suo sit, Prisce, marito:*
*Non aliter fiunt femina virque pares.*

B Eleganter itaque Plaut. in Sticho:

*—— Pudicitia est, pater,*
*Eos magnificare, qui nos socias sumserunt sibi.*

Et Sophocles, *in Antigone*:

Ἀλλ᾽ ἐννοεῖν χρὴ τοῦτο μὲν, γυναῖχ᾽ ὅτι
Ἔφυμεν ὡς πρὸς ἄνδρας οὐ μαχουμένα,
Ἔπειτα δ᾽ οὕνεκ᾽ ἀρχόμεσθ᾽ ἐκ κρεισσόνων.
*Sed oportet hoc considerare, mulierem*
*Non decere viro repugnari*
*Quia non imperamus melioribus.*

C Quam ob causam Medea Euripidis sic conquerebatur:

Πάντων δ᾽ ὅσ᾽ ἐστ᾽ ἔμψυχα, καὶ γνώμην ἔχει,
Γυναῖκές ἐσμεν, ἀθλιώτατον φυτόν,
Ἃς πρῶτα μὲν δεῖ χρημάτων ὑπερβολῇ
Πόσιν πρίασθαι, δεσπότην τε σώματος
Λαβεῖν.
*Omnium quæ vivunt & sentiunt,*
*Nos mulieres miserrimæ sumus,*
*Quas primum oportet magna pecunia*
*Maritum emere, & dominum corporis*
*Accipere.*

D Quod Latine sic expressit Ambrosius, in exhortatione ad virgines: *Quoniam*, inquit, *quæ nupserit, ad servitutem pecunia sua venditur, meliori conditione mancipia, quam conjugia, comparantur. in illis meritum servitutis emitur, in istis pretium ad servitutem additur.* Apud Romanos tamen aliter. Et quidem de confarreati matrimonii jure hactenus dictum sit. De duobus vero reliquis hæc erat differentia. Nam, si uxor esset tantum usu ducta, omnes consentiunt, non fuisse in dominio mariti: si vero coemptione, ajunt, fuisse in dominio viri, quia in ejus manum E convenit. Quid ergo? Si mancipatione jus dominii sibi adquirebat maritus, cur non etiam mulieri idem jus erat in virum, quem eadem mancipatione sibi patremfam. coemebat? cui in limine domus dicere solebat, *Si tu Cajus, ego Caja*. id est, Si tu dominus, ego domina. Si ideo putamus uxores viros suos appellasse dominos, quod hæ in eorum dominio essent, ut videtur asseruisse Servius, *lib.* 4. *Æneid.* & plerisque in jure locis confirmatur, *l. ea qu.* 57. *D. de legat.* 2. cur non idem conjicimus de marito, quem videmus etiam aliquando uxorem suam dominam appellasse. *l. uxorem. D. de legat.* 2. *l. Titia.* §. *marito. D. de ann. leg. l. final.* §. *uxori.* F *D. de aur. & argent. leg.* cum & ipsemet Virgilius, *lib.* 6. *Æneid.* dicat,

*Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.*

Catullus: *Ac domum dominam voca.* Salvianus, *lib.* 7. habuisse ait Romæ matresfamilias jus suum, & dominarum honorem potestatemque habuisse. Verum est: habuerunt quidem multæ integrum jus dominii, sed nulla fertur impollutum jus matrimonii habuisse. Quid etiam voluit Verrius Flaccus, juris

Pontificii peritiſſimus, quem Macrobius, *lib.* 5. *Sat. cap.* 16. refert dixiſſe, mulierem poſtera die nuptiarum libertatem auſpicari uxoriam, & ad hanc rem ſacra celebrare? Hoc Servius, *lib.* 6. *Æneid.* ait, Græcorum more fieri, qui uxorem δέσποιναν dicunt. Epictetus vero mitiori vocabulo κυρίαν dicit adpellari mulierem, quæ duodecim annos adepta erat. Ariſtotel. *lib.* 2. *Rhetor. cap.* 24. Οἷον ὅτι δικαίως Ἀλέξανδρος ἔλαβε τὴν Ἑλένην αἵρεσις γὰρ αὐτῇ ἐδόθη παρὰ τοῦ πατρός. οὐ γὰρ ἀεὶ ἴσως, ἀλλὰ τὸ πρῶτον. καὶ γὰρ ὁ πατὴρ μέχρι τούτου κύριος. *Ut, juſte Alexandrum abduxiſſe Helenam, quia optio ei data eſt a patre. non enim ſemper fortaſſe, ſed primum. etenim pater eo uſque fuit dominus.* Hanc hiſtoriam accurate narrat Euripid. *in Iphigen. Aulide.* Catullus:

*Qui genero ſua jura ſimul cum dote dederunt.*

Rectius tamen dicemus, mulierem, quæ propter ſexus imbecillitatem antiquitus erat in perpetua tutela, (ideo quod coemtione recedebat a tutoris poteſtate) in viri poteſtatem recedere, & ei eſſe loco filiæ, auctore Boethio: qui ideo aſſerit, priorem ſtatum mutari, & eſſe capite deminutam. Cujus etiam juris teſtimonium exſtat apud Ulpianum, *tit.* 21. *regul.* Sic enim ſcriptum eſt: *Minima capitis deminutio eſt, per quam, libertate & civitate ſalva, ſtatus duntaxat hominis mutatur. quod fit adoptione & in manum conventione.* Non tamen ea erat poteſtas, qualis apud Barbaros, inquit Spartian. *in Carac.* apud quos feminæ & ſervi eodem gradu habentur. Neque in eam maritus jus vitæ & necis habebat; quamvis ex priſco inſtituto referat Cornelius Tacitus *lib.* 13. Pomponiam Græcinam, ſuperſtitionis externæ ream, & Plautii mariti judicio permiſſam, ut coram propinquis de capite famaque conjugis cognoſceret. Cujus veteris inſtituti his verbis meminit Dionyſ. Halicar. *in Romulo:* Ἁμαρτάνουσα δέ τι, δικαστὴν τὸν ἀδικούμενον ἐλάμβανε, καὶ τοῦ μεγέθους τῆς τιμωρίας κύριον. Ταῦτα δὲ οἱ συγγενεῖς μετὰ τοῦ ἀνδρὸς ἐδίκαζον. *Delinquens vero aliqua in re judicem, qui injuria affectus eſt, accipit, & pœnæ, quæ infligenda eſt, auctorem. De iſtis enim cognati & maritus pronunciabant.* Idque perſpicuum eſt indicare voluiſſe Valerium, de Sacello deæ Viriplacæ ſcribentem, *lib.* 2. *cap.* 1. Non tamen habebat jus vitæ & necis maritus, ſed nihilominus dominus dicebatur. Cicero, lib. 4. de Rep. *Nec vero mulieribus præfectus reponatur, qui apud Græcos creari ſolet; ſed ſit cenſor, qui viros doceat moderari uxoribus.* Nonius: *Nec enim ſemper dominii vocabulum ad eam rem, quæ pleno jure ad nos pertinet, refertur. at etiam domini adpellantur, qui cuicunque rei quomodocunque præſunt, ut & δεσπότην & κύριον ſignificet.* Inter quæ nomina hanc differentiam refert Philo Judæus, *lib.* Τίς ὁ τῶν θείων κλῆρος; Καὶ τί τοί, Συνώνυμα ταῦτα λέγεται, κύριος καὶ δεσπότης. Ἀλλ' εἰ καὶ τὸ ὑποκείμενον ἓν καὶ ταὐτόν ἐστιν, ἐπινοίαις αἱ κλήσεις διαφέρουσι. κύριος μὲν γὰρ παρὰ τὸ κῦρος, ὃ δὴ βέβαιόν ἐστιν, εἴρηται, κατ' ἐναντιότητα ἀβεβαίῳ καὶ ἀκύρῳ. δεσπότης δὲ, παρὰ τὸν δεσμὸν, ἀφ' οὗ, ὡς οἶμαι, ὥστε τὸν δεσπότην κύριον εἶναι. *Quis rerum divinarum heres ſit. Synonyma dicuntur eſſe, κύριος & δεσπότης. Sed etſi utrumque nomen uni eidemque competat, diſtinguit tamen hæc cogitatio. quin κύριος ἀπὸ τοῦ κῦρος, ab auctoritate dicitur, qua ratum fit aliquid, ſicut contra ἄκυρον vocatur irritum. Δεσπότης autem dicitur a δεσμὸς, vinculum. Unde opinor δέος, id eſt, timor. Itaque δεσπότης dominus erit, & quidem timendus.* Maritus itaque decentiori ac mitiori vocabulo κύριος adpellabitur, quam δεσπότης. Sane enim, ut eſt in Livio a Valerio dictum: *Et vos in manu & tutela, non in ſervitio, debetis habere eas; & malle patres vos & viros, quam dominos, dici.* Bruti verba, *ex libro de Officiis*, citat Priſcianus, *lib.* 6. quæ ſunt hujuſmodi: *Itaque patresfamiliæ domini ſumus.* Seneca, epiſt. 47: *Ne illud quidem videtis, quam omnem invidiam majores noſtri dominis, omnem contumeliam ſervis, detraxerint; dominum patremfamilias adpellaverint; ſervos (quod etiam in mimis adbuc durat) familiares.* De qua differentia ampliſſime diſputat Lactantius, *lib.* 4. *div. inſt.* Atque, ut eſt in prædicto Servii loco manuſcripto, *lib.* 4. *Æneid.* mulier ſuſtinet conditionem liberæ ſervitutis, quod videlicet tantum jure Quiritium in dominio mariti eſſet, jure vero gentium dominium non transferebatur: & ſic (ut utar Theophili ſupra dicta diſtinctione) non erat maritus pleno jure dominus, ſed tantum jure Quiritium. Quemadmodum enim prius dictus eſt, hæc mancipatio eo tantum interveniebat, ut eſſet matrimonium jure Quiritium contractum, atque ideo ſtabilior & ſanctior ſocietas. tam enim vir in mulieris, quam mulier in viri manum convenerat: ſed receptæ reverentiæ eſt, mulierem eſſe in viri poteſtate, aut ejus in cujus eſſet poteſtate maritus, ut docet Agellius *lib.* 18. nam, ut ait Feſtus, ea, quæ in manum viri convenerat, materfamilias non erat proprie, antequam maritus ſui juris factus fuiſſet.

## CAP. XXIV.

*An coemptione filia e patris poteſtate ſit emancipata.*

SEd quæritur, an hoc modo filia patris poteſtate ſoluta eſſet, ſi illa, antequam nupſiſſet, in poteſtate patris erat. Et ſane Labeo aſſerit, uxorem in mariti familiam tranſgredi: ut tradit Agellius, *lib.* 13. *cap.* 10. Et Ulpianus ſcribit, viri & uxoris commixtam familiam eſſe, & unam domum. *l.* 1. *§. ſi vir.* 15. *D. ad Senatuſc. Syllan.* Et Quintil. *declam.* 239. ait: *Ut virgo pertinebat ad patrem, ita nupta pertinet ad maritum.* Sed hoc primum objicio: Cur non idem jus putatur in uxore, quæ uſu tantum habetur, cum hi auctores indefinite de omnibus uxoribus mentionem faciat? Tum etiam mirum eſt, quid ſibi velint apud Plautum filiæ Antiphonis. quarum altera in Sticho ita ſororem alloquitur:

*Neque eſt cur nunc ſtudeam has nuptias mutarier.*
*Verum poſtremo in patris poteſtate eſt ſitum.*
*Faciendum id nobis, quod parentes imperant.*

Et poſtea:

*Pati nos oportet quod ille faciat, cujus poteſtas plus poteſt.*

Eas enim in manum virorum coemtione conveniſſe, hæc verba, ſtatim ſubjecta, argumento ſunt:

*Nunquam enim nimis curare poſſunt ſuum parentem filiæ,*
*Quem æquius eſt nos potiorem habere quam te, poſtea*
*Viros noſtros, quibus voluiſti nos eſſe matresfamilias.*

Deinde, nullo auctore, qui quidem exſtet, aut ſaltem in publicum exierit, poteſt aliquis probare, patriam poteſtatem matrimonio ſolvi: cum etiam Hermogenianus, *l.* 2. *D. de liber. exh.* det viro interdictum de uxore deducenda & exhibenda, non etiam dominium, quod patris eſſe fatetur; & infinitis auctoritatibus probari poſſit, mulierem, quæ alteri nupſit, eſſe in poteſtate patris. *l.* 1. *C. de bon. quæ liber. l.* 4. *C. ſolut. matrimon.* ita ut eam occidere poſſit, ſi in adulterio deprehenderit. *l. patris.*

*D. ad. l. Jul. de adult.* modo moderata esset ea patris potestas, ne, inquit Ulp. bene concordantia matrimonia jure potestatis turbentur. *l. 1. D. de lib. exhib.* quod constitutum fuisse a Numa, refert Dionys. Halicar. *lib.* 2. His, dum ab alio meliora adferentur, responderi posse puto, raro nuptias fuisse coemtione contractas; & ideo Jurisconsultos, generaliter de uxoribus respondentes, ad eas tantum prospexisse, quæ jure gentium, id est, usu tantum, erant uxores. Quod videtur notatum a Tacito *l.* 4. *Ann.* dicente, Flaminicam dialem sacrorum causa in potestate viri tantum fuisse, cetera promiscuo feminarum jure agere. Cum & verum sit, pleraque Jurisconsultorum responsa, aliquid sæpe addendo, sæpe etiam detrahendo, Tribonianum suo tempori adcommodasse. Nam & illo fragmento, nuper a doctissimo P. Pithœo edito *sub titulo De adulteriis*, apparet, distinctius Papinianum & Paulum respondisse, occidendi facultatem legem patri tribuisse, eam, quam in potestate haberet, & eam, quæ eo auctore in manum convenerat. Qua distinctione plane constat, eam, quæ patre auctore in manum viri convenerat, non fuisse in patris potestate. Quod vero ad Plauti verba pertinet, longa virorum absentia, qui triennio jam aberant, divortii legitimam causam præstitisse videbatur. Et sane verisimile est, ante Constantinum non quadriennium mulieres exspectasse. *l. vel senectutem. D. de donat. int. vir. & ux. & l. ult. C. de divort.* At quid moror? Non est tanta Comicis fides habenda, ut eos putemus juris civilis regulas ἀκριβῶς observasse. Sed ad rem. Fieri non poterat, ut, quæ per æs & libram in viri manum patris consensu convenerat, in ejus esset potestate. Consequeretur enim, ut una eademque mulier esset materf. & filiafamilias: & ita fieret, ut esset duarum familiarum mulier. quod juris regulis adversari nemo dubitat, *§. at hi. Inst. de hered. quæ ab intest.*

## CAP. XXV.

*De communione sacrorum inter virum & uxorem.*

VIr & uxor divini & humani juris communicationem habere dicebantur. *l. 1. D. de rit. nupt. l. adversus. C. de crim. expil. hered.* Ob eamque causam tradi annulos & claves uxoribus, solenne fuisse, superius dictum est, & igni & aqua illam accipere. Communicatio sacrorum, inquam, non quidem publicorum, sed privatorum erat; quæ, ut ait Festus, pro singulis familiis gentibusque fiebant. quæ jura (inquit Cicero, *lib. 2. de leg.*) pontificum auctoritatem consecuta sunt, ut ne morte patrisf. sacrorum memoria occideret, & iis essent ea adjuncta, ad quos ejusdem morte pecunia veniret. Itaque ait, non tantum heredes sacris adstringi, sed & legatarios, qui tantundem caperent, quantum omnes heredes, aut iis deficientibus omnes quicunque ex bonis defuncti locupletiores erant. Jurisconsultos vero invenisse rationem, cur pecunia sacrorum molestia liberaretur. Primo, si is, cui tantum legatum erat, quantum uni ex heredibus, minus centum cepisset quam legatum erat. Secundo, si stipularetur is, cui testamento relictum erat, id ipsum quod relictum est, ut non ex testamento, sed ex stipulatione deberetur. Et hunc modum putarem Ciceronem intellexisse *in Oratione pro Muræna*; cum ait, Jurisconsultorum ingenio senes ad coemtiones faciendas, interimendorum sacrorum causa, repertos fuisse. Nam antiquiori jurisprudentia, cum testamentum per æs & libram fiebat, is tantum heres erat, qui familiæ emtor adhibebatur, ut testatur Theophilus *Instit. de test.* Et dicebatur *heres testamenti per æs & libram* a Cicerone eodem loco, licet sæpissime id fieret *νόμου χάριν*, vel dicis causa: cum plerumque nihil aut parum apud eum de bonis defuncti remaneret: ceteris enim quod relinquebatur, non instituendi, sed aut dandi, aut legandi modo, relinquebatur. Ait enim Ulpianus, *titul.* 20. *reg.* his testamentis duas res tantum agi, familiæ mancipationem, & nuncupationem. nuncupationem vero in hunc modum fieri: *Ita hæc, uti in his tabulis cerisve scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor: vos, Quirites, testimonium præbetote.* Itaque quod Plutarchus *de sera numinis vindicta* ait: Ῥωμαῖοι, ὅταν διαθήκας γράφωσιν, ἑτέρους μὲν ἀπολείπουσι κληρονόμους, ἕτεροι δὲ πωλοῦσιν τὰς οὐσίας· aut ex media jurisprudentia intelligendum est, quam explicat Theophilus, aut diversa testamentorum genera notat: quandoque enim heredes instituebant, quandoque vero tantum familiæ emtores. aut etiam improprie κληρονόμους adpellavit, etiam eos, ad quos morte alicujus pecunia jure pervenerat, licet legata esset. Testator itaque, cum nollet, eum, ad quem ejus pecunia perveniebat, sacris alligari; capularem senem, id est, inquit Servius *Æn.* 6. qui capulo est vicinus, & proximus morti, hominem nihili, capite censum, nedum proletarium, sed nullius ob ætatem senilem spei, adhibebat familiæ emtorem, a quo is, cui relicta pecunia erat, post testatoris mortem stipularetur, ut hæc pecunia non ex testamento, sed ex stipulatione, deberetur. Nam, nec restituta hereditate jura sepulcrorum apud heredem remansisse, Paulus refert: *l. quia perinde. ad S. C. Tertull.* Sunt enim hæc jura in heredibus perpetua: adeo ut, si ab eo bona tanquam indigno auferantur, tamen jura sepulcrorum retineret: *l. si quis fuit.* 33. *D. de relig.* excepto crimine perduellionis. *l. 1. §. interdum. 3. D. de suis & legit.* Et ita fiebat, ut, herede illo sene coemtionali mortuo, etiam sacra interirent. Qua de causa, qui vilissimæ conditionis erant, usurpata loquendi formula dicebantur *senes coemtionales*. Plaut. in Bacch.

*Nunc Priamo nostro, si est quis emtor, coemtionalem senem*
*Vendam ego, venalem quem habeo.* ——

Et quia fortasse illi otiosi, & inertiæ dediti, solebant in illo adstare lapide, ubi res mancipi venire solebant, si forte quem invenirent, cui nomen suum adcommodarent; quasi in proverbium abiit, ut diceretur, *inter senes coemtionales mancipationem fieri.* ut Curius ad Ciceronem: *Quod quidem si inter senes coemtionales venale proscripserit, egerit non multum.* Consules etiam Scaptium plebejum, coemtionalem senem, ad contumeliæ notam, adpellasse, Livius, ut est nuper restitutus, indicat, *lib.* 3. licet & in prædictis locis, bona venia virorum doctorum dixerim, non male fortassis *senes comitiales* legeretur. quales sunt illi de quibus sic Plautus in Pœnulo:

*Non potuisti adducere homines magis ad hanc rem idoneos.*
*Nam istorum nullus nefastu'st. comitiales sunt meri.*
*Ibi habitant, ibi eos conspicias, quam prætorem, sæpius.*

Quemadmodum itaque, qui adoptabatur, particeps sacrorum & bonorum fiebat; sic etiam mulier, in familiam mariti transiens, fiebat sacrorum par-

ticeps. Quod a Romulo institutum fuisse, his verbis testatur Dionys. Hal. *lib.* 2. *Γυναῖκα γαμετὴν κατὰ νόμους ἱεροὺς συνελθοῦσαν ἀνδρὶ, κοινωνὸν ἁπάντων εἶναι, χρημάτων τε, καὶ ἱερῶν.*

## CAP. XXVI.

### *De communione bonorum inter virum & uxorem.*

SEd humani juris communicatio non facile perspicua est: cum mulier separata a marito bona haberet, quæ rei uxoriæ nomine continebantur: cum plerumque non omnia, sed ea tantum, quæ doti dicta erant, ad maritum transirent; cetera essent *παράφερνα*, quorum ne quidem administrationem haberet maritus: *l. hac lege. C. de pact. conv.* cum quæ debebantur mulieri, maritus exigere non posset: *l. cum maritum.* 11. *C. de solut.* earum etiam rerum, quæ dotis nomine præstabantur, maritus plenum dominium non haberet; sed ea in bonis ejus tantum esse dicerentur, *l. quamvis. C. de jur. dot.* in dominio vero mulieris: *l. in reb. eod. titul.* cum etiam suos homines familiamque domesticam haberet mulier. *l. sed si vir.* 31. *§. ult. D. de don. int. vir. & ux.* Denique, quare mulier dicebat bona sua in dotem viro, si ad eum solo matrimonii jure transirent? Solet sic distingui. Aut coemtione, aut farre ducta est mulier: & tunc, teste Cicerone, *in Topicis*, omnia quæ mulieris fuerant, viri fiebant dotis nomine. Adluditque ad hoc jus Lucianus, *in dialogo*, qui *Ῥητόρων διδάσκαλος* inscribitur, his verbis: *Πρόσει δὲ σὺ, ὁ ἐραστὴς, ἐπιθυμῶν δηλαδὴ ὅτι τάχιστα γενέσθαι ἐπὶ τῶν ἄκρας, ὡς γαμήσειάς τε αὐτὴν, ἐπελθὼν, καὶ ἵνα καὶ πάντα ἐκεῖνα ἔχεις, τὸν πλοῦτον, τὴν δόξαν, τοὺς ἐπαίνους. νόμῳ γὰρ ἅπαντα γίγνεται τοῦ γεγαμηκότος*, *Tu vero amator accedis, desiderans scilicet quam celerrime in summum evadere, ut cum adscendens, eam uxorem ducas, illaque omnia habeas, divitias, gloriam, laudes. lege enim cuncta fiunt mariti.* Macarius, *homil.* 32. *Ὥσπερ γὰρ γυνὴ, μεμνηστευμένη ἀνδρὶ, πάντα τὰ ὑπάρχοντα αὐτῆς καὶ ὅλην τὴν προῖκα ἀποφέρει. ἐκ πολλῆς ἀγάπης εἰς τὰς χεῖρας ῥίψασα τοῦ ἀνδρὸς, καὶ τοῦτο λέγει, Ἐμὸν οὐδὲν ἔχω, τὰ ἐμοὶ ὑπάρχοντα σά ἐστι, καὶ ἡ προὶξ σή ἐστι, καὶ ἡ ἐμὴ ψυχὴ, καὶ τὸ σῶμα τὸ ἐμὸν, σόν ἐστιν· οὕτω,* &c. *Sicut mulier desponsa viro omnia sua viro & dotem omnem adfert, & amore magno incensa omnia illi in manus tradit, & hoc dicit: Nihil quod meum sit, habeo. Meæ facultates tuæ sunt, dos tua est, mea anima, & meum corpus tuum est. Sic &c.* Cic. lib. 1. Offi. *Prima societas in ipso conjugio est: proxima in liberis: deinde una domus, communia omnia.* Aut erat usu tantum ducta: & tunc eorum fiebat tantum dominus bonitarius, quæ doti dicta erant; ceterorum minime. nec rerum quidem uxoris usum habebat, nisi promiscuus esset usus, veluti habitationis causa: *l. si mulieri. D. quemadmod. usufruct. amitt.* ne ei carendum matrimonio aliter foret: *l.* 4. *D. de usu & habit. l. sed neque. D. eod. tit.* ut & ceterarum rerum, quarum usus promiscuus esse debet. *l. ceterarum. D. eod. tit.* Columell. *lib.* 12. Nihil conspiciebatur in domo dividuum, nihil quod aut maritus aut femina proprium esse diceret; sed in commune consecrabatur ab utroque, ut cum forensibus negotiis matronalis sedulitas industriæ rationem parem faceret. At si non esset promiscuus usus, nulla fiebat communicatio marito. *l. Lucius Titius. §. filiam. D. ad Senat. Trebell.* Materfamilias itaque sola, non etiam uxor simplex, erat humani juris particeps. Sane enim huic legi, quæ a Romulo lata est de hujusmodi societate, additum est, cum fuit in duodecim tabulas relata, si in manum viri convenisset, ut refert Dionys. Halicarn. *lib.* 2. At, num ea societas leonina dicetur, quæ maritum, coemtione facta, non etiam mulierem, dominam facit? Ego vero, etiam mulierem dominam bonorum mariti fuisse, dico. Ait enim Macrobius, *lib.* 1. *Saturn. cap.* 15. ex *Verrio Flacco*, postera die nuptiarum mulierem dominium rerum mariti incipere adipisci. Et existimavit Plutarchus, *libro de præceptis connubialibus*, ideo donationes inter virum & uxorem prohibitas fuisse a Romanis, quod omnia communia judicarent: ob eamque causam anulos & claves domus ab initio tradi, ex supradictis notum est. Sed in eo hæc erat differentia, quod maritus, tanquam pater, administrationem habebat: mulier vero, quæ loco filiæ erat, non nisi *κατ' ἐλπίδα* dominium adipiscebatur, ut post mortem viri in ejus familia jus bonorum haberet, & in sui heredis locum veniret. ut asserit Agellius *lib.* 18. *cap.* 6. Quod Paulus, *in l.* 1. *D. rer. amator.* sic notat: Quia societas vitæ quodammodo dominam eam faceret. ideo furtum tantum facere, sicuti filia patri faciat. quia, inquit Cajus, *lib.* 3. *Inst.* marito filiæ, filio vero sororis loco erat. & est illis in consanguineorum numero. adgnascitur enim heres suus, in manum conveniendo, ut ait Ulp. *tit.* 22. & 23. *reg.* ita ut in illis evidentius appareat continuatio dominii. *l. in suis. D. de lib. & post.* Et id eleganter ex Romulo retulit Dion. Hal. *Σωφρονοῦσα μὲν οὖν, καὶ πάντα τῷ γεγαμηκότι πειθομένη γυνὴ, κυρία τοῦ οἴκου τὸν αὐτὸν τρόπον ἦν, ὅνπερ καὶ ὁ ἀνὴρ, καὶ τελευτήσαντος τοῦ ἀνδρὸς κληρονόμος ἐγίνετο τῶν χρημάτων, ὡς θυγάτηρ πατρὸς, εἰ ἄπαις τε καὶ περὶ μηδενὸς διαθέμενος ἀποθάνοι, πάντων οὖσα κυρία τῶν ἀπολειφθέντων. εἰ δὲ γενεὰν ἔχοι, τοῖς παισὶν ἰσόμοιρος γινομένη.* *Frugi mulier, & in omnibus morigera viro, domina est eodem modo domus, quo vir, & moriente marito ejus heres, tanquam filia patris. Si sine liberis, & nullo testamento facto moriatur, omnium, quæ reliquit, domina. Si vero liberos edidit, æqualem liberis partem accipit.* Sic e contrario, si prior decederet mulier, habebat maritus, tanquam pater, jus successionis. quemadmodum innuit Cicero *pro Flacco*, argumento sumto a contrario sensu: cum ait, jure Flaccum hereditatem Valeriæ petere, quamvis in manum Sextilii convenisset; quia ea conventio, & dotis dictio sine ejus, qui tutor erat, auctoritate facta erat. Itaque non est Boethius reprehendendus, cum asserit, uxore, quæ in manum viri convenerat, defuncta, bona ad virum pertinere. Verum est tamen, successu temporis patres sibi cavisse, ac filias spondendo contraxisse fiduciam, *§. ult. Inst. de leg. adgn. success.* ut, si sine liberis eæ morerentur, ad eos rediret hereditas, *l.* 3. *C. Th. de leg. hered.* aliter enim maritus erat heres, ut notat Servius, *lib.* 7. *Æneid.* ad hæc verba:

*—— Externusque in regnum quæritur heres.*

*De Jure*, inquit, *traxit, ut non generum, sed heredem diceret. nam per coemtionem facto matrimonio sibi invicem succedebant.* Sed non puto, *ex l. nulla. D. de suis & legit.* induci puto, posteriori jurisprudentia hoc jus successionis mutatum fuisse: imo, successiones, quæ ex S. C. Tertulliano & Orficiano deferebantur, ad eas tantum, quæ usu ductæ erant, pertinuisse, existimo.

CAP. XXVII.

*Qualis esset communio cum uxore usu ducta.*

QUod si usu tantum esset ducta uxor, nullam fuisse inter eos societatem, verisimile est; nisi in quantum inter eos conventum erat. Itaque mulier doti dicebat, vel omnia sua bona, vel eorum tantum partem, prout libitum erat: *l. nulla lege. C. de jur. dot. l. mulier bona. D. eod. tit.* Dotis vero hæc erat natura, qualis pacto conventa esset. Pacta enim dotalia, quæ dotis conditionem deteriorem non reddunt, servanda constituerunt. *l. 1. D. de pact. dot.* Quod si pacto nihil conventum fuisset, jura dotium constituta erant. Quæ, ut in pauca conferam, talia erant, ut nimirum dos proprium patrimonium sit uxoris. *l. 3. §. ego etiam. D. de minorib.* & ea dote maritus utatur ad onera matrimonii sustinenda. Aliter enim, dote non præstita, inter virum & uxorem de alimentis pactio fiebat. *l. fin. D. de in rem vers. l. creditor. §. si inter. D. mandat.* idque constante matrimonio. Quamvis enim dotis causa perpetua esset, & cum voto ejus, qui dabat, ita contraheretur, ut semper apud maritum esset *l. 1. D. de jur. dot.* tamen, ut ait Cic. *in Topicis*, maritus ea bona dotis nomine, id est, in bonis suis ea tantum habebat. *l. quamvis. D. de jur. dot.* Nam licet dos a veteribus inter donationum species adnumeretur. *l. ult. C. de donat.* tamen verius est, esse contractum. *l. contractus. 32. D. de regul. jur.* Et ideo servum dotalem, heredem institutum, potest quidem maritus jubere, ut is vel adeat vel repudiet, modo nihil deminuat ex dote: eaque in re consultum erat, uxorem coram testibus interrogari. *l. servus dotalis. 58. D. sol. matrim.* Soluto itaque matrimonio intererat, an mulier esset sui juris, an in patris potestate, si divortio solveretur matrimonium: quia mulier, nisi causam divortio præbuisset, ea, quæ sui juris erat, repetebat dotem, sive adventitia esset dos, sive profectitia. Ulp. *tit. 6. regul. l. qui hominem. 34. §. si gener. D. de solut. l. si alienam. C. solut. matrim.* Si vero in patris esset potestate, pater agere poterat adjuncta tamen filiæ persona. *l. 2. 3. & 4. D. sol. matr.* Idemque jus erat, si morte mariti dissolveretur matrimonium. *l. ult. C. de jur. dot. l. ult. solut. matr.* Si vero uxor prior mortua fuisset, nihil intererat, an filiaf. uxor, an sui juris decessisset. Quamvis aliter posset colligi ex rescripto Alexandri Imp. *in l. 4. C. solut. matr.* Sed differentia erat, an esset dos profectitia, an adventitia. Profectitia ad patrem redibat, vel ad ejus heredes: *l. 4. C. de fals. caus. adject.* quintis in singulos filios in infinitum penes virum relictis. Ulp. *tit. 6.* Posteriori tamen jure aliter liberis prospectum fuisse, constat *ex l. unica. §. accedit. C. de rei uxor. act.* Dos vero adventitia semper, inquit *prædicto titul.* Ulp. apud maritum remanebat; nisi is, qui eam dederat, stipulatus fuisset eam sibi reddi. *l. mortis causa. 31. §. 2. vers. sed & dos. D. de donat. mort. caus.* Liberis tamen deinde etiam aliter prospectum est. *C. de bon. quæ lib.*

CAP. XXVIII.

*Quis uxoris usurariæ tutor esset.*

SEd cum mulier sui juris in perpetua tutela esset, dubitatur, quis ei mulieri usu ductæ tutor esset, an extraneus, an maritus. Loquimur de cessico tutore. Nam de pupillæ tutore, quæ nubere non poterat, nulla potest esse dubitatio. Et, cum

A ille cessicus tutor idem ac curator esset, maritum non fuisse, verisimile est, cum curator esse non posset. *l. 2. C. qui dari tutor. l. virum. D. de curat. fur. l. 4. C. de excusat. tut.* Sed & nec mariti pater, ne labem pudoris contrahat. *l. licet. C. de excus. tut.* Nam & Ulp. *tit. 22. regul.* ait ex l. Julia de maritandis ordinibus, ei mulieri, quam ex hac lege nubere oportet, tutorem dari, si legitimum tutorem non habeat, ad dotem dandam, dicendam, promittendamve. Sed & non tantum ad dotem dandam nupturæ, verum etiam ei quoque quæ jam nupta est: sed & ad dotem augendam datur, & mutandæ quoque dotis gratia curator dari potest.
B *l. non tantum. D. de tut. & curat. dat.* Et hic dicebatur specialis curator. *l. mulier. C. de jur dot. ut & in l. sive generali. D. de jur. dot.* Imo & furiosæ uxori non maritus, sed alter datur. *l. si cum dotem. §. sin autem D. sol. matrim. l. 2. C. si sæp. in integr.* Et tutor ejus, quæ nupsit, admonetur, ut ei curatorem petat, quo maturius possit rationem reddere administrationis. *l. admone. 7. C. qui pet. tut. vel. curat.* At posset objici his verbis Ulpiani, tutorem dari ad dotis constitutionem, ne maritus in rem suam auctoritatem præberet; non etiam ad cetera bona administranda, cum nupserit. quo fit,
C ut, cum mulier sui juris sine tutore esse non posset, maritus videatur ei tutoris, vel, posterioribus temporibus, curatoris loco fuisse: cum etiam Just. *in §. pen. Inst. de excusat. tut.* dicat, *maritum, uxori suæ curatorem datum, excusare se posse, licet se immisceat.* Ego puto, tutorem quidem cessicum, sive curatorem, maritum non fuisse; nihilominus tamen res uxoris administrasse, nisi aliter convenisset. Quod significare mihi videntur hæc verba Justiniani, *licet se immisceat*: cum præsertim, qui tutor erat cessicus, sive curator, non negotia gerere, sed auctoritatem tantum mulieri jam adultæ præstare debeat. Cic. in Top. *Non, quemadmodum,*
D *quod mulieri debeas, recte ipsi mulieri sine tutore auctore solvas; ita, quod aut pupillæ aut pupillo debeas, recte possis eodem modo solvere.* Quibus verbis constat, longe alia ratione mulierem esse in tutoris potestate quam pupillum, ut ait Ulp. tit. 11. *Hi*, inquit Cicero, pro Mur. *invenerunt genera tutorum qui potestate mulierum continerentur.* Et sane, nisi in rebus, quæ παράφερνα dicebantur, tutoris nulla poterat esse auctoritas. At hæc vel viro sic dabantur, ut ejus essent, quamdiu matrimonium duraret: vel horum custodia per libellum ei tradebatur, ut uxor ad sustentationem sui, quasique peculium, eo uteretur. *l. si ego Sejæ. D. de*
E *jur. dot. l. 3. C. ne ux. pro mar.* Quo casu etsi prohibente muliere nullum sit jus marito in his se immiscere: *l. hac lege. C. de pact. conv.* tamen verisimile est, non prohibente administrasse. *l. ult. C. de pact. conv. l. maritus. C. de procurat. l. pen. D. ad l. Falcid.* aut saltem auctoritatem administranti mulieri præstitisse. Itaque videmus, apud maritum duplicis juris peculium plerumque fuisse. Utputa, si servus est dotalis, potest habere peculium, quod ad virum respicit, & quod ad mulierem. *l. hinc quæritur. §. 1. D. de pecul.* Et hoc eo cautius observandum erat, ne, si quid ad eam ex hujusmodi contractibus inscio marito pervenisset, turpis quæstus æstimaretur. *l. Quintus*
F *Mutius. D. de donat. int. vir. & ux.* Quod est eleganter a Plauto dictum *in Casina*, his verbis:

*—— Nam peculi probam nihil habere addecet*
*Clam viro: & quod habet partum, ei haud commodi est,*
*Quin viro aut subtrahat, aut stupro invenerit.*

Et est quod Dion. Hal. *in proœmio* περὶ τῶν ἀρχαίων ῥητόρων πραγματείας *de oratoribus antiquis* ait: Ἐν οἰκίαις ἡ μὲν ἐλευθέρα καὶ σώφρων γαμετὴ κάθηται, μηδενὸς οὖσα τῶν αὑτῆς κυρία. ἑτέρα δέ τις ἄφρων, ἐπ' ὀλέθρῳ τοῦ βίου παροῦσα, πάσης ἀξιοῖ τῆς οὐσίας ἄρχειν. *In domo ingenua & frugi sedet uxor ingloria, cui omni supellectilis usu est interdictum: vecors vero pellex, quæ alterius necem machinatur, omnem supellectilem invadit.* Et tamen apertissimi juris est, uxorem, inscio marito, & donare & hypothecam constituere potuisse. *l. velles. C. de revoc. don. l. si uxor. C. de pign.*

## CAP. XXIX.

### *De sacrificiis nuptialibus.*

NE quid vero eorum, quæ ad ritus nuptiales pertinent, prætermisisse conqueri quis possit, pauca hic addere operæ pretium visum est, quæ ad jus nostrum minus pertinere videntur: quæ si etiam eruditioni ac doctrinæ Barn. Brissonii omnes accepta referant, non invidebo. Nam & in istis, ut in ceteris, si quæ sunt a nobis fortassis superaddita, manum lucemque præbuisse profiteor. Sponsa igitur domum viri ingressa, tota dies nuptiarum in sacrificiis, conviviis & saltationibus transigebatur. Quapropter ea die vir, & ea quæ nubebat, in jus vocari non poterat. *l. 2. D. de in jus voc.* Debebant enim hac die litibus ac molestiis supersedere. Sacrificia autem silentio prætermittenda non sunt. Haud enim aliter faustum felixque matrimonium putabant Romani, nisi more solenni antea libassent. Sed, quia multa sunt & varia, præcipua si enumeraverimus, huic nos operi satisfecisse, existimabimus. Primum itaque, teste Varr. *lib. 2. De re rustica*, porca immolabatur, quasi eo sacrificio, diis testibus, fœdus matrimonii bene
D cessurum, & inviolabile futurum, promitterent conjuges. *Nam & mulieres*, inquit Varro, *maxime nutrices, naturam, qua feminæ sunt, in virginibus adpellant porcam, & Græci* χοῖρον, *significantes, esse dignam nuptiarum.* Aristoph. itaque *in Acharn.* sic ludit in ambiguo χοίρου vocabulo: cum, pro porcis juvencis Magareus sublatis puellæ vestibus, ostenso pudendo, ait: Ἦ οὐ χοῖρος ἔσθ' ἅδε, Ἑλλάνων νόμῳ; *An non hæc est porcella Græcorum instituto?* Nam porca δέλφαξ dicebatur, inquit Athen. *lib. 9.* Αἱ θήλειαι οὕτω λεχθεῖεν ἄν, αἱ δελφύας ἔχουσαι. οὕτω δὲ αἱ μῆτραι καλοῦνται. καὶ οἱ ἀ-
E δελφοὶ ἔνθεν ἐτυμολογοῦνται. *Feminæ sues sic proprie dicuntur, quæ habent uteros. Sic vocantur vulvæ, unde & derivatur* ἀδελφὸς, *frater uterinus.* Inde etiam Hesych. δελφάκιον pudendum muliebre esse ait. Quod, cum nondum pæne adolevit, sed est adhuc tenerum & delicatum, est tamen ὡραῖον γάμου, *maturum nuptiis*, χοῖρον adpellant; significantes, puellas dignas esse nuptiarum, licet nondum sint δελφύας ἤγουν μήτρας ἔχουσαι, μηδὲ συμπεπηγυῖαι τοῖς σώμασι. *uteros habeant, nec corpore sint bene compacto.* Quod Eustath. *in Hom.* Ὀδ. ξ latius explicat. Ideo autem porca immolabatur, quod nullum sit animal adeo libidini deditum. Eu-
F stath. *in Hom. Illiad.* τ. Καὶ γὰρ ὁ χοῖρος καταφερὴς εἰς ἀφροδίσια. ὅθεν καὶ κάπραινα, γυνὴ ἡ ἐργῶσα πρὸς μίξεις· καὶ καπρᾶν, κυρίως, τὸ ὀρέγεσθαι κάπρου τὴν ὗν. *Porca est valde cupida veneris. unde & κάπραινα dicitur mulier cupida concubitus. proprie καπρᾶν dicitur de porca, quæ appetit porcum.* Sic *in Il.* λ ait: Ὅθεν, ἡ γυνὴ καπρῶσα, ἡ ἀσελγὴς, δηλοῦσιν οἱ παλαιοί. διὸ καὶ τῇ Ἀφροδίτῃ ὗς ἐθύετο, καὶ μάλιστα παρ' Ἀργείοις. παρ' οἷς καὶ ἑορτὴ Ἀφροδίτης, τὰ ὑστήρια. *Unde & mulier libidinosa dicitur* καπρῶ-

A σα, *ut ostendunt veteres. Propterea & Veneri sacrificant sues, maxime apud Argivos. Apud quos etiam festivitas Veneris* ὑστήρια, *hoc est, suilla, dicitur.* Ea item ratione fieri id sacrificium Varro paulo ante declarat: *Ab suillo*, inquit, *pecoris genere immolandi initium primum sumtum videtur: quod initiis Cereris porci immolarentur: & quod initiis pacis, fœdus cum feritur, pecus occiditur, & quod nuptiarum initio antiqui reges ac sublimes viri in Hetruria, in conjunctione nuptiali, nova nupta & novus maritus, primum porcam immolabant: prisci quoque Latini, & etiam Græci. In Italia idem factitatum videtur*, &c. His ego lubens addide-
B ro, fortasse porcam immolari initio nuptiarum, ut in suscipiendis liberis adeo fecunda esset nupta, ut scropha quæ porcos triginta pepererat. Æneid. 8:

> —— *Ingens inventa sub ilicibus sus,*
> *Triginta capitum fetus enixa.* ——

Hinc enim *grundiles lares* dictos esse testantur, apud Diomedem Claudius *Annal. lib. 15.* & Cassius *in secundo historiarum.* Junoni etiam sacrificabatur, cum cingulo nova nupta præcingeba-
C tur. Unde Juno dicta *Cinxia*. Virgil. lib. 4. Æneid.

> *Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ.*

Et Statius:

> —— *Dat Juno verenda Vincula.* ——

Dianæ etiam sacrificasse virgines, eique zonam dedicasse, refert Suidas: quod primum parturientibus adtribuit Græcus commentarius. *lib. 1. Argon.* Deo item Eutino, aut, si mavis, Mutino, sacrificabant. de quo facit mentionem Lactant. *lib. 1. cap. 20.* ferturque, eam, quæ nuptura erat, in ejus sinu sedere debuisse.

## CAP. XXX.

### *De sacris nycteliis.*

ERant etiam antiquitus sacra nyctelia, quæ nocte celebrabantur. Quæ tamen pop. Romanus, inquit Serv. *lib. 4. Æneid.* exclusit, causa turpitudinis. Ea fortassis erant, quæ ab Augustino enumerantur. *lib. 6. de Civ. Dei. cap. 9.* Quorum quatuor extra cubiculum, omnibus adstantibus, peragi solebant. sc. deo Jugatino, ut mas & femina conjungerentur: Domiduco, ut sponsa domum sine læsione duceretur: Domicio, ut sponsus in domo libenter esset: deæ Maturnæ, ut cum viro libenter sponsa maneret. In cubiculo autem quinque dii secreto, ne paranymphis quidem præsentibus, colebantur. Una erat Virginensis dea, ut libenter supponeretur. tum Prema dea, ut subacta se non male moveret, & recte comprimeretur. tertia dea Pertunda, ut sponsus concuteret, & penetraret. quarta dea Venus, ut utrique creandæ prolis fervor adesset. postremus erat Priapus, ut viri vena virilius insurgeret: supra cujus ingens simulacrum, in sublimi loco positum, sponsa, priusquam cubitum iret, sedere jubebatur, ut illius virtutem jam tum in se reciperet. Et hi *jugales dii* dicebantur. Symmach. epist. 24. lib. 3. *Cum tibi comperi jugales deos matremfam. copulasse.* Ergo iis & aliis modis dies nuptiarum transigebatur, adhibitis etiam saltationibus, compotationibus, & ceteris, quæ ex more, inquit Apul. *Apol. 2.* maritis obeunda erant. Sponsus enim, cum quibusdam amicis (quos Fulgentius *de prisc. serm.* ait *simplones* vel *simpulones* ad-

adpellatos fuisse, a *simpulo*, id est, vase quo vinum porrigebatur, quemadmodum retulit Festus) per convivia ambulabant, ut convivis vinum porrigerent, venientes salutarent, ad cœnam invitarent, adventum gratularentur. Sane enim, licet multæ leges sumtuariæ Romæ latæ fuerint, constat tamen ex Agellio, aliquid ultra his diebus concessum fuisse. *lib.* 2. *cap.* 24.

## CAP. XXXI.

*De deductione in cubiculum mariti.*

CUm igitur nox advenisset, in cubiculum mariti deducebatur; quemadmodum ex Varr. refert Servius *in* 8. *ecl. Virg.* Et hujus rei fit mentio *in l. cui fuerit, D. de cond. & dem.* Et hoc patrimorum munus fuisse, declarat Plutarch. *in Romulo*, ubi maritus, ejus comam hastæ cuspide distinguebat. Cujus rei causas varias, idem auctor, *in probl.* & Fest. referunt. Unde Ovid. in Fast.

*Comat virgineas hasta recurva comas.*

Tum prætextati patrimi & matrimi eam dimittebant, & pronubæ in lecto collocabant. quod notat sic Catullus:

*Mitte brachiolum teres,*
*Prætextate, puellulæ.*
*Jam cubile adeat viri.*
*Vos unis senibus bonæ*
*Cognitæ bene feminæ*
*Collocatæ puellulam.*

Lectus autem rosis contextus erat, *genialisque* adpellabatur, *a generandis liberis*, inquit Servius, *lib.* 6. *Æneid.* & nuptiis sternebatur in honorem Genii, ut est apud Festum, & Arnob. *lib.* 4. *contragentes*. Ejusque meminit Cicer. *pro Cluentio* & Juven. *Sat.* 10. Cum vero nova nupta in lecto collocata esset, ac ad eam maritus accessisset, ut clamor, qui nonnunquam a virginibus in primo conflictu edi solet, exaudiri non posset, epithalamia a suis sociis virginibus canebantur. Quorum quidem duo erant genera: alterum enim accinere solebant vespere, quod κατακοιμητικὸν Græci vocabant: alterum vero sub aurora, quod ideo διεγερτικὸν dicebatur, ut explicat Scholiastes Theocr. *eid.* 3. In eumque usum etiam nuces pueris spargi solitum fuisse, testatur Festus; ut illis intenti tumultu ac strepitu omnia implerent. Varro tamen, *lib.* 1. *de ling. Lat.* ait, spargendarum nucum hanc fuisse rationem, ut Jovis omine matrimonium celebraretur, ut nova nupta matrona sit, sicut Juno. (quæ nunc sorore dulcior est, inquit Capella *lib.* 9.) nam nuces sunt in tutela Jovis. Unde *juglandes* vocantur, quasi *Jovis glandes*, inquit Serv. *ecl.* 8. Sed hæc mihi videtur probabilior ratio, quod videbatur maritus puerilia omnia relinquere. Virg. ecl. 8.

*Sparge, marite, nuces,*

Et Catullus:

*Da nuces pueris, iners*
*Concubine: satis diu*
*Lusisti nucibus: lubet*
*Jam servire Thalassio.*
*Concubine, nuces dato.*

Hæc sunt quæ putavi non omittenda in describendis nuptiarum ritibus. Si quis plura ex Ausonii Fescenninis versibus, aut aliorum poetarum jocis, adjecerit, non invidebo. Interim liceat mihi cum Statio dicere:

*Hic fuit ille dies: noctem canat ipse maritus,*
*Quantum nosse licet.* ——

# FINIS.



# FRANCISCUS HOTMANUS, J.C.

DE

# SPONSALIBUS

DE

# VETERI RITU NUPTIARUM

*ET*

# JURE MATRIMONIORUM

ITEM

# DE SPURIIS ET LEGITIMATIONE.

# INDEX CAPITUM.


DE

## SPONSALIBUS.

CAP. I.

*Notatio nominis, & definitio sponsaliorum, proponitur & explicatur.*

CAP. II.

*De personis quæ sponsalia contrahere possunt.*

CAP III.

*De septuplici sponsaliorum forma, ritu & solennitate.*

CAP. IV.

*De multiplici jure sponsaliorum, eorumque cum nuptiis differentia vel communione.*

CAP. V.

*De jure sponsaliorum, ex lege Mosaica, & Christianorum, tam Græcorum, quam Latinorum, institutis.*

CAP. VI.

*An recte sponsalia inter impuberes contrahi possint: itemque inter absentes. ex jure Christiano.*

CAP. VII.

*De formulis sponsaliorum, qua vulgo dicuntur* verba de futuro, *&* verba de præsenti, *adversus Canonistas instituta disputatio.*

CAP. VIII.

*Altera contra Canonistas disputatio de sponsalibus, quæ vel pure, vel sub conditione & in diem contrahi dicuntur.*

DE

## RITU NUPTIARUM

ET

JURE MATRIMONIORUM.

CAP. I.

*Matrimonium inter, & nuptias, differentia, & utriusque definitio proposita.*

CAP. II.

*De personis, quæ contrahere nuptias possunt: ubi de ætate, statu, patria, & conditione earum differitur.*

CAP. III.

*De patria potestate, patrumque in nuptiis consensu, & auctoritate tutorum: sed primo de rectoribus provinciarum.*

CAP. IV.

*De adoptione, quæ nuptias vel impedit, vel non impedit.*

CAP. V.

*De jure cognationis, quoad nuptias, ex jure civili Rom.*

CAP. VI.

*Intra quem cognationis gradum pie contrahi conjugia possint.*

CAP. VII.

*Legis divinæ capita, quæ ad nuptias cognatorum pertinent, exposita.*

CAP. VIII.

*Decreta ex lege Dei, ad nuptias adfinium pertinentia.*

CAP. IX.

*Index nominum cognationis, eorumque expositio.*

CAP. X.

*Index nominum adfinitatis, eorumque inter se relatio.*

DE

## SPURIIS,

ET

LEGITIMATIONE.

CAP. I.

*Spuriorum definitio, nominis notatio, & divisiones multiplices.*

CAP. II.

*De concubinis, & earum jure.*

CAP. III.

*De spuriorum & nothorum jure veteri & novo.*

CAP. IV.

*De nothorum paternis & maternis hereditatibus.*

CAP. V.

*An nothi, ex nobilibus nati, nobilitatem retineant.*

CAP. VI.

DE LEGITIMATIONE.

*Et quatuor tractatæ quæstiones in hoc argumento.*

CAP. ULT.

*An Christianis concubinas habere liceat.*

# FRANCISCUS HOTMANUS, J.C.

# DE

# SPONSALIBUS.

## CAP. I.

*Notatio nominis, & definitio ſponſaliorum, proponitur & explicatur.*



Ponſalia a *ſpondendo* dicta eſſe, video inter omnes convenire: propterea quod veteribus plerumque moris fuit, ſtipulari & ſpondere ſibi uxores futuras. Unde *ſponſorum* & *ſponſarum* nomina: ut ait *l. 1. l. 2. l. 3. D. h. t.* Quod idem Ser. Sulpicius tradit apud Agell. *lib. 4. cap. 4.* Ejuſque conſuetudinis exſtant exempla. *in l. ſi ſtipuler. 35. ſ. 1. D. de verb. obl.* & apud Plautum in Pœnulo:

A. *Audin'tu patrue? dico, ne dictum neges,*
*Tuam mihi majorem filiam deſpondeas.*
P. *Pactam rem habeto.* A. *Spondeſne igitur?*
P. *Spondeo.*
A. *Mi patrue, ſalve. nam nunc es plane meus.*

Item in Trinummo:

Lyſ. *Sponden' ergo tuam gnatam uxorem mihi?*
Char. *Spondeo, & mille auri Philippum dotis.*
Lyſ. *Iſtac lege filiam tuam ſponden' mihi uxorem dari?*
Char. *Spondeo.* Lyſ. *Et ego ſpondeo idem hoc.*

Dixi autem, *plerumque* interponi ſtipulationes. Nam interdum, etiam antiquiſſimis temporibus, ſola pactione, & conſenſu nudo, ea conventio fiebat. Unde *pactæ* puellæ dicebantur. ut *l. 2. l. 4. C. h. t. l. 4. l. 5. l. ult. D. eod. l. 7. C. de donat. ant. nupt.* Tametſi nulla ſtipulatio ſine præcedente pacto contrahatur. *l. 1. ſ. pen. D. de pact.* Qua de re poſterius, ubi de ſponſaliorum forma differemus, planius exponetur. Definiuntur autem a Modeſtino Sponſalia hoc modo: *Mentis & repromiſſio futurarum nuptiarum. l. 1. D. eod.* Ubi jampridem docuimus, Græcum hominem *mentionem* dixiſſe, pro eo quod Græci dicunt μνηστὴν vel μνηστείαν. Quod cum Orientales vel non viderent, vel fortaſſe ne idem per idem explicarent, locum illum ſic converterunt: Μνηστεία ἐστὶ μνήμη καὶ ἐπαγγελία τῶν μελλόντων γάμων. Quod adverſatur conſtitutioni Juſtiniani, qua ſanxit, ne mentio, id eſt, commemoratio nuptiarum, ſine matrimonio ſubſecuto ullius momenti habeatur. *l. ſancimus. 24. C. de nupt.* non magis ſcilicet, quam mentio & collocutio de

A vendendo, vel locando, vel ſocietate contrahenda. Quare, cum iſtarum collocutionum & (ſi loqui ſic volumus) mentionum jus nullum ſit; abſurdum eſſet, quidquam illis obligationis tribuere. Definiri etiam poſſunt, *Mutua repromiſſio*: item, *Pactio vel conventio futurarum nuptiarum* Ulpianus *ſpem matrimonii* adpellat. *in l. ſi uxor. 13. ſ. 1. D. ad leg. Jul. de adult. l. 6. D. h. tit.* Vetuſtiſſimo jure definiri poterunt *contractus*. Atque ita nominatim adpellantur a Ser. Sulpicio, eo, quem diximus, loco: propterea quod civilis obligatio ex ſponſione mutua contrahebatur: ex eaque actio ex ſponſu antiqua lege (opinor 12. tabul.) comparata erat.
B Poſteriore jure definiri contractus non poſſunt, quoniam efficax nulla ex iis contrahitur obligatio; tantaque perditis reip. temporibus repudiorum libertas inducta eſt, ut ne ſubjecta quidem pœnæ ſtipulatione actio concederetur: quemadmodum poſterius ſuo loco demonſtrabimus. Feſtus *conventam conditionem* adpellat. *Cum primus ſermo*, inquit, *de nuptiis & earum conditione habetur.* Quod de mentione intelligi non poteſt, cujus nullum, ut dixi, jus fuit: ſed potius de pacto ſponſaliorum. Nam in ſponſalibus nuptiarum pactiones fiebant, & de do-
C te, donationibus, & promiſſionibus, & conditionibus quibuſdam conveniebat. Qua de cauſa paſſim *conditiones* vocantur. velut *in l. capite. 19. D. de rit. nupt. l. ult. D. h. tit. l. 3. D. de proxenet. l. 2. D. de repud.* Arnob. adverſ. gent. *Uxores dii habent, atque in conjugalia fœdera conditionibus veniunt ante quæſitis.* Ea denique de cauſa ſponſaliorum nomine interdum donationes propter nuptias ſignificantur, ut *in l. 2. C. de ſecund. nupt.* interdum arrhæ ſponſalitiæ. de quibus poſterius ſuo loco diſſeretur. ut *in Rub. C. ſi rect. provinc. vel ad eum pertin. ſponſalia dederint.* itemque *in l. 6. C. Th. de*
D *ſponſal. l. 1. C. Th. ſi nupt. ex reſcript. pet.*

## CAP. II.

*De perſonis quæ ſponſalia contrahere poſſunt.*

PORRO, cum unica ſit ſponſaliorum ſpecies, atque idcirco eorum nulla diviſio ſit; nunc jam ad partitionem, inſtituto noſtro accedemus. Quam tripertitam eſſe oportet: ut primo loco de perſonis, inter quas ſponſalia jure contrahuntur; ſecundo de forma ſponſaliorum; ad extremum de eorundem jure, differamus. De perſonis regula
E hæc traditur: ut, cum qua nuptiæ contrahi non poſſunt, plerumque nec eam deſponderi liceat. *l. ſi quis tutor. 60. ſ. 5. D. de rit. nupt.* Cur autem *plerumque* dictum ſit, ſub finem hujus capitis exponemus. Nam illi regulæ hæc ſubjicienda eſt: *Cum ſponſalia conſenſu conſtent, removeri ab illis eas perſonas, quarum conſenſus, voluntas, intellectus*

nullus eſt. Quo in numero primi referuntur *infantes*, hoc eſt, ſeptem annis minores; qui, quod agitur, non intelligunt. *l. in ſponſal.* 14. *D. h. tit.* Quod etiam Leo Philoſophus confirmavit. *Novel.* 109. Poſt eam ætatem recte ſponſalia, parentibus auctoribus, contrahuntur: ita tamen ut puberum factorum voluntas in contrahendis nuptiis accedat. *l.* 2. *D. de rit. nupt. l.* 134. *D. de V. O.* Ex quo intelligitur, non ſervatum jus ab Auguſto Imperat. inſtitutum. Nam, cum lege Papia Popæa maritis præmia conſtituta eſſent, nonnulli (ut Dio *lib.* 54. ſcribit) infantes ſibi puellas deſpondebant, ut illius legis præmiis fruerentur. Itaque Auguſtus, cum, immaturitate ſponſarum, & matrimoniorum crebra mutatione, vim legis eludi ſentiret; tempus ſponſas habendi coarctavit. Vetuit enim, ne quam habere ſponſam liceret, niſi quam biennio poſt uxorem habere per ætatem liceret, ut Sueton. teſtatur: hoc eſt, non niſi jam annos 10. natam. Quam Auguſti legem etiam Zonaras commemorat. Ad eundem numerum referendi quoque ſunt *furioſi* & mente capti, qui plerumque, propter eundem conſenſus & voluntatis penuriam, infantibus comparantur. *l.* 1. *§. ult. D. de obl. & act. l. furor.* 8. *D. h. tit.* ubi, cum Paulus ait, furorem poſt ſponſalia ſupervenientem non infirmare ſponſalia, ſignificare videtur, jus ſponſaliorum durare: quaſi pœna, repudiis ſine cauſa factis impoſita, ſponſalia propter furoris cauſam repudianti infligatur: dum tamen dilucida intervalla furor habeat, quo tempore contrahi etiam ſponſalia atque alia negotia licere, ſatis conſtat *ex l.* 2. *C. de contr. emt.* Nunc de *liberis*, qui in poteſtate parentum ſunt, videamus. Ergo filii filiæque fam. neque ſine ſuo, neque ſine parentum conſenſu, obligari ſponſalibus poſſunt. De ſuo, hæc ratio eſt, quoniam etſi antiquo jure vendi emancipari que patris arbitratu poterant; tamen, quoniam jus matrimoniorum non mere civile, ſed magna ex parte pontificium erat, & ſanctum habebatur (ut ſuo loco docebimus) propter ſanctitatem matrimonii, etiam filiorum filiarumque fam. conſenſus requiſitus eſt: adeo ut conſponſiones parentum ſine liberorum adſtipulatione, qamvis adjecta pœna fuiſſet, nullius momenti haberentur. *l. Titia.* 134. *D. de verb. obl. l. ſponſalia.* 11. *& l. filiof.* 13. *D. h. t. l.* 2. *D. de rit. nupt.* quanquam non tam requiritur ut conſentiant, quam ne juſta ex cauſa contradicant; veluti ſi turpem aut alioqui indignam adfinem pater elegerit. *l. ſed quæ.* 12. *D. h. tit.* qua de cauſa etiam liberorum taciturnitas hoc caſu pro conſenſu numeratur. *d. l. ſed. quæ.* contra quam in procuratore conſtituendo. quod ſumme notandum eſt. *l. filius.* 8. *§. invitus. D. de procur.* De parentibus, civilis, civilis, inquam, non naturalis, hæc cauſa eſt; ne cui invito ſuus heres adgnaſcatur. *l ſi ut proponis* 5. *C. de nupt.* pontificalis, illa; ne ſacrorum ſocia patriſa invito adſciſceretur. Nam propria & privata cujuſque familiæ ſacra fuerunt: uxor autem in ſacrorum viri communionem admittebatur. Mixta igitur hæc cauſa fuit, ne qua patreſa. invito in divini atque humani juris communionem admitteretur. *arg. l.* 1. *D. de rit. nupt.* Parentis igitur, cujus in poteſtate is, eave, cujus de ſponſalibus agitur, conſenſus requiritur, vel potius adprobatio, ſive expreſſa, ſive tacita. Nam & ratihabitio, & taciturnitas parentis, pro conſenſu habetur. *l.* 7. *in fin. D. h. t.* Atque hæc quidem de liberis, qui ſub parentum manu ac poteſtate ſunt. Nam emancipati, jure civili parentum auctoritatem non deſiderant, *l. in poteſtate.* 10. *D. h. t.* Qua de cauſa, ne matris quidem, aut ejus parentis, cujus in poteſtate non ſunt, auctoritatem filii filiæve exſpectant. *l.* 2. *l.* 25. *D. de rit. nupt.* Quamquam honeſtas, quæ in conciliandis nuptiis maxime ſpectatur, matris & propinquorum arbitrium deſiderat. Quodſi inter illos non conveniat, præſidis arbitrium deſideratur. *l.* 1. *C. de nupt.* Deinceps de iis, qui ſub tutela ſunt, videamus. De *pupillis* igitur hoc jus eſt, ut eorum conſenſus omnino requiratur, neque a tutoribus, niſi conſentientes, obligari promiſſione nuptiarum futurarum poſſint. *l.* 6. *in fin. D. h. tit.* non magis quam ipſi ſeſe inter ſe ſine tutorum auctoritate obligare. ut paulo poſt intelligitur. Jam vero, tutorum auctoritatem in pupillorum ſponſalibus requiri, vel hinc exiſtimari poteſt, quod pupillus ſine tutore auctore non modo civiliter obligari non poteſt, ſed ne naturaliter quidem. *l. pupillus.* 59. *D. de oblig. & act. l. quod pupillus.* 41. *D. de condict. indeb.* præſertim ſi locupletior ea obligatione non fiat. *l. naturaliter.* 13. *§. ultim. & l. ſeq. D. de tit.* Cum autem tutor, aut curator, auctor in rem ſuam eſſe non poſſit; ſequitur, ut neque tutori neque curatori liceat ſponſalia cum ea vel ſibi vel filio ſuo contrahere, cujus tutelam curationemve gerit geſſitve: ne rationum reddendarum obligatio conturbetur. *l. tutor.* 15. *in fin. D. h. t. l. ſi quis tutor.* 60. *§.* 5. *D. de rit. nupt. l.* 5. *C. de int. matr.* Cum autem bonis, non perſonæ, curatores dentur; conſentaneum eſt, ne illorum in ſponſalibus aut nuptiis contrahendis auctoritas requiratur, non magis quam propinquorum aut adfinium. *l. in copulandis.* 8. *C. de nupt. l. ſciendum.* 20. *D. de rit. nupt.* Ad hunc locum pertinet earum perſonarum conditio, quæ in provinciis domicilium habent, & eorum poteſtati, qui officium aliquod in iis adminiſtrant, quodammodo ſubjectæ ſunt. Ergo iis, qui officium gerunt, ita ſibi deſpondere mulierem licet, ne tamen in ea provincia uxorem ducant; ſed ut, depoſito officio, cum poteſtate privati erunt, novus mulieris conſenſus requiratur. *l. ſi quis.* 38. *D. de rit. nupt.* Quin ne filio quidem ſuo uxorem ducenti conſentire poteſt. *l. qui in provincia.* 57. *D. eod.* Quod etiam ad ipſorum propinquos & domeſticos productum eſt. *l.* 1. *C. ſi rect. provinc. l.* 1. *C. ſi nupt. ex reſcr. pet.* Quid? de filia quid juris? Sane illo jure collocare filias ſuas in matrimonium poterant. *d. l. ſi quis. in fin.* At Leo Philoſophus etiam filiabus præſidum provinciæ a ſponſalibus interdixit. *Novel.* 23. Ad eundem hunc de perſonis locum, illud pertinet edicti caput, quo vetitum eſt, ne quis ſuo ejuſve nomine, quem quamve in poteſtate habet, bina eodem tempore ſponſalia habeat; aut qui filium filiamve conſtituere patitur, etiamſi nuptiæ injuſtæ aut nefariæ ac proinde nullæ futuræ eſſent. qui contra fecerit, infamia notetur. *l.* 1. *in fin. l. quid ergo.* 13. *§.* 1. *& ſeq D. de his qui not. inf.* Supereſt tractatio de perſonis *abſentibus, mutis* & *ſurdis.* Ergo, ſiquidem ſtipulatio in ſponſalibus adhibeatur, certum eſt, & præſentiam & ſermonem requiri. *l.* 1. *D. de verb. obl.* ſin minus, æque per internuncium, aut per epiſtolam, aut nutum ac ſignificationem conſtitui ſponſalia, ut alii omnes contractus, poſſunt. *l.* 4. *l.* 5. *l. ult. D. h. tit. l. mutus.* 73. *D. de jur. dot.* Ex quibus ita diſputatis, concludi poteſt, veriſſimam eſſe Pauli regulam, quam ſupra tradidimus, tantum eſſe inter ſponſalia & nuptias communionem, ut, cum qua perſona conſtitui nuptiæ poſſunt, etiam cum ea conſtitui ſponſalia liceat: viciſſimque, cum qua contrahere nuptias non licet, cum eadem contrahere ſponſalia plerumque non liceat. *l. ſi quis tutor.* 60. *§.* 5. *D. h. t. Plerumque* autem idcirco additum eſt, quia contrahi ſponſalia inter impuberes poſſunt, nuptiæ non poſſunt. *l. in ſponſalibus.* 14. *D. h. tit.* Qui officium in provincia gerit, contrahere ſponſalia poteſt,

nuptias non potest: ut supra dictum est. Quæ virum eluget, nubere non potest, desponderi potest. *l. solet.* 10. §. 1. *D. de his qui not. infam.*

### CAP. III.

*De septuplici sponsaliorum forma, ritu & solennitate.*

SEquitur nunc, ut de sponsaliorum forma videamus: nam prima & potissima hæc videtur, ut ea conventio non clam, non furtim, & remotis arbitris, sed testatione adhibita fieret *arg. l.* 7. *D. h. t. l.* 3. *D. de concub. & l. uxor.* 7. *C. de repud. l. instrumenta* 5. *C. de probat.* Etsi autem legitimus testium numerus nusquam in libris nostris prodatur; tamen probabile est, non minus decem adhiberi solitos, cum etiam in divortiis septem adhiberentur. *l. nullam.* 9. *D. de divort.* Idque video D. Ambrosium non obscure significasse, *ad virg. lapsf. cap.* 5. Nam, *Si inter decem testes*, inquit, *confectis sponsalitiis, & nuptiis consummatis, quævis viro femina conjuncta mortali, non sine magno periculo adulterium perpetrat; quid putas fore*, &c. Quinetiam Romano more convivio amicorum hæc conventio celebrabatur; quod idcirco *sponsalia* dicebatur. Tull. ad Q. frat. lib. epist. 2. *Ad 8. idus April. sponsalia Crassipedi præbui. Huic convivio puer optimus Quintus tuus, meusque, quod perleviter commotus erat, defuit.* Quod eo magis notandum est, quia Decretalistæ concubitum, post verba de præsenti furtim pronunciata secutum, matrimonii jure censendum putant, *c.* 15. *c.* 30. *de sponf. & matr. c.* 3. *c.* 5. *& seq. de condit. adpos.* Atque antiquissimo quidem more scriptura plerumque adhiberi solebat. Ut ex illo Juvenalis versu, quem mox proferemus, cognosci potest. Itemque ex illo Tertull. loco in lib. de virg. veland. *Hæ sunt tabellæ priores naturalium sponsaliorum & nuptiarum.* eæque a testibus obsignari solebant: ut apud Juvenal.

> —— *Veniet cum signatoribus auspex.*

Dixi autem, *plerumque*; quoniam interdum nullum ea de re instrumentum conficiebatur, & nuda testatio sufficiebat. *l.* 7. *D. h. t.* quippe cum ne in nuptiis quidem scriptura desideretur. *l.* 4. *D. de fid. instr.* Secundum in forma sponsaliorum locum obtinet stipulationis & sponsionis formula. Quod ut intelligatur, illud sciri oportet, moris apud Rom. fuisse, ut pactis conventisque stipulationem plerumque adhiberent. *l.* 7. *§. quod fere.* 12. *D. de pact. l. Titia.* 134. *D. de verb. obl.* eaque verborum formula, quasi ritu aut certo aliquo carmine, suas conventiones stiparent, id est, munirent, & confirmarent. *l.* 1. *D. de præt. stip. §.* 1. *Inst. de verb. obl.* Primum igitur inter eos, de quorum nuptiis agebatur, de nuptiarum conditionibus & legibus conveniebat, hoc est, de dote, de donatione propter nuptias, & de arrhis sponsalitiis. Hæc conventio si sine stipulatione fiebat, modo *pacta*, modo *destinata* mulier dicebatur; sine eo amplius stipulatio addebatur, *sponsa*: quemadmodum ex illo Arnobii loco, supra a nobis citato, videre licet. Juvenal. Sat. 6.

> *Si tibi legitimis pactam junctamque tabellis*
> *Non es amaturus.* ——

Cicero ad Att. 5. *Nec dubitat Dejotarus, cujus filia pacta est Artbanasdis filio, quin Eupbratem transiturus sit.* Quapropter haud scio, an vere Ser. Honoratus in illum Virg. locum, *Et gremiis abducere pactas*, ita scripserit, *Id est, sponsas*. melius dixisset, *destinatas*: quod verbum fuit in his conventionibus usitatissimum. Sueton. Julio: *Sibique filiam ejus in matrimonium petiit, Fausto Syllæ destinatam.* Quod apud eundem, & Vopiscum, Capitolinum, Spartianum, innumeris locis animadverti. Plin. ep. 3. *Jam destinata erat egregio juveni, jam electus nuptiarum dies.* Arnob. advers. gent. *Rex Midas matrimonio ejus suam filiam destinat.* Item: *Alienas virgines, jam destinatas, jam desponsatas, rapuit.* Neque mihi absurdum videtur, existimare, verbum hoc ex coemtionum consuetudine manasse, cum arrhæ sponsalitiæ dabantur. nam *destinare* video veteres dixisse, pro *arrbam dare*. Plautus, Rudente:

> *Minis triginta sibi puellam destinat;*
> *Datque arrbabonem.*

Idem in Persa:

> —— *Dii deæque te agitant irati, scelus,*
> *Qui banc non properes destinare.* ——

Sed, ut in aliis compluribus, re sublata, nomen tamen retinetur. *l. insula.* 56. *in fin. D. de adq. rer. dom.* sic coemtionum formulis sublatis, *destinandi* tamen verbum retentum est, in iis potissimum, quæ jam pactæ fuerunt. Quamquam Jurisconsulti subtilius etiam pactas a destinatis distinxerunt. Nam *destinatarum* verbum proprie ad eas, quæ non inter vivos pactæ, sed testamento patris designatæ & nominatæ fuerunt, restrinxerunt. veluti in *l. non est.* 56. *D. de rit. nupt. Non desponsam a patre, nec testamento destinatam.* Cujus consuetudinis exemplum exstat in *l. si patris.* 6. *C. de interd. matr. & l. pater.* 101. *D. de cond. & demonst.* Qua de causa credo equidem, glossematario accepto ferendum verbum *denominatam.* in *l. qui pupillam.* 7. *D. ad l. Jul. de adult. & l. tutor.* 36. *D. de rit. nupt.* cujus in fine non dubito, quin *conditionem nuptiarum* sit restituendum. Quemadmodum autem destinatarum nomen, etiam post sublatam coemtionum consuetudinem in usu mansit; eodem modo desponsæ dici solitæ sunt, etiam quæ nuda tantum conventione pactæ fuerant. postquam videlicet institutum fuit, ut sponsalia etiam sine stipulatione, ac proinde etiam per internuncium aut epistolam, inter absentes contraherentur. *l.* 4. *l.* 5. *l. ult. D. h. tit.* Itaque Imp. in *l.* 2. *C. eod. Qui puellam*, inquit, *suis nuptiis pactus est. & l.* 4. *Si pater pactum de filiæ nuptiis injecit.* Quod si præter pactum addi stipulationem placeret, utrumque adhibebatur. ut Ser. Sulpicius apud Agell. demonstrat, *l.* 4. *cap.* 4. Terentius:

> *Sponden' tuam gnatam filio uxorem meo?*

Et alio loco:

> *Ultro ad me venit, unicam gnatam suam*
> *Cum dote summa filio uxorem ut daret.*
> *Placuit, despondi: bic nuptiis dictus est dies.*

Ubi donatus, *Proprie*, inquit, *despondi. nam de sponso dicitur. quia spondet puellæ pater: despondet, adolescentis.* Et sic in Adelph.

> *Quia jam virginem despondi.*

Ubi Micio sponsi pater loquitur. Item Servius, lib. Æn. 10. *Veteres spondebant, se consentire in jura matrimonii, & fidejussores dabant: unde vir a spondendo sponsus. Ceterum proprie sponderi puellæ est. Ergo sponsus, non quia promittitur, sed quia spondet, & sponsores dat.* Sed futilis hæc grammaticorum observatio est: nam *despondendi* verbum, videmus passim promiscue, tum in adolescentis, tum in puellæ patre, tum etiam matre & fratre, atque ipso

adolescente, usurpari. Cic. ad Att. 2. *Tulliolam C. Pisoni Frugi despondimus.* Pro Cluent. *Tum illa despondit ei filiam suam.* Paulus. *l. Titia.* 134. *D. de verb. obligat. Tempore matrimonii consenserunt, ut filia C. Seii filio Titia desponderetur.* Cicer. de Oratore: *Cum Ser. Galba Crassi filiam Cajo filio suo despondisset.* Plaut. Trinummo:

*—— Vostrum herilem filium*
*Lesbonicum suam sororem despondisse?*
*Cui homini despondit?*

Ulp. in *l. cum hic status.* 32. *§. ult. D. de donat. int. vir. Si senator libertinam desponderit, vel tutor pupillam.* Atque ita Paul. *in l. si quis inter.* 60. *§.* 5. *D. de rit. nupt. l.* 4. *D. de sponsal.* Superest, ut de speratæ, pactæ, & sponsæ nominibus huc addamus ex Arnobii *lib. adversus gent.* 4. *Habent speratas, habent pactas, habent interpositis stipulationibus sponsas.* Ut sperata esse videatur, quæ jam petita, sed nondum promissa est: pacta, quæ nuda conventione promissa est: sponsa, quæ interposita stipulatione. Sed Nonius hanc differentiam absurdissime sic explanat: *Inter speratam, dictam, & pactam, & sponsam, hoc interest: quod virgo, priusquam petatur, sperata dicitur.* Plaut. Amph.

*Amphitruo uxorem salutat lætus speratam suam.*

Inepte Nonius, & ridicule; uxorem jam gravidam, & ad pariendum vicinam, sponsam speratam dici putat. nam *speratam suam* Amphitruo dicit, pro *eam quam totam ex animo suam esse sperat.* Tum illud Virgilii absurde huc retorquet:

*Cui pater, & conjunx quondam tua dicta relinquor?*

quasi *dictam*, pro *sponsam* Pub. Virgilius usurpasset. cum ordo & sensus hic sit: *Dicta quondam tua uxor.* Tertio loco ad ritum & formam sponsaliorum pertinent verba, quibus sponsalia concipiebantur. Nam in filiabus quidem fam. docuimus, ex Plauti comœdiis, usitatam hanc formulam fuisse: *Sponden' Cajam filiam tuam uxorem mihi dari?* Cum autem mulieres innuptæ in perpetua tutela essent, probabile est, hanc in illis despondendis formulam adhibitam: *Sponden' Cajam, quæ in tua potestate est, uxorem mihi dari?* quod ex orat. pro Flacco existimare licet. Quin etiam, cum plerunque certis legibus ac conditionibus sponsalia contraherentur, probabile est, conditiones pronunciari solitas. ut in illa Plauti:

*Istac lege sponden' mihi filiam tuam uxorem dari?*

Quod vero disputari a nonnullis video, multum interesse, utrum sponsalia verbis in futurum aut in præsens tempus conceptis constituerentur; de eo commodius, ubi de sponsaliorum jure differemus, tractaturi videmur. Quarto loco in sponsalibus anulus pronubus plerumque adhiberi solebat. Nam moris fuit, ut sponsus sponsæ anulum, quasi pignoris loco, donaret, qui *pronubus* dicebatur. Cujus moris etiam vestigium extat in nostris libris. apud Paul. *in l. si donatæ.* 36. *§. ult. D. de donat. int. vir. & ux.* Juvenal. Satyr. 6.

*Conventum tamen, & pactum, & sponsalia, nostra*
*Tempestate paras, jamque a tonsore magistro*
*Pecteris, & digito pignus fortasse dedisti.*

Plin. autem. *lib.* 36. scribit, ætate sua anulum illum fuisse ferreum. Post vero aureus donari cœptus est. Tertul. in apol. adv. gent. *Aurum nulla mulier norat, præter uno digito, quem sponsus oppignerasset pronubo anulo.* Ubi tamen conlidera Isidor. de divin. off. *Quod in primis nuptiis anulus a sponso sponsæ datur, fit nimirum vel propter mutuæ dilectionis signum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur. unde & quarto anulus ingeritur, quia in eo vena quædam sanguinis ad cor pervenit.* Idem, Etymol. 20. *Feminæ non usæ sunt anulis, nisi quos virgini sponsus miserat: neque amplius quam binos aureos in digitis habere solebant.* Sic Nicolaus Papa, ad consultationem Bulgarorum 30. quæstion. 5. cap. 3. *Et postquam arrhis sponsam sibi sponsus per digitum fidei anulo insignitum desponderit.* Quintam ritus & solennitatis partem plerumque osculum obtinebat. Quod tamen arbitrarium fuisse, patet *ex l. cum veterum.* 15. *C. de don. ant. nupt.* Ad sextum locum munera sponsalitia referenda sunt. de quibus mentio fit. *l.* 1. *§.* 1. *D. de donat. l. die sponsaliorum.* 25. *D. de donat. l. die sponsaliorum.* 25. *D. depos. l. cum sponsus.* 12. *D. de Publ. act. l.* 1. *C. si advers. donat. l. si sponsus.* 5. *l. inter eos.* 27. *l. cum hic status.* 32. *§. si quis sponsam. D. de donat. int. vir.* Quæ tamen interdum ea lege fiebant, ut, nuptiis non secutis, revocarentur. *l.* 2. *l. si cum ante.* 7. *C. de don. ant. nupt. l.* 2. *C. Gr. si advers. don. spons.* Quodsi nil nominatim convenerat, ratæ donationes manebant. *l. si tibi.* 11. *& d. cum veterum.* 15. *C. eod.* Postea vero Constantinus jus earum esse hoc voluit, ut, si per donatorem stetisset, quo minus nuptiæ sequerentur, donum penes donatarium maneret: si per eum qui acceperat, restitueretur. Quodsi mors nuptias impedisset, tum, siquidem osculum intervenisset, quod sponsus donasset, dimidia tantum ex parte repeteretur: quod autem sponsa donasset, sive cum osculo, sive sine osculo, totum restitueretur. *d. l. cum veterum. & seq. C. eod.* Septimum sponsalitii ritus locum obtinent arrhæ sponsalitiæ, quas videlicet sponsus, quasi pignoris & arrhæ loco, dat, tore, ut eam uxorem ducat: nam illæ tantum a sponso ejusve nomine dabantur: a sponsa vero non dabantur. *l.* 3. *& l.* 5. *C. de spons. & arrh. spons. l. ult. C. de episc. & cler. l. si quis officium.* 38. *D. de rit. nupt.* Itaque triplex inter arrhas & donationes sponsalitias differentia perspicitur. Prima, quod illæ tantum a sponsi parte conferuntur: hæ vero utrimque. Illæ, si per sponsum fiat, quo minus nuptiæ sequantur, amittuntur: si per sponsam, tunc, si minor 25 annis ceperit, simplum reddit; sin major, duplum. *d. l.* 5 *C. de sponsal.* at in donationibus nulla dupli ratio habetur. Postremo, arrhæ, morte alterutrius, repetuntur. *l.* 3. *C. de sponsal.* donationes sponsalitiæ non repetuntur.

## CAP. IV.

*De multiplici jure sponsaliorum, eorumque cum nuptiis differentia vel communione.*

Superest ut de jure sponsaliorum differamus. Ac primum illud videamus, cujus juris sponsalia sint. Quod uno verbo ita definiendum est, ut, si stipulatione & sponsione contrahuntur, juris civilis sint, sicuti ceteræ omnes obligationes, quæ certis verborum formulis & contrahuntur & dissolvuntur. *l. quoties.* 14 *D. de novat. l.* 2. *D. de divort.* sin nudo consensu & conventione, sint juris gentium. *arg. l.* 1. *in fin. D. de contr. emt. l.* 1. *D. locat.* Secundo videndum est, an, & qualis obligatio per sponsalia contrahatur. Ergo antiquissimo jure, ex sponsalibus civilis nascebatur obligatio, ex eaque dabatur actio, quæ *ex sponsu* dicebatur, adversus eum eamve, per quem quamve factum esset, quo minus nuptiæ sequerentur: fiebatque condemnatio in id, quod alterius intererat; quemadmodum sup.

ex

ex Ser. Sulpicio demonstratum est. Video etiam, moris fuisse, ut certa summa, pœnæ nomine, in stipulationem deduceretur, sicuti paulo ante ex Varrone docuimus. Nam, cum ejus, quod interest, æstimatio in causis omnibus difficilis est, tum vero in conjugali adfectione difficillima: quam ipsam ob causam pœnæ stipulationes interponi solitas, constat ex *l. ultim. D. de præt. stip.* Post vero, corruptis ac perditis civitatis Romanæ moribus, cum flagitiosa & detestanda repudiorum libertas in crebuisset, institutum fuit, ne ulla ex sponsalibus civilis obligatio nasceretur, sed libera renunciatio esset; neque ulla eo nomine actio, petitio, daretur. *l. 1. C. h. t. l. 2. C. de repud.* adeo ut, si pœna deducta in stipulationem fuisset, ne ipsius quidem nomine actio daretur. *l. Titio. 71. §. 1. D. de cond. & dem. l. 2. C. de inutil. stip. l. Titia* 134. *D. de verb. obl.* idque etiam Imp. Leo Philosophus testatur. *Novell.* 74. Hæc fuit temporum illorum ratio, perditis, ut dixi, civitatis moribus; cum populus Rom. non modo promiscuos concubitus, pecudum ritu, sectaretur, verum etiam a conjugiis abhorreret. Qua de causa legem illam omnium celeberrimam ferri oportuit, Papiam Popæam de maritandis ordinibus. Qua lege & maritis præmia, & cælibibus pœnæ impositæ fuere. His igitur profligatis civitatis moribus, sensim contra juris directi regulas inductum fuit, ut libera esset sponsaliorum renunciatio. Quæ renunciatio proprie *repudium* dicebatur: cum eo verbo promiscue etiam in divortiis uterentur. *l. inter stuprum.* 101. *§. 1. D. de verb. sign.* Quin etiam repudii formula, vetustis, ut credi par est, temporibus instituta, obligationis vi tamen retenta est: *Conditione tua non utor. l. 2. §. 2. D. de divort.* ejusque perditæ & flagitiosæ repudiorum libertatis testimonium est, quod Papinianus eum sponsum irridet, qui mulierem sibi a patre desponsam idcirco adulterii accusare volebat, quod alteri a patre in matrimonium desponsa fuisset. *l. miles.* 11. *§. quærebatur.* 7. *D. ad l. Jul. de adult.* Quæ cum ita sint, perspicuum est, primum sponsalia isto Digestorum jure non fuisse in contractuum numero, quoniam nulla ex iis efficax nascebatur obligatio: deinde, istius stipulationis (quod jus singulare ac novum est) non majorem hoc casu quam pacti nudi vim esse, quo, ut ait Paulus, cives R. non obligantur. *lib. sent. 2. tit.* 14. Sed quæri potest, an non ex illo sponsaliorum pacto naturalis tamen contraheretur obligatio; quæ, quoties naturalis subest æquitas, contrahi dicitur. *l. Stichum.* 59. *§. naturalis. D. de solut.* Quod certe probabilius videtur. Primum, quia in stipulationis formula vitium nullum fuit, sicut accidit in specie *l. 1. §. si ita quis. D. de verb. obl. l. 1. §. eum qui. D. de const. pec.* Deinde, quia ne liquido quidem adfirmari potest, nullam nasci civilem ex sponsalibus obligationem, cum in iis dissolvendis præscripta repudii formula utendum esset. *d. l. 2. §. 2. D. de divort.* Ex quo, ut jam dixi, intelligitur, quamvis propter perditos civitatis mores nulla efficax ex sponsalibus nasceretur obligatio, tamen in rei veritate, & directo jure, aliquam contrahi: præsertim, cum alioqui stipulatio, ut jam dictum est, in qua vitii nihil est, ne pacti quidem vim haberet; quod valde absurdum esset. Secundum sponsaliorum jus est, ut per ea æque fere, ut per nuptias, adfinitas contrahatur. Nam & generi & nurus adpellatione sponsus & sponsa; item soceri & socrus adpellatione, sponsorum parentes continentur. *l. 6. §. 1. & l. 8. D. de grad.* Qua de causa, quæ lex vetat genero vel socero invito testimonium denunciari, ea & ad sponsum & sponsæ patrem producitur. *l. 4. & l. 5. D. de test.* Sic lex, quæ novercæ & nurus nuptias prohibet,

A etiam ad patris & filii sponsam perducitur. *l. si qua mibi.* 12. *§. 1. D. de rit. nupt.* &, quæ socerorum ac generorum necem parricidii crimine comprehendit, eadem etiam ad sponsos sponsasque porrigitur. *l. 4. D. de parricid.* Quod vero Neratius ait, inter sponsum & sponsam adfinitatem contrahi; non quasi proprie dictum accipiendum est, sed improprie, quasi dixisset, necessitudinem. *l. quod Servius.* 8. *D. de cond. caus. dat.* Tertium jus ex eo intelligitur, quod sponsalia multis casibus nuptiarum fere vim obtinent. Qua de causa Imp. testatur, multas ea de re controversias exstitisse. *l. 5. C. de bon. quæ liber.* Itaque, quemadmodum qui B binas uxores, sic etiam qui binas eodem tempore sponsas habet, ignominia notatur. *l. 1. D. de bis qui not. infam.* Quod lege Julia cautum est, ne marito uxoris fundum alienare vel obligare liceat, idem etiam in sponsæ fundo valere responsum est. *l. 4. D. de fund. dot.* Sicut pro illata uxori injuria, marito injuriarum conceditur actio. *l. 1. in fin. D. de injur.* ita sponso pro injuria sponsæ illata. *l. item apud Labeonem* 15. *§. sponsum* 24. *D. eod.* Et, quod lege cavetur, ne dotalem uxoris fundum alienare liceat, etiam ad sponsæ fundum productum est. *l. 4. D. de fund. dot.* Quod constitutum est, ne quasdam uxores senatoribus ducere liceat, id ad sponC salia productum est. *l. oratio* 16. *D. h. t. l. cum hic status* 32. *§. ult. D. de donat. int. vir.* Sicuti a marito quæsita, uxor non adquirit, nisi quoad usumfructum; ita nec a sponso quæsita, patri sponsæ aliter adquiruntur. *l. 5. C. de bon. quæ lib.* Eo accedit, quod privilegium, uxori competens, etiam sponsæ conceditur: veluti, si dotem dederit, & sponsalibus renunciatum fuerit, in exigenda dote ceteris creditoribus præferatur. *l. quæsitum.* 17. *§. si sponsa. D. de reb. auct. jud. poss. l. si sponsa* 74. *D. de jur. dot.* Item, quod dicitur, parricidii teneri eum qui uxorem occiderit, etiam adversus eum D valeat qui sponsam interfecerit. *l. sed sciendum.* 3. *D. ad leg. Pomp. de parricid.* Quod constitutum est, ne tutor pupillam suam sibi filiove suo uxorem adsciscat, id etiam ad sponsalia productum est. *l. tutor.* 15. *D. h. t. l. si quis tutor.* 60. *§. 5. D. de rit. nupt.* Postremo, jus accusandæ uxoris adulterii, quod lex Julia marito, jure quodam præcipuo, & ante extraneos, concesserat, Impp. Severi & Antonini rescripto etiam ad sponsum productum est, ut sponsus intra dies 60. extraneis præferatur. *l. si uxor.* 13. *§. divi.* 3. *& §. si minor* 8. *l. miles.* 11. *§. quærebatur.* 7. *D. ad l. Jul. de adult. l. propter.* 9. *C. eod.* Ac mihi non alienum videtur, insignem E Philonis locum, & ad hoc institutum magnopere pertinentem, adscribere. est autem *in illius lib. de certis leg. ad Decal. pertinentibus:* Μέτριον ὑπολαμβάνουσί τινες ἀδίκημ' εἶναι, φθορᾶς καὶ μοιχείας, ὑπογάμιον, ὅταν ὁμολογίας μὲν ὑπερεγγυήσωσι, μήπω δὲ τῶν γάμων ἐπιτελεσθέντων, ἕτερος ἀπαντήσας, ἢ ὁ βιασάμενος, εἰς ὁμιλίαν ἔλθῃ. παρ' ἐμοὶ δὲ καὶ τῆς μοιχείας καὶ τοῦτ' ἔστιν εἶδος. αἱ γὰρ ὁμολογίαι γάμοις ἰσοδυναμοῦσιν, αἷς ἀνδρὸς ὄνομα καὶ γυναικὸς, καὶ τἆλλα τὰ ἐπὶ συνόδοις, ἐγγράφεται. id est: *Sunt, qui medium quoddam crimen esse censent, inter stuprum & adulterium, interceptum concubitum; cum post contracta sponsalia, nondum celebratis nuptiis,* F *alter intervenit, qui vi, aut dolo, puellam comprimit. At, me judice, hæc quoque adulterii species est: sponsaliorum enim eadem quæ nuptiarum vis est, cum viri & uxoris nomina, atque alia quædam, in conventu & frequentia propinquorum perscripta sunt.* Et in eandem sententiam Tertullianus *lib. de virg. vel. Desponsata enim quodammodo nupta.* Tamen inter *quodammodo* & *vere* satis interest, duntaxat in hoc loco. Atque his quidem casibus magna inter sponsalia & nuptias communio est. In aliis autem

quibusdam hæ notari differentiæ possunt. Nam inter impuberes contrahi sponsalia possunt; nuptiæ non possunt. *l.* 7. *l.* 9. *D. h. t.* Sponsalia promissione constant, ac proinde nec præsenti traditione & acceptione, nec nisi verbis futuri temporis contrahuntur. *l.* 1. *l. quæsitum.* 9. *D. eod.* nuptiæ vero verbis præsentis temporis, & præsenti puraque traditione & acceptione, constituuntur. *l. pen. D. de don. int. vir.* Itaque in sponsalibus deductio in domum nullius momenti est; in nuptiis necessaria est. *d. l. pen.* Præterea, uxor in mariti familia esse dicitur. *l. quicunque.* 10. *C. de re milit. lib.* 12. *l. pen. §. Julianus. D. quod falsf. tut. auct.* & in ejus domo domicilium habere. *l. exigere.* 65. *D. de jud.* sponsa, ante nuptias contractas, non habet. *l. ea quæ.* 32. *D. ad munic.* Donatio inter virum & uxorem non valet; inter sponsum & sponsam valet. *l. cum hic status.* 32. *§. pen. D. de donat. int. vir.* Uxor virum lugere jubetur; sponsa sponsum non jubetur. *l. uxores* 9. *D. de his qui not. infam.* Quæ luget, nubere sine infamia non potest; sponsalia vero, quia futuri temporis sunt, contrahere potest. *l. seqq. eod.* Quod lex vetat, ne liberta, patrono nupta, ei invito nuncium mittat, ad sponsam non porrigitur. *l. in eo jure.* 54. §. 4. *D. de rit. nupt.* Superest postremum jus sponsaliorum, ut certis casibus impune ac sine fraude repudium mittere liceret. Quod etiam argumento illo confirmatur, quod superius dicebamus, Jus, ne pœnæ metu sponsalia adstringere liceret, perditis reip. temporib. inductum fuisse. Nam contrarii juris vestigia hæc remansere: quorum tamen quædam ad pœnam arrharum sponsalitiarum pertinere constat: Si sponsus, qui in eadem esset provincia, nuptiis moram biennio longiorem faceret. *l.* 2. *C. b. t.* Si sponsus extra provinciam triennio amplius cunctetur, atque illa sua cunctatione sponsam sua spe frustretur. *l.* 2. *C de repud.* Si qua turpitudo sponsi sponsæve detecta esset: si nova ipsius religio, vel superstitio potius, detecta vel suscepta fuisset: si quod in sponso vitium appareat virilis impotentiæ, quod liberorum spem adimat. *l.* 5. *§. bis illud. C. b. tit.* Atque hæc de sponsalibus juris civilis & Justinianei ratio fuit.

## CAP. V.

*De jure sponsaliorum, ex lege Mosaica, (a) & Christianorum, tam Græcorum, quam Latinorum institutis.*

PORRO, quid de sponsalibus pie & ad nostram religionem adcommodate dici possit, considerandum est. Primum autem ex lege Dei totius disputationis fundamentum hoc constituendum est, Deut. 22. *Si quis cum ea puella, quæ viro alicui desponsa est, concubuerit, producitote & illum & illam ad portam urbis, eosque lapidibus obruitote: puellam, quia in urbe vociferata non est; virum, quia cum uxore propinqui sui concubuit.* Quibus ex verbis multa, quæ ad sponsaliorum jus pertinent, notari possunt. Primum, quod sponsalia non humana, sed divina lege instituta, atque a nuptiis distincta sunt; tempusque aliquod inter sponsionem & traditionem, inter sponsaliorum & nuptiarum diem, interpositum. Quod etiam Josephi & Mariæ exemplo, itemque *Deut.* 20. aperte confirmatur: ubi Moses vetat eos, qui sponsalia contraxerint, prælium inire; &, cum omnes in procin-

(a) Caute legat catholicus & prudens lector, quæ in hocce capite & sequentibus differit hæreticus homo, nimia certe libidine ductus, jus nostrum Pontificium vellicandi. Levibus injectis difficult[illegible] juris ejusdem Pontifici catholici interpretes, cæterique scriptores qui de sponsalibus ac matrimonii Sacramento tractatus ediderunt.

A ctu erunt, sic pronunciari jubet: *Quis est, qui uxorem desponsavit, nec dum eam duxit? revertatur domum, ne in hoc prælio moriatur, & alius illam ducat.* Item, *cap. seq.* ubi Moses certis in caussis spatium illud intermedium luctus feminarum adsignat. Quod cum ita sit, consentaneum est, nuptias inter Christianos non satis pie, sine præcedentibus sponsalibus, copulari. Alterum est, quod eodem divino instituto suum cuique eorum jus proprium ac peculiare adtributum fuit, ut videlicet aliud sponsi & sponsæ, aliud mariti & uxoris jus esset: velut in concubitu, quem inter conjuges Apostolus honestum adpellat, 1. *Cor.* 7. *vers.*
B 3. inter sponsum & sponsam divina lege improbatur, *Deuter.* 20. *vers.* 7. Hinc illud Ambrosii, *lib. epist.* 66. *Si quis desponsata sibi & tradita utatur, conjugium vocat: qui alienæ expugnat pudorem, adulterium facit*, ubi sine dubio ad illud Virgil. alludit:

*Conjugium vocat; hoc prætexit nomine culpam.*

Tertium est, ut, quantum ad perpetuam vitæ societatem, par eademque sponsi & sponsæ, quæ conjugum, ratio haberetur, nisi quid ante nuptias
C vitii detectum esset, quod justum nuptiis impedimentum adferret. Nam mulier sponsa ita proprie sponso devota, destinata ac decreta est, ut jam pro designata uxore numeretur. Quod etiam locus ille Matth. demonstrat, *cap.* 1. 20. Μὴ φοβηθῇς παραλαβεῖν Μαριὰμ τὴν γυναῖκά σου. *Ne metue Mariam uxorem tuam capere.* id est, adsciscere & abducere. Quamquam haud scio, an non æque commode ita converti posset: *Ne metue Mariam tibi uxorem adsciscere*: quasi σου pro σοὶ usurpatum esset. Sic ex contrario sponsus filiæ diserte nominatur *gener*, *Genes.* 19. ubi adolescentes, qui Lothi filias propediem uxores ducturi erant, ipsius *generi* vocantur.
D Itaque priscis ecclesiæ Christianæ temporibus Synodus sexta in Trullo habita, *cap.* 98. in eandem sententiam ita decrevit: Ὁ τὴν ἑτέρῳ μνηστευθεῖσαν, ἔτι τοῦ ἀνδρὸς ζῶντος εἰς γάμον ἀγαγόμενος, τῷ τῆς μοιχείας ὑποκείσθω ἐγκλήματι. id est: *Qui desponsam alteri mulierem, vivo ipsius sponso, in societatem nuptiarum adsciverit, criminis adulterii reus esto.* Quod decretum Imp. Leo Philosophus, religionis, ut apparet, studiosissimus, ratum in suo imperio jussit esse. *Novell.* 18. & *Novell.* 74. ubi etiam jus Romanorum antiquissimum restituit, ut pœnæ adjectione sponsaliorum vinculum adstringere liceret. Ejus autem decreti rationem Imp. Alexius Comne-
E nus hanc profert, quam Leo quoque prius indicarat; quia, Christianorum instituto, ab Israelitis, ut credi par est, sumto, sponsalia certa precationis formula, quam εὐλογίαν adpellant, ita consecrabantur, *ut Deus illorum auctor, arbiter & conciliator adgnosceretur.* Nefas igitur piis illius ætatis hominibus videbatur, quod Deo auctore constitutum erat, levium hominum arbitrio dissolvere; ut Christus dixit, *Quod Deus conjunxit, homo ne disjungat.* Verba Comneni, propter illorum auctoritatem, adscribemus: Οὐκ ὀλίγον ἐνταῦθα τὸ ἄτοπον ἐπισύρεται, τὰς προεισοδίους τῶν γάμων εὐχὰς ἐπὶ μνηστείᾳ συντελεσθείσας ὡσεί τι τῶν εἰκαίων συμπεφορημένων
F λογίσασθαι, καὶ ἀδιαφόρως ἐκλαβέσθαι τόδε τὸ πρᾶγμα, ὥσπερ ἂν εἰ μὴ Θεὸς μέσον τῶν συναπτομένων προσώπων διὰ τῆς μνηστείας εἰσήγετο. id est: *Non exiguum hic incommodum atque absurdum consequetur, precationem in nuptiis fieri solitam, in sponsalibus pronunciatam, pro vano quodam & inani additamento censeri, & pro supervacanea numerari: quasi Deus inter personas per sponsalia conjungendas mediator sive arbiter adhibitus non fuisset.* Et hac de caussa Leo Philosophus, ut jus civile cum illo sextæ Synodi decre-

to conciliaret, ac violandæ religionis occasionem præcideret, superstitiose constituerat, ne usitata in sponsalibus precatio sive benedictio deinceps pronunciaretur, sed in diem & ad tempus nuptiarum differretur: *Quoniam*, inquit, *tum demum vere dissoluta sponsalia videntur, cum post eam consecrationem pronunciatam repudium mittitur*: Novell. Leon. 74. Commodius igitur Alexius, & ad Synodi sententiam aptius, constituit, ut ea consecratio sponsalibus restitueretur: & ea demum sponsalia justa, id est, legitima, perfecta & absoluta haberentur, quæ inter puberes contracta, Dei precatione consecrata essent, atque ita non minus indissolubilia, quam ipsæ nuptiæ, haberentur. *Τὰς τοιαύτας μνηστείας ἀμετακινήτους τε διαμένειν, καὶ ἀδιαπτώτους, καὶ τὸ ὅλον ἀλύτους, ἅτε Θεοῦ μέσον τῶν συναπτομένων εἰσαγομένου, καὶ τὴν πρώτην προσεμπεδοῦντός τε καὶ κρατύνοντος τοῦ βίου συναρμογὴν, διὰ τῶν ἱεροτελουμένων εὐχῶν.* id est: *Talia sponsalia firma, inconcussa, indissolubilia maneant: quippe cum Deus arbitrum se atque auctorem, sive mediatorem inter eos qui conjunguntur, interponat, & primam hanc vitæ conjunctionem per sacrarum precum initiationem confirmet*. Ac magnopere notandum est, cum illis Orientalibus Impp. etiam Occidentales in summo sponsaliorum jure consensisse. Nam Carolus Magnus, lib. Franc. leg. 1. cap. 163. *De conjugali*, inquit, *velatione requisisti. Si desponsatam alii puellam alter in matrimonium possit accipere. Hoc ne fiat, modis omnibus inhibemus: quia illa benedictio, quam nupturæ sacerdos imponit, apud fideles sacrilegii cujusdam instar est, si ulla transgressione violetur*. Quatuor igitur hæc sponsaliorum jura a Christianis Impp. constituta sunt. Primum, Ne nuptiæ sine præcedentibus sponsalibus constituerentur: quod juri quidem divino consentaneum est, Romanorum autem juri contrarium, *l. quæsitum*. 9. *& simil. D. h. t.* Alterum, Ne justa sponsalia ante pubertatem contraherentur: contra *l. sponsalia*. 14. *D. h. t.* quæ vero ante pubertatem, post annum tamen septimum, contractæ essent, nihil ad religionem pertinerent, sed eodem loco haberentur, quo ceteri contractus omnes; & ex juris civilis dispositione permitterentur, ut, quidquid de arrhis sponsalitiis & aliis rebus convenerat, servaretur. Tertium jus est, Ut sponsalia non minus rata, fixa, firma essent, quam nuptiæ; quæ individuæ nominantur, *l.* 1. *D. de rit. nupt.* ac proinde, secundum Synodi sextæ sanctionem, qui quæve cum alia persona constitutas nuptias habuerit, adulterii reus haberetur, contra *l.* 1. *& alias consimil. C. h. t.* Atque hoc quidem & Orientalium & Occidentalium ecclesiarum institutum fuit. quod non modo cum antiquissima Synodo, verum etiam cum scriptura sacra congruere apparet: ut, meo judicio, non incommode dicere possimus, in Christianorum nuptiis tres quasi gradus constitui. Primum, ut ante sponsalia, de nuptiarum conditionibus, de parentum, propinquorum amicorumque sententia, intra privatos parietes conveniat: hoc est, de dote, de donatione propter nuptias, de dotis incremento, & arrhis sponsalitiis: quemadmodum Romanorum instituto videmus ante sponsalia dotis conventiones fieri solitas. *l. si sponsalib.* 58. *D. de jur. dot.* Secundus gradus est, ut, iisdem præsentibus, certe non paucioribus quam septem testibus convocatis, iisque maribus, & præterea pastore ecclesiæ, sponsus vel eorum nomine octavus aliquis, palam pronunciet, ac Deum testetur, utrumque ab omni aliarum nuptiarum obligatione liberum esse, neque sibi esse conscium, quam ob causam ejus rei controversia sibi moveri possit: habere autem in animo, Titium quidem Cajam in uxorem ducere, Cajam vero Titio nubere. Ac tum Titius ita mulierem roget: Spondes, te mihi uxorem fore? Vicissimque mulier virum: Spondes, te mihi maritum fore? neque per te futurum, quo minus primo quoque tempore nuptiæ in ecclesia Dei celebrentur, ut eo auctore perpetuam vitæ societatem ineamus? Cum uterque responderit, Spondeo; tum, ut pastor ecclesiæ totius cœtus nomine precationem pronunciet, & quasi consecrationis formula Deo sponsalia commendet, eumque oret, ut ea res utrique fauste, feliciter, prospereque eveniat. Quibus peractis, pastor illa sponsalia in ecclesia promulget, palamque pronunciet, ut, si quid forte legitimi impedimenti adferre aliquis possit, cum fide id faciat, & senatui ecclesiastico denunciet; ut omnia, quemadmodum Paulus statuit, recte atque ordine in ecclesia Dei gerantur. Nam hoc institutum non ab aliquo Papa manasse, sed ex vetustissima ecclesiæ Christianæ consuetudine fluxisse, Papa ipse Innocentius III. fatetur. *in c. ult. ext. de clandest. desp.* ubi sic loquitur: *Quare secundum specialem quorundam locorum consuetudinem statuimus, ut, cum matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesiis per presbyteros publice proponantur competenti termino præfinito, ut intra illum terminum, qui valuerit & voluerit, legitimum impedimentum opponat*, &c. Eaque promulgatio *bannum* Longobardico vocabulo vocatur, *in c. cum in tua*. 26. *ext. de sponsal.* & ex veteri consuetudine fluxisse dicitur, *in c. cum de tua*. 6. *ext. qui matrim. accus. poss.* Neque vero absurdum cuiquam videri oportet, quod tum demum sponsalia promulgantur, & eorum impedimenta exquiruntur, cum, jam consecrata precatione, ex Christianorum Impp. instituto, individua & indissolubilia sunt. Quæ causa Imp. Leonem Philosophum impulerat, ut adhiberi precationem vetaret. Nam, cum vir & mulier in contrahendis sponsalibus adfirmarint, nullius se justi impedimenti sibi esse conscios; si quid postea compertum sit, eadem illis pœna, quæ nuptiarum contractarum violatoribus, a magistratu impendebat. Postremus nuptiarum gradus erit, ut præstituta die nuptiæ eo ritu celebrentur. qua de re suo loco disserendum erit.

## CAP. VI.

*An recte sponsalia inter impuberes contrahi possint: itemque inter absentes. ex jure Christiano.*

NUnc etiam superest, ut quæstiones aliquot ad sponsalia pie contrahenda pertinentes proponamus. Quarum prima hæc est: An sponsalia inter impuberes pie contrahi liceat. Nam, jure civili post annos septem (intra quam ætatem infantes adpellantur) contrahi sponsalia licuisse, patet *ex l. in sponsal.* 14. *D. hoc titul.* & Paul. *lib. sent.* 2. *titul. de nupt.* Eorumque hæc vis erat, ut parentes tutoresve, qui spoponderant, si repudium mitterent, pœnis sponsalitiis tenerentur, quas sup. exposuimus. Sed videamus, num satis ad normam religionis adcommodatum hoc jus sit. Primum, quia durum est, ætatem illam improvidam gravi obligatione in perpetuum vitæ suæ tempus adstringi: cum jure civili nulla obligatione, ac ne naturali quidem, nisi quatenus locupletiores sunt, adstringantur. Utrum autem melior, an deterior, ipsorum conditio per illud immaturum matrimonium fiat, valde incertum est. Deinde, quia ne jure quidem civili impuberes parentum sponsalibus obligantur, nisi puberes facti conditionem ratam habeant. Itaque consultius facturi parentes videntur, si gravem illam sponsaliorum obligationem in id tempus differant. præsertim cum jure divino spon-

salia designati matrimonii vim habeant: jure autem civili, mulier impubes, si in domum quasi mariti deducta sit, non tamen prius nupta censeatur, quam apud eundem pubertatem adepta sit. *l. 2. in fin. D. de privil. cred. l. si uxor. §. si minor. D. ad leg. Jul. de adult. l. minorem. 4. D. de rit. nupt. l. pen. D. quando dies leg. ced. l. quod vir. D. de donat. in vir.* Eo accedit, quod, si impubes parentis morte sui juris esse cœperit, impune patris sponsalibus renunciare poterit: certe quidem post adeptam pubertatem, qua ætate liberum arbitrium consecutus erit: atque ita sponsaliorum paternorum obligatio inanis erit. Itaque Imp. Alexius Comnenus lege lata sanxit, ne sponsalia, ante duodecimum aut decimum quartum annum contracta, justa & perfecta haberentur. Leo Philosophus, quamvis sponsalia post annum septimum permiserat, tamen ea consecrari ante illam ætatem vetuerat, *Novell. 174. & Novell. 109.* adductus illa Sapientis sententia, *Eccles. 3.* suam cuique rei maturitatem esse: *cui nulla in re*, inquit, *tam commode locus est, quam in nuptiis contrahendis, quæ perpetuam vitæ obligationem inducunt*. Sequitur secunda quæstio: An sponsalia jure Christiano constitui inter absentes possint. Dubitandi causam adfert Alexii constitutio, quæ jubet sponsalia, non nisi adhibito pastore ecclesiæ, & verba precationis præeunte, interpositaque consecratione, celebrari. Et profecto ita est, ut rite consecrari sponsalia, nisi utroque præsente, non videantur. Jure civili non modo sponsalia, si modo sine stipulatione fuerant, verum etiam nuptias inter absentes contrahi, satis constat. *l. 4. l. 5. l. ult. D. h. t. l mulierem. 5. D. de rit. nupt.* Sed, cum jure divino consecratio in utrisque requiratur, ea non rite, nisi utroque præsente, fieri posse videbatur. Quod si ecclesiastico jure certa verborum formula, hoc est, interrogatio responsioque exigitur; non dubium est, quin præsentia etiam requiratur. *l. 1. D. de verb. obl.* Ex contrario pugnat, quod jure divino quantumvis gravium & magnarum confœderationum pactiones etiam per legatos & internuncios fiunt. Item jure civili præter legis actiones nullum negotium est, quin per internuncios expediri possit: adeo ut etiam repudium & divortium per internuncios, non modo jure civili, verum etiam divino, fieri soleat. Unde usitata locutio, *nuncium mittere* Et apud Hebræos, *libellum repudii mittere*. Quare probabilius videtur, sponsalia etiam inter absentes contrahi: dum tamen utraque pars separatim precatione & consecratione fungatur, hoc est, ut singuli testibus non minus septem convocatis, adhibito præterea ecclesiæ pastore, pronuncient, sibi esse in animo matrimonii societatem cum absente, quo de agitur, contrahere; voluntatemque absentis cum sua congruentis, non modo ipsius, verum etiam parentum atque idoneorum auctorum manibus subscriptam, edant; atque ad extremum pastor ei conventioni bene in nomine Jesu Christi precetur.

## CAP. VII.

*De formulis sponsaliorum, quæ vulgo dicuntur* verba de futuro, *& verba de præsenti, adversus Canonistas instituta disputatio.*

Sequitur altera quæstio, Quibus verbis sponsalia contrahenda sint. hoc est, utrum verbis in futurum, an in præsens tempus conceptis. Quæ Decretalistarum disputatio est, non modo in scholis, verum etiam in usum vitæ recepta: cum illam formulam, *Ego te in meam accipio*; &, *Ego te in meum*; adpellant verba de præsenti: at illam, *Ego te recipiam in meam*; &, *Ego te in meum*; verba de futuro. Per illa, matrimonii obligationem contra-

A hi dicunt: per hæc, nudam fieri pactionem, & quasi quandam de nuptiis deliberationem. *c. commissum. 16. c. tuæ 15. c. pen. & c. ult. ext. de sponsal. c. licet. 3. ext. de spons. duor.* Primum, quia verba *spondendi*, *promittendi*, *repromittendi*, vi ac natura sua futuri temporis demonstrationem continent; repugnantque, desponsam esse alicui aliquam, & eandem illi traditam in manum fuisse, atque (ut more Romano loquamur) in manum ipsius convenisse. Quapropter sponsalia definiuntur *repromissio futurarum nuptiarum*; quemadmodum supra diximus. *ex l. 1. D. h. t.* &, alio loco. *spes futurarum nuptiarum. l. si uxor. 13. §. 3. D. ad*
B *l. Jul. de adult.* Sponsus item definitur, qui nuptias quidem promisit, sed nondum maritus est *l. 1. §. 2. D. pro dot.* Præterea, satis constat, inter sponsalia & nuptias non modo in re discrimen, verum etiam in tempore intervallum esse. Nam sponsalia verbis tantum & promissione constant. *d. l. 1. h. tit.* neque sola in mariti domum deductione constitui intelliguntur. *l. quæsitum. 9. D. h. t. l. cum hic status 32. §. pen. D. de donat. int. vir. l. dotis. 68. D. de jur. dot.* at nuptiæ traditione & acceptione constant, hoc est, datione in manum, & ductione in mariti domum, ut supra dictum est. *ex l. pen. D.*
C *de don. int. vir. l. 6. C. de don. ant. nupt.* Per sponsalia contrahitur adfinitas. *l. 8. D. de cond. caus. dat.* per nuptias justum conjugium. Per sponsalia contrahitur obligatio, sive naturalis, sive etiam ex parte civilis, ut supra demonstravimus: at per nuptias dissolvitur. Per sponsalia vir & mulier, sponsi & sponsæ nomine adpellantur: per nuptias mariti & uxoris nomen adsequuntur. *d. l. 6. C. de don. ant. nupt. l. 5. C. de bon. quæ lib.* Quæ desponsa est, in patris & adgnatorum familia est, vetusque domicilium retinet. *l. ea quæ 32. D. ad municip.* quæ jam uxor est, in domicilium & familiam viri translata est. *l. quæcunque. 10. C. de re mi-*
D *lit. l. pen. §. Jul. D. quod fals. tut. auct. l. 1. §. 15. D. de senat. Silanian.* Itaque sponderi & desponderi dicitur mulier, quæ promittitur fore ut in manum detur. Datur vero, cum in viri manum ducenda traditur. Denique, quemadmodum promittere & dare, vendere & tradere diversa sunt, neque in idem momentum cadunt; ita sponsalia & matrimonium cadere in unum idemque temporis punctum non possunt. Ex quibus intelligi potest, sponsalia per illa, quæ dicuntur verba de præsenti, constitui non posse, ne in unum idemque temporis punctum & promissio & datio, hoc est, obligatio & solutio, cadere dicantur: alioqui donatio
E inter sponsos nihilo magis quam inter conjuges valeret; contra *l. 6. C. de donat. ant. nupt. l. cum hic status 32. §. penult. D. de donat. int. vir.* sponsa sponsum lugere cogeretur; neque ante legitimum tempus luctus nubere, propter infamiæ pœnam, auderet. contra *l. 10. D. de his qui not. infam.* Concludendum est igitur, cum sponsalia sint promissio futuræ præstationis, cum per ea futurarum nuptiarum obligatio contrahatur, eo non nisi per verba futuri temporis recte constitui: *Spondeo, me tibi maritum fore: Spondeo, me tibi uxorem fore*. Quod si verba præsentis temporis usurpantur, *Accipio te in uxorem*, *Accipio te in maritum*; tum per ea ver-
F ba neque sponsalia contrahi (quia datur & accipitur, non promittitur: ut cum pontifex, virgini Vestali dicebat, *Te, Amata, capio*, apud Agellium) neque matrimonium: quia jure civili matrimonium non verbis, sed solenni in domum deductione contrahitur. *d. l. 6. C. de donat. ant. nupt.* Jure autem divino matrimonium sine præcedentibus sponsalibus contrahi non potest, ut superius docuimus: quamvis Romano jure nonnunquam nuptiæ sine sponsalibus contrahebantur;

ut ex Plauti, & Terentii, & plerisque Jurisconsultorum locis intelligitur. quippe cum, perditis reipublicæ temporibus & profligatis civitatis moribus, etiam tacite & re ipsa, matrimonia sine ullo ritu, solo usu & consuetudine annua, contraherentur; fœdo certe & turpi atque improbato more, ut inter omnes bonos constat. Nequaquam igitur probanda est illa Petri Lombardi argutia, qui, cum juris civilis minus quam theologiæ peritus esset, *lib.* 4. *dist.* 28. ita loquitur: *Aliud est promittere, aliud facere. Qui promittit, nondum facit. Qui ergo promittit, se aliquam in uxorem ducturum, nondum eam in uxorem duxit; &, quæ spopondit, se nupturam, nondum nupsit.* Quid tum postea, Jurisconsulte noster? *Ergo*, inquit, *aliud est per verba de futuro, aliud per verba de præsenti sponsalia contrahere.* Quippeni? nam per illa, vera & justa sponsalia contrahuntur: per hæc, neque sponsalia contrahuntur, quæ sua natura in futurum tempus conferuntur: neque nuptiæ, quæ nudis verbis, sine solenni ritu & deductione non contrahuntur. Sed tamen non idcirco dicendum est, Quemadmodum aliud est promissio de vendendo, aliud venditio; sic aliud est promissio matrimonii, aliud matrimonium. Multo etiam minus hoc modo: Quantum interest inter pactionem de futuro contractu, & ipsum contractum; tantum fere distant sponsalia de futuro, a sponsalibus de præsenti, quæ sunt ipse contractus conjugii. Hæc atque hujusmodi multa dici video a bonis theologis, sed non bonis jurisconsultis. Nam jure civili promissio de vendendo aut locando nullius momenti est. nudi enim pacti nulla obligatio est. *l. si tibi.* 27. *C. de loc. & cond. l. nuda.* 5. *C. de contr. stip* Nudæ pollicitationis, ait Paulus, obligatio nulla est. *lib. sent.* 2. *tit.* 14. *& lib.* 5. *tit.* 12. Sic promissio de donando, jure Digestorum non erat obligatoria, & perspicue a donatione separatur. *l.* 1. *D. de trans-action. l. cum donationi.* 34. *C. eod. l. ex conducto.* 13. *§. Papinian. D. locat. l.* 3. *C. de repud. hered.* Conventio de redhibendo non est redhibitio. *l. quod si nolit.* 31. *§. illud plane.* 18. *D. de ædil. edict.* At promissio de contrahendo matrimonio certam obligationem, si minus jure Digestorum efficacem, at certe naturalem & jure divino firmissimam parit. Sic igitur apte & cum jure civili congruenter dictum fuit, Quantum interest inter contractum emtionis, venditionis, & traditionem rei venditæ; tantum fere interest inter sponsalia & nuptias. nam per illam obligatio contrahitur, cujus vis non ea est, ut rem emtoris faciat; sed ut venditorem ad rem tradendam obliget, aut id, quod interest, præstandum. *l.* 3. *D. de obl. & act. l.* 1. *& pass. D. de act. emt.* Per hanc vero rei venditæ dominium, quod penes venditorem fuit, in emtorem transfertur. Quod si quis roget, qualis per sponsalia obligatio contrahatur, ita respondendum est: Si quidem dies nuptiis dictus est, esse obligationem in diem; sin autem dictus non est, puram esse. Dies autem aut certa est, veluti, *kal. Maii*; aut incerta, veluti, *cum utrique nostrum erit commodum.* Hoc casu, sicuti ex stipulationibus in diem, ita ex sponsalibus præsens obligatio contrahitur, sed præstatio in diem differtur; ac peti res, prius quam dies venerit, non potest. *l. obligationum.* 44. *§.* 1. *D. de obl. & act. l. centesimis.* 46. *D. de verb. obl.* Sin autem diei mentio facta nulla est, præsens quidem obligatio nascitur, ac statim sponsa sponso debetur. *l. ei qui kalendis.* 41. *D. de verb. obl.* peti tamen prius non potest, quam tantum temporis præterierit, quo & commode & honeste fieri præstatio possit. *l. quod dicitur.* 105. *l. liber homo.* 118. *D. de verb. obl. §. ult. Inst. de inut. stipul.* Addidi autem *honeste*, partim propter

A regulam juris civilis antiquam; ut in matrimoniis non tantum, quod licet, consideretur, sed etiam quod honestum est. *l. semper. D. de reg. jur.* partim propter Apostoli præceptum, qui jubet, omnia in ecclesia recte atque ordine administrari. Sed quæ tandem istius novi & antea inauditi juris in usum Christianorum inducendi causa fuerit, paulisper considerandum est. Nam mihi quidem sic videtur: Cum animadversum esset, nonnullos e Christianorum numero libertatem illam in repudiis mittendis amplecti, & sponsalia de futuro contracta pro nihilo ducere; commodius visum est, ea per verba de præsenti constituere, ut eo modo pura

B & præsens obligatio contraheretur. Verum intelligere debebant, primum, isto modo, Dei institutum in Ecclesia & moribus Christianorum abrogari. Nam, cum Deus sponsalia nuptiis antecedere, primumque illum ad nuptias gradum esse voluerit; si sponsalia eodem, quo nuptias, modo contrahimus, an non sponsaliorum usum ex ecclesia tollimus, & res inter se disjunctas confundimus? Deinde, illi levitatis & repudiorum malo Deus satis pro sua sapientia occurrerat; cum ei, qui sine causa repudium mitteret, adulterii crimen imposuerat. Atque hæc quidem de sponsalitiorum verborum formulis & conceptionibus, a Decretalistis institutis,

C dicta sint. Proximum est, ut quid jus illarum formularum esse voluerint, consideremus. Primum autem hoc fuit, ut sponsalibus de futuro impune ac sine fraude renunciare liceret: quemadmodum societati, negotiationis causa contractæ, libere ab uno ex sociis renunciatur. *c.* 2. *& c. requisivit.* 17. *ext. de sponsal.* quod apertissime cum jure divino pugnare, supra multis locis demonstratum est. Secundum hoc fuit, ut, qui cum muliere sponsalia per verba de futuro contraxit, idem cum altera per verba de præsenti contrahere sponsalia, atque adeo matrimonium, possit. *c. commissum.* 19. *c. pen.*

D *ext. eod.* Quod cum idem juri divino perspicue adversatur, tum etiam civili æquitati, ut, quemadmodum qui binas uxores habet, sic & qui binas eodem tempore sponsas habet, infamia notetur. *l.* 1. *D. de his qui not. infam l. eum qui.* 18. *C. ad leg. Jul. de adult.* Quin etiam mulier, quæ ipsi nubet, ex civili æquitate, stupri tenebitur. *l. pen. D. ad leg. Jul. de adult.* Tertium est, ut sponsalia, de futuro facta, per insequentia verba de præsenti contracta, ipso jure evanescant. *c. sicut ex literis.* 22. *ext. eod.* contra naturalem & civilem æquitatem: qua constitutum est, ut, quo quidque modo contractum est, contrario modo dissolvatur; ac propter-

E ea certa in repudiis verborum solennitas usurparetur: *Conditione tua non utor. l.* 2. *D. de divort.* quippe cum æquitas, honestas, humanitas denique, postulet, ut mulieri honestæ, cui vir fidem dedit, si eam fallat, mature & testato, ut sibi consilium capiat, denunciet: neve minor sanctissimæ societatis inter virum & mulierem initæ, quam ejus quæ negotiationis causa contracta est, religio esse videatur, quæ sine renunciatione tacite pro socii libidine atque arbitrio dissolvi non potest. Quid multa? cum eodem civili jure, qui sciens, non rite atque ut oportet, repudiatam a marito uxorem ducit, adulterii teneatur. *l. pen. D. ad leg. Jul. de*

F *adult.* tantumque in observanda repudiorum forma momentum positum est, ut repudium, non rite, &, ut Ulp. ait, non secundum legitimam observationem factum, pro infecto habeatur. *d. l. pen. & l. si non secundum.* 35. *D. de don. int. vir. & ux. l. un. in fin. D. und. vir. & ux. l. nullum.* 9. *D. de divort.* Quartum jus est, ut concubitus, sponsalia per verba de futuro securus, pro justo & connubiali habeatur. *c. veniens.* 15. *c. cum is, qui fidem* 31. *ext. de sponsal. c. de illis.* 3. *& c. per tuas.* 6. *ext. de*

*cond. adpos.* Quod non modo juri divino & humano, verum etiam huic ipsi Decretalitio repugnat. Divino juri, quoniam nullus eo jure concubitus, nisi inter maritum & uxorem, justus & legitimus habetur. Maritus autem & uxor, ante nuptias & deductionem in domum, non dicuntur. *l.* 6. *C. de don. ant. nupt. l. pen. D. eod.* Civili juri; quia nuptiæ contra leges contractæ, hoc est, concubitus falsarum nuptiarum nomine admissus, pro stupro numeratur. *l. qui pupillam.* 7. *D. ad leg. Jul. de adult. l. præfectus. D. de rit. nupt. l.* 3. *§.* 1. *D. de don. int. vir. l.* 4. *C. de nupt.* Quintum est, ut concubitus sponsalia per verba de præsenti contracta secutus, pro legitimo & matrimoniali concubitu censeatur. *c. sicut.* 22. *ext. eod.* Quod a sanctissimo Dei instituto plane alienum est: qui, cum a nuptiis sponsalia distinxerit, sine dubio diversa illarum & horum jura instituit: quæ scelerate ac nefarie ab istis sacrilegis confunduntur.

### CAP. VIII.

*Altera contra Canonistas disputatio de sponsalibus, quæ vel pure vel sub conditione & in diem contrahi dicuntur.*

ALia quæstio est, utrum pure, an sub conditione, & in diem, contrahi sponsalia possint. Nam eodem Decretalistico jure receptum est, ut sponsalia quandoque pure, quando-

A que sub conditione contrahuntur. *c.* 1. *& c. per tuas. & pass. ext. de cond. adpos.* In eandemque sententiam & Petrus Lombardus, & plerique alii Sorbonistæ, multa disputant. Sed haud satis perite, meo quidem judicio. Sponsalia enim neque pure, neque sub conditione contrahi possunt, quia pure promissum statim peti potest. Sponsa autem peti jure divino, ut superius demonstratum est, nisi post tempus aliquod, non potest. Sub conditione non contrahuntur, quia promissio conditionalis obligationem suspendit; incertumque relinquit, utrum res debeatur, an non, quoniam in incerti casus eventum obligatio collata est. *l. conditio-* B *nales.* 64. *D. de verb. obl. §.* 4. *Instit. eod.* At sponsalia jure divino obligationem pariunt, ut sine adulterii crimine sponsus alteram ducere, sponsa alteri nubere, non possit: quemadmodum superius expositum est. Quid ergo est? Dicendum scilicet fuerat, sponsalia in diem contrahi: vel certam, veluti, *kal. Maiis proximis:* vel incertam, veluti, *cum utriusque commodum videbitur*, ut in manum conveniant, & nuptias celebrent. Nam, sicut ex stipulationibus in diem præsens nascitur obligatio, sed solutio in diem differtur, ac peti res prius, quam dies venerit, non potest, *l. obligationum.* 44. *D. de obl. & act. l. centesimis.* 46. *D.* C *de verb. oblig.* ita ex sponsalibus quidem confestim obligatio nascitur, sponsusque & sponsa debentur: sed petere alter alterum ante diem constitutum non potest, quemadmodum paulo ante dictum est.

---

# FRANCISCUS HOTMANUS, J.C.

## DE

# RITU NUPTIARUM

## ET

# JURE MATRIMONIORUM.

### CAP. I.

*Matrimonium inter, & nuptias, differentia, & utriusque definitio proposita.*



Rimum illud observandum est, quamvis matrimonii & nuptiarum nomina interdum promiscue usurpentur, velut *in §.* 1. *Instit. de pat. potest. & l. si ita.* 10. *l. eos qui.* 65. *§.* 1. *D. h. tit.* hanc inter illa differentiam observari posse, quod matrimonium est conventio inter virum & uxorem, de perpetua vitæ societate; nuptiæ vero, celebratio matrimonii, quæ certo

F ritu, pro variis cujusque civitatis legibus, instituta est. *l. pen. D. de don. int. vir. & ux.* Similiterque matrimonium a nuptiis distinguitur *in d. l. si ita. & l. seq. D. h. tit. §. si adversus. Inst. de nuptiis. l. inter eos.* 27. *D. de don. int. vir. & ux. l. neque.* 13. *C. de nupt.* Sed facilioris disciplinæ causa conjugium pro generis nomine statui poterit, ejusque duæ species substitui: matrimonium, & nuptiæ. *Matrimonium* autem ita definiemus, ut sit *justa viri & mulieris conventio de individua vitæ societate, liberorum quærendorum causa instituta.* Dixi, *justam*; quoniam conventio, quæ contra legum præcepta contracta est, neque nuptiarum, neque matrimonii jure censetur. *§. si adv. Instit. de nupt. l.* 4. *§* 8. *D. de grand. l.* 3. *D. de jur. dot. l.* 6. *C. de incest.* Dixi, *de perpetua vitæ societate*; ut apud Justin. *tit. de patr. pot. l.* 1. *D. rer. amot. l. si*

*rerum.* 52. *D. de re jud.* nam etsi quodam tempore libera divortia fuerunt, tamen Dionysius Halic. *lib.* 2. testatur, eam libertatem primis & antiquis reip. R. temporibus non fuisse: ac propterea divortium Romae per annos 520. nullum fuisse: quod Agellus confirmat, *lib.* 4. *c.* 5. & Plinius *lib.* 7. *c.* 9. & Tertull. *in Apologet.* Quinetiam quamvis Romano jure libertas illa retenta sit, tamen vel ominis causa non fuit haec adjectio in definitione praetermittenda: cum eo animo matrimonia contraherentur, ut perpetua manerent. *l. si, cum dotem.* 22. *§. maritus.* 7. *D. sol. matr.* Dixi, *liberorum quaerendorum causa*, quoniam id demum jure nostro legitimum matrimonium est, quod ea causa institutum. Ulp. *tit. reg.* 4. *Si uxorem duxerit, testatione interposita, quod liberorum quaerendorum causa uxorem duxerit.* Quapropter inter eos, qui vel aetatis vitio generare liberos non possunt, contrahi legitimum matrimonium non potest, ut alibi jam dictum est.

## CAP. II.

*De personis, quae contrahere nuptias possunt: ubi de aetate, statu, patria, & conditione earum differitur.*

DEinceps ad partitionem accedamus. Ac de personis primum videndum est. Quarum jus in his octo versatur: aetate, statu, patria, conditione, potestate, cognatione, adfinitate, & adoptione. Ergo de aetate sic habendum est: Quantum aetatis tempus ad procreandos liberos idoneum fuit, tantum ad contrahendas nuptias legitimum fuisse. Itaque, ut primum idoneum esse coepit, legitimum esse coepisse; simul atque desiit, simul etiam desiisse. Idoneum autem esse incipit a pubertate. Sed, cum de pubertate lex verus (opinor 12. tab.) scripta esset, quaesitum est inter Jurisconsultos, quoto ex anno pubertas aestimaretur. Cassiani ex habitu corporis aestimabant. quod Justinianus interpretatur de pube a judicibus inspecta: sed in maribus duntaxat: cum in feminis anni 12. exitus spectaretur. *pr. Inst. quib. mod. tut. l. ult. C. quando tut. vel cur.* Proculiani vero decimi quarti anni finem tantummodo requirebant. Priscus Javolenus utrumque, hoc est, & corporis habitum, & annorum numerum: ut Ulp. *reg. tit.* 11. testatur. Proculianorum sententia recepta est: qui, quod ἐπὶ τὸ πλεῖστον accidit, spectabant. Nam Macrobius, Saturn. *lib.* 7. *cap.* 7. *Secundum jura publica*, inquit, *duodecimus annus in femina, & quartus decimus in puero, definit pubertatis aetatem.* Tertull. de virg. vel. *Tempus etiam ethnici observant, ut ex lege naturae jura sua aetatibus reddant: nam feminas quidem a duodecim annis, masculos vero a duobus amplius, ad negotia mittunt, pubertatem in annis, non in sponsalibus aut nuptiis, decernentes.* hoc est, non quo tempore contrahere nuptias possunt. Quod idem Plutarchus *in Numa*, & Dio *lib.* 54. testantur. Legis autem hujus sanctio haec fuit, ut, si nuptiae ante id tempus celebratae essent, hoc est, si puella ante id tempus in viri domum solenniter, adhibita pompa nuptiali, deducta fuisset; non ante justa legitimaque uxor haberetur, hoc est, non ante uxorium ei jus competeret, quam apud virum 12. annum implesset: *l. minorem.* 4. *D. h. t.* veluti, ut dos ei deberetur. *l. dotis promissio.* 68. *D. de jur. dot.* Fuit autem

A inter veteres quaestio, Si nuptiae ante mulieris pubertatem celebratae essent, id est, si mulier impubes in viri domum deducta esset, cum vere proprieque nuptiae non essent, an haec tamen sponsalia dici possent. Qua in sententia Julianus fuit, opinor, ut, quod actum erat, aliquatenus valeret potius quam periret. sicuti acceptilatio per se inutilis, tamen pro pactione valet, *l. si unus.* 27. *§. pern. D. de pact.* Contrariam tamen sententiam Labeo, Papin. & Ulp. amplexi sunt; propterea quod sponsalia non in domum deductio facit. *l. quaesitum. D. h. t. l. cum hic status.* 32. *§. pen. D. de don. int. vir. & uxor. l. dotis.* 68. *D.*
B *de jur. dot.* sed expressa promissio futurarum nuptiarum. *l.* 1. *D. h. t.* Atque haec quidem de aetate dicta sint. Deinceps de statu videamus. Ergo de statu personarum hoc jus fuit, ut inter liberos & servos connubium non esset. *l. Proculus.* 67 *D. de jure dotium.* ubi contractum inter liberum & ancillam matrimonium pro nullo haberi traditur. Itaque ex eo concubitu concepti, servi nascuntur. *l.* 3. *C. de incest. nupt.* & apud Ulp. *in regulis.* Quod si mulier libera servo se alieno junxerat, jure antiquo, ex S. C. Claudiano, si denunciante domino non desistebat, ei domino cum suis bonis omni-
C bus in servitutem addicebatur. Quod tamen a Justiniano abrogatum est, *l.* 1. *C. de senat. Claud.* & apud eund. Ulp. *reg. tit.* 11. Praeterea, nec adscriptitio cum libera muliere connubium est, quamvis dominus consenserit. Qui tamen ex eo concepti sunt, liberi nascuntur, ex Justiniani constitutione. *l. ult. C. de agric. & censit. lib.* 11. *& Novell.* 22. *& Novell.* 54. Adscriptitiae tamen cum homine libero connubium est: ex eoque concepti, adscriptitii nascuntur. *l. mulier.* 16. *& d. ult. C. de agric. & cens.* De patria jus hoc constitutum est, ut, qui cives R. non sunt, nisi civitate impetrata, connubii jus non habeant. *pr. Inst. de nupt.* adeo ut ex peregrino & cive R. natus, peregrinus esset, ex
D lege Mensia. de qua Ulpian. *tit. regul.* 5. Seneca *lib. de benef.* 4. *Promisi tibi filiam in matrimonium: postea peregrinus apparuisti: non est mihi cum extraneo connubium.* Itaque Livius, *lib.* 37. scribit, Campanos non nisi civitate impetrata jus connubii cum Romanis mulieribus habuisse. Post, cum Antonini constitutione omnes, qui in orbe Romano erant, cives Romani effecti essent. *l. in orbe.* 17. *D. de stat. hom.* barbaris tantum jus connubii denegatum est. *l. un. C. Th. de nupt. gent.* Porro, conditio personarum partim in dignitatis gradu, partim in familiae jure consistit. In dignitate, veluti utrum quis patricius sit, an plebejus. nam le-
E ge 12. tabb. sancitum fuerat, ut ne inter patricios & plebejos connubii jus esset. quam abrogatam fuisse Livius, *lib.* 4. & Dionys. *lib.* 11. testantur. Item, utrum quis ingenuus sit, an libertinus. Nam antiquo jure inter eos connubium non fuisse, patet ex *l. lege Papia.* 23. *D. h. t.* Ubi Celsus ait, lege Papia nominatim cautum fuisse, ut id deinceps extra Senatorum ordinem liceret. Sed & Dio, *lib.* 54. scribit, cum major esset ingenuorum marium numerus quam mulierum, Augustum illa lege permisisse omnibus, praeter senatores, ex libertino genere uxores ducere; justosque ex eo matrimonio liberos
F nasci statuit. Eadem tamen lege interdicta ingenuis matrimonia fuerunt cum infamibus feminis, veluti cum lena; item a lenone lenave manumissa, item ea quae palam corpore quaestum faceret, fecissetve; item quae in adulterio deprehensa, judiciove publico damnata; vel quae artem ludicram exercuisset, ut ait Ulp. *reg. tit.* 13. Eoque varii Jurisconsultorum loci referendi sunt, ex eorum in leg. Juliam & Papiam commentariis sub hoc Digest. tit. descripti. veluti, *l. palam.* 43. *l. generali.* 34. *§.*

A *ream. l. reas*. 29. *eod.* Ad dignitatem præterea pertinet senatorii ordinis gradus: de quo lege Julia sancitum est, ne quis senator senatorisve filius, nepos, pronepos, libertinam aut infamem uxorem duceret: neve senatoria filia, neptis proneptisve ex filio, libertino infami ve viro nuberet. *l. oratione*, 16. D. *h. t.*

## CAP. III.

B *De patria potestate, patrumque in nuptiis consensu, & auctoritate tutorum: sed primo de rectoribus provinciarum.*

Sequitur potestatis consideratio. Quæ tripartita est. Nam prima in provinciarum rectoribus, altera in parentibus, tertia in tutoribus & curatoribus versatur. Nam provinciarum rectoribus, eorumque officialibus, itemque filiis, interdictum est, ne inde oriundam, vel ibi domicilium habentem, uxorem ducant. *l. si quis officium*. 38. *D. h. t* Quod propter potentatus rationem institutum Papinianus scribit: ne videlicet non ducere, sed potius trahere, extorquere, eripere uxores viderentur. *l. præfectus*. 63. *D. eod.* Idque jus mandatis Principum introductum fuisse, patet *ex l. eos qui*. 65. *D. eod. l.* 6. *C. de nupt.* quibus statuitur, ut, si post depositum officium ambo in eadem voluntate maneant, nuptiæ convalescant, liberique postea suscepti justi habeantur. Hoc autem etiam ad illorum propinquos, comites, & domesticos posterius productum est. *l.* 1. *C. si rect. prov.* De filiabus diversa ratio est: nam eas in matrimonium collocare suo arbitratu possunt. *d. l. si quis officium. §. ult. D. h. t.* Cujus diversitatis ratio summo labore a multis investigata est. Ego hanc expeditissimam & certissimam arbitror, quia filia deposito officio sic relinquitur in provincia, ut eam maritus suo arbitrio vel male ob patris injuriam multare possit, vel repudiare, & ad suos remittere. Utcunque sit, Leonis Philosophi constitutione etiam hæc familiarum matrimonia interdicta sunt. *Novell.* 23. Sequitur parentum potestatis consideratio. De qua ita statuendum est, Nuptias a filiis filiabusve sam. non jussu ejus, cujus in potestate sunt, contractas, injustas esse. *l.* 1. D. *h. t. pr. Inst. de nupt* adeo ut nec distractæ conciliari, sine eorundem consensu, possint. *l. nuptiæ*. 18. *D. h. t. l. si, ut proponis*. 7. *C. de nupt.* Legis æquitatem Justinianus partim civilem esse scribit, hoc est, patriam potestatem; partim naturalem, quam Jurisconsulti æque propemodum, ut illam, observant; nimirum honorem & reverentiam, quæ naturæ jure parentibus æque omnibus debetur. *l.* 2. *D. de just. & jure. l.* 6. *D. de in jus voc.* Itaque Plutarchus, cum *in vita Numæ* scribit, eum Romuli legi, de patria liberorum vendendorum potestate, derogasse, si modo uxorem auctoritate & jussu patrum duxissent: εἰ τοῦ πατρὸς ἐπαινοῦντος καὶ κελεύοντος ὁ γάμος γένοιτο, perspicue significat, si contra ipsorum voluntatem duxissent, integram legem reliquisse. Verum ex illa regula multiplex nascitur disputatio. Prima est de personis parentum. Quid enim, si de nuptiis nepotis aut neptis ex filio in potestate retento quæratur, utrum & avi & filii consensus requiratur, an avi solius sufficiat? De qua quæstione, ut ingenue fatear, non puto satis inter Jurisconsultos convenisse. Nam Paulus. *in l.* 3. *D. h. t.* solius avi consensum sufficere adfirmat: at idem *in l. oratione*. 16. *§.* 1. etiam filii consensum requirit. Ulpianus autem, cum *in l. si nepos*. 9. *eod. tit.* scribit, ubi pater furit, avus sapit, si nepos velit uxorem ducere, solius avi voluntatem sufficere: an non aperte ostendit, si uterque sapiat, utriusque voluntatem exquiri? Neque me recepta & usitata solutio movet, quod in priore loco nepos ex uno filio, neptem ex altero, id est, frater patruelis sororem patruelem ducebat: in altero vero nepos extraneam ducebat, ac proinde invito suus heres adgnascebatur, contra juris regulam *in. l.* 6. *D. de adopt. §.* 7. *Inst. eod.* Nam, cum inter omnes constet, suum heredem eum demum dici, qui primum in testatoris familia heredis locum obtinet; pronepos ex illis nuptiis vivo filio nasciturus, filio suus heres adgnaturus non erat: nepos autem, qui volens nuptias contrahebat, dici invitus non poterat. Mihi autem probabilior Pauli sententia posterior ideo videtur, quia videmus, etiam in nuptiis nepotis ex filio emancipato, avi, qui in potestate non habet, consensum, si minus civili, at certe naturali jure, hoc est, honestatis ratione, requiri. *l.* 3. *§. si emancipatus. D. contr. tab.* Utcunque sit, illud constat, per illa regulæ superioris verba, *quorum in potestate sunt*, excludi primum matrem & avum maternum, deinde patrem emancipati filii filiæve. Verum id civili tantum ratione. Nam honestatis causa, quæ in conjunctionibus dominatur, *l. semper*. 42. *D. h. tit.* non modo matris, sed etiam propinquorum consensus requiritur: quippe cum jure naturæ omnibus æque parentibus honos & reverentia debetur. *l.* 2. *D. de just. & jur. l.* 1. *&* 2. *D. de obseq. parent. l.* 6. *D. de in jus voc.* Pietas parentibus, etsi inæqualis est eorum potestas, æqua tamen debetur. 4. *D. de curat. furios.* Eademque ratione, patris etiam, aut avi, qui filiam emancipavit, consensus requiritur. *d. l.* 3. *D. contr. tab.* Quamquam jure civili, quo per emancipationem patria potestas dissoluta est, natus ex eo matrimonio usque adeo justus filius habetur, ut nepos natus ex eo filio emancipato, qui non jussu patris uxorem duxerat, patri suus heres adgnascatur. *l. filius*. 23. *D. h. t.* Atque hæc quidem de filiis ita se habent. Filiarum enim diversa causa est. Nam filia, quamvis vel emancipatione, vel patris morte sui juris sit; tamen, si minor sit ann. 25. non modo primas, sed ne secundas quidem nuptias, sine parentum & propinquorum curatorumve suorum consensu contrahere potest: inter quos si de marito eligendo minus conveniat, ejus rei arbitrium judici tribuitur. *d. l.* 1. *l. viduæ*. 18. *l. in conjunctione*. 20. *C. de nupt.* Cujus rei exemplum extat apud Livium. *lib.* 14. ubi scribit, magistratum secundum matris arbitrium nuptiarum jus dedisse. Major autem ea ætate filia, sine patris consensu nubens, exheredari non potest: sed minor potest. *arg. l. cum te*. 18. *& l. filia*. 20. *C. de inoff. testam. & Novell.* 115. Sequitur altera de parentum persona disputatio. Quid enim, si pater aut absit, aut furiosus existat? De absente hoc jus est, ut, si vel apud hostes sit, vel, ubi sit, ignoretur, triennium ei exspectando præfinitum sit; cum eo tamen moderamine, ut, si filius eas nuptias contraxerit, quas improbaturus non esset, ratæ haberentur. *l. si nepos*. 9. *§.* 1. *& ll. seqq. D. h. t.* De furioso vero Justinianus scribit, antiquo jure in filia patris consensum non desideratum fuisse. de filio, dubitatum. neque dubitandi causam exponit. Parem tamen ex Paulo utriusque rationem habitam fuisse, patet *ex l. quoties*. 8. *D. de pact. dotal.* quippe cum a furioso exspectari consensus non possit. qua de causa contrahere matrimonium non potest.

potest. *l. oratione*. 16. *in fin. D. h. t.* Neque, opinor, illa fingi potest ratio, ne illi invito suus heres adgnascatur: cum, si ad sanitatem revertatur, idem, quod de absente domum reverso, dici possit: nimirum, ut, si honestæ nuptiæ sint, & quales sanus pater non improbaturus fuisset, pro legitimis habeantur. Itaque Justinianus idem in filio, quod in filia, jus constituit. *l. si furiosi*. 25. *C. de nupt. pr. Inst. eod.* Ubi autem de nepotis nuptiis agitur, & vel avus vel pater solus furite, ejus solius, ut jam diximus, qui sapit, auctoritas sufficit. *l. si nepos*. 9. *D. h. t.* Sequitur secunda disputatio, quæ ex verbo *jussus* oritur: Utrum scilicet consensus & adprobatio sufficiat, an vero jussus ex antefacto sit necessarius: cum illo verbo & prætor & ceteri utantur. *in l.* 1. *D. de his qui not. infam. pr. Inst. de nupt.* Sed intelligendum est, *jussus* verbum in patrefam. usitatum esse pro voluntate, consensu, adprobatione. *l.* 2. *D. sol. matrim.* Itaque non modo consensus post nuptias expressus, non justas nuptias justas efficit. *l. dotis promissio*. 68. *D. de jur. dot.* sed etiam tacitus consensus sufficit. qui vel ex eo solo æstimatur, quod pater non aperte factum improbat. *l. in sponsalib.* 7. *D. de sponsalibus*. *l. si, ut proponis*. 5. *C. de nupt.* Superest illa ex fine regulæ disputatio, Ecqua illius, sive regulæ, sive legis, sanctio sit. id est, utrum nuptiæ, injussu patris factæ, ipso jure non consistant quidem, sed vel a patre, vel a magistratu rescindi possint; aut qui contraxerunt, aliqua pœna, veluti exheredationis, multari possint. Quam etiam quæstionem retulimus *Illustr. quæst. cap.* 9. Nam quod nuptiæ omnino nullæ sint, videtur ex illis verbis disputari posse: Nuptias hujusmodi non consistere. *l.* 2. *D. h. tit.* jure contractas non esse: Paulus *lib. sent.* 2. justos ex iis liberos non nasci: *l.* 11. *D. de stat. hom.* denique, ut Papin. ait, *nuptias non esse*; sic enim Florentiæ scriptum est *in l. dotis*. 68. *D. de jur. dot.* Quid verbis opus est? Nam Apulejus, *lib.* 6. ita scribit: *Nuptiæ in villa, & patre non consentiente, factæ, legitimæ non possunt videri: ac per hoc spurius iste nascetur.* Quod si verum est, sane difficile dictu est, magistratum filiis ex istiusmodi sive injustis, sive nullis nuptiis susceptis, jus redditurum; sive bonorum possessionem postulent. *l.* 1. *D. und. vir & ux.* sive inofficiosi agere instituant. Ne multis morer; credo, in hac quæstione idem dici posse, quod de falso testamento & falso modio dicitur *in l. Paulus*. 221. *D. de verb. sign. l.* 2. *D. test. quemad. aper.* nimirum, esse quidem testamentum & modium, sed ὁμωνύμως tantum. ut de magistratu Varro scribit: *Magistratus vitio creatus, nihilo secius magistratus est*. Et servus nefasto die a prætore liberatus, liber est, sed vitio liber. Atque has esse nuptias, quæ injustæ adpellantur *in l. si uxor.* 23. *§. plane.* 1. *D. ad leg. Jul. de adult.* totamque hanc quæstionem judicis prudentiæ committendam, qui filii merita expendat, dicitur *in l. capite*. 19. *D. de rit. nupt.* Nam, etsi justæ nuptiæ non dicantur, quantum ad patrem aut avum; tamen videntur, quantum ad conjuges, ex perseverantia eorum in matrimonio, nuptiæ convalescere. *argum. l. si quis in senatorio*. 27. *& l. eos qui*. 65. *D. h. tit. l. si contra*. *C. de nupt. d. l. dotis. D. de jur. dot.* Verum, ut singulas istius quæstionis partes accuratius explicemus, quantum ad primam attinet, qua quæritur, An pater filiam, quæ sine ipsius consensu nupserat, abducere a marito possit; ita statuendum arbitror, Legem illam Numæ, de qua paulo ante diximus, non videri ad filias productam; sed civili jure, multis post Numam ætatibus, licuisse patrifa. filiam, etiam quam nuptum collocaverat, vi patriæ potestatis abducere: verum, ejus juris acerbitatem Imperatorum constitutionibus mitigatam fuisse, & non

A modo matrimonium conservatum, verum etiam, nisi gravis & magna repudii a patre mittendi causa intervenisset, concedi solitam marito non modo exceptionem adversus patrem, interdicto de liberis exhibendis utentem, verum etiam interdictum de uxore exhibenda, & ducenda, ad illius exemplum institutum. *l. cum hic status*. 32. *§. si socer*. 19. *D. de don. int. vir. l.* 1. *in fin. l.* 2. *D. de lib. exhib. l. ult. C. eod. l. dissentientes*. 5. *C. de repud. Nov.* 22. *& l.* 11. *C. de nupt.* Et secundum hoc jus postremum, Imperatorum constitutionibus inductum, illud accipiendum est, quod ait Paulus *lib. sent.* 2. *tit.* 19.
B *filiorumfa. matrimonia, sine parentum voluntate contracta, injusta quidem esse, sed tamen vi patriæ potestatis non dissolvi: propterea quod publicæ utilitatis ratio privatorum commodis præfertur*. Nam illas sententias Paulus ad jus, quo tum utebatur plerumque, adcommodavit. Non igitur justa erat uxor, non justi liberi, neque iis de inofficioso patris testamento querentibus jus dicebatur. Præterea, cum dicit *privatorum commodis*, non obscure ostendit, graviorem ejus dirimendi matrimonii causam non fuisse, sed patri tantum ita placuisse: sicuti de matre dicitur *in d. l. filia*. 20. *C. de inoff. test.* Eoque illi Enniani versus pertinent, ex lib. ad Heren. 2.

C

*Injuria abs te adficior indigna, pater.*
*Nam si improbum esse Cresphontem existimaveras,*
*Cur me huic locabas nuptui? sin est probus,*
*Cur talem invitum invitam cogis linquere?*

At quæ filia emancipata nupsit, abduci a patre non potest, nec ejus matrimonium dirimi. *d. l.* 5. *C. de repud. & d. l. cum hic status*. *§. si socer. D. de donation. inter vir. & uxor.* Sequitur altera quæstionis pars, An liberi, qui contra parentum voluntatem
D matrimonium contraxerunt, exheredari possint. Sane, novo Justiniani jure non esse justam exheredationis causam, patet *ex Novell.* 115. ubi unam hanc ob causam nuptias contra parentis voluntatem contractas recenset, cum filia oblatam sibi a patre conditionem repudavit, & aliam turpem delegit. At jure antiquo non dubito, quin illa causa probata centumviris fuisset, quorum de inofficiosis testamentis & exheredati meritis notionem fuisse, nemo ignorat. *l.* 3. *§. si emanc. D. de bonor. possess. contr. tabul. l. filius. D. de inoff. testam. l. si filiam*. 19. *C. eod.* Primum propter vim patriæ potestatis, de qua supdiximus, ut non modo ex juris civilis regulis, verum etiam ex Principum constitutionibus, liceret
E patri, si qua justa causa esse videretur, filiam a genero abducere, & matrimonium dissolvere. Deinde, quoniam edicto pretoris infamia notabatur filius qui non jussu ejus, cujus in potestate est, uxorem duxerat. *l.* 1. *D. de his qui not. inf.* Tertio, quia Ulp. testatur, justam irarum causam videri etiam contra emancipatum filium, atque adeo contra nepotem ex eo susceptum, si filius injussu patris uxorem duxerit: &, si eum in suo testamento præterierit, ac velit nepos contra tabulas agere, judices ejus merita expensuros; nimirum, ut si justa irarum causa videatur, eum excludant. *d. l.* 3. *§.* 5.
F *D. contr. tab.* Neque obstat *l. cum te*. 18. *C. de inoff. test.* ubi dicitur, non fuisse justam causam exheredandi filiam, quod patri divortium imperanti parere noluisset. Primum, quoniam ex verbis legis intelligi non potest, neque utrum ea filiafam. an emancipata fuerit; neque si filiafam. fuit, utrum consentiente, an dissentiente patre, nuptias contraxisset. Atque hæc quidem de filiisfa. Nam, quod ad filias attinet, cum etiam in emancipatis & matris & propinquorum consensus requiratur, ne-

quaquam dubium eſt, quin filiafa. minor annis 25. quæ non juſſu patris nupſerit, juſtam patri exheredationis cauſam præbuerit, non tantum noviſſimo jure, *d. Novell.* 115. verum etiam antiquo, *arg. l. filia.* 20. *C. de inoff. teſt.* Sequitur tutorum & curatorum conſideratio. Nam ſenatuſconſulto cautum fuit, ut, qui tutor, curatorve, pupillam, adultamve, intra viceſimum & ſextum annum ſuam duxit, filiove ſuo junxit, infamia notetur, & dotem datam reſtituat. *l. non eſt matrimonium.* 66. *D. h. t. l. ſi tutor.* 7. *C. de interd. matrim. l.* 4. *C. de excuſ.* Ubi juris iſtius æquitas hæc profertur: Quoniam iſtis artibus tutelæ adminiſtratæ rationes conturbantur, & fraudes malæ adminiſtrationis teguntur. Quod idem traditur *in l. libertum.* 64. & *l. non ſolum.* 67. §. 2. *D. h. t.* Ejus autem S. C. ſententia, quatenus produci aut arctari debeat, conſiderandum eſt. Producitur ergo hoc modo: Primum, ut etiam ad eos pertineat, qui tutores quidem non ſunt, tutelæ tamen periculo ſuo nomine obſtricti ſunt; veluti, qui ſe falſis adlegationibus a tutela excuſarunt. *l. ſi quis tutor.* 60. *eod.* Idem, qui tutores honorarii fuerunt: nam ad hos quoque tutelæ periculum pertinet. *l. quod ſi forte.* 14. §. 1. *D. de ſolut.* Continentur etiam tutorum heredes, quamvis extranei: quippe qui reddendis tutelæ rationibus obſtricti ſunt. *l. libertum.* 64. §. 1. *D. h. t.* atque adeo ejus, qui tutor curatorve datus, non juſte adpellaverit: quoniam præteriti temporis damnum, ſi quod pupilla ſuſtinuit, debet adgnoſcere, *l. ſi quis tutor.* 60. §. *ultim. D. eod.* Item ad filios, ſive in poteſtate ſint, ſive emancipati. *l. non eſt.* 66. *D. h. t.* & ſive naturales, ſive adoptivi; quamdiu ſcilicet durat adoptio. *l. quin etiam.* 55. *in fin. eod.* item, ſive naturales, ſive in adoptionem dati, atque in alienam familiam tranſlati ſint, *d. l. ſi quis tutor.* §. *quamvis.* & §. *naturales.* Item ad eorum nepotes. *l. ſenatuſconſ.* 59. *h. t.* Præterea non modo tutore vivo filius ab iſtis nuptiis arcetur, verum etiam poſt mortem ejus, qui tutelę rationes non reddidit. Item, ſive ille heres extiterit, ſive abſtinuerit, ſive etiam exheredatus fuerit: quoniam fieri poteſt, ut patris bona, in eum collata, propter tutelæ rationes revocanda ſint. *l. non ſolum.* 67. §. 1. *D. eod.* Similiter autem vice verſa filiusfam. tutor non modo patri ſuam pupillam nuptum dare prohibetur, verum etiam fratri, qui in ejuſdem poteſtate eſt. *l. non ſolum.* 67. x. 2. *D. h. t.* Nam cum fratres, qui in ejuſdem poteſtate ſunt, quantum ad bonorum rationem, pro eadem perſona cenſeantur, *l. frater a fratre.* 38. *D. de cond. indeb.* frater, qui pupillæ ſuæ, fratri ſuo nubenti, auctoritatem ſuam adcommodaret, in rem ſuam auctor eſſe videretur, contra *l.* 7. *D. de auct. tut.* Nunc, quatenus S C. ſententia coerceri debeat, videamus Nam, cum diſerte ob tutelarum rationes factum ſit, *l. non ſolum.* 67. §. 3. *D. h. t.* conſentaneum eſt, primum, ut ad eos, qui aliis de cauſis debitores ſunt, non producatur; veluti ad eum, qui pro tutore curatoreve negotia geſſit, cum revera tutor curatorve non eſſet, *l. ult. C. de inter. matr.* item ad fidejuſſores nominatoreſve tutorum, magiſtratuſve qui eos dederunt; quamvis, tutoribus deficientibus, eorum periculum ſubeant. *l. etiam.* 3. *D. de fidejuſſor. & nominat.* item ad filiam pupillæ etiam ante rationes redditas defunctæ: quoniam non tutelaris, ſed hereditaria ratio eſt, *d. l. non ſolum.* §. *penult.* Similiter, cum hoc S. C. factum ſit, ne res pupillorum familiaris intervertatur, *d. l. non ſolum* § 3. conſentaneum eſt, ne tutores pupillis, curatoreſve adultis, filias ſuas nuptum dare prohibeantur, quia nullum poteſt ex ejuſmodi matrimoniis periculum pupillaribus rationibus accidere *l. libertum.* 64. *in fin. D. h. tit. l. curatorem.* 5. *C. de interdict. matrim.* item ne mater pupillæ cum filiæ ſuæ tutore ipſiuſve nubere filio vetetur. *l.* 2. *C. eod.* Hujus autem S. C. exceptiones tres reperio. Prima eſt, ſi puella a patre ſuo vel deſponſata, vel teſtamento deſtinata ſit ſuo tutori, ejuſve filio, *l. ſi patris. C. de interd. matr. l. non eſt.* 66. *D. h. t. l. qui pupillam.* 7. *D. de adult.* Secunda eſt, ſi tutor rationes reddiderit, & puella annum ætatis 25. atque inſuper annum utilem exceſſerit, intra quem petere in integrum reſtitutionem poterat, *l. quamquam.* 62. §. *ult. D. h. tit. d. l. qui pupillam. de adult. l. ſi patris. C. de nupt.* quem annum utilem Juſtinianus in continuum quadriennium mutavit. *l. ult. C. de temp. in int. reſtitut.* Tertia exceptio eſt, ut, qui ſuæ uxori curator abſens & ignorans conſtitutus eſt, retinere uxorem poſſit; ita tamen, ut alium ſubſtituendum curet, *l.* 4. *C. de excuſ.* Nam etſi ejuſmodi curatoris datio non valet, *l. maritus. C. qui dar. tutor.* tamen, qui non jure tutores curatoreſve dantur, curare debent, ut alii ſufficiantur; aut pupillorum propinquos, ut id faciant, admonere, *l.* 1. §. *ult. D. de eo qui pro tut. l. tutores.* 39. §. *qui ſe.* 2. *D. de adminiſtr. tut.* ſimiliterque is, qui ſuæ nurui curator datus eſt, excuſare ſe debet, dareque operam, ut alius curator conſtituatur, *l. licet.* 17. *C. de excuſat. l.* 3. *C. de interd. matrim.* Sequitur ut de cognatione & adfinitate ex partitione noſtra diſſeramus. Verum quia juris hujus utriuſque diſputationi commodior alibi locus eſt, ſtatim poſtremum caput, quod de adoptione eſt, adgrediemur.

## CAP. IV.

### *De adoptione, quæ nuptias vel impedit, vel non impedit.*

ADoptio, adgnationis ſive (ut Juriſconſulti loquuntur) civilis cognationis ſpecies eſt, *l.* 4. §. 2. *D. de grad.* a jure tamen & ratione ſanguinis plane aliena. *l. qui in adopt.* 23. *D. de adopt.* hoc eſt, ab omni veræ cognationis jure, *d. l.* 4. §. 3. & *l. ſi qua mihi.* 12. §. *ult. D. de rit.* Adfinitatem autem per adoptionem jure contrahi, alio loco ex eo probavimus, quod adfinitas juris naturalis eſt, adoptio vero civilis. qua de cauſa per minimam capitis minutionem adfinitas non tollitur. *l.* 4. §. *pen. D. de grad.* Abuſive tamen adfinitatis nomina etiam in adoptione tribui, eodem loco demonſtravimus. Itaque de nuptiarum jure hanc regulam proponemus, ut in linea directa nuptiæ in infinitum interdictæ ſint, non modo inter eas perſonas quæ adgnatorum jure ſunt, ſed etiam quæ cognatorum & adfinium nomen obtinent. Adgnatorum hoc modo: nam quæ per adoptionem filia neptiſve eſſe cœpit, duci uxor non poteſt, etiamſi adoptio diſſoluta ſit, *l. quin etiam.* 55. *D. de rit. nupt.* & §. *ergo non omnes. Inſt. de nup.* Prioris juris æquitas orta ex nominum & adpellationum ſanctitate videtur, ne, qui pater avuſve dicitur, filiam, neptemve, in matrimonio habeat. Alterius vero hæc; pudoris & honeſtatis publicæ ratio, ne qua ſuſpicio naſcatur, adoptatorem idcirco puellam emancipaſſe, ut, quæ clam placuerat, ea palam atque aperte frueretur. De adfinitate autem hoc jus eſt, ut patri adoptivo filii ſui adoptivi uxorem habere in matrimonio non liceat, ne poſt emancipationem quidem: quoniam, ait Paulus, aliquando nurus ei fuit, vel potius quaſi nurus, *in d. l. adoptivus.* 14. *D. h. t.* Quod eodem modo contra in reciprocatione ſervatur, ut fi-

lius adoptivus patris adoptivi uxorem, ne post emancipationem quidem, habere possit: quoniam, etsi nec matris loco ei est, nec cognata, *d. l. qui in adoptionem. D. de adoption.* tamen quasi novercæ locum apud eum obtinet. *d. l. adoptivus. in princ. & §. nunc videamus. D. de rit. nupt.* Cognationis autem nullam haberi rationem, ex eo constat, quod etiam uterinam patris adoptivi sororem ducere permittitur. *l. si qua mihi. 12. §. ult. D. de rit. nupt.* Videamus, an idem eodemque modo etiam de ipsius matre dici possit, quippe quæ omnino extranea est: nam neque illi adgnata est, cum ne patri quidem ipsius adoptivo adgnata sit; (mater, inquam, filio adgnata non est. *l. 7. D. de cap. min.* qua de causa dilucide Paulus scribit, eam aviæ loco filio adoptivo non esse. *d. l. 23. D. de adopt.*) neque vero cognata, & multo minus adfinis. Nam, cum per adoptionem cognatio non contrahatur, sequitur, ut neque patris adoptivi mater, neque ipsius cognati, adoptivo filio cognati sint. *d. l. 4. §. 2. D. de grad.* Quibus enim adoptatus adgnatus non fit, his nec cognatus fit. *l. qui in adoptionem. 23. D. de adopt.* Quid verbis opus est? Nam etiam patris adoptivi pater adoptato extraneus est; vicissimque nepos a filio adoptatus, patri adoptatori alienus est. *l. patris. 7. l. sed si hoc. 10. §. parentes. D. de in jus voc. l. quem filius. 26. D. de adopt.* quippe cum adoptare filiusf. non possit, sed is solus qui emancipatus est. nam, qui in sua ipse potestate non est, quomodo alios haberet? *l. si adrogatus. 22. D. de apopt.* Adversari tamen graviter videtur Cajus, *in d. l. quin etiam. §. 1.* ubi diserte scribit, Patris adoptivi matrem duci uxorem non licere. Quin etiam adscribit, Tantisper eas nuptias prohiberi, dum adoptio permanet: nam hac dissoluta illam fieri extraneam. Quod sane (pace Caii jurisconsulti dixerim) perabsurdum videtur; cum, ut antea docuimus, ne constante quidem adoptione, ullum vel adgnationis, vel adfinitatis jus haberet. Ne multis morer, potius quam Cajum tantæ incogitantiæ arguamus, existimarem, dicendum esse, cum ipse *amitam* scripsisset, primum oscitantem librarium scripsisse *matrem*, mox alterum semidoctum ad glossam adjecisse *aut materteram:* errore consimili, quem nunc omnes agnoscunt apud eundem Cajum, & eod. ad edictum lib. *l. per adoptionem 17. in fin. D. eod. tit.* ubi pro *amitam* absurdissime in vulgatis libris omnibus legebatur *materteram.* quod mendum primus Haloander animadvertit: post Florentini Codicis auctoritate sine controversia sublatum est. Hujus autem emendationis nostræ causa hæc est, quoniam utraque illi extranea semper fuit: nam neque mater, neque matertera patris adoptivi ullo vel adgnationis vel cognationis vel adfinitatis jure adoptato tenetur. quippe cum (quantum ad materteram attinet) ne uterina quidem adoptivi patris soror, quæ adoptivo filio matertera esse deberet, si qua inter illos cognatio contracta fuisset, ulla necessitudine illi devincta sit. *l. si qua mihi. 12. §. ult. D. eod.* Similiterque, in reciprocatione, Ulpianus eodem loco scribit, adoptivæ sororis filiam mihi esse extraneam, uxoremque duci etiam constante adoptione licere: quoniam, inquit, per adoptionem fieri avunculus non potest: non igitur matertera, nec matertera magna, nec major, nec maxima vicissimque, pari eademque reciprocatione, sororis filius, nepos, pronepos, filia, neptis, pro extraneis habentur. Longe vero diversa ratio est & filiæ & sororis consanguineæ, & amitæ patris adoptivi, itemque neptis ex ipsius filio, de quo Cajus eodem loco scribit: nam inter adoptatum & illas personas adgnatio contracta est. De filia patris adoptivi testimonium est *in l. qui in adoptionem 23. in fin. D. de adopt. l. si stipuler. 35. D. de verb. obl. l. per adoptionem. 17. D. de rit. nupt. & §. 5. Inst. de nupt.* ubi propterea suaderi dicitur iis, qui generum adoptare volunt, ut prius filiam emancipent; qui nurum, ut filium; ne videlicet soror fratri nupta videatur. alioqui generi nurusve adoptione matrimonium perimitur *l. non solum. 47. §. 3. D. de rit. nupt.* ac Dio, *lib. 60.* memoriæ prodidit, Claudium, cum filiam suam Neroni a se in filii locum adoptato collocare vellet, filiam prius emancipasse, ne fratri, inquit, sororem dare uxorem videretur. De sorore consanguinea patris adoptivi, quæ filio adoptivo amita est, testimonium est *in d. l. per adoptionem, in fin.* argumentum vero apertissimum *in d. l. si qua mihi. 12. in fin. D. eod.* Duobus autem modis amita mihi esse adoptiva potest: primum, si meus avus filiam adoptarit; deinde, si, qui me in nepotis locum adoptarit, filiam habeat. Jam, de amita patris adoptivi testimonium exstat *in d. l. per adopt. §. ult.* ubi adoptatus vetatur amitam magnam uxorem ducere. quod tamen de eo adoptato intelligendum est, qui patris morte, non autem emancipatione sui juris factus est: quia non modo patris amita, verum etiam soror consanguinea, per ipsius emancipationem illi fit extranea. quo casu illam sine dubio ducere adoptatus uxorem poterit, ut modo intellectum est ex *l. 7. & l. sed si hac. 10. §. parentes. D. de in jus voc.* De nepte ex filio, cui cum adoptato connubium non est, testimonium est *in d. l. quin etiam. §. 1.* argumentum vero ex reciprocatione *in d. l. per adoptionem. §. ult.* quoniam par eademque ratio est patrui adoptivi, & amitæ adoptivæ, & filii filiæque fratris adoptivi. Quod cum ita sit, ingenue fateor, a me non intelligi, quo jure Maximianus in Panegyrico, ipsi & Constantino dicto, laudetur, quod filiam suam Constantino, in nepotis locum adoptato, in matrimonium collocavit: nisi dicamus, eam prius a Maximiano emancipatam fuisse. *O divinum*, inquit, *tuum, Maximiane, judicium, qui hunc tibi jure adoptionis nepotem, majestatis ordine filium, etiam generum esse voluisti!* Atque hoc quidem constantis adoptionis jus, est in transversis gradibus & adgnatis personis idem quod in directis gradibus: at ejus dissolutæ jus plane diversum est: nam in directa linea prohibitio nuptiarum etiam post dissolutam adoptionem durat, in transversa remittitur. *l. si quis. 9. §. ult. D. de lib. & post. l. per adoptionem. 17. D. h. t. §. 2. Inst. de nupt.* Cujus rei ratio prima specie esse hæc videtur, quoniam adoptatus per emancipationem efficitur extraneus, *d. l. quin etiam. & d. l. si stipuler. D. de verb. obl.* & quia, ut ait Ulp. post emancipationem in totum familiæ adoptivæ obliviscuntur. *l. si quis tutor. 60. §. 6. D. eod. l. 1. §. liberos. D. si tab. test. null.* Sed videamus, anne hoc idem etiam de patre & adoptata filia, & postea emancipata, dici possit, commodiorque & certior ratio hinc sumenda sit, quia, cum matrimonium cum filia jure gentium incestum sit, consentaneum videtur, propter illius nominis sanctitatem etiam ab emancipatæ nuptiis abstinere: at cum sororis nuptiæ solo civili jure incestæ habeantur, ut suo loco demonstravimus, nihil absurdi sit, institutum juris civilis, contrario ejusdem juris instituto, abrogari. *l. 8. D. de cap. minut.*

## CAP. V.

*De jure cognationis, quoad nuptias, ex jure civili Rom.*

PRoximum est, ut de cognationis jure videamus. Qui locus aliquanto mihi, quam vulgo creditur, difficilior videtur. Nam, utrum

lege aliqua populi R. certa jus iſtud definitum fuerit, an moribus tantum, & veteri conſuetudine, difficile dictu eſt. De ſororis nuptiis leges fuiſſe dicuntur *in l. ſi ſtipuler.* 35. *§.* 1. *D. de verb. obl.* cujus tamen in extremo *mores* nominantur, itemque *in l.* 8. *& l. ſororis.* 39. *§.* 1. *D. h. t.* Quin etiam, *Si quis*, inquit, *ex his, quas moribus prohibemus uxores ducere, inceſtum committit.* At Corn. Tacitus, *lib.* 12. Claudium Imp. ita loquentem facit: *At enim nova nobis in fratrum filias conjugia, ſed aliis gentibus ſolennia, nec lege ulla prohibita; & ſobrinarum, diu ignorata, tempore addito percrebuiſſe, morem adcommodari prout conducat, & fore hoc quoque in his quæ mox uſurpentur.* Credibilius igitur eſt, jus antiquum de caſtis inceſtiſve nuptiis, totum pontificium fuiſſe. Itaque Tacitus, *lib.* 1. *Conſulti per ludibrium pontifices*, inquit, *an concepto, nec dum edito partu, rite nuberet.* Quod idem pluribus verbis exponit Dio *lib.* 48. conſultos a Cæſare pontifices, an Liviam Neronis uxorem gravidam ſibi in matrimonium accipere liceret. Neque obſtat, quod Paulus, *in d. l.* 35. *de ver. obl. leges* adpellat. nam probabile eſt, nonnullas leges, quæ ad jus pontificium adcommodatæ eſſent, latas de nuptiarum jure fuiſſe quod etiam paulo poſt ex Plutarchi lib. de Rom. quæſtionibus cognoſcetur. Age, cetera videamus. Nam jus R. tribus regulis comprehendi poteſt. Quarum prima hæc eſt: Inter eas perſonas, quæ parentum liberorumque locum obtinent, in infinitum nuptiæ jure gentium inceſtæ ac nefariæ ſunt. *§. ergo. D. h. t.* Dixi, *jure gentium:* quoniam, etſi veteres hiſtoriæ memorant, ejuſmodi nuptias apud Aſſyrios, Perſas, Medos, Parthos, Æthiopas, Indos, aliaſque præterea nonnullas gentes, probatas atque uſurpatas fuiſſe; tamen, cum eas gentes Romani pro barbaris & humanitatis expertibus haberent, juris gentium nomen ad eas non produxerunt. Sequitur ſecunda regula: Inter eas perſonas, quæ a latere ſunt, fratris & ſororis nuptiæ jure gentium inceſtæ ſunt: patrui vero & amitæ, avunculi & materteræ, jure civili tantum: idque in infinitum. De fratribus & ſororibus teſtimonium exſtat *in l. libertinus.* 8. *juncta l. ſororis.* 39. *D. h. t.* Et certum eſt, apud complures exteras gentes, & barbaras, hujuſmodi fratrum ſororumque permiſſas nuptias fuiſſe. Quod autem de fratrum ſororumque nuptiis conſtitutum eſt Romano jure, intelligendum eſt non modo de germanis, id eſt, ex utroque parente ſuſceptis, verum etiam de conſanguineis, hoc eſt, eodem patre natis, atque etiam de uterinis, id eſt, ex eadem matre ſuſceptis. *§. inter eas.* 2. *Inſt. de nupt.* adeo ut ne vulgo quidem quæſitas ſorores ducere liceat. *l. & nihil.* 64. *D. h. tit.* Porro de patruis, avunculis, amitis, materteris, impeditior aliquanto diſputatio eſt: magnum enim video nuper inveteratum errorem patefactum fuiſſe, de patrui & fratris filiæ nuptiis, cum par idemque antehac putavimus jus eſſe de iis, quod eſt de avunculi & ſororis filiæ conjunctione; quam jure civili, non gentium, Papin. *inceſtam* nominat, *in l. ult. D. de cond. ſin. cauſ. & l. ſi adulterium.* 38. *§.* 1. *D. ad leg. Jul. de adult. l. etiam.* 56. *D. h. t.* qua de cauſa non matrimonium, ſed contubernium adpellatur, *in l. miles.* 11. *§.* 1. *D. ad leg. Jul. de adult. & l. qui in provincia.* 57. *D. h. t.* Sed ex fragmentis veterum Juriſconſultorum, nuper editis, intellectum atque animadverſum eſt, leges illas omnes proprie & præciſe ad ſororis filiam pertinere. nam, qui locus in Ulpian. regulis mendoſiſſime legebatur, nunc illorum Collectaneorum beneficio ſic reſtitutus eſt: *Inter cognatos autem ex tranſverſo gradu olim quidem uſque ad quartum gradum* (ſic enim illo loco reſtituendum eſt) *matrimonia contrahi non poterant: nunc licet uxorem ducere, ſed tantum fratris filiam, non etiam ſororis; nec amitam, nec materteram, quamvis eodem gradu ſint.* Itaque continenter ex Paulo locus hic profertur. *Inter parentes & liberos matrimonia contrahi non poſſunt: nec filiam ſororis aut neptem ducere poſſumus.* Itemque ex Papiniano ille: *Qui ſororis filiam uxorem duxerat per errorem, antequam præveniretur a delatore, diremit certum*, &c. Quin etiam Imperatorum Maximiani & Diocletiani reſcriptum ſubjicitur, quo, ex latere, amitæ tantum & materteræ, ſororiſque filiæ, & ex ea neptis, nuptiæ nominatim prohibentur: nulla de patruo, vel fratris filia mentione interpoſita. Quibus ex locis perſpicitur, quod etiam a doctiſ. J. C. Pithœo animadverſum eſt, eorundem Impp. reſcriptum, quod a Triboniano relatum eſt *in l. nemini.* 17. *C. de nupt.* interpolatum ab eodem fuiſſe, atque his verbis ex novo Conſtantini jure amplificatum: *præterea fratris filia, & ex ea nepte.* Quod ergo eſt? dicet aliquis: Cum Juriſconſulti ſcribunt, avunculi, amitæ, & materteræ nuptias idcirco inceſtas eſſe, quod illæ perſonæ parentum locum ac numerum obtinent, *l. ſororis.* 39. *D. h. t. §. item amitam.* 5. *Inſt. de nupt.* an patruum ex eo numero, excludunt? Sane illud ſcire oportet, antiquo jure ac moribus, non minus patruum quam avunculum, parentis loco numeratum, ejuſque nuptias pro inceſtis habitas fuiſſe. Cujus rei argumento illud Catulli Epigramma ad Aufilenam:

*Aufilena, viro contentam vivere ſolo,*
*Nuptarum una eſt e laudibus eximiis.*
*Sed cuivis quamvis potius ſuccumbere fas eſt,*
*Quam matrem fratres efficere ex patruo.*

Nam liberi ex eo concubitu ſuſcepti, ſuæ matri & filii & fratres patrueles efficiuntur. Sed, cum Claudius Imperator Agrippinam, Germanici fratris ſui filiam, deperiret, eamque ſibi juſto matrimonio ſociare cuperet, a ſenatu decretum efflagitavit, quo ejuſmodi matrimonia juſta pronunciata ſunt: ut Sueton. *in illius vita*, & Tacit. *lib.* 12. & Zonaras *tom.* 2. teſtantur. Unde intelligitur, ea matrimonia uſque ad illud tempus inceſta nefariaque habita fuiſſe. *Pactum*, inquit Tacitus, *inter Claudium & Agrippinam matrimonium jam fama, jam amore illicite firmabatur: nec dum celebrare ſolennia nuptiarum audebant, nullo exemplo deductæ in domum patrui fratris filiæ, quin & inceſtum, ac, ſi ſperneretur, ne in malum erumperet publicum, metuebatur.* Suetonius autem, *Verum*, inquit, *Agrippinæ, Germanici fratris ſui filiæ, per jus oſculi & blanditiarum occaſionem pellectus in amorem, ſubornavit proximo ſenatu, qui cenſerent, cogendum ſe ad ducendam eam uxorem, quaſi Reip. maxime intereſſet: dandamque ceteris veniam talium conjugiorum, quæ ad id tempus inceſta habebantur.* & aliquanto poſt: *Ducturus contra fas Agrippinam uxorem*, &c. Qua de cauſa Seneca *in Octavia* his verſibus illas nuptias exſecratur:

*Genitamque fratris conjugem captus ſibi*
*Toris nefandis flebili junxit face.*

Hoc autem S. C. jus annos circiter ducentos quinquaginta duravit, hoc eſt, uſque ad Conſtantini & Conſtantis imperium. Nam Capitolinus, in Anton. Philoſ. *Filiam ſuam Lucillam*, inquit, *fratri deſpondit.* Ergo Impp. illi primi nefarium illud jus abrogarunt, & capitis pœnam ei inceſto impoſuerunt, *l.* 1. *C. Th. de inceſt. nupt.* Eamque illorum conſtitutionem a conſuetudine (ut credi par eſt)

neglectam renovavit Imp. Zeno. *l. ul. C. de inceſt. nupt. itemque l. ult. C. ſi nupt. ex reſcr. pet.* Ex quibus, quantam labem unius tyranni inſania, quantumque vitium in jus civile importarit, facile intellectu eſt. Quod eo etiam abſurdius fuit, quia, cum patrui & fratris filiæ nuptiæ permitterentur, amitæ tamen & fratris filii matrimonium interdictum erat. *l. per adoptionem.* 17. *§.* 1. *D. h. t. §. item amitam. Inſt. de nupt.* Ubi hæc ratio adſcribitur, quia parentis loco eſt; proinde quaſi patruus illo S. C. ex parentum numero ſublatus eſſet. contra *l.* 2. *§.* 1. *D. de uſuf. ear. rer.* Sed & Tacitus, *lib.* 16. teſtatur, amitæ conſortium pro inceſto habitum fuiſſe: ubi ſcribit, Neronem Silano accuſatores ſubmiſiſſe, qui eum inceſti poſtularent, quod cum amita ſua Lepida rem habuiſſet. Quid ergo eſt, dicet aliquis, quod Xiphilinus *in Nerva* ita ſcribit: *Ενομοθέτησε δὲ μὴ ἀδελφιδῆν γαμεῖν.* Sane *ἀδελφιδῆς* nomen tum in fratris, tum in ſororis filiam convenire, & Pollux & Heſychius teſtantur. Quare, cum de fratris filiæ interdictis nuptiis mentionem Juriſconſulti nullam faciant, ſed de ſororis filia præciſe tot locis commemorent; credibile eſt *ἀδελφιδῆς* nomen ad ſororis filiam referendum eſſe: quam corrupte Ambroſius *neptem*, Æl. Spartianus *neptem per ſororem* appellat. nam, cum Xiphilinus de Adriano dixiſſet, *Τραϊανοῦ ἀδελφιδῆν ἐγεγαμήκει*, ille, *Trajani*, inquit, *per ſororem neptem accepit.* Utcunque ſit, tantum apud Romanos etiam perditiſſimis moribus, & ſeculo corruptiſſimo, ſanguinis reverentia valuit, ut iidem auctores teſtentur, per admodum paucos fuiſſe qui Claudii exemplum imitarentur. Quinetiam de Domitiano Tranquillus ſcribens: *Fratris filiam, adhuc virginem, oblatam in matrimonium ſibi, pertinaciſſime recuſavit.* Supereſt illa quæſtio, Quid ſit, quod, cum antiquo jure fratris filiam ducere liceret, Cajus tamen ita ſcribat: *Patris adoptivi mei neptem ex filio uxorem ducere non poſſum. l. quinetiam.* 55. *§.* 1. *D. h. t.* Nam, ſi naturalis fratris filiam ducere licuit, quanto magis adoptivi? Quid igitur, ſi legeremus, *neptem ex filia*? Sed perſpicue refragatur *l. ſi qua mihi.* 12. *§. ult. eod.* Verius igitur eſt, quod contra juris rationem, & pudorem, & antiquum morem, receptum fuerat, reſtringendum potius, quam producendum fuiſſe. *l. quod vero.* 14. *D. de legib. l. quæ propter.* 162. *D. de reg. jur.* Siſinnius Orientalis Patriarcha, cum de gradibus cognationis & adfinitatis, interdictiſque nuptiis, in libro juris Orientalis ſecundo diſſerat, auſus eſt adfirmare, nulla ſcripta lege nominatim interdictum, ne fratres fratrum filias in matrimonium accipiant: cum tamen *libro Baſilic.* 28. multis, non modo tertius ille gradus, verum etiam quartus, qui conſobrinorum eſt, itemque ſextus, quo ſobrini continentur, diſerte prohibeatur. Sequitur tertia regula: Inter patrueles, amitinos, conſobrinos, nuptiæ noviſſimo civili jure permiſſæ ſunt. *§. duorum. Inſt. de nupt. l. celebrandis.* 19. *C. de nupt.* Varia autem & multiplex hujuſce juris ratio obſervanda eſt. Nam antiquiſſimis temporibus ea conjugia injuſta inceſtaque habita ſunt, ut ex Cor. Taciti lib. 12. paulo ante demonſtratum eſt: *Et ſobrinarum*, inquit, *diu ingrata conjugia tempore addito percrebuerunt.* Itaque Plutarchus *in Romanis quæſtionibus*, Πρότερον, inquit, *οὐκ ἐγάμουν τὰς ἀφ᾽ αἵματος, ὥσπερ οὐδὲ νῦν τιτθίδας οὐδὲ ἀδελφὰς γαμοῦσιν· ἀλλ᾽ ὀψὲ συνεχώρησαν ἀνεψιαῖς συνοικεῖν* *Prius*, inquit, *non accipiebant in matrimonium quæ ſanguinis ejuſdem erant, ut ne nunc quidem amitas, aut materteras, aut ſorores accipiunt: ſed ſero conſobrinorum nuptias permiſerunt.* Deinde adſcribit, cum quidam ad populi judicium ob conſobrinæ matrimonium vocatus fuiſſet, abſolutum; legemque latam, ut cum conſobrinis connubium eſſet, propriore gradu non eſſet: *Ψηφισάμενος*, inquit, *πᾶσιν ἐξεῖναι γαμεῖν ἄχρις ἀνεψιῶν, τὰ δὲ ἀνωτέρω κεκωλῦσθαι.* Quamquam reperio, eorum conjugiorum conſuetudinem etiam ante Plutarchi tempora percrebuiſſe: atque hoc jus nequaquam tum fuiſſe, ſed in eorum, qui abſtinebant, continentia potius quam in certa lege poſitum fuiſſe. Nam & Cicero *pro Cluentio* ait, ejus ſororem Melino conſobrino ſuo nupſiſſe. Idemque Plutarchus ſcribit, Brutum Catonis avunculi ſui filiam in matrimonio habuiſſe. Sed & Sueton. *in Auguſt.* & Dio *lib.* 53. memoriæ prodiderunt, Auguſtum filiam ſuam Juliam Marcello Octaviæ ſororis ſuæ filio nuptum collocaſſe. Et Quintil. *lib.* 6. filium ſuum, immatura morte ſibi ereptum, lugens, avunculo eum deſtinatum generum fuiſſe oſtendit. Capitolinus de Antonino Philoſopho, *Habuit uxorem*, inquit, *Anniam Fauſtinam, conſobrinam ſuam.* Atque hinc videlicet illa Ulpiani regula nata eſt, vulgo in jure tanquam per manus tradita, Inter cognatos uſque ad quartum gradum connubium non eſſe: quemadmodum ſup. demonſtratum eſt. Quartum autem gradum Juriſconſulti, poſita ſumtaque ſuperiore regula, intelligebant, quæ inter eas perſonas, quæ parentum liberorumque locum obtinet, conjugia prohibuit: ſicuti ſuperius docuimus. Quaſi hanc regulam ita concepiſſent: Extra eas perſonas, quæ parentum liberorumque locum obtinent, connubium quarto gradu permittitur. Itaque, cum amitæ materteræque magnarum, itemque ſororis neptis, conjugium prohibent, clauſulam hanc ſubjungunt: *Quamvis quarto gradu ſint. l. per adoptionem.* 17. *D. h. tit.* ejuſque conſobrinorum matrimonii crebra in libris noſtris mentio fit. veluti *in l.* 3. *l. non ſolum.* 67. *§.* 1. *D. h. tit. l. uter.* 23. *D. l. ſequent. D. de condit. inſt. l. Lucius.* 71. *§. filiam. D. ad Trebell.* ac præſertim *in l.* 2. *C. de inſt. & ſubſt.* ubi Antoninus ſcribit, Caſſiam quandam probabili conſilio ſub hac conditione inſtitutam, *Si conſobrino nupſiſſet.* Primus, ut opinor, Theodoſius major eas nuptias prohibuit, ut ipſius filius teſtatur *in l. un. C. Th. ſi nupt. ex reſc. pet.* Itemque Sex. Aurelius Victor: *Tantum*, inquit, *pudori & continentiæ tribuens, ut conſobrinarum nuptias vetuerit, tanquam ſororum.* Eandem autem conſtitutionem ejuſdem filii Arcadius & Honorius, primo imperii ſui anno, confirmarunt, ut patet *ex l.* 3. *C. Th. de inceſt. nupt.* quæ tamen a Triboniano conciſa & mutilata in Codicem Juſtinianeum relata eſt. *l. ſi quis inceſti. C. de inceſt. nupt.* Verum iidem, aliquot annis interjectis, & ſua & patris conſtitutione abrogata, nuptias illas comprobarunt. *Celebrandis*, inquiunt, *inter conſobrinos matrimoniis licentia, legis hujus ſalubritate, indulta eſt: ut revocatu priſci juris authoritate, reſtinctiſque calumniarum fomentis, matrimonium inter conſobrinos habeatur legitimum, ſive ex duobus fratribus, ſive ex duabus ſororibus, ſive ex fratre & ſorore nati ſunt; & ex eo matrimonio editi, legitimi, & ſuis patribus ſucceſſores habeantur. l. celebrandis.* 19. *C. de nupt.* Verum ecce rurſus aliam mutationem, cum, qui illis ſucceſſerunt, Impp. Honorius & Theodoſius, eas nuptias, quaſi communi jure damnatas, ex reſcripto petendi poteſtatem fecerunt; patris, ut ajunt, exemplum imitati. *l.* 1. *C. Th. ſi nupt. ex reſcr. pet.* cujus reſcripti formulam videre licet apud Caſſiod. *Variar. lib.* 7. Utrum autem jus Imp. Juſtinianus in Inſtit. ſuis ſit ſecutus, liquido adfirmare non poſſumus. nam cum illam conſtitutionem

in ſuum Codicem inſeruit : in Inſt. tum etiam, *Duorum autem*, inquit, *fratrum vel ſororum liberi, vel fratris, conjungi poſſunt*. qui tamen locus cum in optimo Tigurino libro, tum etiam apud Theophilum, adjecta negatione legitur. quinetiam lib. 28. ubi prohibitæ nuptiæ commemorantur, ita ſcriptum eſt: Ὁμοίως οὐδὲ τὴν θυγατέρα τοῦ θείου, ἢ τῆς θείας, τουτέστι τὴν ἐξαδέλφην μου. ἀλλ' οὐδὲ ὁ υἱός μου τὴν ἐκγόνην αὐτῶν, οἵτινες λέγονται διεξάδελφοι. *Similiter*, inquit, *neque patrui vel amitæ filiam, hoc eſt, conſobrinam meam: quin nec filius meus neptem ipſorum, qui inter ſe ſobrini dicuntur*.

## CAP. VI.

*Intra quem cognationis gradum pie contrahi conjugia poſſint.*

Sed jam conſiderandum eſt, quæ leges pie in eccleſia Chriſtiana de cognatorum conjugiis inſtituendæ ſint. Nam & Orientales & Occidentales in eo conveniſſe video, ut, quo longius perſonæ, de quarum conjugio quæritur, a genarcho diſtant, eo minus inter ſe cognatæ & conſanguineæ videantur. Itaque paſſim illo jure Orientali & Baſilicis libris videre licet Patriarcharum & Epiſcoporum reſponſa, quibus nuptiæ intra ſeptimum gradum prohibentur. Ut in decreto Demetrii Chomateni: Ἡ τῶν ἐκ πλαγίου, μέχρι καὶ ἑβδόμου βαθμοῦ τὴν κώλυσιν ἔχουσα, ἐκεῖθεν τοῖς βουλομένοις συνάπτεσθαι τὸ ἄνετον παρὰ τοῦ νόμου λαμβάνει καὶ ἀνεμπόδιστον. *Ordo eorum, qui ex obliquo ſunt, uſque ad ſeptimum gradum prohibitionem habens, poſtea copulari matrimonio volentibus facultatem a lege ſumit*. Apud Romanos autem, ante Innocentium tertium, connubium intra ſeptimum gradum non fuit. *De affinitate conſanguinitatis*, inquit Gregorius, *per gradus cognationis placuit uſque ad ſeptimum generationem obſervare*. Nam & hereditates rerum, per legales definitiones ſancitæ, uſque ad ſeptimum gradum protendunt heredum ſucceſſionem. Non enim ſuccederent, niſi de propagine ſanguinis eis deberetur. *cap. de affinitate*. 35. *quæſt*. 2. & *quæſt*. 3. idemque pluribus verbis commemoratur *in cap. nullum. cap. progeniem. cap. de conſanguinitate*, & *quatuor ſeqq*. Innocentius III. eam legem ad quartum gradum reſtrinxit. *Non debet*, inquit, *reprehenſibile judicari, ſi ſecundum varietatem temporum, ſtatuta quandoque varientur humana; præſertim cum urgens neceſſitas, vel evidens utilitas, id expoſcit: quoniam ipſe Deus, ex his quæ in veteri teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutavit in novo. Cum ergo prohibitiones de conjugio in ſecundo & tertio affinitatis genere minime contrahendo, & de ſobole ſuſcepta ex ſecundis nuptiis cognationi viri non copulanda prioris, & difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculum pariant animarum; cum ceſſante prohibitione ceſſet affectus, conſtitutiones ſuper hoc editas, ſacri approbatione concilii, revocantes, præſenti conſtitutione decernimus, ut ſic contrahentes de cetero libere copulentur, prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum conſanguinitatis & affinitatis gradum de cetero non excedat. Quaternarius vero numerus bene congruit prohibitioni conjugii corporalis: quia quatuor ſunt humores in corpore, qui conſtant ex quatuor elementis*. *cap. pen. ext. de conſanguin*. Ejus autem erroris, quod videlicet cognatio ſeptimo gradu terminetur, cauſa hæc fuit, quemadmodum ſuperius demonſtratum eſt, quoniam apud Juriſconſultos legerant, ubi de naturali cognatione quæritur, non facile ſeptimum gradum excedi: partim quia vix ultra eum gradum cognatorum vita conſiſtit. *leg*. 4. *D. de gradib*. partim quia in ſexto gradu cognatorum nomina deficiunt. ultimi enim gradus ſobrinorum ſunt, ut ait Paulus *in leg. ultim. D. eod.* & *lib. ſentent*. 4. *titul*. 11. Verum intelligere debebant, cum cognatio ſit ſanguinis communio, ut initio dictum eſt; inter quaſcunque perſonas ſanguinis communio eſt, quantumvis longinqua ſit, tamen inter eos cognationem intercedere. Itaque nihilo minor inter ſobrinos cognatio eſt, qui ſex invicem gradibus diſcrepant, aut ſobrinis natos, qui octo, quam inter fratres, qui duobus dumtaxat. ut in rivulis uno ex capite accerſitis, & quantumvis longe diductis, non minor, ut ita dicam, aquæ cognatio eſt, quam ubi inter ſe proximi ſunt: & in arbore rami quantumvis disjuncti, non minus inter ſe ſucci communionem habent, quam qui trunco ſunt proximi. Quod vero de ſexto gradu a Juriſconſultis ſcriptum eſt, non eo pertinet, quaſi cognatio, id eſt, ſanguinis communio, eo gradu deſinat; nam etiam ad decimum gradum adgnationis, ac proinde cognationis nomine, hereditates jure civili deferuntur: ſed, quia, cum jus civile ſolis adgnatis hereditates detuliſſet, cognatos nullo numero habuiſſet; prætor autem, jus civile corrigens, ad ſucceſſionem eos vocaſſet; non ultra ſextum gradum eos edicto ſuo comprehendit. *§. ultim. Inſtitut. de ſucceſſ. cognat. l. pen. D. und. cogn.* Veruntamen, dixerit quiſpiam, cum in lege divina conjugium inter certas perſonas prohibeatur, ceteris permittatur: an non ibi deſinere cognationem oſtenditur, ubi prohibitio deſinit? Reſponſio in promtu eſt: aliud videlicet eſſe propinquitatem, aliud cognationem. Matrimonium inter propinquos lex divina vetat; inter cognatos non vetat. Itaque Moſes non ſcripſit, *Ne quis ad propinquum ſuæ carnis accedat*; cum videlicet Iſraelitæ inceſta apud Ægyptios conjugia vidiſſent, ut in prooemio legis oſtenditur. Cujuſmodi etiam illud Athenienſium inſtitutum fuit, de quo eſt apud Terent. in Phorm.

*Lex eſt, ut orbæ, qui ſunt genere proximi,*
*Iis nubant: & illos ducere eadem hæc lex jubet.*

Itemque in Adelph.

*—— Hæc virgo orba eſt patre:*
*Hic meus amicus illi genere eſt proximus:*
*Huic leges cogunt nubere hanc.*

Propinquorum igitur matrimonia lex divina prohibet, non cognatorum. Itaque *Gen*. 24. videmus, Abrahamum Iſaaco filio uxorem ſummo ſtudio petere ex gente & cognatione ſua, Rebeccam ſcilicet, Labanis ſororem, qui Nachoris, fratris Abrahami, erat nepos; Bethuelis, Iſaaco conſobrini, filius. Item, *ejuſdem lib. cap*. 28 Iſaaco Jacobum in Meſopotamiam mittit, ut inde uxorem ex ſua cognatione adducat: ducitque Rachelem Labanis, avunculi ſui filiam. Et *Num. ult. cap.* lex fertur, ut puella heres in paterna tribu & cognatione nubat: ſimulque puellæ aliquot patruorum ſuorum filiis matrimonio junguntur. Quinetiam jus hoc fuit, ut adgnato ſine liberis mortuo, proximus quiſque prolem ei ex uxore ſuperſtite excitaret. *Ruth. cap*. 3. Qui vero propinquorum numero ſint, non cujuſquam homine nati, ſed ſolius Dei judicium eſt: qua de cauſa Deus eadem lege il-

los ordine nominatim enumerat; ut facile intelligatur, quos non enumerat, propinquorum numero habendos non esse, quoniam, ut dici solet, quod lege prohibitoria vetitum non est, permissum intelligitur. *l. mutus 43. §. 1. D. de procur. l. qui accusare. 8. D. de accusat.* Sed locus postulat, ut singula divinæ legis capita exponamus.

## CAPUT VII.

*Legis divinæ capita, quæ ad nuptias cognatorum pertinent, exposita.*

I. PAtris tui matrisve tuæ nuditatem ne detegito: mater tua est, ne detegito nuditatem ejus. Levit.* 18. *Levit.* 20. Hoc primo capite duo animadvertenda sunt: Primum, quia propinquorum nomina relativa sunt, neque alterum sine altero intelligitur, cum lex, patris, matris, conjugia prohibet, simul filii filiæque matrimonia interdicere: quod etsi hoc principio facile intellectu fuit, tamen ad reliqua hujus legis capita, via nobis hoc præcepto munienda visa est. Pater igitur hoc capite filiam ducere uxorem vetatur, mater filio nubere: vicissimque filia patri nubere, filius matrem ducere. Alterum autem observatu dignum est, quod, quamvis ceteris insequentibus capitibus nusquam virile genus usurpetur, quasi apud solos viros hæc lex promulgetur; tamen, cum hoc primo capite pater nominetur, in ceteris, ex relationis natura, virile quoque genus subaudiendum esse. Ut, cum ita dicitur, *Ne quis amitam aut materteram uxorem ducat*, sic accipiatur, quasi etiam dictum esset, *Ne qua patruo aut avunculo suo nubat*. Postremo legis clausula notanda est. Nam illis verbis, *mater tua est*, legis ratio & æquitas demonstratur. quasi scriptum ita esset: Cum natura ipsa doceat, patri & matri reverentiam deberi, contra naturam esse, si quis eorum pudorem violaret, si quis eorum fœditatem nudaret. Quod accidit Chamo, Noachi filio; quam ob causam pater eum cum progenie sua detestatus est, *Gen.* 9. 22. itemque duabus Lothi filiabus, quarum idcirco soboles detestabilis fuit. *Gen.* 19. 31. *II. Nuditatem neptis tuæ ex filio, vel ex filia, ne detegito; nuditas enim tua sunt.* Cum avus prohibetur neptem ex filio filiave uxorem ducere, vi relationis nepos aviam paternam maternamve ducere prohibetur. Legis autem æquitas his indicatur verbis. *nuditas enim tua sunt*. quod non modo ad hoc, verum etiam ad superius caput referendum est: ut pater filiæ, avus neptis fœditatem nudans, suam ipsius fœditatem nudare, suum ipsius pudorem, id est, quem æque carum ut suum ipsius habere debuerat, abjicere videatur. Ceterum quod de avo & nepte statuitur, idem de proavo & pronepte sine dubio intelligendum est. quod cum æquitatis paritas demonstrat, tum etiam ætatum ratio: ut nihil ad hanc rem demonstrandam adjectione opus fuerit. III. *Sororis tuæ nuditatem, sive illa ex utroque parente tuo, sive ex alterutro tantum nata sit, ne detegito. Levit.* 18. 9. Item 20. 17. *Deut.* 27. 22. Tres sororum species significat. Nam aliæ ex eodem patre & matre, aliæ ex eodem patre tantum, aliæ ex eadem matre tantum gignuntur; ut superius suo loco docuimus. Duobusque recentibus doctissimis interpretibus adsentior, ut, quod Hebraice scriptum est, *sive domesticæ cognationis, sive extranea sit*, sic accipiatur, ut domesticæ cognationis nomine paterna, extraneæ materna intelligatur; quo-

A niam liberi patrem sequuntur, mater autem familiæ suæ & caput & finis est, ut ait *l. pronunciatio.* 195. *in fin. D. de verb. signif.* IV. *Amitæ tuæ nuditatem ne detegito; patris enim tui propinqua est. Materteræ tuæ nuditatem ne detegito; matris enim tuæ propinqua est. Levit.* 19. 12. 13. 14. *Levit.* 20. 19. Cum fratris filius amitam, sororis filius materteram ducere uxorem prohibetur, vi ipsa relationis & analogiæ, vicissim patruus fratris, avunculus sororis filiam ducere prohibetur: primum, quoniam, ut superius diximus, brevitatis causa solius virilis sexus mentio fit: deinde, quia subjecta legis B ratio æque in illis valet, quod videlicet, ut amita & matertera, sic etiam patruus & avunculus, parentis locum obtinent. Huc accedit nominum cognationis & adfinitatis (quæ sancta quodammodo habenda sunt) confusio: nam, ut, si quis amitam duceret, patrem adfinis &, ut ita dicam, sororii haberet loco: soror autem fratri nurus efficeretur, frater sorori socer. Eodem modo, si qua patruo suo nuberet, patrem adfinis, & (ut ita dicam) læviri haberet loco: unus frater alteri fratri gener efficeretur, alter vero alteri socer. Præterea, si nuptiæ cum patrui uxore duobus locis prohibentur, *Levit.* 18. 11. & *Levit.* 20. 20. quanto C magis ipsius patrui prohibendæ sunt? Quod autem de patruo, avunculo, amita, matertera, hoc loco sancitum est, etiam ad propatruum, proavunculum, proamitam, promaterteram producendum esse, rationis paritas ostendit. nimirum, quoniam secundi patris, secundæ matris propinqui sunt: atque (ut Jurisconsulti dixerunt) parentum locum ac numerum obtinent. Atque hactenus quidem Moses eos omnes, qui propinquorum numero habendi sunt; enumeravit: ex quo intelligi potest, cum consobrinos omiserit, eos in illum numerum referendos non esse. Itaque videmus, *cap. Gen.* 28. Jacobum Rachelem, avunculi sui Labani filiam, D uxorem duxisse. Item, *Num. ult.* Mosem Dei imperio auctorem fuisse quatuor Tzelophchadi filiabus, ut patruorum suorum filiis nuberent. Sed & *cap. Jehos.* 15. Othoniel Axam Calebi patrui sui filiam uxorem duxisse memoratur. Et in hanc sententiam August. *l. b. de Civit. Dei* 15. *cap.* 16. *Experti sumus*, inquit, *in connubiis consobrinorum, quam raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat; quia id nec divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana*. Hæc Augustinus. Ambrosius *epist.* 66. ad Paternum, de his nuptiis illum consulentem, ita rescribit: *Quid est quod dubitari queat, cum lex divina etiam fratres patrueles prohibeat convenire in* E *conjugalem copulam, qui sibi quarto sociantur gradu?* Utcunque sit, memorabile est, quod eodem loco Augustinus scribit: *Fuit*, inquit, *antiquis patribus religiosæ curæ, ne ipsa propinquitas, se paulatim propaginum ordinibus dirimens, longius abiret, & propinquitas esse desisteret, eam nondum longe positam, rursus matrimonii vinculo colligare, & quodam modo revocare fugientem*. Hæc Augustin. Theodosius Imp. Christianus, ea consobrinorum matrimonia prohibuit: quam ipsius constitutionem & Ambrosius & August. vehementer probant. *Theodosius Imp.* (inquit eodem loco Ambrosius) *etiam patrueles fratres & consobrinos vetuit inter se conjugii conve-* F *nire nomine:* Et August. eodem loco: *Veruntamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti; &, quod fiebat cum consobrina, pæne fieri cum sorore videbatur, quia & ipsi propter tam propinquam consanguinitatem fratres vocantur, & pæne germani sunt*. Et aliquanto post: *Veruntamen quis dubitet, honestius hoc tempore etiam consobrinorum conjugia probibita esse? quia nescio quo modo inest humanæ verecundiæ quiddam naturale atque laudabile, ut, cui quis debet, causa propinquitatis, ve-*

*cundum honorem, ab ea contineat.* Hæc ille. Exſtatque apud Caſſiodor. *lib.Variar.* 7. formula veniæ ab Imperatore petendæ, ut matrimonium cum conſobrina contrahere liceret. Poſt Theodoſium tamen, quæ varietas juris iſtius acciderit, ſupra, cum de civili jure ageremus, expoſitum eſt. Nam etiam *in Baſil. lib. 28. titul. de injuſt. nupt.* interdicuntur nuptiæ non modo inter conſobrinos, qui ἐξάδελφοι dicuntur, verum etiam inter ſobrinos, qui διςεξάδελφοι eodem loco adpellantur. Quin etiam Demetrius Chomatenus, *in jure Orientali*, ſcribit, ſynodalibus quibuſdam decretis interdictas fuiſſe nuptias uſque ad ſeptimum gradum: *ut non liceat*, inquit, *ſobrino ſobrini ſui filiam accipere, cum ſit ejus ἀνεψιά.* Quod idem Alexius Patriarcha teſtatur, legem fuiſſe, quæ connubium iis permittebat, qui octo inter ſe gradibus diſtarent, qui vero ſex, prohiberet. Sed, præterquam quod ſuperius docuimus, hanc ſeptimi gradus prohibitionem ex manifeſto eorum errore natam eſſe, qui cognationem eo gradu deſinere exiſtimabant, videmus, D. Auguſtinum, eo, quem paulo ante citavimus, loco, iſtam Græcorum ſuperſtitionem repudiaſſe, & ſobrinorum ſobrinarumque matrimonia probaſſe. Antiquos enim patres religioſos laudat, quibus curæ fuerat, propinquitatem (hæc illius verba ſunt) nondum longe poſitam rurſus matrimonii vinculo adligare, & quodammodo revocare fugientem.

## CAP. VIII.

*Decreta ex lege Dei, (a) ad nuptias adfinium pertinentia.*

I. NUditatem uxoris patris tui ne detegito; nuditas patris tui eſt. II. *Nuditatem mulieris & filiæ (id eſt, privignæ tuæ) ne detegito: filiam filii ipſius, aut filiam filiæ ipſius, ne uxorem ducito: propinquæ ſunt patris tui, flagitium eſſet.* Levit. 18.8. III. *Is qui cum uxore patris ſui concubuerit, nuditatem patris ſui detexerit, ambo necantor.* Levit. 20. IV. *Exſecrabilis, qui cum uxore patris ſui concubuerit; quia detexit oram veſtimenti patris ſui.* Deut. 27. De directo adfinium ordine, qui parentum & liberorum locum obtinent, duæ ſunt leges; quarum priore connubium interdicitur inter privignum & novercam, provitricum & proprivignam: cauſaque hæc profertur, quia vitricus matris propinquus, noverca patris propinqua facti ſunt, hoc eſt, per conjugium quaſi alteri parentes effecti ſunt. quapropter nudando ipſorum pudore, ſimul nudari parentum pudor, hoc eſt, violari parentum verecundia intelligitur. Quam rationem Philo in ejus ratione expoſuit: Τοσαύτην δὲ ὁ ἡμέτερος νόμος φυλακὴν πεποίηται τοῦ πράγματος, ὥστε οὐδὲ προγόνῳ τελευτήσαντος πατρὸς ἄγεσθαι μητρυιὰν ἐφῆκε, διά τε τὴν εἰς τὸν πατέρα τιμήν, καὶ διότι μητρυιᾶς καὶ μητρὸς ὄνομα συγγενές, εἰ καὶ μὴ τὸ τῆς ψυχῆς συμφωνον πάθος· ὁ γὰρ ἀλλοτρίας ἀπέχεσθαι διδαχθείς, ὅτι μητρυιά προσερρήθη, πολὺ μᾶλλον ἀφέξεται τῆς φύσει μητρός. Id eſt, *Ac tantum hac in re lex cautionem adhibuit, ut ne privigno quidem permiſerit patre mortuo novercam in matrimonium accipere, cum ob patris reverentiam, tum quia μητρυιᾶς & μητρὸς nomina cognata ſunt. nam qui ab aliena ſibi temperare didicerit, quoniam ea μητρυιὰ dicebatur, multo magis ab ea, quæ mater naturalis eſt, ſe continebit.* Item aliquanto poſt: Μηδ' αὖ πρόγονον, χήραν, ἢ παρθένον, ζώσης μὲν τῆς γυναικός, ἐπάγεσθαι, ἀλλὰ μηδ' ἀποθανούσης· δυνάμει γὰρ ὅγε πατρῷος πατήρ, ὀφείλει τὴν ἐκ τῆς γυναικὸς ἐν τάξει θυγατρὸς τίθεσθαι. *Privignam*, inquit, *ducere non licet, neque viduam, neque virginem, non modo uxore vivente, ſed ne illa quidem mortua. Cum vitricus patris locum obtinuerit, æquum eſt, ut uxore ſua natam filiæ loco habeat.* Hæc Philo. Atque hanc legem ſecutus Paulus, 1. *Cor.* 5. conjugium novercæ ut inceſtum & nefarium deteſtatur. I. *Nuditatem nurus tuæ ne detegito: uxor filii tui eſt, ne detegito nuditatem ejus.* Levit. 18. 15. II. *Qui mulierem & matrem pſius uxorem duxerit, ſcelus admiſerit: ambo igni cremanto, ne inter vos flagitium maneat.* Levit. 20. 14. III. *Exſecrabilis, qui cum ſocru ſua concubuerit.* *Deut.* 27. 28. Sequitur alterum caput legis de directo adfinium ordine, quo connubium diſerte interdicitur inter ſocerum & nurum, generum & ſocrum. Ex legis autem ſententia, etiam ſuperiorum & inferiorum, ut ex priore legis capite cognoſci licet: ex quo eadem legis hujus ratio perſpicitur, nimirum, quia cum hi parentum liberorumque loco ſint, nudari eorum pudor non poteſt, ut non ſimul reverentia, quæ parentibus debetur, lædatur. Γαμβροὶ γὰρ ἀνθ' υἱῶν πενθεροῖς, καὶ ἀντὶ πατέρων γαμβροῖς πενθεροί, inquit Philo, *lib. de Monarch.* 2. id eſt, *Generi ſuis ſoceris filiorum loco ſunt: viciſſimque ſoceri ſuis generis loco parentum.* I. *Nuditatem uxoris fratris tui ne detegito; nuditas fratris tui eſt.* Levit. 18. 15. II. *Qui acceperit uxorem fratris ſui, facinus exterminatione dignum admiſerit, nuditatem fratris ſui detexerit; ſine liberis ſunto.* Levit. 20. 21. III. *Nuditatem filiæ uxoris patris tui, cognationis patris tui; ſoror tua eſt, ne detegito nuditatem ejus.* *Levit.* 18. 11. Quod jam ſuperioribus legis capitibus demonſtratum eſt, non tantum verba legis, ſed etiam ſententia ſpectanda eſt. Itaque cum uxoris fratris nuptiæ nominatim prohibeantur, quia quaſi ſoror eſt, ex ſententia legis & paritate rationis earum quoque omnium perſonarum interdictæ nuptiæ intelliguntur, quæ ſororum fratrumve locum obtinent. Itaque intelligendum eſt, Conjugium non eſſe cum quondam fratris uxore, ſororis marito, mariti fratre, uxoris ſorore. quæ perſonæ omnes vere proprieque adfines ſunt. Eundemque in numerum referendam arbitror filiam uxoris patris, de qua *Levit.* 18. *verſ.* 11. cautum eſt. ut ſuperioribus verſibus prohibitæ intelligantur ſorores natæ ex priore matrimonio, cum fratre ex poſteriore ſit natus; hoc autem verſu, natæ ex poſteriore. Atque ita video locum a quibuſdam converſum. Neque enim iis adſentior, qui nuper ſic verterunt: *Nuditatem filiæ uxoris patris tui, cognationis patris tui*, hoc eſt, quæ per matris ſuæ nuptias patris tui cognata facta eſt, *ne detegito*: ut ſcilicet comprivigna intelligatur. Quod comprobare idcirco non poſſum; quia, ut jam ſuperius aliquoties demonſtratum eſt, cum cognatus adfinis mei mihi adfinis non ſit, ſequitur, ut comprivigni adfines dici non poſſint. *l. generali.* 34. *§.* 2. *D. de rit. nupt.* Neque ullus (ut opinor) in lege Dei alius oſtendi locus poteſt, quo iſta quaſi adfinitas nominetur, & ad leges nuptiales referatur. Utcunque ſit, Philo de duarum ſororum nuptiis ita ſcribit: Πάλιν δύο ἀδελφὰς ἄγεσθαι τὸν αὐτὸν οὐκ ἐπιτρέπει, οὔτ' ἐν τῷ αὐτῷ, οὔτ' ἐν διαφέρουσι χρόνοις,

(a) In memoriam revocet catholicus lector, 1. ſub judice litem adhuc eſſe inter orthodoxos, num affinitas in linea recta jure divino naturali dirimet conjugia etiam quoad primum gradum, tametſi jure divino poſitivo pure legali in veteri teſtamento hujuſmodi conjugia prohibita ſint. 2. quantum ad lineam collateralem, affinitatem etiam in primo gradu jure dumtaxat Eccleſiaſtico, in quo diſpenſari poteſt, dirimens impedimentum cenſeri. De his late agunt Polemici noſtri, ac Theologi Scriptores.

χρόνοις, κἂν τύχῃ τις ἣν προέγημεν ἀπεωσμένος. Ζώσης γὰρ ἔτι τῆς συνῳκηκυίας, εἴτε καὶ ἀπηλλαγμένης, ἐάν τε χηρεύσῃ, ἐάν τε καὶ ἑτέρῳ γαμηθῇ, τὴν ἀδελφὴν οὐχ ὅσιον ὑπέλαβεν ἐπὶ τὰ τῆς ἠτυχηκυίας παρέρχεσθαι, προδιδάσκων ταύτας, τὰ συγγενικὰ δίκαια μὴ λύειν, μηδὲ ἐπιβαίνειν πταίσμασι τῆς οὕτω ᾠκειωμένης κατὰ γένος, μηδ᾽ ἐναβρύνεσθαι καὶ ἐντρυφᾷν θεραπευομένην ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν ἐκείνης καὶ ἀντιθεραπεύουσαν αὐτούς. Id est, quemadmodum nos quidem convertimus: *Praeterea non permittit lex, unum duas sorores habere in matrimonio, neque eodem tempore, neque diversis: ac ne tum quidem, cum priori missum est repudium. Nam, dum prior vel in matrimonio est, vel repudiata est, sive vidua maneat, sive alteri nubat, legislator non pium putavit, hanc in illius infortunatae bona venire; docuitque illas, cognationis jura servare, neque in earum miserias, quae sanguine ipsas contingunt, insultare, atque insolenter cum eorum inimicis oblectari*. Haec Philo. Porro, ne hoc quidem praetereundum videtur, quod *Deut*. 25. *vers*. 5. alia lex profertur, qua huic nostrae abrogatur; ut, si unus e duobus fratribus, indivisam adhuc paternam hereditatem simul possidentibus, alter sine liberis moriatur, superstes ejus viduam vel ducat, vel dotet: ut, qui primus ex eo matrimonio nascetur, demortui fratris nomen ferat, ejusque filius censeatur. qui specialis casus est, proprie, peculiariter & restricte ad civitatis Israeliticae rationem adcommodatus, neque ad gentem aliam ullam producendus, atque propter cujusque familiae & heredioli rationem a legislatore exceptus: ut Josephus *lib. Antiquit*. 4. testatur. Ubi vero frater liberos reliquerat, nefariae cum ipsius vidua nuptiae censebantur. Itaque idem, *lib*. 17. de Archelao loquens: Τοῦ πατρίου, inquit, *παράβασιν ποιησάμενος, Γλαφυρὰν μὲν τὴν Ἀρχελάου θυγατέρα, Ἀλεξάνδρου δὲ τοῦ ἀδελφοῦ γαμετὴν γενομένην, ἐξ οὗ καὶ τέκνα ἦν αὐτῇ, ἀπώμοτον ὂν Ἰουδαίοις γαμετὰς ἀδελφῶν ἄγεσθαι, γαμεῖν*. I. *Nuditatem fratris patris tui n detegito, ad uxorem ipsius ne accedito; amita tua est*. Levit. 18. 14. II. *Qui cum amita sua concubuerit, nuditatem patrui sui detexerit, sine liberis moriuntor*. *Levit*. 20.20. Cum patrui uxoris nuptiae ob eam causam interdicuntur, quoniam amitae locum ac nomen obtinent, ex legis sententia & rationis paritate sequitur, ut etiam cum amitae marito interdictae intelligantur, quia quasi patruus est: itemque ex altero latere, ut connubium non sit cum avunculi uxore & materterae marito, quoniam illa materterae, hic avunculi locum & nomen obtinet: vicissim autem etiam in lineis inferioribus, ne connubium sit cum fratris sororisve filii uxore, fratris sororisve filiae marito, vel cum filia fratris aut sororis meae uxoris: denique, ut summatim complectamur, ut, quibus in cognationis gradibus nuptiae interdictae sunt, iisdem in adfinitatis gradibus prohibitae intelligantur: hoc est, ut conjunx a conjugis cognatis aeque ut a suis abstineat, propter rationem ab ipso Deo multis locis designatam, Quia vir & uxor per matrimonium una persona censentur.

## CAP. IX.

*Index nominum cognationis, eorumque expositio*

HOc loco peropportunum videtur, cognatorum omnium nomina & adpellationes exponere, tam eorum qui ad directam lineam, quam qui ad transversam pertinent. Ac primum omnium, *pater* dicitur, ex quo quis natus est; & cum filio confertur, ac primo gradu numeratur

*R. Tom. VIII.*

A *l*. 1. §. 3. *& l. ult*. §. *primo gradu*. *D. de grad*. Sed Persius primum, secundum, tertium patrem facit, ex quo quis prima, secunda, tertia generatione natus est, hoc est, avum & proavum: ut Cornutus in illis versibus interpretatur, quos sup. protulimus:

*—— Quaere ex me, quis mihi quartus*
*Sit pater*, &c.

*Mater* a nostris ea sola dicitur, quae genitrix est, non etiam nutrix sit apud alios auctores, quemadmodum Nonius testatur; & cum filio filiave confertur, ac primo gradu numeratur. *d*. §. 3. *de grad*.
B Plaut. Menaech.

*Ita forma simili pueri, ut mater sua*
*Non internosse posset, quae mammam dabat,*
*Neque adeo mater ipsa, quae pepererat.*

*Avus* dicitur, patris vel matris pater; & cum nepote confertur, ac secundo gradu numeratur. *d. l. ult*. §. *secundo gradu*. Sed alius est paternus, alius est maternus ille confertur cum nepote nato ex filio; hic cum nepote nato ex filia. *Proavus*, avi vel aviae pater, patris vel matris avus; & cum pronepote confertur, ac tertio gradu numeratur. *d. l.*
C *ult*. §. *tertio*. Sed alius est paternus, alius maternus: ille confertur cum pronepote ex nepote, nato ex filio vel filia; hic cum pronepote ex nepte, nata ex filio vel filia. *Abavus*, proavi vel proaviae pater, avi vel aviae avus, patris vel matris proavus: confertur autem cum abnepote, & quarto gradu numeratur. *d. l. ult*. §. *quarto*. *Atavus* & *adavus*, abavi vel abaviae pater, proavi vel proaviae avus, patris vel matris abavus: confertur cum atnepote, & quinto gradu numeratur. *l. ult*. §. *quinto gradu*. *D. de grad*. *Tritavus* ataviae vel atavi pater; & cum trinepote confertur, ac sexto gradu numera-
D tur. *d. l. ult*. §. *sexto gradu*. *Parentes* generali nomine dicuntur pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus; & cum liberis conferuntur. *Majores* restricto nomine dicuntur, qui supra parentes sunt; & cum posteris conferuntur, neque proprium in Latina lingua nomen habent. *l*. 4 §. *parentem*. *D. de in jus voc. l. ult*. §. *parentem*. *D. de in jus voc. l. ult*. §. *parentes*. 7. *D. de grad*. Generaliter autem *majorum* nomine continentur. Plaut. in Milit. glor.

*Ibi majores sunt siti, pater, avus, proavus, abavus.*
E Item in Persa:

*Nam nunquam quisquam majorum meorum fuit,*
*Quin parasitando paverit ventrem suum:*
*Pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus.*
*Unde hunc ego quaestum obtineo, & majorum locum.*

*Parentes* autem adpellantur generali nomine, non modo qui per patrem, avum paternum, proavumve paterni avi patrem, verum etiam qui per matrem, aviam, proaviam, Titium contingunt. *l. adpellatione*. 51. *D. de verb. sign*. nisi forte illa differentia adjungatur *parentes virilis sexus*: velut *in l. si quis*. 5. §. 2. *D. de adgnosc. lib*. *Filius* cuique di-
F citur, qui ex eo genitus est; & cum patre confertur, ac primo gradu numeratur. *d. l*. 1. §. *primo gradu*. *Nepos* vere proprieque dicitur, qui ex filio filiave natus est; & cum avo confertur, ac secundo gradu numeratur. *d. l. ult*. §. *secundo gradu*. sed ille usitate his verbis designatur, *nepos ex filio*; hic vero, *nepos ex filia*. Depravata autem consuetudine *nepos* vulgo dicitur, fratris sororisve filius, ut *in gloss. l*. 1. *C. de success. edict*. contra Latini sermonis rationem nam hic nullum in Latina lingua nomen habet, sed hoc modo designatur, *fratris so-*

*rorisve filius*, ut Paulus testatur *in l. ult. §. tertio gradu. D. de grad.* Et illam depravatam consuetudinem video non modo D. Ambrosii temporibus usurpatam fuisse, a quo, *lib. epist.* 8. *ep.* 66. neptis perspicue ad avunculum refertur: verum etiam Spartiani, qui *in Hadriani vita* sic scribit: *Ad amicitiam Trajani pleniorem rediit, nepte per sororem Trajani uxore accepta*. Quod Xiphilinus sic expressit: Τραϊάνου ἀδελφιδῆν ἐγεγαμήκει. *Nepos ex fratre* promiscue dicitur, idem qui nepos fratris. *Nepos ex sorore*, idem qui sororis nepos. *l. 7. D. de legit. tut. §. 1. Inst. de leg. adgn. tut. l. nemini. 17. C. de nupt. Nepos mei fratris neptisve me patruum magnum adpellant*, inquit Paulus *d. l. ult. §. quarto gradu. D. de grad. Pronepos* est, qui ex nepote ex filio filiave natus est; & ad proavum refertur, ac tertio gradu numeratur. *d. l. ult. §. tertio gradu. D. de grad. Abnepos*, pronepotis proneptisve filius, nepotis neptisve nepos, filii filiæve pronepos; confertur cum abavo, & gradu quarto numeratur. *d. l. ult. §. quarto gradu. Atnepos*, sive *adnepos*, abnepotis vel abneptis filius; confertur cum atavo, & quinto numeratur gradu. *d. l. ult. Trinepos*, filii filiæve adnepos; confertur cum tritavo, & sexto numeratur gradu. *d. l. ult. Posteri* proprie & stricte dicuntur, qui infra trinepotem sunt. *l. ult. §. parentes. D. de grad.* & cum majoribus conferuntur. Generaliter autem eo nomine liberi continentur. *l. quod his. 83. §. ult. D. de leg. 3.* Itaque tyrannicum illud Caligulæ fuit, de quo Sueton. *Negabat*, inquit, *jure civitatem Romanam usurpare eos, quorum majores sibi posterisque eam impetrassent, nisi filii essent: neque enim intelligi debere posteros ultra hunc gradum. Frater* tribus modis dicitur: nam aut per eundem patrem tantum, aut per utrumque eundem accipitur *l. ult. §. secundo gradu. D. de grad.* Qui ex eodem patre & eadem matre natus est, *germanus* adpellatur: ut Corn. Fronto testatur. Plaut. Menæchm.

*—— Hi sunt gemini germani duo:*
*Nam & patrem & matrem commemorant pariter, qui fuerint sibi.*

& paulo post:

*Spes mihi est, vos inventuros fratres germanos duos,*
*Geminos, una matre natos, & patre uno, una die.*


Qui vero ex eodem patre tantum natus est, *consanguineus* dicitur; qui ex eadem matre tantum, *uterinus. l. fratres. 27. C. de inoff. testam. l. 3. C. de legit. tut. l. pen. & l. ult. C. de legit. hered. §. 1. §. ceterum. Inst. de leg. adgnat. success.* Cæsar *comment. Bell. Gall.* 1. *Sororem ex matre, & propinquas suas, nuptum in alias civitate collocasse*. Illi, *adgnati* sunt; hic, *cognatus* tantum. *l. ult. C. ad senat. Tertyll.* Conferuntur autem promiscue omnes inter se germani, consanguinei & uterini, & secundo numerantur gradu. *l. ult. §. secundo gradu. D. de grad.* Sane animadverti, antiqua lege Pompeja, quos germanos & consanguineos adpellavimus, *patrueles* ex patris persona dici: quos vero uterinos, ex matris persona *matrueles*. *l. 1. D. ad l. Pomp. de parric.* qua de re *in obser.* 5. disputavimus. *Consanguinitas* apud auctores nostros non generaliter pro cognatione, & communione sanguinis, usurpatur; sed specialiter pro adgnatione, quæ est inter fratres & sorores ex eodem patre natos: & *species adgnationis* dicitur *in §. pen. Inst. de succ. cognat.* Videturque id non legis 12. tab. sed legis Voconiæ verbum fuisse. Nam, cum *in l. 12.* simpliciter ita scriptum esset: *Si intestato moritur, cui suus nec exstabit heres, adgnatus proximus familiam habeto*; Voconia

A lex ei abrogavit, statuitque, *ut adgnata, nisi consanguinea, succederet*, eo verbo fraternitatem ex patre significans. *l. 1. §. pen. D. de suis & legit.* non tantum naturali, verum etiam adoptivo. *§. 1. Inst. de legit. adgn. tut. l. 2. §. sed etsi ipsa. 19. l. 3. D. ad Tertyl. Sanguinis* autem nomine proprie in libris nostris communio sanguinis, id est, naturalis cognatio, designatur. *l. 2. D. und. cognat. l. 8. D. de regul. jur. l. 23. D. de adopt. l. 12. D. de man. vind. Consanguinei* autem frequentissime ab adgnatis separantur, velut *in l. 2. §. 1. D. und. legit. l. 2. D. de suis & legit. Fratris* nomen etiam patrui filio tribuitur, sed cum *patruelis* adjectione. Itaque duo-
B rum fratrum filii, quia secundi patris filii sunt, fratres inter se adpellantur. Cic. *de Fin.* 5. *Cicero frater noster, cognatione patruelis, amore germanus.* Plaut. *in Pœnulo*: *Carthaginenses fratres patrueles duo fuere*. Et multo post, Agorastocles, patruelis alterius filius, Pœnum sibi propiorem sobrino, qui patris sui frater patruelis fuerat, idcirco patruum adpellat: *O patrue mi patruissime. Pœn. Quid est, fratris mei gnate?* hoc est, fratris mei patruelis. Nam paulo post una ex filiabus sic loquitur: *Hic suos cognovit modo, & hunc sui fratris filium*. nimirum patruelis. Itaque non multo post, in eadem scena,
C mendum esse oportet, in loco, *Vos estis ambæ meæ filiæ, & hic est cognatus vester, Hujusce fratris filius Agorastocles*. Nam pro *hujusce* legundum adfirmo, *Jacbonis*, quem fratrem ipsius patruelem fuisse, ex superioribus scenis intelligitur. *Sororis* eadem, quæ fratris, adpellatio est. *Fratris filius* is dicitur, qui cum patruo & amita confertur. *l. fratris. 21. C. de inoff. test.* & tertio gradu numeratur. *l. 3. C. de legit. her. & d. l. ult. §. tertio gradu.* qui tamen, ut sup. diximus, depravata consuetudine, *nepos* nominatur. *Sororis filius* is dicitur, qui cum avunculo vel matertera confertur. *d. l. fratris.* & tertio numeratur gradu; qui tamen, eadem corrupta
D consuetudine, nepos adpellatur. *Fratris nepos* dicitur, qui cum propatruo confertur; & quarto numeratur gradu. *d. l. ult. §. quarto gradu.* qui interdum *nepos ex fratre* dicitur, ut sup. docuimus. *Sororis nepos* dicitur, qui ad avunculum magnum refertur; qui & *ex sorore nepos* interdum adpellatur, & quarto numeratur gradu. *d. § quarto gradu. Fratris, sororis pronepos* dicitur, qui ad patruum avunculumve majorem refertur; & quinto numeratur gradu. *d. §. quinto gradu. Patruus* dicitur frater patris; & cum fratris filio confertur, ac tertio numeratur gradu. *d. l. ult. §. tertio. D. de grad. l. 2. §. 1. D. de suis & legit. l. patruo. 7. C. de legit.*
E *her. l. pen. D. de legit. tutor.* Interdum autem *patruum* vocari fratrem patris patruelem, a fratris patruelis filio, paulo ante, ex Plauti Pœnulo demonstravimus: quippe cum patruelis filius, fratris filius adpelletur. *Propatruus* dicitur, qui & *patruus magnus*, avi frater; & cum fratris nepote confertur, quartoque reperitur gradu. *l. ult. §. quarto gradu. D. de grad. l. pen. D. de leg. tut. Patruus major*, est proavi frater, patris & matris patruus magnus; & cum fratris pronepote confertur, quintoque reperitur gradu. *d. l. ult. §. quinto. vers. patruus major. Patruus maximus*, est abavi frater; qui & *abpatruus* dicitur, & ad fratris
F abnepotem refertur, sextoque reperitur gradu. *d. l. ult. §. patruus maximus. Amita*, est patris soror; & cum fratris filio confertur, ac tertio gradu ab illa est. *l. ult. §. tertio gradu. l. 5. C. qui pet. tut. Amita magna*, vel *proamita*, avi paterni soror; & cum fratris nepote confertur, a quo quarto gradu est. *l. 1. §. quarto. l. ult. §. quarto. D. de grad. l. per adoptionem. 17. §. ult. D. de rit. nupt. l. pen. C. qui pet. tut. Amita major*, est proavi paterni soror, & cum fratris pronepote confertur, quintoque re-

peritur gradu. *d. l. ult. §. quinto gradu. Amita maxima*, est abavi paterni soror; & cum fratris pronepote confertur, & sexto numeratur gradu. *d. l. ult. §. sexto gradu. Avunculus* dicitur frater matris; & cum sororis filio confertur. *l. fratris* 21. *C. de in off. test.* ac tertio numeratur gradu. *l. penult. D. und. legit. l. ultim. §. tertio gradu. D. de grad. l.* 6. *C. commun. de success. Avunculus magnus* dicitur, qui aviæ frater est; & cum sororis nepote confertur, quartoque numeratur gradu. *l. ult. §. quarto gradu. de grad. Avunculus major* dicitur, qui proaviæ frater est; & cum sororis pronepote confertur, quintoque reperitur gradu. *l. ult. §. quinto gradu. Avunculus maximus* dicitur, qui abaviæ frater est; & cum sororis abnepote confertur, sextoque numeratur gradu. *d. l. ult. §. sexto.* Idem etiam *abavunculus* adpellatur. *l.* 3. *D. eod. Matertera*, dicitur matris soror, quasi *mater altera*, (ut Festus scribit) & cum sororis filio comparatur. *d. l. ult. §. tertio. D. de grad. l. patruo.* 7. *C. de legit. hæred. Matertera magna*, dicitur aviæ soror; & cum sororis nepote confertur, quartoque numeratur grad. *d. l. ult. §. quarto. Matertera major*, dicitur proaviæ soror, & cum sororis pronepote comparatur, quintoque numeratur gradu. *d. l. ult. §. quinto. Matertera maxima*, dicitur abaviæ soror; & cum sororis abnepote comparatur, sextoque numeratur gradu. *l.* 3. *& d. l. ult. §. sexto. de grad. Patrueles*, interdum præcise, interdum conjuncte *fratres patrueles*, invicem dicuntur duorum fratrum filii; qui propterea semper inter se conferuntur, veluti *in l. dotem.* 16. *§.* 1. *D. de castr. pecul.* similiterque *sorores patrueles*, quæ duobus ex fratribus natæ sunt: & quarto gradui adscribuntur. *§.* 3. *Inst. de grad.* Neque unus dici patruelis potest, quin eodem quoque nomine alter vicissim adpelletur. Nam patruelis, est patrui filius, filia. *l.* 1. *§. quarto gradu. & l. ult. §. eod. grad.* Vetuste tamen *patrueles fratres* dicuntur, in lege Pompeja de parricidis, qui ex eodem patre nati sunt, ut sup. notavimus. *Consobrinus* proprie & specialiter est materteræ filius. Itaque dupliciter hoc nomen usurpatur, cum aut duæ materteræ sunt. Nam qui duarum sororum filii, *consobrini* dicuntur, quasi *consororini*. ac tum inter se referuntur; estque alter alteri consobrinus, quippe alter alteri materteræ filius. Rursus consobrinus dicitur, cum ex una parte matertera est, ex altera avunculus, ut puta cum ex fratre & sorore filii prognati sunt; tum enim ambo invicem consobrini adpellabuntur, atque inter se conferuntur, quippe cum ille avunculi, hic materteræ filius sit. *l.* 1. *§. quarto. l. ult. §. eod. gradu. D. de gradib.* Sed recepta consuetudine latius hoc nomen productum est, ut generaliter patrui, amitæ, avunculi, materteræ filios comprehendat, quartoque numerentur gradu. *l.* 1. *§. quarto. l. ult. §. eod. grad. D. de grad. l.* 1. *C. und. legit.* Quod cum ita sit, nihil mutandum est apud Paulum *l. sent.* 4. ubi sic legitur: *Consobrinus, consobrina, id est, avunculi & materteræ filius, filia. Amitinus, amitina, id est, amitæ filius, filia. Itemque consobrini. qui ex duabus sororibus nascuntur.* Ubi video, esse, qui absurdissime delenda hæc verba censent, *& materteræ.* Item illa, *itemque consobrini, qui ex duabus sororibus nascuntur, Amitinus, amitina, amitæ filius, filia*, inquit Paulus *lib. sent.* 4. *tit.* 11. Itaque usurpatur *in l.* 5. *C. commun. de succ.* Confertur cum consobrino, ut, qui mihi, ex amita mea natus, amitinus est, eidem ego, ex avunculo ipsius natus, sim consobrinus. *Amitæ tuæ filii* (inquit Justin.) *consobrinum te adpellant, tu illos amitinos. §. quarto gradu. Inst. de grad.* Quod cum aptissime quadret atque conveniat, permirum mihi videtur, quod & Cajus *in l.* 1. & Paulus *in l. ult. §. quarto gradu. D. grad.* amitinos inter se, sicut & patrueles inter se, conferri scribunt; quasi amitini sint, ut Nonius scribit, fratrum maris & feminæ filii, hoc est, fratris & sororis filii inter se. Quod mihi usque eo novum videtur, ut verear, ne tribus locis mendum inrepserit apud Justinianum, Cajum, Paulum. Difficile hoc dictu est. Sed certe apud Justinianum oratio non cohæret. nam, cum ita scripsisset, *At eos, qui ex fratre & sorore progenerantur, amitinos proprie dici putant:* mox contrarium subjungit, *Itaque*, inquiens, *amitæ filii consobrinum te adpellant, tu illos amitinos.* Quæ nemo sanus congruere adfirmabit. Cogitandumque arbitror, ecquid potius ita scripserit: *Eos, qui ex fratre & sorore progenerantur, consobrinos & amitinos proprie dici putant.* Nam, quid est argumenti aut rationis, eum, qui ex avunculo natus est, amitinum adpellare? Itaque Cajum commodius ita legeretur. *Item consobrini, consobrinæ, amitini, amitinæ, id est, qui quæve ex fratre & sorore propagantur. l.* 1. *D. de grad.* Et apud Paulum: *Ex fratre & sorore consobrinos, consobrinas; amitinos, amitinas*: ut (quemadmodum superius dictum est) consobrinus cum amitino, vicissimque hic cum illo conferatur: quod & Justiniani testimonium, & nominis ratio, & Pauli locus in Sententiis, apertissime flagitant. *Sobrini* proprie sunt, inquit Cajus, qui ex fratribus patruelibus, aut consobrinis, aut amitinis, undique propagantur. Itaque in themate cognationis, patrui magni, amitæ magnæ, avunculi magni, materteræ magnæ nepotes, sobrini dicuntur ei, de quo quæritur. Constanterque veterem sententiam meam retineo, ut apud Cajum *in l.* 3. *D. de grad.* sic emendetur: *Item patrui magni*, &c. *nepos, neptis, qui ex fratribus patruelibus, aut consobrinis, aut amitinis, undique propagantur; & proprie sobrini vocantur.* alioqui bis idem eodem loco numeraretur. Conferuntur ergo inter se sobrini. nam qui me illo nomine adpellat, eundem ego vicissim eodem nomine adpello. qui & sexto a me numeratur gradu. *Proavi pronepotes*, ait Paulus, *ei, de cujus cognatione quæritur, sobrini sunt, & invicem huic illi sobrini. d. l. ult. §. sexto gradu, versic. ex quibus.* Quod ad eorum sententiam refellendam valet, qui hos inter se consobrinos dici putant, propter eos Pauli locos, ubi sic nominantur, *ut lib. sent.* 4. *tit.* 11. *§. sexto gradu: Patrui magni nepos, neptis, id est, propioris sobrini filius, filia; qui consobrini vocantur.* Et *§.* seq. ubi consobrini filium, filiam, septimum in gradum refert. Itemque *l. ult. §. quarto gradu. D. de grad.* ubi sic legitur: *Sororum fratrumque meorum nepotes, neptes, item mei, inter se consobrini sunt.* Nam, pro *consobrini* legendum ac restituendum esse *sobrini*, cum utriusque nominis differentia diligenter ubique servata convincit, tum etiam aliorum locorum sexcentorum auctoritas, in quibus constanter istæ adpellationes distinguuntur. *Cic. lib. offic.* 1. *Sequuntur fratrum conjunctiones, post consobrinorum, sobrinorumque.* Ælius Gallus jurisconsultus, apud Festum: *Sobrinus est patris mei, matrisve meæ, consobrini filius. Sobrino natus*, dicitur sobrini filius, septimoque censetur gradu: confertur autem cum propatrui, proamitæ, proavunculi, promaterteræ nepote. Quem enim ego sobrino natum adpello, is me vocat propatrui sui nepotem. Causa autem adpellationis est, quia in sobrinorum gradibus cognationis nomina desinunt. Qua de causa, cum sobrini filius proprium in Latina lingua nomen non habeat, demonstrativo nomine adpellabitur. *l. ult. §. ult. D. de gradib. §. ult. Inst. de succ. cogn. l.* 1. *§.* 2. *D. und. cogn.* & apud Paul. *d. lib. sent.* 4. *tit.* 11. *§. ult. & §. pen.* ubi tamen men-

dose legi *consobrini filii, filiæ*, restituendumque, *sobrini*, sup. demonstravimus. *Propior sobrino* (qui & *propius sobrino*, & *propior sobrinus* adpellatur) is demum dicitur, qui propatrui, proamitæ, proavunculi, promaterteræ filius est, quasi qui uno gradu citerior est, quam sobrinus: atque idem ipse patri ejus, de cujus cognatione quæritur, consobrinus est, quintoque numeratur gradu *l. 1. in fin. l. 2. l. ult. §. quinto gradu. D. de grad.* & apud Paul. *lib. sent. 4. tit.* 11. & Just. *§. quinto gradu. Inst. de grad.* Ex quo intelligitur, propiorem sobrino cum eo tantum conferri, qui patruelis, amitini, ac generaliter consobrini filius est; ut, quem ego sobrino propiorem nomino, is me consobrini sui filium adpellet. Similiterque Paulus *in d. l. ult. §. sexto gradu.* dilucide scribit, patrui majoris filium, patri ejus, de cujus cognatione quæritur, esse propiorem sobrino. Et, paucis versibus interjectis, patrem ejus, de quo quæritur, pronepoti proavi esse propiorem sobrino. Item *in §. seq.* patrui maximi filium, qui septimo gradu est, avo ejus, de cujus cognatione quæritur, propiorem sobrino adpellat. & paulo post, patrui majoris nepotem, avo ejus, de cujus cognatione quæritur, propius sobrino.

Itaque in hac tabula,




in qua Laban Jacobo sobrinus est, Bethuel erit Jacobo propius sobrino: vicissimque cum Jacobus Labano sobrinus sit, Isaacus Labano dicetur propior sobrino; utpote qui uno gradu, quam sobrinus, citerior sit. Et, cum *Genes.* 24. dicatur Isaacus Rebeccam, Labani sororem, in uxorem duxisse, Latine sic efferemus: Rebecca propiori sobrino nupsit; Isaacus consobrini filiam duxit. Atque ita videmus, propiorem sobrino vocari *in l. 2. C. commun. de succ.* Quod cum ita sit, idque perspicui a Paulo Massurii auctoritate confirmetur, ac tam multis locis constanter a Jurisconsultis tradatur, neminem dubitaturum arbitror, quod apud Festum mendose sic legatur: *Propius sobrino mihi est consobrini mei filius*: proinde quasi nomen hoc reciprocetur, sicut sobrini aut consobrini adpellatio: ut, quemadmodum propatrui filius Titio est propior sobrino, ita vicissim Titius illi propior sobrino sit. In quo vitium est apertissimum. Nam, cum propior sobrino sic dicatur, qui sobrino citerior est, ut jam diximus; satis constat, consobrini nepotem sobrinum non esse. Præterea Cajus, Paulus, Imperator, iterumque Paulus consobrini filium a propiore sobrino semper accurate distinguunt, eosque in computandis quinti gradus personis separatim enumerant, ut ea nomina confundi sine temeritate non possint. Quo probabilior mihi eorum sententia videtur, qui *in l. 2. C. und. legit.* verba illa, *id est, a consobrina natum*, glossema vel indocti, vel semidocti interpretis fuisse arbitrantur, sub illis Imp. verbis subjecta, *Cum propiorem sobrinum*, &c. præsertim cum de jure propioris sobrino consulenti, nihil opus glossemate fuerit; non magis quam *in l. 2. C. commun.*

A *de succ.* De propiore sobrino mentio fit *in l. 5. D. de injur. l. 1. D. ad leg. Jul. repet. l. 3. D. ad leg. Pomp. de parricid. & in Collectaneis. tit.* 9.

## CAP. X.

### *Index nominum adfinitatis, eorumque inter se relatio.*

Socer, est viri aut uxoris pater. *l. 4. §. 6. & de grad.* & ad generum nurumque refertur. *Socrus*, est viri aut uxoris mater; & ad generum nurumque refertur. Late tamen etiam ad uxoris aviam & proaviam producitur. *d. l. 4. §. & quid. 6. D. de grad. l. 14. §. ult. D. de rit. nupt. Prosocer.* (qui & *socer magnus* dicitur) est uxoris aut mariti avus; & ad progenerum & pronurum refertur. *d. l. 4. §. 6. & l. 3. §. ult. D. de postul. Prosocrus* (quæ & *socrus magna* dicitur) uxoris aut mariti avia est; & ad progenerum pronurumque refertur. *d. l. 4. §. 6. Gener*, filiæ maritus; & cum socero socruve confertur. *d. l. 4. §. & quid.* Capitolin. in Anton. Pio: *Gener per majorem filiam Lamia Syllanus; per minorem, Marcus Antoninus, fuere. Nurus*, filii uxor; & cum socero socruve rationem habet. *d. l. 4. §. 6.* Late tamen etiam ad nepotis ex filio filiave mea nati uxorem hoc nomen producitur. *l. 6. D. eod. l. adoptivus. 14. §. 4. D. de rit. nupt. Vitricus*, maritus alter matris; & cum privigno, privigna, confertur. *d. l. 4. §. 6. & l. 3. C. commun. de success. Noverca*, altera patris uxor; & cum privigno, privigna, confertur, *d. l. 4. §. 6. D. de grad.* Late tamen etiam ad avi & proavi uxorem hoc nomen producitur. *l. adoptivus. 14. §. 4. D. de rit. nupt. Privignus*, uxoris filius ex alio marito, itemque mariti filius ex alia uxore natus;
D & cum vitrico vel noverca confertur. *d. l. 4. §. 6. D. de grad.* Late tamen etiam ad uxoris nepotem & pronepotem hoc nomen producitur. *l. 14. §. 4. D. de rit. nupt.* Transfertur etiam hoc nomen ad eum, qui ex non nupta, quæ post alteri nupsit, natus est. *l. privignus. 7. D. eod.* Sed in eo, qui ex uxore mea, quæ post divortium alteri nupsit, & filium susceperit, proprie non usurpatur. *l. si qua mibi. 12. §. 4. D. de rit. nupt. Privigna*, uxoris filia ex alio marito, itemque mariti filia ex alia uxore nata; & cum vitrico vel noverca confertur. *d. l. 4. §. & quid. Consoceri* dicuntur inter se, quorum unius filius alterius filiam uxorem duxit.
E Tranquill. Claudio: *Appium Silanum consocerum suum occidit*. Superius autem dixerat, Claudium filiam suam Octaviam Silano adolescenti, Appii filio, desponsasse. Credo, eadem ratione *comprivignos* dici posse, quorum unus novercæ filius alteram vitrici filiam, aut ex contrario, uxorem duxit. velut *in §. mariti. Inst. de nupt. l. cum hic status. 32. §. si socer. & pass. D. de don. int. vir.* Atque hæc quidem eorum nomina sunt, qui parentum liberorumve locum obtinent. *§. adfin. Inst. de nupt. l. ultim. D. de rit. nupt.* Sequitur eorum recensio, qui fratrum & propinquorum numerum obtinent;
F quorum nomina in Latina lingua perpauca exstant, sed disciplinæ causa nobis fingenda, & supponenda erunt. *Fratria*, fratris uxor. Quamquam Nonius, *Fratriæ*, inquit, *adpellantur fratrum inter se uxores*. Quod si verum est, mendum esse apud Modestinum videtur, ubi sic legitur: *Duorum fratrum uxores, janitrices dicuntur, apud Græcos εἰνάτερες.* Corrigendumque, *fratriæ. l. 4. §. in fin. D. eod. Fratrissam* autem fratris uxorem Canonistæ appellant, 35. *q. 5. c. quod autem.* Cicero, pro Cluentio: *Nam cum esset gravida Au-*

*ria fratris uxor*. *Sororius*, ſororis maritus: novum & commentitium. Nam (ut Iſidorus teſtatur *lib. Etym.* 10. *c.* 7.) nullum in Latina lingua nomen habet. Cicero, pro C. Rabirio: *Cariorem huic ſororis maritum, quam ſororis filium fuiſſe*. Idem, Philipp. 2. *Dixit in ſororis ſuæ virum; vitricum tuum*. *Lævir*, frater mariti; vetus eſt. *l.* 4. *§.* 6. *Lævir*, inquit Nonius, *dicitur frater mariti, quaſi lævus vir*. *Profrater*, frater uxoris; novum, & a nobis fictum, quoniam ei Latinum (ut eodem loco Iſid. teſtatur) nomen deeſt. Cicero, pro Domo: *Quis ergo adfuit? Frater*, inquit, *uxoris meæ*. Tranquill. in Jul. *Cinnæ, uxoris fratri, reditum in civitatem confecit*. *Glos*, ſoror mariti; vetus eſt. *l.* 4. *§.* 6. *D. de grad.* Et apud Feſtum: *Glos*, inquit, *viri ſoror, a Græco* γάλως. Nonius etiam fratris uxori hoc nomen tribuit. *Glos*, inquit, *adpellatur mariti ſoror, atque eadem fratris uxor*. *Proſoror*, ſoror uxoris; novum eſt, & a nobis excogitatum, quoniam (ut eodem loco Iſid.

A ſcribit) Latinum nomen non habet. Porro in patrui & amitæ, avunculi & materteræ gradibus, Latina nulla exſtant adfinitatis nomina. Itaque efferre illa ſic cogemur: *Patrui* vel *avunculi uxor*; *amitæ* vel *materteræ maritus*. Capitolinus, in Anton. Philoſ. *Alexandria, filia Caſſii, & Druncianus, gener, commendati amitæ marito*. Item: *Amitæ Martii virum Antoninum Pium Adrianus ea lege in adoptionem legit*. Item in Anton. Pio: *Ita ſibi ille adoptaret M. Antoninum, fratris uxoris ſuæ filium*. Quod idem de propatruis, proavunculis, proamitis, promaterteris, ceteriſque ſuperioribus intelligendum eſt. Conferuntur autem

B inter ſe hoc modo:

| | |
|---|---|
| *Lævir, frater mariti.* | *Fratria, fratris uxor.* |
| *Fratria, fratris uxor.* | *Glos, ſoror mariti.* |
| *Sororius, ſororis maritus.* | *Profrater, frater uxoris.* |
| *Sororius, ſororis maritus.* | *Proſoror, ſoror uxoris.* |

---

# FRANCISCUS HOTMANUS, J.C.

## DE

# SPURIIS,

## ET

# LEGITIMATIONE.

### CAP. I.

*Spuriorum definitio, nominis notatio, diviſiones multiplices.*



SPurius, generale nomen eſt, quod iis omnibus convenit, qui ſine patre juſto nati ſunt. Cujus adpellationis originem haud ſcio an ſatis commode Juriſconſulti ad Græcam notationem retulerint, quaſi qui σποράδην concepti ſint. nam ſi ita eſſet, hoc quoque nomen uſurpatum a Græcis fuiſſet. Quare videamus, num probabilius ſit, quod Plutarchus ſcribit: Cum ii qui ſine patre juſto nati eſſent, iiſdem literis deſignarentur, quibus prænomen Romanum *Spurius* ſcribitur, hoc eſt, SP. tandem eo rem conſuetudine lapſam eſſe, ut *ſpurii* adpellarentur. Quam multi autem ejuſmodi primis urbis Romæ incunabulis fuerint, cum ex Dionyſii *lib.* 4. intelligi poteſt, tum etiam ex eo, quod Livius *lib.* 10. teſtatur, reliquos ſane non multos *patricios* eſſe nominatos, quaſi qui patrem ciere poſſent: itemque *ingenuos*. *An unquam fando audi-*

E *ſtis*, inquit, *patricios primo eſſe factos, non de cælo delapſos, ſed qui patrem ciere poſſent.* id eſt, nihil aliud quam ingenuos. Spurius ergo eſt, qui ſine juſto patre natus eſt: hoc eſt, qui patrem demonſtrare non poteſt: vel qui poteſt quidem, ſed non eum, qui jure Quiritium probatus eſt. Hinc illud, ſive Valerii Maximi, ſive alterius: *Spurii dicuntur, patre incerto nati: quaſi* ἀπάτορες. Et Ulpianus, tit. regul. 4. *Qui matre*, inquit, *certa, patre autem incerto, nati ſunt, ſpurii adpellantur*. Itaque quoniam, ubi legitimæ nuptiæ ſunt, patrem liberi ſequuntur, *l. cum legitimæ.* 19. *D. de ſtat. hom.* proinde jus poſtliminii, patri compe-

F tens, etiam ei, qui apud hoſtes ex eo & uxore ipſius natus eſt, competit: ac reſcriptum eſt, eum qui cum ſola matre in civitatem revertiſſet, ſpurium habendum eſſe: quippe qui tum demum, cum in civitatem adfertur, naſci videatur. *l. divi.* 25. *D. de captiv.* Nam, ut patrem definimus eum, quem nuptiæ demonſtrant, *d. l.* 19. *D. de ſtat. hom.* eodem modo filium nominamus eum, qui ex viro & uxore ipſius naſcitur. *l. filium.* 6. *D. de his qui ſunt ſui vel alien.* Denique, ſpurii in libris noſtris paſſim opponuntur juſtis liberis. ut *l.* 4. *in fin. D. de in jus voc. l. ult. C. quand. mul. tut. offic. l. ult. C. qui petant tut.* quemadmodum apud Græcos νόθοι opponuntur γνησίοις ut *Novell.* 89. & apud Euripidem *in Andromacha*: Νόθοι τε πολλοὶ γνησίων ἀμείνονες. De hoc autem *nothorum* vocabulo Quin-

Quintilianus, *lib. 3. cap.* 6. ita scribit: *Nothum, qui non est legitimus, Græci vocant*. Latinum rei nomen (ut Cato quoque in oratione quadam testatus est) non habemus, ideoque utimur peregrino. Jam vero spurii passim in iisdem libris *vulgo quæsiti* adpellantur. ut l. *vulgo quæsiti. 23. D. de stat. hom.* proque iisdem nomen hoc usurpatur. uti patet ex collatione *l. 2. & l. 4. D. und. cognat.* cum Ulpiani *tit. reg.* 5. Unde, quemadmodum spurii, justis liberis; sic etiam vulgo quæsiti, jure quæsitis opponuntur. *l. patronus.* 18. *D. de bon. libert. l. si quis liberis.* 5. *§.* 3. *D. de adgnosc. lib.* & justus pater opponitur matri quæ vulgo concepit. *l. lege Julia.* 44. *§.* 3. *D. de rit. nupt.* Rursus, adpellantur & *filii naturales.* ut *in rub. C. de nat. lib. & l. ult. D. de his qui sunt sui vel alien. l. omnes.* 17. *§.* 1. *D. quæ in fraud. cred. l. naturalis.* 5. *D. præscript. verb. l. ult. C. de confirm. tut. l. ult. C. qui pet. tut.* Qua de causa pater naturalis confertur cum filia vulgo quæsita. *in l. adoptivus.* 14. *§.* 2. *D. de rit nupt. & l. 3. D. de lib. caus.* Spuriorum autem divisio est multiplex. Nam alii ex concubinatu nascuntur, alii ex scortatione, alii ex stupro, alii ex adulterio, alii ex incestu. Vel hoc modo planius: Ex concubina, ex meretrice, ex virgine, vel vidua honestæ existimationis, ex adultera, ex cognata, ex serva non concubina, aut ex peregrina. *l.* 25. *D. de captiv.* ex uxore injusta, ut ea, quæ sine patris jussu ducta est. Apul. lib. 6. *Impares nuptiæ, & præterea in villa, & patre non consentiente factæ, legitimæ non possunt videri: ac per hoc spurius iste nascetur.* De quibus omnibus eo, quem proposuimus, ordine differendum est. Ac primum de iis qui ex concubinis nascuntur. De quibus ipsis nonnihil prius explicandum est. Nam earum genera duo in libris nostris reperio: unum, quod ante Justinianum in usu fuit: alterum, quod a Justiniano nove inductum est, & suis legibus atque conditionibus definitum.

## CAP. II.

*De concubinis, & earum jure.*

ERgo, quod ad antiquum jus attinet, *concubina* dicebatur mulier, sive serva, sive libera, innupta, quam quis non uxoris loco, sed concubinatus tantum causa, sine stupri crimine, habebat. Nam servas quoque pro concubinis haberi solitas, patet *l. denique.* 8. *D. de pignor. l. pen. D. de reb. auct. jud. possid. l. ult. C. comm. de man.* &, qui ex iis nascebantur, servi erant, filiique naturales dicebantur. *l. ult. de his qui sui vel. l. naturalis. D. præscr. verb. l. ult. C. de confirm. tut. l. naturalis.* 7. *D. eod. l. ult. C. quand. mul. tut. offic.* neque aliud juris, quam alii servi, habebant. *l. 3. C. de incest. nupt.* Rursus, harum concubinarum duo erant genera. Nam aliæ, honestæ, matronæ, matresfam. adpellabantur: veluti ingenuæ, quæ, testatione interposita, sese alicui in concubinatum dabant. *l. 3. D. de concub.* aut libertæ, quæ suis se patronis jungebant. *l. probrum.* 41. *§.* 1 *D. de rit. nupt. l. 3. §. 1. D. de don. int. vir. & ux. l. si uxor.* 13. *D. de adult.* ubi matronæ & matresfam. adpellantur. atque adeo traditur, eas, si sese alteri prostituerint, adulterii accusari posse: non tamen jure mariti, sed jure extranei. Aliæ vero, probrosæ & turpes habebantur: veluti, quæ libertæ, sese alteri quam patrono in concubinatum tradebant. *d. l. probrum. §. 1. & l. cum tabulis.* 16. *§.* 1. *D. de his quæ ut indign.* De quo §. idcirco paulo copiosius explicandum est, quoniam ex eo maxime tota pendet illa disputatio, An ex concubina nati, spurii, & vulgo quæsiti, dici antiquo jure possent. Cum enim viri unius cum una muliere concubinaria consuetudo est, neque sine patre certo natus ex ea filius videtur, neque vulgo quæsitus. Huic hominum nonnullorum disputationi objicimus primum auctoritatem *l. 2. & 4. D. und. cogn.* itemque *§. vulgo. de succ. cogn.* ubi traditur, bonorum possessiones *unde cognati* iis concedi, qui spurii & vulgo quæsiti sunt. de quibus enim potius illud accipiendum est, quam de iis qui ex honesto concubinatu nati, & jure civili probati sunt? qui si spuriorum nomine non intelliguntur, ecquonam, quæso, alio nomine illa bonorum possessio iis deferetur? Præterea Ulpianus *in d. l. cum tabulis*, rem omnem perspicue demonstrat. Cujus hanc esse sententiam arbitror, longe ab aliorum opinione dissidentem: *Cassianus senator Rufinam ingenuam, pleno & maritali honore dilexerat, ex eaque puellam susceperat.* Honos autem ille non concubinas, sed uxores facit, extra quam si corpore quæstum fecerint. *l. in liberæ. D. de rit. nupt. l. 3. §. 1. de don. int. vir. & uxor. l. 3. D. de concub. l. donationes.* 31. *D. de donat.* Cum Cassianus testamentum faceret filiam illam, ex ea conjunctione natam, heredem instituit. mortuo Cassiano, legitimi heredes institutionem oppugnabant, hac de causa, quod dicerent, Rufinam, imprudente Cassiano, vulgo corpore quæstum fecisse, tametsi non palam: *ut in d. l. probrum. de rit. nupt.* ac proinde tantum abesse, ut illa uxor fuerit, ut ne concubinæ quidem loco habenda sit: stuprum enim cum ea commissum fuisse. *d. l. in liberæ. & l. 3. D. de concub.* Imperatores tamen rescripserunt, institutionem valere: quia concubinæ sine dubio hereditatum capaces sunt, sive illæ honestæ, sive probrosæ sint. Quod si cum concubinis testamenti factio est, multo magis cum iis qui ex ipsis nati sunt. Postremum argumentum sumi potest *ex l. Imperatores.* 29 *§.* 1. *D. de probat.* ubi natus ex adulterio uxoris, spurius adpellatur. nam, si ex uxoris adulterio natus, spurius est; quanto magis qui ex concubinæ scortatione susceptus erit? Atque hoc nimirum illud est, quod Papinianus scribit, apparuisse post Cassiani mortem, filiam illam vulgo quæsitam fuisse: hoc est, Rufinam, imprudente Cassiano, vulgo corpore quæstum fecisse. Neque movet, quod hæc non Cassiani, sed Rufinæ filia nominatur: quia, cum apparuerit, eas nuptias non fuisse, Cassiani filia dici non potuit. Quare, ut rem in pauca conferam, non puto, Rufinam veram uxorem fuisse; post ejus autem e vita excessum, filiam ejus in concubinatum a suo vitrico adscitam esse. Et in fine, ut nonnulli putant, corrigendum, *vulgo quæsitam fuisse apparuit.* Primum, quia nulla exstat litera, unde significetur, puellam istam in concubinatum habitam fuisse. Deinde, arbitror, *ex l. 1. §. 3. D. de concub.* privignæ concubinatum pro nefario & flagitioso numerari: quandoquidem, utrum mulier patri se & filio prostituerit, an vero vir cum matre & filia rem habuerit, nihil interest. *l. si qua mihi.* 12. *§.* 1. *D. de rit nupt.* Præterea, quorsum, quæso, ad propositum illa adjectio pertineret, puellam vulgo quæstum fecisse? Atque hæc quidem & de veteris juris concubinatu & de primo spuriorum genere dicta sint. Secunda species spuriorum, est eorum propria, qui ex meretrice nati sunt. Tertia vero eorum, qui ex virgine, vel vidua honestæ existimationis, quæsiti sunt. de quibus testatur *l. si qua illustris.* 5. *C. ad Orphic. & l. privignus.* 7. *D. de grad. l. ex libera.* 6. *C. de suis & legit.* Quarta, eorum est, qui ex adultera nati sunt: de quibus apertissime

loquitur *l. Impp. §. 1. D. de probat.* & Cajus *lib. Inst. 1. c. 4.* Quinta, eorum, qui ex cognata per incestum suscepti sunt: de quibus *l. spurii. 6. D. de decurionib. & l. 2. C. Th. de incest. nupt.* & Cajus *lib. Inst. 1. cap. 4.* Unde Ulp. reg. tit. 5. *Si quis*, ait, *eam, quam non licet, uxorem duxerit, incestum matrimonium contrahit: ideoque liberi non fiunt, sed, quasi vulgo concepti, spurii sunt.* Hæc cum ita sint, tamen, ut in plerisque aliis juris nostri quæstionibus, disciplinæ causa, singulæ res singulis nominibus distinguuntur. Similiter in hoc tractatu, interdum vulgo quæsiti nomen ei proprie & peculiariter tribuitur, qui ex ea, quæ corpore quæstum fecit, natus est; & ab eo separatur, qui ex honesta concubina susceptus est. velut *in l. privignus. 7. D. de gradib. & adfin.* Similiter spurius ab eo qui ex incestu natus est. *l. spurii. 6. D. de decurionibus.* Sed hæc hactenus. Nunc consequens est, ut de novo concubinarum genere, quod solum a Justiniano probatum est, differamus. Ergo, ex Justiniani jure, concubina est mulier libera, innupta, quam vir cælebs domi concubinatus causa solam habet. Liberam enim concubinam esse oportere, satis ex eo intelligitur, quod intestato succedit. *l. si qua illustris. §. 1. C. ad Orphic.* itemque *Novel. 89. §. εἴ τις τοίνυν προῖκα.* ubi Julianus, *Concubinam*, inquit, *dicimus talem, quæ, libera constituta, in domo defuncti erat.* itemque *Novell. 18. §. βλέψωμεν*, his verbis: *ἐὰν δὲ αὐτῷ κατὰ τὸν οἶκον, ἕως περιῆν, ἐλευθέρα τε γυνὴ, ἐν παλλακῆς σχήματι συνοῦσα.* Quin etiam Justin. *in l. ult. C. commun. de manum.* statuit, ut, si quis forte ancillam suam pro concubina habuerit, neque de ipsa, natisve ex ea, quidquam in testamento statuerit; tum & ea, & ex illo concubinatu nati, post domini mortem liberi sint. Innuptam autem esse eam oportere, non modo Justinianico, sed etiam vetere jure, propter adulterii crimen, superius dictum est *ex l. si uxor. 13. D. de adulter.* Addidimus autem, concubinam a viro cælibe tantum haberi posse, propter Constantini constitutionem *in l. 1. C. de concub. & l. ult. C. commun. de manumiss.* Qua ex re differentia inter veteres concubinas & has recentes intelligitur. Nam, ut in commentario de verbis juris docuimus, jure vetere etiam maritis habere concubinas licuit. Solam autem, addidimus, propter hæc Justiniani verba, quæ in utraque illa Novella posuit: *Εἰ δὲ ἐκκεχυμένα τὰ τῆς ἐπιθυμίας αὐτῷ γένοιτο, καὶ ἄλλας ἐπ᾽ ἄλλαις ἐπεισαγάγοι τῇ προτέρᾳ παλλακὰς, καὶ πλῆθος ἔχοι γυναικῶν πορνευομένων, (οὕτω γὰρ εἰπεῖν κάλλιον,) μισητὸς μὲν ἡμῖν ὁ τοιοῦτος*, &c. Id est: *Quod si profusa ipsius libido fuerit, &, præter primam concubinam, alias super alias inducat, pluresque habeat meretrices, (sic enim verius adpellandæ sunt,) odio is nobis erit, neque hujus legis beneficio fruetur.* Hæc cum ita sint, illud intelligi debet, e quinque spuriorum generibus, quæ antiquo jure probabantur, quatuor a Justiniano sublata fuisse: unumque id solum eorum comprobatum, qui ex concubinis nati essent, quos Græco nomine *νόθους*, interdum etiam ex Romana consuetudine *φυσικοὺς*, adpellat. quorum tamen duo hæc genera observavimus, unum eorum, qui ex certis concubinis; alterum eorum, qui ex non justis uxoribus suscepti erant. id est, ex iis mulieribus, quæ uxorum quidem animo habebantur, sed, contra leges & præscripta Justiniani ductæ, uxorum jure non censebantur. Quod Justinianus, *in fin. Novellæ 74.* his demonstrat verbis; *Εἰ δὲ παρὰ ταῦτα γένοιτο, μὴ μέντοι ἐκ καταδεδικασμένης προέλθοιεν συναφείας, ἔσονται νόθοι· καὶ τῶν παρ᾽ ἡμῶν φιλοτιμηθέντων τοῖς νόθοις, εἴτε ἐκ διαθήκης, εἴτε ἐξ ἀδιαθέτου, τεύξονται.*

## CAP. III.

*De spuriorum & nothorum jure veteri & novo.*

NUnc proximum est, ut de spuriorum jure consideremus. Hæc autem consideratio duplex est: primum ex veteris juris ratione; tum deinde ex novi, quod a Justiniano introductum est. Ac veteris quidem juris ratio hæc fuit, ut spurii omnes, gentilitatum & adgnationum expertes essent: quippe cum adgnatio a patre sit, patrem autem spurii non habeant. *l. 2. & l. 4. D. und. cognat.* Sed cum vulgo concepti matrem sequantur, ut ait *l. cum legitimæ. 19. D. de stat. hom.* ac proinde cognationem per matrem adepti sint: quod caput prætor in edicto de cognatis posuit, id caput etiam ad spurios productum est. *d. l. 4. & §. vulgo quæsitos. 4. Inst. de succ. cogn.* Quod cum ita sit, facile intellectu est, quam inepte a nonnullis dubitetur, utrum spurii cives Romani, an vero peregrini essent. Quamquam ejus rei dubitationem Justinianus, *initio Novell. 89.* adtulisse videtur. ubi sic scribit: *Τὸ τῶν νόθων ὄνομα τῇ Ῥωμαίων νομοθεσίᾳ πρώην οὐ διεσπούδαστο· οὐδὲ τις ἦν περὶ αὐτὸ φιλανθρωπία, ἀλλ᾽ ὡς ἔκφυλόν τι καὶ παντελῶς ἀλλότριον τοῦ πολιτεύματος ἐνομίζετο.* Nam, si nothi pro exteris & plane a civitate alienis numerabantur, quomodo Rom. cives haberi potuissent? Quod etiam video Alciatum adfirmasse, *lib. parerg. 4. cap. 6.* Sed, cum *in l. 1. §. 2. D. ad Tertyl. & §. ult. ad Orphic.* legitima matris hereditas iis ex Orphiciano S. C. deferatur; item *in l. 2. & 4. & l. Modestinus. D. und. cogn. & §. 4. Inst. de succ. cogn.* bon. possessio *unde cognati*, iis & inter se, & inter matrem & ipsos concedatur: quid stultius est, quam dubitare, an cives R. fuerint? Præterea, cum *in l. 4. in fin. D. de in jus voc.* in jus vocatio iis adversus matrem denegetur, perspicuum est, eam adversus alios omnes iis dari. *l. ex eo. 18. D. de testib.* Item videmus, eos heredes institui, & cum iis testamenti factionem esse. *in l. cum tabulis. 16. §. quoniam. D. de his quæ ut indign. & l. Lucius. 45. D. de vulg. subst. l. Lucius. 88. §. Damæ. D. de leg. 2. l. ult. D. de jur. de lib. l. omnes. 17. §. 1. D. quæ in fraud. cred.* neque id tantum, verum etiam de inofficioso matris testamento queri posse. *l. si suspecta. 29. §. 1. D. de inoffic. test.* Item *in l. 3. §. 1. & l. 6. D. de decur.* spurios in decurionum ordinem adlegi: atque adeo etiam eos, qui ex incestu nati sunt. Ad illa ergo Justiniani verba, quæ sane nimium effuse concepta sunt, ita respondendum est: spurios omnis civilis juris expertes fuisse, duntaxat quod ex adgnatione comparatur, quoniam, ut ait Ulp. *in l. 4. D. und. cogn.* adgnatio per patrem quæritur: spurii autem patrem non habent. Itaque nihil nos moveat, quod eodem loco Alciatus objicit *ex l. 1. & l. nec apud. C. de inst. hered. & l. 1. §. 2. D. de leg. 3.* nam ibi nulla omnino spuriorum mentio est, sed deportatorum aut peregrinorum duntaxat. Denique *ἀλλότριον* Justinianus eadem immoderatione dicendi usurpavit, qua usum eundem videmus *in Novell. 153. de infantib. exposit.* & Constantinum, *in l. 1. C. de natur. lib.* Atque hæc quidem juris antiqui ratio fuit. Justiniani autem Novellis constitutionibus omnes (ut superius dictum est) spuriorum species, præter unam nothorum, sublatæ sunt. Nothos autem definit, qui ex concubina nati sunt; hoc est, ex muliere innupta, quam vir cælebs domi concubinatus causa solam habuit. Hujus autem juris origo prima ad Constantinum Imp. referenda est, quemadmodum testatur Justinianus, *initio Novell. 89.*

& Zeno, *in l. divi.* 5. *C. de natur. lib.* Sed ea ratio, semel ab illo inchoata, postea a consequentibus Imperatoribus mirifice amplificata est, usque ad tempora Justiniani: hoc est, per spatium annorum ducentorum. Ergo de Justinianico jure videamus. Id autem duplex est. nam prius, est de spuriorum conditione: alterum, de legitimatione. Spuriorum ergo conditio hæc a Justiniano definita est, ut ex intestati causa, si quidem justi liberi exstent, boni viri arbitratu alantur: si non exstent, sextans eis debeatur. Ex causa vero testamenti, si justi exstent, sola eis uncia relinqui possit; si testatoris parentes exstent, bes: si soli, quantumvis. *Novell.* 89. at in matris bonis, ut pro justis liberis habeantur. *l. si qua illustris. C. ad senat. Orphic.* Hoc autem loco aliquot Pragmaticorum quæstiones necessario tractandæ sunt. Quarum prima hæc est: An nothis aliqua legitima debeatur. Qua quæstione nihil absurdius fingi potest. Nam, cum legitima in locum querelæ inofficiosi introducta sit, quomodo pater in illos inofficiosus dici poterit, cum justis liberis existentibus non liceat ei amplius uncia illis relinquere? ut modo *ex Novella* 89. dictum est. Etsi autem ex causa quidem intestati, si justi liberi non exstent, sextans iis debeatur, qua de causa tertia sextantis pars eorum legitima esse videretur: tamen, cum legitima non nisi ex testati causa debeatur, quomodo inofficiosus dici poterit, qui etiamsi inofficiosissimus esse cupiat, tamen non nisi in uncia esse possit? Quare concludendum arbitror, nihil iis legitimæ nomine deberi: sed ejus nomine alimenta boni viri arbitratu adtribuenda esse. Altera quæstio est, An filiæ nothæ dos a patre debeatur. Nam exstat Ulpiani testimonium *in l. uxorem.* 41. *§. pater naturalis.* 11. *D. de legat.* 3. ubi aperte scribitur, patrem non teneri dotem spuriæ filiæ constituere. Indeque vulgaris nata opinio est, patrem nothis puellis dotem non debere. Sed videamus, an lex illa nihil ad jus novum, hoc est, a Justiniano inductum, pertineat. nam jure antiquo pater naturalis filiam alere non cogebatur. *l.* 5. *§.* 4. *D. de adgnoscend. lib.* tantum abest, ut dotare teneretur. Sed cum jure novo boni viri arbitratu alimenta debeantur, statuendum putarem, ex boni quoque viri arbitratu, pro facultatum paternarum modo, ei dotem, quæ quodammodo alimentorum locum obtinet, constituendam esse. Tertia quæstio est, Ad quem dos, si qua nothæ constituta est, soluto matrimonio revertatur. De quo quia nihil toto jure constitutum est, non dubitarem, ad eum modum nobis respondendum esse, quem de ceteris dotibus *in lib. de Dotib.* explicavimus.

## CAP. IV.

*De nothorum paternis & maternis hereditatibus.*

Nunc consequens est, ut de nothorum hereditatibus differamus. Nam Justinianus. *Novella* 89. *§.* 13. statuit, ut, quod jus nothis in parentum hereditatibus tribuitur, idem parentibus in illorum successionibus concedatur. Quod non ita facile ad explicandum videtur. Nam, siquidem nothus liberos habeat, verum est, patrem ipsius egentem, arbitratu viri boni, ipsius facultatibus alendum esse. Quod ad alterum caput adtinet, quo constitutum est, ut, si pater justos liberos non habeat, sextans notho, decunx legitimis patris heredibus adtribuatur; non video, quemadmodum in nothi persona reciprocari possit. A Nam, si nothus liberis careat, non sextans, sed as integer patri debebitur. ex causa autem testati, jus hoc manifestum est, ut nothus, liberos habens, patri suo unciam relinquere debeat. sed si pater liberos non habeat, patrem habeat; dictum est, eum posse bessem notho relinquere, trientem patri debere. quod quemadmodum contrariam in partem verti possit, obscurum est. pater enim patri suo trientem tantum debet: cum notho bessem relinquat. at nothus, liberos non habens, poterit extraneis bessem relinquere: suo vero patri, trientem. Postremus autem articulus, in quo dictum est, si pater neque patrem, neque liberos habeat, totum assem posse notho relinquere; B reciprocationem non admittit. Quæ quidem omnia de patrum hereditatibus ultro citroque deferendis dicta sunt. Nunc de maternis videamus. Nam antiquo jure multiplex spuriorum jus in maternis hereditatibus fuit. Septuplex autem observavimus. Primum, ut ex Orphiciano S. C. matris intestatæ heredes essent legitimi. *l.* 1. *§.* 2. *C. ad Tertyl. §.* 3. *Inst. de Orphic.* Secundum, ut iis legitima in bonis maternis deberetur: alioqui inofficiosi querela uterentur. *l. si suspecta.* 29. *§.* 6. *D. de inof. test.* Tertium, ut bonorum possessio *unde cognati* iis deferretur. *l.* 2. *l.* 4. *D. und. cogn. §. vulgo quæsitus. Inst. de succ. cognat.* Quartum, ut mater C illos alere cogeretur. *l.* 4. *l. si quis a liberis. §.* 4. *D. de adgnos. lib.* Quintum, ex Justiniani constitutione, ut una cum justis liberis æquis ex partibus succederent. *l. si qua illustris.* 5. *C. ad Orphic.* Sextum, ut patronæ liberi vulgo quæsiti, materni liberti bonorum possessionem acciperent. *l. patronæ.* 18. *D. de bon. libert.* Septimum, ut mater iis tutorem petere cogeretur. *l. ult. C. qui pet. tut.* Verum exoritur quæstio, utrum jus illud omne per Justiniani Novellam confirmatum, an vero abrogatum sit? Quod potius videtur, cum §. 1. ita scribat: Καλῶς ἔχειν ᾠήθημεν, ἐν διατάξει τὸ πᾶν συναγαγεῖν, ἥτις ἀντὶ πάντων ἀρκέσει τὰ περὶ τῶν D νόθων διορθῶσαί τε καὶ νομοθετῆσαι, id est, *Optimum factu putavimus, jus omne de nothis unam in constitutionem conferre, quæ pro omnibus sufficiat, ad ea, quæ ad nothos pertinent, & emendanda, & constituenda.* Cum enim dicat, se jus nothorum omne in eam Novellam contulisse; omne, quod reliquum est, abrogasse intelligitur. Alterum argumentum sumi potest *ex §.* 4. ubi Justinianus scribit, eum nothum, qui legitimatur, soli patri legitimum fieri: reliquis omnibus patris adgnatis, cognatisve, non fieri, neque ullam cum ejus cognatione partem aut communionem habiturum. E Tertium, quod, cum in Novellam 118. omne jus legitimarum hereditatum contulerit, in Novellam autem 18. omne id, quod est de Falcidia liberorum; nullam tamen in utraque spuriorum mentionem facit. Atque hæc quidem ita disputari possunt: sed cum Justinianus nihil de maternis nothorum hereditatibus statuerit, probabilius arbitror, ubi de juris antiqui abrogatione non constat, eo standum esse. *arg. l. sancimus. C. de leg. præst. & l. præcipimus.* 32. *§. ult. C. de adpell.*

## CAP. V.

*An nothi, ex nobilibus nati, nobilitatem retineant.*

F Deinceps illa tractanda quæstio est, de qua passim a Pragmaticis disputatur, An nothi, ex nobilibus parentibus nati, nobilitatem retineant. Videndum est autem, quid utramque in partem

partem adferri possit. Cum enim maternam cognationem retineant, A qua de causa bonorum possessio *unde cognati* inter ipsos defertur. *l. 2. l. 4. l. Modestinus. D. unde cognat.* difficile dictu est, eos posse cognationem sine nobilitate retinere. quippe, cum matris conditionem sequi dicantur *in l. 1. in fin. D. ad municip. l. cum legitimæ.* 19. *l. lex. naturæ. D. de stat. hom.* Præterea, quod ad novum jus attinet, hodie nothi sine patre dici non possunt. Nam ex Novellis Justiniani tam certum habent patrem, certamque matrem, quam qui ex justissimis nuptiis procreati sunt. Itaque etiam ab intestato patri heredes designantur. Quodsi legitimati sunt, quia tunc in patrum potestatem redacti sunt, ut posterius B intelligitur *ex l. ult. D. de adopt. & ex l. ult. D. de his qui sunt sui vel al.* probabiliter disputari posset, eos suitatem usquequaque adeptos esse, quasi jus suitatis individuum sit: quemadmodum videmus *in l. qui in provincia.* 57. *§. 1. D. de rit. nupt.* statum eorum, qui ex incestu nati fuerant, ab Imp. ita confirmari, ut plane pro legitimis habeantur. Sic videmus *in l. divi.* 5. *C. de nat. lib.* legitimatos duobus locis adpellari *suos*, & potestati patris subjectos: item *in l. 6. & l. 7. eod. tit.* Contra tamen, quod ad matris familiam attinet, illa pugnant. Primum, quod nobilitas jure nostro definitur claritas generis: ac proinde ex majorum C origine defertur. *l. 1. C. de dignit.* Spuriorum autem origo ex eo tantum die, quo nati sunt, numeratur. *l. ejus qui.* 9. *D. ad municip. Ejus*, inquit, *qui justum patrem non habet, prima origo a matre, eoque die, quo ex ea editus est, numerari debet.* Præterea mulier familiæ suæ & caput & finis est. *l. pronunciatio.* 195. *in fin. D. de verb. sign.* fæminarum autem liberi in familia earum non censentur. *l. seq. eod.* Denique Justinianus *in l. si qua illustris. C. ad Orphic.* si bene lex attendatur, concubinatus & spuriorum nomen a nobilibus fæminis apertissime removet. Etsi autem novo jure certum patrem habeant, non tamen filii jus adi- D piscuntur: quia suitas, filiatio, adgnatio, cognatio sunt, uti superius diximus, individua. *l. quæsitum.* 34. *D. de adopt.* Quod autem ad legitimatos attinet, jus antiquum, quo per Principis rescriptum suitatem adipiscebantur, aperte *per Novell.* 89. abrogatum est: ubi Justinianus sanxit, ut legitimati soli patri legitimati sint, non etiam generi: idque certæ duntaxat portionis causa. Unde adparet, legitimationem esse jus quoddam definitum, & certis tanquam terminis ita circumscriptum, ut longius produci non possit. Cum autem claritas generis per totam familiam E diffusa & plane individua sit, atque in adgnatione & gentilitate posita, quomodo ex ea sola parte nobilitatem adsequerentur? Præterea, nobilitas est jus familiæ, cujusmodi est jus sacrorum. *l. familiaria.* 5. *D. de relig. l. jus familiarum. & l. pen. C. eod.* Atque hæc quidem ex nostris libris, & Justinianici juris ratione sic disputantur. Sed, cum nobilitas omnibus ætatibus ex variis cujusque gentis institutis æstimata sit, consentaneum est, receptam consuetudinem sequendam esse: quemadmodum videmus, apud Germanos, Venetos, aliasque gentes nonnullas, spurios postremorum homi- F num numero haberi: apud Delphinates autem, quod Guido Papius testatur, eos, qui ex nobili patre nati, & ab eo adgniti sunt, nobiles censeri. Jure vero civili, quod libris nostris continetur, absurdum est, existimare, nobilitatem iis etiam per legitimationem concedi. Legitimatio enim, ut constat ex *Novel.* 89. jus ex sola patris persona tribuit: nobilitas autem, totius generis & familiæ communis est. Ea vero jure esse inter se diversissima, perspicue traditur *in l. 3. D. de interd. &*

*relegat.* Atque hæc quidem de primo nothorum gradu ita se habent. Ante vero quam ad legitimationem accedamus, pauca de secundo dicenda sunt. nam Justinianus *d. Novel.* 89. *§. 12. in fin.* statuit, ut, quæ in Codice de istiusmodi nepotibus dicta sunt, teneantur. Constitutum autem fuerat *in l. ult. C. de natur. lib.* ut, sive ex justo filio nepos naturalis susceptus esset, sive ex naturali filio justus nepos, si justi liberi exstent, unciam ei relinqui liceat: sin minus, quantumvis. Ab intestato vero, ut hujusmodi nepotibus successionis jus nullum esset. Quod ergo, si avus, quo de agitur, patrem habeat? an bessem relinquere nepoti poterit, ut patri suo trientem legitimarium relinquere cogatur? Quod certe prima specie videtur: sed constitutionis illius verba repugnant. *In nepotibus*, inquit, *non eadem observatio est, ubi legitima soboles minime facit impedimentum.* Item: *Ea enim subsistente, veterum constitutionum tenorem*, &c. Quod cum ita sit, nulla sobole subsistente, sequi videtur, ut veterum constitutionum tenor non observetur: ac proinde nepos ab avo institui in besse non possit. Quod sane concoquere non possum. Et, vere ut dicam, nimium perplexe ac tenebricose lex illa concepta est. Nam, si pater suo notho tantundem potest relinquere; quidni avus legitimo nothi filio perinde, ut cuivis extraneo, poterit?

## CAP. VI.

## DE LEGITIMATIONE.

*Et quatuor tractatæ quæstiones in hoc argumento.*

HActenus de spuriorum jure & conditione satis dictum esse arbitramur: nunc tempus est, ad eorundem legitimationem accedere. Sed prius, quid sit legitimatio, considerandum est. Quod enim vulgo natalium restitutio definitur *ex Novell.* 74. ex parte quidem verum est, sed non ex toto. Natalium enim restitutio, jus omne, quod quis integris natalibus adipisci potest, adtribuit. *l. 2. de natal. rest.* Legitimatio vero tantum abest, ut jus adgnationis integrum alicui præstet, ut soli patri legitimum faciat: ab aliis vero omnibus trium generum adgnatis prorsus eum alienum relinquat. *Novel.* 89. *§.* 4. Quin ne integrum quidem adgnationis jus ei in parentis persona tribuit: hoc est, ut suitatem obtineat. quemadmodum olim factum fuisse, argumento est *l. ult. D. de adopt.* Nam legitimationis jus omne hoc est: primum, ut justis liberis exstantibus legitimari nothus, nisi per conjugium & decurionatum, non possit. deinde, ut legitimatus soli patri ab intestato heres sit: ceteris non sit. institui tamen ab omnibus heres possit: sed a patre non majore ex parte, quam quæ minima alicui adtributa est. Quod cum ita sit, videndum, an legitimationis definitio commode tradi hæc possit: *Legitimatio est, cum ex concubina susceptus, ita patri suo heres ab intestato designatur, ut etiam institui ab eo heres possit: dum tamen ne majorem, quam quivis ex justis liberis, hereditatis partem capiat.* Quibus verbis omne, ut opinor, legitimatorum jus, quod quidem ad successiones pertinet, continetur. Probaturque definitio hæc ex *Novell.* 74. & *Novell.* 117. *§.* 2. ubi γνησίους ποιεῖσθαι Justinianus eos dicit, quos recepta in scholis consuetudine legitimari dicimus. Tribus autem modis legitimatio contingit: per decurionatum, concubinæ matrimonium, & Principis re-

scriptum. Primum autem a Theodosio posteriore institutum fuisse, Justinianus testatur *in Novel.* 89. ejusque constitutio exstat *in l. 3. C. de natur. lib.* sed ea tota ratio Justiniano emendata, formam hanc habet: ut liberi, sive ex concubina, sive ex ancilla suscepti, atque hi quidem manumissi, per cooptationem in curiam, & suitatis, & gentilitatis, & adgnationis jus adipiscantur: aut, si feminæ sunt, per decurionis matrimonium. Secunda legitimationis ratio, a Constantino primum instituta, postmodum a Iustiniano ita confirmata est, ut matrimonium cum concubina contractum, sive ea ingenua, sive libertina, sive serva & postea manumissa fuerit, liberos, & ante & post matrimonium conceptos, legitimos faciat. *l. divi.* 5. *l. cum quis.* 10. *& l. seq. C. de natur. lib. & Novell* 89. Tertiam fieri diximus per Principis rescriptum: ut, si pater, aut ipsi nothi, ex patris testamento Imperatori preces obtulerint, jus legitimorum adsequantur; si modo legitimi non extent. Nam si legitimi exstent, nothi non poterunt, nisi per decurionatum & consequens parentum matrimonium, legitimari. *eadem Novel. §. χαλεπὸν.* 9. *& §.* 11. Ex his igitur patere arbitror, quidnam ad illam quæstionem respondendum sit, An per legitimationem integrum filiifa. jus, hoc est, suitas, adquiratur. Quod propterea videri posset, quia Justinianus *in §. 2. de hered. quæ ab intest.* his utitur verbis: *Heredum suorum jura nanciscuntur.* item, *justos & in potestate patris fieri.* Quibus consentanea sunt, quæ ab eodem scribuntur *in §. ult. de nupt. & in l. 5. l. 6. l. 7. & l. 11. C. de nat. lib. in Novell.* 74. *υπεξουσίους ἔχειν* item, *μηδὲν τῶν νομίμων παίδων ἐξαλλάττοντας*. Sed verius est, legitimatione non integram suitatem adquiri, verum ex parte tantum; hoc est, quatenus ad solam patris personam pertinet. quippe, cum legitimati, ut superius *ex Novell.* 89. dictum est, ab omnibus aliis patris propinquis & cognatis, ab omni, inquam, ipsius cognatione & familia, plane alieni sint. Quoniam de nothorum jure & legitimatione diximus, superest, ut de ceteris spuriis, quorum quatuor genera superius protulimus, breviter explicemus. Summa autem eorum, quæ Justinianus de iis statuit, hæc est: ut spurius, aliunde quam ex concubinatu susceptus, neque nothus, neque naturalis adpelletur; neque ullum in patris hereditate, vel ex intestati causa, jus habeat: ac ne a suis quidem parentibus ei alimenta debeantur, *Novel.* 74. *&* 89. *in fin.* Verba autem illius hæc sunt: *Τοὺς γὰρ ἀπὸ τῶν καθάπαξ παρ' ἡμῶν μεμισημένων τε, καὶ διὰ τοῦτο κεκωλυμένων γάμων, προϊόντας, οὐδὲ νόθους κλητέον, οὐδὲ μεταδοτέον αὐτοῖς οὐδεμιᾶς φιλανθρωπίας, ἀλλ' ἔσω καὶ τοῦτο τιμωρία τῶν πατέρων, τὸ γινώσκειν, ὡς οὐδ' ὁτιοῦν οἱ τῆς ἁμαρτανούσης ἐπιθυμίας αὐτῶν ἕξουσι παῖδες.* Hujus autem hæc: *Πρότερον μὲν γὰρ πᾶς ὁ ἐκ συμπλοκῆς (οὐ γὰρ καλέσομεν γάμων) ἢ νεφαρίων, ἢ ἰγκέστων, ἢ δαμνάτων προελθών, οὗτος οὐδ' φυσικὸς ὀνομασθήσεται, οὐδὲ ἀποτραφήσεται παρὰ τῶν γειναμένων, οὐδὲ ἕξει τινὰ πρὸς τὸν παρόντα νόμον μετουσίαν.* Sed quæri video, utrum natus ex viro marito, & muliere soluta, in nothorum numero censeatur. Qua quæstione vix ulla absurdior est. Et tamen Pragmatici, ut opinor, omnes, nothorum iis jus sine controversia concedunt. in his Alexander, Salicetus, Paulus Castrensis, Socinus, &, qui argutissime hanc sententiam defendit, Philippus Decius. *consil.* 306. Primum autem & summum illorum argumentum ducitur *ex l. 1. C. de adulter.* quasi ea lege tradatur, mariti scortationem lege nulla vindicari. Itaque sic argumentantur: Soli ex damnato concubitu procreati ab hereditatibus repelluntur. Scortatio mariti, lege non damnatur. Ex ea igitur scortatione nati, ab hereditate repellendi non sunt. Sed adsumtio falsa est. Non enim, si uxor agere lege Julia non potest, ut ibi traditur, continuo verum est, mariti scortationem legibus non damnari. Præterea, si nati ex concubina, quam vir maritus habeat, repelluntur. *l. 1. C. de concub. & Novell.* 89. atque adeo ex secunda concubina suscepti, ut *Novell.* 18. *&* 89 quanto magis, qui ex ea, in qua stuprum aut scortatio committitur, repudiandi sunt? Denique, quo nomine intestati hereditatem peterent, cum neque nothi, neque naturales adpellentur, ut Justinianus *in fin. Novell.* 89. apertissime testatur? Sed de matris hereditate Socinus urget vehementius: nam, olim spurios omnes matri successisse, superius dictum est, quod si abrogatum non fuit, quidni etiam nunc valeat? Quæ fuit mens aut Socini, aut aliorum, cum illa tam dilucida verba *in l. si qua illustris. C. ad Orphic.* non animadverterunt? *Si concubina procreaverit liberos ex licita consuetudine, ab homine libero habita*, &c. Quid enim planius dici potest, ut intelligatur, si non licita consuetudo fuerit, matri liberos non successuros? Altera eorundem quæstio, aliquanto obscurior, hæc est: An ex meretrice natis relinqui testamento possit. Quod illi summa contentione defendunt, hanc unam ob causam, quia meretricius concubitus extra legis pœnam est. *l. si ea quæ.* 22. *& l quæ adulterum.* 29. *C. de adulter.* ac proinde ex meretricio concubitu nati, inter eos, qui ex damnato concubitu nati sunt, censendi non sint. Quid ergo est? Qui *in Novell.* 18. & rursus *Novell.* 89. tam acriter eos repellit, qui ex secunda concubina procreati sunt; eos ne admittet, qui ex meretrice, quæ longe terrior est, suscepti erunt? Quorsum igitur *Novell.* 69 tam aperte exquirit, ut, qui ad legis beneficium admittentur, nati sint ex concubina, domi retenta, nomine & titulo concubinæ? *Τοῖς γὰρ πιστοῖς μόνοις ταῦτα νομοθετοῦμεν, οὐκ ἐπ' οὐδενὶ ὡς ἀναμφισβήτητός ἐστιν ἥ τε τῆς παλλακῆς καὶ τῆς οἰκίας φύσις, ἥ τε τῶν παίδων ἐκεῖσε γονὴ καὶ τροφή.* Neque mihi sophista nescio quis cavilletur, ibi de causa intestati Justinianum loqui: cum satis constet, omnem illam concubinarum & nothorum definitionem non ad illius loci angustias restringendam, sed fuse ad integrum Novellæ discursum producendam esse, ut verba illa modo prolata demonstrant. Denique, ne multis morer, contendo, scortationem omnem ex novo jure *Novella* 14. quæ est *de lenonibus*, inter damnatos concubitus numerandam esse: cum aperte Justinianus ibi sanxerit, ne meretrices vel palam in fornicibus & lupanaribus, vel clam in ædibus privatis habeantur, sed omnes e Christianorum civitatibus tanquam pestes exterminentur. Ad hunc ipsum locum illa quoque vulgaris Pragmaticorum quæstio pertinet, An parentes natis ex damnato concubitu alimenta debeant, quippe cum Imp. *Novella* 89. *in fin.* his utatur verbis: *Οὐδὲ ἀποτραφήσεται παρὰ τῶν γονέων, οὐδὲ ἕξει τινὰ πρὸς τὸν παρόντα νόμον μετουσίαν.* Et *Novell.* 74. *Ἀλλ' ἔσω καὶ τοῦτο τιμωρία τῶν πατέρων, τὸ γινώσκειν, ὡς οὐδ' ὁτιοῦν οἱ τῆς ἁμαρτανούσης ἐπιθυμίας αὐτῶν ἕξουσι παῖδες.* Quo eodem illud Ulpiani pertinet *in l. 1. §. 2. D. de adgnosc. lib.* ubi ait, patrem cogi alere filiam, dum tamen juste quæsita sit. Denique, si iis alimenta legare liceat, fraudis facultas dabitur: cum id legatum in totam vitam pertineat. *l. Mela ait.* 34. *D. de alim. legat.* Contra tamen illud pugnat, quod dici solet, acerbum esse, parentum delicta liberorum pœnis lui. *l. crimen.* 26. *D. de pœn. l. spuriis.* 6. *D. de decurion.* item, naturæ legem, & sanguinis vim civili ratione non extingui. *§. ult. de legit. adgnat. tut. & l. eas obligationes.* 8. *D. de capit. minut.* Qui vero alimenta denegat, necare videtur *l. necare.* 4. *D. de l. adgnosc.* Ut in pauca conferam, cum eos

alere mater jure civili jubeatur. *d. l.* 5. *§.* 4. *D. de adgnosc. lib.* ex æquo & bono statuendum putarem, si mater, unde ipsos alat, non habeat, & fortunæ tenuis sit, non modo patri licere iis alimenta relinquere, sed etiam magistratus imperio cogendum esse, usquedum sese spurii exhibere possint. *arg. d. l.* 5. *§. sed si filius.* 7. *eod.* Legare autem iis, tanquam extraneis, nullo modo permittendum est; ne, quod una ratione prohibitum est, altera concedi videatur, contra *l. scire oportet.* 21. *§.* 1. *D. de tut. & cur.* &, quod in eorum odium inductum est, ut ἀλλότριοι censeantur, in eorum favorem contorqueatur, contra *l. si quis solidum.* 72. *D. de hered. inst.* Quod enim Pragmatici quidam objiciunt *ex l. extraneum.* 9. *C. de hered. instit.* plane absurdum est. non enim quia extranei sunt, propterea illis legare non licet; sed, quia Justiniani lege, ut indigni & incapaces, repudiati sunt, quemadmodum deportatis non propterea legare non licet, quia extranei sunt, sed quia peregrini, & civitatis jure multati sunt. Nunc de nepote, qui ex spurio natus est, videamus. Nam Bartholus, *consil.* 118. quem alii secuti sunt, respondit, eum institui heredem posse, propter *l. emancipatum.* 7. *D. de senat. l.* 3. *D. de interdict. & releg. l.* 1. *§. pen. D. contr. tab.* Verum animadvertere debuerat, leges illas agere de nepote, cui jus adgnationis una cum hac luce quæsitum est. quod in his nepotibus locum non habet. Præterea, illo Bartholi instituto magna fraudandæ legis facultas aperitur: quia ususfructus saltem ad patrem spurium reverteretur. *l. cum oportet.* 6. *C. de bon. quæ lib.* Et, cum avi in nepotem benevolentia per filii personam transeat, *l. dotem.* 6. *D. de collat. bon.* hoc casu, avi in filium benevolentiæ locus, jure quidem civili, nullus est. Sequitur illa disputatio, An spurii, sive, ut Pragmatici loquuntur, *bastardi* nomen, conviciandi animo in quempiam conjectum, injuriarum actionem ei pariat. Cujus quæstionis argumentum nostri sumserunt *ex l.* 3. *D. de lib. & post.* cum pater in suo testamento ita locutus est: Ex mea uxore natus exheres esto. Quod non arbitror; cum injuriarum actio, non ex adfectu tantum conviciantis, sed ex eventu, id est, læsa alterius existimatione, nascatur. *l. eum qui.* 18. *D. de injur.* Si tamen legitimatus spurius fuisset, quoniam per legitimationem illa macula eluitur; dandam actionem existimarem, cum etiam ei, qui, ut debitor, adpellatus est, cum debitor non esset, ea actio concedatur. *l. item apud.* 15. *§. si quis.* 33. *D. eod. tit.* Antequam autem finem huic libro imponamus, operæ pretium est, veteris & novi juris comparationem breviter strictimque percurrere. Nam illo jure, quinque spuriorum genera, æqueque omnia, probabantur: novo jure, unum duntaxat, nothorum scilicet. Illo, spurii jus cognationis habebant: hoc, non habent. Illo, legitimi matris heredes erant: hoc, sunt etiam matris heredes, atque adeo, justis exstantibus liberis. *l. si qua illustris. C. ad Orphic.* Illo, legitimam in matris bonis habebant: hoc, neque in patris, neque in matris, habere possunt. Illo, patris intestati nulla ex parte heredes erant: hoc, patris intestati ex sextante tantum heredes sunt, si modo justi liberi non exstent: nam si exstent, boni viri arbitratu alendi sunt. Illo, a patre institui quavis ex parte poterant: hoc, a patre, si justi exstent, non plus uncia; si parentes, besse; si neutri, asse integro locupletari possunt. Illo, per solum Principis rescriptum legitimari poterant: hoc, duobus amplius modis, per decurionatum, & insequens matrimonium. Illo, justis exstantibus, legitimari non poterant, primum, quia per solum principem legitimabantur: deinde, quia non tam bona erant conditione quam adoptati. constat autem, eum, qui justos habet liberos, adoptare non posse. *l. nec ei.* 17. *§.* 3. *D. de adopt.* Hoc vero jure, justis exstantibus, per matrimonium & decurionatum legitimari possunt; per Principem non possunt. *Novell.* 74. & aliis supra prolatis locis. Quod autem ad veteris & novæ legitimationis comparationem attinet, sic habendum est. Nam similitudo quidem hæc est: quod, sicut antiquo jure legitimatus etiam ab intestato plane legitimus heres erat; ita & novo jure: sicuti cum aliis ab intestato pariter æquabiliterque succedebat; ita hoc jure, justis exstantibus, ab intestato æquabiliter succedit: sicut olim legitima ei debebatur; ita hoc jure, cum ab intestato succedat, debetur. Differentia autem triplex est. nam olim legitimatio uno modo fiebat; nunc tribus. olim jus suitatis integrum tribuebat; nunc mutilum, & respectu patris duntaxat. olim legitimatus institui a patre quavis ex parte poterat; nunc non majore ex parte quam quivis ex justis liberis.

## CAP. ULT.

*An Christianis concubinas habere liceat.*

Atque hæc quidem ita conclusa sunto: tametsi quasi coronidis loco non alienum fore arbitror, vulgatam illam quæstionem explicare, An Christiano jure concubinas habere liceat: cum Justinianus, qui florentissimis ecclesiæ temporibus vixisse creditur, earum habendarum potestatem facere videatur; dum tamen una duntaxat, & a viro cælibe, habeatur. Eo accedit, quod in antiquis religionis nostræ monimentis, aliquot concubinarum mentio fit ejusmodi, ut non aperte damnentur: veluti de Agar, Bala, Zilpa, & illa Gedeonis, quæ non nominatur. Postremo, quod vulgo dictitatur, concubinatum jure Canonico interdictum esse propter *c. dicat aliquis.* 32. *q.* 4. pugnare apertissime videtur cum *c. is qui non habet, & seq. dist.* 34. ubi ex concilio Toletano verba hæc proferuntur: *Is qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur: tamen ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ sit conjunctione contentus.* Cæterum magnus quidam seculi nostri Theologus, *in lib. Jud. cap.* 8. verba illa interpretatur de iis, quæ vere concubinæ non erant, sed uxorum animo domi habebantur, quamvis solenniter ductæ non fuissent (a). Hæc cum ita sint, veram contrariam esse sententiam, vel hinc licet intelligatur, quia D. Paulus, leges ecclesiis describens, statuit, ut quisque vitandæ scortationis causa uxorem ducat: &, quoties de maris & feminæ conjunctione præcepta dat, diserte maritos & uxores nominat, ut facile intelligatur, illam aliquorum Justiniano seculo maculam fuisse. De patrum veteris testamenti concubinarum & plurium uxorum habendarum consuetudine varie differunt Theologi. Eodem accedit, quod Leo Philosophus, Imp. Constantinopolita-

(a) Vide Antonium Augustinum de emendat. Gratiani lib. 1. dialog. xv. Hunc laudat Josephus Bingamus Anglus, verumque sensum profert Concilii Toletani pluribus in locis originum Ecclesiasticar. Vide indicem.

nus illam ætatis Juſtiniani licentiam repreſſit, & *Novell.* 91. conſtituit, ne Chriſtianis concubinas habere liceat; præclaram illam ex Solomonis proverbis rationem ſubjungens, indignum eſſe, cum e fonte ipſo puram aquam haurire poſſis, lutulentam quærere; neque cuiquam difficile ſit, vitæ ſo- A ciam & conſortem invenire. Cujus exemplum imitatus Conſtantinus Porphyrogenneta, conſtituit, ut apud Chriſtianos nullum diſcrimen inter concubinatum & ſcortationem putaretur, neque cuiquam Chriſtiani nominis habere concubinas liceret, quemadmodum Harmenopulus teſtatur *l.* 4. *c.* 7.

# F I N I S.



# JOANNES MEURSIUS

DE

# LUXU ROMANORUM.

# INDEX CAPITUM.


CAP. I.

*Divitiæ Romanorum, etiam exulum: eæ restrictæ ab Augusto. Custodiæ nocturnæ. Liber patrimonii. Lex de modo agrorum, & pecuniæ; eaque a Julio revocata. Dio correctus.*

CAP. II.

*Luxus & prodigalitas Romanorum in genere. Martialis emendatus.*

CAP. III.

*Corpus levigatum, item facies: ea quoque fucata. In levigatione, usus panis madidi. Coma fracta in gradus, & unguentis delibuta. Officinæ odorariorum. Gressus suspensus, & ejus rei Scholæ.*

CAP. IV.

*Vestes pressæ, ut niterent. Earum magnus numerus isque ostensus, cum in convivio, tum balneo. Pretium lacernarum, & tricliniarium. Lex Julii, de conchyliatis; Tiberii, de sericis. Holosericæ quando cœperint. Luxus muliebris.*

CAP. V.

*Julii Cæsaris edictum de margaritis. Luxus in inauribus, monilibus, lineis, armillis, annulis, calceis, umbraculis, ac flabellis. Severus moderatus est in parte, & uxor Heliogabali. Speculorum magnitudo, & pretium.*

CAP. VI.

*Comitatus virorum, & matronarum: Ejus multitudo, ornatus, ordo. Instituebant hunc præfecti familiæ, quorum insignia virgæ.*

CAP. VII.

*Vasa coquinaria, ac mensalia, argentea. Lancium ingentia pondera. Postea auro illigari cœpta: mox etiam ex eo solido facta. Tiberii edictum. Universum mensæ ministerium æstimatum.*

CAP. VIII.

*Pocula e concha, onyche, argento, auroque; & eo cælato, gemmato. Custodes his appositi. Magnitudo, pretium. Hoc in myrrhinis quoque & crystallinis indicatum, item candelabris.*

CAP. IX.

*Mensæ rotundæ, ac latæ; etiam antiquæ. Pedes eburni, formam animalium referentes. Ipsæ citreæ primum, e ligno nodoso: & earum pretium. Mox aureæ, inde argenteæ. Earum origo; circuli gemmis ornati.*

CAP. X.

*Lecti magni, eorumque pedes ex onyche. Ipsi primum argento inducti, mox ex eo solido; & quis auctor. Deinde etiam aurei. Toralia purpurea, odorata, aurea.*

CAP. XI.

*Vehicula ærata, eborata, argentata, argentea. Hæc Severus coercuit, & Senatoribus tantum permisit. Aurata etiam, & altiora. Juncturæ Vehiculorum pretia, ut & mulorum.*

CAP. XII.

*Ædium admiranda limina, & quis ea primus marmorea habuerit. Postes, pavimenta, parietes. Illi quando primum marmore incrustati. Laquearia etiam inaurata, & unde origo. Idem factum capitibus columnarum. Earum longitudo, multitudo, pretium: & de eo emendatus Varro. Trabes auratæ. Fontes in singulis cubiculis. Universim amplitudo, & altitudo: eaque mox coercita. In fastigiis horti, & arboraria: ac arbusculæ ex iis æstimatæ: item totæ ædes. Valerius, ac Varro, correcti. Neronis Aurea.*

CAP. XIII.

*Conviviorum apparatus, & in eo ostentatio. Ministrorum multitudo, & ordo. Impensæ. Cœnæ Aditiales. Ferculorum numerus. Coquorum pretium. Plinius emendatus.*

CAP. XIV.

*Deliciæ piscium, & maxime mullorum, qui a pondere æstimabantur, quod pensabant in ipso convivio, adstantibus excipientibusque notariis. Ludus item convivarum, in iis occidendis. Pretia eorum. Acipenser a coronatis inferebatur, cum cantu tibiæ. Ostrea, & echini: quorum capturam dijudicabant ex sapore. Ostrea aperiebant in ipsa mensa. Lupus Tiberinus. Reditus piscinarum, & impensæ quoque. Villa Hirrii. Varro correctus, & Columella. Nomina piscibus imposita, & Inquisitores iis fugitivis constituti.*

CAP. XV.

*Selectæ avium partes ad delicias. Turdorum prima gloria. Eorum pretium, ut & pavonum, & columbarum. Aviariorum magnitudo. Etiam aucupum, & venatorum, in provinciis cohortes.*

CAP. XVI.

*Sumptus funebres. Munera gladiatoria, & servorum manumissio: pretiumque eorum item inquisitum. Lex Fusia Caninia, quæ postea sublata. C. Curionis theatrum ingeniosum. Claudii Isidori testamentum. Anterotis legatum, ad epulum annum. Suetonius emendatus. Lex Syllæ, mox ab ipso violata. C. Figuli sepulcrum.*

VIRO ILLUSTRI, & GENEROSO,

# JUSTINO HEUGIO,

Giorslevii Domino, Regni Daniæ Senatori, Academiæ Soranæ Diræctori: Soræ, Mariæburgi, ac Burglami, Præsidi regio,

## JOANNES MEURSIUS

Dedico, Consecroque.



*Es humanas contemplanti, Vir illustris & Generose, id occurrit admirandum, quod virtuti semper vitia, ceu affixa adhærescant, neque vel sejungi possint, vel divelli. Et ubique id videmus; ac memoriam, si lubet, ab antiquitate ultima, viros nobis maximos quosque proponentes, repetamus, ipsa re comperiemur, inter maximas virtutes summa quoque vitia se implicuisse, tanta quidem cum invidia, ut, eripere laudem illis cum non possent, nihilominus, quod est proximum, pari fere ignominia deformarent. Ita olim Alexandrum, ob præclara belli facta, Magnum cognomento dictum, superbia sua, iracundia, & ebrietas, & injusta tot summorum ducum cædes, multo minorem fecere. Alcibiadem pariter fraus, & nequitia, inter honorem & infamiam, medium constituerunt. Summa Julii claritudo, quam libidine, ambitione, & rapinis obscurata est. Ac Lucullus, quo non multos in Romanis meliores belli duces deprehendas, luxu universum decus, & deliciis, inquinavit. Videmus in Hannibale crudelitatem, ac perfidiam: in Jugurtha, sceleratum omnino animum, & cupiditate regni acquirendi, omnia paratum perdere. Sylla etiam, Mariusque, inter primos certe æstimandi essent, si sævitiæ & tyrannidis maculam eluere possent. Denique, quæ in hominibus reprehendimus, ea quoque in Imperiis, Regnis, Principatibusque, ac Rebuspublicis, apparebunt. Atque in hominibus quidem, vitia se, spatiis angustioribus circumscripta, statim ostendunt & luctantur, ac contendunt de victoria: contra vero in imperiis, gentibusque, initio inculta virtus, horridaque, rudibus adhuc populis colitur: &, secure deinde crescens, tempore progrediente, excolitur magis, ac politur, donec ad fastigium veniat: & tunc demum, ad opprobrium multo majus, plenoimpetu vitia aggredientia jam maturam, atque firmam, ceu cuniculis actis, subruunt, ac convellunt. Constat certe id, quod dico. Ecce enim, ut Imperia alia mittam, ecquid Roma, illa inclyta, magna, potens? cujus virtus, primo rudis, atque simplex, ubi per secura annorum circiter septingentorum incrementa jam maturum sibi robur collegisset, vitiis tunc demum impetum facientibus, conquassata, & impulsa, in se corruit. In his autem, nullum ad enervandum statum tantum valuit, atque Luxus: qui, si unquam alibi fuit, hic profecto ingens plane, & detestandus. Proposui in exiguo Libro: quem, Vir illustris & Generose, tibi dedico, consecroque, observantiæ monumentum. Accipe benigno animo: ac me, quod facis, porro ama, tibi devotum. Dabam Soræ, ad diem* XIV. *Januar. Anno* CIↃ IↃC. XXXI.

# JOANNES MEURSIUS DE LUXU ROMANORUM.

## CAP. I.

*Divitiæ Romanorum, etiam exulum: eæ restrictæ ab Augusto. Custodiæ nocturnæ. Liber patrimonii. Lex de modo agrorum, & pecuniæ: eaque a Julio revocata. Dio correctus.*



GRave, ac fœdum vitium luxus est; quosque semel invasit populos, gravi ruina afflixit, ac pessum dedit. Exemplum habemus clarissimum in magna illa, & augusta, gentium domina Roma; quæ, ubi servire huic cæpit, dominatu, ac felicitate publica, exuta, tantum non præceps fastigio devoluta, sufflamen vix ullum habuit, quod sisteret ruentem. Sed veterum seculorum memoriam revocemus, & videamus laborantem graviter Urbem, ut detestemur, & caveamus. Mater hujus morbi divitiæ, quæ ingentes illic, supra modum. Atque adeo sub Augusto, post triumphum Alexandrinum, tantum rei nummariæ fuit, ut agrorum pretia valde intenderent, & usuræ vix trientali locus esset, cum centesima antea pro levi haberetur. Dio *lib.*51. Τοσοῦτον τὸ πλῆθος τῶν χρημάτων διὰ πάσης ὁμοίως τῆς πόλεως ἐχώρησεν, ὥστε τὰ μὲν κτήματα ἐπιτιμηθῆναι, τὰ δὲ δανείσματα, ἀγαπητῶς ἐπὶ δραχμῇ πρότερον ὄντα, τότε ἐπὶ τριτημορίῳ αὐτῆς γενέσθαι. Hoc est, quod concise Suetonius in vita ejus, cap.41. *Invecta urbi Alexandrino triumpho regia gaza, tantam copiam nummariæ rei effecit, ut, fœnore deminuto, plurimum agrorum pretiis accesserit.* Et hoc publice quidem: at vero quid privatim? Videamus. Apicius habuit *millies sestertium*, teste Seneca, Consolat. ad Helviam, cap.10. Hoc autem millies facit quinque milliones Carolinorum. Crispus, municeps Vercellensis, possedit *bis millies*, ut notat Interpres vetus Juvenalis, Sat.4. Eædem divitiæ M. Crassi perhibentur. Senecam *ter millies* possedisse, testatur Tacitus. Et suntne hæ immensæ opes? sunt profecto. Tamen, apud eundem Tacitum, extenuans has Nero, inquit: *Plerique haudquaquam artibus tuis pares, plura tenuerunt.* De Narcisso memorat Dio, lib. 60. & de Cn. Lentulo augure Seneca, de Benefic. lib.2. cap.27. *quater millies* possedisse. Nondum obstupescis? Ecce, in ima plebe Isidorus aliquis servorum quatuor millia centum sedecim, juga boum tria millia sexcenta, reliqui pecoris ducenta quinquaginta millia, *sestertium sexcenties*, id est, tres milliones in numerato reliquit. Et hic ipse multa adhuc perdiderat bello civili Julii & Pompeii. Audiamus Plinium, lib.33. cap.10. *C. Asinio Gallo, C. Marcio Censorino, Consulibus, ad* VI. *Kal. Febr. C. Cæcilius Claudius Isidorus testamento suo edixit, quamvis multa civili bello perdidisset, tamen relinquere servorum quatuor millia centum sedecim, juga boum tria millia sexcenta, reliqui pecoris ducenta quinquaginta millia, in numerato sestertium sexcenties.* Et hic sub Augusto. Erant qui totas Provincias possiderent. Seneca de Ira lib. 1. cap. ultimo: *Acervis auri argentique incubat, & provinciarum nominibus agros colit, & sub singulis villicis latiores habet fines, quam quos consules sortiebantur.* Salvianus ad Eccles. Cathol. lib. 1. *Non denique fundos interminabiles, & notitiam possessoris sui excedentes.* Plinius auctor est, sub Nerone sex dominos possedisse Africæ semissem. Ad has igitur opes necessarii erant ingentes libri, quibus rationes complecterentur, quot agrorum jugera haberent, & per quos colenda: quantum pecorum, & ubi pascentium: quantum servorum, quantum ædium, & qui hinc reditus annuus. Et habebant etiam, vocabantque *libros patrimoniorum*. Seneca de Benefic. lib.7. cap.10. *O miserum, si quem delectat sui patrimonii liber magnus; & vasta spacia terrarum, colenda per vinctos, & immensi greges pecorum, per provincias ac regna pascendi, & familia bellicosis nationibus major; & ædificia privata, laxitatem urbium magnarum vincentia.* Locus insignis, & in quo singula Lectorem abripiunt ad stuporem. Adeoque exules ipsi immensas quoque opes habebant. Seneca, Consolat. ad Helviam, cap. 12. *Eo temporum prolapsa luxuria est, ut majus viaticum exulum sit, quam olim patrimonium Principum.* Inhibuerat Augustus, & frenum injecerat, edicto, ne quis eorum servos, aut libertos, supra viginti haberet; neu plus quingentis millibus nummum, id est, viginti quinque millibus Carolinorum. Auctor Dion lib. 56. Obstupescendas certe divitias! eo magis, quod tantam paupertatem sint sequutæ. Sub Romulo enim duo jugera divitiæ erant, neque ultra quisquam habuit. Plinius lib.18. cap. 2. *Bina tunc jugera Pop. Rom. satis erant, nullique majorem modum attribuit.* Et constitit quam diutissime modus hic istorum opibus. Anno Urbis 292. L. Quinctius Cincinnatus, Dictator, quatuor jugera habuit. Anno 498. Attilius Regulus septem. Vis tempora non longe ab Imperio remota?

mota? M. Scaurus, princeps Senatus, habuit sola sex mancipia, totusque ejus census fuit *triginta quinque millia nummum*: id est, mille septingenti quinquaginta Carolini. Jam matrimonia quoque, & dotes inspiciamus. *Tacita, Cæsonis filia*, ait Valer. Max. *maximam dotem ad virum, decem millia æris, attulisse visa*. Hi sunt ducenti Carolini. Senatus Scipionis filias elocavit, deditque ex ærario dotem *undecim millia æris*, sive Carolinos ducentos viginti. Megullia, quia cum *centum millibus æris*, id est, mille florenis, mariti domum intravit, *Dotatæ* cognomen accepit. Atquantum excrevit postea, crescentibus divitiis? Juvenalis Sat. 10. de Messalina:

*—— dudum sedet illa parato*
*Flammeolo, Tyriusque palam Genialis in hortis*
*Sternitur, & ritu decies centena dabuntur*
*Antiquo.* ——

Vides augmentum? *decies centena* sunt quinquaginta millia florenorum, atque ea tunc frequens dos. Martialis lib. 2. epigr. 65.

*Illa illa dives mortua est Secundilla,*
*Centena decies quæ tibi dedit dotis?*

Tacitus Annal. 2. *Posthabitam decies sestertii dote solatus est.* Sed an nullæ leges, quæ immodicas istas, sæpe etiam injustas, opes coercerent? Ita. Agrorum modum quingenta jugera statuit C. Licinius Consul, Anno ab Urbe 376. Auctores Livius lib. 7. & Plutarchus in Camillo. Pecuniæ quoque ne supra sexaginta sestertia, sive tria millia Carolinorum, possidere liceret, lege cautum fuit, quam revocavit Julius Cæsar. Dion. lib. 41. *Ἐπεὶ δή τε συχνοὶ πολλὰ χρήματά τε ἔχειν, καὶ πάντα αὐτὰ ἀποκρύπτειν ἐλέγοντο, ἀπηγόρευσε, μηδένα πλεῖον πεντακισχιλίων, καὶ μυρίων, δραχμῶν ἐν ἀργυρίῳ, ἢ καὶ χρυσίῳ, κεκτῆσθαι. οὐχ ὡς καὶ αὐτὸς τὸν νόμον τοῦτον τιθεὶς, ἀλλ' ὡς καὶ πρότερόν ποτε εἰσηνεχθέντα ἀνανεούμενος.* Sed mendosus locus sine dubio, & scribendum *πεντακοσιακισχιλίων*. ea erunt trecenta millia: atque hæc justior ratio. Nam quid obsecro, licitum fuerit paupertina adhuc Roma agrorum habere jugera quingenta; ea autem opibus jam abundantissima pecuniæ tantum florenos tres mille? Nulla est ratio, aut proportio. At vero hic modus servatus non fuit, & silentium legi validior luxus imposuit; quippe sub Augusto aliquis ex ima plebe reliquit in numerato sestertium sexcenties, ut paullo ante commemoravi. Ad ædes autem, & quæ in iis opes, servandas adhibebantur custodiæ nocturnæ servorum, quæ adversus vim, aut incendia, excubarent. Juvenalis Sat. 14.

*—— misera est magni custodia census.*
*Dispositis prædives hamis vigilare cohortem*
*Servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro*
*Electro, signisque suis, Phrygiaque columna,*
*Atque ebore, & lata testudine.* ——

## CAP. II.

*Luxus, & prodigalitas, Romanorum in genere. Martialis emend.*

Opes tam immensas, quas vidimus, ut solet plerumque, sequutus est luxus & prodigalitas, in vestibus, supellectile, ædibus, conviviis, comessationibus. Tigellius quinque diebus prodigere poterat florenorum quinquaginta millia: eam enim summam faciunt *decies centena*. Horatius de eo testatur:

*—— decies centena dedisses*
*Huic parco paucis contento, quinque diebus*
*Nil erat in loculis.* ——

Curio filius conflaverat æris alieni *sestertium sexcenties*, sive tres milliones. Val. Max. queritur lib. IX. cap. 1. *Consimilis mutatio in domo Curionum exstitit: siquidem forum nostrum & patris gravissimum supercilium, & filii sexcenties sestertium æris alieni adspexit.* Cinnam quendam irridet Martialis, quod anno non toto decoxisset *sestertium octuagies*, id est, florenorum quadringenta millia. Hoc epigramma est:

*Bis quartum decies non toto tabuit anno;*
*Dic mihi, non est hoc, Cinna, perire cito?*

Milo, teste Plinio, lib. 36. cap. 15. præter amplissimum patrimonium consumptum, debuit æris alieni *sestertium septingenties*, sive tres milliones cum semisse. De Apicio memorat Seneca, eum dissipasse *sestertium nongenties*. Isti sunt milliones quatuor cum semisse. Vis audire? Sic inquit, Consolat. ad Helviam, cap. x. *Cum sestertium millies in culinam congessisset, cum tot congiaria principum, & ingens Capitolii vectigal, singulis comessationibus hausisset, ære alieno oppressus, rationes suas tunc primum coactus inspexit. Superfuturum sibi sestertium centies computavit, &, velut in ultima fame victurus, si in sestertio centies vixisset, veneno vitam finivit.* Illudit Martialis lib. 3. epigr. 22.

*Dederas, Apici, bis trecenties ventri,*
*Sed adhuc supererat centies tibi laxum.*
*Hoc tu gravatus, ut famen & sitim, ferre,*
*Summa venenum potione duxisti.*
*Nil est, Apici, tibi gulosius factum.*

Sed tu corrige: *ter trecenties*. Orta menda est ex confusione notarum 2. & 3. Et attende sodes; præter nongenties istud, quod culina hauserat, tot congiaria Principum, & ingens Capitolii vectigal, singulis commessationibus perdiderat. Cæsar Dictator, ut Appianus auctor, opus sibi esse dicebat *sestertio bis millies quingenties*, sive duodecim millionibus cum semisse, ut nihil haberet: id est, ut creditoribus æs alienum persolveret. Ille ipse, narrant Plinius libr. 36. cap. 15. *Solum tantum foro extruendo sestertio millies emit*. Hui! solum ergo fori constitit quinque millionibus? Ita. Et audi aliud, quod vix quisquam credat. Caligula, anno non toto, prodegit *sestertium vicies ac ter millies*: id est, centum sexaginta quinque milliones. At qui potuit? Suetonius distincte narrat, cap. 37. *Nepotinis sumptibus omnium prodigorum ingenia superavit: commentus novum balnearum usum, portentosissima genera ciborum, atque cœnarum: ut calidis frigidisque unguentis lavaretur: pretiosissimas margaritas, aceto liquefactas, sorberet: convivis ex auro panes, & obsonia, apponeret: aut frugi hominem esse oportere dictitans, aut Cæsarem. Quin & nummos non mediocris summæ e fastigio basilicæ Juliæ per aliquot dies sparsit in plebem. Fabricavit & de cedris Liburnicas, gemmatis puppibus, versicoloribus velis; magna thermarum, & porticuum, & tricliniorum, laxitate; magnaque etiam vitium, & pomiferarum arborum, varietate; quibus discumbens de die inter choros, ac symphonias, litora Campaniæ peragraret: In exstructionibus prætoriorum, atque villarum, omni ratione post habita, nihil tam efficere concupiscebat, quam quod posse effici negaretur. Et jactæ itaque moles infesto ac profundo mari, excisæ rupes durissimi silicis, & campi montibus aggere æquati, & complanata fossuris montium juga, incredibili quidem celeritate, cum moræ culpa capite lueretur.* Vides inge-

nium in luxum intentum, & tot perdendarum opum modos. At necdum se omnes enumerare Suetonius testatur. Obstupesco. Et nemo hoc poterat, nisi qui Imperator Romanus. Sed & civium splendidorum multi in hoc ludo regnabant. Age, videamus: ordinem præit Seneca, epist. 114. Hunc sequemur. Verba ista sunt. *Ubi luxuriam late felicitas fudit, cultus primum corporum esse diligentior incipit, deinde supellectili laboratur, deinde in ipsas domos impenditur cura, ut in laxitatem ruris excurrant, ut parietes advectis trans maria marmoribus fulgeant, ut tecta varientur auro, ut lacunaribus pavimentorum respondeat nitor: deinde ad cœnas lautitia transfertur, & illic commendatio ex novitate, & soliti ordinis commutatione captatur: ut ea, quæ cludere cœnam solent, prima ponantur: ut, quæ advenientibus dabantur, exeuntibus dentur.* In his ergo tribus omnis luxus versatur: in cultu primo corporis, deinde ædium, postremo conviviorum. Inspiciemus singillatim.

## CAP. III.

*Corpus levigatum, item facies: ea quoque fucata. In levigatione, usus panis madidi. Coma fracta in gradus, & unguentis delibuta. Officinæ odorariorum. Gressus suspensus, & ejus rei Scholæ.*

INitium est in corporum cultu, atque in hoc considerandum primo ipsum corpus; deinde, quæ circa illud, vestes. In corpore ipso, captata levitas, facies fucata, gressus mollis ac suspensus, & quidem a viris, quod gravius opprobrium. Seneca objurgat, & detestatur, Nat. Quæst. lib. 7. cap. 31. *Adhuc quicquid est boni moris, extinguimus levitate & politura corporum. Muliebres munditias antecessimus, colores meretricios, matronis quidem non induendos, viri sumimus. Tenero, & molli, ingressus suspendimus gradum, non ambulamus.* Corporis levitatem non uno epigrammate perstringit Martialis; & de ipso Julio narrat Suetonius capite 45. *Circa corporis curam morosior, ut non solum tonderetur diligenter, ac raderetur, sed velleretur etiam: ut quidam exprobraverunt.* Comam frangebant in gradus. Idem Suetonius de Nerone, capite 51. *Circa cultum, habitumque, adeo pudendus, ut comam semper in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam pone verticem summiserit.* Quintilianus, libro 1. cap. 6. *Velli, & comam in gradus frangere, & in balneis perpotare, quamlibet hæc invaserint civitatem, non erit consuetudo, quia nihil horum caret reprehensione.* Seneca Rhetor, Controvers. 1. *Capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum fœminis, & immundissimis se excolere munditiis, nostrorum adolescentium specimen est.* Et hæc delibuta unguento. Irridet sæpe Martialis. Horatius libr. 2. Od. 11.

*Cur non sub alta vel platano, vel hac*
*Pinu, jacentes sic temere, & rosa*
*Canos odorati capillos,*
*Dum licet, Assyriaque nardo*
*Potamus uncti?*

Juvenalis Sat. 4.

*Et matutino sudans Crispinus amomo,*
*Quantum vix redolent duo funera.*

Et frequens apud Ovidium, Catullum, Tibullum, Propertium. Itaque officinæ erant eorum, qui odores coquerent. Seneca, Epist. 90. *Hinc fabrorum officinæ sint, hinc odores coquentium.* Faciem quod attinet, eam quam maxime nitentem cupiebant: itaque levigabant, & pane linebant. Juvenalis:

*Sed quæ mutatis inducitur, atque movetur,*
*Tot medicaminibus, coctæ siliginis offas*
*Accipit, & madidæ facies dicentur, an ulcus?*

Suetonius de Othone, cap. 12. *Faciem quotidie rasitare, ac pane madido linere consuetum: idque instituisse a prima lanugine, ne barbatus unquam esset.* Ingressum plane suspendebant, ut cæpi dicere ex Seneca: & huic rei doctores etiam. Ipse Seneca, Epist. 90. *Hinc (officinæ) molles corporis motus docentium, & infractos.*

## CAP. IV.

*Vestes pressæ, ut niterent. Earum magnus numerus, isque ostensus, cum in convivio, tum balneo. Pretium lacernarum, & tricliniarium. Lex Julii, de conchyliatis; Tiberii, de sericis. Holosericæ quando cœperint. Luxus muliebris.*

IN vestibus ipsis artificiosa luxuria. Domi eas sub prælis habebant, ut in publico niterent. Ammianus l. 28. *Solitis pressoriis vestes luce nitentes arbitra diligenter explorant.* Seneca, de Tranquill. capite 1. *Non ex arcula prolata vestis; non ponderibus, aut tormentis, splendere cogentibus, pressa; sed domestica, & velis.* Martialis lib. 11. Epigram. 46.

*Sic tua suppositis perlucent præla lacernis.*

Et magno has numero habebant. Plutarchus, in Lucullo: Στρατηγοῦ δέ ποτε φιλοτιμουμένου περὶ θέας, καὶ χορῷ τινι κόσμον αἰτουμένου πορφυρᾶς χλαμύδας, ἀπεκρίνατο, σκεψάμενος, ἂν ἔχῃ, δώσειν. εἶτα μεθ' ἡμέραν ἠρώτησεν αὐτὸν, ὁπόσων δέοιτο. τοῦ δὲ, ἑκατὸν ἀρκέσειν φήσαντος, ἐκέλευσε λαβεῖν δὶς τοσαύτας. *Prætori cuidam, qui, spectaculum edere quam splendidissime cupiens, ad eum venerat, petitum chlamydas aliquot, quibus chorum exornaret, inspecturum respondet, an tot habeat; &, si habeat, daturum. Postridie ex eo quæsivit, quotnam cuperet, centumque satis esse respondentem, ducentas accipere jussit.* Martialis loco citato, de quodam;

*Sic micat innumeris arcula synthesibus.*
*Atque unam vestire tribum tua candida possint,*
*Apula non uno quæ grege terra tulit.*

Itaque sæpissime mutabant in uno convivio, ad ostentationem. Idem, lib. 4. Epigram. 81.

*Undecies una surrexti, Zoile, cœna:*
*Et mutata tibi est synthesis undecies.*

Et ad balnea abeuntes, plurimas secum portabant. Irridet Ammianus, loco jam citato: *Quum a Silvani lavacro vel Mammeæ aquis ventitant sospitalibus, ut quisquam eorum egressus tenuissimis se terserit linteis, solitis pressoriis vestes luce nitentes arbitra diligenter explorant, quæ una portantur, ad juvandos homines undecim.* Pretium autem iis sane immensum. Itaque lacernas erant qui emere auderent *decem millibus nummum*, id est, quingentis Carolinis. Martialis Epigr. 61.

*—— millibus decem dixti*
*Emptas lacernas munus esse Pompillæ,*

Item, lib. 7. Epigr. 10.

*Emit lacernas millibus decem Bassus.*

Capitoni objecit Marcellus Scipio, quod triclinaria Babylonica vendidisset *octingentis millibus*, sive Carolinis quater millibus: ea autem Nero postea emit *sestertio quadragies*, id est, Carolinorum ducentis millibus. Fidem res exuperat, sed eam mereretur Plinius. Ille tradit lib. 8. cap. 48. *Metellus Scipio tricliniaria Babylonica sestertium octingentis millibus venisse jam tunc posuit in Capitonis criminibus, quæ Neroni Principi quadragies sestertio nuper stetere.* Pretium exandefaciebant duo, color, & materia: ille conchyliatus, hæc serica. Quod ad colorem, de ejus pretio sic Plinius, libr. 9. cap. 35. *Conchylia, & purpuras, omnis ora atterit, quibus eadem mater luxuria paria pæne etiam margaritis pretia fecit.* Et libra ejus, cum emeretur prius denariis centum, sive florenis viginti, mox, exagitante luxu, supra mille denarios, id est, ducentos florenos ascendit. Idem Plinius, libro citato, cap. 36. *Nepos Cornelius, qui Divi Augusti principatu obiit, Me,* inquit, *juvene violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum venibat: nec multo post rubra Tarentina. Huic successit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille emi non poterit.* Ac vestibus quidem ea tinctis, &, quæ circa illas, luxuriæ frenum injecit suo tempore Cæsar Julius; neque permisit usum, nisi certis ætatibus, personis, diebus. Suetonius cap. 43. *Lecticarum usum, item conchyliatæ vestis, & margaritarum, nisi certis personis, & ætatibus, perque certos dies, ademit.* Sericæ, eæque tenuissimæ, fæminis maxime usitatæ. Seneca queritur, de Benefic. libr. 7. cap. 9. *Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est, quo defendi aut corpus, aut denique pudor, possit. Quibus sumptis, mulier parum liquido, se nudam non esse, jurabit. Hæc ingenti summa ab ignotis etiam ad commercium gentibus accersuntur, ut matronæ quidem nostræ, ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, quam in publico ostendant.* Tamen viri utebantur, donec Tiberius edixit. Dio, libro 57. *Στατιλίȣ δὲ Ταύρȣ μετὰ Λουκίȣ Λίβωνος ὑπατεύσαντος, ὁ Τιβέριος ἀπεῖπε μὲν ἐσθῆτι σηρικῇ μηδένα ἄνδρα χρῆσθαι. Statilio Tauro, L. Libone Coss. Tiberius edixit, ne quis vir serica veste uteretur.* Atque hæc quidem subserica intelligenda est; nam holosericæ usus primus initium cœpit ab Heliogabalo. Lampridius de eo: *Primus Romanorum holoserica veste usus fertur, quum jam subserica in usu esset.* Sed de pretio: quis non obstupescat, ad octingenta illa millia Capitonis? quis non ad quadragies sestertium Neronis? Et profecto, maxime hic modum excessit sequior sexus. Itaque passim erat eum videre indutum vestibus, quibus impensi toti census. Audi Propertium, lib. 3.

*Matrona incedit census induta nepotum.*

Adeoque de Lollia Paullina narrat Plinius lib. 9. cap. 15. visam a se, *ne serio quidem ac sollenni cæremoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium cœna, smaragdis margaritisque opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus, digitisque, quæ summam quadringenties sestertium colligebant, ipsa confestim parata mancupationum tabulis comprobare.* Quis hic stupor est? quadringenties illud sestertium efficit duos milliones. Nec tamen hic vestium adhuc sumptus censetur: solæ gemmæ tanti constiterunt, quibus illa passim totum corpus ornaverat. Quid? solane? non certe: quasi certatim faciebant omnes matronæ. Manilius:

*Perque caput ducti lapides, per colla, manusque.*

Plinius lib. 33. cap. 3. *Habeant fæminæ in armillis, digitisque totis, collo, auribus, spiris: discurrant catenæ circa latera, & inserta margaritarum pondera e collo dominarum auro pendeant, ut in summo quoque unionum conscientia adsit.*

## CAP. V.

*Julii Cæsaris edictum de margaritis. Luxus in inauribus, monilibus, lineis, armillis, annulis, calceis, umbraculis, ac flabellis. Severus moderatus est in parte, & uxor Heliogabali. Speculorum magnitudo, & pretium.*

SEd Lolliæ Paullinæ ornatum adhuc ruminor: &, an bona fide Plinius? Omnino. Examinemus per partes, & incipiamus a capite. Ornabant in eo crines, spiras, aures, auro & gemmis pretiosissimis, quæque quam multos census æquabant. Hieronymus, in Epist. ad Lætam: *Nec collum auro, & margaritis, premas; nec caput gemmis oneres.* Gaudentius, Tract. 13. *Quædam fæminæ onerant auro, & margaritis, vel sua, vel filiarum, membra.* Occurrere voluit Julius Cæsar, margaritarum abusum moderatus. Suetonius c. 43. *Usum margaritarum, nisi certis personis, & ætatibus, perque certos dies, ademit.* Clarius Eusebius, in Chronico: *Prohibitum est lecticis, margaritisque uti, quæ nec viros, nec liberos, haberent, & minores essent annis quadraginta quinque.* Sed non obtinuit. Inprimis vero magnus luxus aurium. Seneca, de Beata vita, cap. 17. *Quare uxor tua locupletis domus censum auribus gerit?* Hui, quæ istæc res, in auribus solis locupletis domus censum? Ita est; nihil mentitur. Nunquid Serviliæ margaritam Julius emit sexagies sestertio, sive trecentis millibus florenorum? Suetonius cap. 1. *Ante alias dilexit M. Bruti matrem Serviliam, cui & proximo suo Consulatu sexagies sestertio margaritam mercatus est.* De Cleopatræ unione nunquid certum est, supra *centies sestertium*, sive quingenta millia florenorum valuisse? Sed hæc regina, inquies, & quidem Ægypti. Quid tum postea? nihil huic concedebant matronæ Romanæ. Tertullianus, de Hab. Mul. *Graciles aurium cutes calendarium expendunt.* Et, quasi in quodam luxus certamine, conjungebant uniones duos, tres, quatuor; atque ita gestabant, & quidem ex singulis auribus. Plinius lib. 9. cap. 35. de unionibus loquens: *Hos digitis suspendere, & binos, ac ternos, auribus, fæminarum gloria est. Subeunt luxuriæ ejus nomina, & tædia, exquisita perdito nepotatu: siquidem cum id fecere, crotalia appellant, ceu sono quoque gaudeant, & collisu ipso margaritarum.* Seneca, de Benefic. lib. 12. cap. 9. *Video uniones, non singulos singulis auribus comparatos: jam enim exercitatæ aures oneri ferendo sunt: junguntur inter se, & insuper alii binis superponuntur. Non satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina, ac terna, patrimonia auribus pependissent.* Viden? bina, ac terna, patrimonia; pro numero videlicet unionum. Hinc illud, de Tranquill. lib. 2. cap. 15. *Quid refert, quantum (mulier) habeat; quot lecticarios, quam oneratas aures, quam laxam sellam.* Et ostentatio erat, in gemmarum varietate. In L. pediculis: 32. D. de auro, arg. mundo, leg. *In aures, in quibus duæ margaritæ, elenchi, & smaragdi duo.* Veniamus ad collum, ac latera: hic conspiciebantur monilia, lineæ, ac catenæ. Plinius: *Discurrant catenæ circa latera, & inserta margaritarum pondera e collo dominarum auro pendeant, ut in summo quoque unionum conscientia adsit.* Et vis linearum sumptum? Hieronymus, in vita Pauli

Eremitæ: *Uno filo villarum insunt pretia*. Tertullianus de Habitu Muliebri: *Uno lino decies sestertium inseritur*. Hoc est quinquaginta millia florenorum. Et de monilibus, ille ipse, ibidem. *Saltus, & insulas, tenera cervix fert*, id est, pretia saltuum, & insularum. Erant & mamillarum ornamenta. In l. pediculis. citata: *Ornamenta mamillarum ex cylindris triginta quatuor, & tympaniis margaritis triginta quatuor*. In brachiis, & digitis armillæ erant, sive brachialia, annulique: & ibi quoque magnæ impensæ. De brachialibus, Tertullianus, loco citato: *Circulos ex auro, quibus brachia artantur*. Sed annulorum luxus, viris communis cum matronis. Gestabant autem in omnibus digitis. Martialis lib.5. Epigr.43.

*Per cujus digitos currit levis annulus omnes.*

Quid digitos dico? in omnibus articulis debebam. Seneca, Nat. Quæst. l. 7. c. 31. *Exornamus annulis digitos, & in omni articulo gemma disponitur*. Et hoc adhuc parum. In singulis articulis plures. Martialis l.5. Eigr.11.

*Sardonichas, smaragdos, adamantas, iaspidas, uno*
*Versat in articulo Stella, Severe, meus.*

At quantum hic censes insumptum, in tanto annulorum numero, & gemmarum? Nonne centena aliquot millia florenorum? Non potest aliter. Tertullianus, de Hab. Mul. *In sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit*. At quantum in saccis, sive loculis, habebant? Idem Auctor paullo ante dicit: *Brevissimis loculis patrimonium grande profertur*. Ergo in singulis annulis expensa singula patrimonia, quod de inauribus supra Seneca. Et ecce tibi, Nonius Senator, proscriptus ab Antonio, unum secum abstulit, cujus pretium æquabat *viginti mille sestertia*, id est, decies centena millia florenorum. Plinius memorat, lib.37. cap. 7. *Ab Antonio proscriptus Nonius Senator fugiens, e fortunis suis omnibus annulum abstulit secum, quem certum est sestertiis viginti millibus æstimatum*. In baltheis, & vaginis, idem luxus. Tertullianus: *Latent in cingulis smaragdi, & cylindros vaginæ suæ solus gladius sub sinu novit*. Adeatur Cod lib.xi. Tit.xi. Videamus pedes. Neque hic luxus minor. Crepidarum, atque socculorum, vincula erant aurea. Manilius.

*Et pedibus niveis fulserunt aurea vincla.*

Habebant & gemmas. Tertullianus, loco citato: *Et in peronibus uniones emergere de luto cupiunt*. Lampridius, de Heliogabalo: *Habuit in calceamentis gemmas, & quidem sculptas quod risum omnibus movit; quasi possent sculpturæ nobilium artificum videri in gemmis, quæ pedibus adhærerent*. Neque margaritæ, aut uniones, in iis tantum, sed etiam sub iis. Et Plinius scribit: *Non crepidarum tantum obstragulis, sed & totis socculis addi. Neque enim gestare jam margaritas, nisi calcent, ac per uniones etiam ambulent, satis est*. Severus moderatus est luxum, ut tradit in vita ejus Lampridius. Heliogabali etiam uxor, & matronarum habito delectu, nisi quibusdam, non permisit. Lampridius auctor est: *Semiramica facta sunt Senatusconsulta ridicula, de legibus matronarum, quæ quo vestitu incederent; quæ aurum, vel gemmas, in calceamentis haberent*. Quid de umbraculis, ac flabellis, dicemus? an non & hæc composita ad luxum? Quis dubitet? Clare Ammianus, lib.28. *Si inter aurata flabella laciniis sericis insederint muscæ, vel per foramen umbraculi pensilis radiolus irruperit solis, queruntur, quod non sint apud Cimmerios nati*. Horum omnium pretia computemus, facile de Lollia ista credemus, ornatum ejus quadringenties sestertio constitisse. Finiam autem fæminarum hunc luxum in speculis. Ea magna erant, & ad corporis totius instar, in auro, argento, cælato, gemmato; itaque magnum etiam pretium. Attendamus Senecam, Nat. Quæst lib.1. cap.17. *Rerum jam potiente luxuria, specula, totis paria corporibus, auro, argentoque, cælata sunt, denique gemmis adornata: & pluris unum ex his fæminæ constitit, quam antiquarum dos fuit*. Et mox: *Jam libertinorum virgunculis in unum speculum non sufficit illa dos, quam dedit Senatus pro Scipione*. At dos illa fuit *undecim millia æris*, sive ducenti & viginti Carolini, ut supra diximus. Tanti emerunt filiæ libertinorum; quid jam honestissimorum civium, quid equitum, quid senatorum fecisse censebimus? Sine dubio excesserunt multum, pro ratione, & modo dignitatis.

## CAP. VI.

*Comitatus virorum, & matronarum, Ejus multitudo, ornatus, ordo. Instituebant hunc præfecti familiæ, quorum insignia virgæ.*

PRoxime vestes, comitatum dabimus: nam & in hoc luxus fuit. Itaque, prodituri in publicum, saltem decem, aut octo, servos comites trahebant. Juvenalis Sat.7.

*Fidimus eloquio? Ciceroni nemo ducentos*
*Nunc dederit nummos, nisi fulserit annulus ingens.*
*Respicit hæc primum, qui litigat; an tibi servi*
*Octo decem comites, an post te sella, togati*
*Ante pedes.* ——

Sed hic numerus erat causidicorum; & exiguus adhuc, præ quam aliorum. Ammianus l.28. *Ubi, comitantibus singulos quinquaginta ministris, tholos introierint balnearum, &c.* Idem lib.14. *Familiarium agmina, tanquam prædatorios globos, post terga trahentes, ne Sannione quidem, ut ait Comicus, domi relicto*. Et de Tigellio narrat Horatius, lib.1.Sat.3. habuisse sæpe ducentos. Multi millenos aliquot. Athenæus l.6. Μυρίους, καὶ δισμυρίους, (οἰκέτας) καὶ ἔτι πλείους οἱ πάμπολλοι κέκτηνται· οὐκ ἐπὶ προσόδοις δ', ὥσπερ ὁ τῶν Ἑλλήνων ζάπλουτος Νικίας, ἀλλ' οἱ πλείους, τῶν Ῥωμαίων συμπροϊόντας ἔχουσι τοὺς πλείστους. *Decem, immo viginti mille, & plures quoque servos habent, non quæstus causa, ut ille Grecorum ditissimus Nicias, sed plerosque in publico comitantes*. Neque numerus hic duntaxat ostentabatur, sed & vestium onatus; qui magnificus valde, licet in servis. Seneca, de Tranquill. cap 1. *Præstringit animum apparatus alicujus pædagogii, diligentius, quam intra privatum larem, vestita & auro culta, mancipia, & agmen servorum nitentium*. Et, soli ne viri processerunt comitati? non. Immo etiam matronæ, quæ hic viros excessere. Nam, tanquam agmen aliquod ducerent, in ordinem cogebant, idque munus præfectorum familiæ, qui insignia virgarum manu dextera gestabant. Omnem luxum nobis egregie describit Marcellinus, lib.14. *Quo comitatu matronæ complures, opertis capitibus, & basternis per latera civitatis cuncta discurrunt. Utque præliorum periti rectores primo catervas densas opponunt, & fortes, deinde leves armaturas, post jaculatores, ultimasque subsidiales acies, si fors adegerit, invasuras: ita præpositis urbanæ familiæ suspensæ digerentibus sollicite, quos insignes faciunt virgæ dextris aptatæ, velut tessera data castrensi, juxta vehiculi frontem omne incedit textrinum; huic atratum coquinæ adjungitur mi-

*nisterium; deinde totum promiscue servitium, cum otiosis plebeiis de vicinitate conjunctis, postrema multitudo spadonum, a senibus in pueros desinens, coloris obluridi, distortaque lineamentorum compage deformis.* Hinc Hieronymus, in Epistola ad Furiam: *Noli ad publicum subinde procedere, &, spadonum exercitu praeeunte, viduarum circumferri libertate.* Animadverte. *Exercitum spadonum* dicit: & vides causam ex Ammiano. Inter hos quoque moriones, empti ingentibus saepe pretiis: nam, cum alios servos emerent plerumque sex millibus nummum, sive trecentis florenis, ut ostendo infra, cap. 16. hos emebant longe pluris: & aliquando viginti millibus nummum, sive florenis mille. Martialis irridens, lib. 8. Epigr. 13.

*Morio dictus erat: viginti millibus emi.*
*Redde mihi nummos, Gargiliane, sapit.*

## CAP. VII.

*Vasa coquinaria, ac mensalia; argentea. Lancium ingentia pondera. Postea auro illigari coepta: mox etiam ex eo solido facta. Tiberii edictum. Universum mensae ministerium aestimatum.*

Sequitur suppellex, in qua similes sui fuerunt isti luxuriantes. Ac vis scire? in exigua saepe dispendebant opes non sane exiguas. Martialis in Quinctum lib. 3. Epigr. 62.

—— *constat decies tibi non spatiosa supellex.*

Vides impensam quinquaginta millium Carolinorum. Atque adeo una securicula empta est nummum quadringentis millibus, sive Carolinorum viginti millibus. Martialis lib. 14. Lemmate 35. quod est Securicula:

*Cum fieret tristis solvendis auctio nummis,*
*Haec quadringentis millibus empta fuit.*

Ostendemus magis, & incipiemus a vasis coquinariis, quae illi argentea habuerunt. Plinius lib. 33. cap. 3. *Vasa coquinaria ex argento Calvus orator fieri queritur? at nos carrucas ex argento caelare invenimus.* Ulpianus in l. cum aurum. 9. §. si cui escarium. D. de auro, arg. mundo leg. *Cacabos argenteos habebat, vel miliarium argenteum, vel sartaginem, vel aliud vas ad coquendum.* Sed ad cacabos quod attinet, argenteos illos ante Heliogabalum habuit nemo. Lampridius de eo: *Primus mensas argenteas habuit, primus etiam cacabos.* Nemo igitur haec mirabitur; nemo mensalia, nisi quanta, quippe magnitudo, & pondus, hoc merentur. Juvenalis Sat. 3.

—— *quot pascit servos, quot possidet agri*
*Jugera; quam multa, magnaque paropside caenat.*

De Heliogabalo narrat Lampridius, habuisse eum *vasa centenaria argentea sculpta.* Ecce, vasa centum librarum Heliogabali; quae tamen ille solus non habuit, sed cum eo, & ante eum, plures. At hoc parum est. Imperante Claudio Drusillanus quidam, servus, dispensator Hispaniae citerioris, habuit lances quingentarum. Tertullianus, De Pallio: *Vereor sane, ne parva sit ista trutina; cum Drusillanus, & quidem servus Claudii, quingenariam promulsidem aedificat.* Et hoc parum. E comitibus ejus nonnulli octingentarum, & supra. Audiamus narrantem bona fide Plinium, lib. 33. cap. 11. *Lances e centenis libris argenti tunc super*

A *quingentas numero Romae fuisse constat; multosque ob eas proscriptos, dolo concupiscentium.* Et mox addit: *Claudii principatu, servus ejus Drusillanus, nomine Rotundus, dispensator Hispaniae citerioris, quingenariam lancem habuit, cui fabricandae prius officina exaedificata fuerat: & comites ejus, octingentarum octo quinquaginta librarum: quaeso, ut quam multi eas conservi ejus inferrent, aut quibus caenantibus?* Sed magnitudo haec profecto nimia, & rara: modestiores alii fuerunt, qui modum excedere justum noluerunt. Pretium vero omnino magnum; impendebant enim multa millia, in singulas libras. Narrat de L. Crasso Oratore Plinius, libro citato: B *Constat eundem sex millibus sestertiis* (id est, trecentis Carolinis) *in singulas libras vasa empta habuisse.* Martialis de Quincto;

*Libra quod argenti millia quinque rapit.*

Fuerunt autem non semper ex solo argento: quin mox aurum illigari coeptum est. Martialis, lib. 11. Epigr. 43.

*Immodici tibi flava tegunt chrysendeta mulli,*
*Concolor in nostra, cammare, lance rubes.*

Iterum Epigr. 53.

*Si ridere potes miseri chrysendeta Cinnae.*

C Paulus in l. pediculis. 42. D. de auro, arg. &c. *Auro facto adnumerantur gemmae, annulis inclusae, quippe annulorum sunt,) cymbia argentea, crustis aureis illigata.* Et Ulpianus, l. cum aurum. 19. D. h. t. *Aurea emblemata, quae in absidibus argenteis.* Postea etiam ex auro fecerunt, tam pudendo luxu, ut ventris quoque onera istis exciperent. Tertullianus, de Hab. Mul. *Etiam ad spurca instrumenta auri, & argenti demens copia deseruit.* Exprobrat Bassae Martialis, lib. 1. Epigr. 37.

*Ventris onus misero, nec te pudet, excipis auro,*
*Bassa.* —— ——

D Tamen haec frugaliores etiam ex argento habebant. Ulpianus, in l. Q. Mutius. 27. D. Tit. jam toties citato: *Argento legato non puto ventris caussa habita scaphia contineri.* Modum statuit in suo principatu Tiberius; vetuitque, ne quis vasis aureis uteretur, nisi ad rem sacram. Dio lib. 57. *Στατιλίου δὲ Ταύρου μετὰ Λουκίου Λίβωνος ὑπατεύσαντος, ὁ Τιβέριος ἀπεῖπε μὲν ἐσθῆτι σηρικῇ μηδένα ἄνδρα χρῆσθαι, ἀπεῖπε δὲ καὶ χρυσῷ σκεύει μηδένα, πλὴν πρὸς τὰ ἱερά, νομίζειν. Sisenna, Statilio Tauro, L. Libone Coss. edixit, ne quis vir serica veste uteretur,* E *neu quis aurea vasa, nisi ad rem sacram, haberet.* Vidisti per partes, at quanti nunc censes universum mensae ministerium? Plinius ostendit, lib. 33. cap. 11. ubi de Scipione Africano: *Cum de Poenis triumpharet, quatuor millia quadringenta septuaginta tria pondo transtulit. Hoc argenti tota Carthago habuit, illa terrarum imperii aemula, quod nunc in mensarum est apparatu.* Jam, si calculo Pliniano, in libras singulas trecentos Carolinos computemus, ea summa effectura est tredecies centena ac viginti septem millia, & nongentos Carolinos.

## CAP. VIII.

F *Pocula e concha, onyche, argento, auroque; & eo caelato, gemmato. Custodes his appositi. Magnitudo, pretium. Hoc in myrrhinis quoque & crystallinis indicatum, item candelabris.*

Poculorum ut luxus magnus, ita pretium. Et varia illa fuere; siquidem bibebant ex onyche. Plinius lib. 37. cap. 7. *Onychem etiam tum in Arabiae montibus, nec usquam alibi, nasci*

*putavere nostri veteres : Sudines , in Germania ; potoriis primum vasis inde factis ; dein pedibus lectorum, sellisque. Cornelius Nepos, tradit fuisse magno miraculo, cum P. Lentulus Spinther amphoras ex eo, Chiorum magnitudine cadorum, ostendisset.* Vel ex concha etiam. Juvenalis, Sat. 6.

*Cum perfusa mero spumant unguenta Falerno,*
*Cum bibitur concha. ——*

Vel ex auro, argentove, vario opere cælato. Juvenalis Sat. 1.

*Argentum vetus, & stantem extra pocula caprum.*
Martialis.
*Stat caper in phiala, Thebani vellere Phryxi*
*Cultus; ab hoc mallet vecta fuisse soror.*

Vel gemmis etiam ornata. Plinius, in Procemio lib. 33. *Turba gemmarum potamus, & smaragdis teximus calices: ac temulentiæ caussa tenere Indiam juvat, & aurum jam accessio est.* Capitolinus, in Vero: *Data etiam aurea, atque argentea, pocula gemmata.* Itaque appositi in conviviis custodes, qui observarent, ne quis aliquas ex iis avelleret. Juvenalis, Sat. 5.

*—— —— ipse capaces*
*Heliadum crustas, & inæquales beryllos,*
*Virro tenet phialas; tibi non committitur aurum.*
*Vel, si quando datur, custos affixus ibidem,*
*Qui numeret gemmas, unguesque observet acutos.*

Nec ornata tantum gemmis, sed & facta ex iis habebant. Pacatus, in Panegyrico: *Parum se lautos putabant, nisi æstivam in gemmis capacibus glaciem falerna fregissent.* Cicero, Verr. 6. *Erat etiam vas vinarium, ex una gemma pergrandi trulla excavata, cum manubrio aureo.* In horum autem magnitudine ostentatio erat, & pompa. Et observa apud Juvenalis Interpretem, Sat. 9. *Fabricius Censor collegam suum notavit in Senatu, quia supra decem libras argenti unam phialam invenit.* Computemus hujus pretium per libras; fuerit hæc phiala trium millium Carolinorum. Ejusdem pretii scyphos duos habuit L. Crassus, Orator. Plinius, lib. 33. cap. 11. *L. Crassus Orator duos scyphos, Mentoris artificis manu cælatos, sestertiis centum millibus emptos, habuit.* Longe argentum, aurumve, excedunt myrrhina, quæ constiterunt Carolinis quater millibus: adeoque T. Petronius, moriens, trullam myrrhinam, emptam trecentis sestertiis, id est, quindecim millibus, confregit, ne ea Nero potiretur. Plinius, lib. 37. cap. 2. *Crescit indies ejus rei luxus, murrhino octoginta sestertiis empto, capaci plane ad sextarios tres calice.* Et mox: *T. Petronius Consularis, moriturus, invidia Neronis Principis, ut mensam ejus exheredaret, trullam murrhinam, trecentis emptam sestertiis, fregit.* Sunt & qui trullam crystallinam emerint Carolinis septem millibus quingentis. Idem Plinius: *Alius hic furor, HS. centum quinquaginta millibus trullam (crystallinam) unam non ante multos annos mercatam a matrefamilias nec divite.* Et attende, quæso; tanti emerat materfamilias, eaque non dives: quid jam divites fecisse censes? Sed a poculis ad candelabra, & lucernas, transibo, & ita finem capiti imponam. Quem vero hic luxum fuisse putamus? Ex argento erant. Ulpianus, in citata l. cum aurum. *Nec candelabra, nec lucernæ argenteæ.* Itaque tam grande pretium. Discamus a Plinio, lib. 34. cap. 3. *Privatim Ægina candelabrorum superficiem duntaxat elaboravit, sicut Tarentum scapos. In his ergo juncta commendatio officinarum est. Nec pudet tribunorum militarium salariis emere, cum ipsum nomen a candelarum lumine impositum appareat.* Atque tribunorum istorum salarium, erant sestertia quinquaginta, sive bis mille quingenti Carolini. Et vel solis certe illis divites censeri poterant. Asterius, Hom. in Avar. Τῷ μὲν ἔλαιον ἐνδεῖ, πρὸς τὸ λύχνον ἀνάψαι, καὶ ἄλλος, μόναις ταῖς λυχνίας πλουτεῖ. *Huic quidem oleum deest, quo lychnum accendat: alius vero, solis candelabris dives est.*

## CAP. IX.

*Mensæ rotundæ, ac latæ; etiam antiquæ. Pedes eburni, formam animalium referentes. Ipsæ citreæ primum, e ligno nodoso: & earum pretium. Mox aureæ, inde argenteæ. Earum origo; circuli, gemmis ornati.*

Mensas habebant rotundas, ac latas. Seneca, Consolat. ad Helviam cap. 11. *Lapides; aurum, & argentum, & magni levatique mensarum orbes, terrena sunt pondera.* Cicero, Verr. 6. *Maximam & pulcherrimam, mensam citream a L. Lutadio Diodoro, Q. Catuli beneficio a L. Sylla civis Romanus factus est, omnibus scientibus, Lilybæi abstulisti.* Juvenalis, Sat. 1.

*Nam de tot pulchris, & latis orbibus, & tam*
*Antiquis, una comedunt patrimonia mensa.*

Et observa illic, *Antiquos orbes*. Hoc enim quoque jactabant, longa majorum successione ad se pervenisse. Seneca, de Tranquill. cap. 1. *Mensa non varietate macularum conspicua, nec per multas elegantium dominorum successiones, civitati nota, sed in usum posita, quæ nullius convivæ oculos nec voluptate moretur, nec accendat invidia.* Et habebant magno numero: sæpe centenas aliquot. Martialis lib. 7. Epigram. 47.
*Cum mensas habeat fere trecentas,*
*Pro mensis habet Annius ministros.*
Pedes mensarum, erant eburni. Martialis, lib. 2. Epigr. 44.

*Tu Lybicos Indis suspendis dentibus orbes:*
*Fulcitur testa fagina mensa mibi.*
Juvenalis, Sat. 11.
*Nil rhombus, nil dama sapit: putere videntur*
*Unguenta, atque rosæ, latos nisi sustinet orbes*
*Grande ebur, & magno sublimis pardus biatu,*
*Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes,*
*Et Mauri celeres, & Mauro obscurior Indus,*
*Et quos deposuit Nabathæo bellua saltu*
*Jam nimios, capitique graves. ——*

Erant autem formati in species animalium: itaque in citatis verbis Satyrici observandum est,

*—— —— latos nisi sustinet orbes*
*Grande ebur, & magno sublimis pardus biatu.*

Ipsæ mensæ, e ligno primum citreo. Vidimus paullo ante, in verbis Ciceronis; & Petronius Arbiter Satyrico:

*—— ecce Afris eruta terris*
*Citrea mensa.*

Et quidem maxime nodoso, idque pretium augebat, quod par aliquando censui Senatoris, id est, decies sestertio, sive quinquaginta millibus florenorum. Clare Seneca, De Benefic. lib. 7. cap. 9. *Video istic mensas, & æstimatum lignum censu Sena-*

*toris, eo pretiosius, quo illud in plures nodos arboris infelicitas torsit*. Tertullianus de Pallio: *Adigo cauterem ambitioni, qua M. Tullius quingentis millibus non unum orbem citri emit, qua bis tantum Asinius Gallus pro mensa ejusdem Mauritaniæ numerat. Hem, quantis facultatibus æstimavere ligneas maculas?* Mox etiam ex auro fecerunt. Ecce apud Martialem lib. 3. Epigr. 31.

*Et servit dominæ numerosus debitor arcæ,*
*Sustentatque tuas aurea mensa dapes.*

Sed pretium tamen citreis majus manebat, ut discimus ex eodem, lib. 14. Epigr. 82. Deinde etiam ex argento. Alphenus, in l. cum ex testament. D. de auro, arg. leg. *An & si quas mensas argenteas, & ejus generis argentum haberet, quo ipse non temere uteretur, sed commodare ad ludos, & cæteras apparationes, soleret*. Asterius Hom. in Avar. Ὁ πένης ἐπὶ ξυλίνης τραπέζης ἄρτον ἀπορεῖ διαθρύψαι. καὶ ὁ τρυφῶν, ἀργυρῆν τράπεζαν ἐλάσας ἐς πλάτος, τῷ σίλβοντι ψυχαγωγεῖται τῆς ὕλης. Sed ante Heliogabalum nemo: ille enim præivit ad hunc luxum. Lampridius memorat: *Primus mensas, & capsas, argenteas habuit: primus etiam cacabos*. Harum coronæ, sive ambitus, gemmis ornabantur. Ulpianus, in l. cum aurum. 19. D. Tit. citato: *In coronis mensarum gemmæ coronis cedunt, hæ mensis*.

## CAP. X.

*Lecti magni, eorumque pedes ex onyche. Ipsi primum argento inducti, mox ex eo solido; & quis auctor. Deinde etiam aurei. Toralia purpurea, odorata, aurea.*

IN lectis magnitudo erat ad ostentationem comparata. Juvenalis, Sat. 2.

*Dives erit, magno quæ dormit tertia lecto.*

Et quidem, pedes ex onyche factos, discimus ex Plinio, lib. 37. cap. 7. Ipsi autem argento primum inducti. Plinius idem, lib. 33. cap. 11. *Lectos vero mulierum jam pridem totos operiri argento, & triclinia quædam, quibus argentum addidisse primus traditur Carvilius Pollio, eques Romanus; non ut operiret, aut Deliaca specie faceret, sed Punicana. Idem & aureos fecit*. Suetonius, in Caligula, cap. 32. *Servum, ob detractam lectis argenteam laminam, carnifici confestim tradidit*. Adde sphæras, & catenas argenteas, loco funium. Asterius Hom. in Avar. Ὁ μάτην πλουτῶν, τῷ κόσμῳ τῆς κλίνης περιαστράπτεται, ἀργυρᾶς σφαίρας ἐχούσης, καὶ ἁλύσεις, ἀντὶ τῶν σχοίνων. Mox ex solido argento fieri cœperunt. Ulpianus, in citata l. cum aurum. *Lectum plane argenteum, vel si quæ alia supellex argentea sit, argenti appellatione non continetur*. Lampridius, in Heliogabalo: *Solido argento factos habuit lectos & tricliniares & cubiculares*. Etiam aureos fecerunt, ejusque rei primus auctor Carvilius Pollio, eques Romanus; ille, qui tricliniis quoque primus argentum addidisse traditur. Locum Plinii jam citavimus, quo id docemur. Et de Julio narrat Suetonius, cap. 49. *In aureo lecto veste purpurea decubuisse*. Vestes vero in iis stragulæ, pro ratione lectorum etiam pretiosissimæ. Et observa purpuream in istis verbis Suetonii. Quin odoribus quoque inficiebant. Martialis lib. 1. Epigr. 16.

*Quid thorus a Nilo, quid sindone tectus olenti?*
*Ostendit stultas quid nisi morbus opes?*

Ac vide, quo postea luxus pervenerit: ex auro habuerunt. Primus Heliogabalus, privatus quidem adhuc; nam jam antea Imperatores fecerant. Lampridius, in vita ejus: *Primus omnium privatorum toros aureis toralibus texit, quia tunc ex Antonini Marci auctoritate id fieri licebat, qui omnem apparatum Imperatorium publice vendiderat*.

## CAP. XI.

*Vehicula ærata, eborata, argentata, argentea. Hæc Severus coercuit, & Senatoribus tantum permisit. Aurata etiam, & altiora. Juncturæ. Vehiculorum pretia, ut & mulorum.*

VEhicula habuerunt varia; nos sub uno generali nomine comprehendemus. Vide tamen apud Lampridium, in Heliogabalo: *Semiramica facta sunt Senatusconsulta ridicula, de legibus matronalibus: quæ quo vestitu incederet, quæ cui cederet, quæ ad cujus osculum veniret, quæ pilento, quæ equo sagmario, quæ asino veheretur, quæ carpento mulari, quæ boum, quæ sella veheretur, & utrum pellicea, an ossea, an eborata, an argentata*. Erantque primitus ærata, mox eborata effecit crescens luxus. Plautus Aulul. Sc. *Velim te*.

*Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram.*

Deinde argentata habuerunt. Plinius, lib. 33. cap. 3. *Nos carrucas ex argento cælare invenimus*. Et tanta quidem horum frequentia, ut coercere Severus necesse putaverit, eorum jure solis Senatoribus relicto. Lampridius, in ejus vita: *Carrucas Romæ, & rhedas; senatoribus omnibus, ut argentatas haberent, permisit: interesse Romanæ dignitatis putans, ut his tantæ Urbis senatores vectarentur*. Postea argentea quoque fuerunt; primusque ea dedit Aurelianus, teste Vopisco. Aurata etiam, & gemmata. Lampridius, de Heliogabalo: *Habuit gemmata vehicula, & aurata, contemptis argentatis, & eboratis, & æratis*. De auratis, capiendus item Martialis, lib. 3. Epigr. 62.

*Aurea quod fundi pretio carruca paratur.*

Et volebant esse altiora. Ammianus lib. 28. *Summum decus in carrucis solito altioribus, & ambitioso vestium cultu ponentes*. Huc accedebant juncturæ pretiosissimæ. Capitolinus, in Vero: *Data & vehicula, cum mulabus ac mulionibus, cum juncturis aureis*. Gaudentius, Tract. 13. *Brutus quoque animalibus, equis, ac mulis, ex argento, & auro, sublimia ornamenta componunt*. Videatur Codicis lib. XI. Tit. XI. Quantas igitur hic impensas credis? nonne ingentes? de fundi pretio clare Martialis, loco citato:

*—— fundi pretio carruca paratur.*

Jam in ipsis jumentis, quæ trahebant, quem luxum putamus? Juncturæ sæpe aureæ, & exemplum habemus in Capitolino, quod produximus. Soleæ eorum argenteæ. Suetonius de Nerone, cap. 30. *Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus*. Et aureas fecit ejus conjux Poppea. Plinius lib. 33. cap. 3. *Nostraque ætate Poppea, conjux Neronis Principis, delicatioribus jumentis suis soleas ex auro quoque induere solebat*. Et quis dubitet, quin magna quoque istorum pretia luxus fecerit? Certe supra equos muli, mulæve, valebant. Diserte Plautus, Sc. *Narravi*.

*Ego faxim muli, pretio qui superant equos,*
*Sint viliores Gallicis cantheriis.*

Quid equos dico? parum hoc est: ipsas mox etiam domos superarunt, puta tenuiorum civium. Martialis mihi testis est, lib. 3. Epigr. 62.

—— *pluris mula est, quam domus, empta tibi.*

At domorum pretia jam videbimus.

CAP. XII.

*Ædium admiranda limina, & quis ea primus marmorea habuerit. Postes, pavimenta, parietes. Illi quando primum marmore incrustati. Laquearia etiam inaurata, & unde origo. Idem factum capitibus columnarum. Earum longitudo, multitudo, pretium: & de eo emendatus Varro. Trabes auratæ. Fontes in singulis cubiculis. Universim amplitudo, & altitudo: eaque mox coercita. In fastigiis horti, & arboraria: ac arbusculæ ex iis æstimatæ: item totæ ædes. Valerius, ac Varro, correcti. Neronis Aurea.*

EXaminabimus per partes, atque inde ad totas progrediemur: ubique nihil non magnum deprehensuri. Incipiemus ab ipso limine, quod marmoreum. Cujus rei initium a M. Lepido. Plinius, lib. 36. cap. 6. *M. Lepidus, Catuli in Consulatu collega, primus omnium limina ex Numidico marmore posuit.* Et tales quoque postes. Statius, in Tiburtino Manlii Vopisci.

—— *an Mauros undique postes,*
*An picturata lucentia marmora vena*
*Mirer.*

Immo deaurati. Hieronymus, in Epist. ad Marcellam: *Ut visitanibus reddamus vices, ad superbas fores pergimus. Inter linguas rodentium ministrorum postes ingredimur deauratos.* Ingressis stuporem injiciebant pavimenta, parietes, columnæ, laquearia, trabes. Fabianus Papyrius, apud Senecam Rhetorem, lib. 2. Controvers. 1. *In hos igitur exitus varius ille secatur lapis, ut tenui fronte parietem tegat: quam vinctus severe in hoc pavimentum levatum.* Ipse Seneca, de Tranquill. cap. 1. *Domus etiam qua calcatur pretiosa, & divitiis per omnes angulos dissipatis.* Statius in Tiburtino Vopisci:

*Dum vagor aspectu, vultusque per omnia duco,*
*Calcabam nec opinus opes: nam splendor ab alto*
*Defluus, & nitidum referentes aera testæ,*
*Monstravere solum; varias ubi picta per artes*
*Gaudet humus, superantque novis Asarota figuris.*

Parietes, & laquearia, marmore induta. De parietibus, Papyrius, loco citato: *Varius ille secatur lapis, ut tenui fronte parietem tegat.* Primus id fecit Mamurra, præfectus fabrum C. Cæsaris. Plinius, lib. 36. cap. 6. *Primum Romæ parietes crusta marmoris operuisse totius domus suæ in Cælio monte Cornelius Nepos tradidit Mamurram, Formiis natum, equitem Romanum, præfectum fabrorum C. Cæsaris in Gallia.* Etiam inaurari cœperunt, ut & laquearia: ejusque rei origo a Capitolio. Plinius, lib. 33. cap. 3. *Laquearia, quæ nunc & in privatis domibus auro teguntur, post Carthaginem eversam primo inaurata sunt in Capitolio, Censura L. Mummii. Inde transiere in cameras, in parietes quoque, qui jam & ipsi, tanquam vasa, inaurantur.* Et huc spectat illud Petronii,

*Ædificant auro.* ——

Hieronymus, in Epistola ad Gaudentium: *Vivimus, quasi altera die morituri; & ædificamus, quasi semper in hoc seculo victuri. Auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum.* Item ad Marcellam: *Ubi sunt latæ porticus? Ubi aurata laquearia? Ubi instar palatii privatorum exstructæ basilicæ?* Ad aurum adjunctæ quoque gemmæ. Statius, in Tiburtino:

*Vidi artes, veterumque manus, variisque metalla*
*Viva modis, labor est auri memorare figuras,*
*Aut ebur, aut dignas digitis contingere gemmas.*

Vestiebant quoque pretiosissimis aulæis, ac tapetibus. Tertullianus, de Hab. Mul. *Parietes Tyriis, & hyacinthinis, & illis regiis velis, quæ vos operose resoluta transfiguratis, pro pictura abutuntur.* Vis columnas scire? harum capita aurata, ut ex loco Hieronymi jam vidimus: ipsæ vero marmoreæ. Juvenalis, Sat. 7.

*Parte alia longis Numidarum fulta columnis*
*Surgat, & algentem rapiat cœnatio solem.*

Et observa illic *longas*; nam tales erant profecto. Ammianus, lib. 28. *Columnarum constructiones, alta fronte suspensas, mirando, atque parietes, lapidum circumspectis coloribus nitidos, ultra mortalitatem nobiles viros extendunt.* Plinius, lib. 36. cap. 11. *Tacuerunt maximas earum (columnarum,) atque duodequadragenum pedum, Lucullei marmoris, in atrio Scauri collocari.* Habebantque has magno numero. Statius, in Epithalamio Stellæ:

*Pendent innumeris fastigia nixa columnis.*

Adeoque nonnulli ad centenas excurrebant. Martialis, lib. 5. Epigr. 13.

*At tua centenis incumbunt tecta columnis,*
*Et libertinas arca flagellat opes.*

In villa Gordianorum unum peristylon habuit ducentas. Capitolinus, in Gordiano 3. *Domus Gordianorum etiam nunc exstat, quam iste Gordianus pulcherrime exornavit: & villa eorum, via Prænestina, ducentas columnas uno peristylo habens, quarum quinquaginta Carysteæ, quinquaginta Claudianæ, quinquaginta Synnades, pari mensura sunt.* Libet pretium earum scire, id quod magnum, ut omnia in luxu isto Romano. Docet Val. Maximus lib. 9. cap. 1. Illic se Crassus ait decem emisse *centum millibus nummum.* Ergo singulas quingentis florenis. Hæc ejus verba sunt: *Decem columnas centum millibus nummum emi.* Neque trabes hic omittendæ, quæ sæpe auratæ. Statius:

*Auratasne trabes, an Mauros undique postes*
*Mirer?* —— ——

Præter hæc omnia, erant, qui in singulis cubiculis haberent fontes. Haurio ex istis Statii in Tiburtino.

*An picturata lucentia marmora vena*
*Mirer, an emissas per cuncta cubilia lymphas?*

Atque ista quidem, intrinsecus; extrinsecus, duo luxuriabantur, amplitudo, & altitudo. Utraque stupenda. Age, videamus. Occurrunt primo verba Valerii, valde opportuna, lib. 4. cap. 4. Narrat de L. Quinctio Cincinnato: *Ei, quatuor jugera aranti, non solum dignitas patrisfamiliæ constitit, sed etiam dictatura delata est. Anguste se habitare nunc putat, cujus domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt.* Viden? angustæ illæ ædes, quæ quatuor jugera caperent. Et fides ne verbis est? omnino. nam quis deroget scriptori tam fido, & probato? Tamen stabiliamus, quando hoc nunc agimus. Sub Nerone servi quidam ejus piscinas habuere duobus jugeribus majores; nonnulli etiam culinas. Plinius, ecce, l. 18. c. 2. *Bina tunc jugera Pop. Romano satis erant, nullique majorem modum attribuit: quo servos paullo ante Principis Neronis, contemptis hujus spacii viridariis, piscinas juvat habere majores; gratumque, si non aliquem & culinas.* Quorundam cellaria etiam longe excesserunt. Plinius

nius idem, lib. 36. cap. 15. *Sic non habitarunt illi, qui hoc imperium fecere, tantas ad vincendas gentes, referendoſque triumphos, ab aratro, aut foco, exeuntes; quorum agri quoque minorem modum obtinuere, quam iſtorum cellaria.* Loquitur illic de Cincinnato, & Fabritio; quoque iſte ſeptem tantum jugera poſſedit. At ecce, poſtea cellaria hoc ſpatium ſuperarunt. Æſtima nunc reliquam amplitudinem juſta proportione. Certe oportet ad urbes acceſſerit, & quidem magnas. Saluſtius, in Catilina, luculentus auctor: *Domos, atque villas, cognoveris in urbium modum exædificatas.* Aſterius, Hom. in Avar. Οἱ μὲν ὑπ' ὀρόφοις χρυσοπάστοις κατάκειν), ϰ̀ ὡς μικρὰς πόλεις οἰκȣ̃σι τὰς οἰκίας. *Hi quidem ſub tectis auratis jacent, & domos habitant, parvis urbibus ſimiles.* Immo vincebat. Seneca de Benefic. lib. 7. c. 10. *Ædificia privata, laxitatem urbium magnarum vincentia.* Salvianus, ad Eccleſ. Cathol. *Superbas, ac præeminentes excelſis urbibus, domos.* Et apud Tacitum, Annal. 3. leges, *Villarum infinita ſpatia.* Quod magis mirere: necdum hæ unæ ſufficiebant, conjungebant binas, ternas, ut laxius, magnificentiuſque habitarent. Sic Catilina, apud Saluſtium, in Oratione ad milites ſuos, exprobrat hoſtibus, *illos binas, aut amplius, domos continuare.* Et capiendus hinc Martialis, lib. 4. Epigr. 40.

*Et docti Senecæ ter numeranda domus.*

Jam altitudinem aſpiciamus, quæ cælo pæne imminebat. Petronius:

*Ædificat auro, ſedeſque ad ſidera mittunt.*

Sed hæc Poetica ὑπερβολή, & intra veri limites maneamus, vel ſic tamen verum non dicere videbimur. Sunt qui templorum altitudinem ſuperaverint, inter quos Cetronius, & Poſides: quorum ille, ædem Herculis & Fortunæ; hic, Capitolium transſcendit. Juvenalis, Sat. 14.

*Ædificator erat Cetronius, & modo curvo*
*Litore Cajetæ, ſumma nunc Tiberis arce,*
*Nunc Præneſtinis in montibus, alta parabat*
*Culmina villarum, Græcis, longeque petitis,*
*Marmoribus, vincens Fortunæ atque Herculis ædem;*
*Ut ſpado vincebat Capitolia noſtra Poſides.*

Seneca, Conſolat. ad Helviam, cap. 9. *Hoc cogitandum eſt, iſta bonis viris per falſa, & prave credita, obſtare: quo longiores porticus expedierint, quo altius turres ſuſtulerint, quo depreſſius æſtivos ſpecus foderint, quo majori mole faſtigia cœnationum ſubduxerint, hoc plus erit, quod illis cœlum abſcondat.* Salvian. ad Eccleſ. Cathol. lib. 1. *Non ſuperbas, ac præminentes excelſis urbibus domos, non ſupra humanos viſus elata culmina, nec inſerta nubibus aerio habitatore faſtigia.* Porro, quod non minus mirere; in his ipſis faſtigiis pomaria, ac nemora. Seneca, Epiſt. 122. *Non vivunt contra naturam, qui pomaria in ſummis turribus ſerunt; quorum ſilvæ in tectis domorum, ac faſtigiis, nutant; inde ortis radicibus, quo improbe cacumina egiſſent?* Fabianus Papirius, apud Senecam Rhetorem, lib. 2. Controverſ. 1. *Quin etiam montes, ſilvæque, in domibus marcidis umbra, fumoque viridibus.* Et in his arboribus, ut ſcias, magnus luxus: itaque ſummi eas pretii cenſuerunt. Et una pomus referebat domino *duo millia nummum* annua, ſive florenos centum. Plin. lib. 17. c. 1. *Nec minus miraculum in pomo eſt, multarum circa ſuburbana fructu annuo addicto binis millibus nummum, majore ſingularum reditu, quam erat apud antiquos prædiorum.* Atque hujuſmodi quidem arborum, ut vulgarium, prava adhuc ratio erat; major longe aliarum, quas ad delitias habebant, & oſtentationem. Adeoque Cn. Domitius L. Craſſo ſolas decem tales æſtimavit *tricies ſeſtertio*, ſive centies & quinquagies mille florenis. Val. Maximus, lib. 9. c. 1. *Cn. Domitius L. Craſſo collegæ ſuo, altercatione or-*

A *ta, objecit, quod columnas Hymettias in porticu domus haberet. Quem continuo Craſſus, quanti ipſe domum ſuam æſtimaret, interrogavit. Atque ut reſpondit, Sexagies ſeſtertio: Quanto ergo eam, inquit, minoris fore æſtimas, ſi decem arbuſculas inde ſuccidero? Ipſo tricies ſeſtertio, ait Domitius.* Hui! quis hæc credere auſit? Si ad noſtrum ſeculum æſtimamus, nunquam fidem invenient, ut profecto neque pleraque hæc Romana. Et quæ fuerunt illæ arbores, tam pretioſæ? Plinius narrat, lib. 17. c. 1. *Loti patula ramorum opacitate laſcivæ.* Sed faſtigia illa, ut eo redeam, nemo fuit qui coerceret? Ita. Auguſtus fecit, & modum præſcripſit pedes ſeptuaginta.
B Strabo, lib. 5. Πρὸς ϑ̀ συμπτώσεις τὰ ὕψη τ̃ καινῶν οἰκοδομημάτων καθελὼν, ϰ̀ κωλύσας ἐξαίρειν ποδῶν ὁ τὸ πρὸς τ̃ δημοσίαις. Et renovaſſe videtur Nero, poſt incendium illud. Tacitus, Annal. 15. *Urbis quæ domus ſupererant, non, ut poſt Gallica incendia, nulla diſtinctione, nec paſſim erectæ; ſed dimenſis vicorum ordinibus, & latis viarum ſpatiis, cohibita ædificiorum altitudine.* Trajanus mox ad LX. reduxit. Aurelius Victor, in Epitome. *Trajanus per exquiſita remedia opitulatus eſt, ſtatuens, ne domorum altitudo ſexaginta ſuperaret pedes, ob ruinas faciles, & ſumptus, ſi quando talia contingerent,*
C *exitioſos.* Sed quod pretium ædium? non credendum facile. De Clodio narrat Plinius, lib. 36. cap. 15. *P. Clodius, quem Milo occidit, ſeſtertium centies & quadragies octies domo empta habitavit:* id eſt, undecies centum & quatuor millibus florenorum. Sed hæc domus ſine dubio arborarium in faſtigio non habebat; nam longe majus tunc pretium fuiſſet, cum ſolas decem arbuſculas, ut jam vidimus, æſtimarit Domitius tricies ſeſtertio, ſive centum quinquaginta millibus florenorum. Itaque neque neceſſario mendum eſt in iſtis Valerii verbis, quibus Craſſo interroganti reſpondet Domitius, æſtimare ſe domum *ſeſtertio ſexagies*. Ut quid
D enim? decem arbuſculæ æſtimabuntur tricies ſeſtertio; & reliquum arborarium omne cum tota domo tantum ſexagies? Nulla eſt proportio: nulla ratio. Scribendum; *reſpondit, Sexcenties ſeſtertio.* id eſt, tricies centum millibus florenorum. Firmat conjecturam noſtram Plinius, lib. 17. cap. 1. qui auget etiam, & de ſeſtertio millies narrat. Hirrius ex ædificiis circum piſcinas ſuas capiebat annua *ſeſtertia duodena millia*, ſive florenorum ſexcenta millia. Auctor eſt Varro, de Re Ruſt. lib. 3. cap. 17. Ejuſdem una villa vendita eſt *ſeſtertio quadringenties*, id eſt, vicies centum mille florenis. Hoc idem Varro teſtatur, ſed locus corruptus eſt, & *quadra-*
E *gies* editur. Vide correctionis noſtræ rationem infra, cap. 14. Et hæc quidem pretia ſtante adhuc Rep. luxu necdum tam effreni. Cave cenſeas idem ſub Imperatoribus manſiſſe: affirmo tibi, in immenſum creviſſe. Æſtima ab iſto Plinii loco, proxime citato libro: *M. Lepido, Q. Catulo Coſſ.* (id eſt, annis XXIX. ante Julii imperium) *ut conſtat inter diligentiſſimos Auctores, domus pulchrior non fuit Romæ, quam Lepidi ipſius. At hercule intra annos* XXXV. *eadem centeſimum locum non obtinuit. Computet in hac æſtimatione, qui volet, marmorum molem, opera pictorum, impendia regalia, & cum pul-*
F *cherrima laudatiſſimaque certantes centum domos, poſteaque eas ab innumerabilibus aliis in hunc diem victas.* Deſinam in duabus ædibus duorum Imperatorum. Ille ipſe Plin. ſubjungit: *Sed eas omnes duæ domus vicerunt. Bis vidimus totam urbem cingi domibus Principum, Caii, & Neronis, & hujus quidem, ne quid deeſſet, Aurea.* Et auream iſtam ecce deſcribit Sueton. cap. 31. *Domum a Palatio Eſquilias uſque fecit, quam primo Tranſitoriam, mox incendio abſumptam, reſtitutamque, Auream nominavit. De cujus ſpatio, atque cultu, ſufficerit hoc re-*

*tulisse. Vestibulum ejus fuit, in quo colossus centum viginti pedum staret, ipsius effigie: tanta laxitas, ut porticus triplices milliarias haberet: item stagnum, maris instar, circumseptum ædificiis, ad urbium speciem. Rura insuper, arvis, atque vinetis, & pascuis, silvisque varia: cum multitudine omnis generis pecudum, ac ferarum. In cæteris partibus, cuncta auro lita, distincta gemmis, unionumque conchis, erant. Cœnationes laqueatæ, tabulis eburneis versatilibus, ut flores fistulis, & unguenta, desuper spargerentur. Præcipua cœnationum, rotunda; quæ perpetuo, diebus ac noctibus, vice mundi, circumageretur: balineæ, marinis, & Albulis, fluentes aquis. Ejusmodi domum cum absolutam dedicaret, hactenus comprobavit, ut se diceret,* QUASI HOMINEM TANDEM HABITARE COEPISSE. Quis hæc leget, quis audiet sine stupore? Nemo poterit.

## CAP XIII.

*Conviviorum apparatus, & in eo ostentatio. Ministrorum multitudo, & ordo. Impensæ. Cœnæ Aditiales. Ferculorum numerus. Coquorum pretium. Plinius emendatus.*

VEniamus ad Convivia, in quibus summopere se Luxus exercuit. Struebantur ea magno cum apparatu, & ostentatione; magno ministrantium item numero, qui in ordine omnes, & per certas classes distincti. Seneca, Epist. 95 *Quam celebres culinæ sunt? quanta nepotum focos juventus premit? Transeo puerorum infelicium greges, quos, post transacta convivia, aliæ cubiculi contumeliæ exspectant. Transeo agmina exoletorum, per nationes coloresque descripta, ut eadem omnibus levitas sit, eadem primæ mensura lanuginis, eadem species capillorum, ne quis, cui rectior est coma, crispulis misceatur. Transeo pistorum turbam, transeo ministratorum, per quos signo dato ad inferendam cœnam discurritur. Dii boni! quantum hominum unius venter exercet.* Et sumptus videamus. De Lucullo auctor est Plutarchus, eum, in foro oppressum a Cicerone & Pompejo, cœnam extemporaneam iis exhibuisse, cui impensæ essent quinquaginta mille drachmæ, sive decem mille floreni. Suetonius de Vitellio memorat, cap. 13. *Indicebat (convivium) aliud alii eadem die: nec cuiquam minus singulari apparatu quadringenis millibus nummum constiterunt.* Facit hæc summa florenorum viginti millia. Adeoque viri frugales sine reprehensione cœna aditiali consumpserunt *tricies sestertium*, sive centum quinquaginta millia florenorum. Seneca auctor est, quem nemo refutet, Epist. 95. *Tricies sestertio aditiales cœnæ frugalissimis viris constiterunt.* Verus alterum tantum impendit. Capitolinus: *Omne convivium æstimatum dicitur sexagies centenis millibus sestertiorum.* Lampridius de Heliogabalo: *Nunquam minus centies sestertio cœnavit. Aliquando autem triginta millibus supputatis, quæ impendit.* Ita sane legi illum locum jubet rei proportio; non *tribus millibus*. Ergo, o stupor! monstrum illud nunquam minus prodegerit *quinquies centenis millibus florenorum*? aliquando vero etiam *quindecies*? Horror est animo frugali. Et tamen fuerunt inter istos nequissimos Imperatores, quorum unum ferculum *mille sestertiis*, sive *quinquaginta mille* florenis constaret. Latinus in Panegyrico: *Nonne cognovimus cujusdam retro Principis non prandia sæpe, sed fercula, sestertiis mille* (ita recte corrigunt viri magni) *æstimata, patrimonio rum equestrium pretia traxisse?* Nec Principes tantum, sed & alii. Juvenalis, Sat. 1.

——— *una comedunt patrimonia mensa.*

Fercula autem dabant initio duo tantum. Servius, ad Æneid. 1. *Ut supra diximus, tangit morem Romanum; nam, ut ait Cato, & in atrio, & duobus ferculis, epulabantur antiqui.* Mox ea luxus auxit, usque ad septem. Juvenalis, loco citato:

*Quis totidem erexit villas, quis fercula septem*
*Secreto cœnavit avus?* ———

Monstrum illud Heliogabalus etiam viginti duo habuit. Lampridius: *Exhibuit aliquando & tale convivium, ut haberet viginti duo fercula ingentium epularum.* Pudet citare; & magis reliqua, quæ sequuntur. Sed quid fercula singula dico? Una patina Æsopi Histrionis constitit sestertiis sexcentis, id est, triginta millibus florenorum. Plinius, lib. 10. cap. 60. *Maxime tamen insignis est in hac memoria Clodii Æsopi Tragici histrionis patina sexcentis sestertiis taxata.* Iterum, lib. 35. c. 12. *Cum unam (patinam) Æsopi tragœdiarum histrionis in natura avium diceremus sexcentis sestertiis stetisse, non dubito indignatos legentes.* Itaque corrigendus est Tertullianus de Pallio, scribendum *sexcentum millium* non *centum*. Locum statim adscribemus. Sed quid obsecro in hac patina? Aviculæ cantrices, magno emptæ. Valerius, lib. 9. cap. 1. *Constat (Æsopum) cantu commendabiles aviculas, immanibus emptas pretiis, in cœna pro ficedulis ponere solitum.* Atque immania hæc pretia singularum nummi sex mille, sive floreni trecenti. Tertullianus, loco citato: *Qua Asinius Celer mulli unius obsonium sex millibus sestertium detulit; qua Æsopus histrio, ex avibus ejusdem pretiositatis, ut canoris, & loquacibus quibusque, sexcentum* (ita corrigendum, jam monui, pro *centum*) *millium patinam confiscavit.* Plinius, lib. 10. cap. 60. subnectit verbis, quæ citavi: *In qua posuit aves cantu aliquo, aut humano sermone, vocales, millibus sexcentis singulas coemptas.* At Vitelii patina constitit decies sestertio, sive florenorum quinquaginta millibus. Plinius, lib. 35. cap. 12. *Vitellius in principatu suo decies sestertio condidit patinam* (ita recte corrigunt viri illi, quos dixi) *cui faciendæ fornax in campis ædificata erat.* Et videamus hujus sumptuosissimæ patinæ condimentum. Accipimus ex Suetonio, in vita ejus cap. 13. *In hac scarorum jecinora, phasianorum & pavonum cerebella, linguas phœnicopterum, murenarum lactes, a Carpathio usque fretoque Hispaniæ, per navarchos ac triremes petitarum, commiscuit.* Itaque præ his cœnis frugalis est illa celeberrima Luculli, de qua initio dixi. Immo tantum impendit provincialis aliquis, ut semel interesset cœnæ Caligulæ. Narrat Suetonius, cap. 39. *Compererat provincialem locupletem ducenta sestertia numerasse vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur, nec tulerat moleste, tam magno æstimari honorem cœnæ suæ.* Jam in conviviorum hoc sumptu, quanta censemus ipsorum coquorum pretia, qui hæc apparabant? Equis comparat, immo supra hos etiam ponit Plinius, lib. 11. cap. 17. Locus est insignis, sed cum insigni mendo, quod tollemus. *Asinius Celer e Consularibus hoc pisce* (loquitur de mullo) *prodigus, Cajo Principe unum mercatus octo millibus nummum: quæ reputatio aufert transversum animum ad contemplationem eorum, qui, in conquestione luxus, coquos emi singulos pluris, quam equos, quiritabant. At nunc coci triumphorum pretiis parantur, & coquorum pisces. Nullusque prope jam mortalis æstimatur pluris, quam qui peritissime censum domini mergit.* Sed quæ hæc ratio est? an coqui, equis prius pares, postea ad triumphorum pretia ascenderint? Apage. Nunquam factum, neque Plinius scripsit. Corrigo: *nunc coci trium horum pretiis parantur.* Querebantur, inquit, olim de luxu, coquos singulos emi pretio singulorum equorum: at nunc ad trium pretia ascenderunt. Hæc sine dubio Plinii mens est, & vera lectio.

## CAP. XIV.

*Deliciæ piscium, & maxime mullorum, qui a pondere æstimabantur, quod pensabant in ipso convivio, adstantibus excipientibusque notariis. Ludus item conviviarum, in iis occidendis. Pretia eorum. Acipenser a coronatis inferebatur, cum cantu tibiæ. Ostrea, & echini: quorum capturam dijudicabant ex sapore. Ostrea aperiebant in ipsa mensa. Lupus Tiberinus. Reditus piscinarum, & impensæ quoque. Villa Hirrii. Varro correctus, & Columella. Nomina piscibus imposita, & Inquisitores iis fugitivis constituti.*

At vero quid in his conviviis, circa quod tanti sumptus? dicam sigillatim. Vidimus quædam in patina ista Vitellii apud Suetonium. Promiscue autem appositi pisces cum avibus, & quidem magno numero, ut necesse erat in magno convivio. De Vitellii fratre narrat Suetonius: *Famosissima super cæteras fuit cœna ei data adventitia a fratre: in qua duo millia lectissimorum piscium, septem avium, apposita traduntur.* C. Cæsar dictator, triumphalem cœnam apparaturus, sex millia murænarum ab Hirrio ad pondus accepit. Auctores Macrobius, Saturnal. lib. 2. cap. 11. & Plinius, lib. 9. cap. 55. Sed quid? ad pondus? ita: ad hoc æstimabantur pisces. Martialis, lib. 2. Epigr. 45.

*Nolo mihi ponas rhombum mullumve bilibrem.*

Horat. lib. 2. Sat. 2.

*—— —— laudas, insane, trilibrem*
*Mullum, in singula quem minuas pulmenta necesse est.*

Juvenalis, Sat. 4.

*—— mullum sex millibus emit,*
*Æquantem sane paribus sestertia libris.*

Adeoque in ipsis conviviis ponderabant, adstantibus notariis multis, qui ponderis scilicet miraculum in pugillares referrent. Ammianus, lib. 28. *Poscuntur etiam in conviviis aliquoties trutinæ, ut appositi pisces, & volucres, ponderentur, & glires. Quorum magnitudo sæpius delicata, non sine tædio præsentium, ut antehac inusitata, laudatur assidue. Maxime, cum hæc eadem numerantes notarii, prope triginta, adsistant, cum thecis & pugillaribus.* Quando autem in mulli mentionem incidimus, producamus de eo sermonem. Magnæ, immo maximæ, deliciæ in hoc pisce. Piget meis verbis rem referre, utar Senecæ, quæ exstant Nat. Quæst. lib. 3. c. 17. *Quanto incredibiliora sunt opera luxuriæ, quoties naturam aut mentitur aut vincit. In cubili natant pisces, & sub ipsa mensa capitur, qui statim transferatur in mensam. Vitreis ollis inclusi offeruntur, & observatur morientium color, quem in multas mutationes mors, luctante spiritu, vertit. Alios necant in garo, & condiunt vivos. Et sunt, qui fabulas putant, piscem vivere posse sub terra, & effodi, non capi. Quam incredibile illis videretur, si audirent, natare in garo piscem: & cœnæ causa occisum esse super cœnam, cum multum in deliciis fuit, & oculos ante, quam gulam, pavit. Permitte mihi, quæstione seposita, castigare luxuriam. Nihil est, inquis, mullo exspirante formosius. Illa colluctatione animam agenti rubor primum, deinde pallor suffunditur: quam æque variatur, & incerta facies inter vitam & mortem coloris est. Vacatio longa somniculosæ inertisque luxuriæ. Quam sero experrecta circumscribi se, & fraudari tanto bono, sensit. Hoc adhuc tanto spectaculo, & tam pulchro, piscatores fruebantur, qui coctum piscem in ipso ferculo etiam experirentur. Mirabamur tantum in illis esse fastidium, ut nollent attingere, nisi eodem die captum, piscem; qui, ut ajunt, saperet ipsum mare. Ideo cursu advehebatur,*

A *ideo gerulis, cum anhelitu & clamore, properantibus, dabatur via. Quo pervenere deliciæ? Is pro putrido jam piscis adfertur, qui non hodie eductus, hodie occisus est. Nescio de re magna tibi credere. Ipse oportet mihi credam. Huc afferatur, coram me animam agat. Ad hunc fastum pervenit venter delicatorum, ut gustare non possint piscem, nisi, quem in ipso convivio natantem, palpitantemque, viderint.* Brevius Plin. lib. 9. cap. 17. *Mullum exspirantem versicolori quadam & numerosa varietate spectari, proceres gulæ narrant, rubentium squamarum multiplici mutatione pallescentem, utique si vitro spectetur inclusus.* Quæ, malum, hæ deliciæ? vix credamus,
B nisi ab iis Auctoribus haberemus, quibus fidem hic negare sit piaculum. Et petebant a longinquis regionibus. Juvenalis, Sat. 5.

*Mullus erit domini, quem misit Corsica, vel quem*
*Tauromenitanæ rupes; quando omne peractum est,*
*Et jam defecit nostrum mare. ——*

De muræna ille ipse ibidem:

*Virroni muræna datur, quæ maxima venit*
*Gurgite de Siculo. ——*

De scaro Petronius:

*Ingeniosa gula est, Siculo scarus æquore mersus*
C *Ad mensam vivus perducitur. ——*

Sed adhuc mihi in animo mullus est, cujus nondum pretium dixi, quod plane magnum. Quippe Octavius emit *quinque millibus sestertium*, sive ducentis quinquaginta florenis. Seneca narrat, epistola 95. Alius quis *sex millibus*, sive florenis trecentis. Juvenalis, Sat. 4.

*—— mullum sex millibus emit,*
*Æquantem sane paribus sestertia libris.*

Asinius Celer *septem millibus*, id est, trecentis quinquaginta florenis. Macrobius, Sat. lib. 2. cap. 12. *Asinius Celer, vir consularis, ut idem Sammonicus refert, mullum unum septem millibus nummum mer-*
D *catus est.* Sed Tertullianus, de Pallio, sex tantum millia narrat: *Asinius Celer mulli unius obsonium VI. HS. detulit.* Plinius octo, lib. 9. cap. 17. *Asinius Celer hoc pisce prodigus, Cajo principe, unum mercatus octo millibus nummum.* Fuerunt qui emerent *decem millibus*, sive, florenis quingentis. Suetonius in Tiberio, cap. 34. *Corinthiorum vasorum pretia in immensum exarsisse, tresque mullos triginta millibus nummum venisse, graviter conquestus, &c.* Immane est, quod narrat Varro, de Re Rust. lib. 3. cap. 17. *Celerius voluntate Hortensii ex equili educeres rhedarias, ut tibi haberes, mulas, quam e piscina barbatum mullum.* At scis mularum pretium?
E supra exposui, extremo cap. 11. Compara jam cum his mullum, æstimatione illa Hortensiana. Quid acipenser? nonne tanti eum fieri deliciæ jusserunt, ut in mensam inferrent coronati, cum cantu tibiæ? factitatum id, Severi temporibus, ut testimonium perhibet Sammonicus, ejus ævi scriptor. Jam murænarum pretium hæc res ostendit, quod L. Crassus, vir Censorius, murænam in piscina domus suæ mortuam atratus luxerit. Hæc nota sunt, neque testimoniis opus habent. Quid echinos, quid ostrea commemorabo? Hæc delicatuli isti primo morsu deprehendebant, ubi capta essent; illos ex
F adspectu judicabant. Juvenalis, Sat. 4.

*—— —— Circeis nata forent, an*
*Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo,*
*Ostrea, callebat primo deprehendere morsu:*
*Et semel adspecti litus dicebat echini.*

Et ostrea quidem, maxime amabant grandia. Juvenalis, Sat. 6.

*Grandia quæ mediis jam noctibus ostrea mordet.*

Eaque Lucrina. Petronius, Satyrico:

*—— —— inde Lucrinis*
*Eruta littoribus vendunt conchylia cœnas.*

Martialis, lib. 3. Epigr. 60.

*Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino.*

Atque aperiebant in ipsa mensa. Discimus ex Seneca, epistola 88. *O infelicem ægrum! quare? quia non ostrea illi Lucrina in ipsa mensa aperiuntur?* Primus his primas tribuit Sergius Orata. Macrobius, Sat. lib. 2. cap. 11. *Sergius Orata, qui primus balneas pensiles habuit, primus ostrearia in Bajano locavit, primus optimum saporem ostreis Lucrinis adjudicavit.* Habebat etiam Tiberis, quo se commendabat luxuriosis, lupum, eumque inter duos pontes captum. Titius, in Orat. qua legem Fanniam suasit: *Edimus turdum pinguem, bonumque piscem lupum germanum, qui inter duos pontes captus fuit.* Et Lucilius:

*Illum sumina ducebant, atque altilium lanx:*
*Hunc pontes Tiberinos duo inter captus catillo.*

Dignoscebant quoque ex sapore, quod de ostreis jam narravi. Observes ex Horatio, lib. 2. Sat. 2.

*Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus, an alto*
*Captus hiet: pontesne inter jactatus, an amnis*
*Ostia sub Tusci?* ——

At in pretio hoc piscium, quam magni reditus annui dominis? Sane immensi. Facile putari ratio potest. Unum mullum vendebant eo pretio, quo dixi. Non credimus quidem omnes tam care emptos, apage: tamen centum passim, & præter propter, Carolinis venierunt. Atque horum aliquot millia alebant in piscinis. Adde tot murænas, tot scaros, & cæteri generis; quorum etsi pretia non tam magna, quam mullorum, tamen etiam satis magna. An non immensas igitur opes acceperunt isti piscinarii? Nemo dubitabit, milliones sæpe aliquot excessisse. Et hac de caussa caræ piscinæ, & propter eas villæ. Adeoque Hirrius suam vendidit *quadringenties sestertio*, id est, vicies centum mille florenis. Narrat de eo Varro, lib. 3. cap. 17. *Memini hunc Cæsari duo* (Plinius, & Macrobius, *sex:*) *millia murænarum mutua dedisse in pondus, & propter piscium multitudinem quadringenties sestertio villam venisse.* Hodie editur, *quadragies sestertio*: at corrigendum esse supra monui. Et exiguum hoc est. Superavit Lucullus, cujus sola piscina tanti vendita. Idem Varro, libro citato, cap. 2. *M. Cato nuper, cum Luculli accepit tutelam, e piscinis ejus quadraginta millibus sestertiis vendidit pisces.* Columella etiam amplius tradidit, lib. 8. cap. 16. *Attamen iisdem temporibus, quibus hanc memorabat Varro luxuriem, maxime laudabatur severitas Catonis, qui nihilominus & ipse, tutor Luculli, grandi ære sestertium quadringentorum millium piscinas pupilli sui venditabat.* Sed exorbitavit librarius: rescribe, *sestertium quadraginta millium.* Et habebant eas plures conjunctas. Varro: *Quis nostrum non una contentus est hac piscina? Quis contra maritimas non ex piscinis singulis plures conjunctas habet?* Ut vero reditus magni, ita etiam impensæ. Varro ait: *Ædificantur magno, implentur magno, aluntur magno.* Atque ad postremum quod attinet, ille ipse Hirrius, de quo jam dixi, consumebat quotannis *sestertia duodena millia*, sive florenos sexcenties mille. Varro loco citato: *Hirrium circum piscinas suas ex ædificiis duodena millia sestertia capiebat. Eam omnem mercedem escis, quas dabat piscibus, consumebat.* Atque hactenus sumptuosæ deliciæ: dabimus jam ridiculas etiam. Nomina piscibus nonnulli imponebant. Plinius, lib. x. cap. 70. *Spectatur & in piscinis Cæsaris, genera piscium ad nomen venire, quosdamque singulos.* Martialis, lib. 6. Epigr. 30.

*Sacris piscibus hæ natantur undæ,*
*Qui norunt dominum, manumque lambunt*
*Illam, qua nihil est in orbe majus.*
*Quid quod nomen habent, & ad magistri*

A *Vocem quisque sui venit citatus.*

Item lib. 10. Epigr. 30.

*Piscina rhombum pascit, & lupos vernas.*
*Natat ad magistrum delicata muræna,*
*Nomenculator mugilem citat notum,*
*Et adesse jussi prodeunt senes mulli.*

Item constituti Inquisitores fugitivorum. Juvenalis, Sat. IV. clare indicat:

*Destinat hoc monstrum cymbæ linique magister*
*Pontifici summo. quis enim proponere talem,*
*Aut emere, auderet, cum plena & littora multo*
*Delatore forent; dispersi protinus algæ*
B *Inquisitores agerent cum remige nudo,*
*Non dubitaturi fugitivum dicere piscem,*
*Depastumque diu vivaria Cæsaris: inde*
*Elapsum, veterem ad dominum debere reverti.*

## CAP. XV.

*Selectæ avium partes ad delicias. Turdorum prima gloria. Eorum pretium, ut & pavonum, & columbarum. Aviariorum magnitudo. Etiam aucupum, & venatorum, in provinciis cohortes.*

C HActenus de piscibus: atqui & aves in deliciis, & ex iis selectæ quædam partes. Videamus. Suetonius, cap. 8. narrat in patina Vitellii fuisse, *phasianorum & pavonum cerebella, linguas phœnicopterum.* De phœnicopteris, testis etiam Martialis, lib. 13. Epigr. 71.

*Dat mihi penna rubens nomen, sed lingua gulosis*
*Nostra sapit, quid si garrula lingua foret?*

Primas tenebant turdi. Horatius, lib. 1. epist. 16.

*Nil melius turdo.* —

Martialis, libro citato, Epigr. 92.

*Inter aves, turdus, si quid me judice certum est:*
D *Inter quadrupedes, mattya prima lepus.*

Itaque alebant hos magno numero, & vendebant pretio satis magno. Utrumque accipe ex loco Varronis, de Re Rust. lib. 3. cap. 2. *In hac villa qui est ornithon, ex eo uno quinque millia scio venisse turdorum denariis ternis, ut sexaginta millia ea pars reddiderit eo anno villæ.* Reddiderint ergo quinque mille turdi *tria millia florenorum.* Major reditus Aufidio Lurconi ex pavonibus. Varro, libro citato, cap. 6. *De pavonibus nostra memoria greges haberi cœpti, & venire magno. Ex iis M. Aufidius supra sexagena millia nummum in anno dicitur capere.* Et E venibant singuli *quinquaginta denariis*, sive decem florenis; ova eorum *quinque*, sive floreno uno. Primus posuit Hortensius, augurali aditiali cœna. Varro: *Primus hoc Q. Hortensius augurali aditiali cœna posuisse dicitur, quod protinus factum tam luxuriosi, quam severi boni viri, laudabant. Quem cito secuti multi extulerunt eorum pretia, ita ut ova eorum denariis veneant quinis, ipsi facile quinquagenis.* Tertull. de Pallio: *Præcidam gulam, qua Hortensius Orator primus pavum, cibi caussa, potuit occidere.* Sequuntur columbæ; quarum paria vulgo vendebant *ducenis nummis*, id est, decem florenis; & eximia si quæ essent, *singulis millibus*, id est, quinquaginta. F Adeoque L. Axius noluit minoris *quadringentis denariis*, id est, florenis octoginta. Varro ibidem, cap. 7. *Paria singula (columbarum) vulgo veneunt ducenis nummis, nec non eximia singulis millibus nummum; quas nuper cum mercator tanti emere vellet a L. Axio, equite Romano, minoris quadringentis denariis daturum negavit.* Et hæc quidem severiore adhuc ætate Varronis. Postea autem *quatuor millibus nummum*, id est, ducentis florenis, neque vendere, neque emere puduit. Columella, lib. 8.

cap. 8. *Pretiis eorum domini complent arcam, sicut eximius auctor M. Varro nobis affirmat, qui prodidit, etiam illis severioribus suis temporibus paria singula (columbarum) millibus singulis sestertiorum solita venire. Nam nostri pudet seculi, si credere volumus inveniri, qui quaternis millibus nummum binas aves mercantur.* Sed in tanto luxu, tantum consumente, quomodo aves sufficerent? Alebant eas maximo numero adeoque aviaria habuerunt majora, quam olim villas. Varro clare, de Re Rust. lib. 3. cap. 3. *Nunc aviaria sunt nomine mutato, quod vocantur ornithones, quæ palatum suave domini paravit, ut tecta majora habeant, quam tum habebant totas villas, in quibus stabulentur turdi ac pavones.* Verum neque hæc sufficiebant: itaque & ab exteris petere necesse fuit, apud quos aucupum, & venatorum, totæ cohortes. Latinus Pacatus, in Panegyrico: *Ut taceam, infami sæpe delectu scriptos in provinciis aucupes, ductasque sub signis venatorum cohortes, militasse conviviis.*

## CAP. XVI.

*Sumptus funebres. Munera gladiatoria, & servorum manumissio: pretiumque eorum item inquisitum. Lex Fusia Caninia, quæ postea sublata. C. Curionis theatrum ingeniosum. Claudii Isidori testamentum. Anterotis legatum, ad epulum annuum. Suetonius emendatus. Lex Syllæ, mox ab ipso violata. C. Figuli sepulcrum.*

HActenus vivorum luxum: nunc & mortuorum nobis proponamus. Dixi pridem, libro proprio de Funere: sed non præter rem facturum me putavi, si in fine quoque hujus Operis repræsentarem. Ac antiqua quidem Roma, non tantopere modum excessit. De Menenio Agrippa tradit Valerius Maximus, lib. 4. cap. 4. *Nisi a populo, collatis in capita sextantibus, funeratus esset, ita pecuniæ inops decessit, ut sepulturæ honore caruisset.* Incertum, quot illo ævo capita in populo; sed, non injusta temporum subsequutorum ratione animadversa, detractis, quæ per ea fieri potuerunt, incrementis, & consideratis illis, quos continua bella hauserunt, centum millia fuisse, aut præterpropter, non injuria statuemus: idque cum suffragio eorum, qui Romanæ rei periti. Contulerit ergo hæc multitudo in sextantibus circiter sexcentos florenos. Eadem fere tempestate, id est, decennio ante decessit etiam in ingenti paupertate Valerius Publicola: Populusque eum publico funere efferendum esse statuit, collato a singulis quadrante. Plutarchus in ejus vita. Ὁ δὲ δῆμος, ὥσπερ οὐδὲν εἰς ζῶντα τῶν ἀξίων πεποιηκώς, ἀλλὰ πᾶσαν ὀφείλων χάριν, ἐψηφίσατο δημοσίᾳ ταφῆναι τὸ σῶμα, καὶ τεταρτημόριον ἕκαστος ἐπὶ τιμῇ συνεισήνεγκεν. *Populus vero, tanquam vivo nihil eorum, quæ meritus fuerat, persolvisset, sed omnem adhuc deberet gratiam, decrevit, ut publico funere efferretur, quadrantem singulis conferentibus.* Ecce autem, quadrantem unusquisque tribuit; id est, circiter octingentos quinquaginta Carolinos universi. Tantum impendit paupertina illa Roma, &, in ferrea ætate, plane aurea. At deinde, ut imperium Urbis crevit, ita civium quoque opes, & cum iis item luxus: adeoque in Syllæ rogum feretra aromatum ducenta decem sunt injecta, tum ipsius quoque statua, & lictoris, ambæ justa magnitudine, ex thure & cinnamomo. Vide Plutarchum, qui in vita ejus dicit. Statius de Priscillæ funere, Sylv. lib. 5. Carm. 1.

*—— quis carmine digno*
*Exequias, aut dona malæ feralia pompæ,*
A *Perlegat, omne illic stipatum examine longo*
*Ver Arabum Cilicumque fluit, floresque Sabæi,*
*Indorumque arsura seges, præreptaque templis*
*Thura, Palæstini simul Hebræique liquores,*
*Coryciæque comæ, Cynarcia germina; & altis*
*Ipsa thoris Serum Tyrioque umbrata recumbit*
*Tegmine. ——*

Nero, in funere Poppeæ, plus cinamomi, & casiæ, combussit, quam toto anno Arabia universa ferret. Plinius, lib. 12. cap. 18. *Beatam Arabiam fecit hominum etiam in morte luxuria, quæ diis intellexerat genita, adhibens urendis defunctis. Periti rerum asseverant, non ferre tantum annuo fœtu, quantum Nero Princeps novissimo Poppeæ suæ die concremaverit.* Quantum igitur impendium in aromatibus solis fuisse censes? Audi Plinium computantem, eodem loco: *Æstimentur singulis annis tot funera, acervatimque congesta honori cadaverum, quæ diis per singulas micas dantur. Minima computatione millies centum millia sestertium annis omnibus India, & Seres, peninsulaque illa, imperio nostro adimunt. Tanti nobis deliciæ, & fœminæ, constant.* Ecce, facit illa summa millione quinque. At fœminas quoque in partem trahit: & scimus, magnum quoque illarum luxum fuisse. Sed tamen vix tertiam partem vindicare sibi poterunt. Jam quanti sumptus censes ipsam rogi struem, tantum pretiosissimarum vestium, tantum auri, argentique, tantum gemmarum, quæ in rogum injiciebantur? quanti epulum, populo datum? ludos funebres, munera gladiatoria, magnas moles sepulcrorum? anne excedere multa millia florenorum? immo sæpe aliquot centena millia? immo etiam milliones? Examinemus, quæso, in parte: &, proportione justa, totum inde æstimemus. Servorum gladiatorum multi centum paria dabant. Persius, Sat. 6.

D *—— —— at tu, meus hæres,*
*Quisquis es a turba paullum seductior, audi:*
*Diis igitur, genioque ducis, centum paria, ob res*
*Egregie gestas.*

Et Horatius;

*—— gladiatorum dare centum*
*Damnati paria. ——*

Adde jam centenos multos, etiam in pompam sæpe manumissos. qua in re tam prodigi erant, ut lex Fusia Caninia ire obviam debuerit, quæ excedere centenarium numerum prohiberet. Testis Cajus, Instit. cap. 3. & Julius Paulus, Recept. Sentent. lib. 4. cap. 14. Et obtinuit Justiniani tempora: a quo rursum, velut invida libertati, abrogata est. Nunc a pretio servorum rationem ineamus: quod cujusmodi exstiterit, ostendemus. Plutarchus de Catone majore, in vita ejus tradit: Οὐδένα δὲ πώποτε πρίασθαι δοῦλον ὑπὲρ τὰς χιλίας δραχμὰς, καὶ πεντακοσίας. *Nullum vero servum pluris unquam emisse, quam mille & quingentis drachmis.* Mille autem quingentæ drachmæ, valent sex millia nummum. Columella, de servo vinitore, lib. 3. cap. 3. *Vulgus quidem parvi æris, vel de lapide noxium comparari posse putat; sed ego, plurimorum opinioni dissentiens, pretiosum vinitorem inprimis censeo: isque licet sit emptus, vel potius sestertiis octo millibus.* Plinius, lib. 10. cap. 29. *Servorum illis pretia sunt, & quidem ampliora, quam quibus olim armigeri parabantur. Scio sestertiis sex, candidam alioquin, quod est prope inusitatum, venisse, quæ Agrippinæ, Claudii Principis conjugi, dono daretur.* Et Juvenalis, de mullo sex millibus empto, Sat. 4.

*—— potuit fortasse minoris*
*Piscator, quam piscis, emi.*

Scio etiam majori pretio aliquando venditos: nam Calvisius Sabinus centenis millibus nummum emit apud Senecam, Epist. 27. Et Martialis, lib. 11. Epigram. 71. exprobat Tuccæ:

*Vendere, Tucca, potes centenis millibus emptos.* Alii, etiam longe pluris: apud Plinium, lib. 7. cap. 39. Sed Catonem nunc sequamur, rerum optimum censorem, & sex millibus nummorum servos singulos æstimemus: ergo impenderint in ducentis sexaginta mille florenos. Atque hæc non referebant illi quidem in rationes, sic magnificentiam exequiarum fieri illustriorem sine aliquo suo sumptu existimantes: cum plerunque non emptitios, verum vernas, atque domi suæ natos, sive etiam ex hereditate, haberent. Illud tantum numerabant, quod expendere opus foret. Quin interdum, ut majores sumptus fierent, munera exhibituri, sive ludos, argenteo nonnulli arenæ apparatu, & argenteis quoque hastis, utebantur. Primus illud fecit Julius: & ab illo deinde alii. Plinius lib. 33. cap. 3. *Cæsar, qui postea dictator fuit, primus in ædilitate, munere patris funebri, omni apparatu arenæ argenteo usus est: ferasque argenteis hastis incessere, tum primum visum.* Quidam etiam, non contenti publicis theatris, temporaria exstruebant, iterum mox destruenda. Plinius de Curione quodam ingerit, lib. 36. cap. 15. *C. Curio, qui bello civili in Cæsarianis partibus obiit, funebri patris munere, cum opibus, apparatuque, non posset superare Scaurum, (unde enim illi vitricus Sylla, & Metella mater, proscriptionum sectrix?) cum jam ne ipse quidem Scaurus comparari sibi posset, quando hoc certe incendii illius præmium habuit, convectis ex orbe terrarum rebus, ut nemo postea par esset insaniæ illi. Ingenio ergo utendum fuit: operæ pretium est scire, quid invenerit: & gaudere moribus nostris, ac nostro modo nos vocare majores. Theatra duo juxta fecit, ex ligno cardinum duorum versatili suspensa libramento: in quibus utrisque antemeridiano ludorum spectaculo edito, inter sese aversis, ne invicem obstreperent scenæ; &, repente circumactis, ut contra starent; postremo jam die discedentibus tabulis, & cornibus inter se coeuntibus, faciebat amphitheatrum, & gladiatorum spectacula edebat.* Admirandum opus, & magnæ impensæ: quanti æstimas reliquum funus? Idem Plinius, lib. 33. cap. 10. tradit, sub Augusto, Consulibus, Lucio Asinio Gallo & Cajo Marcio Censorino, quendam Cajum Cæcilium Claudium Isidorum jussisse se funerari undecim millibus sestertium: id est, quingentis quinquaginta millibus florenorum. Accipe verba, *C. Asinio Gallo, C. Marcio Censorino, Consulibus, ad VI. Kalend. Februarias, C. Cæcilius Claudius Isidorus funerari se jussit sestertiis undecim millibus.* Obstupesco, & indignor. Ergo olim civi, & quandoque homini e plebe etiam, funus factum, quale hodie nulli regum, principumve? Accipe aliud, quod & magis admireris. Q. Minutius Anteros, homo libertus, verum sevir Augustalis, præter sumptus funerales, legavit seviris collegis decem millia sestertium, id est, quingenta millia florenorum: e quorum reditu quotannis, natali suo, epulum agerent. Id ostendit Lapis Vetus:

Q. MINVCIVS. Q. L. ANTEROS. VI.
VIR. AVGVSTAL. HIC. SEVIRIS. AV-
GVSTAL. ALETRINAT. LEGAVIT.
HS. ccIↃↃ. QVOIVS. EX. REDITV
QVOD. ANNIS. NATALI. SVO VI.
ID. FEB. VESCERENTVR.

Jam hos reditus computemus, semiunciario fœnere. erunt amplius viginti mille floreni. Sed ad ipsos Imperatores veniamus. Quantæ hic impensæ erunt? Suetonius, de Vespasiano, cap. 19. *Interrogatis palam procuratoribus, quanti funus, & pompa, staret, ut audiit, sestertium C. exclamavit, Centum sibi sestertia darent, ac se vel in Tiberim projicerent.* Sed non potest, quin sit mendum. Quid enim? Homo aliquis plebejus, ut ex Plinio jam retuli, quingenta sibi, & quinquaginta, destinavit. Rescribendum itaque puto: *sestertium ∞.* id est, millies. Ac, me recte emendasse, ipse adeo Suetonius fidem faciet, qui & de Nerone narrat, cap. 1. *Funeratus est impensa ducentorum millium.* id est, decem millionum. Et omnino hæc est justior proportio. Sed abominor luxum vestrum hunc, Romani; qui ingentes adeo opes etiam mortui prodegistis, ad opprobrium Naturæ tanto gravius. Nec hæredum tamen semper hæc ambitio, sed ipsorum aliquando morientium, qui jubebant testamento. Seneca, de Brevitate Vitæ, cap. 20. *Quidam disponunt etiam illa, quæ ultra vitam sunt; moles magnas sepulcrorum, & operum publicorum dedicationes, & ad rogum munera, & ambitiosas exequias.* Et exempla jam produxi, Isidori, & Anterotis. Ac centuriæ optio quidam, sepulcro suo faciendo, sestertium bis mille legavit. Lapis vetus, ecce, testimonium perhibet:

OPTIO. IN
CENTVRIA. HOC. FIERI. JVSSIT.
HONORIS. PIETATISQVE. CAVSA.
SIBI. C. LVCILIO. SECVNDO. PA-
TRI. ET. LVCILIÆ. SVÆ. AVIÆ.
EX. HS. ∞ ∞. PRÆLEGATIS.

Sed, an nemo est conatus coercere? Perdifficile illud ea tempestate, qua Luxuriæ quasi ergastulum Roma universa erat. Fecit tamen, ante Imperatorum tempora, L. Sulla: & legem tulit, sed quam ipse, in Metellæ uxoris funere, est transgressus. Plutarchus, in vita ejus: *Τὸν δὲ τῆς ταφῆς ὁρίζοντα τὴν δαπάνην νόμον, αὐτὸς παρεισενηνοχὼς, παρέβαινε, μηδενὸς ἀναλώματος φεισάμενος. Legem vero, quam de sumptu funerali ipse tulerat, est transgressus, nullis impensis parcens.* At lex ista qualis fuit? Vellem ejus non tam obiter meminisset, neque nunc ignoraremus. Unum scimus: pœnam transgressori dictam, ut tantundem populo daret, quantum monumento suo, supra quam lex concedebat, impendisset. Accipio ex Cicerone, ad Atticum, lib. 12. epist. 35. *Nunquam mihi venit in mentem, quum plus insumptum in monumentum esset, quam nescio quid, quod lege conceditur, tantundem populo dandum esse.* Habes tibi Luxum Romanorum, Lector, pariter in vita, & morte, usitatum. Damno, damno: & in hac sententia finio.

# FINIS.

# STANISLAI KOBIERZYCKII
## DE
# L U X U
# ROMANORUM
## COMMENTARIUS,

In quo Romanarum opum admiranda copia, Veſtium ſplendor, Ædificiorum magnificentia, Conviviorum luxurioſi apparatus proponuntur

LIBER I.

# INDEX CAPITUM.

## LIBRI PRIMI.

CAPUT I. *Luxus maxima Imperia evertit. Romanam Rempub. labefactavit, demum ad Civile bellum extremam Imperii ruinam perduxit. Sub Impp. quantus Luxus, Dionis & Taciti auctoritate comprobatur.*

CAP. II. *Divitiæ pariunt Luxum. Enumerati aliqui qui Romæ divitiis floruerunt. Libertorum, Servorum opes. Infimæ plebis homines tam divites, ut ludos ederent. Denique Exulum opes, quæ lege Augusti temperatæ.*

CAP. III. *Divitiæ a Romanis Impp. prodige sparsæ, per cædes, rapinas iterum collectæ. Aliquot Prodigorum exempla. Opes in aleæ lusu ingentes perditæ. De Magistratuum avaritia. Inhonesto quæstu pecuniæ acquisitæ. Denique in urbe Romana pauper exulat, dives regnat.*

CAP. IV. *Ab exteris nationibus Luxus frequenter importatur. Quando Luxus maxime Romæ incepit. Ex Asia is allatus. Asiam plurimis gentibus exitio fuisse dictum obiter. Romanorum Ducum primus in Asiam trajecit L. Scipio. Triumphus illius victo Antiocho & continentia summa.*

CAP. V. *Signa, tabulæ, ab exteris nationibus reportatæ Romanos ad luxum accenderunt. A quo primum in Urbem illatæ? Græcos auctores fuisse Luxus paucis demonstratur. Alexandrina classis ad augendam Luxuriam profuit. Ars una Romanis usitata: populum cæterosque potentiores facile Luxu diffluere sinebant, quo melius in imperio continerentur.*

CAP. VI. *Fœminæ Luxum maxime fovent. De Luxurioso capillitii ornatu. Crines varie intorti, in gradus fracti, uncti, coloribus tincti, adscititii, in galericuli modum formati: quæ lascivia tam fœminis quam viris promiscua.*

CAP. VII. *Luxus in curanda facie expenditur, medicamentis ea expolita, lacte asinino macerata, purpurisso, cerussa, fucata. Speculorum pretium & portentosa magnitudo. De odoribus ac unguentis dictum.*

CAP. VIII. *De Luxurioso vestitu dictum. Colores vestium innumeri. Conchyliatæ pretiosissimæ, a Julio inhibitæ. Purpura dibapha magni pretii, usus illius post a solis Impp. retentus. Purpura delicatiorum indumentum: Purpura Laconica. Purpuræ usum quis Romanis demonstraverit. De vestibus auratis. Denique matronarum in vestitu Luxus proponitur.*

CAP. IX. *Serica vestis, pellucida, auri integmine discriminata, ejus pretium, viris tam ac fœminis promiscua, ab aliquibus inhibita Impp. Corpora divitum mortuorum serico involuta.*

CAP. X. *Vestium luxuriosarum genera proponuntur. Nimius corporis ornatus quorundam. Discinctum esse hominis luxuriosi nota, in castris vero gravis ignominia. Tunicæ manicatæ nonnisi hominum delicatorum. De pretio & multitudine vestium.*

## LIBRI SECUNDI.

CAP. I. *Luxus in gemmis proponitur.*

CAP. II. *De Servorum, Clientium numero, & luxurioso comitatu.*

CAP. III. *Luxuriosus matronarum comitatus describitur. De Eunuchis eorumque officiis. Ultimo ostenditur sequiorem sexum semper rei familiari gravem existere solere.*

CAP. IV. *De Pædagogiis ac pueris, eorum corporis cultu, multitudine, ordine, natione, locis, pretio. De Nanis, Fatuis, Polyphagis, qui etiam inter domesticos, Hermaphroditis.*

CAP. V. *De Lectica excerpta pleraque ex Electis Justi Lipsii, sed ea tantum quæ luxuriam concernunt.*

CAP. VI. *De Veterum Romanorum ædibus, de casa Romuli in Capitolio asservata post dictum, quando maxime Romani magnifice ædificare cœperint.*

CAP. VII. *Luxus ædificiorum in particulari expenditur. Vestibula ante ædes potentiorum. Limina marmorea, forte & ænea. Fores cælatæ, putaminibus testudinum variegatæ. Idem luxus & in repositoriis. Janitor ad ostium catena alligatus, supra limina ædium picæ, psittaci, corvi, caveis sumptuosis inclusi, Atria innumeris & exquisiti marmoris columnis sustentata. Ibidem majorum effigies, signa, & statuæ structilibus basibus impositæ: imagines & marmora tectorio opere parietibus insertæ. Parietes incrustati, deaurati, ebore atque gemmis distincti. In cubiculis imagines cariorum affixæ. Laquearia luxuriosa & versatialia. Pavimenta. Vela ad fores & prothyra. Altitudo ædium & fastigium.*

CAP. VIII. *Porticus publicæ, ad exemplum Græcarum constructæ, signis, picturis, manubiis, exornatæ. Eædem in privatorum ædibus erectæ, columnis marmoreis effultæ, pavimentatæ, arboribus cinctæ: fontes in peristyliis. De Viridariis & Nemoribus potentiorum, ac Topiariis operibus, pretiisque arborum. Lotus & Platanus maxime in deliciis. Sylvæ fastigiis ædium impositæ, & piscinæ suspensæ. Porticuum capacitas, denique ædium ipsarum amplitudo. De cellis servorum obiter dictum.*

CAP. IX. *Pretia ædium. Pro hyeme & æstate ædificia. Villarum magnificentia. Denique Romani nimio ædificandi studio laborarunt.*

CAP. X. *De Luxu Conviviorum, ac primum veterum in victu parcimonia cursim demonstratur. De Lectis ad mensam, qui aurei, argentei, gemmei: purpureis, auratis, imo aureis toralibus tecti. Mensæ citreæ e Mauritania advectæ, ingentis pretii, pedibus eburneis sustentabantur. Argenteæ etiam factæ, & gemmis distinctæ. Mantilia & mappæ cocco clavatæ, auro etiam, denique aureæ. Abacus cum supellectili aurea & argentea, &c. Pueri & servi ministrantes ad mensam, & quæ illorum officia. De Structoribus, Unguentis, Coronis, & Odoribus.*

CAP. XI. *Coquorum pretia, & numerus. Ignes luculenti ad apparanda convivia extructi. Cacabi, Sartagines, & cætera Vasa culinaria ex argento. Cibi a ministris in ferculis illati, & quidem ferventissimi. Lances argenteæ, aureæ. In epulis ubique terrarum anquirendis Luxuria. Caro suilla in deliciis, Porcus Trojanus, Aprugna. Galli gallinacei lacte madidis cibis saginati, Jecur Anseris. De Ficedulis, Turdis, Phœnicopteris, Phasianis, Struthione, Lusciniis, Ciconia. De Piscibus obiter. Fungorum esus delicatissimus. Denique cœnarum pretia, sortes convivales. Vinum vetustum, Musica ad mensam, Saltatrices, Ludi, Spectacula.*

CAP. XII. *Explicantur latius quædam in superiori Capite prolata. Lepores saginati delicatiores. Aprorum multitudo luxuriosa, in conviviis apposita, Venatorum & aucupum gulæ deservientium cohortes. Ciconiam quis primus mensis intulerit. Pisces e longinquo & periculoso mari expetiti. De Mullo pisce, Muræna, Scaro. Mos vino tenuiore vomitus provocandi, ad majorem ciborum appetentiam excitandam. Ciborum varietas morborum causa. Cœna feralis Domitiani. Musicæ plus æquo dediti Romani. De Saltationibus lascivis, & ludis saltatorii. Conclusio Operis.*

ERU-

# ERUDITO LECTORI.



*N amœno, atque ita me Dii ament, pulcherrimo Orbis totius Athenæo constitutus, exilem hunc ingenii mei partum concepi, ibidemque in lucem emittere volui, faustis o utinam auspiciis, & Apolline dextro. Remorari poterat juveniles meas curas, multorum prompta parataque ad Musas vellicandas maledicentia, sed animum addiderunt viri omni doctrina ac eruditione præclarissimi, quibus placere semper studui. Eapropter judicia hominum illorum flocci pendo, qui vultus severitate adsimulata, de Romana antiquitate sententiam ferre cupiunt, cum sint in Republica literaria, proletarii tantum, & capitecensi. Deinde ut hæc publice committerem, audacem fecerunt scribentium copiosi greges, qui, ut imperitioris vulgi acclamatorium illud* Euge *&* Belle *lucrentur, quidquid perperam suis illeverint chartis, gestiunt*

—— a furno redeuntes scire lacuque,
Et pueros & anus. ——

*interim falluntur misere, ac dum existimant scripta sua Palatinum Apollinem recepisse, ad Thuscum vicum deferuntur, ut thuris aut piperis fiant cuculli. Materiam libro suppeditavit* Luxus *Urbi dominæ fatalis: is a divitiis genitus, longa pace educatus, in ruinam Imperii grandis evasit. Spartam hanc adornasse inquies Justum Lipsium, virum ingenii ac studiorum eminentissimum sui sæculi, quod ut penitus confitear, adduci nullo pacto possum. Publicam ille magnificentiam in suis Admirandorum libris proposuit, ad privatum luxum vix respexit, idque in uno tantum atque altero Capite. Fusius Joannes Meursius, vir literis, qua Græcis, qua Latinis instructissimus, disseruit, pleraque nihilominus intacta reliquit, ut ipse fatetur in præfatione ad Lectorem:* Et necdum omnia fortasse diximus, sed ista tantum quæ ad exemplar propositum pertinebant. *videlicet ad locum quendam Senecæ ex Epist.* CXIV. *desumptum, quem uberiore commentario prosequitur. Fontes doctissimus Meursius aperuit, ego in rivos diduxi.*

*Quod ad stylum attinet, ætatem prodit, luxuriat aliquantum, sed sic lascivientem una cum Tullio non improbes. Etenim ut vitem, quæ claviculis suis quidquid est nacta complectitur, serpentem multiplici lapsu, erratico ferro coercet ars agricolarum, ne silvescat ramentis, & in omnes partes nimia fundatur: ea ratione stylum fusius sese efferentem, adultior ætas reprimit, quædam resecat penitus & rescindit. Bene vetus Græcorum parœmia:*

Ἅπαντα καιρῷ χάριν ἔχει τρυγώμενα.

Omnia in tempore gratiam habent vindemiata.

*Quocirca si quispiam Pacuvius inquiat: Sonora quidem ea esse & gravia, sed videri sibi duriora & acerbiora. Ita est, respondebo cum Accio, meliora enim fore spero, quæ deinceps scribo; nam quod in pomis est, idem ajunt esse in ingeniis, quæ dura & aspera nascuntur, post fiunt mitia & jucunda. Ordo Scripti materiæ accommodatus, qua in re ad doctissimorum virorum ideam me composui, qui nihil ex antiquitatis sacrariis depromunt, quin bene variorum & gravissimorum auctorum locis confirmatum & stabilitum. Vidi nonneminem qui frequentes scriptorum citatio-*

*nes fastidiret, sed pace illius dixerim, ejusmodi hominum scripta, qui suo nixi ingenio veterum testimonia aspernantur, declamatoria sunt,*& meræ commissiones. *Satis enim sibi gloriæ partum putant, si verbis quibusdam turgidis, nullam eruditionem redolentibus orationes farciant, quæ cirratorum oculos oraque convertant: cæterum si ad emunctæ naris homines perferantur, illud dant judicium, quod olim Hercules in Dio Macedoniæ civitate, de templo Adonidis:* Οὐδὲν ἱερὸν, Nihil sacrum.

*Quod si adhuc ad Tullii famam, aut aliorum prisci ævi Oratorum procederent, nec Asiaticas verborum lascivias, & importuna antitheta sectarentur, sententiasque vibrarent impetu ingenti,* non saltitantes histrionis in modum, verniliterque putidas, *jure sua pro bonis venditare possent. Talibus non inconcinne Græcum illud subscribi potest:*

Ακρολίπαροι τὸ δ' ἄλλο σῶμ' πόξυλον.

Superne nitidi reliquo corpore lignei.

*Quidam vero alienos partus eunt suppositum sibi, & hic gloriæ famæque primordia auspicantur: neque equidem sine impudentiæ nota, sed caveant, ne dum vetera aliorum scrinia compilant, bilem cuipiam moveant, qui non difficulter Actionem furti condicti, a Prætore impetrare poterit. Alio ego sum fato, Lector candide, quidquid hic vides, aliunde est, omnia suis refero auctoribus, quorum inventa dum luci iterum reddo, præceptores meos cum quadam grati animi significatione veneror. Verba & sententias auctorum fidelissime exscripsi, fortasse aliqua Criticam exigebant, Censorem agere nolui, nec veteres membranas excussi, nec antiquos Codices inspexi: sive sic Vaticanus, sive Divæus, Blandinus, quærere destiti. Equites me Romanos imitari scias, qui etsi non manu solum, sed mente etiam conspici volebant, modum tamen servabant, ne ut mancipia quædam literarum essent, sed ut quatenus opus esset haurirent, rem atque usum transferrent. Neque enim ego hinc aliquam gloriolam aucupari volui, alio enim me meus genius invitat, sed dum procul a patria in scholastico pulvere versor, diligentiæ meæ experimentum dare in animo habui, ut iis quorum interest, & studiorum meorum fructus, & temporis hactenus transacti ratio constaret, palamque innotesceret. Ultimum est quod te oratum pervelim, ut hæc æqui bonique consulas, errata ætati condones, nihilominus* intra securus: nam & hic Dii sunt. *Typographicas mendas ultima tibi pagina commonstrabit. Vale. Lovanii, Kalend. Martii,* 1628.

# STANISLAI KOBIERZYCKII

## DE

# LUXU ROMANORUM

## LIBER I.

### CAP I.

*Luxus maxima Imperia evertit. Romanam Rempublicam sæpius labefactavit, demum ad Civile bellum extremam Imperii ruinam perduxit. Sub Imperatoribus quantus Luxus, Dionis & Taciti auctoritate comprobatur.*



Quotquot unquam extitere Imperia, Regnaque potentissima, quorum fines solo tantum Oceani ambitu, ipsoque Cœli margine claudebantur, omnia ex tenuioris fortunæ rerumque initiis, ad summum potentiæ ac dominatus pervenere fastigium. Verum ubi victores populos blanda pestis luxuria, virulento spiritu afflavit, subito fortissimorum virorum luctuosam stragem edidit, & bellicosas nationes, quas partæ gloriæ cumulus cœlo ipsi æquabat, velut de gradu præcipites dejecit, terrarumque dominos, eadem die, vita simul & imperio exuit. Verissima est illa sapientiæ Salustianæ gnome, *Oratione ad Cæsarem*: *Sæpe audivi, qui Reges, quæ civitates, per opulentiam magna Imperia amiserint, quæ per virtutem creverint*.

Libet præstantissima Imperia, magnosque Orbis totius Principatus in medium proferre. Ninus Assyriorum Rex primus, *vide Just. lib. 1.* veterem & quasi avitum gentibus morem, nova imperii cupiditate mutavit, bella finitimis intulit, rudes ad resistendum populos, terminos usque Libyæ perdomuit; & quod ille labore, vigilantia, virtuteque militari, ac summa continentia pepererat, hoc Sardanapalus deliciis enervatus, fœminam se magis quam virum gerens, per insanas voluptates luxumque perdidit; ac suo fato mortalium genus edocuit non ignavia magna Imperia contineri. Cyrus potentissimus atque invictissimus Rex, ab Assyriis Medisque annuentibus fatis sceptrum ad Persas detulit, & ut ditissima Imperia suis coerceret habenis, luxum ac opes contempsit. Immemor magnanimæ virtutis Darius extitit, quem Alexander (ut cum Livio Historicorum principe dicam, *l. 9.*) *mulierum ac spadonum agmen trahentem, inter purpuram atque*



C *aurum, fortunæ suæ apparatibus enervatum, prædam verius quam hostem, nihil aliud quam bene ausus vana contemnere, incruentus devicit.*

Sed & ipse terrarum gentiumque domitor juvenis Macedo, ubi e parvis initiis & pusillo Macedonum Regno egressus, primum parentis sui Philippi ductu, post & ipse sua virtute de universo pæne terrarum Orbe victrices reportavit laureas: rebus deinde secundis mersus, per Indiam temulento agmine commessabundus incessit, jamque Dario magis quam Alexandro similis, exercitum Macedoniæ oblitum, in Persarum mores adduxit, & inter epulas luxuriantemque conviviorum apparatum, vitæ
D finem, & Imperii simul invenit. Luxus juvenem confecit, quem armatæ phalanges, totque Regum conjuratæ acies, non poterant debellare. Quæ omnia repetenti mihi, atque in memoriam revocanti, præsto adest, multis confirmata ac roborata experientiis sententia Crispi Sallustii, qui inquit, *in Catilin. Imperium facile iis artibus retinetur, quibus initio partum est. Verum ubi pro labore desidia, pro continentia & æquitate libido simul atque superbia invasere, fortuna simul cum moribus mutatur: ita Imperium ad optimum quemque, a minus bono transfertur.*

E Declaravit id ipsum evidentissimo exemplo Romana Urbs, *Claudian.*

*—— exiguis quæ finibus orta, tetendit*
*In geminos axes, parvaque a sede profecta,*
*Dispersit cum sole manus.*

Ea, inquam, paupertatis continentiæque via ad summum Imperii culmen grassata, feliciter de triplici orbis universi parte triumphavit. Quis non miretur pastoricium illum populum, Samnitico auro fictilia ac lutea vasa præferentem? quis non extollat Fabritii continentiam? cum triumphalis se-
F nex rus suum fodit, & ad focum cœnat illas ipsas radices, quas in agro repurgando vulsit. Ab aratro grandævi Patres in Curiam vocabantur. *Ovid. 1. Fast.*

*Jura dabat populis posito modo Prætor aratro.*

Ab agro accersebantur Consules, & qui arva terramque vomere subigebant, post fortissimos Duces ac

Regnorum dominos ſubjugabant, eadem dextera & arma tractare, & ſtivam verſare doctiſſimi.

Agriculturæ deditos fuiſſe in primis Imperii incunabulis, luculenter Maro teſtatur, 2. *Georg.*

*Hanc olim vitam veteres coluere Sabini,*
*Hanc Remus & frater, ſic fortis Hetruria crevit:*
*Scilicet & rerum facta eſt pulcherrima Roma,*
*Septemque una ſibi muro circumdedit arces.*

O aurea illa tunc ſæcula! o vere Romam virtutum omnium Larem! Sed ubi jam potentiæ Romanæ cuncta terrarum Imperia patuere, luxus, quem majores Urbe atque tota Italia expulerant, atque a finibus ſeveriſſimarum legum præſidiis arcuerant, irrupit, omnes Romanorum martios animos fregit & effœminavit, denique tot genuit ſcelera, ut iis jam paſſim major in Urbe honos, quam virtuti haberetur. Teſtis eſt Vellejus Paterculus, *l.* 2. *Ne quid unquam publicis malis deeſſet, in qua civitate ſemper virtutibus certatum fuerat, certabatur ſceleribus; optimuſque ſibi videbatur, qui fuerat peſſimus.* Expreſſit idem Satyricus, *Satyra* 1.

*Aude aliquid brevibus Gyaris, & carcere dignum,*
*Si vis eſſe aliquis: probitas laudatur, & alget.*

Sed ut propius ad rem ipſam accedam, quæ alia res civiles furores peperit quam nimia felicitas? ſeditionum procellas ſæpius male-ſana luxuria concitavit. Quid impulit Catilinam ad nefaria conſilia opprimendæ patriæ? *Luxuria primum, tum hinc conflata rei familiaris egeſtas*, inquit Florus, *lib.* 4. *c.* 1. Seu, ut Salluſtii verbis utar, *in Catilin. Incitabant præterea corrupti civitatis mores, quos diverſa inter ſe mala, luxuria atque avaritia vexabant.* Quid Othonem ad Imperium ſtimulavit? *Luxuria etiam Principi oneroſa, inopia vix privato toleranda,* ut teſtatur Tacitus, *lib.* 1. *Hiſt.*

Miſſa hæc facio, neque ad inferiora illa Imperatorum tempora devolvor. Venio ad bellum civile, ruinam Imperii Romani, cum fatalibus Theſſaliæ campis cognatæ acies, fraternaque cominus arma inter ſe concurrerunt. Quid tum furentem impulit populum? ediſſere, diſertiſſime Poetarum Lucane, *libro* 1.

*Namque ut opes nimias mundo fortuna ſubacto*
*Intulit, & rebus mores ceſſere ſecundis,*
*Prædaque & hoſtiles luxum ſuaſere rapinæ:*
*Non auro tectiſque modus, menſaſque priores*
*Aſpernata fames: cultus geſtare decoros*
*Vix nuribus, rapuere mares: fœcunda virorum*
*Paupertas fugitur, totoque accerſitur Orbe,*
*Quo gens quæque perit.* ——

Sed ſtetiſſet forſitan incolumis Magni Pompeii fortuna, neque illud Imperii lumen unquam offuſum fuiſſet, niſi voluptate affluentem exercitum, Cæſarianarum partium veteranis oppoſuiſſet. *Quippe* (inquit Cæſar 3. *Civil.*) *in ejus caſtris videre licuit triclinia ſtrata, magnum argenti pondus expoſitum, recentibus ceſpitibus tabernacula conſtrata, Lucii etiam Lentuli & nonnullorum protecta hedera, multaque præterea, quæ nimiam luxuriam & victoriæ fiduciam oſtentarent.* En & diſciplina Romana per luxum ſoluta. *Juvenalis Satyr.* 2.

—— *o Pater Urbis,*
*Unde nefas tantum Latiis paſtoribus? unde*
*Hæc tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes?*

An non ſimilis Magnus ille Imperator Pompejus Halyatæ Regi Lydiæ, qui more atque luxu barbaro præditus, cum bellum Mileſiis faceret, in procinctu atque exercitu habuit laſcivientium delicias conviviorum, *Gellius l.* 1. *c.* 11. & *Herodotus in Clio.*

Verum de luxuria caſtrenſi non dicam hic: juſti etenim voluminis magnitudinem res ea poſcit & efflagitat.

Redeo ad bellum civile Cæſaris & Pompeii: quod a luxuria excitatum, adeo rem Romanam concuſſit & perturbavit, ut ab illo tempore ſol potentiæ Romanæ in occaſum vergere cœperit, ſemelque virtus Romanorum fracta, nunquam vires majoribus dignas reſumere ac reparare potuerit. Teſtatur idipſum Roma elegantiſſimo carmine apud animoſum Poetam Claudianum, *de bello Gildon.* ubi querula ad priſtinam potentiam ingemiſcit:

*Armatis quondam populis, Patrumque vigebam*
*Conſiliis, domui terras, homineſque revinxi*
*Legibus, ad ſolem victrix utrumque cucurri.*
*Poſtquam jura ferox in ſe communia Cæſar*
*Tranſtulit, elapſi mores, deſuetaque priſcis*
*Artibus, in gremium pacis ſervile receſſi.*

Hujus vero excidii tantæque ruinæ cauſam fateatur ipſamet Urbs rerum domina. *Ibidem:*

*Ipſa nocet moles, utinam remeare liceret*
*Ad veteres fines, & mœnia pauperis Anci.*
*Sufficerent Etruſca mihi, Campanaque culta,*
*Et Quinti Curiique ſeges, patriæque petenti*
*Ruſticus inferret proprias Dictator ariſtas.*

Elegantiſſimo huic ingenioſiſſimi Poetæ carmini adfero lucem ab eminentiſſimo Hiſtoricorum Polybio, qui ait *libro* 6. Poſtquam civitas aliqua multa eaque magna pericula fuit eluctata, jamque ad principatum & potentiam non controverſam pervenit, palam eſt, ubi mora longi temporis beata fortuna ſuam ſedem in civitate firmaverit, in mores luxum irrepere, in animos virorum ambitionem & pervicaciam, tum circa magiſtratus, tum circa alia incepta. Quæ ubi ſemel creverint mala, mutationis in deterius principium exiſtet, ab honoribus per ambitionem petitis aut negatis, itemque ab illa arrogantia & luxu, quo privatorum mores erunt depravati. *Ita profecto quanto minus rerum Romæ,* (inquit Livius, *in Procemio*) *tanto minus cupiditatis erat. Nuper divitiæ & abundantes voluptates deſiderium, per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia invexere.*

Jam vero infelici illo tempore, cum fortuna *Principes* abſolutæ poteſtatis gubernaculis Imperii admovit, quam præcipiti & effrenato curſu in omnem luxuriam itum fuerit, quoad potero breviſſime aperiam. Ad ipſum quondam Imperii Romani nomen, gentes nationeſque trepidabant: quid tum de virtute Romanorum hoſtes ſenſerint, ex Dionis abbreviatore Xiphilino paucis adſero. Bunduica Britanniæ Regina fœminarum animoſiſſima, poſtquam Britannorum vires copioſa oratione laudavit, in Romana ſic digreditur vitia, cum voto quodam ad Adraſten Deam, *Xiphilinus in Nerone:*

*Cum igitur ego apud hujuſmodi viros atque fœminas regnum obtineam, peto abs te eorum victoriam, ſalutem, libertatem, contra viros contumelioſos, improbos, inſatiabiles, ſceleratos, ſi viri appellandi ſunt homines, qui calefactis aquis lavantur, qui laute & oppipare epulantur, vini pleni, unguentis delibuti, molliter cubantes, cum pueris atque iis exoletis coeuntes, citharœdo & quidem malo ſervientes.*

Altera eſt Cornelii Taciti auctoritas, qui eleganter urbis Romanæ faciem depingit, cum Vitellius & Veſpaſianus de Imperio armata vi dimicarent. *Alibi* (inquit is) *prælia & vulnera, alibi popinæ: ſimul cruor & ſtrues corporum, juxta ſcorta & ſcortis ſimiles, quantum in luxurioſo otio libidinum, quid-*

*quid in accerbissima captivitate scelerum: prorsus ut eandem civitatem & furere crederes & lascivire.*

Adeo Romanorum animos obcæcavit (*Seneca in Octav.*)

*Luxuria, pestis blanda, cui vires dedit*
*Roburque, longum tempus, atque error gravis.*

Quocirca finem impono verbis Valerii Maximi, *lib.9. cap. 1. Quid ergo his vitiis fœdius, quid etiam damnosius, quibus virtus atteritur, victoriæ languescunt, sopita gloria in infamiam convertitur, animæque pariter & corporis vires expugnantur, adeo ut nescias, ab hostibus ne, an ab illis capi perniciosius sit habendum.*

## CAP. II.

*Divitiæ pariunt luxum. Enumerati aliqui, qui Romæ divitiis floruerunt. Libertorum, Servorum opes. Infimæ plebis homines tam divites, ut ludos ederent. Denique Exulum opes, quæ lege Augusti temperatæ.*

Plato non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimus auctor & magister, *lib.4.de Republica* divitias & paupertatem ex omni Republica pellenda monet: quod illæ ad luxuriam & desidiam, hæc ad vitam sordidam & malitiosam, & rerum novarum cupidam, causas dare soleant. In eandem sententiam simile quippiam prodidit Philosophorum facile Princeps Aristoteles, *lib.5.Polit. cap.2.* ubi inquit: *Verum fieri quidem potest, ut bonorum sit æqualitas, sed hæc vel si nimis sint multa, ut existat luxuria; vel nimis pauca, ut vivatur sordide.* Sic & alibi canit Satyricus, *Sat.6. versu* 299.

*—— & turpi fregerunt sæcula luxu*
*Divitiæ molles. ——*

A divitiis igitur ac opibus, tanquam a primo luxuriæ voluptatumque fonte initium capiamus. Memoriæ proditum est, Populum Romanum septem annos ante primum bellum Punicum habuisse in ærario, auri pondo DCCXXVI. millia, argenti XCII. millia, & extra numerum CCCLV. millia. Quid jam dicendum erit, cum profligato bello punico secundo, & excisa Imperii æmula Carthagine, victor populus arma in Asiam Regesque opulentissimos transtulit, unde tot magnanimi Duces Urbem spoliis, ditissimaque Orientis præda repleverunt. Qua in re cur diutius immorari debeam, non video, egregie enim Spartam hanc adornavit immortalis fama vir Justus Lipsius, qui censendis opibus cum publicis, tum privatis rationes ita subduxit, ut eorum copiam doctrinæ ubertate ac dicendi elegantia exæquasse, ac posteris ad plenam mensuram ne tenuis quidem mantissæ additamentum fecisse reliquum videatur.

Venio ad eos, qui in Romano Imperio divitiis, opibus, fortuniis florentissimi extitere: pauca & levia quædam me notasse non diffiteor, sed nemo mirabitur, qui intelliget, post uberem doctissimorum virorum messem, exile dumtaxat spicilegium esse.

Ducat mihi ditissimorum agmen M. Crassus, qui (teste Vellejo) *neque in pecunia concupiscenda aut modum norat aut terminum.* is dicebat, Neminem divitem esse, nisi qui exercitum suis facultatibus alere posset: Hæc Cicero in Paradoxis, & Plinius *l.33. c.* 10.

Veniat etiam in opulentorum numerum Lucius Cornelius Balbus, de quo Dio lib.48. scriptum reliquit, (*Vide Lipsium fuse libro 2. Admir. cap. 15.*) *Homines suæ ætatis divitiis ac magnitudine animi supergressus est: adeo, ut moriens Populo Romano viritim legaverit denarios 25. sive aureum Romanum unum.* Jam vero Æsopus Tragœdus Ciceroni perfamiliaris, ad tantam pervenit opulentiam, ut sexcentis sestertiis ei patina steterit, reliqueritque filium adeo divitem, ut is uniones liquefactos cœnis apponeret. Notum illud exemplum est & pueris etiam qui nondum ære lavantur, de Claudio Cæcilio Isidoro, qui præter alia pleraque enumerata a Plinio libro 33. cap.10. in numerato HS. sexcenties reliquit. Quam pecuniæ summam revocat ad calculum doctissimus Lipsius, dicitque effici decies quinquies centena millia Philippicorum. Cnæus Lentulus Augur, quater millies sestertium suum vidit. Prodeat in medium, nepotum altissimus gurges Apicius, de quo Seneca *Consol. ad Elviam capite* 10. *Cum sestertium millies in culinam congessisset, cum tot congiaria Principum & ingens Capitolii vectigal, singulis commessationibus exsorpsisset, ære alieno pressus tum primum rationes suas coactus inspexit, superfuturum sibi sestertium centies computavit, & velut in ultima fame victurus, si sestertio centies vixisset, veneno vitam finivit.*

In hunc Apicium egregio lusit Epigrammate Martialis *l. 3. Epigr.*22.

*Dederas, Apici, bis trecenties ventri,*
*Et adhuc superest centies laxum tibi.*
*Hoc tu gravatus ut famem & sitim ferre,*
*Summa venenum potione perduxisti:*
*Nihil est, Apici, te gulosius factum.*

Illud vero Sexti Marii cujusdam exemplum (*vide Dion. lib.58.*) quo loco censendum est, qui inter amicos Tiberii, tantis inde divitiis ac potentia auctus, ut vicini cujusdam, quem infensus biduo convivam habuerat, postridie domum subverterit, postridie iterum ampliorem ac splendidiorem refecerit; ignaroque eo, a quonam id factum esset, utrumque confessus est, simulque dictis ostendit, sibi & ulciscendi & gratiam referendi adesse facultatem.

Volusiorum familiam maximis viguisse opibus, abunde demonstrat Silius Italicus lib.5.

*Occumbis, generose Volux, nec clausa reponis*
*Pondera thesauris, patrio nec Regia quondam*
*Præfulgens ebore, & possessa mapalia soli*
*Profuerint. ——*

Huc spectat etiam Tacitus, qui de Volusio sic scribit, 3. *Annal. Volusio vetus familia, neque tamen Præturam egressa: ipse Consulatum intulit, opumque queis domus illa viguit, primus accumulator.* De eodem idem Historicus, introducens Neronem loquentem ad Senecam lib.14. Annal. *Sed quantum Volusio longa parcimonia quæsivit, tantum in te mea liberalitas explere non potest.* Quod vero Silius dixit *possessa mapalia soli*, longum esset recensere latitudinem fundorum ac prædiorum, quæ Romani illi Crœsi possederunt. Videatur Seneca Epist.89. idem de Beneficiis: *O miserum, quem delectat sui patrimonii liber magnus, & vasta spatia terrarum colenda per vinctos.* Unum addo, repertos fuisse, qui plura tenuerunt, quam novissent, etiam in longinquis terrarum oris. Martialis de Callistrato, *l.5. Epigram.*13.

*Magnaque Niliacæ servit tibi gleba Syenes.*
*Tondet & innumeros Gallica Parma greges.*

Et facundissimus Poeta Lucanus inter civilis belli causas addit, *lib.*1.

*—— tunc longos jungere fines*
*Agrorum, & quondam duro sulcata Camilli*

*Vomere, & antiquos Curiorum passa ligones,*
*Longa sub ignotis extendere rura colonis.*

Non possum hic præterire locum Ammiani Marcellini, qui lib.14. scribit: *Alii nullo quærente, vultus severitate adsimulata, patrimonia sua in immensum extollunt, cultorum ut putant feracium multiplicantes annuos fructus, quæ a primo ad ultimum solem se abunde jactant possidere.* Verum ad te jam, o sapientissime Seneca, stylum convertam. Admirationem mihi movet incredibilis illa tua continentia qui tantis opibus affluens, hominem quemvis prudentem, inter argenti aurique acervos positum, divitiis imperare posse, præclaro & posteritati stupendo exemplo ostendisti. Publius Suillius apud Tacitum Senecæ objicit: *Qua sapientia quibus Philosophorum præceptis, intra quadriennium Regiæ amicitiæ, ter millies sestertium paravisset.* Et alio loco inducitur Seneca Tigellini & Rufi criminationibus respondens 14. *Annal. Ubi ille est animus modicis contentus? Tales hortos instruit, & per hæc suburbana incedit, & tantis agrorum spatiis, tam lato fœnore excubat? Una defensio occurrit, quod muneribus tuis obniti non debui. Sed uterque mensuram implevimus, & tu quantum Princeps amico tribuere posset, & ego quantum amicus a Principe accipere.* De hortis illius Juvenalis Satyra 10.

——— *& magnos Senecæ prædivitis hortos.*

De fœnore; Xiphilinus in Nerone testatur, eundem Britannis quadringenties sestertium sub magnis usuris credidisse. De opibus Senecæ adi Lipsium in vita ipsius præfixa Commentario, quem in eundem conscripsit.

Enumerati ii hactenus, quos multarum opum ingentes acervos accumulasse, mirum non adeo videri debet: illud profecto summum stuporem animo meo injicit, dum & eos memoria repeto maximis divitiis abundasse, qui in Urbem illam Dominam, nuper cretatis pedibus venerant, & venum ierant.

Ordiar a Demetrio Pompeii Magni liberto. de eo testis mihi erit Dio Cassius libro 39.(A.U.C.DCXCIX.) cum inquit: *Ego hæc ita accepi, & hoc præterea, id Theatrum non a Pompejo extructum esse* (loquitur ibi de Amphitheatro Pompeii) *sed Demetrium libertum ferunt id ex pecuniis, quas dum miles sub eo esset paraverat, condidisse, isque rectissime nomen ejus facti ad Pompejum retulit, ne male audiret, quod libertus tantam pecuniæ summam collegisset.* Atque vel hinc luculenter intelligi percipique potest, jure merito Demetrium inter opulentissimos accenseri debere, qui ejus ædificii auctor extitit, quod inter cætera Romanæ Urbis miracula, vel primum, vel primo certe proximum locum sibi asseruit ac vindicavit. Sed Liberti hujus meminit & Seneca libro de Tranq. animi capite 8. *Feliciorem tum Demetrium Pompejanum vocas, quem non puduit locupletiorem esse Pompejo? Numerus illi quotidie servorum, velut Imperatori exercitus, referebatur, cui jam dudum divitiæ esse debuerant duo vicarii & cella laxior.*

Referantur jam & illa aulæ Claudianæ mancipia (eos enim ut *consiliarios* appellem, adduci nullo pacto possum) quibus Imperator ille se totum mancipaverat, Pallas videlicet, Narcissus, & Callistus. Ac primum ut a Pallante exordium capiam. Hic est ille Libertus, cujus opes in vulgare proverbium abierunt. Juvenalis inquit alibi, *Satyra* 1.

——— *ego possideo plus*
*Pallante & Licinis.* ———

Sed de hujus hominis divitiis Tacitum etiam, si

A lubet, audiamus, qui lib. 12. Annal. inquit: *Et fixum est publico Senatusconsultum, quo Libertinus sestertii ter millies possessor, antiquæ parsimoniæ laudibus cumulabatur.* De Pallante ibi sermo est, quem Claudius ob Senatusconsultum super muliebri libidine repertum, prætoriis insignibus & centies quinquagies sestertio augendum decorandumque esse judicavit. Et indignatur jure in hoc facto major Plinius l.35. capite penult. (*Citat. Lips. in* 12. *Annal. fol.*203. *num.*122.) *Hoc est insigne venalitiis gregibus, opprobriumque insolentis fortunæ, quos & nos potiri rerum adeo vidimus, ut prætoria quoque ornamenta decerni a Senatu, jubente Agrippina Claudii Cæsaris, viderimus: tantumque non cum laureatis fascibus remitti illo, unde cretatis pedibus advenissent.*

B

Transeo ad Narcissum, de quo sufficiat præter cæteros Dionis auctoritas, qui scribit, *libro* 60. *Fuit is Narcissus hominum ea tempestate potentissimus, ut qui amplius quater millies sestertium possederit.*

Verum quoniam superius Licini mentio facta est, cum ex eadem Libertorum classe fuerit, quod genus illi, unde domo, quæ opes, paucis inquiramus. Ac ne longiori oratione rem proponam, veteris Scholiastæ in Juvenalem *Satyra* 1. verba pro-

C feram. inquit is: *Licinus ex Germania captus, puer tantæ industriæ fuit; ut reliquias ciborum inter conservos fœneraret, & cui quid credidisset, quali poterat chirographo pugillaribus subnotaret: quos cum in expeditione quadam transiturus flumen, in vestimentis recondidisset, C. Julio Cæsari quondam deneganti, ei pugillaribus quicquam annotatum, barbarus lugens eos obtulit. statim ad dispensationem admissus, non multo post manumissus est, dein curationi Galliarum ab Augusto præpositus eas spoliavit, & cum flagraret invidia, basilicam sub nomine C. Julii Cæsaris ædificavit. Decessit sub Tiberio, proinde dives, quod Cassii etiam opes exhausisset, & dictus est habuisse* (puto

D scribendum *agros*, constat ex Persio) *nummos, quantum milvi volant.*

Argutissime & Persius hujus Licinii divitias commemorat, *Satyra* 2. *versu* 36.

——— *& spem macram supplice voto,*
*Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes.*

Ejusdem meminit iterum Juvenalis, *Satyra* 14. *versu* 306.

*Dispositis prædives hamis, vigilare cohortem*
*Servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro*
*Electro, signisque suis Phrygiaque columna,*
*Atque ebore, & lata testudine.*

E

Prodeat jam in medium opulentissimus Libertus Crispinus, qui a Tyrannorum immanissimo Domitiano, e servili & abjecta conditione ad censum equestrem evectus est. Tantam ejus opulentiam carpit ubique & vellicat Juvenalis: e contra hominem hunc Ægyptium ingeniosissimus Latinorum Epigrammatum Poeta, summa cum adulatione immensis laudibus extollit: Verum Satyricum audiamus, *Satyra* 1.

F

*Cum pars Niliacæ plebis, cum verna Canopi*
*Crispinus, Tyrias humero revocante lacernas*
*Ventilet, æstivum digitis sudantibus aurum.*

De eodem Satyræ 4. initio sic meminit:

*Quid refert igitur, quantis jumenta fatiget*
*Porticibus, quanta nemorum vectetur in umbra,*
*Jugera quot vicina foro, quas emerit ædes.*

A Libertis jam ad imam fecem Quiritium transeamus. Cynamus tonsor ad tantas opes pervenit, ut Patricios omnes divitiis provocaret: is mulieris

muneribus locupletatus usque ad censum equestrem: mox damnatus, in Sicilia exulavit:

Insultat homini huic suavissimo Epigrammate Martialis:

*Qui tonsor fueras tota notissimus urbe,*
*Et postbac dominæ munere factus eques.* &c.
*Non Rhetor, non Grammaticus, Ludive magister*
*Nec Cynicus, non tu Stoicus esse potes:*
*Vendere nec vocem Siculis plausumque theatris,*
*Quod superest iterum, Cyname, tonsor eris.*

In ludos pecuniam profundere, copiosi hominis res olim erat, nec ejus, cujus sacculus plenus aranearum. Quis tamen ignorat vilissimos Quiritium, propria impensa Urbi præbuisse spectacula? Et quidem ævo suo Juvenalis in tantam hominum audaciam invehitur, *Satyra* 3.

*Quondam hi cornicines, & municipalis arenæ*
*Perpetui comites, notæque per oppida buccæ,*
*Munera nunc edunt, & verso pollice vulgi*
*Quemlibet occidunt populariter.* ——

Verum quod genus hominum ludos exhibere ausum est? Sutores, Cerdones, ac maleolentis cuticulæ magistri.

Irridet Martialis Cerdonem quendam lepidissimo versu, *lib.3. Epigr.16.*

*Das gladiatores, Sutorum Regule Cerdo,*
*Quodque tibi tribuit subula, sica rapit.*
*Ebrius es? nec enim faceres id sobrius unquam,*
*Ut velles corio ludere, Cerdo, tuo:*
*Lusisti, satis est: sed te mihi crede memento*
*Nunc in pellicula, Cerdo, tenere tua.*

Idem Poeta libro quoque eodem, de Sutore & Fullone, *Epigr.59.*

*Sutor Cerdo dedit tibi, culta Bononia, munus;*
*Fullo dedit Mutinæ: nunc ubi caupo dabit?*

A Vatinio an non celeberrimum Gladiatorum munus Beneventi ipso etiam inspectante Nerone editum fuisse accepimus? At quis ille Vatinius? *inter fœdissima aulæ ejus ostenta fuit,* (inquit Tacitus) *sutrinæ tabernæ alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus, primo in contumelias assumptus, deinde optimi cujusque criminatione eo usque valuit, ut gratia, pecunia, nocendi etiam malis præemineret.* En Sutor, quo divitiarum dignitatisque pervenit! Sic (proh dolor!) Tyrannico illo Imperatorum ævo, divitiæ opesque accumulabantur, per calumnias, per nefarias accusatorum delationes: e quorum numero sceleratissimus mortalium Vatinius fuit, qui tanto in Senatum fervebat odio, ut rabidam illam Neronianam cruoris humani sitim, execrando dicto sæpius accenderet: *Odi te Cæsar quod Senator es. Xiphilinus in Nerone.*

Criminatorem eum fuisse acerrimum, testis est præter cæteros Martialis:

*Vilia Sutoris calicem monumenta Vatini*
*Accipe, sed nasus longior ille fuit.*

Ubi notat eum per longum nasum, tanquam acrem & versutum delatorem. Eos (*adi Tacitum 4. Annalium*) vero omnes qui edidere spectacula summis viguisse opibus, facile & illud Senatusconsultum demonstraverit, quo cautum, ne quis Gladiatorum munus ederet, cui minor quadringentorum nummum res esset. Sed cur his Gigantum fraterculis, &

*Quorum nemo queat patriam monstrare parentis,*

A ad libitum turbam Gladiatorum committere, adeo impune fuit? cuivis jam ex Neroniano illo edicto luce meridiani clarius patebit, quo olim perquam severe cautum, *Tacit. 14. Annal. Ne quis magistratus aut Procurator qui Provinciam obtineret, spectaculum gladiatorum aut ferarum, aut quod aliud ludicrum ederet. Nam ante non minus tali largitione quam corripiendis pecuniis, subjectos affligebant, dum quæ libidine corruperant, ambitu propugnant.*

Claudat horum divitum agmen Salutio, vir quidam probris ac flagitiis contaminatus, ita ut nomen Salutionis teste Suetonio in Julio cap.19. ad opprobrium vitæ daretur; is opes tantas paraverat, ut B earum magnitudine, Scipionem unum e familia Africanorum induxerit, ut vellet testamentaria adoptione in familiam ei simul & nomen succedere. Quod factum nobilibus viris improbatum, & præcipue Messalæ, qui ea causa motus, librum de Familiis edidit, *vid. Plinium lib.35.* Quis non exclamet magni Poetæ dictum?

*Auri sacra fames; quo non mortalia cogis*
*Pectora?*

C Extremum est quod mihi hoc in capite ad dicendum proposueram, de Exulum opulentia videlicet. Quantæ (pro Deum hominumque fidem!) divitiæ, eorum, qui a complexu parentum, fratrum, necessariorum, denique patriæ ipsius avulsi, in solitudinem ac insulas scelerum suorum ultrices relegati fuerant. Memoriæ prodidit de Pisone *Tacitus 3. Annal.* eum exuta dignitate, & accepto quinquagies sestertio, in decennium relegatum. Quis non obstupescat huic exuli, centum viginti quinque millia Philippicorum pro viatico fuisse? Testis idem *Tacitus 12. Annal.* de Lollia Paulina, cui publicatis bonis cedenti Italia, quinquagies sestertium ex opibus immensis relictum est. Non D immerito Romanus Sapiens, luxum hunc ævi sui, temporumque detestatus, in ea verba prorupit, *Consolat. ad Elviam C.12. Eo temporum prolapsa est luxuria, ut majus viaticum exulum sit quam olim patrimonium divitum.* Quantus vero etiam comitatus Exulum? Notat Xiphilinus de Cajo Imperatore, relegante Pisonem, eum illi concessisse decem servos secum abducere, atque cum is plures petiisset, permisisse, ut quot vellet servis uteretur.

Verum liberius jam evaganti Exulum opulentiæ frænum injecit Augustus Imperator, legemque de illorum divitiis ac luxu coercendo sanxit, videlicet *Vide Dion. lib.56. in Actis A.V.C.* DCCLXV. Ne quis E eorum quibus aqua & igni interdictum esset, in continenti aut insula ulla, nisi quæ 50. millia passuum ab continente distaret, (excepta Co, Rhodo, Sardinia, & Lesbo) degeret, neve aliquo trajicere, aut plures naves, quam unam onerariam mille amphoras capientem, & duas actuarias: neve servos, aut libertos, super 20. haberet: ne plus quingentis millibus nummum possideret minatus pœnam & ipsis exulibus, & iis qui contra has leges in ulla re ipsis auxilio fuissent.

Quo quo abieras, o sancta Romanorum Paupertas! ubi illi Curii, Fabritii, ditissimorum Regum, F opulentorum Principum, victores ac debellatores pauperrimi? Valerio Publicolæ, ad ducendum funus, sumptus defuit: *Mœnenius Agrippa* (inquit Seneca *Consol. ad Elv. cap.22.*) *qui inter Patres ac Plebem, publicæ gratiæ sequester fuit, ære collatitio funeratus est.* Scipionis filiæ ob paupertatem de publico dotatæ, ad maritos ierunt portantes gloriam domesticam, pecuniam publicam. At luxuriante ævo, decies sestertium abjectissimarum mulierum communis dos: Seneca, *Ibidem. Beatioresne istos putas, quorum pantomimæ decies sestertio nubunt,*

*quam Scipionem, cujus liberi à Senatu tutore suo, in dotem æs grave acceperunt*. Nec te hic prætereo regnantis olim sceptri Macedonum eversor. Paulle Æmili, vicisti populum, quem fatum quoddam Imperio Orbis totius non destinaverat solum, sed admoverat, debellasti vinctumque populo Romano spectandum præbuisti Perseum, tu nihilominus, vir præclarissime, tanta tamque ampla Macedonica gaza in Urbem invecta, pauper adeo diem tuum obiisti, ut funebres ludi celebrari nequiverint, nisi divenditis tuis facultatibus.

Exultat animus virorum ejusmodi, quos continentia immortalitate donavit, memoriam percurrens. quidni enim exultet? Paupertas prisca apud sæcula omnia, civitatum conditrix, omnium artium repertrix, omnium peccatorum inops, omnis gloriæ munifica, cunctis laudibus apud omnes nationes perfuncta. Eadem paupertas (Madaurensis Platonici verba sunt, *Apulejus in Apolog.*) *Populo Romano Imperium a primordio fundavit, proque eo in hodiernum Diis immortalibus simpuvio, & catino fictili sacrificat*. Sic omnis virtus periit, ubi civitatis opulentia, quibusdam quasi fluctibus priscam continentiam operuit.

## C A P. III.

*Divitiæ a Romanis Imperatoribus prodige sparsæ, per cædes, rapinas, iterum collectæ. Aliquot Prodigorum exempla. Opes in aleæ lusu, ingentes perditæ. De Magistratuum avaritia. Inhonesto quæstu pecuniæ acquisitæ. Denique in urbe Romana, pauper exulat, dives regnat.*

QUanta, Deus bone! quamve profusa Romanorum Pricipum prodigalitas, quibus licet dedisses Babylonias opes, aut Lydæ pondera gazæ, Indorum Serumque & Arabum potentes divitias, has illi vel ipsa eadem hora luxuriose dissipassent. Jactet fabulosa antiquitas quæ tenuit dives Achæmenes, extollat pinguis Phrygiæ Mygdonias opes, plenas aut Arabum domos, non earum tantum gentium ac nationum, verum totius orbis divitias temerarie profuderunt. Sed quid ego illorum impensas atque prodigalitatem commemorem? fecisse id equidem scio, & fecisse cum immortali nominis sui fama Justum Lipsium 2. *Admirand.* adi quisquis es magni ac incomparabilis viri scripta, disce, non ego eandem crambem repetam: collectanea pauca de luxuriosa largitione Imperatorum tibi nunc proponere cum animo decrevi.

Ingeniosissimus Poetarum Catullus, *Epigrammat.* 30. Julium Cæsarem ut prodigum, & in erogandis pecuniis immodice profusum, acutissimo carmine notavit:

*Quid est, an hæc sinistra liberalitas.*
*Parum expatravit? an parum belluatus est,*
*Paterna prima lancinata sunt bona,*
*Secunda præda Pontica, inde tertia*
*Hibera.* ——

Et ibidem inferius:

*Quid hunc malum fovetis? aut quid hic potest,*
*Nisi uncta devorare patrimonia?*
*Eone nomine Imperator unice,*
*Socer generque perdidistis omnia.*

Nullus tam succincte notavit Julium quam Catullus. Profecto male cum illo Poeta actum fuisset, ni in ejusmodi hominis ingenium incidisset, qui simultates nullas tam graves excepit unquam, ut non occasione oblata libens deponeret. Et ut ait Suetonius, *cap.73. Valerium Catullum, a quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulaverat, satisfacientem, eadem die adhibuit cœnæ.*

Libidini vero fœdoque amori quas opes donaverat idem Imperator, ex hoc Catulli Epigrammate liquet. adi Suetonium *cap.*41. Quantum enim sibi virtute militari rebusque bellicis, immortalis gloriæ pepererat, tantum deinde lascivo ac impotenti Veneris ardore, quo magnopere flagrabat, acquisivit dedecoris.

De Imperatore Cajo tritum illud vulgatumque est, eum non toto vertente anno septies millies HS. absumpsisse, videlicet 66. milliones, & 50. millia Philippicorum. Illud mage ridiculum est, quod de hoc nefario Principe refert Suetonius in vita illius *cap.* 42. *Novissime contrectandæ pecuniæ cupiditate incensus, sæpe super immensos aureorum acervos patentissimo diffusos loco, & nudis pedibus spatiatus, & toto corpore aliquandiu volutatus est.* Idem Imperator nummos non mediocris summæ, e fastigio Basilicæ Juliæ, per aliquot dies sparsit in plebem. *Suet. cap.* 37. *in ejus vita*. Fœdior illa Veri prodigalitas, qui, ut Capitolinus refert, *jaciebat in popinas nummos maximos quibus calices frangeret*.

Nero, (te Corneli testem appello 1. *Histor.*) bis vicies mille sestertium donationibus effudit. Si tantum donavit, quid in insanas moles, circum, aurigas, cantores, citharœdos, aureaque palatia congesserit, quis non facile animadvertat? Profusissimum illum fuisse scribit Suetonius *in vita ejus cap.* 30. *Nec absumendi, nec largiendi modum tenuit, & supra laudabat Cajum mirabaturque, nullo magis nomine, quam quod ingentes a Tiberio relictas opes in brevi spatio prodegisset.*

Sed ne Claudium silentio involvisse videar, cui prior ante Neronem locus debebatur: de ejus sumptu, ac impensa, quam ad emittendum Fucinum lacum studiosissime erogavit, præclare mihi arridet locus ex Eusebii sive Hieronymi Chronico: *Claudius* (inquit) *circa hæc tempora Fucinum lacum siccavit, undecim annos triginta hominum millibus sine intermissione operantibus*. Qua de re plura Tacitus 12. Annal. & Plin. lib.36. cap.13.

Quid vero dicemus de lurconum antesignano Vitellio, qui per octo Imperii sui menses, in cœnas novies millies sestertium profudit? Taceo Commodum, nihil dico de fœdissimo illo ac Epicuri de grege porco Heliogabalo, nihil, inquam, de reliquis: omnes enim fere (paucos excipio) qui post extitere, superiorum Cæsarum sinistram liberalitatem, aut superarunt, aut adæquarunt.

Labentis Imperii Romani ævo erat hoc in more positum, ac frequenti usu approbatum confirmatumque, ut omnes summum Imperium principatumque auspicaturi ingenti donativo ac munere, militum ac plebis animos sibi devincirent & conciliarent. *Tacitus* 1. *Historiar. Hinc in Galbam nullus militum amor, quia nihil donavit, & dum in castris Pisonis adoptionem properaret, TribuniCenturionesque gratabundi responderunt, per cæteros mœstitia ac silentium, tanquam usurpatam etiam in pace donativi necessitatem, bello perdidissent.* Ac idem auctor prosequitur, *Ibidem: Constat potuisse conciliare animos, quantulacunque parci senis liberalitate*. Eo enim res Romana calamitatum miseriarumque inciderat, ut fœda militum colluvies orbi Principem daret, quam ad res novandas turbandasque, sæpius insatiabilis pecuniarum fames excitabat. Quare permulti Imperatorum, ne maturius fatum sibi accelerarent, militumque sæva & execranda odia experirentur, Cerberos illos dominatus aditum sedulo asservantes.

effusis largitionibus velut melle soporatis offis, satiandos sopiendosque esse judicaverunt. Augustus tanquam e specula Monarchiæ Romanæ insidiatus, facile Imperii dignitatisque culmen occupavit, *ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexisset*, *Tacitus* 1. *Annal.* Adriani Imperatoris apud Spartianum querela est: *In caducum parietem nos inclinavimus, & perdidimus quater millies HS. quod populo & militibus pro adoptione Commodi dedimus.* Julianus (*Xiphilinus in Didio Juliano*) postquam insana militum rabies venale Imperium exposuisset, innata mortalium animis dominandi cupitate flagrans, vicena quinque sestertia, singulis militum promptissime numeravit. Quid multis agere necessum? iterum dico, nemo Principum ad Imperatoriæ dignitatis fastigium aspirare ausus est, nisi prodiga liberalitate populi Romani, totiusque exercitus benevolentiam nundinatus. In ejusmodi vero largitionibus, quos nummorum acervos dissipaverint, quantum auri argentique effuderint, si ad amussim examinare vellem, finem nunquam ac terminum possem reperire, *vide Lips.* 2. *Admir.* Perdebant illi tot tamque ingentes thesauros, non donabant. Nam, ut præclare Galba in facunda sua Oratione ad Pisonem inquit, *apud Tacit.* 1. *Hist.* *Falluntur, quibus luxuria specie liberalitatis imponit: perdere iste sciet, donare nesciet.*

Quo igitur ex fonte tanta opum divitiarumque copia profluxit & promanavit? *Sumptuosa hæc largitio nonne ab opulentia paritura mox egestatem*, *Florus lib. cap.* 12. Nonne luxum populatorem opum, *Claudian. in Rufin.*

*—— Infelix humili gressu comitatur egestas.*

Præclare & Cicero 2. Offic. *Atque etiam sequuntur largitionem rapinæ, cum enim dando egere cœperunt, alienis bonis manus inferre coguntur.*

Verissimum id effatum est, & Principes hi tam profuse liberales, in summa pauperie ad extremum egissent, nisi sæpius ad rapinas, avaritiam, virorum divitum, simul & illustrium neces se convertissent. Donationes has novis ac inauditis vectigalibus, sanguine ditissimorum pensabant. Quod ad rapinas attinet, fatale bellum urbi patriæque illaturus Julius Cæsar, ubi nobilissimam prædam, quam de tot gentibus victor reportaverat, profudisset, æris inopia pressus, rapaci ungue Harpyæ alicujus ad instar, sacrosanctum Populi Romani ærarium invasit, violavit, spoliavit. Quæ ibi tunc divitiæ! quantæ opes! quis thesaurus! *Lucan. lib.* 3.

*—— Tunc conditus imo*
*Eruitur templo multis intactus ab annis*
*Romani census populi, quem Punica bella,*
*Quem dederat Perses, quem victi præda Philippi,*
*Quod tibi Roma fuga Pyrrhus trepidante reliquit,*
*Quo te Fabritius Regi non vendidit auro:*
*Quicquid parcorum mores servastis avorum,*
*Quod dites Asiæ populi misere tributum,*
*Victorique dedit Minoia Creta Metello,*
*Quod Cato longinqua vexit super æquora Cypro.*
*Tunc Orientis opes, captorumque ultima Regum,*
*Quæ Pompejanis prælata est gaza triumphis*
*Egeritur: tristi spoliantur templa rapina,*
*Pauperiorque fuit tunc primum Cæsare Roma.*

Jam vero Cajus Caligula, postquam nepotinis sumptibus omnia prodigorum ingenia superasset, atque infesto ac profundo mari moles jecisset, *Exhaustus atque egens* (inquit Suetonius, *cap.* 38.) *ad rapinas convertit animum, vario & exquisitissimo calumniarum & auctionum & vectigalium genere.* Quæ illæ calumniæ, quæ auctiones fuerint, videatur idem auctor in ejus vita cap. 38. 39. &c. At quæ vectigalia a scelestissimo mortalium imperata? Pro Deum hominumque fidem! Ex gerulorum diurnis quæstibus pars octava, ex capturis prostitutarum quantum quæque uno concubitu mereret. Additumque ad caput legis, ut tenerentur publico, & quæ meretricium, & qui lenocinium fecissent, nec non & matrimonia obnoxia essent.

His addi possunt, quę de hujus flagitiosissimi monstri rapinis Dio Cassius memoriæ prodidit lib. 59. *Jam omnes in Italia Romæque absumptæ erant pecuniæ, unde omnino quidquam haberi potuisset, neque ibi præterea ulla pecuniæ conquirendæ ratio alicujus momenti quæ esset, reperiri poterat, urgentibus interim vehementissime sumptibus. Igitur Cajus in Galliam abiit, Germanici belli obtentu usus, quod is populus aliquid novi motus dedisset, ipse in animo habens Gallias quoque florentes opibus, & Hispanias expilare.*

Verum his posthabitis referantur orbis totius Phaetontis (Neronem dico) sceleratæ ac nefariæ direptiones. Is nulli delegavit officium, ut non adjiceret: *Scis, quid mihi opus sit.* &, *Hoc agamus, ne quis quidquam habeat.* Templa etiam spoliare aggressus, Deorum donis & simulachris auro argentoque fabricatis, sacrilegas manus injecit, illud vel maxime cordi habens, sacra profanaque simul latrocinante manu violare.

Quæ tandem oratio explicare poterit & cæterorum Imperatorum expilationes? quos hic studio prætereo: integra enim auctorum volumina exscribenda mihi forent, qui eas omnes sedulo annotarunt. Transibo ad cædes maximorum virorum, quorum sanguinem immanissime expetierunt, avidius hauserunt, crudeles hi generique humano invisi Tyranni, ut luxurioso apparatu deliciarum exhaustum ærarium, nefariarum prædarum gurgitibus implerent.

*Vidimus delatorum judicium* (inquit Plinius *Panegyric. Trajan.*) *quasi grassatorum, quasi latronum. Non solitudinem illi, non iter, sed templum, sed forum insederant. Nulla jam testamenta secura, nullus status certus, non orbitas, non liberi proderant. Auxerat hoc malum Principum avaritia.* Extat in delatores a Domitiano punitos initio Principatus, Epigramma Martialis lib. 1. Epigram. 4.

*Turba gravis paci placidæque inimica quieti,*
*Quæ semper miseras sollicitabat opes.* &c.

Videndus & Seneca *lib* 3. *de Benefic. Sueton. in Tiberio*, *Tacitus lib.* 4. *Annal.*

Quid coegit Caligulam, ut duos equites Romanos corripi juberet, eorumque bona fisco addiceret? egestas, luxuriosæ prodigalitatis comes nunquam separabilis. Quid Neronis armavit manus, ut Pallantem libertum immanissime vita spoliaret? avaritia: quater enim millies sestertium illum possedisse noverat. Cur Cassius ab eodem Principe officio exequiarum prohibitus? *nullo crimine* (ait Tacitus 16. *Annalium.*) *nisi quod Cassius opibus vetustis, & gravitate morum.* E contra quam ob causam Memmius Regulus, tot tantaque crudelissimæ Tyrannidis tela evasit? *quia nova generis claritudine, nec invidiosis opibus erat*, *Tacit.* 14. *Annal.* Perstringit hanc sævitiam Neronis Satyricus, Satyra x. in qua stulta hominum vota castigat, ac innuit divitias homini sæpe perniciosas esse, exemplo Cassii, Longini, & Senecæ, quos Nero eorum opibus inhians, vita spoliari jussit:

*Temporibus diris igitur jussuque Neronis*
*Longinum & magnos Senecæ prædivitis hortos*
*Clausit, & egregias Lateranorum obsidet ædes*
*Tota cohors: rarus venit in cœnacula miles.*

Ubi vetus Scholiastes: *Temporibus diris: Tyrannicis scilicet, cum jussisset Nero omnes prædari, ad domos divitum milites cucurrerunt, pauci ad domos pauperum.* Quid denique Domitiani tetram immanitatem sæpius exacuit? pecuniæ aurique cupido. vide Suetonium cap. 12.

A

Ad extremum ne plures divitum cædes ab impiis Cæsaribus patratas congeram, revoca omnium sæculorum memoriam, eosque populos apud quos cruenta Tyrannis invaluit, reperies inter arcana dominationis illud fuisse præcipuum, divites e medio tollere, cæterosque cives ad summam præcipitare egestatem, *Adi Aristot. Politicor.* 5. Unum e multis produxisse sufficiat, *vid. Polyb. lib.* 13. Nabidem Lacedæmoniorum Tyrannum, qui machinam quandam Apegam, ab uxoris suæ videlicet nomine appellatam, ejus tantum rei gratia excogitavit, ut homines opulentos pecuniam dare sibi recusantes, variis suppliciis excruciatos miserrime enecaret. Quocirca cum permulti Imperatorum Romanorum impotenti suo dominatu, non paucos civium vexarint & afflixerint, mirari desino, si Tyrannorum artes imitati, ærarii sui damna & jacturam, ditissimorum sanguine compensarunt.

B

Ordo jam ratioque instituti mei admonet, ut ad prodigos nepotesque sinistre liberales stylum conferam, quorum cum major in Urbe copia extiterit, nonnullos tantum insignitæ notæ recensebo.

C

Macrobius lib. 3. Saturnal. c. 13. Fabium Gurgitem a devorato patrimonio nomen obtinuisse scribit.

Non absimili epitheto insignivit Marcum Antonium Triumvirum Romanus Orator, dum illum non jam gurgitem, sed Charybdim voracem appellavit. Locum integrum adscribere jubet divinitas illius Philippicæ, in qua quid mirere prius, nescias; an in inveniendo solertiam, an in disponendo ordinem ac symmetriam quandam incredibilem, an verborum, figurarum, sententiarumque acutissime prolatarum copiam: unum quod superest dicam, summi ac perfecti Oratoris canon est & regula, posteritati imitanda tantum, non assequenda. Sed locum profero: *At quam insolenter statim helluo invasit in ejus viri* (Pompejum intelligit) *fortunas, cujus virtute terribilior erat populus Romanus externis gentibus, justitia carior. in ejus igitur copia cum subito ingurgitavisset, exultabat gaudio, persona de mimo, modo egens, repente dives. Sed ut est apud Poetam nescio quem,*

D

*Male parta male dilabuntur.*

*incredibile ac simile portenti est, quonam modo illa, tam multa, quam paucis non dico mensibus, sed diebus effuderit. Maximus vini numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti, pretiosa vestis multa, & lauta supellex & magnifica, multis locis, non illa quidem luxuriosi hominis, sed tamen abundantis horum, paucis diebus nihil erat. Quæ Charybdis tam vorax? Charybdin dico, quæ si fuit, fuit animal unum: Oceanus medius fidius vix videretur tot res tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse.* Quam præclara unius prodigi ac discincti nepotis hypotyposis? De Nomentano notat vetus Scholiastes Horatii in illum versum:

E

*Quidnam igitur suades tu, vivam Mævius, aut sic*
*Ut Nomentanus?* ——

F

Nomentanus adeo bonorum suorum prodigus fuit, ut sestertium septuagies libidini & gulæ impenderit; hujus coquum nomine Damam, Sallustius Crispus centenis nummum conductum habuit.

Prodigalitatem simul & inconstantiam Tigellii, salse ridet & perstringit Horatius *Satyra* 3. *lib.* 1.

—— *decies centena dedisses*
*Huic parco, paucis contento, quinque diebus*
*Nil erat in loculis.* ——

Facetum & illud Epigramma est apud Martialem libro 9. in Cinnam prodigum:

*Dixerat Astrologus, periturum te cito, Cinna,*
*Nec puto mentitus, dixerat ille tibi:*
*Nam tu dum metuis, ne quid post fata relinquas,*
*Hausisti patrias luxuriosus opes.*
*Bisque tuum decies non toto tabuit anno,*
*Dic mihi, non hoc est, Cinna, perire cito?*

Quid lepidius & illo Catulli versu, quo Furium multis nominibus obstrictum, argutissime castigat:

*Furi, villula nostra non ad Austri*
*Flatus opposita est, nec ad Favoni,*
*Nec sævi Boreæ, aut Apeliotæ;*
*Verum ad millia quindecim, & ducentos.*
*O ventum horribilem atque pestilentem!*

Scribit auctorum gravissimus & eloquentissimus Valer. Maximus, *lib.* 9. *cap.* 1. Curionem filium, conflasse æris alieni sexcenties sestertium, famosa injuria nobilium juvenum. Tres milliones fuisse docuit jam pridem doctissimus Meursius, lib. de Luxu Romanor. cap. 2. Non cessit Curionum familiæ Q. Fabius Max. Q. Fabii Maximi Allobrogici & civis & imperatoris clarissimi filius, *Vid. Valer. Max. lib.* 3. *cap.* 5. & quo major opibus ac genere extitit, tanto superior prodigalitate evasit. Is enim adeo perditam luxu vitam egit, ut ei Q. Pompejus Prætor urbanus, paternis bonis interdixerit, omnesque dolenter ferrent, pecuniam quæ Fabiæ genti ad splendorem servire debuerat, per flagitia dissipari.

Atque inter cæteras Reipublicæ Romanæ leges & instituta, quæ cives a majoribus suis summa cum fide receperant, sancte ac intemerate servaverant, illud non postremum fuisse existimo, quod veteres Jureconsulti de prodigis ad nostram usque memoriam transmiserunt. Eos enim leges XII. Tabularum, licet majores viginti quinque annis essent, in curatione agnatorum contineri volebant. *Instit. lib.* 1. *Tit. de Curat. §. Furiosi quoque & Prodigi.* Quod vero magis est, in jure Romano prodigus furioso comparatur, quia nisi ipsi subveniatur, isque consilio regatur, quod ad bona ipsius pertinet, furiosum facit exitum: ut a Divo Pio rescriptum est *in l. His qui de Tuto. & Curato.* Postea vero prodigi ipso jure ex lege XII. Tabul. in curatione agnatorum amplius non erant; sed ut furioso per Prætorem ex inquisitione curator dabatur, ita & prodigo, simulque illi bonis omnibus interdicebatur, quod in hoc exemplo Q. Fabii manifestissimum est. Formulam interdictionis Prætoriæ *Paulus in* 3. *Sent. Tit.* 4. nobis reliquit: *Quando bona tua paterna, avitaque, nequitia tua disperdis, liberosque tuos ad egestatem perducis, ob eam rem tibi ea re commercioque interdico.*

Prodigum autem sic a Jureconsultis definiri didici *ex l.* 1. *de curat. furios. &c.* qui neque tempus, neque finem expensarum habet, sed bona sua dilacerando & dissipando profundit.

Verum hæc supremo (ut ajunt) digito & velut per transennam attigisse sufficiat. Ejusdem Fabii, cujus modo memini, Juvenalis quoque mentionem facit Satyra octava, qua eos acriter insectatur, qui majorum suorum sanguine titulisque rumentes, de illorum tantum præclare gestis splendorem ac lucem nominis sui captabant, cum ipsimet libidini flagitiisque dediti, omnium scelerum genere, vi-

tam contaminatam agerent: eorum ex hominum numero, Fabium quoque fuisse asserit, cum inquit:

*Cur Allobrogicis & magna gaudeat ara*
*Natus in Herculeo Fabius lare, si cupidus, si*
*Vanus, & Euganea quantumvis mollior agna.*

Quid dicam de Lucio Neratio? an non perdendæ turpiter pecuniæ occasiones quæsivit? Is fuit homo egregie improbus, qui, teste Gellio, cum pro delectamento haberet, os hominis liberi manus suæ palma verberare, servum comitem habebat crumenam plenam assium portantem, & quemcumque depalmaverat, numerari statim secundum duodecim Tabulas 25. asses jubebat.

Verum plura mihi prodigorum exempla in medium proferre paranti, ecce repentina quædam cogitatio velut insperato impetu propositum abrupit. Quid juvat discinctorum nepotum, effuse ac temerarie bona pecuniasque spargentium cohortes, in arenam educere? an non is mos jam incesserat, ut homines adolescentuli sua atque aliena consumere, nihil libidini atque aliis rogantibus denegare, pulcherrimum putarent? Desistam igitur & verbum non amplius addam, ubi Satyrici verba apposuero, qui luxuriantis Romæ & lascivientis immodicos sumptus, admiratus in hæc verba prorumpit, *Juvenalis Satyra 7.*

*Sed finem impensæ non servat prodiga Roma.*

Cui dicto affine illud & propinquum Senecæ ad Lucil. *Non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter potest vivere; non ego sumptuosus sum, sed urbs ipsa magnas impensas exigit.* Quid multis? splendor ille atque magnitudo urbis Romanæ ad magnificas, imo prodigas impensas, civium animos incitare videbatur, sed quam dolendo exitu terminata fuerit sæpius nefaria hominum adolescentum prodigalitas, quis adeo in rebus Romanis peregrinus qui hæc ignoret? Hoc enim immane vitium juventutem patriis opibus eversam ac dirutam, ad extrema quæque facinora incendit. Quid sceleratius Catilina, quem egestas ex summa bonorum ac profusa largitione comparata, intra ipsa patriæ viscera, ad impias cædes, machinandumque urbis exitium impulit? Qui flagitiosi hominis hujus socii operumque ministri? *Quicunque impudicus*, (inquit Sallustius) *adulter, ganeo, manu, ventre, pene, bona patria dilaceraverat, quique alienum æs grande conflaverat, quo flagitium aut facinus redimeret.* Taceo nonnullos genere majorumque splendore ac titulis clarissimos, qui per luxum opibus consumptis ad artem scenicam se abjecerunt, artem, inquam, eam quam infima Quiritium, aut Græculorum fæx exercebat. Testis Satyricus, qui in ejusmodi homines acerbe invehitur Satyra octava, (*vide Juvenal. ibi, qui & in arenam eos descendisse scribit*)

*Consumptis opibus vocem, Damasippe, locasti*
*Sipario, clamosum ageres ut phasma Catulli.*
*Laureolum velox etiam bene Lentulus egit,*
*Judice me, dignus vera cruce.* ——

Facessant igitur ii omnes qui paternis bonis devoratis, Scyllæo æris alieni in freto ad columnam adhæserunt, en alium, opes fortunasque suas cito decoquendi modum, aleæ lusus in damna ingenuorum invexit: quem Germanos (*Tacit. lib. de Moribus German.*) cum tanta perdendi lucrandive aviditate exercuisse ferunt, ut cum omnia defecissent, extremo & novissimo jactu, de libertate & corpore contenderent. Romani an libertatem corpusque suum unius tali fortuito jactui commiserint, certe asserere & affirmare non possum; illud audacter habeo dicere, eos ingentem opum vim temerario aleæ casu profudisse. Innuit alibi Juvenalis, (*Sat. 1.*)

—— *simplexne furor sestertia centum*
*Perdere. Id est, duo millia 250. Coronatorum.*

Pauca hæc & modica, liberalius indulsit Nero: *qui quadringentis in punctum HS. aleam lusit.* Augustus apud Suetonium quid perdiderit in foro aleatorio, scribit Tiberio, *Sueton. cap. 7. Nos, mi Tiberi, Quinquatriis satis jucunde egimus: lusimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calefecimus. Frater tuus magnis clamoribus rem gessit, ad summam tamen perdidit non multum, sed ex magnis detrimentis præter spem paulatim retractus est. Ego perdidi viginti millia nummum meo nomine.* Execrandus longe detestandusque est Caligula, qui exhaustus & egens, nec ex aleæ lusu quidem compendium spernens plus mendacio atque perjurio lucrabatur. Nobilitatem Romanam aleæ plus nimio deditam, vel illud Satyrici demonstrat, *Juvenalis Sat.* 8.

—— *effigies quo*
*Tot bellatorum, si luditur alea pernox*
*Ante Numantinos?* ——

Et idem auctor, egregius profecto morum Censor Satyra 1. inquit:

—— *alea quando*
*Hos animos, neque enim loculis comitantibus itur*
*Ad casum tabulæ, posita sed luditur arca.*

Omnium nihilominus aleam studiosissime lusit Claudius Imperator, de cujus arte librum quoque emisit, solitus etiam in gestatione ludere, ita essedo alveoque adaptatis, ne lusus confunderetur. Adi Sueton. *cap.* 33.

Aleæ nimium studium reprehendit Tullius in Antonio Triumviro, quem vide Philippica 2. illo loco: *Licinium Lenticulam de alea condemnatum, collusorem suum restituit, &c.* Ammianus Marcellinus lib. 18. de sui temporis aleatoribus scriptum reliquit: *Quidam ex his, aleatorum vocabulum declinantes, ideoque cupientes se appellari tesserarios, inter quos tantum differt, quantum inter fures & latrones. Hoc tamen fatendum est, quod quum omnes amicitiæ Romæ tepescant, aleariæ scholæ quasi gloriosis quæsitæ sudoribus sociales sunt.* Nec miror, similitudo morum amicitias parit. Verum tamen fluxa instabilisque societas inter homines ejusmodi: si enim fors uni non faveat, invidia iram concitat, hæc furorem, furor ad arma impellit, interim facile in pristinum amorem coalescunt. Plura de lusu aleæ vide in *D. lib. 2. & C. 3. Tit.* 15. Ludum hunc a Lydis inventum fuisse, memini me observasse apud Herodot. *lib.* 2.

Decoctores atque aleatores, Magistratuum publica avaritia sequatur. Avaritia latentium indagatrix, lucrorum, manifestæ prædæ avidissima vorago est, quæ eo intolerabilior graviorque, quo arctius Magistratuum animos complexa est. *Caput enim est*, inquit Tullius, 2. *Officiorum. in omni procuratione negotii & muneris publici, ut avaritiæ pellatur minima suspicio.* Nescio quid hic primum dicam & unde telam hanc texere exordiar, num fortissimorum Imperatorum abstinentiam singularem deprædicabo, qui magis hostium spoliis, quam sociorum atque amicorum Populi Romani pecuniis, domum suam ornari honestarique voluerunt: num id temporum illorum felicitati adscribam, aureaque & Saturnia vocabo, quæ viros illos tam sanctos, tam religiosos, tam denique innocentes humani

generis bono protulerunt. Eorum etenim posteritatem dum cogitatione complector, heu quam degener extitit! Video vexatas sæpius perturbatasque Provincias, expilatos amicos ac socios Populi Romani, vectigalibus tributisque exhaustos. Non mea igitur voce hæc omnia deplorabo, verum eorum ipsorum, qui tam misera ætate, incredibilem Magistratuum avaritiam, siccis oculis spectare non potuerunt: *Non peculatus ærarii factus est, neque per vim sociis ereptæ pecuniæ, quæ quanquam gravia sunt, tamen consuetudine jam pro nihilo habentur*. Loquatur jam ipsa eloquentia Romana Tullius, ac Magistratus insanum quæstus studium, gravissime accuset, 2. *Officiorum*. *Nondum centum & decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis a Pisone lata est lex, nulla antea cum fuisset, ac vero postea tot leges & proximæ quæque duriores, tot rei damnati, tantum Italicum bellum propter judiciorum metum excitatum, tanta sublatis legibus ac judiciis expilatio direptioque sociorum, ut imbecillitate aliorum, non nostra virtute valeamus*. Quid his dici cogitarique potest disertius? Omnium hic mentes facile conquiescere deberent, ni mihi sese ultro ingereret Satyricus, qui ad suam expromendam querelam, in causa eadem nullo modo amoveri ac excludi debet, *Sat*. 8.

*Expectata diu tandem Provincia cum te*
*Rectorem accipiet, pone iræ frena, modumque*
*Pone & avaritiæ, miserere inopum sociorum,*
*Ossa vides, rerum vacuis exhausta medullis.*

Elegantissimo loquendi modo, rapinas Magistratuum expressit hoc ultimo versu. Nec mirum cur exhausta medullis ossa dicat: nam, ut ait Euripides,

*Pecunia est sanguis, & anima hominibus, qui eam non habet,*
*Is tanquam mortuus ambulat inter vivos.*

Et hominem devorari dicimus, cujus patrimonium devoratur. Hinc illud manavit *exsugere, excoriare, corradere, deglubere, exossare*. Persus Sat. 6.

*Exossatus ager juxta est*. ——

Id est, enervatus & exhaustus largitione. Quæ omnia verba Latini ad avarum, & nimium cum damnoque civium acquirendæ pecuniæ studium, transtulerunt. Simili verum paulo acutiori dicterio usus est Orator Romanus in Epistola 1 ad Atticum lib. 6. quo graviter perstringit in administranda Provincia avaritiam Appii: *Ut si medicus, cum ægrotus alii medico traditus sit, irasci velit ei medico qui sibi successerit, si quæ ille in curando constituerit, mutet ille: sic Appius cum ἐξ ἀφαιρέσεως*, id est, *per abstractionem, provinciam curarit, mihi tradiderit enectam; προσανατρεφομένην*, id est, *recreatam, videlicet ex morbi diuturni macilentia refectam eam a me non libenter videt, sed modo succenset, modo gratias agit*.

Prosequatur querelam suam intermissam Juvenalis, qui inquit, non tantam debellatis gentibus prædam egisse fortissimos duces ac Imperatores Populi Romani, suasque illos hostibus divitias ac ornamenta reliquisse, quæ insana Præfectorum avaritia immanissime rapuit ac dispersit, *vide hanc Satyram*.

*Non idem gemitus olim, neque vulnus erat par*
*Damnorum, sociis florentibus, & modo victis*. &c.

Quam in sententiam videtur mihi quidpiam alibi dixisse Sallustius, *in Catilina*. *At hi contra ignavissimi homines, per summum scelus omnia ea sociis ademere, quæ fortissimi viri victores hostibus reliquerant*. In hanc projectam Prætorum avaritiam, qui civitatibus copiosis & locupletibus, propter diripiendi cupiditatem, bellum sine causa sæpe inferebant, & a sociis ipsis tabulas, signa, emblemata Corinthiaca, atque ejusmodi elegantiorum hominum delicias, per vim & imperium auferebant, eximius est & acutus Varronis jocus, quem emendatum olim, a magni nominis viro sic profero: *Sociis es hostis, cum sociis bellum ita geris, ut bella omnia domum auferas*. Cujus jocosi dicterii lucem pete ab illustri litterarum Phœbo Justo Lipsio Variar. Lection. *lib*. 1. *c*. 9. Denique rari dissoluto illo ævo Præsides, quorum continentiam publica populorum suffragia approbarent: documento est Asia quæ inter tot Præfectos unum solum Q. Mutium reperit, cui ob singulariter administratam Provinciam, diem festum dicavit, & ab ejus nomine *Mutium* appellavit, teste Asconio Pædiano in Verrinis.

Memoriæ prodiderunt viri prudentissimi, *Plutarchus in ejus vita*, Themistoclem summum illum Græciæ Principem, cum ad cogendas pecunias Insulas fœderatas obiret, dicere solitum: Duos ad vos ago Deos, Vim & Suasionem. Inde Andrii poscenti Themistocli (teste Herodoto *lib*. 8.) pecuniam denegantes, eique alleganti, Athenienses illuc ire duobus magnis Numinibus fretos, Suadela & Necessitate, responderunt: *Athenas merito esse magnas & opulentas, quippe quæ utilibus Deabus bene instructæ sint: at vero Andrios solum inopes incolere, duasque inutiles Deas nunquam Insulam ipsorum relinquere, Paupertatem videlicet & Impossibilitatem, quæ Deæ quum Andriis obtigissent, non esse daturos pecuniam*. Quæ omnia considerans, video id quoque maxime usitatum fuisse Proconsulibus, Præfectis, Legatis Romanorum, ut dum ad cæteras Provincias, imperio suo ac regimini demandatas, concederent, hoc satellitio comitati, sociis atque provincialibus terribiliores existerent. Hos ego Themistoclis Deos adduxisse secum existimo Verrem in Siciliam, cujus furta, prædas, ac flagitia sempiternæ infamiæ tabulis consignavit. His Numinibus confisus Dolabella, Asiam opulentissimam totius universi partem vexavit & afflixit, quem Scaurus repetundarum accusavit damnavitque. His fretus subsidiis Antonius multos Reges bonis omnibus fortunisque exuit, & immaniter spoliavit. Extitit & alter Antonius huic non absimilis, de quo Asconius Pædianus: *Hunc Antonium Censores sexennio quam hæc dicerentur, senatu moverunt, causasque subscripserunt, quod socios diripuerat: multos enim in Achaja spoliaverat*. Præterea Capitonem Cossutianum, qui Tigellini gener, ejusque precibus in ordinem Senatorium ascitus, post ob Ciliciam expilatam, cui præfuerat, repetundarum damnatus fuit. Omitto Marium, qui ut cum Satyrico dicam, (*de his hominibus vide Juvenalem Satyra* 8.)

—— *tenues nuper discinxerat Afros*,

is damnatus quidem, sed inani judicio: nam judices (quanta & judiciorum iniquitas!) 100 millia quæ rapuerat, ærario inferenda censuerunt, quæ summa accusanti potius Provinciæ, quam fisco jure æquissimo debebatur. Notat id & graviter incusat Juvenal. Satyra 1.

—— *quid enim salvis infamia nummis?*
*Exul ab octava Marius bibit, & fruitur Dis*
*Iratis, at tu victrix Provincia ploras*.

Idem acerbe Satyra 8. carpit:

—— *sed quid damnatio confert,*
*Cum Pansa eripiat, quicquid tibi Natta reliquit?*

A Illud magis accedit incommodum, Proconsules & Præfecti ducebant secum in Provincias, non comites tantum ac servos, avaro ac sordido quæstui deditos, verum & uxores quæ maritos suos ad expilationem sociorum, ac provincialium, vel incitarunt, vel adjuverunt.

Tangit id alibi Juvenalis, *Satyra* 8.

*Si tibi sancta cohors comitum, si nemo tribunal*
*Vendit accersecomes, si nullum in conjuge crimen,*
*Nec per conventus & cuncta per oppida curvis,*
*Unguibus ire parat nummos raptura Celæno.*

B Atque eam ob causam Augustus apud Suetonium cap. 24. *Nec legatorum cuiquam nisi gravate, hybernisque mensibus permisit uxorem invisere.* Verum is legis a se latæ immemor, totum pæne Orientem & Occidentem, peste illa ac pernicie Cæsarum Livia comitante, peragravit. Germanicus Agrippinam per Germaniam, Ægyptum, castra etiam ipsa secum circumduxit. Pristinam Augusti legem, quam aliquorum Principum indulgentia remiserat, intendere acrius in animo habebat Severus Cæcinna, multaque eam in rem præclare & copiose locutus, egregiis rationibus suam stabilivit & confirmavit sententiam, quæ a Valerio Messalino, Messalæ magni Oratoris filio magis elusa, quam expugnata C est. Prudenter vero cum de sexu muliebri Cæcinna dissereret, addidit & illud inter cætera, *apud Tacit. 3. Annalium. Cogitarent ipsi quoties repetundarum aliqui arguerentur, pura uxoribus objectari.*

Quid? an & illud mediocre est ad declarandam Romanorum Magistratuum avaritiam, quod de Jugurtha capitali Imperii illius hoste proditum accepimus? Is Senatum sacrosanctum Patrumque curiam, quam undique huc usque innocentia adamantina velut robore tutata fuerat, religio ac continentia muniverat, quam (inquam) nullis consiliis, nulla vi, nullis denique armis expugnari posse confidebat, Jovem imitatus aureo imbre perpluit, post veterem illam probitatem, castam & intemeratam D turpissime violavit.

Extremum est quod jam dicturus venio, fœdam hanc Præfectorum ac Magistratuum avaritiam, Augusto Monarchiæ callide inhianti, primum velut aditum ad summum Imperii culmen patefecisse. Observat id Tacitus 1. Annal. ut qui in ejusmodi rebus annotandis sedulus ac perspicax, & scribit: *Neque Provinciæ illum rerum statum abnuebant, suspecto Senatus Populique imperio, ob certamina Potentium, & avaritiam Magistratuum, invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur.* E Atque ob eam causam Aristoteles vir omnibus præstans ingenio, & in Philosophia prope singularis, inter cæteras Reipub conservandæ cautiones, illam profecto maximam & præcipuam tradit, ne ex Magistratibus & Imperiis qui præsunt lucrum facere studeant. Verba ejus sunt lib. 5. Politic. cap. 8. *In omni autem Republica maximum est, & qua legibus, & qua alia descriptione, ita ea esse temperata, ut Magistratus ex ea quæstum facere nequeant.* Ad quem locum Philosophi respexit, ut existimo, Tullius Offic. II. *Nullum igitur vitium est tetrius avaritia, præsertim in principibus & Rempublicam gu*F*bernantibus: habere enim quæstui Rempub. non modo turpe est, sed sceleratum etiam & nefarium. Itaque quod Apollo Pythius oraculo edidit, Spartam nulla re alia nisi avaritia perituram esse, is videtur non solum Lacedæmoniis, sed & omnibus opulentibus populis prædixisse.* Quocirca omnibus Rempublicam administrantibus illud Adriani Imperatoris dictum, cordi animoque fixum debet, quem sæpius dicere solitum ajunt, (*Spartianus in ejus vita*) *Ita se Rempublicam gesturum, ut populi rem esse sciret, non propriam.*

Hactenus de publica avaritia, de privata paucis dicere aggrediar. Per fas & nefas opes divitiasque conquirere, hoc vero jam omnium pæne specimen erat. *Juvenalis Satyra* 1.

*Criminibus debent hortos, prætoria, mensas,*
*Argentum vetus, & stantem extra pocula caprum.*

Suggerit & Martialis quasdam artes pecuniosas:

*Artes discere vult pecuniosas,*
*Fac discat citharœdus aut choraules.*

Quid ita vero? Jam enim citharœdi filios magnarum familiarum docebant fidibus, quod & Juvenalis Satyra 7. innuit, dicitque illorum longe uberius esse lucrum, quam Sophistarum & Causidicorum:

—— *tenta,*
*Chrysogonus quanti doceat, vel Pollio quanti*
*Lautorum pueros.* ——

Idem Poeta notat sic animos quorundam avaritia & cupiditate insatiabili depressos extitisse, ut ad infima quæque servitia & operas, non difficulter prolaberentur, Satyra III. sic inquit:

*Queis facile est ædem conducere, flumina, portus,*
*Siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver,*
*Et præbere caput domina venale sub hasta.*

Non silebo hic & hæredipetas, seu illos vultures, qui amico ægro assidentes, cadaver summo cum desiderio expectarunt. Aliena etenim dominia hæreditatesque captare, is vero certissimus conquirendarum divitiarum modus Romanisque usitatissimus. Lepide Horatius Satyra 5. lib. 2. inducit Ulyssem Tiresiæ umbram alloquentem apud inferos, seduloque sciscitantem, quo pacto amissas naufragio opes repararet: respondet Poeta sub persona Tiresiæ, egregie hæredipetas castigans, & modum captandarum hæreditatum edocens:

—— *captes astutus ubique*
*Testamenta senum, neu si vafer unus & alter*
*Insidiatorem prærosо fugerit hamo,*
*Aut spem deponas, aut artem illusus omittas.*

Modum vero aucupandæ senilis gratiæ hunc præscribit:

*Accipe, qua ratione queas ditescere: turdus*
*Sive aliud privum dabitur tibi, devolet illuc,*
*Res ubi magna nitet domino sene, dulcia poma*
*Et quoscunque feret cultus tibi fundus honores,*
*Ante Larem gustet venerabilior Lare dives.*

Sic ii homines cano capiti parabant voltorium, ut inquit Catullus. *Vide Juvenalem Satyra* 6. ubi de captatore macello ait.

Ne vero sigillatim omnia referam, testis sit iterum Lyricus vates, qui oblique Romanorum avaritiam notat Epistol. 1. lib. 1. cum inquit:

*Vilius argento est aurum, virtutibus aurum.*
*O cives, cives, quærenda pecunia primum est,*
*Virtus post nummos, hæc Janus summus ab imo*
*Prædocet, hæc recinunt juvenes dictata, senesque*
*Lævo suspensi loculos tabulamque lacerto.*

Idem Poeta acerrime flagellat Romanos, qui pæne cum lacte materno, pueris quæstus turpiter faciendi rationem instillabant, & ad Flavii cujusdam fœneratoris ludum mittebant, inquit is Satyra 6. lib. 1.

*Causa fuit pater his qui macro pauper agello,*
*Noluit in Flavi ludum me mittere, magni*
*Quo pueri magnis e Centurionibus orti,*
*Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto,*
*Ibant octonis referentes idibus aera.*

Carpit iterum & Carmin. lib. 3. Ode 24. avaros per scelera ad opes divitiasque grassantes:

*Magnum pauperies opprobrium jubet*
*Quidvis, & facere, & pati:*
*Virtutisque viam deserit arduae.*

Mirari tamen non possum satis, quod ejusmodi hominibus qui avaro quaestu sordidove lucro aggregant pecunias, curtae nescio quid semper absit rei.

Consideranti vero mihi atque exactiore mentis trutina examinanti, quaenam res potissimum civium animos ad tam foedum accumulandarum opum studium incitet ac impellat, subiit in memoriam, id plerumque tunc accidere & evenire, cum in Republica paupertas probro haberi incipit, divitiis vero omnes honores ac dignitates conferri consueverunt. Testis mihi sit ante alios Historicorum antesignanus Crispus Sallustius, qui summae atque incredibilis Romanorum avaritiae hanc rationem assignat, *in Catilinar. Postquam divitiae honori esse coeperunt, & eas gloria, imperium, potentia sequebatur, hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci coepit: igitur ex divitiis, juventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere, rapere, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere, pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi neque moderati habere.*

Quid enim dicam de honoribus atque officiis, ad quae jam nonnisi divitibus ac opulentis aditus patebat? Notat Plutarchus in Caesare Julio, tantam fuisse tunc publicorum morum labem & κακοπολιτείαν, ut candidati palam in comitiis nummarias mensas ponerent, & populi suffragia redimerent. Observat & Suetonius de eodem Imperatore, quem in petitione consulatus Lucejum sibi competitorem adjunxisse scribit, pactumque, ut quoniam is inferior gratia esset, pecuniaque polleret, nummos de suo, communi nomine per centurias pronuntiaret. Sed Plutarchum tantisper audiamus, inquit ille: *Nam qui honores principatusque petebant, omni abjecta prorsus verecundia, epulum publice, largitionesque distribuebant in populum. Quapropter corruptum mercede populum cerneres, non suffragiis, sed arcu, gladio, fundaque pro largitore decertantem, & tribunalia saepenumero sanguine cadaveribusque foedantem.*

Idem perstringit disertissimus vates Lucanus:

*Hinc rapti fasces pretio, sectorque favoris*
*Ipse sui populus, lethalisque ambitus urbi,*
*Annua venali referens certamina campo.*

Huc facit & illud elegantissimum Petronii Arbitri carmen, quo, ita me Dii ament, nullum unquam feliciori calore effusum:

*Nec minor in campo furor est, emptique Quirites*
*Ad praedam strepitumque lucri suffragia vertunt.*
*Venalis populus, venalis Curia, Patrum*
*Est favor in pretio, senibus quoque libera virtus*
*Exciderat, sparsisque opibus conversa potestas,*
*Ipsaque Majestas auro corrupta jacebat.*

Verum & ipso etiam Imperatorum aevo, opulenti ad Magistratus atque officia perrumpebant. Ovid. 1. Fast.

*In pretio pretium nunc est, dat census honores,*
*Census amicitias, pauper ubique jacet.*

Inde Plinii querela promanavit in prooemio lib. 14. *Postquam Senator censu legi coeptus, Judex fieri censu, Magistratum Ducemque nihil magis exornare quam census, pessum iere vitae pretia, omnesque a maximo bono liberales dictae artes ceciderunt.* Martialis lib. 5. Epigram.

*Semper eris pauper, si pauper es, Aemiliane,*
*Dantur opes nulli nunc nisi divitibus.*

Omitto haec, nec latius diffundor: festinat enim ad alia calamus. concludo Propertii versu *lib. 3. Eleg. 12.* quo sui temporis mores argute denotat. num ad nostra quoque saecula detorqueri jure possit, suum cuique relinquo judicium.

Scribit ille:

*Aurea nunc vere sunt saecula, plurimus auro*
*Venit honos, auro conciliatur amor.*
*Auro pulsa fides, auro venalia jura,*
*Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.*

## CAP. IV.

*Ab exteris nationibus Luxus frequenter importatur. Quando Luxus maxime Romae inceperit. Ex Asia is allatus. Asiam plurimis gentibus exitio fuisse dictum obiter. Romanorum Ducum primus in Asiam trajecit L. Scipio. Triumphus illius victo Antiocho & continentia summa.*

Ab immensa auri opumque variarum copia, & affluentia turpissimum luxuriae vitium nasci, cuilibet esse compertum mihi certo persuadeo. Verum illud quoque magistra comprobavit experientia, permulta Imperia externarum nationum velut pestifero attactu infecta, tetrum luxuriae virus in suas medullas attraxisse, quod mox tralatitia contage totum Reipub. corpus labefactavit.

Habet enim hoc victorum animus, ut peregrinarum gentium non praedam tantum opimaque spolia rapiat, sed in earum quoque ingenia facile degeneret, ac novitatis appetens, externis moribus decoloretur. Extant aeternumque extabunt fortissimorum Ducum exempla, Alexandri Macedonis, & Annibalis, quorum ille, ubi Persicis moribus adhaesit, Macedonicum robur omnemque animi vigorem suo cum periculo exuit: hunc Campania illecebris suis complexa, vincendum Romano militi tradidit. Atque ne commemorandis exemplis immorer, hinc factum mihi videtur, quod legum conditores divinissimi, cives a commerciis exterarum gentium arcuerint, & peregrinationes severissimis edictis prohibuerint: viderant etenim ex variarum gentium colluvie, homines inter se misceri, patria instituta ritusque deseri, leges immutari, luxum irrepere, denique in summum discrimen Rempublicam perduci. Quare praeclarum sapientissimi legislatoris Lycurgi institutum fuisse existimio, qui teste Plutarcho *in ejus vita.* postquam artes inutiles ac supervacaneas urbe ejecisset, ex peregrinis mercibus emi quidquam vetuit, neque onus quodpiam a mercatoribus invehi passus est. Exponit ejus rei rationem elegantissimus Xenophon, in libello de Repub. Lacedaemon. videlicet ne ignavia & languore cives peregrinorum commercio inficerentur. Insolita olim nonnullorum animos defixit admiratio, diligentiusque coegit inquirere, quid causę, cur Romani, qui universum fere orbem terrarum subjugarant, postquam in Galliam & Germaniam victrices saepius aquilas transportarunt, easque gentes lacessere & irritare ausi sunt, tot clades acceperint, ut maximis copiis, fortissimisque legionibus, ad internecionem profligatis, non jam de gloria,

ſed de Imperio dimicare cogerentur. Non enim illis cum imbelli Oriente ſigna conferenda erant, ſed iis cum hominibus, quos non emolliverat cœli clementia, non exterarum gentium luxurioſa contagio effœminarat. Fortitudinis eorum ingentiſque roboris, aſſignat cauſam Cæſar in ſuis Commentar. *lib. 1. de bello Gal.* ubi de Belgio ait, qui populi tunc Galliæ pars erant: *Horum*, inquit, *fortiſſimi ſunt Belgæ, propterea quod a cultu atque humanitate provinciæ longiſſime abſunt, minimeque ad eos mercatores ſæpe commeant, atque ea quæ ad effœminandos animos pertinent, important*. Idem de Nerviis *lib. 2. Nullum aditum eſſe ad eos mercatoribus, nihil pati vini reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri, quod his rebus relangueſcere animos, eorumque virtutem remitti exiſtimarent*. Tacitus de Germanis, *lib. de morib. Germ. Ipſos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium adventibus & hoſpitiis obnoxios*.

Quapropter Plato 4. *de Leg.* civitatem ſuam octoginta ſtadiis a mari revocat, eique Reipublicæ, quam animo cogitationeque complectitur, maris vicinitatem commerciumque pernicioſum fore judicat. Quæ ſapientiſſimi viri ſententia num communi omnium ſuffragio ſit comprobanda, hactenus diſſerere alienum a propoſito meo duxi. Illud mihi jam dixiſſe ſufficiat, pleraſque gentes peregrinis moribus imbutas, ad earum luxum ſimul & vitia præcipitu gradu tranſiiſſe. *vid. Ariſt. 7. Politicorum cap. 6.*

Ac ne multis agere videar, Reſpublica Romana victis & proſtratis tot gentibus, in earum mores ſubito conceſſit, luxuque externo labefactata, priſtinum vigorem animi perdidit. Verum antequam dicere incipiam, quæ orbis pars, bellicoſam illam atque Martiam gentem illecebris ſuis & voluptatibus infecerit, præfabor primum, quo tempore in civitatem blanda peſtis irrepſerit.

Populus Romanus ſublato ęmulę urbis metu primum inſoleſcere cœpit, frænumque depulit, quod illi generoſa majorum virtus impoſuerat. Salluſtius in Catilinar. *Ubi Carthago Imperii Romani ęmula ab ſtirpe interiit, cuncta maria terræque patebant, fortuna ſævire ac miſcere omnia cœpit, qui labores, pericula, dubias atque aſperas res facile toleraverant, iis otium, divitiæ, optandæ aliis, oneri miſeriæque fuere.*

Vellejus amœniſſimus Hiſtoricorum, librum ſecundum ita exorditur: *Potentiæ Romanæ prior Scipio viam aperuerat, luxuriæ poſterior aperuit, quippe remoto Carthaginis metu, ſublataque Imperii æmula, non gradu, ſed præcipiti curſu a virtute deſcitum, nova diſciplina inducta, in ſomnum a vigiliis, ab armis ad voluptates, a negotiis in otium converſa civitas*. Similis & alter locus apud Salluſtium reperitur in fragmentis: *Poſt remotum metum Punicum, majorum mores non paulatim ut antea, ſed torrentis modo præcipitatos, adeoque juventutem luxu & avaritia corruptam eſſe, ut merito dicatur, eos genitos, qui neque ipſi poſſint habere res familiares, neque alios pati.*

Atque hoc eſt omnium Rerumpublicarum fatum, ut dum hoſtilium incurſionum crebro impetu vexantur & agitantur, earumque cervicibus inimicus enſis impendet, tum omni virtutum genere, fortitudinis, continentiæ, laboris effloreſcant; at ſublato illo ſuperatoque metu, remiſſis & laxatis habenis, in luxum, otium, ac deſidiam ferantur. Præclare olim diſſeruit celeberrima Græciæ Suada Demoſthenes, qui in Olynthiaca ſua inquit: *Ut in corporibus noſtris dum valet aliquis, nullum dolorem ſentit e partibus affectis; cum autem morbus ſupervenit, omnia commoventur, ſive ruptura, ſive laxatio, ſive alia imbecillitas ſit: ita res habet in urbibus ac Regibus, qui donec foris belligerant, mala ſua ſecreta habent; ubi vero vicinum bellum conflatum eſt, omnia aperiuntur & eluceſcunt*. Documento ſit & illa affectatrix Imperii Græcia, quæ (*Horatius Epiſt. lib. 2. Epiſt. 2.*)

*Ut primum poſitis nugari —— bellis*
*Cœpit, & in vitium fortuna labier æqua,*
*Nunc Athletarum ſtudiis, nunc arſit equorum,*
*Marmoris aut eboris fabros, aut æris amavit:*
*Suſpendit picta mentem, vultumque tabella:*
*Nunc tibicinibus, nunc eſt gaviſa tragœdis.*

Prudentiſſime Tullum Hoſtilium quartum Romanorum Regem feciſſe ferunt, *Livius libro 1.* qui ne luxuriarent animi otio, quos metus hoſtium militiaque continuerat, ſeneſcere civitatem deſidia ratus, undique excitandi belli materiam quærebat. An non & ſententia Scipionis Naſicæ ſapienti conſilio nitebatur? qui dum cæteri Patres Conſcripti de delenda Carthagine agitarent, gravibuſque inter ſe diſceptarent rationibus, urbem illam inimicam ſervandam eſſe cenſuit, ne metu ablato æmulæ civitatis, luxuriari Romana felicitas inciperet. *Metus hoſtilis* (inquit Salluſtius) *in bonis artibus civitatem retinebat*.

Conſpirat in idem Satyricus dum ait:

*Præſtabat caſtas humilis fortuna Latinas*
*Quondam, nec vitiis contingi parva ſinebat*
*Tecta labor, ſomnique breves, & vellere Tuſco*
*Vexatæ duræque manus, ac proximus urbi*
*Hannibal, & ſtantes Collina turre mariti.*
*Nunc patimur longæ pacis mala, ſævior armis*
*Luxuria incubuit, victumque ulciſcitur orbem.*

Neque vero mirari quiſpiam debet, cur graviſſimi ac prudentiſſimi Romanarum rerum Scriptores, in finem belli Punici tertii initium luxus rejecerint, cum jam antea non leviter preſſa veſtigia ejuſdem in Urbe extiterint. Non enim illis animus fuerat, injectas primum luxuriæ ſcintillas monſtrare, verum illud tempus minime negligendum ſunt arbitrati, quo ignis ille male preſſus diſſimulatuſque ſummum incendium excitavit. Id autem contigit *Anno Urbis Conditæ* IↃ C.VII. cum Cn. Cornelio Lentulo & Mummio Achaico Coſſ. clari nominis dux Scipio, fatalem exſcindendis urbibus exercitum, ad evertendam duxit Carthaginem.

Progredior jam ad tertiam Capitis hujus partem, breviterque inquiro, unde luxus Romam advectus? Ne te morer, audi, ex Aſia. Illa illa eſt, ut inquit *Livius lib. 9. decade 4. amœnitate urbium, & copia terreſtrium maritimarumque rerum, & mollitia hoſtium, regiiſque opibus ditiores, quam fortiores exercitus faciebat*.

Neque vero tantopere quærendum videtur, cur Aſia ad enervandas vires fortiſſimorum exercituum permultum contulerit: ea enim univerſi pars eſt, quam cæteris longe amœniſſimam atque opulentiſſimam, frequens Hiſtoricorum & Geographorum conſenſus judicavit. Mithridates Rex Ponti apud Juſtinum lib. 38. ubi ad Romana ſeu Aſiatica bella milites cohortatur, plenis velis in Aſiæ laudem excurrit & inquit: *Nam neque cœlo Aſiæ temperatius eſſe aliud, nec ſolo fertilius, nec urbium multitudine amœnius, magnamque temporis partem, non ut militiam, ſed ut feſtum diem acturos, bello dubium magis facili, an uberi, ſi modo aut proximas Regni Attalici opes, aut veteres Lydiæ Ioniæque audierint*. Alter ille Orator Antiochi quid de Aſia ſenſerit, paucis apud Livium ediſſerit: *Jam pecuniam, jam alios belli apparatus referre, ſupervacaneum eſſe, ſcire ipſus abundaſſe ſemper auro regna Aſiæ*. Tullius quam eleganter, quam copioſe in Oratione ſua Manliana de Aſia diſſerit: *Aſia* (inquit ille) *tam opima eſt &*

*fertilis, ut & ubertate agrorum, varietate fructuum, & magnitudine pastionum, & multitudine earum rerum quæ ex ea exportantur, facile omnibus terris antecellat*. Quapropter Philosophorum facile Princeps Aristoteles lib. 7. Politic. cap. 7. de indole civium & ingenio, quo illi esse debeant, qui ad optimum Reipublicæ statum sint apti, tractaturus, homines sub Asiatico cœlo natos educatosque, animo quidem ingeniosos & artificiosos esse, inquit, sed molles, ignavos, & effœminatos, non ad imperandum, sed serviendum parendumque idoneos. Idem testatur Historiarum parens Herodotus lib. 9. ad finem, ubi introducit Artembatem quendam, suadentem Cyro, qui tunc imperium Asiæ adeptus erat, ut e regione exigua & aspera, suorum civium coloniam deduceret in meliorem & clementiorem. Cyrus acquievit quidem consilio, verum simul admonuit: *Se posthac præpararent non ad imperandum aliis, sed ad parendum: natura enim comparatum est, ut e mollibus regionibus molles viri existant, neve ex eadem terra admirandæ fruges, & egregii bello viri gignantur*.

Idem sensit disertissimus Romanorum Cicero, qui in Oratione quam pro Flacco dixit, elegantissimis verborum ac figurarum coloribus, ad vivum Asiatica ingenia depinxit: *Asia vestra* (verba Oratoris sunt) *constat ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia. Utrum igitur nostrum, an vestrum hoc vetus proverbium, Phrygem plagis fieri solere meliorem? Quid de tota Caria? nonne hoc vestra voce vulgatum est? si quid cum periculo experiri velis, in Caria id potissimum esse faciendum? Quid porro in Græco sermone tam tritum atque celebratum est, quam si quis despicatui ducitur, Mysorum ultimus esse dicatur. Nam quid ego dicam de Lydia? quis unquam Græcus Comœdiam scripsit, in qua servus primarum partium non Lydus esset*. O dicta aurea! ex quibus summi Oratoris venerandam majestatem facile agnoscas.

Quæ omnia eo animo a me dicta sunt de amœnissima hac atque ditissima universi parte, ut ostendam cœli illius clementiam, omniumque rerum abundantiam, auri argentique copiam, ferocissimis etiam nationibus fatalem extitisse. Quid gente Gallorum olim ferocius? universum orbem furentibus armis pervagati sunt, & quotquot sol Regna vidit, tot illi fortitudinis suæ erexerant tropæa. Quid illorum acie horridius? in qua cantus & horrendus armorum strepitus, omnia denique de industria ad terrorem composita visebantur. Verum ubi Galli Brenno duce Græciam vastaverant, mox Orientem secuti in media etiam parte Asiæ sederant, ut frugum semina mutato solo degenerant, sic illa genuina feritas eorum, Asiatica amœnitate mollita est, *Florus lib. 2. cap. 12.* Ac ubi in Orientis plagam migrarunt, nomen etiam mixtum Gallogræcorum retinuerunt. Pugnaturus olim cum ea gente Cn. Manlius Consul, fortitudinem illius his rationibus elusit, *apud Livium libro 8. dec. 4. Eosdemne hos creditis esse, qui patres avique eorum fuerant? extorres, inopia agrorum, profecti domo per asperrimam Illyrici oram, Pæoniam inde & Thraciam pugnando cum ferocissimis gentibus emensi, has terras ceperunt, quæ copia rerum omnium saginarent. Uberrimo agro, mitissimo cœlo, clementibus accolarum ingeniis, omnis illa, cum qua venerant, mansuefacta est feritas*. De Gallis ridiculum quidpiam legere me memini apud Plutarchum in vita Camilli, quod hic παρέργως addam. scripsit is: *Tunc fama est, primum gustantes vinum ex Italia delatum, sic illius admiratione ac novitate suavitatis amentes factos esse omnes, ut collectis armis sumptisque filiis ad Alpes concesserint, quæsiverintque eam terram, in qua hujusmodi fructus oriretur, aliam autem infructuosam atque immitem arbitrabantur*. Hæc Plutarchus ex veteri fama, cui si vultis, credite posteri. Ad Scythas venio, gentem bellicosissimam & antiquissimam, utpote quæ de vetustate cum Ægyptiis certare non dubitavit. Schytæ Regum Orbisque terrores, (*de his vide Gregor. lib. 2.*) occupata Mesopotamia, tertio anno postquam Jaxarten fluvium trajecerant, & a popularibus suis avulsi Asiam inferiorem sibi vindicarant. Tum ibi quietissima sede electa, provinciis, urbibus, ædibus, prædiis amœnissimis & delicatissimis inter se distributis, post auro pecuniaque affatim suppetenti adsueti, deinde in tot amœnitatibus versati, quas Assyriorum & Babyloniorum confinia suppeditabant, laborum obliti usque adeo luxuriari cœperunt, ut pristinæ vitæ rationem prorsus in contrarium commutarent. Has igitur gentes Asiatica mollicies effœminavit. Quocirca non immerito *Spartana civitas* (teste Valerio Max. *libro 2. cap. 5.*) *severissimis Lycurgi legibus obtemperans aliquamdiu civium oculos a contemplanda Asia retraxit, ne illecebris ejus capti ad delicatius vitæ genus prolaberentur. Audierant enim lautitiam inde, & immodicos sumptus, & omnia non necessaria voluptatis genera profluxisse. Rationem prudentissimi hujus instituti subjungit idem auctor: Ac minime mirum est, quod homines labore ac patientia gaudentes, tenacissimos patriæ nervos, externarum deliciarum contagione solvi & labefactari noluerunt, cum aliquando faciliorem virtutis ad luxuriam, quam luxuriæ ad virtutem transitum viderent. Quod eos non frustra timuisse dux eorum Pausanias patefecit, qui maximis operibus editis, ut primum se Asiæ moribus permisit, fortitudinem suam effœminato ejus cultu mollire non erubuit*.

Pro extremo Colophone addo verissimum esse illud Lucani:

*Quid quid in Eoos tractus, mundique teporem*
*Labitur, emollit gentes clementia cœli.*

Simile & Claudiani in Eutrop. lib. 1.

—— *auroram certe, quæ talia ferre*
*Gaudet, & assuetas sceptris muliebribus urbes.*

Externa hic exempla conticescant; illa illa terrarum, gentiumque Dea omnibus populis, quos utraque lampade Phœbus illustrat, æterno erit documento: quæ ubi in Asiam cives suos viros Martios ac impavidos, ad domandum subjugandumque Orientem transmisisset, quos armis horridos, disciplinæ tenacissimos e suis mœnibus emiserat, comptulos, laboris impatientes, luxuque solutos recepit. Meminisse Romanus debuerat, quod Cn. Manlius cum Gallogræcis signa collaturus, exercitui suo apprime commendatum esse voluerat, *apud Livium lib. 8. Decade 4. Vobis* (inquiebat ille) *mehercule Martiis viris cavenda ac fugienda quam primum amœnitas Asiæ est: tantum hæ peregrinæ voluptates ad extinguendum vigorem animi possunt, tantum contagio disciplinæ morisque accolarum valet*.

Luculentum gravis Historici testimonium, sed en aliud facundissimi Scriptoris, longe apertius. Livius is est, qui lib. 9 decad. 4 ad eum modum inquit: *Luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu Asiatico in Urbem invecta est. ii primum lectos æratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas, & alia textilia, & quæ tum magnificæ supellectilis habebantur, monopodia, & abacos, Romam advexerunt. tunc psaltriæ, sambucistriæque, & convivalia ludionum oblectamenta, addita epulis: epulæ quoque ipsæ & cura & sumptu majore apparari cœptæ. vix tamen illa quæ tum conspiciebantur semina erant futuræ luxuriæ*. Hactenus diserte Livius. Quod vero semina tantum futuræ luxuriæ fuisse asserit, est id in omnibus Rebuspub. facile usu & experientia comprobatum, *Vellejus libro 2.* non ibi consistere exempla, unde inceperunt

runt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissime evagandi sibi viam facere, & ubi semel a recto decrratum est, in præceps deveniri. Exercitus vero Romanus qui primus Asiaticam luxuriam in urbem reportavit, a milite Antiochi opulento, & lascivia castrensi Regum Asianorum, pestem hanc contraxit. Quæ enim major luxuria reperiri potuit, quam in castris Antiochi? *cujus exercitus*, teste Valer. Max. l. 9. cap. 2. *magna ex parte aureos clavos crepidis subjectos habuit, argenteaque vasa ad usum culinæ comparavit, & tabernacula textilibus sigillis adornata statuit, avaro potius hosti præda optabilis, quam ulla ad vincendum strenuo mora*. Copiosius ea de re Justinus libro 38. *Sed luxuriæ non minor apparatus quam militiæ fuit, quippe* LXXX. *millia armatorum secuta sunt*, CCC. *millia lixarum, ex quibus coquorum, pistorum, scenicorumque major numerus fuit. Argenti certe aurique tantum, ut etiam gregarii milites caligas auro figerent, proculcarentque materiam, cujus amore populi ferro dimicant, culinarum quoque argentea instrumenta fuere, prorsus quasi ad epulas, non ad bella pergerent*. Hunc olim exercitum auro argentoque splendidum, atque adeo effrænate lascivientem (*vide hac de re Gellium l. 5. c. 3. Plutarchum in Annibalis, & Scipionis comparatione.*) in campum eduxerat Antiochus; radiabant auratæ signorum cuspides, rigebant argento variegata arma, opereque cælata magnifico, suppara Babylonica acu depicta, & materiæ & artis geminabant pretia, equorum auratæ coruscabant phaleræ. aderat tunc Annibal, quem Rex percunctatus est: An hæ copiæ satis sibi viderentur. cui ille: Satis, inquit, esse credo Romanis hæc omnia, etsi avarissimi sint. Nesciebat ignavus Rex magnorum Ducum sententiam, qui statuerunt: *Horrendum esse militem debere, non cælatum auro argentoque, sed ferro & armis fretum. quippe illa prædam verius, quam arma esse nitentia ante rem, deformia inter sanguinem & vulnera*

Quæ cum ita sint, tanta prædarum opulentia ex tam divite exercitu reportata, jure merito Romanum militem in Asiaticam lasciviam luxumque Orientis adduxit.

Præteribo, quid jam ipsa illa cœli clementia profuerit, quid amœnitas ad militum animos luxu imbuendos. Restat ut unicum adhuc Flori testimonium ad exactiorem trutinam revocemus. *Syria* (inquit is *l. 3. c. 12.*) *victa prima nos corrupit, mox Asiatica Pergameni Regis hæreditas, illæ opes atque divitiæ afflixere sæculi mores, mersamque vitiis suis quasi sentina Rempublicam pessum dedere*. De Syria testis est Satyricus Satyr. III.

*Jam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,*
*Et linguam & mores, & cum tibicine chordas*
*Obliquas, nec non gentilia tympana secum*
*Vexit, & ad Circum jussas prostare puellas.*

Quo versu convincit aperte Juvenalis, non linguam tantum & mores ex Syria ad Romanam urbem venisse, sed & puellas quæstuarias invectas, quæ in Circo cæterisque locis Ædilem metuentibus, gluberent magnanimos Remi nepotes. Extat earum mentio apud Propertium libro II.

*Et quas Euphrates, & quas mihi misit Orontes,*
*Me capiant nolim furta pudica tori.*

Sed quod nomen his mulieribus inditum? Suetonius in Nerone c. 27. *Cœnitabatque nonnunquam & in publico Naumachia præclusa, vel Martio Campo, vel Circo Maximo, inter scortorum totius urbis ambubajarumque ministeria*. Ambubajas fuisse appellatas aperte convincitur. Clarius hoc nomen explicat vetus Scholiastes Horatii Satyræ II. l. I. ini-

A tio: *Ambubajæ dicuntur mulieres tibicinæ, lingua Syrorum. etenim Syris, tibia sive symphonia ambubaja dicitur*. De iisdem mulieribus capiendum esse arbitror veterem Scholiasten in Juvenalem, qui illum versum Satyræ II.

*Forsitan exspectas, ut Gaditana canoro*
*Incipiat prurire choro,* ——

sic explicat: Id est, *speras forsitan, quod incipient saltare delicatæ ac pulchræ puellæ Syræ, quoniam de Syris & Afris Gadis condita est*. Verum ambubajarum nomen elegantissime explicuit immortale ævi sui decus Isaacus Casaubonus, in eruditissimis Notis
B ad Suetonium l. 6. c. 27. ubi eandem Spartam adornasse dicit Angelum Caninium, & Josephum Scaligerum.

Ad Florum revertamur: *Syria victa*, inquit, *prima nos corrupit*. Quid ita? Primus enim ex Asiaticis Regibus Antiochus Syriæ Rex, bellum contra Romanos movit, quem ad rumpendam pacem, impulit illinc Thoas Ætoliæ Princeps, inhonoratam apud Romanos quærens adversus Macedonas militiæ suæ societatem, hinc Annibal qui in Africa victus, profugus, & pacis impatiens, hostem Populo Romano toto orbe quærebat. Contra quem
C Syriæ Regem, primus Romanorum Ducum L. Scipio, cum Publio Scipione Africano fratre suo in Asiam trajecit, A. V. C. DLXIII. ubi & Antiochum celeberrima pugna debellavit, & ne cognomine fratri cederet, Asiatici nomen usurpavit. Sequitur Asiatica Pergameni Regis hæreditas. De qua Eutropius l. 4. Historiæ Romanæ. *Eo tempore Attalus Rex Asiæ frater Eumenis mortuus est hæredemque Populum Romanum reliquit, ita Populo Romano per testamentum Asia accessit*. Florus l. 2. c. 20. *Attalus Pergamenorum, Regis Eumenis frater, socii commilitonisque quondam nostri, testamentum reliquit: Populus Romanus bonorum meorum hæres esto*. Justinus
D l. 36. *In hujus locum* (Licinium Crassum intelligit) *missus Perpenna Consul, prima congressione Aristonicum superatum, in potestatem suam redegit, Attalicasque gazas, hæreditarias Populi Romani, navibus impositas Romam deportavit*. Eam hæreditatem Attali non jure adiisse Romanos occulte innuit Lyricus, *l. 2. Carminum, Ode* 18.

—— *neque Attali*
*Ignotus hæres Regiam occupavi.*

Demonstratum hactenus est, ex Asia luxum ad Romanam urbem devenisse, liquet jam, quis primus
E Imperatorum Asiaticis oris signa aquilasque intulerit, superest ut cujusnam ductu & auspiciis domita subactaque sit, inquiramus.

Vellejus Paterculus Historicorum alioquin non postremus, licet adulationis circa Tiberii tempora compertus, scriptum reliquit, Asiam a Perpenna tributariam esse factam. verba ejus l. II. hæc sunt: *Asiam Lucius Scipio Africani frater eripuit Antiocho sed beneficio Senatus Populique Romani mox ab Attalis possessam Regibus, M. Perpenna capto Aristonico fecit tributariam*.

Quidquid sit, varii varios exercitus ad debellan-
F dam Asiam duxere, plerasque gentes Asiaticas, Syriaci belli ruina involvit, solus Mithridates omnium Regum longe maximus & fortissimus, per quadraginta annos restitit, donec ad extremum tribus ingentibus bellis, felicitate Sullæ, virtute Luculli, magnitudine Pompeii consumptus est. *Sic Pompejo duce* (ait alibi Florus) *Populus Romanus totam qua latissima est, Asiam pervagatus, quam extremam Imperii habebat Provinciam, mediam fecit. Exceptis quippe Parthis, qui fœdus maluerunt, & Indis qui adhuc nos non noverant, omnis Asia inter Rubrum & Caspi-*

*um, & Oceanum Pompejanis domita vel oppreſſa ſignis tenebatur.*

Eapropter Pompejus cum ſocero bellum geſturus, ex Aſia quæ illi olim ingentes triumphos pepererat, auxiliares copias accerſivit, ibique ſe recepit, ubi olim favente fortuna, multoties victor evaſit. Sed quantopere erraverit, exitus demonſtrat, & præclare conſilium hoc Pompeii improbat, Joannes Bernardus Bonifacius, in epiſtola ſua ad doctiſſimum Philippum Camerarium ſcripta, ubi inquit: *Illud nunc dico, quam male ſibi conſuluit de loco, in quem ſe recepit, ne dicam occultavit. Quum enim tum in Græcia militaris diſciplina pœne omni extincta eſſet, quid auxilii ab inertibus & imbellibus erat ſperandum? Et quidem Cæſar quum poſt Pompeii excidium tam facile matureque Aſiam totam ſubegiſſet, non immerito irriſiſſe dicitur Pompeii de Mithridate victoriam: En inquiens, præclara gens, quam adeo Pompejus gloriari eſt ſolitus viciſſe.* Addit idem nobiliſſimus unaque eruditiſſimus vir: *Debebat igitur Pompejus ſi Romam deſerere ſtatuerat, potius in Hiſpaniam proficiſci, ubi & viri admodum bellicoſi erant, & ubi probe ſciebat diſciplinam militarem vigere, quippe qui ibi ſtrenue militaverat aliquoties, præſertim cum Metello contra Sertorium. Quod res ipſa perſpicue demonſtravit. Nam quum Cæſar ibidem feliciter ultimo prælio pugnaſſet, deſperatis jam rebus de conſciſcenda nece cogitavit. Quod ſi accidit cum Pompeii liberis, quid fuiſſet ſi cum ipſo Pompejo erat decertandum? præſertim ipſius belli initio, quum Cæſar tantas vires auctoritatemque nondum acquiſiverat.* Elegans ſane contemplatio Hiſtorica, atque ſi ejuſmodi plures ex Hiſtoricis eruerentur, monumentiſque litterarum conſignarentur, majori id cum emolumento totius Orbis foret, quam ſcripta nonnullorum, quæ cum Adoniis hortis jure comparare poſſemus.

Verum his poſthabitis, cogit me adhuc quidpiam dicere incredibilis illa ac immortalis Lucii Scipionis continentia, quam ego mirari ſatis nunquam potui, *Livius l.7.decad.4.* Regem ille Regum Aſiaticorum opulentiſſimum, felici prælio debellavit, in triumpho tulit eburneos dentes mille CCXXXI. aureas coronas CCXXXIV. argenti pondo CXLVII. millia, & CCCCXX. tetradrachmum Atticorum CCXXXIV. millia: ciſtophorum CCCXXXI. millia, & LXX. nummos aureos Philippeos CXL. millia: vaſorum argenteorum (omnia cœlata erant) mille pondo XXIV. & alia innumera. Is vir nihilominus Diis quam hominibus ſimilior, domeſtica invidia quam hac pecunia amplaque Aſiatica gaza locupletior evaſit. Atque ubi livida inimicorum æmulatione appetitus, repetundarum poſceretur, jamque in bona ipſius poſſeſſum publice quæſtores Prætor miſiſſet, non modo veſtigium nullum comparuit pecuniæ Regiæ, ſed nec tantum redactum eſt, quantæ ſummæ damnatus fuerat. *vide Valer. Max. lib.3. cap.7. Livium libro 8. Decade 4.*

Finio caput hoc Juſtini verbis, *libro 36. Sic Aſia Romanorum facta, cum opibus ſuis vitia quoque Romam tranſmiſit.*

## CAP. V.

*Signa, tabulæ, ab exteris nationibus reportatæ Romanos ad luxum accenderunt. A quo primum in Urbem illatæ? Græcos auctores fuiſſe Luxus paucis demonſtratur. Alexandrina claſſis ad augendam Luxuriam profuit. Ars una Romanis uſitata, populum cæteroſque potentiores facile Luxu diffluere ſinebant, quo melius in imperio continerentur.*

QUicunque laſcivientis Romæ luxum deplorant, omnes ab Aſia labem illam in mores patriamque fluxiſſe quiritantur. Non equidem eo inficias, pluribuſque id a me jam expoſitum eſt, verum nec aliæ Orbis partes extra culpam ſunt, quæ ſua quoque luxuria Rempub. illam florentiſſimam peſſum dedere. Poſtquam enim Romani non jam tantum circa matrem cum finitimis populis luctati ſunt, ſed ad mare trajiciendum animum vireſque adjecerunt, claſſeſque Ponto invehere cœperunt, opulentas Europæ regiones ingreſſi, luxum cum præda ſimul, ſigniſque exterarum gentium ſenſim invexerunt. Prudentiſſime haud ſpernendus auctor Polybius in opere ſuæ hiſtoriæ inquirit: Utrum ex utilitate ſua fecerint Romani, cum ſigna ornamentaque captarum urbium in patriam tranſportarunt. Atque eam rem minus recte & commode factam elegantiſſime comprobat. *Nam ſi* (inquit *libro 9.*) *ab hujuſmodi profecti inſtitutis, patriam ad hoc decus provexerunt, nemo dubitat idoneam fuiſſe cauſam, cur iſta domum tranſportarent: ſin autem ita eſt, ut ſimpliciſſimo vitæ genere uterentur, & ab hujus elegantiæ & magnificentiæ ſtudio abeſſent quam longiſſime, eos populos tamen ſuperarent, apud quos hujus generis res plurimæ erant & pulcherrimæ, quis neget peccatum debere cenſeri, quod tunc fecerunt.* Et ultra: *Nam quoties aliquis relictis Populi vincentis inſtitutis, eorum qui vincuntur mores æmulatur, ſine controverſia dici poteſt delictum hic verſari ejus qui ita faciet.*

Revolve quiſquis es Romanorum triumphos, quos de Volſcis, Sabinis, Gallis, Samnitibus reportarunt; quæ ibi ſigna? quæ tabulæ? quæ opera auro argentoque cœlata? nihil horum. captivos in triumpho agere, arma hoſtileſque exuvias præferre, ſigna militaria ſtrenue hoſtibus erepta oſtentare, hoc Ducum militumque opus, hic labor erat. At ubi primus Marcellus Syracuſis expugnatis, & Sicilia debellata, Romam rediens, inter cætera ad Triumphum ornandum tabulas & alia Syracuſanorum ornamenta ſecum detulit: poſteriores Duces hoc factum imitati, talia complura ſecum Romam devexerunt. De Marcello Livius lib. 5. Decad.3. *Marcellus captis Syracuſis, cum cetera in Sicilia tanta fide atque integritate compoſuiſſet, ut non modo ſuam gloriam, ſed etiam majeſtatem populi Romani augeret, ornamenta urbis, ſigna, tabulaſque, quibus abundabant Syracuſæ, Romam devexit: hoſtium illa quidem ſpolia & parta belli jure, ceterum inde primum initium mirandi artium Græcarum opera, licentiæque hinc ſacra profanaque omnia vulgo ſpoliandi factum eſt.* Diſerte princeps Hiſtoricus oſtendit, quo detrimento ſigna illa Syracuſana Romanum affecerint. Id autem urbi contigit Anno ab ortu ſuo DXLII.

Quod ſi Marcellus tabulas illas Syracuſis ſalvas & incolumes reliquiſſet, nunquam Romanorum mentes in Græcorum artificiis ſtupore defixæ, ad ſimilium cupiditatem accenſæ fuiſſent. Quapropter non immerito Cato apud Livium, *lib. 4. Decade* 4. ubi de non abroganda lege Oppia ſeveram ſententiam exponit, ſui ſæculi mores graviter accuſat. *Jam in Græciam,* inquit, & *Aſiam tranſcendimus, omnium libidinum illecebris repletas, & Regias attrectamus gazas. eo plus horreo, ne illæ nos res magis ceperint, quam nos illas. Infeſta mihi credite ſigna ab Syracuſanis illata ſunt, huic urbi. jam nimis multos audio Corinthi & Athenarum ornamenta laudantes, miranteſque, & ante fixa fictilia Romanorum Deorum videntes.*

Hinc Græci ad fabricanda ſimulachra Romam advecti. Tertullianus in Apologetico, *capite 25. Nondum enim tunc ingenia Græcorum, atque Thuſcorum fingendis ſimulachris urbem inundaverant.* Et idem aliquantum ſuperius: *Nam etſi a Numa eſt concepta curioſitas ſuperſtitioſa, nondum tamen aut ſimulachris, aut templis res divina apud Romanos conſtabat: frugi religio, & pauperes ritus, nulla Capi-*

*tolia certantia cælo, sed temeraria de cespite altaria & vasa adhuc Samia, & nidor ex illis.*

Bifrons quoque Deus apud Nasonem sic inquit:

*Juppiter angusta vix totus stabat in æde:*
*Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.*
*Frondibus ornabant quæ nunc Capitolia gemmis.*

Tibullus Elegia XI. libri I.

*Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu,*
*Stabat in exigua ligneus æde Deus.*

Juvenalis Satyr. II.

*Hanc rebus Latiis curam præstare solebat,*
*Fictilis & nullo violatus Juppiter auro.*

Pulchre & erudite Seneca quoque: *Exurge modo & te finge dignum Deo. Finges autem non auro nec argento, non potest in hac materia imago Dei exprimi, quin cogita, illos quum propitii fuissent, fictiles fuisse.*

Utinam Romani a cœlatis illis operibus, signis, tabulis, Græcorum simulachris oculos animumque abstinuissent, nunquam profecto tantus tamque incredibilis luxus, ad templa ipsa Deorumque delubra perrupisset, (*de Luxu templorum & auro, vide Persium ad finem Satyræ 2.*)

Quare L. Mummium Achaicum jure merito admiretur posteritas, qui capta Corintho cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas, ac statuas in Italiam portandas locaret, jussit prædici conductoribus, si eas perdidissent, novas eos reddituros. Addit Vellejus, *lib.I. Non tamen puto dubites, Vinici, quin magis pro Republica fuerit, manere adhuc rudem Corinthiorum intellectum, quam in tantum ea intelligi, & quin hæc prudentia, illa imprudentia decori publico fuerit convenientior.*

Sic veteres illi Duces signorum contemptores extitere. *Juven. Satyr. II.*

*Tunc rudis & Grajas mirari nescius artes,*
*Urbibus eversis prædarum in parte reperta,*
*Magnorum artificum frangebat pocula miles,*
*Ut phaleris gauderet equus* ——

Quis igitur non animadvertat, variarum gentium ac urbium signa, luxuriam simul cum ornatu, in rusticos Romanorum penates intulisse. Jam nescio quis Deus aurem vellicat & admonet, ut ostendam a Græcis etiam ad Romanos non exiguam luxuriæ partem promanasse ac profluxisse. obtemperabo facile; qui enim eorum oblivisci poterit, qui plurimarum voluptatum ac lasciviæ maximi effectores atque administri extitere?

Sed primum: Non eo inficias, Græcos humanitatem quandam ac morum comitatem, in asperam illam ac incultam urbem advexisse. Fateor illos altioris litteraturæ studium, Romam velut in alteram coloniam deduxisse. Nam ut Suetonius libro de Illustribus Grammaticis scriptum reliquit: *Grammatica olim Romæ ne in usu quidem, ne dum in honore erat, rudi scilicet & bellicosa etiam tum civitate, necdum magnopere liberalibus disciplinis vacante. Initium quoque ejus mediocre extitit, si quidem antiquissimi Doctorum qui iidem & Poetæ & Oratores, semigræci erant.* Neque illud negandum est, plerosque e nobilissimo juventutis flore, Athenas litterarum inventrices, artium honestissimarum animique liberalioribus studiis formandi gratia, crebro commeasse. Quæ omnia summam laudem, sempiternam gloriam universæ Græcorum genti peperissent, ni eam luxu, pravis ac perfidis moribus in urbem advectis, summa cum ignominia & dedecore obscurassent.

Ante Græcorum adventum, nunquam Romani signa, tabulas, ac opera magnifice cœlata, tantopere sunt admirati: at ubi Græcorum artificia innotescere cœperunt, similium cupiditate inflammati, non jam præstantissimas veterum artificum statuas, sed ipsosmet artifices in urbem accersere, ac magnis præmiis invitare non dubitarunt. Res apertior est, quam ut plurium auctoritate comprobetur. *Juvenalis Sat.3.*

—— *hic nuda & candida signa:*
*Hic aliquid præclarum Euphranoris & Polycleti,*
*Phecasianorum vetera ornamenta Deorum.*

Ab Atheniensibus signa hæc petita fuisse, quis, nisi cœcus sit non videat. Euphranor enim & Polycletus Athenis oriundi quorum ille pictor eximius, hic vero statuarius miræ celebritatis extitit. Eleganter & Tullius in ejusmodi signorum admiratores invehitur in Paradoxis: *Actæonis tabula te stupidum detinet aut signum aliquod Polycleti. omitto unde sustuleris, & quomodo habeas, intuentem te admirantem, clamores tollentem cum video, servum te esse omnium ineptiarum judico.* Sed pace tua magne Orator, dixerim, nonne tu ipse signorum avidus admirator extitisti? nonne fidelissimo illi Achati tuo Attico, Athenis commoranti, id negotii dedisti, ut tibi signa quam plurima ad exornandam tuam Bibliothecam transmitteret? Epistola 7. ad Attic. lib. I. *L. Cincio HS.* 20400. *pro signis Megaricis, ut tu ad me scripseras, curavi. Hermæ tui Pentelici cum capitibus æneis, de quibus ad me scripsisti, jam nunc admodum delectant. Quare velim, ut eos, & signa & cætera, quæ tibi ejus loci & nostri studii, & tuæ elegantiæ esse videbuntur, quam plurima quamprimumque mittas, & maxime quæ tibi gymnasii xystique esse videbuntur.* Idem Epistola 5. ad eundem: *Signa quæ nobis curasti, ea sunt ad Cajetam exposita. ea nos non vidimus. neque enim exeundi Roma nobis potestas fuit. misimus qui pro vectura solveret.* Videatur & libro 7. Epistolarum Familiar. Epistola 23. Verum tamen Tullius signorum statuarumque se non ad insaniam studiosum extitisse palam confitetur, Verrina 2. cum inquit: *Quod si quem statuæ magnopere delectant, & si quis earum honore & gloria ducitur, is hæc tamen constituat necesse est, primum averti pecuniam domum non placere, deinde ipsarum statuarum modum quendam esse oportere.* Et Epistola paulo ante citata: *Tu autem ignarus instituti mei, quanti ego genus omne signorum omnium non æstimo, tanti ista quatuor aut quinque sumpsisti.* Sed de his hactenus dicere supersedeo, plura inferius, ut opinor, de statuis veterumque artificum signis allaturus. Præterea imitatione Græcorum juventutem Romanam in Gymnasiis sese exercuisse, testis est præter cæteros Satyricus, *Juvenalis Satyra 3.*

*Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine,*
*Et ceromatico fert niceteria collo.*

Quem in locum Vetus Scholiastes: En tibi, o Romule, inquit, rustici tui in omnem jam diffundi luxum didicerunt, & palæstris frui & Syllutetiis. Jam vero juventutis Romanæ animos quantum palæstræ mollicies enervaverit, loquatur ipse Plinius: *Plura de hac parte non sum dicturus, non Hercules magis quam de terræ usu in ceromatis, quibus exercendo juventus nostra corpora vires que animorum perdidit.*

An non & in conviviis luxum Græcorum Romani imitati sunt, unde mos Romam allatus, ut se hilarius Baccho proluerent? profecto a Græcis: nam majoribus poscere poculis geniumque multo

vino expiare, *pergræcari* Latini appellarunt. Plautus Mostellaria:

*Dies noctesque bibite, pergræcamini.*

Explicat Lambinus: Græco more, hoc est, majoribus poculis potare. Quam doctissimi viri expositionem stabilivit confirmavitque elegans illa & diserta descriptio convivii, quod Rubrius Verri instruxerat apud Tullium, 1. *Verrina: Discumbitur, fit sermo inter eos & invitatio, ut Græco more biberetur.* Alius locus eadem in re apud eundem Tullium reperitur Tuscul. 5. cum inquit: *Mihi quidem in vita servanda videtur illa lex, quæ in Græcorum conviviis obtinetur. Aut bibat, inquit, aut abeat: & recte, aut enim fruatur aliquis pariter cum aliis voluptate potandi, aut ne sobrius in vinolentiam* B *vinolentorum incidat, ante discedat.* Plautus etiam in Bacchidibus verbum *congræcari* usurpavit:

*Quod dem scortis, quodque in lustris comedim,*
*& congræcem pater.*

Horatius *Græcari* dixit:

*—— vel si Romana fatigat*
*Militia, assuetum Græcari. ——*

Vetus Scholiastes commentatur: *Græcari, potare, conviviis operam dare Græcorum more.* C

Transeo ad reliqua. Coronatos in conviviis accubuisse Romanos, unguentisque delibutos, quis tam historiæ Romanæ rudis ignarusque reperitur, quem hæc lateant? hunc vero morem e Græcia profluxisse luce ipsa clarius est, (*adi Val. Max. libro 2. cap. 6.*) Iones enim unguenti coronarumque in convivio dandarum, & secundæ mensæ ponendæ consuetudinem haud parva luxuriæ irritamenta repererunt. Sed de his accuratius, ubi ad luxum Conviviorum delabemur. Quid jam de Græcis adferam? & illud profecto prætereundum non est, quod tanta frequentia urbem dominam compleverint, ut illi soli potentiorum limina vexarent, & D soli amicitiam gratiamque virorum principum per fas nefasque aucuparentur. *Juvenalis Satyra 3.*

*Hic alta Sicyone, ast hic Amydone relicta,*
*Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus, aut Alabandis*
*Esquilias, dictumque petunt a vimine collem,*
*Viscera magnarum domuum, dominique futuri.*

Atque idem Poeta gravissime conqueritur ac indignatur, Græculos Iro pauperiores, e Græcia advectos, suis artibus perfidis, ad magnas opes, summumque honorum culmen, evasisse (*vide Juvenalem Satyra 3. ferme tota de Græcis.*) E

*Ad summam non Maurus erat, nec Sarmata, nec*
*Thrax,*
*Qui sumpsit pœnas, mediis sed natus Athenis.*
*Horum ego non fugiam conchylia? me prior ille*
*Signabit? fultusque toro meliore recumbet?*

Non est quod multis agam: plerique enim potentiorum, imo & ipsi Cæsares, Græcorum fallacibus ingeniis magnopere se oblectarunt; quorum ut cæteros omittam, dicam de Adriano Imperatore, F Sexti Aurelii Victoris verbis, *in Epitome Histor. Augusteæ: Qui Græcis litteris impensius eruditus, a plerisque Græculus appellatus, Atheniensium studia moresque hausit, non sermone tantum, sed & cæteris disciplinis, canendi, psallendi, medendique scientia, Musicus, Geometra, Pictor, Fictor ex ære vel marmore, proxime Polycletos & Euphranoras.* Sed non Adrianus tantum has Græcorum artes & effœminata studia impensius hausit, verum & præcedentia tempora eodem vitio laborarunt, cum juventus

A Romana virtutis pristinæ, ac probitatis oblita, palæstram, picturam, cantus, luctas, cæteraque libero homine minime digna, tenacius adamavit. Carpit sæculi sui mores dextre Horatius libro 2. Epistola ad Augustum:

*Venimus ad summum fortunæ, pingimus, atque*
*Psallimus, & luctamur, Achivis doctius ipsis.*

Quod vero ad linguam Græcam attinet, ea tantopere in usu fuit, ut Romanæ etiam mulieres ac si in media natæ educatæque Græcia, Græco passim idiomate loquerentur: testis Juvenalis Satyra 6.

*—— omnia Græce.*
B *Cum sit turpe magis nostris nescire Latine*
*Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,*
*Hoc cuncta effundunt animi secreta. ——*

Libidinum quoque nefariarum & quas vel belluæ ipsæ refugiant, dicerem Græcos Romæ auctores extitisse, nisi me hoc minutim narrare cupientem pudor abstraheret & avocaret. Quis & cætera hic facile congerere queat? Non immerito exclamat Satyricus:

*—— non possum ferre Quirites*
*Græcam urbem. ——*

C Quocirca,

*Græcia capta ferum victorem cepit, & artes*
*Intulit agresti Latio. ——*

Denique ut semel concludam, Græcia est, quæ Romanos ex Barbaris pultifagis, concinnavit unctos helluones, & cum sapientia luxum edocuit, attestante Persio Satyra 6.

*—— sed Bestius urget*
*Doctores Grajos, ita fit postquam sapere urbi*
*Cum pipere & palmis venit nostrum hoc maris expers,*
D *Fœnisecæ crasso vitiarunt unguine pultes.*

Hactenus de Græcis ista breviter delibata sunto: plura enim luxuriæ deliciarumque instrumenta, suis quæque locis ac certo ordini reservavi.

Jam de Africa pauca dicere habeo, & illam ad depravandos Romanorum mores luxum abunde subministrasse, brevissime declarabo. Augusto Imperii Romani habenas moderante, navigatio mercaturæ causa maxime penes Alexandrinos erat. Ex eoque tam celebri Emporio, plurimæ ac dilicatissimæ merces in Italiam advehebantur. Non eo inficias Alexandrinam classem ad frumenta commeatusque importandos Romam, institutam fuisse: Augustus etenim Ægypto in Provinciam redactæ, certum frumenti numerum, quotannis egenæ plebi dividendum, imperavit. Quod quam iniquum fuerit, e tam longinquis terrarum oris pro urbe domina victum commeatumque accersere, conqueritur vehementer *Tacitus 12. Annal. At hercule olim ex Italiæ regionibus, longinquas in Provincias commeatus portabant, nec infecunditate laboratur, sed Africam potius & Ægyptum exercemus, navibus & casibus vita Populi Romani permissa est.* Non absimilis est & illa querela Varroniana: *Manus maluerunt movere in theatro & circo, quam in segetibus & vinetis; frumentum locamus qui nobis advehant, qui saturi fiamus ex Africa & Sardinia.*

Sed his omissis, fatendum est classem hanc annonæ subministrandæ destinatam, plurima luxus voluptatumque instrumenta simul apportasse. Isaacus Casaubonus vir in tantum de litteris meritus, in quantum bonæ artes intelligi possunt, in Commentario suo ad Suetonium *lib. 6. cap. 97.* merces Alexandrinas recenset: Aromata omnis generis,

telæ, libri, papyrus, chartæ, vitra multifariam formata, lina, stuppæ, sindones, polymitæ, vestes Babylonicæ, Ægyptiacæ mancipia venusta, vinum. An non hic plurimus deliciarum apparatus? Martialis de Crystallo;

*Cum tibi Niliacus portet crystalla cataplus,*
*Accipe de Circo pocula Flaminio.*

Ad splendida illa amplaque Romanorum ædificia marmora etiam ab Alexandria petita maxima cum impensa. Senec. epistola 86. ubi de balneo loquitur: *Nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sint*. Et alibi Epistola 115. *Ingentium maculæ columnarum, sive ex Ægyptiis arenis sive ex Africæ solitudinibus advectæ*.

Verum quid attinet enumerare singula? dicam audacter: ubicumque terrarum Romani sua tropæa posuere, hinc vel ipsi receperunt luxuriam vel attulerunt.

Ad id quod posterius dixi confirmandum, testis mihi sit Juvenalis Satyr. 2. de Zalate Armenio:

*Aspice, quid faciant commercia: venerat obses,*
*Hic fiunt homines. nam si mora longior urbem*
*Indulsit pueris, non unquam deerit amator,*
*Mittentur braccæ, cultelli, fræna, flagellum.*
*Sic prætextatos referent Artaxata mores.*

Simile in simili etiam causa legitur apud Tacitum 2. Annalium: *Phraate Parthorum Rege mortuo, venerant in urbem legati, qui Vononem vetustissimum ejus liberorum accirent. Magnificum id sibi credidit Cæsar, auxitque opibus, & accepere Barbari lætantes, ut ferme ad nova Imperia. Mox subiit pudor degeneravisse Parthos, petitum ex alio orbe Regem, &c. Accendebat dedignantes & ipse diversus a majorum institutis, raro venatu, segni equorum cura, quoties per urbem incederet lecticæ gestamine, fastuque erga patrias epulas, irridebantur & Græci comites, & vilissima utensilium annulo clausa.*

Atqui hæc omnia a Romanis promanarunt. Roma profecto juvenem luxuria sua a patriis institutis depulit, & quem magnanimum fortemque receperat, servum omnium voluptatum remisit.

Transeo jam ad artem Romanis usitatam, quam potissimum inferiore ævo Imperatores usurparunt, videlicet luxu & voluptate subditos in officio continebant. Id consilii datum olim erat Octaviano Augusto, a Pantomimo quodam Pylade, teste Dione qui lib. 54. scribit: *Florebant per id tempus Pylades & Batyllus saltatores, propter quos cum sæpe fieret populi concitatio, Cæsar Pyladi iratus est. at ille dixisse fertur: Id tibi quidem conducit Cæsar, populum propter nos occupatum ac distentum esse.* Prudens responsum istius histrionis: si etenim oblectamenta illa vulgi, ludos ac spectacula Augustus tollere & antiquare voluisset, fortasse nulla voluptate distentum populum, pristinæ libertatis recordatio tetigisset, & ille de vita simul ac imperio dimicasset. Populum vero Circensibus summopere deditum fuisse innuit Satyricus, Juvenalis *Satyra* 10.

*—— atque duas tantum res anxius optat*
*Panem & Circenses. ——*

Idem Saty. XI.

*Totam hodie Romam Circus capit. ——*

Alibi: *Mæstitia est caruisse uno Circensibus anno.*

Saty. VIII.

*—— parce & messoribus illis*
*Qui saturant urbem circo, scenæque vacantem.*

Ammianus Marcellinus lib. 28. de plebe Romana scribit: *Hi omnes quod vivunt vino & tesseris impendunt, & lustris, & voluptatibus, & spectaculis, eisque templum, & habitaculum, & concio, & spes omnis Circus est Maximus*. Idem inferius addit: *Exoptato die Equestrium ludorum, inlucescente nondum solis puro jubare, omnes festinant præcipites, ut velocitate currus ipsos antecedant certaturos.*

Eodem strategemate contra hostes usus est Agricola, de quo rem gerente cum Britannis Tacitus memoriæ mandavit *in vita illius; Sequens hyems saluberrimis consiliis absumpta est, ut homines dispersi ac rudes, eoque bello faciles, quieti & otio per voluptates assuescerent*. Idem Cornelius 4. Histor ubi Tencteri Ubios adeunt, & contra Romanos sollicitant: *Institutta cultumque patrium resumite, abruptis voluptatibus, quibus Romani plus adversus subjectos, quam armis valent.*

Verum multis ante Romanos sæculis, eadem arte, contra rebelles & pervicaces Lydos Cyrum (*Hoc Cyrus fecit consilio Crœsi. ad. Herodotum l.* 1.) usum fuisse, refert Justinus lib. 1. *Occupato in aliis bellis Cyro Lydi rebellavere, quibus iterum victis equi & arma adempta, jussique cauponas & ludicras artes, & lenocinia exercere. Et sic gens industria quondam potens, & manu strenua, effœminata mollicie luxuriaque virtutem pristinam perdidit.*

Quæ cum ita, illud tandem ultimo confiteri debemus, quod (*Juvenalis Satyra* 6.)

*Prima peregrinos obscœna pecunia mores*
*Intulit, & turpi fregerunt sæcula luxu*
*Divitiæ molles ——*

## CAP. VI.

*Fœminæ Luxum maxime fovent, De Luxurioso capillitii ornatu. Crines varie intorti, in gradus fracti, uncti, coloribus tincti, adscititii, in galericuli modum formati: quæ lascivia tam fœminis quam viris promiscua.*

Originem fontemque Romani luxus indagatum repertumque esse arbitror; series jam ipsa poscit & efflagitat, ut fœda luxuriantis lasciviæ inventa, in apertam lucem producantur. Agam igitur nunc de luxu, quem Romani ad ornandum expoliendumque corpus, non sine summo dedecore ac flagitio usurparunt. Sed unde exordium capiam? virosne, an fœminas primum recensebo? A sexu quem ornandi immodicum omnis ætas novit, incipiam. vulgatum illud Terentii, *Heautont. Act.* 2. *Scena* 1.

*—— nostri mores mulierum*
*Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.*

Cui Plautus Poetarum lepidissimus consonat:

*Negotii sibi qui volet vim parare,*
*Navem & mulierem hæc duo comparato:*
*Nam nullæ magis res duæ, plus negotii*
*Habent, eas forte si ornare occeperis,*
*Neque satis hæ duæ res unquam ornantur,*
*Neque eis ulla ornandi satietas est.*

Non abs re doctissimus Libertus Freidmont, vir a Musis & Gratiis factus, cuique illud Homeri elogium merito tribuatur:

Πᾶν ἀπ' ἀληθείας πεπλασμένον ἐκ Διὸς ἔρνος.

in Saturnalitiis cœnis eam quæstionem proposuit: Utiliterne fœminis in cultu Princeps figat modum, acute ibi & eleganter mulierum depingit mores: *In plateis, templis, stolas, thoraces, vittas, limbos etiam, & lacinias virias, armillas, annulos, omnia*

*a vertice ad calcem curiosissimo oculo in aliis contemplantur; uti domum reversæ, parentes ac maritos, ad desiderium similitudinis accendant. Officinæ statim ambiuntur, emuntur damnosissima vota, fide sæpius quam ære præsenti*. Existimo ingeniosissimum virum respexisse dum hæc scriberet, ad quendam Juvenalis locum, in quo eam mulierum cupiditatem acerrime perstringit, cum inquit *Satyra* 6.

*—— poscitque maritum*
*Pastores, & ovem Canusinam, ulmosque falernas;*
*Quantulum in hoc, pueros, ergastula tota.*
*Quodque domi non est, & habet vicinus, ematur.*

Sed missa hæc facio. An non & illud jure animum excitet, ut primum de Luxu fœmineo agam? cum eas esse principes reperiam, quæ in omni Republica luxuriæ, omniumque deliciarum instrumenta avide arripuerunt, arrepta constantissime tenuerunt. Philosophorum dux & antesignanus Aristoteles 2. Politic. *cap*. 7. (*in quem locum vide Giphanium*) inter cætera gravissima Reipublicæ Spartanæ vitia, mulierum maxime licentiam ac luxuriam reprehendit, ex quo evenit, ut Imperium sibi etiam in viros vindicarent, & cum Lycurgi consilium fuerit, totam civitatem ad omnem duritiem & laborum patientiam exercere, in viris id sit assecutus, in mulieribus vero non. Simile olim Catonem Romanis objecisse ferunt, illos videlicet omnibus gentibus imperare, ipsis vero uxores. Atque eam ob causam apud Græcos mulierum Præfectos fuisse accepimus, quos γυναικοκόσμους appellarunt, de quibus alibi Cicero: *Nec vero mulieribus Præfectus præponatur, qui apud Græcos creari solet, sed is sit Censor, qui viros doceret moderari uxoribus*. Allusit ad hos morum Præfectos & Comicus in Aulularia, *Act*. 3. *Scena* 5.

*Ut matronarum factum hic pernovit probe,*
*Moribus præfectum mulierum, hunc factum velim.*

Romæ ut de cæteris hactenus nihil dicam, primæ mulieres luxui patrocinari ausæ sunt. Vix enim finito bello Punico secundo, Brutorum domum obsidione cinxerunt, qui abrogationi legis Oppiæ intercedere parati erant, quam fœminæ ardentioribus postulatis tolli cupiebant. Et obtinuerunt equidem, ut jus per continuos annos xx. servatum aboleretur. Non enim (*Val. Maxim. lib*. 6. *cap*. 13.) providerunt sæculi illius viri, ad quem cultum tenderet insoliti cœtus pertinax studium, aut quo sese esset effusura legum victrix audacia. Quod si animi muliebris apparatus intueri potuissent, quibus quotidie aliquid novitatis sumptuosius adjectum est, in ipso introitu ruenti luxuriæ obstitissent.

Quæ cum ita sint, de fœminis igitur primum dicere incipiam, quas imbecillitas mentis, omne studium ad curiosiorem sui cultum hortatur conferre: tum si qua in re luxuriosos earum mores viri imitati fuere, simul proferam.

Venio ad insanum capillamenti ornatum: *Tanta est enim ejus dignitas* (inquit Apulejus 2. *Metam.*) *ut quamvis auro, veste, gemmis, omnique cætero mundo exornata mulier incedat, tamen nisi capillum distinxerit, ornata non possit videri*. Et S. Paulus 1. ad Corinth. 2. inquit, *Mulier si comam nutriat, gloria est illi*. Crines mille modis in vertice struere, Romanas mulieres luxus edocuit: fiebant illi nunc fracti, nunc substricti, nunc relaxati, modo suscitati, modo ellisi, & in cincinnos coerciti, & in spiras distincti, nunc anteventuli, nunc propenduli, & quidquid vesana non excogitavit luxuria.

Ovidius varios comendorum crinium modos, recenset alibi:

*Alterius crines humero jactentur utroque*. &c.
Idem *Altera succincto religetur more Dianæ*. &c.
Idem *Hanc decet inflatos laxe jecisse capillos*. &c.
Idem *Hanc decet ornari testudine Cyllenea.*
*Sustineat similes fluctibus illa sinu.*

Ad comam in gradus frangendam varia instrumenta adhibuerunt, & inter cætera, ferreas acus candentesque. Ovidius:

*Quam se præbuerant ferro patienter & igni,*
*Ut fieret torto nexilis orbe sinus.*

Eapropter in luxurioso comitatu mulierum, reperio cinisiones quosdam fuisse, quorum muneris erat, acus & veruta in cinere flando calefacere, quibus matronæ capillos crispare consueverant. Testis est Horatius Satyra 2. libro 1.

*—— multæ tibi officient res,*
*Custodes, lecticæ, ciniflones, parasitæ.*

Id genus hominum cinerarios Catullus vocat. Columella capillamentorum concinnatores, Tertullianus de Cultu fœminarum, cap. 7. Structores capillaturæ. a Græcis eos vocari βοστρυχοπλοκοὺς καὶ κομμωτὰς, notat Cruquius ad locum proxime citatum Horatii. Capillitium vero in cincinnos frangere, virginibus maxime puerisque usitatissimum: erat enim Romæ mos receptus, ut positu comarum nuptæ ab innuptis discernerentur, qua de re videndus Justus Lipsius in antiquis Lectionibus.

Ancillas quoque disponendi capillitii peritissimas in matronarum gynæceo fuisse, lippis jam & tonsoribus notum. Eæ ab Juvenali Satyra 6. versu 475. cosmetæ appellatæ, ab Ovidio & Suetonio ornatrices. harum quoque mentio fit in monumento illo Romano:

CINERIBUS CAMILLÆ ALPIONIÆ
QUIRINÆ ORNATRICI
FESTUS M. SEPTIMI GALLI
DISPENSAT.

Hinc laudem & elogium tribuit Ovidius ancillæ cuidam:

*Comendis in mille modis perfecta capillis,*
*Comere sed solas digna Cypassi Deas.*

Verum non possum satis mirari superbiam matronarum, quæ cum buxo pallidiores essent, nihilominus si ornatrix in disponendo crine vel minimum aberrasset, subito furore percitæ, in earum faciem unguibus Harpyarum rapacium ritu involabant, misereque laniabant. Notat eam insaniam aperte Satyricus, *Juvenalis Satyra* 6.

*Nam si constituit solitoque decentius optat*
*Ornari, & properat, jamque expectatur in hortis,*
*Aut apud Isiacæ potius sacraria lenæ;*
*Disponit crinem laceratis ipsa capillis*
*Nuda humero Psecas, infelix, nudisque mamillis.*
*Altior hic quare cincinnus? Taurea punit*
*Continuo flexi crimen facinusque capilli.*

Idem apertissime testatur exul Poeta, *Ovidius* 5. *Amor*.

*Tuta sit ornatrix, odi quæ sauciat ora*
*Unguibus, & rapta brachia figit acu.*
*Devovet & tangit dominæ caput illa, simulque*
*Plorat ad invisas sanguinolenta comas.*

Carpit & Martialis lib. 2. Epigram.

*Unus de toto peccaverat orbe comarum*
*Annulus, incerta non bene fixus acu:*

A *Hoc facinus Lalage speculo quod viderat ulta est:*
*Et cecidit sectis icta Plecusa comis.*

Illud jam magis ridiculum, Catonisque Severi aut Crassi dignum cachinno, dum enim matronæ Romanæ comas extendi & in gradus frangi ab ancillis sinerent, mulieres quasdam emeritas & jam rude donatas in consilium vocabant, & in hoc illarum consessu summa cum gravitate, tanquam aliquid de Cattis torvisque Sicambris dicturæ, sic de pulchritudine ornatuque capillitii sententias rogabant. Audiamus stultitiam hanc egregie ridentem Juvenalem Satyr. 6. B

*Est in consilio matrona, admotaque lanis,*
*Emerita quæ cessat acu, sententia prima*
*Hujus erit, post hanc ætate atque arte minores*
*Censebunt, tanquam famæ discrimen agatur*
*Aut animæ* ——

Capillorum ornandorum vero instrumenta, enumerat Leno Capadox apud Plautum:

*At ita me volsellæ, pecten, calamistrum meum,*
*Bene amassint, meaque excutia, linteumque extersum.*

Sic denique miseri crines ad matronarum libidinem torti, in cirros ac cincinnos flectebantur: quis enim alias comarum formas enumerare valeat? dicam cum Nasone, qui ubi varias formandi capillitii artes recensuisset, ad extremum inquit: C

*Nec mihi tot cultus numero comprehendere fas est;*
*Adjicit ornatus proxima quæque dies.*

Neque vero silentio involvendum est illud insani luxus commentum, quod jam passim Romæ a mulieribus usurpatum fuisse, gravissimi viri memoriæ mandarunt: videlicet nativum crinem adscititio colore fucare ac depingere. Tibullus lib. 1. D

*Quid fuco splendente comas ornare, quid ungues*
*Artificis docta subsecuisse manu.*

Tertullianus libro de cultu fæmin. cap. 6. *Video capillum quasdam croco vertere, pudeat eas nationis suæ, quod non Germanæ aut Gallæ procreatæ, ita patriam capillo transferunt, male & pessime sibi auspicantur flammeo capite, & decorum putant quod inquinant.* Cui loco elegantissimo doctissimi Afri petenda lux a Jacobo Pamelio Commentar. in Tertul. & Justo Lipsio in Taciti librum de moribus Germanorum scribente fol. 436. Numero 18. Quocirca eleganter sane Divus Hieronymus ad Lætam de institutione filiæ scribens, eam ab his præstigiis crines irrufandi revocat: *Nec caput gemmis oneres, nec capillum irrufes, & aliquid de gehennæ ignibus auspiceris.* E

Antiquis etenim temporibus veterique ævo, fæminarum pulchritudo magnopere e flavo crine æstimata est, ideoque mirari non debemus, si fœminæ pulchritudinis avidæ, ad medicamentum rutilandorum crinium quantocius convolarunt. Propertius purissimæ Latinitatis Poeta, a rufo crine Cynthiæ suæ formam, quam magnopere deperibat, commendat: F

*Fulva coma est, longæque manus, & maxima toto*
*Corpore, & incedit vel Jove digna soror.*

Britannicus Juvenalis interpres, per flavam puellam, pulchram intelligi vult illo versu, *Satyra* 6.

*Conducit comites, sellam, cervical, amicas,*
*Nutricem, & flavam, cui det mandata, puellam.*

Video nihilominus Servium notantem in 4. Æneid. ad versum illum Virgilii de Didone:

*Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem*
*Abstulerat.* ——

Matronis nunquam flavam comam dari solitam, sed nigram. Verum fas mihi sit illum duplici telo impetere. Primum est, cur ille idem ex antiquissimo scriptorum Catone subjicit, Matronas crines flavo cinere unctitasse, ut rutilæ essent. profecto nunquam notam hanc gravissimus ævi sui Censor Cato tacuisset. Secundum, Valerius Maximus *l.* 2. *cap.* 1. aperte scriptum reliquit, olim Romanas mulieres quo formam suam concinniorem facerent, summa cum diligentia capillos rutilasse. Neque me movet Juvenalis auctoritas, quam Servius attulit, de Messalina Claudii Imperatoris uxore, sedulo matronam dissimulante, cum inquit, *Satyra* 6.

*Et nigrum flavo crinem abscondente galero.*

Illud enim libidinis lasciviæque portentum, flavum crinem adaptabat, non ut meretriciam comam imitaretur, sed ut suam dissimularet faciem, ne in fædo illo ac tetro prostibulo, a lascivientibus amasiis agnosceretur. Nam & nomen titulumque mentiebatur, teste eodem Satyrico, *ibidem*.

—— *tunc nuda papillis*
*Prostitit auratis, titulum mentita Lyciscæ.*

Quod si flava coma meretricia tantum fuerat, non matronarum, impudens igitur Ovidius, qui fœminarum Romanarum castissimæ atque integerrimæ Lucretiæ, flavum capillum tribuit, Fastor. 2.

*Forma placet, niveusque color, flavique capilli,*
*Quique aderat nulla factus ab arte decor.*

Quid Princeps Poeta? is de Livinia Latini Regis filia, quam miris extulit encomiis, scribit, 12. *Æneidos*:

*Filia prima manu flavos Lavinia crines,*
*Et roseas laniata genas.* ——

Diutius in his non est quod immorer, cum res ipsa luce clarius meridiana pateat. Ad rutilandos vero crines, medicamenti genus quoddam suggerit Martialis:

*Caustica Teutonicos accendit spuma capillos.*

Admirandum est quod & de Crathi fluvio Strabo refert lib. 6. *Crathis homines in eo lotos cæsarie candidos, & flavos efficit.* Idem de hoc amne testatur Ovid. 15. Metam.

*Crathis & hinc Sybaris vestris conterminus oris,*
*Electro similes faciunt auroque capillos.*

Poppæa Sabina cui cuncta fuere præter honestum animum, capillos habuit succinei coloris, quos Nero crebris sermonibus laudabat, versibusque scite ad citharam decantabat: quo factum est, ut puellæ omnes Romanæ & Italicæ, eo tempore ejusmodi colorem magno studio affectarent, non in coma modo & in capillis, sed & in reticulis, annulis, & omni genere ornamentorum.

*Scilicet in vulgus manant exempla regentum.*
*Claud. in laud. Stil.*

Vel ut alibi inquit Martialis:

*Nemo suos, (hæc est aulæ natura potentis)*
*Sed domini mores Cæsarianus habet.*

Alterum genus fucandi mentiendique capillitii erat, albos crines nigro colore inficere, quod ab

iis factitatum sæpius accepi, quarum capita ultima senectutis pruina conspergere incipiebat: & ne intermicans canities annos earum proderet, arte hac adjutæ curiosos oculos decipiebant. Notat has mulierum præstigias, gravis ac severus Censor Tertullianus lib. de Cultu fœmin. *Quamvis & atrum ex albo conantur facere, quas pœnituit ad senectam vixisse.* Eam ob causam, cortice nucis usas fuisse innuit Tibullus lib. 1.

*Tum studium formæ, coma tunc mutatur, ut annos*
*Dissimulet, viridi cortice tincta nucis.*

Aliud remedium reperitur apud Ovidium:

*Fœmina canitiem Germanis inficit herbis,*
*Et melior vivo quæritur arte color.*

Quædam vero mulierum, canos capillos sigillatim evellebant. Tibullus:

*Tollere tunc cura est albos a stirpe capillos.*

Hinc inter cætera instrumenta ad mulierum cultum pertinentia, apud Plautum recensentur volsellæ: erant enim forfices,quibus mulieres caniciem intermicantem extirpabant radicitus. Melius profecto illarum decori consuluisset Commodus Imperator. is enim (ut prodidit Lampridius *in ejus vita*) si quem vidisset albescentes inter nigros capillos quasi vermiculos habere, sturno apposito, qui se vermes sectari crederet, suppuratos reddebat.

Sed de fucatis crinibus quid plura attinet dicere, legantur amorum magistri Poetæ, ad primum intuitum, hæ mulierum præstigiæ occurrent. Non omittam tamen Apulejum, qui lib. 2. Metam. ad varios capillamentorum fucos eleganter allusit: *Quid cum capillis color gratus & nitor splendidus illucet, & contra solis aciem vegetus fulgurat, vel placidus renitet, ac in contrariam gratiam variat aspectum, & nunc ut aurum coruscans in lenem mellis deprimitur umbram, nunc corvina nigredine, cærulos columbarum colli flosculos æmulatur, vel nunc guttis Arabicis obunctus, & pectinis arguti dente tenui discriminatus, ad instar speculi reddit imaginem gratiorem.*

Tertium est insani luxus commentum, quod matronis Romanis frequens & usitatum, alieno atque adscititio crine caput exornare. Ovidius:

*Fœmina procedit densissima, crinibus emptis,*
*Proque suis alios efficit ære suos.*

Idem alibi:

*Nunc tibi captivos mittet Germania crines,*
*Culta triumphatæ munere vestis eris:*
*O quam sæpe comas alio mirante, rubebis,*
*Et dices: Empta nunc ego merce probor.*

Martialis lib. 6. Epigrammate 12. ad Fabullam:

*Jurat capillos, quos emit, esse suos*
*Fabulla, nunquid illa Paule pejerat?*

De his adscititiis crinibus intelligendus est doctissimus ac prudentissimus Afer Tertullianus, *de cult. fœmin. cap.7. Affigitis præterea nescio quas enormitates sutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quasi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in cervice retro suggestum.* Juvenalis portento illi libidinis Messalinæ, ad lustra ac prostibula descendenti, hunc galerum ex alieno crine concinnatum attribuit Sat. 6.

*Sed nigrum flavo crinem abscondente galero,*
*Intravit calidum veteri centone lupanar.*

Verum in auctoritatem Tertulliani paulo ante citatam, notat Pamelius doctissimus interpres numero 34. ex Junio lib. de Coma 7. de usu olim fœminis recepto in fastigiando, & crinem aggestum in turrim quodammodo, primore in capitis parte extruendo: cujusmodi structuram *Tutulum* vocari auctor est Sextus Pompejus, & de lingua Latina Varro, eo quod tuendi capillitii gratia fieret. verba ejus sunt lib. 6. ubi exponens versiculum Ennii

*Libaque, fictores, Argeos, & tutulatos.*

*Tutulati* (inquit) *dicti sunt ii, qui sacris in capitibus habere solent ut metam: id Tutulus appellatur, ab eo quod matres familias crines convolutos ad verticem capitis, quos habent uti velatos, dicunt Tutulos; sive ab eo quod tuendi capilli causa fiebant, sive ab eo quod altissimum in urbe est, quod est Arx, ea res tutissima Tutulus vocatur.* De eadem structura capitis, attulit nonnulla ex Dicæarcho Carolus Paschalius, *lib. 1. cap. 3.* in eruditissimo libro quem de Corona nuncupavit. inquit ille: *Structuram illam capillamenti quæ pertingit ad verticem, Dicæarchus vocat Lampadion: capillamentum flavum vinctum, sive implexum, usque ad verticem, quod ab incolis dicitur Lampadion: credo ob similitudinem flammæ, quæ sensim accuminatur, ut ait Pollux.* Sed dum hæc scriberem, in aliud nomen capillitii hujus incidi apud Horatium lib. 1. Sat. 8.

—— *altum saganæ calendrum.*

Quem in versum Vetus Scholiastes notat: *Caliendrum*, inquit, *peplum capitis, aut crinis supposititius, seu capillamentum aut galericulus, capitisve ornamentum.*

Quidquid sit, aut quo nomine structura hæc appelletur, dictum jam uberius aliis: mei muneris nunc est, declarare Romanas mulieres imperante luxuria, eam crinium formam vehementer adamasse. Statius in Epithalamio Violantillæ, *Sylv. libr. 1.*

—— *celsæ procul aspice frontis honores,*
*Suggestumque comæ.* ——

Lucanus:

*Turritaque gerens frontem matrona corona.*

Itaque in eam formam crinem construere, lepide & argute Satyricus dixit, *ædificare caput:* simulque irridet fœminas sui temporis, quæ a fronte cum fastigiato capillo proceræ videbantur, a tergo Pygmæis breviores:

*Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum*
*Ædificat caput; Andromachen a fronte videbis,*
*Post minor est: credas aliam. cedo si breve parvi*
*Sortita est lateris spatium, breviorque videtur*
*Virgine Pygmæa.* ——

Imitatus est hunc dicendi modum Gregorius Nazianzenus:

*Nec caput ædifices adsuto fœmina crine.*

De luxurioso mulierum capillitio hæc dicta sint. Venio ad vos, o Romuli nepotes. Sed quid? eone vos compellabo nomine? qui profligatis majorum vestrorum institutis, extincta illa laudis gloriæque cupidine, fœminarum imbecillisque sexus lasciviam, imbelles mores, magnopere estis imitati. Viros eadem cura, qua mulieres coluisse comam, testis mihi sit ante alios Tertullianus,cujus hic plurimum valere debet auctoritas. is libro de Cultu fœminar. cap. 8. de masculo sexu inquit: *Propriasque præstigias formæ & hic status agnoscit, circumdare capillum, disponere etiam, colorare, canitiem primam*

*quamque*

A *quamque subducere, totius corporis lanuginem pigmento quoque muliebri distinguere, cætera pulveris cujusdam asperitate levigare, tum speculum omni occasione consulere*. Revocemus nunc ad trutinam hanc prudentissimi viri auctoritatem, & in ea explicanda aliquantum immoremur, ut singula aliorum quoque testimoniis illustrata, facilius innotescant.

Ac primum quam graviter virorum molliciem notet, Stoicorum doctissimus Seneca, in aureo illo libello quem de Brevitate vitæ conscripsit, breviter consideremus *c. 22. Quid? illos otiosos vocas, quibus apud tonsorem multæ horæ transmittuntur, dum de singulis capillis in consilium itur, dum aut disjecta coma restituitur, aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur?* B *Quomodo irascuntur, si tonsor paulo negligentior fuit? tanquam virum tonderet. Quomodo excandescunt, si quid ex juba sua decisum est, si quid extra ordinem jacuit, nisi omnia in annulos suos reciderunt? Quis est istorum, qui non malit Rempub. turbari, quam comam suam; qui non sollicitior sit de capitis sui decore, quam de salute; qui non comptior esse malit, quam honestior? Hos tu otiosos vocas inter pectinem & speculum occupatos?* En quo processit luxuria, quo illa majorum rustica incomptaque vita? Majores laudi sibi ac gloriæ duxerant, impexam comam, jubarum setis horrida galea premere; C decolor illorum progenies Rempublicam suam magis concuti turbarique expetit, quam vel unius cincinni jacturam pati. Sed ecce & alii crines in gradus formabant, quidam in spiram distinguebant, denique nonnulli unguentis delibutos pone cervicem submittebant. Martialis ad Flaccum alibi:

> —— mollesque flagellant
> Colla comæ, tortas non amo, Flacce, comas.

Orator Romanus comam calamistratam, Pisoni velut flagitiosæ molliciei indicium, objicit: D *Erant illi compti capilli & madentes cincinnorum fimbriæ*. Idem in Oratione pro Sextio, ubi Consules Gabinium & Pisonem describit: *Alter unguentis affluens, calamistrata coma, despiciens conscios stuprorum, ac veteres vexatores ætatulæ suæ*. Alibi in Oratione post reditum: *Ubi nobis hæc auctoritas tam diu cessavit? cur in lustris & helluationibus hujus calamistrati saltatoris, tam inimica virtus tam diu cessavit?* Pudor! etiam calamistrum usurpare sunt ausi, quod ad mundum muliebrem pertinere Varro lib. 4. de lingua Latina apertissime contestatur.

Nescio an non concinne alluserit ad sui quoque E sæculi mores Princeps Poeta, ubi inducit Turnum ferocem, hastam illam Actoris Aurunci spolium concutientem, simulque sese ad pugnam cum Ænea parantem, 12. *Æneidos*:

> —— da sternere corpus,
> Loricamque manu valida lacerare revulsam
> Semiviri Phrygis, & fœdare in pulvere crines,
> Vibratos calido ferro myrrhaque madentes.

Quare exul Poeta, amatorem a crispandis crinibus nimiaque capillitii cura dehortatur, dum inquit: F

> Sed tibi nec ferro placeat torquere capillos:
> Nec tua mordaci pumice crura teras.
> Ista jube faciant, quorum Cybeleia mater
> Concinitur Phrygiis exululata modis.

Et alibi puellas deterret ab ejusmodi juvenibus, qui ponunt suas in statione comas:

> Nec coma vos fallat liquido nitidissima nardo,
> Nec brevis in rugas cingula pressa suas.

Quanquam reperio fuisse olim apud Romanos nobilissimam atque antiquissimam Cincinnatorum familiam, quæ cognomen hoc a flexuosis cirratisque crinibus usurpavit, crinemque pro insigni ac stemmate habuit, teste Suetonio in Caligula, cap. 25. *Veterum familiarum insignia nobilissimo cuique ademit, Torquato torquem, Cincinnato crinem*. Verum crines hos Cincinnatorum natura flexerat, non luxuria, quos si illorum sæculo lascivia in cirros contorsisset, non Cincinnatorum nomen tantum usurpassent, sed urbe fortunisque ejecti in exilium concessissent.

Redeamus ad varias comarum formas. Nero, (*vide Suetonium*) comam pone cervicem submittebat, dissimulationum fraudiumque artifex Tiberius, capillum circa occipitium congerebat, quod gentile in eo videbatur. Ferunt Domitianum Imperatorem librum de cura capillorum edidisse, sed volumen hoc, (egregium scilicet & Imperatoria majestate dignum,) tempora nobis inviderunt. Verum Tertulliani auctoritas *lib. citato* iterum examinanda est, qui inquit: *colorare canitiem*. Quid ais, Tertulliane? huccine ventum est lasciviæ? siccine viros illos Romanos senectutis suæ puduit, ut canam illam provectioris ætatis pruinam, adscititia nigredine tingerent ac fucarent? Res se sic habet profecto: facete eam ob causam lepidissimus Martialis Phœbum quendam cavillatur, *lib.6. Epig.* 57.

> Mentiris fictos unguento, Phœbe, capillos,
> Et tegitur pictis sordida calva tuis:
> Tonsorem capiti non est adhibere necessum,
> Radere te melius spongia, Phœbe, potest.

Idem ad Lentinum libro 3. Epigrammate 43.

> Mentiris juvenem tinctis, Lentine, capillis,
> Tam subito corvus, qui modo cygnus eras:
> Non omnes falles, scit te Proserpina canum,
> Personam capiti detrahet illa tuo.

Non abs re fuerit referre hic elegantem illum Adriani Imperatoris (*Spartianus in ejus vita.*) jocum, qui cum cuidam canescenti quidpiam negasset, eidem iterum petenti, sed infecto capite respondit: *Jam hoc patri tuo negavi*. Inde suum acumen, & iisdem verbis mutuatus est Ausonius, verum in re dispari, Epigrammate 16.

> Canus rogabat Laidis noctem Myron:
> Tulit repulsam protinus,
> Causamque sensit, & caput fuligine
> Fucavit atra candidum:
> Idemque vultu, crine non idem Myron,
> Orabat oratam prius:
> Sed illa formam cum capillo comparans,
> Similemque non ipsum rata,
> Fortasse & ipsum, sed volens ludo frui,
> Sic est adorta callidum:
> Inepte, quid me quod recusavi rogas?
> Patri negavi jam tuo.

Quid vero jam lascivius Commodo Imperatore, qui tantam curam flaventium capillorum habuisse fertur, ut capiti auri ramenta aspergeret, quo magis coma illuminata flavesceret. Imitatus tam insigne Commodi inventum Gallienus, de quo Trebellius Pollio scriptum reliquit: *Crinibus suis auri scobem aspersit.* (*Domitianus Imp. cujusdam caput varietate capilli subrutilum, & incanum, perfusam nivem mulso dixit. Sueton. capite 20.*) Atque in ejusmodi homines, qui barbam aut capillum inficiunt, elegans extat apophtegma apud Plutarchum Philippi Macedonis. Quum enim ex amicis Antipatri, quendam in Judicum numerum adscripsisset, post ubi cognovit illum tingere barbam & capillos, sub-

movit eum dicens: qui in capillis fidus non esset, eum in rebus gerendis non videri dignum cui fideretur. Fuco utebatur in tingendis capillis, ubi non multum erat lucri, multo magis usurus erat, in publicis negotiis, ubi dolus interdum ingens adfert emolumentum.

Neque vero illud prætermittendum est, quod de Othone exaravit *Suetonius lib. 8. capite 12. Munditiarum vero pæne muliebrium, vulso corpore, galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato, & annexo, ut nemo dignosceret.*

B Ultimum est quod ait Tertullianus: *Speculum omni occasione consulere.* Quibus verbis egregie respondet locus Senecæ, in quo molles ætatis suæ juvenes & luxuriosos, *homines inter pectinem speculumque occupatos* appellavit.

Sed quid luxuriosum capitis ornatum in Romanis tantopere damnamus? Flecte quisquis es aciem oculorum tuorum in nostri hujus ævi tempora, an non cum de Romanis loquimur, mutato nomine fabula de hoc sæculo narratur? Video jam nescio quos semiviros, barbatasque Veneres, (viros certe appellare nefas) magis de coma quam de Republica sollicitos: intueor capillos calamistris intortos cincinnisque suis coercitos, pulveribus odoratis re-C spersos, sedulo affectantes caniciem. Quis referat varias ac diversas crinium formas? erudita tonsorum manus, quam varie in uno capite lascivit? (*Vide Scribanium in suo Christian. Polit. lib. 2. c. 15.*) Videbis hunc calamistro candentique acu, comam in suos coegisse annulos: illum propendulam & leniter fluentem in cervicem rejecisse: hic ubi capillum deraserit, fronti cristam imponit: ille sylvescentes crines in humeros usque protendit. Jam alius minime sibi elegans videbitur, nisi enormes quædam caudæ ignescentibus verrutis intortæ, ab utroque tempore pependerint. Digni gravi levium D harum ineptiarum vindice Caligula, qui referente *Suetonio lib. 4. cap. 35. pulchros & comatos quoties sibi occurrerent, occipitio raso deturpabat.* Adde, si calvities caput dedecorat, vel certe rarus crinis hinc & inde pullulat, naturæ defectus empta coma & adscititio galericulo compensatur. Jam in barba quantopere luditur, quot barbæ, tot formæ, nihil unquam æquale: pectinem nonnulli circumferunt, ut pilos vel minimum aberrantes, iterum in sua reponant statione. Sed postponatur ævi nostri luxuries, ad Romanam redeamus.

## CAP. VII.

E *Luxus in curanda facie expenditur. medicamentis ea expolita, lacte asinino macerata, purpurisso, cerussa, fucata. Speculorum pretium & portentosa magnitudo. De odoribus ac unguentis dictum.*

Non tam multiplici formarum fallacia, inconstantem Protheum humanos oculos illusisse arbitror, quot faciei suæ imagines, Romanæ mulieres sæpius induxerunt. Tanto enim studio ornandi ac poliendi vultus flagrabant, ut illum medicamentis quibusdam illinerent, candorem quendam etiam cum ebore certantem, summopere affe-F ctantes. Et quod caput est, faciem totam monstrosæ cuidam larvæ inclusam continebant, quam in publicum proditoræ, in ipso domus limine detrahebant, ut sic ad primum sui aspectum, omnium ora oculosque converterent. Tangit hanc luxuriam Satyricus *Juvenalis Satyra 6.*

*Interea fœda aspectu, ridendaque multo*
*Pane tumet facies, aut pinguia Poppæana*
*Spirat, & hinc miseri viscantur labra mariti.*

A Et inferius versu 470.

*Sed quæ mutatis inducitur atque fovetur*
*Tot medicaminibus, coctæque siliginis offas*
*Accipit, & facies madidæ dicetur, an ulcus.*

Tertullianus libro de Velandis Virginibus, cap. 12. *Jam & consilium formæ a speculo petunt, & faciem morosiorem lavacro macerant, forsitan & aliquo eam medicamento interpolant.* Imo vero & in publico faciem aliquo tectorio abscondebant, ne libidinantium oculorum satiarent aspectum. Lascivia hæc dicam, an superbia, clare enituit in Poppæa Sabina, de qua sic Tacitus 13. Annal. *Sermo comis, nec absurdum ingenium, modestiam præferre, & lascivia uti, rarus in publicum egressus, idque velata parte oris, ne satiaret aspectum.* Habeat sibi has expoliendi vultus præstigias, imbellis fœminarum sexus, at in viris ejusmodi lascivia quo tandem pacto ferenda tolerandaque est? Othonem tradit *Suetonius cap. 12. Faciem quotidie rasitare ac pane madido linere consuetum.* Insultat imbelli Principi Juvenalis Satyr. 2.

*Nimirum summi Ducis est occidere Galbam,*
*Et curare cutem, summi constantia civis:*
*Bebriaci campo spolium affectare Palati,*
*Et pressum in facie, digitis extendere panem.*

Verum Romani non de sua tantum forma solliciti, pædagogiorum faciem ejusmodi medicamentis oblinebant, ne cœlestes injuriæ teneram cutem læderent ac deturparent. Seneca Epistola 123. *Omnium pædagogia oblita facie vehuntur, ne sol, ne frigus teneram cutem lædat: turpe est neminem esse in comitatu puerorum, cujus sana facies medicamentum desideret.* Transeamus ad aliud lasciviæ inventum Romanis mulieribus perquam usitatissimum: illæ enim faciem lacte asinino macerare, quo candidior videretur, consueverant. Nam, ut inquit Plin. lib. 28. Cutem in facie erugari ac tenerescere, & candorem custodire, lacte asinino putant. Protrahatur in medium sceleratissimi mortalium Neronis uxor nefaria Poppæa Sabina, de qua Xiphilinus in Epitome Dionis conscripsit: *Mulas quibus agebatur, habebat aureis funibus subligatas, & quingentas asinas quæ proxime peperissent, quotidie mulgebat, ut ipsarum lacte lavaretur. Formam enim & nitorem corporis magno studio curabat: nam cum se aliquando non satis bona forma in speculo cerneret, mori, priusquam senesceret, optavit.* Digna Neronis thalamo conjunx, & quæ mortem prius quam rugas concupiverat, voti sui compos facta est: calce enim a Nerone percussa, vitæ suæ extremam metam attigit. Quam ob causam Juvenalis versu citato, faciem pinguia Poppæana spirantem dixit, quem in locum Vetus Scholiastes notat: *Poppæa uxor Neronis adeo diligens in excolenda forma fuit, ut eam quinquaginta asinæ sequerentur missam in exilium, quarum lacte candorem corporis provocabat.* De illa accipiendus est ille versus Juvenalis Satyr. 6.

*—— atque illo lacte fovetur,*
*Propter quod secum comites educit asellas,*
*Exul Hyperboreum si dimittatur ad axem.*

Sed necdum his circumscriptus terminis luxus constitit, nonnunquam pigmento decoloratæ facies nativam concinne mentiebantur formam, & adscititia venustate adulteratæ, oculos spectantium decipiebant. *Cutem medicaminibus ungunt, (ait Tertullianus de cult. fœmin. cap. 5.) genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt.*

Audiamus & Poetam nequitiæ suæ magistrum, qui hos mulierum fucos pluribus in locis describit, alias etiam si quas venustate formæ natura spo-

liaverat, alieno decore faciem dissimulare hortatur.

*Scitis & inducta candorem quaerere cera,*
*Sanguine quae vero non rubet, arte rubet.* &c.

Idem *Nec pudor est oculos tenui signasse favilla,*
*Vel prope te nato, lucide Cydne, croco.* &c.

Idem *Pallida purpureis tangat sua corpora virgis,*
*Nigrior ad Pharii confuge piscis opem.*

Plautus in Mostellaria:

*Cedo cerussam. quid cerussa opus est? nam qui malas oblinam.*

Martialis lib. 2. Epigram. 41.

*Quam creata timet Fabulla nimbum,*
*Cerussata timet Sabella solem.*

Jucundissime alibi apud Plautum in Mostellaria, hos muliebres fucos & unguenta perstringit Scapha ancilla, cum inquit:

*—— quia ecastor mulier recte olet, ubi nihil olet.*
*Nam isthaec veteres quae se unguentis unctitant, interpoles*
*Vetulae edentulae, quae vitia corporis fuco occulunt,*
*Ubi sese sudor cum unguentis consociavit, illico*
*Itidem olent, quasi quum una multa jura confundit coquus.*

Severe magis ineptias has muliebres, castigat magnum Ecclesiae decus D. Hieronymus, Epistol. 8. *Illae oculos Christianos scandalizant, potius quae purpurisso, & quibusdam fucis ora oculosque depingunt, quarum facies nimio candore deformes, Aegyptiaca Idola mentiuntur, quas nec numerus annorum potest dicere quod vetulae sint.* &c. Audiamus jam divinam vocem Ambrosii: *Deles* (inquit) *picturam Dei, mulier, si vultum tuum materiali candore oblevisti.* Fulminat magis Augustinus: *Quanta amentia est, effigiem mutare naturae, picturam quaerere. tolerabiliora propemodum in adulterio crimina sunt: ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur.*

Sed de his plura non adfero, ne me quispiam compilasse putet Crispini scrinia lippi. ad virilem sexum venio. Gravis est haec & turpis mollities, faciem fucato colore depingere, nihilominus Laronia quaedam apud Juvenalem *Satyra* 2. exprobrat eum luxum Cybelles sacerdotibus, quos mulierum adinstar, has etiam vultui offucias inducere non puduit:

*Ille supercilium madida fuligine tactum,*
*Obliqua producit acu, pingitque trementes*
*Attollens oculos. ——*

Ubi Joannes Britannicus commentatur: Per oculos intellige genas, quae inficiebantur. Unde Divus Cyprianus de habitu Virginum, de impudicis viris sic scribit: *Illi docuerunt, & oculos circumducto nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem.* Ferunt (*Xenophon lib.* 8.) Cyrum Regem Persarum familiares suos, quos ad gerendos magistratus aptissimos esse judicabat, jussisse, ut oculos genasque suppingerent. Verum alia potentissimo Regi mens, alia Romanis. hi enim ex mera puraque lascivia, externam venustatem affectabant, ille vero eum ad finem vultus familiarium suorum colorari voluit, quod existimaret aliquid conferre, ut minus essent subditis contemptui.

Formae comptae, ac expolitae faciei consilium, exhibet levitas illa speculi fabra, (ut cum Apulejo dicam) splendorque opifex. De speculorum igitur monstrosa magnitudine & pretio, sufficiet unica Senecae Patris auctoritas, qui egregie intolerandam hanc explicat luxuriam: *Postea* (inquit is *Natural. quaest. lib.* 1. *ad finem.*) *potiente luxuria, speculatotis paria corporibus, auro argentoque coelata sunt, denique gemmis adornata, & pluris unum ex his foeminae constitit, quam antiquarum dos fuit.* Et inferius: *Jam libertinorum virgunculis in unum speculum non sufficit dos illa, quam dedit senatus pro Scipione.* Socratem Philosophum ultro discipulis suasisse dicunt, crebro ut semet in speculo contemplarentur, uti qui eorum foret pulchritudine sibi complacitus, impendio procuraret, ne dignitatem corporis malis artibus dedecoraret; qui vero minus commendabilem se forma putaret, sedulo operam daret, ut virtutis laude turpitudinem tegeret. Non ad eum finem Imperator ille Romanus Otho, inter arma bellique machinas speculum secum circumtulit, qui turpi illa ac probrosa φιλαυτίᾳ stimulatus, inter clangorem buccinarum, tubarum strepitum, formam suam speculo explorare non dubitavit. Quanta quamque effera lascivia! tunc cum militum pro libertate pugnantium, ora vultusque egregia cruoris purpura colorantur, Imperatorem unum speculo intentum, formae consilium petere. Probrosam hanc ejus curam, carpit alibi summa cum indignatione Juvenalis:

*Ille tenet speculum pathici gestamen Othonis,*
*Actoris Aurunci spolium, quo se ille videbat*
*Armatum, cum jam tolli vexilla juberet.*
*Res memoranda novis annalibus, atque recenti*
*Historia, speculum civilis sarcina belli.*

Reliquum est, ut de odoribus, quorum pergrata fragrantia Romani formae suae gratiam captabant, differamus. Martialis Coracinum quendam unguenta redolentem arguto Epigrammate taxavit, *lib.* 6.

*Quod semper casia cinnamoque,*
*Et nido niger alitis superbae*
*Fragras, plumbea Niceratiana,*
*Rides nos, Coracine, nihil olentes,*
*Malo, quam bene olere, nihil olere.*

Idem Poeta ad Posthumum lib. 2.

*Esse quid hoc dicam, quod olent tua basia myrrham,*
*Quodque tibi nunquam est? non alienus odor.*
*Hoc mihi suspectum est, quod oles bene, Posthume, semper:*
*Posthume, non bene olet, qui bene semper olet.*

Juvenalis Satyr. 4. de Crispino:

*Et matutino sudans Crispinus amomo,*
*Quantum vix redolent duo funera. ——*

Et idem Satyr. 8. de Cosmo:

*—— & Cosmi toto mergatur ebeno.*

Vetus Scholiastes: *Cosmus luxuriosus fuit, qui solium, in quod* (corrupte Codex ita habet: lege *in quo sedebat*) *descendebat, multis diversorumque unguentorum odoribus miscebat.* Hinc unguentum Cosmianum in proverbium abiit, Martialis:

*Pastillos Cosmi luxuriosa voras.*

Unguentis enim cognomina dedere, aliis succi, aliis arbores, aliis causae, aliis denique confectores. Inter unguenta vero pretiosissima, illa quoque memorantur Assyria nardus, amomum, myrrha, de quibus frequens mentio apud Ovidium, Catullum, Tibullum, Propertium, Martialem. In odoribus enim ac unguentis Romani luxuriosissimi.

A Nota illa querela Plinii: *Margaritæ enim gemmæque ad hæredem transeunt, vestes prolongant tempus, unguenta illico exspirant, ac suis moriuntur horis. Summa commendatio eorum, ut transeuntem feminam odor invitet, etiam aliud agentem, exceduntque quadragenos denarios libræ. Tanti emitur voluptas aliena: etenim odorem qui gerit, ipse non sentit.* Idem alibi: *Linique jam non solum, sed & perfundi unguentis gaudent.* Flagitiosissimus mortalium Caligula (*Suetonius lib. 4. cap. 37.*) eo pervenit nequitiæ, ut frigidis calidisque unguentis lavaretur. Similis eidem vita moribusque extitit, omnium bipedum nequissimus Heliogabalus, qui, referente Lampridio, nunquam in piscinis natavit, nisi unguento nobili aut croco passim infectis. Quare hac perdita vigente luxuria, officinæ quoque eorum qui odores coquerent passim Romæ extiterunt, de quibus videndus Seneca Epistola 90.

B Verum accidit plerumque, quod delicatis hominibus luxus ac mollicies attulerit perniciem, & illa ipsa unguenta quæ lasciviæ enervatorum hominum servierunt, crudelis fati causa iisdem extiterint. Refert Valerius Maximus lib. 6. c. 8. de Planco Plotio, Munacii Planci Consularis & Censorii fratre, quod is, quum in proscriptione Triumvirali a militibus quæreretur ad necem, fidelitate servorum in regione Salernitana occultatus odore unguentorum proditus sit. Factum hoc eleganti Epigrammate comprehendit doctissimus Beza, quod eruditissimus Camerarius in Sub. Cent. 1. c. 20. inseruit:

*Sęva cohors Plancum ad mortem cum quæreret illa*
*Triumviralis carnifex,*
*Servarant dominum servi penetralibus imis,*
*Et ille mortem effugerat:*
*Unguentis cum profusis de more madentem,*
*Odor indicatum prodidit.*
*Quam potuit multos virtus servare fideles,*
*Mala quos voluptas perdidit.*

Non absimilem historiam memoriæ prodidit, Jovius libro 44. de Muleasse Rege Tunetorum, qui dum contra filium ad recuperandum regnum infeliciter pugnasset, inter turbam terga vertentium, e solo odore unguentorum agnitus, vivus a persequentibus captus est, postea oculorum lumine privatus. Vide Camerarium loco citato.

C Finem jam parti huic impositurus, non possum præterire memorandum illud facinus Vespasiani, qui in illa Imperii majestate, rerumque Romanarum regimine constitutus, ne quam occasionem corrigendæ disciplinæ prætermitteret, *Adolescentulum* (inquit *Suetonius lib. 10. cap. 8.*) *fragrantem unguento, cum sibi pro impetrata Præfectura gratias ageret, nutu aspernatus, voce etiam gravissima increpuit: Maluissem, allium oboluisses.* litterasque revocavit. Et hæc profecto ex sententia Socratis, qui apud Xenophontem *in Convivio*, mulierem olere unguenta, virum autem probitatem debere, maxime consentaneum esse judicavit.

## CAP. VIII.

*De Luxurioso vestitu dictum. Colores vestium innumeri. Conchyliatæ pretiosissimæ, a Julio inhibitæ. Purpura dibapha magni pretii, usus illius post a solis Impp. retentus. Purpura delicatiorum indumentum. Purpura Laconica. Purpuræ usum quis Romanis demonstraverit. De vestibus auratis. Denique matronarum in vestitu Luxus proponitur.*

PRæclarissimus Histcricorum, longeque prudentissimus *Polybius lib. 11.* memoriæ mandavit Philopœmenem hortatum fuisse olim Achæos, ut studium elegantioris amictus, ad armorum potius cultum splendoremque transferrent. Cultus nimiam curam (inquiens) mulieri convenire, & ei quidem non nimis modestæ, armorum vero pretiosorum studium & decus, viris fortibus, qui & suam & patriæ salutem cum gloria conservare propositum habeant.

Ejusdem sententiæ fuisse comperio, fortissimos quosque, simul & antiquissimos Romanorum, qui non in splendore vestium, non magnifico corporis cultu, non Phrygia acu elaborata toga, sese jactare gloriarique consueverant, sed per bella sævissima (ut ait *Ammianus lib. 13.*) *Non indumentorum vilitate a militibus gregariis discrepantes, opposita virtute cuncta superarunt.* & imperium non in decore, sed in virtute situm judicaverunt.

In Catone miratur Plutarchus, quod jam senex post Consulatum & triumphum adeptum, nulla unquam veste usus sit, quæ centum denariorum pretium excederet.

Quod si cuipiam antiquorum Imperatorum, aut Fabio Cunctatori, aut Papyrio Cursori, ab inferis iterum in hujus lucis auras velut postliminio remeare datum fuisset, & posterioris sæculi luxuriosum vestium ornatum intueri, quanto stupore defixi, ad pristinam magnorum Ducum continentiam ingemuissent. Ii etenim semper ornatum corporis vilem, at ornatum exercitus apparatum, gloriosum esse arbitrabantur.

Sed quoniam ordo jam admonet, ut de Romanarum vestium luxu differam, libens aggredior.

In colore primum magnopere affectatam fuisse luxuriam, animadverti apud ingeniosissimum Poetam (*Ovidius 1. de Arte.*)

D *Quot nova terra parit flores, cum vere tepenti*
*Vitis agit gemmas, pigraque fugit hyems,*
*Lana tot aut plures succos bibit.* ——

Atque plurimæ vestium a solis coloribus nomen traxerunt, quod indicare videtur Plautus in Epidico *Act. 2. Scena 2.*

*Quid istæ, quæ vesti quotannis nomina inveniunt nova?*
*Tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum cæsicium,*
*Indusiatam, patagiatam, caltulam, aut crocotulam,*
*Supparum, aut subminiam, ricam, basilicum, aut exoticum,*
E *Cumatile, aut plumatile, cerinum aut melinum.*

Hinc & amethystinæ vestes, unde nominatæ nisi ab amethysto lapide pretioso? Purpura etenim eo temperamento inficiebatur, ut ejus lapilli colorem redderet, qui amethystus appellatur.

Amethystinas vestes in summo usu fuisse Romæ, conjicere licet ex Juvenali, qui corruptos ævi sui mores Satyrico morsu arrodens, inquit: purpuram aut aliquam aliam vestem, quam immensum pretium commendat, sæpenumero in causa fuisse, ut causidicus ad causam reorum perorandam conduceretur, *Satyra 7. versus 134.*

F *Est tamen, est illis hoc utile: Purpura vendit*
*Causidicum, vendunt amethystina.*
Meminit hujus vestis & Martialis:
*Qui coccinatos non putat esse viros,*
*Amethystinasque mulierum vocat vestes.*

Amethystini coloris usum Neronem inhibuisse, refert Suetonius in ejus vita. Non satis erat, Amethystinos colores ad tantam Romanis lasciviam deservi-

viſſe, mox invaleſcens luxuria, addidit quendam alium, quam Tyriamethyſtum nuncupavit. Plinius: *Non eſt ſatis abſtuliſſe gemmæ nomen amethyſtum, rurſus abſolutus inebriatur Tyrio, ut ſit ex utroque nomen improbum, ſimulque luxuria duplex.* Sed en iterum mihi vocandus Ovidius, qui varios veſtium colores elegantiſſimo carmine extulit 3. *de Arte.*

*Aeris ecce color tum cum ſine nubibus æther,*
*Nec tepidus pluvias concitat Auſter aquas.*

Et inferius:

*Hic undas imitatur, habet quoque nomen ab undis,*
*Crediderim Nymphas hac ego veſte tegi.* &c.

Alibi:

*Ille crocum ſimulat, croceo velatur amictu.* &c.

Verum cedant innumeri veſtium colores, conchyliata veſtis tum quoad elegantiam, tum quoad ſumptus magnificentiam, omnes longo poſt ſe reliquit intervallo.

De ejus veſtis colore ac pretio, appello ad auctoritatem Plinii, qui lib. 9. cap. 35. inquit: *Conchylia & purpuras omnis ora atterit, quibus eadem mater luxuria, paria etiam pæne margaritis pretia fecit.* Hujus ingentis pretii magnitudine commotus Julius Cæſar, atteſtante Tranquillo *cap.* 43. inter cæteras leges ſumptuarias, eam quoque tulit: *qua conchyliatæ veſtis niſi certis perſonis & ætatibus, perque certos dies uſum ademit.*

Hanc veſtem exiſtimo intelligere Dionem lib. 52. *Geſtabant* (inquit is) *eo tempore permulti etiam veſtem purpuream, quanquam vetitum id eſſet jam pridem.*

Invehitur & Satyricus, *Satyra* 3. in Græcorum opulentiam, qui tantas Romæ opes corraſerant, ut & conchyliata veſte uterentur;

*Horum ego non fugiam conchylia?* —— &c.

Jam vero cujus & quanti pretii fuit purpura illa, quam dibapham Romani nominarunt. Quod ut facile perſpici poſſit, iterum mihi Plinii revocanda auctoritas, quæ in lucem prolata eſt a doctiſſimo Meurſio in ſuo libro, eam me iterum adſcribere non pigebit, ut magis magiſque laſcivientis Romæ luxuria condemnetur. Verba illius ſunt *lib.* 9. *cap.* 39. *Nepos Cornelius qui Divi Auguſti principatu obiit, me, inquit, juvene violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum vænibat: nec multo poſt rubra Tarentina, huic ſucceſſit dibapha, quæ in libras denariis mille emi non poterat.*

Dibapha vero purpura appellata, quaſi bis tincta: de ea Horatius libro Epodon, Ode XII.

*Muricibus Tyriis iteratæ vellera lanæ,*
*Cui properabantur?*

Et idem Romanæ fidicen Lyræ lib. 2. Carm. Ode 16.

—— *te bis Afro,*
*Murice tinctæ*
*Veſtiunt lanæ.* ——

Tibullus:

*Vellera det ſuccis bis madefacta Tyros.*

Hanc purpuram intellexit Lucanus lib. 10. ubi convivium deſcribit, quo Cleopatra Julium victorem excepit:

*Strata micant Tyrio, quorum pars maxima ſucco*
*Cocta diu, virus non uno duxit aheno.*

Atque hinc ille argutus Ciceronis jocus promanavit, quo per dibapham Magiſtratum intelligit. Epiſt. 2. Famil. *Curtius noſter dibapham cogitat, ſed eum infector moratur.* Et Epiſt. 2. ad Atticum lib. 2. *Proinde iſti licet faciant quos volent Conſules, Tribunos plebis, denique etiam Vatinii ſtrumam ſacerdotis διζάφῳ veſtiant.* Purpura enim ponitur pro Magiſtratu apud auctores, præcipue Martialem, & Plinium, quorum ille ſic canit;

*Purpura te felix, te colit omnis honos.*

Alter libro 19. ſcribit: *Ut plane dignæ aliti honoris, tantum præbeat Romana purpura;* & multa ſimilia lector obſervabit. Sed ſi jam inferiora Principum Romanorum ſæcula oculis noſtris ſubjiciamus, reperiemus purpuræ hujus uſum, a ſolis Imperatoribus retentum fuiſſe, quod ſevera edicta & graviſſimæ conſtitutiones apertiſſime conteſtantur. Videatur lib. XI. C. de veſtibus holoberis, & auratis, & intinctione ſacri muricis. Tit. 8. §. 3. & 4.

Priſcis vero Romanorum temporibus, purpura delicatiorum tantum hominum indumentum fuerat, quam quis unquam ſine hominum ſeveriorum nota ſumere attentaſſet? Alludit tacite, ævique ſui mores ſub alieno nomine perſtringit, felix ille ſapientiſſimi Græcorum Poetæ æmulus Maro, qui lib. Æneid. 9. inducit Numanum quendam jactabundum, Trojanis pro vallo pugnantibus, veſtium mollitiem objicientem:

*Vobis picta croco, & fulgenti murice veſtis,*
*Deſidiæ cordi, juvat indulgere choreis,* &c.

Quo in loco Servius ſcribit: *Purpura. hanc autem vitio & dedecori fuiſſe apud majores conſtat.* Juvenalis:

—— *peregrina ignotaque nobis,*
*Ad ſcelus atque nefas quæcunque eſt purpura ducit.*

Quid vero jam referam de Purpura Laconica? de qua Romanæ princeps lyræ lib. 2. Carminum Ode 18.

—— *nec Laconicas mihi*
*Trahunt honeſtæ purpuras clientelæ.*

Meminit & Plautus in Epidico, ubi de variis coloribus veſtium ſcribit;

*Cani quoque etiam ademptum eſt nomen. Qui?*
*Vocant Laconicum.* ——

De hoc Purpuræ genere accipiendus & Juvenalis Satyra 8. cum Spartanam chlamydem nominat. Sed de his alii exactius. Purpuræ uſum quis primus Romanis monſtraverit, dubiam mihi trahit ſententia mentem. Tullo Hoſtilio tertio Romanorum Regi, attribuere id videtur Aurelius Caſſiodorus in Chronico, quod ad Theodoricum Regem conſcripſit. inquit ille: *Tullus Hoſtilius regnavit annos* XXXII. *qui primus apud Romanos purpura uſus eſt.* Ejus ſententiæ an adſcribam, ignoro. dicit etenim quidpiam contrarii auctoritas Plutarchi in Romulo: *Induebatur enim tunica purpurea, geſtabatque togam prætextam.*

A Plutarcho ſtare videtur Livius lib. 1. *Me haud pœnitet eorum ſententiæ eſſe, quibus & apparitores, & hoc genus ab Hetruſcis finitimis, unde ſella curulis, unde toga prætexta ſumpta eſt.* Caſſiodorus vero videtur ſecutus fuiſſe Plinium, qui ſcribit: *Nam toga prætexta, & latiore clavo, Tullum Hoſtilium e Regibus primum uſum manifeſtum eſt.*

Quapropter calculum meum nulli parti appono: viderint ii qui penitius rudera antiquitatis Romanæ ſcrutantur & indagant. Luxus mihi tantum præ manibus, cujus & illud commentum erat, vellera ab extremis terrarum partibus accerſere. Seneca Epiſtol 90. *Sed in quodam urbis ap-*

*paratu, video tot opes urbis cœlatas ex auro & argento, & his quæ pretium auri argentique vicerunt, exquisitos colores, & vestes ultra non tantum nostros, sed hostium fines advectas.* Sed ecce etiam purpura variis distincta coloribus, testis idem qui ante, Stoicorum sapientissimus Seneca, in Consol. ad Helv. cap. 11. *Si desideras saturatam multo conchylio purpuram, intextam auro, variisque coloribus distinctam, & artibus, non fortunæ iste vitio, sed suo pauper est.*

Purpureas rubentique murice saturatas vestes, sequantur jam illæ, quas ab aureis filis summo cum artificio intertextis, auratas Romani nuncuparunt. Ejusmodi veste aurata, primum fuisse usum Aurelianum Imperatorem, scribit Aurelius Victor, in sua Epitome Historiæ Augusteæ. verba illius adsero: [*Diadema capiti innexuit, gemmisque & aurata omni veste, quod adhuc fere incognitum Romanis moribus videbatur, usus est.* Hoc vero mihi satis mirum videtur, quod scriptor hic tam audacter asserere non vereatur, auratam vestem Romanis minime cognitam extitisse, cum ea multis ante Aurelianum temporibus, non tantum Principes ipsos, sed & aulicos ornatos fuisse reperiam. Lampridius in vita Alexandri Severi, inter cæteras Imperatoris hujus virtutes, atque præclara continentiæ instituta, illud etiam recenset: quod auratam vestem nemo ministrorum ejus, vel in publico convivio habuerit.

Alterum est, quod idem Victor literis prodidit, Valerium Diocletianum primum ex auro vestem quæsivisse. inquit is: *Valerius Diocletianus domesticos regens ob sapientiam deligitur, magnus vir, his moribus tamen, quippe qui primus ex auro veste quæsita, serici ac purpuræ, gemmarumque vim plantis concupiverit.* Obsecro, quis primus ad imperium Orbis evectus, Diocletianus, an Heliogabalus? Heliogabalum antecessisse quis nisi amens ignorat? at qui hunc usum fuisse aurea omni tunica, usum & de gemmis Persica, quum gravari se diceret onere voluptatis, Lampridius refert. Quid dicam de Caliogula, de quo Suetonius: *Primo die phalerato equo, insignisque quercina corona, & securi, & cetra, & gladio, aureaque chlamyde.* Adde. Tarquinium Priscum in aurea tunica triumphasse Verrius apud Plinium tradit: asseritque idem Plinius, se vidisse Agrippinam, Claudii Principis uxorem, edente eo navalis prœlii spectaculum, assidentem ei, indutam paludamento aureo textili, sine alia materia. Vide & Tacitum 12. Annal.

Neque hic præteribo Neronis vestem, (*Sueton. in ejus vita*) qui Romam introiit in purpurea distinctaque stellis aureis chlamyde. Imitatus forsitan Demetrium Macedonem, cujus causa ferunt vestem quandam ad similitudinem astrorum fieri cœptam, superbum procul dubio ac multi laboris opus, eam vero in ipsa permutatione rerum imperfectam ajunt fuisse relictam, neminemque deinde Macedoniæ Regum, (*adi Plutarchum in vita Demetrii*) etsi multi superbissimi postea fuere, ea uti ausum esse. Auratæ vero vestes, inferiorum Imperatorum edictis magnopere vetitæ. C. de vestibus Olobcris & Auratis. libro 11. tit. 8. *Auratas ac sericas paragaudas, auro intextas viriles, privatis usibus contexere conficereque prohibemus.*

Paragaudas vestes appellarunt Jurisconsulti, vestes deauratas tantum in fimbriis. Patet ex lege Imp. Grati. Valent. & Theodos. *Nemo vir deauratas habeat, aut in tunicis, aut in lineis paragaudas, nisi hi tantummodo, quibus hoc propter imperiale ministerium est concessum.* Hac voce usus est Flavius Vopiscus in vita Aureliani, cum inquit: *Paragaudas vestes ipse primus militibus dedit, quum ante non nisi rectas purpureas accepissent, & quidem aliis monolores, aliis dilores, trilores aliis, usque ad pentalores, quales hodie lineæ sunt.*

Referatur jam hic mulierum sese superbe vestientium luxuria, quas multo conchylio saturatæ purpuræ immensum pretium, a quotidiano usu non deterruit, labor ac difficultas a conquirendo murice non avocavit, denique nobilis metalli pretium, quominus picturatas auroque illusas vestes gestarent, non retardavit. Vetus de iis querela est, apud elegantissimum Poetam Plautum, *Epidico*:

*—— quid autem istuc mirabile est,*
*Quasi non fundis exornatæ mulieres incedant.*

Recentior apud Ovidium & Propertium, quorum ille sic alibi cecinit;

*Cum tot prodierint pretio leviore colores,*
*Quis pudor est census corpore ferre suos?*

Alter vero sic inquit;

*Matrona incedit census induta nepotum.*

Et Satyricus mordaci aceto hanc fœminarum luxuriam perfundit, Satyra 6. versu 360.

*Prodiga non sentit pereuntem fœmina censum,*
*Ac velut exhausta redivivus pullulet arca*
*Nummus, & pleno semper tollatur acervo.*

Cato 7. Originum, mundum muliebrem recensens, ait: *Mulieres opertas auro purpuraque.*

Purpurea veste quando primum matronæ Romanæ uti inceperint, colligo e Valerio Maximo, qui lib. 5. de Gratitud. cap. 1. inter cæteros honores quos matronis Senatus habendos esse censuit, tum cum Veturia mater, & Volumnia, Coriolanum ad Volscos profugum, funus ac tenebras urbi Romanæ minitantem, a nefario facinore precibus suis avocarunt, scribit: *Permisit his quoque purpurea veste, & aureis uti segmentis.* Per segmenta quid intelligendum sit, dubito, satis tamen ut existimo explicat Servius in 1. Æneidos, illo loco: *colloque monile Baccatum.* qui dicit esse: *Ornamentum gutturis, quod & segmentum dicunt.* In hanc expositionem manibus pedibusque concedo, quod ut faciam, monet & lex Oppia. Cum enim ante bellum Punicum secundum, diversorum colorum vestes, jam ad luxuriam a matronis conquirerentur, & segmenta hæc sive gutturis ornamenta, ad enorme quodpiam pondus auri excrescerent, in extrema Reipub. necessitate lata lex est a L. Oppio Tribuno plebis, quæ fœminas, nec veste varii coloris uti, nec auri plus semiuncia habere permittebat. Hæc certa explorataque cui non sint? quidquid afferat vetus Scholiastes Juvenalis, qui illo loco Satyræ 1.

*Segmenta & longos habitus & flammea sumit,*

segmenta profusas vestes appellandas esse existimavit.

De purpureis fœminarum vestibus, plurimæ extant auctoritates apud Elegiographos Poetas. Tibullus;

*Urit seu Tyria voluit procedere palla.*

Idem: *Sola puellarum digna est, cui mollia caris*
*Vellera det succis bis madefacta Tyros.*

Plura a curioso lectore observari poterunt, & præcipue apud illos Poetas Amorum Triumviros.

Jam quid Attalicis vestibus splendidius ac pretiosius? & has e Phrygia in Latium muliebris luxuria evocavit. Juvenalis Satyra 6. fœminam iratam describens inquit:

*At latum pictæ vestis considerat aurum.*

quo versu Attalicam vestem intelligi debere, doctissimi interpretes censuere. Ovidius alibi;

*Nec prodite graves insuto vestibus auro*
*Per quas non petitis, sæpe fugatis opes.*

De auratis matronarum vestibus Capitolinus & Lampridius scriptum reliquere, quorum testimonia eo fine adducenda esse existimavi, ut insanus matronarum luxus, luce clarius innotescat. Capitolinus in vita M. Antonini Philosophi, quum de auctione scribit, quam hic Princeps rerum suarum imperialium in foro Trajani proposuerat, inter cætera etiam vestem uxoriam sericam, & auratam enumerat. Lampridius continentiam Alexandri Severi summis elogiis celebrans, nec illud silentio involvit, præclarum dictum illius, ex quo de vestibus auratis non difficulter discas, Matronas Regias contentas esse debere unico redimiculo, atque inauribus, & baccato monili, &c. & unico palliolo auro sparso,

Cedite, vos Imperatrices, cum vestris auratis vestibus, nec pallas Babylonia acu elaboratas, tantopere celebrate. prodit Lollia Paullina, quæ omnem auri splendorem, fulgentium metallorum luce, non difficile superabit. Eam narrat *Plinius lib. 11. cap. 16.* visam a se, *ne serio quidem aut solemni cæremoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium cæna, smaragdis margaritisque opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite crinibus, spiris, auribus, collo, manibus, digitisque: quæ summam quadringenties sestertium colligebant, ipsa confestim parata mancupationum tabulis comprobare.* (*Hunc locum citat Meursius lib. de Luxu cap. 4. & computat duos milliones hanc summam efficere.*) Julia quoque Augusti Imperatoris filia, cui mitis humanitas, minimeque sævus animus, forma ipsa denique ingentem gratiam conciliaverat, sed lascivi mores, vitaque libidinibus flagrans, tantam fortunæ indulgentiam ac benignitatem obscuraverat, magnopere profuso corporis cultu gaudebat, etiam ultra quam fœminam tam splendidis ortam natalibus decebat. Venerat illa ad Augustum, & licentiore habitu offenderat oculos patris tacentis. Mutavit cultus sui postera die morem, & lætum patrem affectata severitate complexa est. At ille qui pridie dolorem suum continuerat, gaudium continere non potuit, & *Quantum*, ait, *in filia Augusti probabilior est hic cultus?* Non defuit patrocinio suo Julia his verbis: *Hodie enim me patris oculis ornavi, heri viri,* Macrob. Satur. 2. cap. 5.

Vide ingenium mulieris, quam dextre lasciviam suam obtexit. Sed ita videtur a natura comparatum esse, ut *Munditiæ, & ornatus, & cultus fœminarum insignia sint; his gaudeant & glorientur*, quemadmodum alibi inquit Livius.

## CAP. IX.

*Serica vestis, pellucida, auri integmine discriminata. ejus pretium. viris tam ac fœminis promiscua. ab aliquibus inhibita Impp. Corpora divitum mortuorum serico involuta.*

De serica veste, cum permulti doctissimi viri, in Commentariis suis ad variorum auctorum opera, pulcherrime scripserint, restat nunc ut apem imiter, quæ ex diversis florum generibus, mel cœleste donum sedula anquirit & colligit, collectum in cellas admirando, & plusquam Dædaleo artificio confectas distribuit. Ita & ego ea omnia sparsim in literatissimorum virorum mo-

A numentis conquisita & annotata, in unum velut corpus concinnabo. Neque enim ejus sum ingenii, ut alienos partus eam suppositum mihi: quod quidam nostri ævi homines facere consueverunt. Id enim quam improbe faciant, facile colligere ac perspicere possumus: aliorum namque egregie inventa tenebris & caligine quadam obducere existimantes, suo cum dedecore magis aliquando illustrare videntur, suamque prodere inscitiam.

Sed ad propositum. Sericæ vestes, & pellucidæ fuerunt, & a longinquis terrarum oris petitæ. Hæc duo magni Senecæ stabiliet auctoritas. Scribit is lib. 7. de Benef. cap. 9. *Video sericas vestes, si vestes*
B *vocandæ sunt, in quibus nihil est, quo defendi, aut corpus, aut denique pudor possit, quibus sumptis mulier parum liquido se nudam non esse jurabit: hæ ingenti summa ab ignotis etiam ad commercium gentibus accersuntur, ut matronæ nostræ, ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, quam in publico ostendant.* Seneca pater 2. Controv. in eandem sententiam inquit: *Infelices ancillarum greges laborant, ut adultero tenui veste perspicua sit.* Execratur & D. Hieronymus scelestam hanc matronarum libidinem, libro adversus Helvidium: *Ingrediuntur expolitæ libidinum victimæ, & tenuitate vestium nudæ, impudicis oculis*
C *ingeruntur.* Appositissimum nomen vesti huic tribuit, purissimus atque elegantissimus Arbiter, in suo Satyrico;

*Æquum est induere nuptam ventum textilem,*
*Palam prostare nebula linea.*

De eadem Horatius. lib. 1. Sat. 2.

*Plurima quæ invideant pure apparere tibi rem,*
*Altera nil obstat: Cois tibi pæne videre est*
*Ut nudam.* ——

D Coam vestem Lyricus, aliique ævi illius Poetæ appellarunt, a Co Insula, cujus incolæ in texendis summa cum subtilitate vestibus, palmam obtinuerunt: atque hoc genus vestis, ibidem primam texisse ferunt Pamphylam quandam Platis filiam, ut notavit Britannicus ex Plinio, in Satyram 8. Juvenalis, versum 101. En & Tibullus Coam dixit, Elegia 4. libri 2.

*O pereat, quicumque legit, viridesque smaragdos,*
*Et niveam Tyrio murice tingit ovem.*
*Hic dat avaritiæ causas, & Coa puellis*
*Vestis, & e longo lucida concha mari.*
E *Hæc fecere malas, hinc clavim janua sensit,*
*Et cœpit custos liminis esse canis.*

Ne vero vestes hæ libidinoso splendore tantum gauderent, tenuitatem illarum subtili auri integmine discriminarunt (*vide Propertium aliosque Poetas.*) Tibullus Eleg. 6. lib. 2.

*Illa gerat tenues vestes, quas fœmina Coa*
*Texuit, auratas disposuitque vias.*

F Sed cujus tandem pretii hæc serica? admirandi profecto, aurum etiam ipsum antecessit. Flavius Vopiscus de Divo Aureliano scribens inquit: *Vestem holosericam, neque ipse in vestiario suo habuit, neque alteri utendam dedit, & quum ab eo uxor sua peteret, ut unico pallio blatteo serico uteretur, ille respondit: Absit ut auro fila pensentur. libra enim auri, tunc libra serici fuit.*

Hanc vestem Juvenalis Satyra VI. tenuem cycladem appellat, & panniculum bombycinum:

*Hæ sunt quæ tenui sudant in cyclade, quarum*
*Delicias & panniculus bombycinus urit.*

Viros jam, si Diis placet, lascivis his multitiis indutos intueamur. Hæccine dissimulante oculo cernes, Imperii pater Gradive?

*Nec galeam quassas? nec terram cuspide pulsas?*

*Non videntur tibi contra naturam vivere*, (dicam cum gravissimo Censore Seneca, *Epist.* 123.) *qui commutant cum fœminis vestem: non vivunt contra naturam, qui expectant, ut pueritia splendescat tempore alieno*. Quid inquies hic, Cælicolarum fortissime? videsne Martios viros *lacernas coloris improbi sumentes, & pellucentes togas, Seneca Epist.* 113. Conqueritur etiam graviter Solinus: *Hoc est illud sericum in usum publicum damno severitatis admissum, & quo ostentare potius corpora, quam vestire, primo fœminis, nunc etiam viris persuasit luxuriæ libido*. Atque eam impudicam metamorphosim in populo Romano, admiratur Plinius: *Nec puduit bas vestes usurpare etiam viros, levitatem propter æstivam: in tantum a lorica gerenda discessere mores, ut oneri etiam sint vestes*.

Jamque sic lascivientes Romanorum animos tetigerat aliqua verecundia hujus libidinosi vestitus. nam Tiberio ad imperii clavum sedente, anno ab Urbe Condita 769. severo edicto mandatum est, *ne vestis serica viros fœdaret*. (*Tacitus*.) Eandem legem prodidit Dio Cassius lib. 57. *Sisenna Statilio Tauro, L. Libone Coss. Tiberius edixit, ne quis vir serica veste uteretur*. Sed facilius erat profecto monstrorum domitori Herculi, Hydram venenatis (ut ait Lucretius) vallatam colubris, flamma ferroque adurere & exscindere, quam fœdum luxuriæ portentum, a Republica defendere ac propulsare. Quid enim præstiterunt edicta Tiberiana? represserunt luxum ad tempus idque exiguum, non sustulerunt. Exemplo mihi sit Creticus apud Juvenalem Sat. 2. de quo ille;

*—— Sed quid?*
*Non facient alii, cum tu multitia sumas,*
*Cretice, & banc vestem populo mirante, perores.*

Cui quantopere insultet Satyricus, sub persona Laroniæ cujusdam, attentius consideremus:

*En babitum, quo te leges ac jura ferentem*
*Vulneribus crudis, populus modo victor, & illud*
*Montanum positis audiret vulgus aratris;*
*Quid non proclames, in corpore judicis ista*
*Cum videas, quæro, an deceant multitia testem?*
*Acer & indomitus libertatisque magister,*
*Cretice, pelluces.*

Subtilem hujus vestis texturam, existimo me superius abunde declarasse, sed quoniam in virorum quoque usum serica migraverat, virum jam pellucentem in hac nebula producam, videlicet Commodum Imperatorem, de quo sic in ejus vita Lampridius: *Alias debilis & infirmus, vitio etiam inter inguina prominenti, ita ut ejus tumorem per sericas vestes populus Romanus agnosceret*. Ad discrimen vero muliebris serici, hæ vestes appellatæ sunt viriles. (De hac veste serica, intellige Lucan. lib. 1. *cultus gestare decoros Vix nuribus rapuere mares*.) Apud Flavium Vopiscum Aurelianus Imperator scribens ad ærarii Præfectum, eas vocat hoc nomine: *Dabis ad editionem Circensium tunicas multitias viriles decem, lineas Ægyptias viginti*.

Ad extremum corpora divitum mortuorum, sericis & auratis vestibus involvebantur. Est mihi ad manum evidens Ecclesiæ Doctoris Hieronymi testimonium, qui inquit: *Cur mortuos vestros auratis obvolvitis, cur ambitio inter luctus lachrymasque non cessat? & cadavera divitum nisi in serico putrescere nesciunt*. De hoc ne serico capiendus sit Doctor, de quo hactenus egi, dicant licet alii, ego id nunquam affirmabo.

## CAP. X.

*Vestium luxuriosarum genera proponuntur. Nimius corporis ornatus quorundam. Discinctum esse hominis luxuriosi nota, in castris vero gravis ignominia. Tunicæ manicatæ nonnisi hominum delicatorum. De pretio & multitudine vestium.*

INter cæteras luxuriosas vestes, illæ quoque jure annumerari poterunt, quas Romani Scutulatas appellarunt. Eæ vero a Gallis in urbem allatæ. Plinius: *Plurimis liciis texere, quæ polymita appellant, Alexandria instituit, scutulis dividere Gallia.* De hac veste innuit Satyricus *Juvenalis Satyra* 2.

*Cærulea indutus scutulata. ——*

Et Maronem non aliam intellexisse existimarem, dum hæc scriberet, *Æneid.* 8.

*Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis:*
*Virgatis lucent sagulis.*

Quid delicatius & veste Galbana? a qua homines *galbanati*, & mores fluxi ac effœminati, *galbani* appellati. Martialis:

*—— babeat & licet semper*
*Fuscos colores, Galbanos babet mores.*

quis color vestis hujus fuerit, eleganter disseruit Lipsius Elect. 1. cap. 13. ubi herbaceum fuisse ait (*vide Bayfium in libro eruditissimo, quem de re vestiaria scripsit*.

Adde Ianthina vestimenta, quæ erant violacea purpura infecta. Plinius lib. 21. *Purpureæ latiore folio statim ab radice carnosa exeunt, solæque Græco nomine a cæteris discernuntur appellatæ Ia, & ab iis ianthina vestis*. Locum hunc sic profert Bayfius ex emendatissimo Codice.

Ac ne in his recensendis prolixior esse videar, supersedebo, ubi unam vestem ex Ammiano Marcellino protulero, quam ille libro 14. describit: *Alii* (inquit) *summum decus in carrucis solito altioribus, & ambitioso vestium cultu ponentes, sudant sub ponderibus lacernarum quas in colli exserta fibulis ipsis adnectant, nimia subtegminum tenuitate pervia, filis extantes crebris, a locis omnibus maximeque sinistra, ut longioris fimbriæ tunicæ, perspicua luceant varietate liciorum, effigiatę in species animalium multiformes.*

Transeamus ad eos, qui in exquisito corporis ornatu, vestiumque splendore modum excesserunt. Laborasse hoc luxu ferunt, celeberrimum illum Ciceronis antagonistam Hortensium, de quo cum egregium locum apud Macrobium notaverim, ipsius auctoris verbis, non meis utar, qui sic habet, *lib.* 3. *Saturnal. cap.* 13. *Et ut bene amictus iret, faciem in speculo quærebat: ubi se intuens, togam corpori sic applicabat, ut rugas non forte, sed de industria locatas, artifex nodus adstringeret, & sinus e composito defluens modum lateris ambiret*. Illud mage notandum, quod Macrobius de eodem subdit inferius: *Is quondam, cum incederet elaboratus ad speciem, collegæ de injuriis diem dixit, quod sibi in angustiis obvius, offensu fortuito structuram togæ destruxerat, & capitale putavit, quod in bumero suo locum ruga mutasset*. Ad has vestium rugas formandas, artifices adhibiti. Termllianus lib. de pallio cap. ultimo: *Nec artifice necesse est, qui pridie rugas ab exordio formet*. Vide commentatorem Pamelium; multa enim ille de toga ibidem, si bene memini, annotavit, & Senatoris togati formam & effigiem proposuit.

Sequitur

A Sequitur Mœcenas, homo omni voluptatum genere enervatus, & mollior cuniculi capillo, de quo Seneca Epist. 94. *Non statim cum hoc legeris, hoc tibi occurret, hunc esse qui solutis tunicis semper in urbe incesserit. Nam etiam cum absentis Cæsaris partibus fungeretur, signum a discincto petebatur.*

Homines luxu perditos ac dissolutos, Romana lingua discinctos appellavit, metaphorice scilicet, a veste demissa & laxa, qua inambulare ii consueverunt, qui fruges tantum consumere nati. Horatius Epod. Ode 1.

*Discinctus aut perdam ut nepos.*

B Et Persius Satyra 3.

*Non pudet ad morem discincti vivere Nattæ.*

Cornutus in hunc locum commentatur: *Discinctum dicit, negligentem & perditum, vel discinctum, obesum & ventricosum luxuria, quia cingi non possit.* Hæc ille. Recte profecto, non parva namque antiquis cura, quo pacto cingerentur juvenes. Refert Strabo lib. 4. de zonæ apud Gallos mensura, qua adolescentes cingi opus erat: *Illud quoque ipsis est proprium*, (verba sunt Strabonis) *ut se exerceant* C *ne pingues fiant & ventricosi, si quis autem juvenum zonæ præscriptam mensuram excedat, mulctetur.* Verum apud Romanos, quid fœdius quam discinctum quempiam in publico conspici? hinc illud de Julio Cæsare Sullæ vaticinium: *Caverent sibi a puero male præcincto. Sueton. in Julio, & Plutarchus.* Contra, bene cincti, strenui & expediti habebantur. In Militia Romana, quæ pœna tam atrox, quæ ignominia tantopere execranda, quam discingi? Hac labe atque infamia illi milites notabantur, qui vel ordines deseruissent, vel contra disciplinam castrensem, quam pie ac religiose observari volebant, commisissent.

D Quo facto viri prudentissimi indicare sunt conati, homines ea pœna affectos, magis se dignos Veneris gynæceo, quam Martio ac militari contubernio ostendisse.

Suetonius de Augusto cap. 24. *Pro cætero delictorum genere, variis ignominiis affecit, ut stare per totum diem juberet ante Prætorium, interdum tunicatos, discinctosque.* Valer. Maximus lib. 6. de C. Titio Equitum Præfecto, a L. Cornelio Pisone hujusmodi nota affecto, scribit: *Jussit eum laciniis abscissis amictum, discinctaque tunica indutum, nudis pedibus a mane ad noctem usque ad principia, per omne militiæ tempus adesse.* E *(Principia locus in castris, ubi signa defixa. Adi Lipsium de Milit. Romana, lib. 5. Dialogo 4.)*

Verum hæc uberius a doctissimis viris exposita sunt. Redeo ad Mœcenatem, cujus ut in vestibus molliciem pluribus testimoniis comprobem, e re mea esse duxi, mentem Horatii de Mœcenate, a veteri Scholiaste explicatam, penitius intueri, Satyra 2. lib. 1.

F *Malthinus tunicis demissis ambulat.* ——

quem in locum sic ait: *Malthini nomine quidam Mœcenatem significari suspicantur, a re autem factum est nomen, μαλθακὸς enim & μαλακὸς, idem est quod mollis & delicatus.*

Priori opinioni, quod videlicet Mœcenatem illo versu per Malthinum indicet, facile assentior, cum & in ea fuerit doctissimus Gallorum Turnebus, qui in enucleandis veterum scriptis accuratissimus, simul acutissimus. Dionysius Lambinus adduci non potest, quin huic sententiæ adscribat, pietate quadam ductus, nolle tam impudenter Horatium desipere, ut Satyrico perfricet aceto eum, a quo tantis tamque eximiis beneficiis, cumulatus & ornatus extitit. Gravis ratio, sed tamen non firma adeo, ut eam ille Persianus versiculus non facile evertat, Satyra 1.

*Omne vafer vitium ridendo Flaccus amico*
*Tangit.* ——

Perstringit etiam & Juvenalis luxuriam Mœcenatis, Satyra 12.

*Præcipitare volens etiam pulcherrima vestem*
*Purpuream, teneris quoque Mœcenatibus aptam.*

Idem Satyra 1.

*Et multum referens de Mœcenate supino.*

Delicatum non in vestitu tantum, sed & in dicendo fuisse, cui facile non persuadeat Asiatica illa verborum mollicies tantopere affectata. (*Vide Macrob. Saturn. 2. c. 4.*) Vide Senecam ep. 94. ubi inquit. *Quomodo vixerit Mœcenas, notius est quam ut narrari debeat, quomodo ambulaverit, quomodo delicatus fuerit: non oratio ejus æque soluta, quam ipse discinctus.*

Videamus jam Romanorum Imperatorum vestes, quanta & quanta enormis mox ibi elucescet luxuria. Prodigium illud ac portentum totius Orbis Caligula, (*Sueton. in ejus vita cap. 52.*) *Vestitu neque patrio, neque civili, ac ne virili quidem, ac denique humano semper visus est: sæpe gemmatas depictasque indutus penulas, manuleatus, & armillatus, in publicum processit: aliquando sericatus & cycladatus, ac modo in crepidis vel cothurnis, modo in speculatoria caliga, nonnunquam socco muliebri, plerumque vero aurea barba; fulmen tenente, ac fuscinam, aut caduceum Deorum insignia, atque etiam Veneris cultu conspectus est.* Ridiculi habitus, quibus se ad ridendum universo orbi Caligula proponebat. Manuleatus quis unquam in publicum procedere ausus fuisset, vetere illa atque avita regnante disciplina. Scribit alibi *Gellius lib.* 10. tunicis uti virum prolixis ultra brachia, & usque in primores manus, ac prope in digitos, in omni Latio indecorum fuisse. Feruntque Publium Africanum Pauli filium, P. Gallo homini delicato probro dedisse, quod tunicis uteretur totam manum cooperientibus. Romani eloquii Princeps Tullius, in 2. sua Consulari Oratione, Catilinaria dico, ubi juventutem mollem, sociosque Catilinæ acrius exagitat, sic inquit, *Quos pexo capillo, nitidos ac imberbes, aut bene barbatos videtis, manicatis & talaribus tunicis, velis amictos non togis: quorum omnis industria vitæ, & vigilandi labor, in antelucanis cœnis expromitur.* Sic & Princeps Poetarum Maro, simulato nomine Romanam taxat luxuriam:

*Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.*

Arguit quoque eandem lasciviam in Gallieno, Trebellius Pollio, de quo in vita ipsius literis exaravit: *Purpuream tunicam, auratamque virilem, eandemque maniculatam habuit.* (*Manuleata vestis etiam propria cinædorum, ut constat ex Plauto. Vide Lipsium Antiq. Lection. 4. cap. 19. cap. 51.*) Sequatur Caligulam, scelerati ssimus mortalium humanique generis exitium Nero, quem synthesina indutum, ligato circum collo, prodiisse in publicum sine cinctu & discalceatum, auctor est Suetonius. Transeo Commodum, Heliogabalum, pestes illas Romani Imperii execrandas. Commodus Herculis habitu ornatus, majestatem illam fortissimi Deorum affectavit. Heliogabalus, cum sua purpurea chlamyde gemmatisque fibulis, & aureis, reliquorum in vestitu superare luxuriam non dubitavit. Verum quæ Principum Romanorum lasciviæ par oratio inveniri poterit? vel primo intuitu cuivis Historiæ

Augustex Scriptorum monumenta videnti, quot quantæque omnifariæ luxuriæ sese ad cernendum ingerent imagines? Quis vero hæc tantopere stupebit in Principe, cum & Tonsoribus Romanis, non minori pretio chlamydes togæque constiterunt. Unus sit exemplo, de quo legitur apud Ammianum lib. 22. Verba Scriptoris sunt: *Evenerat, ut iisdem diebus ad demetendum Imperatoris capillum tonsor venire præceptus, introiret quidam ambitiose vestitus, quo viso Julianus obstupuit; ego, inquit, non Rationalem jussi, sed Tonsorem acciri*. Quis æquo animo ferat hanc tonsoris insolentiam? quis non jure execretur & libertum Pompeii Magni? cui, ut inquit Horatius, *bis terve ulnarum toga* fuerat, seu potius ex humeris aulæa togæ. Verum gregarius jam & proletarius fuit sericorum usus Imperatorum ævo, quod ne multis confirmem, sufficiet Ammiani Marcellini auctoritas, qui lib. 23. dum Seres gentem Indicam describit, inquit: *nentesque subtegmina, conficiunt sericum ad usus antehac nobilium, nunc etiam infimorum sine ulla discretione proficiens*.

Ab his transeamus jam ad eos, qui luxuriosum vestium numerum, immenso pretio compararunt. Martialis ad Nævolum quendam scribit, lib. 2. *Epigrammate* 46.

*Florida per varios ut pingitur Hybla colores,*
*Cum breve Sycaniæ ver populantur apes:*
*Sic tua suppositis pellucent præla lacernis,*
*Sic micat innumeris arcula synthesibus.*
*Atque unam vestire tribum tua candida possunt,*
*Appula non uno quæ grege terra tulit.*

Hinc discendum est, Romanos domi vestes sub prælo habuisse ut in publico splenderent. Videndus etiam Seneca Epist. 93. & lib. de Tranq. animi cap. 1. Tertullianus de Pallio cap. ultimo: *Adeo nec artifice necesse est, qui pridie rugas ab exordio formet, & inde deducat in tilias*, &c. De Basso alter locus Martialis lib. 8. *Epigrammate* 9.

*Emit lacernas millibus decem Bassus*
*Tyrias coloris optimi:* ——

Color enim magnopere in purpura spectabatur, quæ quo splendidior, eo gratior. Augustus Cæsar cum de Tyriæ purpuræ, quam emi jusserat, obscuritate quereretur; dicente venditore, erige altius & suspice, his usus est salibus: *Quid ergo? ut me populus Romanus dicat bene cultum, in solario ambulaturus sum? Macrobius Saturnal*. Caligula, teste Suetonio cap. 35. *Ptolomæum accersitum e regno, & exceptum honorifice, non alia de causa repente percussit, quam quod edente se munus, ingressum spectacula, convertisse hominum oculos fulgore purpureæ abollæ animadverterit*. Eleganter etiam princeps Poeta colorem purpuræ expressit, cum Tyrio murice ardentem lænam dixit. Sed facile hos omnes superaverit togatus Xerxes Lucullus, de quo refert Plutarchus: *Cum vero Prætor quidam purpureas, celebrandi spectaculi causa, ab eo chlamydes petiisset, inspecturum si domi haberet, daturumque libenter si adessent, respondit. Postridie vero roganti Lucullo, quot sibi chlamydibus opus esset, quum centum ille sufficere respondisset, ducentas sibi dari Lucullus jussit*. Tantum tamque immensum vestium numerum, quem Lucullus domi suæ habuisse fertur, taxavit Horatius Epist. 6. lib. 1.

—— *chlamydes Lucullus, ut ajunt,*
*Si posset centum scenæ præbere rogatus:*
*Qui possum tot? ait: tamen & quæram, & quot habebo*
*Mittam, post paullo scribit sibi millia quinque*
*Esse domi chlamydum, partem, vel tolleret omnes.*

A Quid jam dicam de Adriano Imperatore, qui, teste Spartiano, trecentos, non nisi cum auratis chlamydibus in arenam misit? Quid de Nerone, cui innumeras vestes fuisse vel ex eo perspicere possumus, quod nullam vestem bis induerit? *Suetonius*. Quid de Heliogabalo, qui, referente Lampridio, linteum lotum nunquam attigit, dicens mendicos, qui linteo loto uterentur. Opponam ego lubens horum Imperatorum lasciviæ, modestiam ac temperantiam Augusti, de quo illud Suetonii: *Veste non alia quam domestica usus est, ab uxore, sorore, filia, nepotibusque confecta*. Jam Severus Imperator, ut perhibet Spartianus, *tam exiguis vestibus usus est, ut*
B *vix tunica ejus aliquid purpuræ haberet, cum hirta chlamyde humeros velaret*. De Tacito Vopiscus: *Togis, tunicis iisdem usus est, quibus privatus*. De vestibus luxuriosis, abunde dictum est: at ubi vestis accubitoria? inquies, ubi pretiosa atque opere Babylonio contexta stragula, ubi insignis & splendidus pædagogiorum ornatus? nec ea nobis impune abibunt, suisque hæc locis melius reservantur. Quid jam dices de nostri ævi luxuria? quæ in tantum excrevit, ut si aliquarum gentium ac nationum vestes, cum Romanis conferre velimus, aut Romanæ cedant, aut certe nostræ veterem illum luxum exæquent. Si enim numerum vestium spectes,
C singulis diebus colorem mutasse & sericum, hoc vero & matronarum & virorum jam specimen est: diversas vestium formas si intueare, singulis momentis vel togas adstrictiores relaxant, vel laxiores stringunt, in hoc sedulo intenti, ut curiosa novitate lascivos oculos delectent. Cassanæus 12. parte Catalogi Gloriæ mundi, Considerat. 96. refert: Mediolani vidisse se matronam, quæ singulis diebus anni, novam & diversam vestem induebat, & sic 365. vestes habuit. Illud vero an non stupendum, quod memini me legisse apud quendam Gallum, qui inducit quempiam narrantem, vidisse se
D fœminam, septies in diem vestientem, diverso togarum genere, adhucque dubitantem, an hoc vel illo habitu ornata, melius ad convivandum procederet.

Quid jam de pretiis vestium referam? an non fundis ornatæ mulieres incedunt? ut recte iis illud Biantis dictum convenire videatur, *Omnia mea mecum porto;* & ut tardigrada testudo domum, sic illæ omnes thesauros, omnemque censum, humeris suis portare non verentur. Lex erat in Gallia lata, qua usus panni aurei & argentei inhibebatur: solers luxuria matronarum, brevi excogitavit, ut se togis vestirent Mediolani confectis, quarum ar-
E tificium, quingentos aureos excedebat, cum in iis ne lamella quidem auri aut argenti splenderet, nec lapides gemmæque radiarent.

Sed reperies & in quibusdam Provinciis mulieres non jam vestiri, sed vix sexum tegere, alias nulla etiam veste pectus ostentare nudum, quo & stuporem quendam viris inædificent, & inaccendant frigus, scandalaque ad cœlum usque jaculentur. (*Vide Scribanium in Antverpia. & Puteanum in suo Como.*)

Quis heu, quantusve furor per Deum Immortalem! hoc nostri ævi fatum est, ut illud in omnium
F ore vetus dictum versetur:

*Vir bene vestitus, pro vestibus esse peritus*
*Creditur a mille, quamvis idiota sit ille:*
*Si careas veste, nec sis vestitus honeste,*
*Nullius est laudis, quamvis scis omne quod audis.*

Valeret o utinam nostris etiam temporibus, illud Joannis Ducæ decretum, qui cum videret Romanas divitias, in peregrinas ac sumptuosas vestes, sericas, Assyrias, Babylonias, vario ac solerti artifi-

cio confectas effundi, sanxit, ne quis subditorum iis uteretur, nisi ipse quisquis esset, cum omni familia in ordinem cogi, ac notari ignominia vellet, sed iis contenti essent, quas Romanæ Provinciæ ac manus præberent, (*Vide Nicephor. Gregoram libro* 2.)

Ac præclara ibidem sententia, concludit Gregoras, historicus licet non adeo ævi antiqui, minime tamen ob singularem prudentiam contemnendus. *Necessariarum enim rerum usus est immutabilis: & subditi, quantum licet, Principum sequuntur cupiditates, idque lex eis est & honor, quod Principibus visum fuerit. Proinde cernere erat, illa quoque brevissimo tempore viluisse; nobilitatis autem limites, Romanis vestimentis definitos, & divitias domo quod ajunt domum ferri.* Sed si etiam inferius ævum intueare, plerique Principum contra insolitum vestium luxum, severas leges tulerunt. Ludovicus Pius Imperator, teste Aventino libro 4. usum auri fericique, plebeiis, & militibus ademit. Carolus V. in Germania & Belgio, usum sericæ vestis, certis tantum personis, habita census & honorum ratione, permisit. In Gallia quoque sæpius leges pro- A mulgatæ contra sericas vestes, & præcipue a Philippo Pulchro, Carolo IX. Henrico II. Narrat etiam Petrus Matthæus, in historia sua, *Tomo* 2. *libro* 4. *Narratione* 4.) quam vernacula lingua conscripsit de Henrico IV. cui a rebus præclare gestis Magni cognomen inditum est: quod is gravi edicto, omnem auri usum interdixerit, quo jam impune luxuria, ad decorandas ornandasque vestes uti suaserat. Idem ante fecisse Divum Aurelianum, memoriæ mandavit Flavius Vopiscus, & rationem subdit: *Plus auri in rerum natura, quam argenti, sed aurum per varios bracteatum, filorum, & liquationum usus perit, argentum in suo usu manet.*

B Omitto facile cætera edicta, legesque severas, quas nostra lascivia, & superflua hæc vestium luxuria sancire, & ferre jussit. Utinam & illud magni Senecæ monitum, omnium animis crebro obversaretur: *Posse nos habitare sine marmorario fabro, posse nos vestitos esse sine commercio Serum, posse nos habere usibus nostris necessaria, si contenti fuerimus his, quæ terra posuit in summo.*

FINIS LIBRI PRIMI.

---

# STANISLAI KOBIERZYCKII DE LUXU ROMANORUM LIBER II.

## CAP. I.

*Luxus in gemmis proponitur.*



Abet hoc omnis luxuria, quod nunquam domestico ac vernaculo apparatu expleri possit, verum ea summa cum diligentia apperat & anquirat, quæ vel in ultimis tantum terrarum oris, sedula parens natura, ab hominum oculis crebroque usu seposuit, vel in ejusmodi locis nasci voluit, ad quæ non nisi cum periculo, & per mille neces mortalibus aditus præbeatur. Gemmas quantum sibi apud omnes gentes ac nationes luxus vindicaverit, quis tam in rebus humanis peregrinus ut nesciat, quas eo ardentiore studio ambire consuevimus, quo illæ F circa devios scopulos, & marinorum canum receptacula, summo cum adeuntium discrimine delitescunt. Illud mage deplorandum est, mortalium animos tantopere avaritiæ vitio obcæcatos esse, qui lucri cupiditate accensi & inflammati, ut luxui patrocinentur, in ipsa Oceani viscera sese demittentes, cum iratis fluctibus, sæpius confligere & colluctari non perhorrescunt. Eleganter alibi inclamat Boetius:

*Sed sævior ignibus Ætnæ,*
*Fervens amor ardet habendi.*
*Heu qui primus fuit ille!*
*Auri qui pondera tecti,*
*Gemmasque latere volentes,*
*Pretiosa pericula fodit.*

Ferunt olim Persas gemmarum lapidumque pretiosorum studiosissimos exitisse, adeo, ut post victam ac debellatam Indiam, non armillas tantum

aureas, gemmarum ac margaritarum fulgoribus distinxerint, sed ipsas etiam vestes gemmeas conficere non dubitarint. Vicit Romana luxuria studium hoc Persarum: ii etenim etsi ab Oriente, ubi fœcunda gemmarum piscatio provenit, toto cœlo dissiti extiterint, in tantum nihilominus gemmis abundarunt, ac si eæ non ex Indiæ Oceano accerserentur, sed e proximo Tiberi eruerentur. Discinctissimus omnium nepotum Æsopus, attestante Valerio Maximo, *libro 8. capite 1. aceto liquefactos magnæ summæ uniones, potionibus aspergere solitus*. Alter ille altissimus gurges, & exquisite nequam Heliogabalus, qui, si Lampridio fidem adhibemus, dum convivis bellaria apponeret, *miscuit gemmas cum pomis ac floribus*. Quid de apparatu atque magnificentia templorum dicam?

*Frondibus ornabant, quæ nunc Capitolia gemmis.*

Verum proponatur ante oculos una matronarum Romanarum, quam ad ostentationem vel potius spectantium stuporem, luxus ambitioso cultu exornavit. Caput jam primum ad intuendum sese offeret, at illud totum, ut inquit Hieronymus, *gemmis oneratum*. Et maximus Poeta Claudianus in laude Serenæ Reginæ:

*—— solitam consurgere gemmis,*
*Aut rubro radiare mari, si floribus ornes*
*Reginæ Regina comam. ——*

Collum consideras, labetur in admirationem animus: *Uno ibi lino decies sestertium inseritur*, quinquaginta, inquam, millia florenorum. vel ut iterum Tertulliani verbis utar: *Saltus & insulas tenera cervix fert*. Idem, *lib. de Habitu muliebri*: *Timeo cervicem, ne margaritarum aut smaragdorum laqueis occupata, locum spathæ non det*. Hinc ornamentum gutturis segmentum est appellatum, quod auro margaritisque distinctum fuerat, teste Servio, in illum Virgilii versum 1. Æneid.

*—— colloque monile*
*Baccatum, & duplicem gemmis auroque coronam.*

Aures jam videamus, *at graciles illarum cutes, calendarium expendunt*, jamque exercitatæ onere ferendo, ingentes facile patiuntur uniones. Atque eam ob causam indignatur Seneca lib. de vita Beata: *Quare uxor tua locupletis domus censum auribus gerit*? Eleganter & Plinius in 12. lib. Procem. inquit: *Mirari subit, unionem in rubri maris profundo, Smaragdum in ima tellure quæri. Ad hoc excogitata sunt aurium vulnera, nimirum, quia parum erat collo crinibusque gestari, nisi infoderentur etiam corpori*. Juvenalis Sat. 6.

*Auribus extentis magnos commisit elenchos.*

Plinius lib. 35. uniones fastigiata longitudine, elenchos appellat. *Eos*, inquit, *digitis suspendere, & binos ac ternos auribus, fœminarum gloria est*. Hinc & ille egregius locus Senecæ promanavit, lib. de Remediis fortuitorum, ubi de uxore ducenda aurea præcepta tradit: *Duc bene institutam, nec maternis inquinatam vitiis: non cujus auriculis bina patrimonia dependent, non quam margaritæ suffocent*. Quantum hi uniones auribus appensi pretium excesserint, quis non facile perspiciat ex illo Vitellii Imperatoris facto, qui, ut refert Suetonius, ex aure matris detractum unionem, ad impensas itineris oppignoravit. Metellæ gemma auricularis, decies sestertium constitisse fertur, quam Æsopus unionum liguritor, aceto liquefactam absorpsit. *Horat. Satyra 3. libro 2.*

*Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ,*
*Scilicet ut decies solidum exsorberet aceto,*
*Diluit insignem baccam, qui sanior ac si*
*Illud idem in rapidum flumen, jaceretve cloacam.*

Ab hoc luxu avocare puellas alibi nititur, magister amorum Naso:

*Vos quoque non caris aures onerate lapillis,*
*Quos legit in viridi decolor Indus aqua.*

Sed brachia jam ac latera curiosius perlustras: ea vero non catenis tantum solido auro rigentibus, verum & gemmatis etiam undique constricta sunt, prædam potius ad triumphum Cupidinis exornatam, non matronam aliquam, cui probitas pudorque cordi sit, te intueri an non jure existimes. Plinius libro 33. cap. 3. *Discurrant catenæ circa latera, & inserta margaritarum pondera, e collo Dominarum auro pendeant*, &c.

De brachiorum armillis, Tertullian. de habitu Mulieb. *Circulos ex auro quibus brachia arctantur*. Mamillis quoque sua ornamenta, vide legem *pediculis*. 32. D. de auro, argento, &c.

Quid de digitis ac manibus referam? quem luxum æque viri ac fœminæ usurparunt. *Exornamus annulis digitos, & in omni articulo gemma disponitur*, inquit alibi sapientissimus Seneca, *Natural. Quæst. lib. 7. cap. 31. Sat. 1.* quin imo digiti ipsi, ut cum Satyrico dicam,

*Vix sufferre queunt majoris pondera gemmæ.*

Heliogabalum singulis diebus variasse annulos memoriæ prodidit Lampridius. Jam annulorum illa mira ornamenta, quibus tantum pretii vetustas fecit, ut nobilibus eos cælaturis distingueret. Eleganter Plinius libro 33. cap. 1. *Multis hoc modis, & cætera omnia luxuria variavit, gemmas addendo exquisiti fulgoris, censuque optimo digitos onerando: mox & effigies varias cælando, ut alibi ars, alibi materia esset in pretio*. Adeoque luxu hoc delectatos fuisse veteres comperio, ut Deos etiam ejus expertes consistere haud paterentur: nam & annulos, teste eodem Plinio, Deorum etiam simulachris induebant, & templis integras dactyliothecas sacrabant. vide Rycq. de Capitol. cap. 22. Quod vero inquit Plinius, *censuque opimo onerando digitos:* quis id crederet unquam, ni idem auctor scriptum reliquisset lib. 37. cap. 7. Nonium Senatorem ab Antonio proscriptum, e fortunis suis omnibus annulum abstulisse secum, sestertiis viginti millibus æstimatum, id est, decies centenis millibus florenorum. Nihil dico de veste, nota illa Paullinæ, quam in medium e Plinii auctoritate superius produxeram, nota & Caligulæ, pervulgata Heliogabali, illa forsitan non tam obvia Honorii Imperatoris, de qua alibi Claudianus, *de IV. Consulat. Honorii*:

*Portatur juvenum cervicibus aurea sedes,*
*Ornatuque novo gravior Deus. asperat Indus*
*Velamenta lapis, pretiosaque fila smaragdis*
*Ducta virent. amethystus inest, & fulgor Iberus*
*Temperat arcanis hyacinthi cærula flammis.*
*Nec rudis in tali suffecit gratia textu:*
*Auget acus meritum, picturatumque metallis*
*Vivit opus, multaque ornantur iaspide vultus:*
*Et variis spirat Nereia bacca figuris*, &c.

Sed quid video? etiamne in socculis conspici vult luxuria, calcarique cupit? *& in peronibus uniones de luto emergere volunt*. *Tertullian. de habitu mulieb.* Neque vero is tantum fæminarum luxus, sed & virorum fuit. Pestis exitiumque humani generis Caligula, teste Plinio, *lib. 32. cap. 2. Super omnia ludibria, socculos e margaritis induebat*. Seneca lib. de benefic. 2. ubi nequissimum illud & in-

solens factum, ejusdem Imperatoris exaggerat, quod A
Pompejo cuidam ad osculandum sinistrum pedem porrexisset, scribit, fuisse nonnullos, qui excusarent, & negarent, id insolentiæ causa factum extitisse, verum socculum eum auratum, imo aureum margaritis distinctum, ostendere voluisse. De Carino Imperatore Flavius Vopiscus scriptum reliquit: *Habuit gemmas in calceis, nisi gemmata fibula usus non est.* (*De Fibula Claudian.*

*—— gravibus subnectens flammea gemmis.*

*Et passim apud Poetas.*) Lampridius de Heliogabalo: *Habuit in calceamentis gemmas, & quidem sculptas, quod risum omnibus movit, quasi possent sculpturæ nobilium artificum videri in gemmis, quæ pedibus adhærerent.* Verum o amentia! uniones etiam sub calceis apponebant. Plinius: *Neque gestare enim jam margaritas, nisi calcent, ac per uniones etiam ambulent, satis est.* Atque ne singula percenseam, coronidis loco apponam dictum Tertulliani, libro de Habitu muliebri cap. 7. *Denique jam gemmatum habent, quod gemmatum esse non debet, si non comparet, ut neglectum esse videatur.* Sic & alibi Manlius: B

*Perque caput ducti lapides, per colla manusque.* C

Diserte de hoc gemmarum luxu, in elegantissimo Satyrico innuit Petronius:

*Quo margarita cara tribacca Indica?*
*Smaragdum ad quam rem viridem pretiosum vitrum;*
*Quo Carchedonios optas ignes lapideos,*
*Nisi ut scintillet? probitas est carbunculus.* &c.

Luxuriæ huic tam late longeque evaganti, occurrere voluit Julius Cæsar, qui ut scribit Suetonius D cap. 43. *Usum margaritarum, nisi certis personis & ætatibus, perque certos dies ademit.* *Vide etiam Eusebium in Chronico.* Sed quorsum hæc edicta Principum? venienti morbo initio occurrendum fuerat, non tum, cum malum hoc ac pestilens luxuriæ virus, omnem medicinam ac curationem aspernaretur. Atque de luxu difficili negotio coercendo & reprimendo, egregie alibi Tiberius Imperator apud Tacitum 3. *Annalium* conqueritur, & addit, quod nunc ad rem meam magnopere facit, *& illa fœminarum propria, queis lapidum causa, pecuniæ nostræ ad externas aut hostiles gentes transferuntur.* Quæ cum ita sint, quis non jure extollat Alexandri Severi E Imper. laudatissimam conjugem, cui cum quidam legatus uniones duos magni ponderis, & inusitatæ magnitudinis obtulisset, vendi eos jussit, qui quum pretium non invenissent, *ne exemplum malum a Regina nasceretur,* (verba Lampridii sunt) *si eo uteretur quod emi non posset, inauribus Veneris eos dicavit.* Fecissent hoc utinam matronæ Romanæ, dum recens luxuria inusitatum illis adhuc gemmarum fulgorem commonstraret, nunquam in tantum erupisset hæc lascivia, cui jam nec modus, nec terminus inveniri poterat. Pietas hæc Alexandri Severi conjugis, simul & continentia, quanto F majori digna elogio, tanto turpior ille luxus & prodigalitas Julii Cæsaris, qui Serviliæ M. Bruti matri, margaritam unam emit sexagies sestertiis, teste Suetonio in ejus vita capite 40. Summam hanc reduxit ad calculum Meursius, & reperit trecentis millibus florenorum margaritam hanc constitisse. Militibus quoque gemmarum usum nimis notum fuisse, facile est videre ex illo Petronii versiculo, *in specimine belli civilis:*

*Assyria concham laudabat miles in unda.*

Quid jam censendum est, si & castra ipsa quæ severa olim undique muniverat ac sepserat disciplina, luxuria violenter perrupit. Quin video etiam inferiore ævo Principum, arma militaria margaritis gemmisque distincta; quasi vero unionum fulgor magis ad perterrendos hostes, quam ad irritandos, non mediocri extiterit adjumento. Capitolinus de Maximino: *Fecit & galeas gemmatas, fecit & buculas.* Claudianus de 4. Honorii Consulatu, de phaleris aureis:

*Turbantur phaleræ, spumosis morsibus aurum*
*Fumat, anhelantes exundant sanguine gemmæ.*

Idem Poeta meminit & armorum, quæ solerter luxuria gemmis exornaverat, in libro de laudibus Stilic. 2.

*Quin & Sidonias chlamydes, & cingula baccis*
*Aspera, gemmatasque togas, viridesque smaragdis*
*Loricas, galeasque nitentes hyacinthis,*
*Gestatosque patri capulis radiantibus enses.*

Et ut obiter notem, inferioribus illis temporibus invaluerat consuetudo arma inaurandi. videatur Trebellius Pollio, in vita Claudii Imperatoris, ubi profert epistolam Valeriani, ad Zozimionem Procuratorem Syriæ, qua præscribit certum salarium Claudio, nondum Imperatori, sed Tribuno Martiæ quintæ legionis dandum. In balteis quoque & vaginis gemmarum luxus conspicitur. Tertullianus: *Latent in cingulis smaragdi, & cylindros vaginæ suæ, solus gladius sub sinu novit.*
Quæ cum ita sint, miror stultitiam gregarii illius, qui sub Maximino Cæsare vallo Regis Persarum direpto, *Ammian. libro* 22. cum sacculum Persicum reperisset, in quo erant margaritæ, projectis ex imperitia gemmis, abiit solo pellis nitore contentus. De luxu gemmarum quid dicam amplius, non occurrit: hæc tantum collegisse mihi summi laboris fuit, post eruditissimum Joannem Meursium, qui elegantissima quæque attulit in suo libro, quem de luxu Romanorum nominavit cap. 5. adi viri magni scripta, & hæc quæ hactenus a me prolata sunt, appendicis loco accipe. Unicum illud addo & finio: maxime hoc luxu laborasse Romanos, persuadet & illud Horatianum Ode 24. lib. 3. Carm.

*Vel nos in mare proximum,*
*Gemmas & lapides & aurum,*
*Summi materiam mali mittamus.*

## CAP. II.

*De Servorum, Clientium numero, & luxurioso comitatu.*

PRo Deum hominumque fidem, quanti servorum greges? quæ mancipiorum phalanges? quæ denique clientum & anteambulonum legiones? o antiqua Romanorum parcimonia sanctaque paupertas, ubi nunc terrarum exul & profuga delituisti? Marcum Antonium olim Consularem, tot tamque præclaris dignitatibus in Republica functum, octo servos domi suæ habuisse ferunt. Cato in oratione sua scriptum reliquit, se cum in Hispaniam Consul proficisceretur, tres servulos ex urbe eduxisse, quoniam ad villam publicam venerat: parum visum qui uteretur, jussisse duos pueros in foro de mensa emi. Curio tot adoreis longe inclytus, quippe ter triumphum una porta egit, duos solos calones in castris habuit. Ita vir ille de Sabinis, Samnitibus, deque Pyrrho triumphator, pauciores servos habuit, quam triumphos. Scipio

qui victæ ac debellatæ Africæ, titulum ac nomen induit, a Senatu Romano miſſus, ut res Imperii & totius terrarum Orbis componeret, quinque domeſticos tantum ſecum duxit, ac uno mortuo in itinere, domum ſcripſit, ut alius in locum illius ſibi mitteretur, quod ex auctoritate Polybii & Poſſidonii, teſtatur Athenæus. Veteris hæc parcimoniæ exempla, ſpecta poſteriore ævo unum e civibus Romanis, cum immenſo comitatu ad forum deſcendentem, facile tibi occurret, intueri te quempiam potius antiquorum Ducum, quem ad proferendam propagandamque majeſtatem, Urbs rerum domina cum exercitu emiſerat. Quin imo dubiam mihi trahit ſententia mentem, an in prima Romani Imperii juventute, fortiſſimi illi Imperatores, tot tamque numeroſas copias in aciem eduxerint, quot inferioribus ſæculis, unius privati hominis palatia ſervorum manipulos ac cohortes effuderint. Dicam audacter, tantus olim duorum Conſulum exercitus, quantus poſtea unius Romani comitatus. Juſtus Lipſius, vir nunquam ſine laude & encomio dicendus, in libris de Militia Romana *lib.* 1. *Dialogo* 3. obſervat Conſularem exercitum, e duabus tantum legionibus conflatum extitiſſe: idque certiſſimum, antequam Carthaginenſe illud fulmen ex nivoſis Alpium jugis in Italiam detonuiſſet. Nam bellis Punicis, & poſt pugnam ad Cannas infelici auſpicio commiſſam, res geſta eſt duodeviginti legionibus, poſt etiam pluribus. Legionem vero Romanam poſt exactos Reges, e IV. millibus militum conflatam fuiſſe, quis eſt qui ignorat? poſt Hannibalis bello V. millia, poſt & ſex continuit. Colloca jam ſi placet, ſex millia militum in una legione, unus Conſul duodecim millia eduxit, alter alia duodecim, & ſic XXIV. millibus hominum ſumma illa Imperii majeſtas tutabatur. Quorſum hæc, ut oſtendam, tam multos Romanis civibus comites ſervoſque fuiſſe, quod duobus Conſulibus ad proferendos Imperii fines concreditæ legiones. Ac ne longe petita auctorum teſtimonia accerſam, aptiſſimus eſt ad id comprobandum demonſtrandumque Athenæi locus, e libro 6. cap. 2. ubi inquit: *At Romanorum unus aliquis, quanto plures poſſideat ſervos, tu noſti optime Maſſuri: nam ad decem & viginti millia, imo plures etiam, multi habuerunt, nec tamen ut quæſtum ex iis faciant, ſicut Græcorum dictiſſimus ille Nicias, ſed plerique Romani anteambulones eos habent comiteſque maxima ex parte*. Eat nunc Marcus Craſſus, ſuamque illam vocem vulgo etiam decantatam ingeminet: Neminem divitem eſſe, niſi qui exercitum annuo reditu alere poſſet, plures jam reperiet divites, qui etiam unius exercitus alendi modum ac menſuram exceſſerunt. Refert & Suetonius (unde facile numerum ſervorum colligas) lib. 2. cap. 16. de Auguſto, qui flagitante populo ob intercluſos commeatus, famemque ingraveſcentem, navibus ex integro fabricatis, *ac viginti ſervorum millibus manumiſſis*, & ad remum datis, portum Julium apud Bajas, immiſſo in Lucrinum & Avernum lacum mari, effecit. Seneca lib. de Tranq. Animi cap. 8. de Demetrio liberto Pompeii ſcribit: *Numerus illi quotidie ſervorum, ut Imperatori exercitus referebatur*. Pudor, ſervo uni tot ſervi. Admiranda hæc profecto, quæ difficile forſitan fidem invenirent, ni virorum ſpectatæ auctoritatis ac prudentiæ teſtimoniis, aſſentiri & acquieſcere deberemus. Tranſeo ad minores ſervorum greges, portentoſos nihilominus. Cæcilius Claudius Iſidorus, omnium Hiſtoricorum ſuffragiis, in collegium divitum cooptatus, atteſtante Plinio: *Servorum quatuor millia, centum ſedecim, animam exhalaturus hæredibus reliquit*. Unam pæne legionem mancipiorum. Plutarchus illuſtrium vitarum prudentiſſimus ſcriptor notat Caſſum ſolos architectos & fabros in ſervis habuiſſe quingentos, quo jam numero ſervorum eum fuiſſe uſum exiſtimabimus domi, vel in agris? In agris etenim Romani divites plurimos habebant ſervos, qua de re vide Lipſium Elect. 2. cap. 13. fuſe & erudite ſcribentem. Teſtis Flavius Vopiſcus de Proculo, qui eo tempore quo imperium invaſit, *duo millia ſervorum armavit*. Tacitus l. 14. Annal. cuidam Pedanio quadringentos tribuit. verba ejus ſunt: *Quem numerus ſervorum tuebitur, cum Pedanium Secundum quadringenti non protexerint*. Quid, & ille Sardus Tigellius apud Horatium, cui nihil æquale fuit: *Sat.* 3.

*— habebat ſæpe ducentos,*
*Sæpe decem ſervos. —*

Pudentilla uxor Apuleii, ſervos haud minus quadringentos filiis ſuis donavit. Verum cui bono hæc referre juvat, cum egregie & ad oculum demonſtraverit Lipſius in Admirandis, *lib.* 3. *cap.* 3. plures in urbe Romana ſervos fuiſſe, quam liberos, & comprobare nititur inſigni Senecæ loco, qui de ſuo ævo ait alibi: *Dicta eſt aliquando ſententia in Senatu, ut ſervos a liberis cultus diſtingueret: deinde apparuit, quantum periculum immineret, ſi ſervi noſtri nos numerare cœpiſſent*. Vehementer certe in omni Republica cavenda eſt ſervorum multitudo. Vetus enim parœmia eſt, de qua vide Feſtum & Eraſmum: *Quot ſervi tot hoſtes*. cum enim omnes a natura liberi naſcamur, ſervitutis jugum nobis imponi difficile patimur. Atque accidit, quod apud Theſſalos & Lacedæmonios, ſæpe ſeditione mota, & conſpiratione facta, magnum ipſis civitatibus ac dominis periculum crearent. Vide Ariſtotelem lib. 2. Politic. cap. 7. Illud quoque negligendum minime eſt, quod ubi tanta ſervorum copia exiſtit, non difficilis aditus ad occupandam Tyrannidem pateat. Tyrannorum enim teſte Ariſtotele lib. 3. Politic. cap. 10. hæc conſuetudo eſt, ut ſervos ad pileum vocent, eorumque præſidio adverſus cives & liberos utantur. Exemplo eſt Clearchus Heracleæ Tyrannus, de quo videndus Juſtinus lib. 16. Critias unus ex triginta Tyrannis Athenarum, in Theſſalia Peneſtas, (ſic vocantur ſervi in Theſſalia) adverſus dominos armavit. Et alia multa documenta huc congeri poſſent, ſed vereor ne nimium extra orbitam divagari videar. Obſervandum quoque eſt ex Dionis lib. 48. ſervos etiam in Senatum, ſi diis placet, allectos fuiſſe. ſcribit ille A. V. C. 715. *In Senatum etiam adſcripti permulti, non modo e ſociis, militibus, & libertinis, ſed ſervi etiam*. Sed quid mirum, acta hæc ſub inſolenti Triumvirorum imperio, qui veteri Senatus contempta majeſtate, omnia ſuſque deque habuerunt. Poſtea propter ingentem hominum multitudinem, ſervi etiam ad Præturam obrepſerunt, ut ſcribit Ulpian. in lib. 3. ff. de off. præt. Referam jam varia ſcriptorum teſtimonia, qui portentoſos ſervorum numeros, variis nominibus ac epithetis expreſſerunt. Senec. Epiſt. 90. *Cohors culta ſervorum*. Idem: *Servorum turbam, quæ quamvis magnam domum anguſtet*. Idem de Beneficiis: *& familia, bellicoſis nationibus major*. Petronius lepide & jucunde: *Familiam quidem tam magnam, per agros Numidiæ ſparſam habere, ut vel Carthaginem poſſit capere*. Ammianus Marcellinus: *Multa trahit poſt ſe unicus agmina ſervulorum*. Idem lib. 14. *Familiarum agmina tanquam prædatorios globos, poſt terga trahentes, ne Sannione quidem, ut ait Comicus, domi relicto*. Et lib. 18. *Nonnullos fulgentes ſericeis indumentis vel ducentes ad mortem, vel (ut ſine diritate*

*nominis laquamur) prægresso exercitu, arma cogentes manipulatim, concitato fragore, sequitur multitudo servorum*, Juvenalis Sat.3.

> —— *cavet hunc, quem coccina læna*
> *Vitari jubet, & comitum longissimus ordo.*

Idem Sat.1.

> *Cum gregibus comitum premat hic spoliator,*
> *Pupilli prostantis.*

Idem Sat. 7. de Tongillo:

> —— *magno cum rhinocerote lavari*
> *Qui solet, & vexat lutulenta balnea turba.*

Apud Tacitum *lib. 3. Annalium*, Tiberius meminit innumeri comitatus, in Epistola scripta ad Senatum, qua Romanum luxum graviter accusat, illis verbis: *familiarum numerum & nationes*, Cajus Cassius apud eundem Historicum lib.4. *Postquam vero nationes in famulis habemus, quibus diversi ritus, externa sacra, aut nulla sunt, colluviem istam nonnisi metu coercueris.* Sed his omnibus coronam imponat Plinii testimonium, ex quo tantam servorum multitudinem colligere licebit, ut ad eorum nomina retinenda, impar memoria dominorum, nomenclatorum adjumentis egeret. Sic inquit ille. *Mancipiorum legiones, & in domo turbam externam, ac servorum quoque causa, nomenclatorem adhibendum.* Conqueritur etiam Seneca, lib. de Vita Beata cap. 17. *aut tam negligens es, ut non noveris pauculos servos, aut tam luxuriosus, ut plures habeas, quam quorum notitiæ memoria sufficiat.* En servorum copia effecit, ut dominorum memoria, aliunde subsidia efflagitaret. Quid? an non felicior tibi videbitur Cyrus Persarum Rex potentissimus, cujus in retinendis militum nominibus memoriam, universus exercitus admiratus est, apud Xenophontem libro 5. de Instit. Cyri: *Quanta memoria Cyrus est, quod instruxit, quomodo nominatim præcepit. At Cyrus curam ad hoc faciendum adhibebat, quippe cui mirandum videretur, si singuli norunt artis suæ instrumentorum nomina, & medicus tenet nomina, & instrumentorum, & medicamentorum quibus utitur: at Imperator ita sit fatuus, ut nesciat nomina subditorum Ducum, quibus opus est.* Ac idem ille Dux & Imperator præstantissimus, vehementer dominos ejusmodi vituperat, qui servis suis aliquid ita præcipiunt. Ito aquatum aliquis, calidam aliquis fundito. Rationem elegantissimam subjungit: *Etenim illo pacto evenire, ut se mutuo respectarent, & nemo faceret imperata, utque omnes non perfecti operis in culpa essent, & nemo erubesceret, nec metueret, propterea quod cum multis ei culpa foret communis.* Et profecto, ut ait Aristoteles 2. Polit. cap. 2. *in servilibus ministeriis multi sæpe famuli pejus deserviunt, quam pauci.* Illi enim quo plures, eo minus mandata dominorum curant, alio in alium rejiciente.

Redeo ad propositum. Nomenclatores potentioribus fuisse, res jam lippis & tonsoribus nota, quibus maxime utebantur, ad dictanda civium nomina, dum ambitioni servirent. Cicero elegantissime eos monitores appellat: *Quid* (inquit) *quod nomenclatorem babes, in quo quidem fallis & decipis, nam si nomine appellari abs te cives tuos honestum est, turpe est eos notiores esse servo tuo, quam tibi: sin autem noris, tamen per monitorem appellandi sunt, cur non ante petis quam insusurraverit? aut quid cum admoneris, tamen quasi tute noris salutas.* Festus Pompejus lib.6. eosdem Fartores appellatos scribit, quod clam veluti infarcirent salutandorum nomina.

Jam vero quid si nec domino, nec monitori aut

A fartori, civis salutandi nomen occurreret, domini nomen iis imponebant: Seneca 3. ad Lucilium epist. *Obvios* (inquit) *salutari a nobis dominos, si nomen non succurrit.* qua de re passim apud auctores exempla.

Neque vero rapi in admirationem debemus, plerosque civium Romanorum nomina, ex alienæ memoriæ reconditorio petere solitos fuisse, maximo enim & amplissimo Romanæ urbis ambitu, multæ hominum myriades claudebantur, adeo ut in singulorum nominibus retinendis, facile unius hominis, curis negotiisque districti, memoria lassaretur. At iis nonne ratio omnem destinavit Anti-

B cyram? qui cum suo famulitio, iisdem tecti parietibus, servorum nihilominus nomina, sine monitoris auxilio proferre non poterant. Quapropter tanta tamque immensa servorum multitudo, difficiles aditus ad primores viros effecit, omnes enim ejusmodi hominum januæ, excubantium servulorum gregibus circumvallatæ. Quintil. Declamat. 2. *Tu sentis quando senem vicerit lassitudo curarum, scis pariter una quiescentium fores vallaverit cura servorum.* Tacitus 14. Annal. *Sane consilium occuluit, telum inter ignaros paravit, num excubias transiret cubiculi? fores recluderet?* (*In hunc locum vide Lipsium num.118. pag.225.*)

C Illud quoque minime prætereundum, quod servi majores alios subservos ac vicarios habuerint. Martialis:

> *Esse sat est servum, jam nolo vicarius esse.*

Extat quoque mentio vicarii servi apud Ulpianum *in l. Servus ff. de fundo Instru. & Instit. legat.* ubi Juriconsultus vicarium servum illum esse censuit, qui ordinario subest ac illi paret. Quod vero attinet ad servorum officia, hæc varia fuere, & quo liberaliora, eo majorem servis qui ea curabant au-

D ctoritatem attulerunt. Cicero in Paradoxis: *Alii enim sunt servi lautiores, alii atrienses*, &c. Vetus quoque est proverbium: *Servus servo præstat.* de quo vide Erasmum. Plures non commemoro, frequens enim eorum mentio apud Jurisperitos, & cui jam non dictus Hylas? illud nihilominus approbe notandum, in servorum conditione nullam fuisse differentiam, ut est *Instit. l.1. Tit. 3. §. Servi autem.* Viris quoque lautioribus persuaserat luxuria, ut Afros quosdam & Numidas equites alerent, qui si aliquo extra urbem eundum foret, iter præcurrerent, & agmen sequentis heri ducerent. Seneca Epistola 123. *Omnes jam sic peregrinantur, ut illos*

E *Numidarum præcurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedat.* Martialis.

> *Cum cathedralitios portet tibi rheda ministros,*
> *Et Lybis in longo pulvere sudet eques.*

Imperatoribus ipsis id etiam in usu fuisse, testis Suetonius in vita Neronis cap.3. *Iter fecisse traditur pharetrata cum Massacum turba, atque cursorum.* (*Adi Notas Lipsii ad 2. Annal.*) Hinc manavit ridiculum illud commentum Ælii Veri, qui teste Spartiano: *Cursoribus suis exemplo Cupidinum, alas frequentes apposuit, eosque ventorum nominibus sæpe*

F *vocitavit. Boream alium, alium Notum, item Aquilonem, aut Circium, cæterisque nominibus appellans, & indefesse atque inhumaniter faciens cursitare.*

Concludo, Romani quo plures servos alebant, eo potentiores habebantur. Juvenalis:

> *Protinus ad censum, de moribus ultima fiet*
> *Quæstio, quot pascit servos.* ——

Servorum agmina sequebantur, clientum phalanges præcessere. Clientes a Romulo primum insti-

tum fuere, ut Dionysius Halicarnassæus scriptum reliquit, egregio procul dubio exemplo, ni tam præclarum institutum, posteritas ad luxum atque inanem pompam convertisset. Atque quanta copia clientum fuerit, abunde declaraverit versus Juvenalis Satyra x.

*—— tum præcedentia longi*
*Agminis officia, & niveos ad fræna Quirites:*
*Defossa in loculis, quos sportula fecit amicos.*

Eleganter & Hispanus Sapiens de Tranq. cap. 1. *Et alii toto [illegible] atria avarorum potentium populus.* Nec indecore Italiæ Homerus 2. Georg.

*Si non ingentem foribus domus alta superbis,*
*Mane salutantum totis vomit ædibus undam,*

Seneca:

*Circumfusus clientium populus.*

Hanc clientum pompam, ut melius instruam & ordinem, hoc Satyrici versiculos ad trutinam revocabo. Primum inquit: *præcedentia longi agminis officia.* Varia apud Romanos officia fuere, de quibus videndus est Tertullianus libro de Idololatria. Quod ad clientum officia attinet, hæc præcipua observo, *Salutare*, & *Deducere*. Fuit enim non modica laus illis, qui alto majorum sanguine tumebant, quam plurimos clientes, nec modo catervas togatorum, sed & tenuiores amicos habere, a quibus observarentur quotidie, & colerentur, maximique decoris erat, amplos illustresque viros salutari, & deduci. Ea propter Juvenalis alio in loco *Satira* 5. clientes *Salutatricem turbam* vocavit, quæ salutatio prima diei hora aut secunda fieri consueverat, ut notum est ex Epig. 8. Martialis, lib. 4.

De iis accipiendum quoque Symmachus libro 8. *Nondum ante januam eminentium potestatum, vigilem noctem salutator expertus es.* Maximæ etenim laudis loco id sibi clientes reputabant, qui primus ad salutandum patronum comparuisset, quapropter properabant, & neglecto etiam corporis cultu ad januam accedebant. Vide etiam Senecam fuse illo loco *l. de Brevitate Vitæ c.* 14. *Cum per diversas domos meritoriam salutationem circumtulerint*, &c. Martialis l. 3.

*Horridus ut primo semper te mane salutem,*
*Per mediumque trahat me tua sella lutum.*

Et Juvenalis Satyra 5. versu 20.

*—— habet Trebius propter quod rumpere somnum*
*Debeat & ligulas dimittere, sollicitus ne*
*Tota salutatrix jam turba peregerit orbem,*
*Sideribus dubiis aut illo tempore, quo se*
*Frigida circumagunt pigri Sarraca Bootæ.*

Jam quod ait Satyricus: *Et niveos ad fræna Quirites*, duo tangere videtur, vestem clientum, & deductionem. Quoad primum, niveos Quirites appellat, veste enim alba semper Romani usi sunt; qua de re extant eruditissimi viri docta collectanea lib. 1. Elect. cap. 13. Huc spectat, nec invite trahendus Martialis versus:

*Non amet hanc vitam, quisquis me non amat, opto.*
*Vivat & urbanis albus in officiis.*

Deinde per niveam vestem excludit Juvenalis servos, quibus vulgo tunica coloris pulli, aut rutili, & rufi: adde, clientes semper togati, quos ideo Juvenalis Satyr. 1. turbam togatam appellavit. Hinc Martialis in amœno illo Epigrammate lib. x. ostendens quæ vitam faciant beatam, inter cætera inquit:

*Lis nunquam; toga rara, mens quieta.*

quo in versu enucleando, hallucinati sunt nonnulli interpretum. sed per togam raram intelligere illum existimo paucos clientes, & vehementer ibi vanum & ambitiosum anteambulonum strepitum perstringit. Nec assentior explicationi Lazari Baysii, viri alias eruditissimi, qui in libro de re vestiaria, versum hunc Martialis sic enucleat: *Togam raram optat, id est, ne cogatur bene mane togatus circumvolitare limina potentiorum, salutationis defuncturus officio.* An acumen ingeniosi Poetæ tetigerit, tu jam Lector erudite vide. Sagacius certe versiculi cujusdam sensum indagavit, apud eundem facetum Poetam, qui sic habet libro x. Epigram. LI.

*Quos Faustine dies, qualem tibi Roma Ravennam*
*Abstulit? o soles, o tunicata quies!*

Baysius, per tunicatam quietem, intelligi vult cessationem ab illis officiis clientium, deductione, & salutatione, opponitque tunicatæ quieti operam togatam, apud eundem Poetam:

*Exigis a nobis operam sine fine togatam,*
*Non eo, libertum sed tibi mitto meum.*

In eadem quoque sententia est doctissimus Junius. Aliter Lipsius tunicatam quietem accipit, id est pro vita campestri, quam tunc Faustinus ruri agebat. Sed ut litem dirimam, Baysius cum Junio explicant verius, Lipsius acutius. Cæterum deductio a Juvenali illis verbis exprimitur, dum niveos Quirites ad fræna posuit. Sic se res habet, clientes alii patronorum latera tegebant, alii præibant: atque eam ob causam anteambulones appellati. Martialis lib. 3. Epig. 7.

*Centum miselli jam valete quadrantes,*
*Anteambulonis congiarium lassi.*

Et alibi:

*Sum comes ipse tuus, timidique anteambulo Regis.*

& Juvenalis loco supra adducto: *& præcedentia longi agminis officia:*

Ultimum est quod inquit Satyricus: *quos sportula fecit amicos.* Clientibus namque a patronis pro officio sibi exhibito sportulæ distribuebantur. Sportula vero centum quadrantum fuit (*vide Budæum in libro de Asse:*) Martialem vide loco supra citato, & iterum libro 1. Epig. 2. ad Flaccum.

*Dat Bajana mihi quadrantes sportula centum.*

& Juvenalis Satyra 1.

*—— densissima centum*
*Quadrantes lectica petit.*

Verum nonnulli divitum, qui liberaliores dici haberique voluerunt salutatoribus suis convivium apponebant, quod recta cœna dicebatur, sordidi autem & maligniores, rectæ cœnæ loco, sportulam tantum præbebant, auctor Budæus in *l. si mulier. ff. de donat. inter virum & uxorem.* Sed hæ cœnæ quam miseræ ac sordidæ! meminit Juvenalis Satyra 3. simulque irridet.

*Qualis cœna tamen? vinum quod succida nolit*
*Lana pati, de conviva Corybanta videbis.*

& inferius:

*Ecce alius quanto porrexit murmure panem*
*Vix fractum, solidæ jam mucida frusta farinæ.*

Plura vide in ipsa Satyra, quæ elegans est, & nescio an non etiam in nonnullas magnatum domus retorquenda. Adhæc sportula in limine domos distribuebatur. Juvenalis Satyra 1.

*—— nunc*

*—— nunc sportula primo*
*Limine parva sedet, turbæ rapienda togatæ.*

Verum ea de re obvia sunt auctorum loca, ac præcipue Juvenalis & Martialis; videatur præterea eruditissimus Jurisconsultus Tiraquellus, in suis Annotationibus ad dies Geniales Alexandri ab Alexandro lib. 5. cap. 24. Quocirca duo adhuc adfero, caputque finio: primum multos viros nobiles, & magni sanguinis, quibus opes attritæ erant, sportulas ambitiose expetivisse. Quod ut declarem, advoco Juvenalis versus e Satyr. 1. ubi de distributione sportularum scribens, inquit:

*—— jubet a præcone vocari*
*Ipsos Trojugenas, nam vexant limen & ipsi*
*Nobiscum. ——*

Vetus Scholiastes Trojugenas interpretatur, patricios majorum gentium.

Secundum est, clientum uxores, patronos quoque in lecticis comitabantur, & ad sportulas pari ordine cum cæteris veniebant. testis Juvenalis iterum Satyr. eadem:

*—— densissima centum*
*Quadrantes lectica petit, sequiturque maritum*
*Languida, vel prægnans, & circumducitur uxor,*
*Huic petit absenti, nota jam callidus arte,*
*Ostendens vacuam & clausam pro conjuge sellam.*
*Galla mea est inquit, citius dimitte, moraris?*
*Profer Galla caput, noli vexare, quiescit.*

Hæ vero mulieres, clientæ Romana lingua vocabantur. Horatius Carm. lib. 2. Ode 18. *Nec Laconicas mihi Trabunt honestæ purpuras clientæ.* Quem in locum videatur vetus Scholiastes, & doctissimus interpres Cruquius.

## CAP. III.

*Luxuriosus matronarum comitatus describitur. De Eunuchis, eorumque officiis. Ultimo ostenditur, sequiorem sexum semper rei familiari gravem existere solere.*

INter cætera præclarissimorum virorum instituta, quæ vel ad augenda, vel ad conservanda imperia sapientissime protulerunt, semper ego illos maxime finem metamque votorum suorum consecutos fuisse accepi, qui muliebrem licentiam severissimis legibus, gravissimis edictis, continendam, coercendamque esse judicarunt. Habet enim hoc sequioris sexus impotens animus, quod nisi ultro ad insolentiam fastumque ruenti habenas injicias, non difficulter efferatur, & non solum domui privatisque Laribus, verum ipsius etiam Reipublicæ cervicibus gravior immineat. Jam vero si vel minimum muliebri luxuriæ liberior via aperiatur, nesciet captæ mentis habere modum, &, ut elegantissimi Poetarum Propertii verbis utar, qui de mulierum incontinentia l. 3. Eleg. 18. sic scribit:

*Flamma per incensas citius sedetur aristas,*
*Fluminaque ad fontis sint reditura caput:*
*Et placidum Syrtes portum, & bona littora nautis*
*Præbeat hospitio sæva Malea suo,*
*Quam possit vestros quisquam reprehendere cursus,*
*Et rapidæ stimulos frangere nequitiæ.*

Testis Romana urbs, quæ ubi abrogata lege Oppia, luxuriæ aditum patefecit muliebri, fractis post edictorum repagulis, in ipsius perniciem, denuum & Imperii totius debacchata est. Sed cum permulta illarum lasciviæ exempla superioribus capitibus a-

A bunde declarata sint, illud hic adhuc quod addam habeo, non solos viros comitum agminibus stipatos in publicum processisse, verum & matronas ipsas ancillarum greges, spadonum phalanges, morionum ac cinidlonum manipulos, sæpenumero ductitasse. Apposite Megadorus apud Plautum, in sua muliebrium morum hypotyposi addidit, *in Aulularia:*

*Enim mihi quidem æquum est, purpuram atque aurum dari.*
*Ancillas, mulos, muliones, pedissequos,*
*Salutigerulos, pueros, vehicula qui vehar.*

B Lepide & Terentius, cujus scripta Romano Oratori summis in deliciis fuere, & de mulieribus, in Heautontim. Act. 2. scen. 3.

*Minime mirum, adeo impeditæ sunt: ancillarum gregem*
*Ducunt secum. ——*

Horatius Lyricorum Princeps Satyra 2. lib. 1.

*Si interdicta petes, vallo circumdata, nam te*
*Hoc facit insanum, multæque tibi officient res,*
*Custodes, lectica, cinflones, parasitæ.*

C Juvenalis Satyricorum non postremus, mulieres ambitiosas notans, sic inquit, Satyra 6.

*Ut spectet ludos conducit Ogulnia vestem,*
*Conducit comites, sellam, cervical, amicas,*
*Nutricem, & flavam, cui det mandata, puellam.*

Hæc Poetæ. Audiamus nunc Ammianum Marcellinum stilo illo tumido ac superbo comitatum muliebrem describentem, cujus auctoritas, vel in omnium animis stuporem excitabit, vel certe insanabilis mulierum lasciviæ odium: Verba sunt
D illius lib. 14. *Quo comitatu matronæ complures opertis capitibus, & basternis, per latera civitatis cuncta discurrunt. Utque præliorum periti rectores, primo catervas densas opponunt, & fortes, deinde leves armaturas, post jaculatores, ultimasque subsidiales acies, si fors adegerit, invasuras: ita propositis urbanæ familiæ suspensæ digerentibus sollicite, quos insignes faciunt virgæ dextris aptatæ, velut tessera data castrensi juxta vehiculi frontem omne incedit textrinum: huic atratum coquinæ adjungitur ministerium, deinde totum promiscue servitium, cum otiosis plebis de vicinitate conjunctis, postrema multitudo spadonum a senibus in pueros desinens, coloris*
E *obluridi, distortaque lineamentorum compage deformis.* En mulierum comitatus, vivis coloribus expressus. Ubi illa tempora, cum in fictili casa, *Fœta jacebat uxor, & infantes ludebant quatuor, unus vernula, tres domini.* (*Juvenalis Satyra* 14.) Quod vero magis mirere, matronæ nonnunquam juventutis luxuriosæ grege in publicum prodeuntes cingebantur. Talis illa Julia domus Augusteæ probrum & carcinoma, quæ quemadmodum aliquando grave supercilium patris, profusos cultus & immodicos comitatus castigantis, eluserit, verbis Macrobii referamus: *Averterat in se populum in*
F *spectaculis gladiatorum, Livia & Julia, comitatus dissimilitudine, quippe cingentibus Liviam gravibus viris, hæc juventutis & quidem luxuriosæ grege circumsidebatur. Admonuit pater scripto: videret quantum inter duas Principes fœminas interesset, eleganter illa rescripsit: Et hi mecum senes fient.* Sed remoram mihi in ipso cursu injicit Ammiani auctoritas, & de spadonibus me primum dicere cogit, antequam ad alia stylum vertam; pauca igitur proferam, & ad institutum, nec eunuchorum origines ac initia repetam, luxum tantum Romanorum matronarum

brevibus proponam. Ac primum, quod ad numerum ſpadonum attinet, eleganter illum exprimit Divus Hieronymus, in epiſtola ad Furiam, cum inquit: *Noli ad publicum ſubinde procedere, & ſpadonum exercitu præeunte, viduarum circumferri libertate.* Ammianus Marcellinus libro ſupra citato: *ut qua qua inceſſerit, quiſquam cernens mutilorum hominum agmina, deteſtetur memoriam Semiramidis Reginæ illius veteris, quæ teneros mares omnium caſtravit prima.*

Quæ vero officia matronis præſtiterint ſpadones, innuit Claudianus, in carmine elegantiſſimo, quo Eutropium eunuchum Conſulem acerrime exagitat, indignaturque trabeatam anum Latias auſam vibrare ſecures. Spadonibus igitur thalami cura & cuſtodia ceſſerat:

*—— cumque omnibus unica virtus*
*Eſſet in eunuchis, thalamos ſervare pudicos.*

Et inferius:

*Militia eunuchi nunquam prægreſſa cubile.*

Inde Eunuchi dicti, qui τὴν εὐνὴν, id eſt, lectum virginum cuſtodiunt; vel quod bonæ ſint mentis, εὔνες, & a venereis ſemotæ. vide Alciatum in tit. de verb. ſignif. l. 128. Aliud illorum officium collige ex illis carminibus:

*—— conſulque futurus*
*Pectebat dominæ crines, & ſæpe lavanti*
*Nudus in argento limpham geſtabat alumnæ.*

Adde, thoros ſternebant, aurum & gazophylacia tuebantur:

*Præfecti ſed adhuc gemmis, veſtique dabantur*
*Cuſtodes, ſacroque adhibere ſilentia ſomno.*

Dominæ dormienti ventulum faciebant:

*Et cum ſe rapido feſſam projecerat æſtu,*
*Patricius roſeis pavonum ventilat alis.*

Erat enim in more poſitum Romæ, ut, cum matronæ, aut viri opibus ac potentia florentes, ſomnum meridianum caperent, adeſſet aliquis ſervorum, qui ventulum faceret æſtus pellendi, & muſcarum abigendarum gratia. Terentius:

*Cape hoc flabellum & ventulum huic facito.*

Auguſtus Imperator, teſte Suetonio, *aliquo etiam ventilante cubabat.* Atque ut parergos ritum quendam hic in apertam lucem protraham, monet me ipſa commoditas. Ad hominum potentiorum, qui e vita exceſſerant, cereas effigies, ſervi adſtabant cum flabellis pavoninis, qui velut ſomnum capientibus, ventulum faciebant. Quod ut clarius commonſtrem, permultum mihi facilitatis adferet Xiphilini auctoritas, qui hæc de Pertinacis exequiis, a Severo Imperatore inſtructis, e Dione annotavit: *Extructum erat in foro Romano tribunal ligneum, pone tribunal lapideum, ſupra fuit ædificium, quod columnæ undique ſuſtinebant, eratque ebore vario ornatum & auro: eo allatus fuerat lectus conſimilis, cui ſtragulis purpureis atque auro intextis ornato, erant circum capita belluarum terræ mariſque, in eoque poſita erat ſtatua Pertinacis cerea, ornatu triumphali, a qua puer egregia forma, ita ut ſi dormiret Pertinax, pennis pavoninis muſcas abigebat.*

Denique ut ad Eunuchos redeam, ii non cubantibus tantum matronis ventilatores aderant, ſed etiam incedentibus per urbem, cum flabellis, & umbellis latus cingebant, ne ſol teneram cutem læderet:

*—— flabella peroſi*
*Aſpirant trabeis, jam non umbracula geſtant*
*Virginibus. ——*

Hæc vero umbracula, etiam compoſita ad luxum. Ammianus lib. 28. *Si inter aurata flabella laciniis ſericis inſederint muſcæ, vel per foramen umbraculi penſilis, radiolus irruperit ſolis, queruntur quod non ſint apud Cimmerios nati.*

Verum cum inſana luxuria, homines ſibi impenſius deditos, in omnium ſcelerum ac flagitiorum præcipitia impellat ac protrudat, effecit illud etiam in Romanorum matronis, ut ferventi libidinis veneno intoxicatæ, vetera eunuchorum officia aſpernarentur, & quos pudicitiæ ac thalami cuſtodes habuerant, mox impune maritalis lecti corruptores ac violatores perſentiſcerent. Non tacuit laſciviam hanc Juvenalis, & Satyrico perſtrinxit dente, cum ſcripſit *Satyra* 6.

*Sunt quas Eunuchi imbelles, ac mollia ſemper*
*Oſcula delectent, & deſperatio barbæ,*
*Et quod abortivo non eſt opus. ——*

Apage libido ſulphureis expianda flammis. Eunuchi (o ſcelus) ad explendam libidinis charybdim, a matronis aſſervabantur, qui ut ad ardentem cupidinis flammam extinguendam forent idonei, adultiori ætate caſtrabantur, (*Tales Græcis vocantur ἡμιτελεῖς εὐνοῦχοι, ut notat Alciatus.*)

*Ergo ſpectatos ac juſſos creſcere primum*
*Teſticulos, poſtquam cœperunt eſſe bilibres,*
*Tonſoris damno tantum rapit Heliodorus.*

Eam impudentiam perſtringit Martialis lib. 6.

*At prius o mores! & ſpado mœchus erat.*

Quæ tanta tamque immanis libido coercita eſt poſt a Domitiano, qui mares caſtrari vetuit teſte Suetonio: quod & lege Conſtantii cautum eſt: eſtque inde publicum judicium ex lege Cornelia conſtitutum, ut notat Alciatus ad l. 128. tit. de verb. ſignif.

Atque hæc de matronarum libidine ac inſolentia. quid de viris? nonne & ipſi ſpadonum & exoletorum agminibus ſtipati? &

*Perſarum ritu male pubeſcentibus annis*
*Surripuere viros, exſectaque viſcera ferro*
*In venerem fregere ——*

Fateor, ſed nunc de his dicere ſuperſedeo, plura enim inferius Capite ſequenti allaturus ſum. Illud ne ſilentio involvam, neſcio quis Deus admonet, eunuchos in aulis Principum ad tantum potentiæ evectos fuiſſe, ut pro ipſorum libidine, non Imperatoris tantum palatia, verum univerſi etiam terrarum orbis regimen adminiſtraretur. Inſolentiam hanc Gordianus tertius coercuit, qua de re extat apud Capitolinum, Miſithei viri doctiſſimi epiſtola, quem hic Imperator, cauſa eloquentiæ, dignum parentela ſua putavit, ubi ſcribit: *Evaſiſſe nos gravem temporum maculam, qua per ſpadones, & per illos qui tibi amici videbantur, (erant autem vehementes inimici) omnia vendebantur, voluptati nobis eſt. & eo magis quo tibi gratior emendatio eſt.* Heliogabalus quoque mancipium eunuchorum a Lampridio appellatur, eos namque in conſiliis turpibus habebat & promovebat. Neque vero id hominum genus tantopere contemnendum eſt. fuere enim apud veteres eunuchi & prudentia, & rebus præclare geſtis celeberrimi. Phavorinus Philoſophus inter eos eminet, Narſes Juſtiniani Dux, qui Gottos ex Italia expulit, ſpado fuit: laudat etiam Ammianus Marcellinus *libro* 16. Enterium, Cubiculo

Constantii Cæfaris Præpofitum, qui, ficut inter vepres rofæ nafcuntur, & inter feras nonnullæ mitefcunt, ita ipfe inter fpadones recti exempli fuit. Ea propter exiftimat Alciatus, fpadones eunuchosque ad quamcumque dignitatem affumi poffe: tametfi Lucianus tempore fuo, an ad doctoris officium deligi poffent, dubitatum tradat. Verum nos ad noftros fpadones redeamus, qui luxus caufa evirati reddebantur. Lafcivia ifta, magis olim Orientalibus populis, & Eois Regibus familiaris, qui ad cuftodiam corporis prætorianas cohortes ex eunuchis confcripferunt. Xenophon libro 7. de Cyri inftitutione: *Cuftodes corporis eunuchos habuit, quo magis in officio effent, eos præter illecebras voluptatum, firmiffimum præfidium ratus*. Idem de Smerde tradit Herodotus lib. 3. Indi vero Reges, pervigiles mulieres habuere excubantes, atteftante Strabone lib. 13. quis jam majori robore excubitorum circumfeptus, num Cyrus, an Indi, fuam cuique relinquo fententiam. Vidimus comitatum matronarum. fed quis hæc dolia Danaidum impleverit? ac profecto ut Tantalus mediis licet in aquis conftitutus, ardentiore fiti premitur, fic & mulieres quo plus divitiarum poffident, eo plus appetunt, per fas nefafque diffipaturæ. Ad vivum mores illarum depinxit Plautus, fub perfona Megadori in Aulularia, cum inquit, *Actu 3. Scena 5.*

*Sed hoc etiam pulchrum eft, præ quam ubi fumptus petunt.*
*Stat fullo, Phrygio, aurifex, lanarius,*
*Caupones, patagiarii, indufiarii,*
*Flammearii, violarii, carinarii,*
*Aut manulearii, aut murrobathrarii;*
*Propolæ, linteones, calceolarii,*
*Sedentarii futores, diabathrarii,*
*Solearii adftant, aftant molochinarii,*
*Petunt fullones, farcinatores petunt,*
*Strophiarii aftant, aftant femizonarii,*
*Jam hofce abfolutos cenfeas: cedunt, petunt.*
*Trecenti cum ftant phylaciftæ in atriis,*
*Textores, limbolarii, arcularii ducuntur: datur*
*Æs. jamque hofce abfolutos cenfeas,*
*Cum incedunt infectores, crocotarii,*
*Aut aliqua mala crux, femper eft quæ aliquid petat.*

Huc facit & illa vetus parœmia defumpta e Phædri fabula Æfopæa, quæ eft numero 33. *Ament amentur: fœminæ fpoliant viros*. Quamobrem bellus ille & apprime laudandus Græcorum mos, qui fœminas fub tutela & curatela femper effe voluerunt. Nam fœminæ adæque prodigis comparandæ, bona fua profundendo ac dilacerando diffipant.

## CAP. IV.

*De Pædagogiis ac pueris, eorum corporis cultu, multitudine, ordine, natione, jocis, pretio. De Nanis, Fatuis, Polyphagis, qui etiam inter domefticos, Hermaphroditis.*

PÆdagogia Romani appellarunt, pueros elegantiores, quos vefte compofita, facie decora, capillis in cincinnos coercitis, & plerumque ftaturæ, ætatifque ejufdem domi habuerunt. De his Seneca Epiftola 95. *Ut eadem omnibus fit levitas, eadem primæ menfura lanuginis, eadem fpecies capillorum, ne quis cui rectior eft coma, crifpulis mifceatur*. Expreffit & Satyricus, *Satyra* 2.
*Idem habitus cunctis, tonfi rectique capilli.*

Atque de eorum forma permultum folliciti fuere, quam ne vehemens folis æftus infufcaret, vel vis frigoris adureret, vehementer annitebantur. Seneca Epift. 123. *Omnium pædagogia oblita facie vehuntur, ne fol, ne frigus teneram cutem lædat, turpe eft, neminem effe in comitatu puerorum, cujus fana facies medicamentum defideret.*

Jam quo cultu corporis, & quam magnifice habiti hi pueri, edifferat iterum Romanus Sapiens, *libro de Tranquil. Animi capite* 1. *Perftringit animum apparatus alicujus pædagogii, diligentius quam jam intra privatum larem, veftita & auro culta mancipia, & agmen fervorum nitentium*. Ammianus lib. 26. de pædagogianis iftis: *Tunica auro diftincta, ut regius minifter indutus a calce ad pubem, in pædagogiani pueri fpeciem*. Allufit & Plinius ubi de auro: *Honeftius viri pædagogiis id damus*. Multitudo puerorum luce clarius patebit, e tribus illis auctoritatibus Senecæ, quarum prima eft, *Epiftol.* 95. *Tranfeo agmina exoletorum*. Secunda *Ibidem: Tranfeo puerorum infelicium greges, quos poft tranfacta convivia, aliæ cubiculi contumeliæ expectant*. Intuere qua fini pueri hi infelices. Lipfius hunc in locum fcribit: *Ut aut patiantur, aut faciant obfcœna*. Heu fcelus! quod non undarum pater eluat Oceanus. A Græcis hæc libido in urbem venit, a quibus etiam Perfæ eadem pefte infecti, tefte Herodoto lib. 1. Tertia Senecæ auctoritas, quæ & multitudinem commonftrat, fimul & obfcœnitatem. Controverf. 4. *Principes viri, contra naturam divitias exercent, caftratorum greges habent, exoletos fuos, ut ad longiorem patientiam impudicitiæ idonei fint, amputant his, nemo fuccurrit delicatis & formofis debilibus.*

Neque ille puerorum exiguus numerus eft, quem conflaverat L. Sejanus, (*Dio lib.* 58.) Is etenim Prætor Ludis Floralibus, ad ridendum Tiberium, (calvus namque erat) omnia calvorum minifterio ad noctem ufque peregit, lumen difcedentibus a theatro, per puerorum rafis capitibus quinque millia præbuit.

Tranfeo ad Ordinem, quomodo in comitatu aut etiam intra privatos lares difpofiti. Seneca Epift. 95. *Agmina exoletorum, per nationes colorefque defcripta*. Imo etiam per ætates difcriminati. Idem auctor de Brevitate vitæ cap. 12. *qui vinctorum fuorum greges*, (lego melius cum Lipfio *vietorum*) *in ætatum & colorum paria deducit*. Notat & Ammianus lib. 14. *Poftrema multitudo fpadonum, a fenibus in pueros definens*. Tacitus 15. Annal *Decora fervitia, & pari ætate habebat*. Docet & Pompejanus Poeta *Lucan. libro* 10.

*Tunc famulæ numerus turbæ, populufque minifter*
*Difcolor, hos fanguis, alios diftinxerat ætas:*
*Hæc Libycos, pars jam flavos gerit altera crines.*

Sed adhuc locum Senecæ ex epiftola 95. prolatum ruminor, cum inquit: *per nationes colorefque defcripta*. Scio pædagogia plerumque e mancipiis, & pueris venaliciis conflata extitiffe, verum fuere nonnullæ nationes, quæ fervos & pueros magis ad placitum potentiorum, quam aliæ fubmiferunt. Eapropter mancipiorum venditores, nationem cujufque in venditione pronuntiare tenebantur, plerumque enim natio fervi aut provocat, aut deterret emptorem, ut eft, *l. quod fi nolit.* 31. *ff. qui mancipia*. Empturi quoque medicos advocabant, qui corpora venalitiorum an fana effent explorarent, *Claudian. in Eutrop.*

*Nudatus quoties medicum dum confulit emptor,*
*Ne qua per occultum lateat jactura dolorem.*

Pueros, quantum ex Juvenali colligere licet, Asiaticos summo cum studio conquisivere, *Sat.* 5.

*Flos Asiæ ante ipsum, pretio majore paratus.*

Et Satyra 11. vers. 147.

*Plebeios calices & paucis assibus emptos,*
*Porriget incultus puer, atque a frigore tutus:*
*Non Phryx aut Lycius, non a mangone petitus.*

Alexandrini pueri, maximis in deliciis fuere apud potentiores. Martialis lib. 4. Epig. 42. scribens qualem puerum velit, inquit:

*Si quis forte mihi posset præstare roganti,*
*Audi quem puerum, Flacce, rogare velim.*
*Niliacis primum puer is nascatur in oris,*
*Nequitias tellus scit dare nulla magis:*
*Sit nive candidior, namque in Mareotide fusca*
*Pulchrior est, quanto rarior, iste color,* &c.

Disertissimus Arbiter in suo Satyrico, Trimaltionis cœnam describens: *Tandem ergo discubuimus, pueris Alexandrinis aquam nivatam in manus infundentibus.* Et inferius: *Circumferebat Ægyptius puer clibano argenteo panem.* Seneca Epist. 83. *Progymnastas meos quæris? unus mihi sufficit Earinus, ut scis, puer amabilis, sed mutabitur.* Quo in loco doctissimus interpres Lipsius testatur, in antiquis codicibus se non Earium, sed Farium reperisse, quasi a Pharo puer & Ægypto, unde lepidi & amœni. Statius Papinius lib. Sylvarum, in Glauciam Melioris Epicedio:

*Non te barbaricæ versabat verna catastæ,*
*Nec mixtus Phariis venalis mercibus infans,*
*Compositosque sales, meditataque verba locutus.*

Idem lib. 3. sylvarum, Epicedio in filium:

*Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces*
*Delicias, doctumque sui convitia Nili*
*Infantem, linguaque simul, salibusque protervum.*

Hæc subiti caloris Poeta eleganter effudit, unde non difficile causam perspicias, cur Alexandrini pueri tantopere expetiti. Sales enim illorum, & amœna loquacitas amorem sui accendebat, & pretium augebat. Atque in ea re fluctuantem quempiam, stabiliet & confirmabit Seneca lib. de Tranq. vitæ: *Pueros quidam mercantur in hoc procaces, & eorum impudentiam acuunt, & sub magistro habent, qui probra meditate effundant, nec has contumelias vocamus, sed argutias.* Eosdem pueros in mente habuit idem auctor, dum hæc scriberet, *lib. de Providentia. Filiorum modestia delectantur, vernularum licentia: illos disciplina tristiori continent, horum aliter audacia.* Hinc elegans illud responsum Quartillæ, apud Petronium: *O inquit hominem acutum, atque urbanitatis vernulæ fontem.* E contra rudis vernula, qui nullos sales miscere gnarus dictus Senecæ, lib. de Tranq. & Juvenali incultus puer. Talibus itaque pueris, & tam lasciva protervia, viri Principes otium suum oblectare soliti. Suetonius de Augusto cap. 83. *Animi laxandi causa, modo piscabatur hamo, modo talis, aut ocellis, nucibusque, ludebat cum pueris minutis, quos facie & garrulitate amabiles undique conquirebat, præcipue Mauros & Syros.*

Ejusmodi vero pueros Latini delicias vocarunt. Verum Alexandrini pueri ac vernulæ, in proterva illa ac lasciva dicacitate, omnium, ut arbitror, ingenia antecesserunt. Nam & histriones, pantomimi, qui in theatris maxime aures animosque vulgi delinitos tenuere, Ægypto patriam suam de-

A bent. Et ne multos recenseam, celebris est ille pantomimorum primipilus Paris, tot auctorum historiis decantatus, populique Romani amor. Is unde domo, eleganter Martialis in suo epithaphio docet:

*Quisquis Flaminiam teris viator,*
*Noli nobile præterire marmor.*
*Urbis deliciæ, salesque Nili,*
*Ars & gratia, lusus & voluptas,*
*Romani decus, & dolor theatri,*
*Atque omnes Veneres, Cupidinesque,*
*Hoc sunt conditæ, quo Paris sepulchro.*

Batyllus florentissimus ille histrionum, quem amœna ac viridi pace vernantia Augusti tempora viderunt, Nilo debet suos lepores, propter quos
B in tantum plebi ac Senatui gratus, ut uterque limina ipsius vexaret, & janitoribus ipsius innotescere, pro præclaro duceret. Is Pantominus Alexandria oriundus fuit, Athenæo teste, lib. 1. & Plutarcho Symp. lib. 6. prob. 119. Imo vero dicacitati huic protervæ, operam dedisse videntur Alexandrini, apud quos, teste Suida, certis diebus in curribus homines vecti, quibus hoc munus datum esset, totam urbem peragrabant, & stantes ubi vellent, & domo adstantes cuicumque visum esset, de plaustro canebant, nec falsa convitia, sed vera crimina objiciebant. Plura ejusmodi Ægy-
C ptus Romam transmisit, hinc illi Gaditani saltus, molles ac effæminati, hinc Nili cantica, & cætera lasciviæ commenta, quæ sine fastidio vix congeri possent.

Quare præcipua puerorum commendatio, erant sales, jocorumque mixta garrulitati amœnitas: verum ut non solum prurientis linguæ lascivia dominos oblectarent, nonnunquam etiam inter se pugnandi causa committebantur. Seneca lib. de brevitate vitæ cap. 12. *Qui in ceromate, (nam pro facinus, ne Romanis quidem vitiis laboramus) spectator puerorum rixantium sedet.* At cujus gentis vitio laborarunt? Græcia luxuriæ magi-
D stra, e transmarinis oris hæc in Tiberim devexit. Quis enim ignorat ibi palam ephæborum certamina luctasque? Inde traxit originem Romana luxuria, quæ rixantium puerorum paria, dominorum oculis objiciebat. Eam ob causam Statius laude dignum censuit Glauciam, puerum Melioris, cum inquit:

*Sive catenatis curvatus membra palæstris*
*Staret, Amiclæa conceptum matre putares:*
*OEbaliden illo præceps mutaret Apollo,*
*Alcides pensaret Hylam.* ——

Hæc de patria puerorum. adde, pueros quoque
E ex Asia evocatos fuisse, ad edendas in scena operas. Fecit id nequissimus Caligula, qui (*Sueton. cap.* 58.) *Cum in crypta per quam transeundum erat, pueri nobiles ex Asia ad edendas in scena operas evocati, præpararentur, ut eos inspiceret hortareturque, restitit.* Quod attinet ad matronas, eæ nudos pueros & dicaculos, delectandi animi gratia alere solebant. Dio de Cæsaris Augusti & Liviæ nuptiis scribens *lib.*48. meminit cujusdam pueruli, qui matrimonium hoc temere & non more majorum initum, oblique taxavit. Augustus enim nulla de causa justa, Scriboniam repudiaverat, & malesani cupidinis flamma ardens, Liviam Nero-
F ni marito abduxerat, quæ postea gravis Cæsarum domui noverca extitit. Verba sunt Historici: *Elocabat autem Liviam ipse maritus, patris loco: In convivio, forte puellus quidam, quales garrulitate amabiles, matronæ nudos delectationis causa aliquos alere solent, cum diverso loco Liviam cum Cæsare, diverso autem Neronem cum alio quodam accumbentem videret, accedens: quid hic, inquit, agis domina, maritus tuus (monstrabat Neronem)*

*istbic accumbit*. Intuere, quam sæpe & pueri hi nasum rhinocerotis habuerunt. At ne matronas ejus luxuriæ solas arguamus, viri quoque eodem vitio (o flagitium!) laborarunt. Talis puto Sarmentus ille Augusti, talis Sporus Neronis. talis & pusio Commodi Imperatoris, de quo Herodianus lib. I. *Erat autem quidam infans adbuc ex ea nota, qui vestitu cætero nudi, sed auro gemmisque ornati, solent delicatissimo cuique Romanorum esse oblectamento: is ita Commodo charus erat, ut cum illo sæpe etiam cubaret, ac Philocommodus appellaretur, ipso nomine indicante amorem Principis*. Spectavimus puerorum corporis habitum & ornatum, inspeximus multitudinem, vidimus ordinem, cognovimus nationem, sales, jocos, restat ut pretium consideremus.

Ne detineam, ajo plerosque pædagogianorum e domesticis vernulis, multos e mancipiis venalitiis extitisse. Id re ad Sagram gesta certius, a quibus vero & quo pretio mancipia ista vendita? a Mangonibus, ii etenim ut expensas lucrifacerent, vernulas coemebant formosos, & eviratos reddebant quo cariores fierent. Claudianus,

*Advolat Armenius certo mucrone recisos*
*Edoctus mollire mares, damnoque nefandum*
*Aucturus pretium*. ——

Aliquando ipsimet artificiose decus formamque puerilem adulterabant. Seneca ad Lucilium: *Mangones, quidquid est quod displiceat, aliquo lenocinio abscondunt:* Et ut testatur Quinctil. lib. 2. cap. 16. in servis venalitiis, colorem fuco, & verum robur inani sagina mentiebantur, ut scilicet mancipia majore pretio venderent. Adde, ut pueri teneriori viderentur ætate, pubertatem medicamentis coercebant. Claudian. Eutrop. lib. I.

——*seu Parthica ferro*
*Luxuries vetuit nasci lanuginis umbram*,
*Servatoque diu puerili flore coegit*,
*Arte retardatam Veneri servire juventam*.

Plinius lib. 26. cap. 21. *Radix hyacinthi bulbacea est, mangonicis venalitiis pulchre nota, quæ in vino dulci illita, pubertatem coercet, & non patitur erumpere*. Quapropter magno semper vendidere pueros. Innuit Juvenalis Sat. XI.

——*non a mangone petitus*,
*Quisquam erit, & magno*. ——

Martialis summam pecuniariam ad oculum commonstrat, Epigrammate 58. lib. I.

*Millia pro puero centum me Mango poposcit*,
*Risi ego, sed Phœbus protinus illa dedit*.

Idem lib. 3. Epigrammate 42.

*Centenis quod emi pueros, & sæpe ducenis*, &c.

Juvenalis Satyra 5.

*Flos Asiæ ante ipsum pretio majore paratus*,
*Quam fuit & Tulli census, pugnacis & Anci:*
*Et ne te teneam, Romanorum omnia Regum*
*Frivola*. ——

Et inferius:

—— *Nescit tot millibus emptus*,
*Pauperibus miscere puer*. ——

Denique clarum illud Plinii testimonium, qui scribit lib. 7. cap. 12. M. Antonium duos pueros eximios forma mercatum fuisse ducentis sestertiis. Acutus & ille Martialis jocus, sed latet obscænitas velut anguis in herba, in quendam, qui in pueris emendis nimio curiosus:

*Ut pueros emeret Labienus vendidit hortos*,
*Nil nisi ficetum, nunc Labienus habet*.

Moriones quoque ingentibus empti pretiis. Martialis lib. 7. Epigrammate 13.

*Morio dictus erat, viginti millibus emi*,
*Redde mihi nummos, Gargiliane, sapit*.

De pretiis servorum vide doctissimum & eruditissimum Meursium in libro quem de Funere conscripsit. Inter cætera quoque ministeria magnatum ac principum virorum fuere Nani & Nanæ, communis nostro sæculo etiam luxus, quos non natura tantum nodo adstrinxerat, sed etiam ars Mangonum: illi enim ut nanos efficerent, alebant pueros in arca conclusos, & fasciis revinctos. In domo Augusti fuit Conopas minimus homo, duorum pedum, & palmi, Juliæ neptis cura & amor. Ac nescio quo pacto portentum illud toleraverit Augustus, scio etenim illum, teste *Suetonio cap. 83. pumilos atque distortos, omnes generis ejusdem, ut ludibria naturæ malique ominis abhorruisse*. & ut observavi apud Suetonium. cap. 43. Lucium quendam honeste natum in ludicro exhibuit, tantum ut ostenderet, quod erat bipedali minor, librarum septemdecim, ac vocis immensæ. Ejusdem genii & Alexander Severus, qui nanos & nanas aula ejecit. Idem, teste Lampridio: *tertium genus hominum eunuchos esse dicebat, nec videndum, nec in usu habendum a viris, sed vix a fœminis nobilibus*. Non sic Domitianus, qui puerum quendam coccinatum, parvo portentosoque capite, summis in deliciis habebat, cum eo plurimum fabulabatur, nonnunquam serio. *Suetonius*: *Auditus est certe* (ride si sapis) *dum ex eo quæerit: ecquid sciret cur sibi visum est ordinatione proxima, Ægypto præficere Metium Rufum?*

Hujusmodi vero homines pumilos, per jocum Atlantes vocabant. Juvenalis Sat. 8.

—— *nanum cujusdam Atlanta vocamus*.

Martialis in Apopho.

*Si solum spectes hominis caput, Hectora credas*.
*Si stantem videas, Astyanacta putes*.

Aliquando in spectaculis committebant. Statius

*Hic audax subit ordo pumilorum*.
*Quos natura brevi statu perfecto*,
*Nodosum semel in globum ligavit;*
*Edunt vulnera, conseruntque dextras*. &c.

Plura de Nanis, Clemens Alexandrinus. Pulchre Quintilianus Declamat. 298. *Habent hoc quoque deliciæ divitum, malunt quærere omnia contra naturam, gratus est ille debilitate, ille ipse infelicitate distorti corporis placet, alter emitur quia alieni coloris est*.

Jam & Fautorum etiam insania magnopere delectabantur, nec jocis salibusque protervis puerorum contenti, ex inordinato mente dejectorum sermone, futilique lingua, suam capiebant voluptatem. Seneca Epist. 50. *Harpasten uxoris meæ fatuam, scio hæreditarium onus in domo mea remansisse, ipse enim aversissimus ab istis prodigiis sum, si quando fatuo delectari volo, non est longe quærendus, me video. hæc fatua subito desiit videre. Incredibilem tibi narro rem, sed veram, nescit se esse cæcam, subinde pædagogum suum rogat, ut migret, ait domum tenebrosam esse*.

Venio ad Polyphagos, & his quoque locus in aula Principum. *Nero*, ut refert Suetonius cap. 37. *creditur Polyphago cuidam Ægyptii generis, crudam carnem, & quidquid daretur mordere assueto, concupivisse vivos homines laniandos absumendosque objicere*. Flavius Vopiscus de Aureliano Imperatore scribit: *Vehementissime autem delectatus est Pha-*

*gone, qui usque eo multum comedit, ut uno die ante mensam ejus aprum integrum, centum panes, vervecem, & porcellum comederet, haberet autem in fundibulo apposito plus orca.* O charybdim voracissimam! o barathrum hominis, non ventriculum! certe nescio, an Vopiscus, dum hæc scriberet, non ad aniles fabulas respexerit, & nimis e fama dixerit, quæ pennas semper acquirit eundo. Credite jam, si vultis, posteri, folium Sybillæ non recito. Exciderant fere e mente Hermaphroditi, Mercurio genitore nati, genitrice Cythera, qui etiam in Romanis deliciis. Plinius lib. 3. cap. 3. *Gignuntur & utriusque sexus, quos Hermaphroditos vocamus, olim Androgynos vocatos & in prodigiis habitos, nunc in deliciis.* Illi olim pro monstris habiti Romæ, & in flumen abjecti, a ter novenis virginibus carmen per urbem cantantibus, ut videre est apud Livium, *Decade* 1. *lib.* 4. *& lib.* 9.

Nostra tempora inspicienti mihi quoque, video ea, luxuriam hanc omnem a Romanis velut hæreditario jure recepisse. Quis unquam Principum palatia introspexit, in quibus nani & pumili homines, ad primum se se intuitum non obtulerint? qui non tantum jam in matronarum syrmate ferendo sudant, sed pro libitu ad Principum aures accedunt. Morionibus delectamur, & insaniam illorum clarissimis cachinnis excipimus, ipsi vix mente saniori. Audivi (pudor!) audivi inquam non nullos ob singularem comporandi simul & vomendi artem quandam, in aula quapiam summis in deliciis fuisse. Vetus hæc quidem insania, & simulationum artifex Tiberius eandem insanivit, *qui cum Pomponio Flacco & L. Pisone noctem continuumque biduum epulando potandoque consumpsit, quorum alteri Syriam provinciam, alteri Præfecturam urbis confestim detulit: Sueton. in Tiberio cap.* 42. Et idem Princeps: *Ignotissimum quæsturæ candidatum, nobilissimis anteposuit, ob epotam in convivio propinante se vini amphoram.* Quid dicam de Eunuchis? exsecantur pueri, non ut salibus lascivaque protervia otium dominorum condiant, sed ut tenera voce & lusciniarum garritus imitante, magnarum aures demulceant. Sed ad veterem ego luxuriam redeo, quæ non minor in lecticarum usu.

## CAP. V.

*De Lectica excerpta pleraque ex Electis Justi Lipsii, sed ea tantum quæ luxuriam concernunt.*

IN antiquitatis Romanæ ruderibus eruendis, plerique & ingenio & doctrina celeberrimi viri, operam suam ac diligentiam collocarunt. verum fas sit dicere, nemo eam in rem felicius, magisque dextro Apolline conatus suos contulit, quam Justus Lipsius, cui frequens literatorum suffragium in Romana historia illustranda, Principatum concessit. Multos ille & plusquam Gordios difficultatum nodos explicuit, multa ænigmata non jam a sphynge proposita, sed in variis latentia auctoribus, acute docteque resolvit. Singula recensere quæ a doctissimo viro diserte illustrata sunt, id vero ἀδύνατον: unus ille de lecticis ac sellis veterum ritus, qua cura, quo ingenio, quanta cum diligentia erutus & explicatus, *Elect. lib* 1. *cap.* 19. variorum ibi auctorum sententiæ, quæ plusquam in Cimmeriis versabantur tenebris, luci sunt redditæ, vitamque Phœbo huic literarum debent, quæ longo temporis intervallo intermortuæ jacebant. Quare supersedeo ego de hoc ritu dicere, ea e viri doctissimi Collectaneis excerpam, quæ mei instituti esse videbuntur, vix aliquid de meo prolaturus.

Lectica Asiaticæ luxuriæ instrumentum est, & A inde Romam post bellum Punicum secundum commigravit. Ex Asia inquam, rationem addo Lipsii verbis: *Facio conjecturam, quod in Bithynia & Cappadocia frequens lectica, & ideo probabile, instrumentum illud luxuriæ inde translatum Romam.* Favet huic sententiæ Cicero lib. 1. in Verrem: *Nam ut mos fuit Bithyniæ Regibus, lectica octophoro vehebatur.* Lecticarii etiam e Bithynia accersebantur, ut liquet ex Catulli Epigrammate xx. quod non exscribo, ne obscœna illa Floralia severos Catones offendant. Atque licet ea ex Asiaticis oris devecta, tamen non nisi ad itinera & vias conficiendas usum sui præbuit, donec invalescens ma- B gisque effervescens luxuria, per urbem lecticis ferri edocuit, tunc cum fortuna Julium Cæsarem in supremo dominatus solio collocavit. Ipse Julius Cæsar lectica per urbem latus, attestante Tullio, in divina Philippica: *Quis unquam apparitor tam humilis, & tam abjectus, nihil ipse poterat, omnia rogabat, caput in aversam lecticam inserens, beneficia quæ venderet, a collega petebat.* Et Julii temporibus vulgari passim lecticæ incipiebant, nemo potentiorum, tam virorum, quam matronarum extitit, qui non daret operam luxuriæ huic lecticariæ. Tandem Cæsar pristinorum morum recorda- C tione tactus, edictum hujusmodi commentus est, teste *Sueton. cap.* 43. quo *Lecticarum usum, conchyliatæ vestis, & margaritarum, nisi certis personis & ætatibus, perque certos dies ademit.* Sed nihil difficilius, quam exundanti ac exæstuanti luxuriæ molem objicere, ejusque rapidos cursus reprimere. In placida illa ac florenti Augusti Cæsaris Monarchia, lecticæ non solum sine pœna, sed sine lege, & inferiori ævo passim, *vide supra cap.* 2. Clientæ etiam patronos in lecticis sequebantur, prostibula, & vix non e Suburrano grege mulieres, lecticam conscendere minime verebantur, donec Domitianus Imperator *Usum lecticarum probrosis* D *fœminis ademit, Suetonius cap.* 8 Imo Causidici etiam & rabulæ forenses, lecticam ambiverunt. Notat & perstringit Juvenalis Satyra 1.

*Causidici nova cum veniat lectica Mathonis,*
*Plena ipso.* ——

Iidem etiam sella gestabantur, eodem Satyrico attestante:

*Respicit hoc primum qui litigat, an tibi servi*
*Octo, decem comites, an post te sella, togati*
E *Ante pedes.* ——

Lectica vero Romanis duplex: Tecta & Operta, de priori nihil dicam, altera magnarum deliciarum fuit, contraque aspectum hominum & injurias aeris optime munita. Eapropter a Plinio nepote dicta *Cubiculum tectum*, ab altero vero Plinio hujus avunculo *Cubiculum viatorium* appellata, lib. Natural. Hist. 37. cap. 2. (*Adi Lipsium.*) *Cum Neronem ait sceptra, & personas, & cubicula viatoria unionibus construxisse.* Fuit quoque & alia lectica lucubratoria. Suet. de Augusto: *A cœna se in lecticam lucubratoriam recipiebat.* Venio ad lecticarios, F ii sex ut plurimum: unde frequens mentio hexaphori, interdum octo, hinc lectica octophoros. Hæc posterior rarenter viris usurpata, nisi in supinis deliciis, ac morbo, vide Suetonium de Caligula cap. 43. Sæpius ea usæ fœminæ, nec tamen cum ignominia. Apulejus in Apolog. *Vectabatur octophoro, vidistis profecto ipsi qui adfuistis, quam improba juvenum circumspectatrix, quam immodica sui ostentatrix.* Jam Lecticarios homines discinctos, formosos undique conquirebant, qui plerumque a fœminis adamabantur. Seneca Epist. CXI. *Quo-*

ties mihi occurrit domus splendida, cohors culta servorum, lectica formosis imposita calonibus: Eam ob causam lepidus Martialis, fœminam lecticariolam appellavit, quæ cum lecticariis, ut honeste dicam, caput collimaret:

*Ancillariorum tua te vocat uxor, & ipsa*
*Lecticariola est, estis Alauda pares.*

Sed quis, (ut obiter loquar) enarrare queat illorum temporum libidines? quis tam tetra & horrenda adulteria? vidisses non formosis tantum lecticariis fœminas commisceri, sed & gladiatorum amoribus ardere. Eorum enim gratia, si quos firmo & valenti corpore conspexissent, desiderio accensæ conjugia relinquebant, & cupidine stimulante, vix non ex arena ipsa ad genialem lectum petrahebant, sæpeque accidit, quod nobilis infans Euryalum mirmillonem expresserit. *Ferrum est quod amant*, ait alibi Juvenalis. (*De hac libidine & pluribus intolerandis extat Juven. Sat.* 6.) Atque ut etiam antiqua illa, recentiorum exemplorum commemoratione condiamus, cum promptus sit præsertim & facile in omnem libidinem effervescens animus muliebris, referre pauca ex Jovio in elog. lib. 3. decrevi, de libidine mulierum Insubrarum, tempore Galeatii Sfortiæ. *Ea tum erat*, inquit, *ex multo otio luxuriantis sæculi conditio, in ipsis præcipue nobilioribus matronis, ut totum pudicitiæ decus ab humanitate aulæ, alienum prorsus & subagreste putaretur*. Auxerat hoc malum Principis libido: *Erat enim tunc vulgatum inter fœminas, nullam ex Principis concubitu fieri impudicam, earumque maritos, qui ineptis hirci videri possint, ita excellere aureis cornibus, ut dignitate cunctos anteirent*. Acute satis & Constantinopolitanæ urbis impudicos cives, & libidini deditos, perstrinxit Andronicus Imperator, qui cornua cervorum insignia in porticibus fori suspendi jussit, non ob speciem ostentandæ magnitudinis, sed potius, ut fœminarum, quas ipse corrumpebat, & civitatis mores notaret, ut Choniates scribit.

Redeo ad lecticarios, quos longos quoque & erectos ad lecticam eligebant. Tertullian. ad uxorem lib. 2. *Unde ergo nisi a Diabolo maritum petant, bonum exhibendæ sellæ & mulabus, & cinerarios peregrinæ proceritatis*. At quibus ex oris petiti? Lipsius duas nationes tantum memorat, addam ego plures. Primo, ex Germania. Tertullianus lib. de virgin. velandis: *Non vestium tædia, non Gallicos vultus, non Germanicos bajulos, quæ nuptiarum gloriam accendunt. Vide hic Lipsium*. Clemens Alex Pædag. lib. 3. cap. 4. *Qui lecticas mulierum in altum tollant, & cum impetu bajulent Germani multi*. Secundo, Lecticarii e Liburnia accersiti. Juvenalis Sat. 3.

*—— turba cedente vehetur*
*Dives, & ingenti curret super ora Liburno.*

Et alibi:

*—— primus clamante Liburno*
*Currite. ——*

Tertio ex Media, & Syria evocati: Juvenal.

*Perque forum juvenes longo premit assere Medos.*

De Syris Martialis:

*Octo Syris suffulta datur lectica puellis.*

Et alibi:

*Canusinatus nostro Syrus assere sudet.*

Juvenal. Sat. 6.

*Quam quæ longorum vehitur cervice Syrorum.*

A Quarto denique e Mœsia, attestante eodem Sat.

*—— & duo fortes*
*De grege Mœsorum, qui me cervice locata,*
*Securum jubeant clamoso insistere Circo.*

Adde: homines luxu ac ignavia torpentes, in opertis lecticis resupini ferebantur. atque hoc summarum deliciarum indicium fuit. Ovid. lib. 1. de arte:

*Interea sive illa thoro resupina feretur,*
*Lecticam dominæ dissimulanter adi.*

Juvenalis Sat. 3. de lectica:

B *Atque obiter leget, aut scribet, vel dormiet intus:*
*Namque facit somnum, clausa lectica fenestra.*

Quo vero mollius cubarent hi Sardanapali, pulvinum substernebant, ideoque Seneca ad pulvinum ascendere scripsit, Consolat. ad Marciam, cap. 16. *Equestri insidens statuæ, in Sacra via celeberrimo urbis loco Clælia, exprobrat juvenibus nostris pulvinum ascendentibus, in ea illos urbe sic ingredi, in qua etiam fœminas equis donavimus*. Juvenalis lecticam, pensilem plumam vocavit. Satyra 1.

C *Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur*
*Pensilibus plumis. ——*

Lautiores, pulvillos hos rosa infarciebant, idque me monet Ciceronis auctoritas, qui de Verre sic inquit: *Lectica octophoro vehebatur, in qua erat pulvinus pellucidus, Melitensi rosa fartus*.

Referam jam Senecæ loca varia, in quibus hanc Lecticarum luxuriam, severe accusat & castigat. Ac primum de Brevit. vitæ cap. 12. inquit: *Nec illos quidem inter otiosos numeraveris, qui sella se & lectica huc & illuc ferunt, & ad gestationum suarum, quasi deserere illas non liceat, horas occurrunt*.

D Nota discrimen inter sellam & lecticam, gestari enim sella, Romanis per quam luxuriosum, idque proprie gestatio Latinis, verum hæc dicta aliis. (*Vide Lips. Centur. 3. Miscellan. Epist.* 11.) Luxus ævo quoque nostro non ignotus, & præcipue in Italia, Neapoli, aliisque in locis vulgatissimus. Alter Senecæ locus in libro eodem: *Audio quendam ex delicatis, cum ex balneo inter manus elatus, & in sella positus esset, jam sedeo? Hunc tu ignorantem an sedeat, putas scire an vivat? an videat? &c.* O lasciviam plusquam Sybariticam! quid jam de altero illo diceres? qui in campum animi oblectandi gratia progressus, cum hominem rus suum

E fodientem cerneret, & præ labore rivis undique manantem sudorem ex ipsius fronte animadverteret, oculos avertit, & quasi alto dolore oppressus ingemuit: Heu fatigor, inquiens! Prosequitur indignationem suam & censuram Seneca, lib. ad Lucilium: *quos supra capita hominum, supraque turbam delicatos lectica suspendit*.

Verum & Plinium audiamus, in eleganti illo Trajani, laudatissimi Principis, panegyrico, ea in verba prorumpentem: *Ante te Principes fastidio nostri, & quodam æqualitatis metu, pedum usum amiserant, illos ergo humeri cervicesque servorum supra ora nostra; te fama, te gloria, te civium pie-*

F *tas, te libertas, super ipsos Principes vehunt*.

Tullius in divina oratione Antonium lacerans, inquit: *At iste operta lectica latus est per urbem ut mortuus*. Hic locus a prisco ritu originem suam repetit, a doctissimo Lipsio, si bene memini, non citatus, *Elector. 1. cap.* 19. ab eo tamen lucem accipiet. Nam ut is demonstrat, lecticas ab initio Romæ ad mortuos efferendos usui fuisse, & adfert elegantem ex Agellio historiam de Venusino bubulco, qui existens in Asia, cum videret legatum

quendam Romanum adolescentem in lectica ferri, & cum ignoraret quis ferret, per jocum interrogavit: num mortuum ferretur. Hæc de lectica, aliunde excerpta fateor, auctorem Lipsium non nego; non eo sum fato, qui aliorum inventa pro meis venditem, scio plerosque vitio hoc laborare, & aliquos novi e scriptis. Sed caveant corniculæ, ne risum brevi moveant aliarum avium plumis spoliatæ, quibus se tantopere jactitant. Excerpsi ego quæ mei instituti sunt, luxuriam ostendi, non ritum; paucula addidi, non eo inficias. Ego ne ad pulcherrimam illam Lipsianæ veneris tabulam, ultimas manus admoveam? Plura de vehiculis in genere dicere animus mihi non est, scio fuisse ærata, eborata, argentata, argentea, aurata, & gemmata, adi eruditissimum Meursium, libro de Luxu, cap. XI. is omnia pro summa doctrina, qua hominem magnopere imbutum esse scio, ad unguem expedivit adeo, ut nihil addi possit, omnia vero perperam exscribere, genius meus vetat. Transeo igitur ad alia.

## CAP. VI.

*De veterum Romanorum ædibus, de casa Romuli in Capitolio asservata: post dictum, quando maxime Romani magnifice ædificare cœperint.*

Omnia in pejus ruere, nec retro sublapsa referri cernens antiquitas, triplex nobis descripsit sæculum, quorum primum aureum, argenteum alterum, ferreum tertium appellavit. Jamque dum felicis ac beatæ vitæ, singulare quoddam exemplar nobis propositum esse cupit, auream ætatem summis encomiis extollit, & inter cæteras ævi illius felicitates, eam non postremam esse asserit, cum homines tunc una ac communi juris habena temperati;

*—— nemora atque cavos montes sylvasque colebant,*
*Et frutices inter condebant squallida membra.*
*Lucretius lib. 5.*

Sed succedens posteritas, dum majorum suorum inopiam, rudesque illos & inscios animos aversatur, primum frondeos ac virgulteos lares deseruit, lignumque ad extruendas casas fissile, cuneis discidit, post domuum superba extulit fastigia, Babylonios muros excitavit, Ephesia templa, Mausolæa molita est, Colossos, Pyramides, & cæteros orbis universi stupores erexit. Idem in Romana urbe accidit, quæ omnium unanimi suffragio ac voce, mundi totius compendium appellata fuit, cujus si auream illam ætatem, qua primum fatalis potentiæ fundamenta jecerat, animo cogitationeque perlustremus, reperiemus incolas illius, humili & luteo tecto contentos, jucundam pauperiem coluisse. Furcæ utrinque suspensæ fulciebant casam spissatis ramalibus, ac fronde congesta, & in proclive disposita, decursus imbribus quamvis magnis erat. Sub his tectis habitavere securi, ex iis casulis prodibant, ad debellandos ac profligandos hostes, & sub luto ac stipula, spolia & exuvias suspendebant.

*Non fuit opprobrio facta sine arte casa.*
*Prop. lib. 4.*

Elegantissime disertus Arbiter, aurei illius ævi pauperiem descripsisse videtur in suo Satyrico:

*At paries circa palea satiatus inani,*
*Fortuitoque luto: clavus numerabat agrestis,*
*Et viridi junco gracilis pendebat harundo.*
*Præterea, quæ fumoso suspensa tigillo*
*Conservabat opes humilis casa. ——*

Apertius felicissimi caloris Poeta Claudianus, antiquam Romanorum continentiam proposuit illis versiculis:

*Sordida Serranus flexit Dictator aratra,*
*Lustratæ lictore casæ, fascesque saligni*
*Postibus affixi. &c.*

Non jam temporum illorum paupertas, decantata toties continentia, quæ Romanis universum terrarum orbem subdidit. ille ipse Princeps & auctor Imperii, quam humili & abjecto usus tugurio, testis Ovidius Fastorum 3.

*Quæ fuerit nostri si quæris Regia nati,*
*Aspice de canna straminibusque domum.*

Et primo libro Fastorum:

*Dum casa Martigenam capiebat parva Quirinum,*
*Et dabat exiguum fluminis ulva torum.*

Princeps Poeta 8. Æneid.

*Romuleoque recens horrebat Regia culmo.*

Hæc Romuli casa, longo temporum spatio in Capitolio asservata fuit, ac suam Romanis luxuriam exprobravit. Dionysius Halicarnassæus lib. I. de Romulo & Remo scribens, primaque Romanorum origine, sic inquit: *victum sibi parantes manibus, plerumque e ligno & arundine compingentes humiles absque ulla contignatione casulas, quarum una usque ad nostram ætatem duravit, ad latus viæ ducentis in Circum e Palatio, cognominata Romuli: quam ut sacram servant, quibus id mandatum est, nihil addentes ornatus gratia, quod si quid temporum aut tempestatum injuria deficiat, sarcitur quantum fieri potest ad formam pristinam.* Situm hujus casæ Dionysius expressit, sed paulo clarius Macrobius I. Saturnal. ostendit his verbis: *Pontifex kalata, id est, vocata in Capitolium plebe, juxta Curiam Kalabram, quæ casæ Romuli proxima est, &c.* Curia autem Kalabra, Rycquii & aliorum sententia, in ea Montis parte stetit, quæ Palatini montis angulum viamque Sacram aspicit. Jam vero casam hanc in Capitolio fuisse asservatam non est cur dubites, cum id omnes unanimi voce scriptores affirment. Vitruvius architecturæ peritissimus, qui temporibus Augusti Imperatoris vixit, & fortasse Romæ tunc Halicarnassæum novisse poterat, de casa Romuli sic scribit libro 2. cap. I. *Item in Capitolio commonefacere potest, & significare mores vetustatis, Romuli casa, in arce Sacrorum stramentis tecta.* Cæstius Declamator apud Senecam patrem, *libro 2. Controv. I. Colit etiamnum in Capitolio casam victor omnium gentium populus: cujus tamen felicitatem nemo miratur. Merito potens est.* Et Silius Bassus apud eundem, *libro I. Controv. 6. Inter hæc tam effusa mœnia, nihil est humili casa nobilius, fastigiatis supra tectis auro puro fulgens prælucet Capitolium.* Hanc vero casam collocatam fuisse in Capitolio, ante Gallorum in urbem irruptionem, colligo. quomodo enim flammam illam hostilem ac vastitatem effugere potuisset, nisi in tutiori loco constituta? nihil vero tunc firmius & munitius Capitolio, ubi reliquiæ juventutis Romanæ Senonibus fortiter ac strenue restiterunt. Meminit hujus casulæ, alter Romulus, Imperiique secundum auctor Camillus, apud Livium, lib. 3. *Si tota urbe nullum melius ampliusve tectum fieri possit, quam casa illa conditoris nostri.* Plura si cui videre & discere animus, adeat eruditissimum Rycquium in Commentario de Capitolio Romano.

Successit secunda ætas Populi Romani, ubi expulsis Regibus, & Consulum dignitate stabilita, brevi post temporis intervallo, urbs a Gallis orbi lumen

lumen illud affulgens invidentibus, vastata & incensa est, tunc omnis veterum continentia, ac primigenia paupertas fatali cinere sepulta fuit. Florus c. 13. *Agere gratias Diis immortalibus ipso tantæ cladis nomine libet, pastorum casas ignis ille, & flamma paupertatem Romuli abscondit.* Vidisses in secunda hac ætate, domos paulo meliori artificio compactas, non Dædaleo tamen opere, nec ad invidiam usque: quippe tunc Romani externorum bellorum incendia, armis restringere, quam architecturæ dare opem maluerunt. Satis erat majorum inscitiam texisse & emendasse. De illis temporibus intelligendus est, puto, Varro Ταφῇ Μενίππου: *Antiqui nostri domibus latericiis, paululum modo lapidibus suffundatis, ut humorem effugerent habitabant.* Videndus & Plinius lib. 35. cap. 14.

Tertia ætas peracto bello Punico secundo luxuriæ viam aperuit: tunc Scipio Nasica in Capitolio porticus, tum Metellus, tunc denique in Circo Cn. Octavius multo amœnissimas moliti sunt, publicamque magnificentiam secuta privata luxuria est. Sed hos omnes antecessit ultima ætas sub Augusti imperio. is enim, ut ait Suetonius, *Urbem neque pro majestate imperii ornatam, & inundationibus incendiisque obnoxiam excoluit, adeo, ut jure sit gloriatus marmoream se relinquere, quam latericiam accepisset.*

Primus igitur ac præcipuus decoris auctor Augustus, alter ab eo Nero, qui ambitione impulsus urbem incendit, ut novam melioremque repararet. Itaque ejus jussu, ut ait Tacitus, *Urbis domus, non ut post Gallica incendia, nulla distinctione, nec passim erectæ, sed dimensis vicorum ordinibus, & latis viarum spatiis, cohibita ædificiorum altitudine, &c.*

Neque vero Neronianum incendium tantum ad magnificentiam publicam ædium profuit, sed etiam omnia privata incendia, & singularum domuum conflagrationes, multum ad decorem structurarum contulere. Eapropter, *Timagenes felicitati urbis inimicus ajebat: Romæ sibi incendia ob hoc unum dolori esse, quod sciret meliora resurrectura quam arsissent.*

Sed de his copiosius Lipsius libro 3. Admirand. cap. 5. ubi plura hauries; venio ego jam ad luxum ædium in particulari.

## CAP. VII.

*Luxus ædificiorum in particulari expenditur. Vestibula ante ædes potentiorum. Limina marmorea, forte & ænea. Fores cælatæ, putaminibus testudinum variegatæ. Idem luxus & in repositoriis. Janitor ad ostium catena alligatus, supra limina ædium picæ, psitacci, corvi, caveis sumptuosis inclusi. Atria innumeris & exquisiti marmoris columnis sustentata. Ibidem majorum effigies, signa, & statuæ structilibus basibus impositæ: imagines & marmora tectorio opere parietibus insertæ. Parietes incrustati, deaurati, ebore atque gemmis distincti. In cubiculis imagines cariorum affixæ. Laquearia luxuriosa versatilia. Pavimenta. Vela ad fores & prothyra. Altitudo ædium & fastigium.*

QUo quo ventum est a Titii stipula fictilibusque Numæ! quis non exclamet cum Propertio:

*Nil patrium nisi nomen habet Romanus alumnus,*
*Sanguinis altricem nunc pudet esse lupam?*

Ante ædes occurrit mihi primo vestibulum, quod eleganter describit Gellius lib. 16. cap. 5. videlicet, locus ante januam domus vacuus, per quem a via aditus accessusque est ad ædes. qui namque domos amplas antiquitus faciebant, locum ante januam relinquebant, qui inter fores & viam medius esset. in eo loco, qui dominum domus ejus salutatum venerant, consistere solebant. Seneca Epist. 85. *Præteri istos gradus divitum, & magno aggestu suspensa vestibula.* Ad limen jam accedo, illud marmoreum, & unde hic luxus originem traxerit, utrumque aperte Plinius demonstrat, *lib. 36. cap. 7. Lepidus Catulli in Consulatu collega, primus omnium limina ex marmore Numidico statuit.* Hinc frequenter a Poetis limen superbum dicitur, licet nonnunquam pro domo integra metonymice sumatur:

*—— thalamique egressa superbum*
*Limen. —— Stat. Sylvar. 1.*

Ac nescio an non etiam ænea limina Romani ædibus suis apposuerint. Facio conjecturam inde: cum enim ad templorum ædificia luxus primum irrepserit, indeque ad privatorum domos plurima magnificentiæ specimina promanarint, arbitror & ænea limina a templis & basilicis, ad civium ædificia devenisse. De templorum liminibus notum ex Livio, qui lib. 10. scribit: *Fœneratores multatos aliquot, & ex eo quod in publicum redactum esset, ænea in Capitolio limina posuisse.* Illud quoque ad stabiliendam & confirmandam sententiam meam non leve argumentum est, videlicet, eboris usus primum in templis comparuit, postea ad privatum luxum descendit. Plinius lib. 12. cap. 1. *A Diis nato velut jure luxuriæ, eodem ebore Numinum ora spectata, & mensarum pedes.* In hac conjectura immotus maneo, nec me dejecit Servii auctoritas, in 1. Æneid. scribentis illo versu:

*Ænea cui gradibus surgebant limina. ——*

Ideo Maronem ænea limina templo adfinxisse, *quod æs religioni sit aptius*, idque probat exemplo Flaminis Dialis, *qui æreis cultris tonderetur.* Ratio prope nulla, quam diluit Justus Rycquius lib. de Capitolio, cap. 18. Adeo nihil in divinis illis magnificum aut pretiosum, quin id profanus opulentiorum luxus continuo ad se traheret, & quotidiano usu velut pollutum usurpare.

Atque ut illa Plautina patera, aliam pateram peperit, sic hæc mea conjectura alteram: arbitror & fores ædium magnificarum variis sculpturis præstantium artificum exornatas. In templis id usurpatum scio, cur non & in privatis ædificiis? & certe ausim dejerare ingeniosissimo Nasoni (2. *Metam.*) Regiam Solis describenti, Romanum tunc luxum in mente fuisse, cum valvarum cælaturam depingeret:

*—— radiabant limine valvæ.*
*Materiam superabat opus: nam Mulciber illis*
*Æquora cælarat, medias cingentia terras. &c.*

Æratæ etiam fores domuum privatarum, ut templorum. Camillo crimini objecit Sp. Carvilius Quæstor, quod ærata ostia haberet in domo.

Quoniam vero jam stamus præ foribus, ornatum illarum attentius consideremus. Hebeno illæ copertæ:

*Hebenus Mareotica vastos*
*Non operit postes, sed stat pro robore vili*
*Auxilium. —— Lucan. 10.*

Accessit post nobilius luxuriæ commentum, testudinum Indicarum putamina secare, iisque fores affabre variegare. Clare divinus Poeta, 2. Georg.
*Nec varios inhiant pulchra testudine postes.*

Et Lucanus libro 10.

*—— foribus testudinis Indi*
*Terga sedent, fulvo maculas distincta smaragdo.*

Quapropter hunc luxum vehementer detestatur Seneca, *de Benef. 7. cap. 9. Video elaboratam scrupulosa distinctione testudinem, & fœdissimorum pigerrimorumque animalium testas, ingentibus pretiis emptas, in quibus ipsa illa quæ placet varietas, subditis medicamentis in similitudinem veri coloratur*. Sed & repositoria & lecti ejusmodi lamellis vestiti. De Lectis dicam tunc, cum luxum conviviorum in medium proferam. De Repositoriis Plinius lib. 33 cap. 11. ex auctoritate Fenestellæ scribit: *Tiberii Cæsaris principatu, testudineis repositoriis argentum addi cœptum.* Auctorem luxuriæ idem prodidit lib 9. cap. 11. *Testudinum putamina secare in laminas, lectosque & repositoria iis vestire, Carvilius Pollio instituit*. Advertendum & illud Senecæ, cum inquit: *In quibus illa ipsa quæ placet varietas, subditis medicamentis in similitudinem veri coloratur*. Vult hic exprimere aliud genus luxuriæ, videlicet, putamina testudinum pigmentis veros colores immutasse, & in ligni speciem concessisse. Aperte Plinius lib. 16. cap. 43. *Excogitatæ sunt & ligni bracteæ: testudo in hoc secta, nuperque portentosis ingeniis principatu Neronis inventum, ut pigmentis perderet se, plurisque veniret imitata lignum*. Denique postes marmorei, & deaurati. Statius:

*—— an Mauros undique postes,*
*An picturata lucentia marmora vena.*

Alterum comprobat Hieronymus in Epistola ad Marcellam: *Ut visitantibus reddamus vices, ad superbas fores pergimus inter linguas rodentium ministrorum, postes ingredimur deauratos*. Patent jam fores, reclusæ valvæ, sed ecce ostiarius domum observans, venali fastidio turbam digerit. Seneca Epistola 43. *Vix quenquam invenies, qui possit aperto ostio vivere, janitores conscientia nostra, non superbia opposuit*. Et alibi: *Sapientis domus nullis observatur janitoribus*. Sic Petronius domum divitis Trimalcionis describens, inquit: *In aditu ipso stabat ostiarius prasinatus, cerasino succinctus cingulo.* Hi vero janitores catenis pro ostio alligabantur. Allusit sapientissimus Stoicus ad ritum hunc, cum scripsit: *Quid ergo sapiens, non accedet ad fores, quas durus janitor obsidet? ille vero si res necessaria vocabit, experietur & illud, quisquis erit, tanquam canem acrem objecto cibo leniet*. Jam quemadmodum ostiarii clientes ad salutandum admiserint, & quam sæpe pretio corrupti, videatur Dionysius Gotofredus, in locis communibus sive libro aureorum de Regno & Republica, quem ex Seneca collegit, titulo *Politica & Censoria quædam*. Limen transcendimus, sisto gradum, audio picam aut psittacum Χαῖρε ingeminantem. In domibus illis potentiorum, aves hæ quibus ingenii largitor venter humanas voces expresserat, supra limen appendebantur. Petronius: *Supra limen autem cavea pendebat aurea, in qua pica varie intrantes salutabat*. Imo & psittaci sumptuosis caveis inclusi. Statius Sylva 2. ubi de Psittaco:

*At tibi quanta domus rutila testudine fulgens,*
*Connexusque ebori virgarum argenteus ordo;*
*Argutumque tuo stridentia limina cornu,*
*Et querulæ jam sponte fores. ——*

Hoc Psittaci ingenium, inquit Jul. Solinus cap. 55. ita Romanæ deliciæ miratæ sunt, ut barbari Psittacos mercem fecerint. Pulchre & Apulejus in

A Floridis de Psittaco & corvo: *Verumenimvero & corvus & psittacus nihil aliud quam quod didicerunt pronuntiant. Si convicia docueris, conviciabitur diebus ac noctibus, perstrepens maledictis: hoc illi carmen est, hanc putat cantionem. ubi omnia quæ didicit maledicta percensuit, denuo repetit eandem cantilenam. Si carere convicio velis, lingua exscindenda est, aut quam primum in sylvas suas remittendus*. Atria se ad circumspiciendum offerunt, ut ait Statius:

*—— purpureis effulta columnis.*

Claudianus:

*Montibus aut alte Grajis effulta nitebant*
B *Atria. ——*

Alius quispiam:

*Pendent innumeris fastigia nixa columnis.*

Propertius:

*Quod non Tænariis domus est mihi fulta columnis.*

Martialis lib. 5. Epist. 13.

*At tua centenis incumbunt tecta columnis.*

Imo millenis. Seneca Tragœdus in Hippolyto:

*—— mille non quærit tegi*
*Dives columnis. ——*

C Juvenalis Satyra septima:

*Parte alia longis Numidarum fulta columnis*
*Surgat, & algentem rapiat cœnatio solem.*

Altitudo hujusmodi columnarum patet ex Plinio, qui scribit, *in atrio Scauri collocatas maximas, atque adeo duodequadragenum pedum Lucullei marmoris*. Lucullus enim ante omnes e Nilo atrum invexit marmor, cui de suo nomen dedit. De his columnis & marmoribus e longinquo petitis, multa Plinius, faceturque lib. 35. in unica cœnatione Callisti Claudiani liberti triginta se vidisse, easque ex Sudino lapide Germanico, cui ingens tunc pretium D & novitas. Omulius quidam e Porphyretico lapide columnas domi suæ habuit, cujus domum Antoninus Pius Imperator invisens (*Capitolin. in vita ejus*.) admiratusque columnas Porphyreticas, requisivit, unde eas haberet. Omulius ei respondit: *Quum in alienam domum veneris, & mutus & surdus esto*. Pretium columnarum non nostro ore melius proferemus, quam M. Crassi. Crœsus ille Romanus apud Valerium Max. lib. 9. cap. 1. sic inquit: *Decem columnas centum millibus emi*. computat doctissimus Meursius, singulas quingentis florenis constitisse. Illæ vero erant Hymettiæ, ut opiE nor, ex Hymetto monte excisæ, de quibus Horat. Carm. 2. Od. 18.

*Non trabes Hymettiæ*
*Premunt columnas ultima recisas*
*Africa. ——*

Multæ vero columnæ otiosæ stabant, decorisque tantum causa. Seneca Epist. 86. *Quantum statuarum, quantum columnarum est nihil sustinentium, sed in ornamentum positarum, impensæ gratia*.

Præter hos portentosos ac pretiosos columnarum F ordines, alia quoque atriorum ornamenta fuere: vidisses ibi veterum decora alta parentum, fumosas imagines, & stantes in curribus Æmilianos. Seneca lib. 3. de benef. cap. 28. *Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris, in prima ædium parte collocant*. Verum hæc aliis proclamata jam ad ravim usque, addam ego aliquid, quod mage ad luxuriam faciat. Antiquiores Romani atria hostium spoliis ac exuviis, vel certe majorum suorum ima-

ginibus,quorum præclara in Rempublicam extitere merita, honestari decorarique voluerunt: sed ubi degener posteritas Græcorum opera conspexit, & admirata est, non tam de hostibus parta tropæa animo curæque habuit,quam transmarinas illas tabulas, ac signa, quæ summo cum studio ad decorandas ædes conquisivit.Indignatur Plinius lib. 35. cap. 2. *Apud majores in atriis imagines hæ erant,quæ spectarentur, non signa externorum artificum, nec æra aut marmora*. Cicero ad Atticum, Athenis commorantem scribit: *Præterea typos tibi mando, quos in tectorio atrioli possim includere*.

A

Typi vero erant parva signa in tabula marmorea sculpta, quæ non tota, sed dimidiata tantum extabant. Trimalcionis apud Petronium,quam eleganter quam magnifice depictum atrium! *Erat autem, venalitium titulis pictum, & ipse Trimalcio capillatus caduceum tenebat, Minervaque ducente tænia intrabat. Hinc quemadmodum rationari didicisset, dein dispensator factus esset,omnia diligenter curiosus pictor cum scriptione reddiderat*. Singula quid memorem, in ædibus divitum cum

B

*Parrhasii, tabulis signisque Myronis*
*Phidiacum vivebat ebur, nec non & Polycleti*
*Multus ubique labor.* ——

C

Et Statius in Surrentino Pollii, Sylvarum 2.

*Quid referam veteres ceræque ærisque figuras?*
*Si quid Apellei gaudent animasse colores,*
*Si quid adhuc vacua tamen admirabile Pisa*
*Phidiacæ rasere manus, quod ab arte Myronis,*
*Aut Polycletæo jussum est quod vivere cœlo,*
*Æraque ab Isthmiacis auro potiora favillis,*
*Ora Ducum, & Vatum Sapientumque*, &c.

Hæc vero opera præstantissimorum artificum, ac celebres statuæ in columnarum interstitio nonnullæ affixæ basibus structilibus, aliæ vero imagines aut erga parietem affixæ, aut opere tectorio insertæ. Colligo ex lege 245. Tit. de verbor. signif. ubi sic habetur: *Statuæ affixæ basibus structilibus, aut tabulæ religatæ catenis, non sunt ædium: ornatus enim gratia ponuntur, non quo ædes perficiantur*. Legem hanc doctissime explicat Alciatus. Quod ad opus tectorium attinet, in jure antiquo Romano domorum venditores solebant ruta & cæsa excipere, ne empta censerentur: *in rutis vero & cæsis*, (ut lex inquit 241. Tit. supra citat.) *sunt, quæ terra non tenentur, quæque opere structili tectoriove non continentur*. Tectorium vero incrustatio est, sive expolitio parietum, pluribus inductis arenato coriis, totidemque ex marmorato, quam rem architectorum princeps Vitruvius lib. 7. copiose explicat. Durescebat autem ea species in crustas adeo,ut speculorum modo imagines redderet. Sed quoniam ad structuram & luxuriam parietum delapsi sumus, expediam omnia quam potero brevissime. patent enim jam cubicula, patent cænationes & solaria, quæ fulgore suo & æmula astrorum luce, oculos meos perstringunt. Parietes igitur marmore inducti, atque id proprie incrustationes Latini appellarunt. Seneca Epistola 96. *Miramur parietes tenui marmore inductos, cum sciamus, quale sit quod abscondítur, oculis nostris imponimus*. Idem Epist. 94. *ut parietes advectis trans maria marmoribus fulgeant*. Fabianus Papyrius declamator, apud Senecam patrem lib. 2. Cont. *Varius ille secatur lapis, ut tenui fronte parietem tegat*. Legendum hic censerem *fronde*, quasi marmor in frondes concisum, & id quidem jam viris doctis placuit, qui sic emendarunt. Nec inconcinne felicis ingenii Poeta in Epithal. Violantillæ cecinit, *Statius Sylvarum* 1.

D

E

F

*Hic Lybicus Phrygiusque silex, hic dura Laconum*
*Saxa virent, hic flexus onyx, & concolor alto*
*Vena mari, rupesque nitent, queis purpura sæpe*
*Oebalis, & Tyrii moderator livet aheni.*

Lucanus lib. x.

*Nec summis crustata domus, sectisque nitebat*
*Marmoribus.* —— (*De Incrustatione plures auctoritates vide apud Lipsium in Admirandis, & Meursium in libro de Luxu.*)

Suggerit etiam nobis satis clare Lampridius genus quoddam novum & inusitatum marmorandi, ab Alexandro Severo Imperatore repertum: *Antonini Caracalli thermas additis sortionibus perfecit & exornavit, Alexandrinum opus marmoris, de duobus marmoribus, hoc est, porphyretico & Lacedæmonio primus instituit, palatio exornato hoc genere marmorandi*. Incrustationis vero marmorariæ auctor traditur a Plinio libro 36. capite 6. Mamurra is fuit Eques Romanus, Præfectus Fabrum in Gallia Cæsaris. Ne verò parietes tantum lapide secto severeque vincto undique resplenderent, fulgorem hunc magna ex parte coercebant imaginibus, ac tabulis desuper impositis. Ad id demonstrandum prævivit mihi olim Senatus literarii princeps Isaacus Casaubonus in suis Animadvers. ad Suetonium,cujus vestigia fidenter legam. Imagines dedicatas soliti habere veteres in variis ædium partibus, majorum in atrio, eorum vero quos impensius amarent, in cubiculo. Suetonius in Caligula de Germanici liberis: *Duo infantes adhuc rapti, onus jam puerascens insigni festivitate, cujus effigiem Augustus in cubiculo suo positam, quotiescumque introiret, osculabatur*. Harum vero imaginum cubiculi custodiæ apponi solitus puer. Suetonius in Domitiano: *Puer curæ larium cubiculi interfuit cædi*. Hæc ex doctissimo Casaubono.Insuper ut de parietibus adhuc addam, deaurati illi, cujus rei origo ex Capitolio, publicamque illam magnificentiam, hæc privata luxuria secuta est. Plinius lib. 33. cap. 3. *Inde transiere in cameras, in parietes quoque, qui etiam & ipsi tanquam vasa inaurantur*. Hieronymus in Epist. ad Gaudentium: *Auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum*. Alii tapetibus & aulæis, Babylonico opere textis parietes vestiebant. Tertullianus de habitu mulieb. *Parietes Tyriis & hyacinthinis, & illis regiis velis, quæ vos operose resoluta transfiguratis, pro pictura abutuntur*.

Denique ebur quoque insertum cum gemmis. Statius:

—— *labor est auri memorare figuras,*
*Aut ebur, aut dignas digitis contingere gemmas.*

Lucanus:

—— *ebur atria vestit.*

Singula dum curioso oculo perlustro, fulgor laquearium coruscans aciem meam hebetat, & constantem intuitum dejicit. quid mirum? auro illic omnia rigentia. Seneca Epist. 96. *Et cum auro tecta perfundimus, quid aliud quam mendacio gaudemus: scimus enim sub illo auro, fœda ligna latitare*. Seneca pater Controvers. 9. libro 2. *In hoc pavimentum levatum, & infusum tectis aurum*. Eam in rem plura auctorum testimonia videnda apud Lipsium lib. 3. Admirand. cap. 14. Crambem eandem non recoquam, pauca appono adhuc, quæ ibi intacta. Poetarum maximus Virgilius ad luxum Romanum respexit, cum Regiam Didonis & convivium describit, Æneid. 1. *dependent lychni laquearibus aureis*. Seneca Tragœdus in Hippolyto:

—— *nec trabes multo insolens*
*Suffigit auro* ——

Et jucundiſſimus Lyricorum Horatius Carm. 2. Ode 18. *Non ebur neque aureum Mea renidet in domo lacunar*. Obſerva ebur, cujus etiam divinus orator meminit in Paradox. *Tecta ebore & auro fulgentia*.

Propertius:

*Et camera auratas inter eburna trabes*.

Apulejus in aſino aureo: *Nam ſumma laquearia citro & ebore curioſe cavata*. (*Obſerva citrum, quæ arbor ſummo in pretio*.)

Luxus hic inaurandi laquearia templis ſuam originem debet, indeque ad privatas ædes conceſſit. Laquearia Capitolina teſte Plinio lib 33. poſt Carthaginem everſam primo inaurata ſunt. Inuſitatum ante id genus magnificentiæ, donec luxus iſte ad viles cameras, & parietes translatus, qua de re inſignis eſt querela Plinii lib. 35. & Manilii, in opere Aſtronomico lib. 5.

*Sculpentem faciet ſanctis laquearia templis,*
*Condentemq; novum cælum, per templa Tonantis.*
*Hæc fuerat quondam divis conceſſa figura,*
*Nunc jam luxuriæ pars, & triclinia Templis*
*Concertant, tectique auro nunc veſcimur aurum.*
(*Vide Rycquium de Capitolio, cap.* 16.)

Ne vero leves auri inductiones, aut tenues bracteas in trabibus laquearium fuiſſe exiſtimes, ſatis commonefacit Statius, cum inquit: *Et nondum craſſo laquearia fulva metallo*. Admonet quidam etiam Panegyriſtes, qui in panegyrico ad Gaudentium, *ſolido auro tecta laquearia* commemorat. Quod ſi cui dubium manet, qua ex arbore tam ſuperba laquearia exſtructa, quod genus ligni meruit tam magnificas bracteas, facile reſolvet Seneca Epiſt. 90 *Nec in hunc uſum pinus, aut abies deferebatur longo vehiculorum ordine, vicis intrementibus, ut ex illa lacunar a auro gravia penderent*. Tangit quoque Satyricus *Juvenalis Satyra* 3.

*—— modo longa coruſcat*
*Serraco veniente abies, atque altera pinum*
*Plauſtra vehunt, nutant alte populoque minantur.*

Vide has duas arbores, ſummo cum labore ac pretio conquiſitas. præcipue pinus in conſiderationem veniat, olim matri Deum conſecrata, quæ non tam communis in Italia, quantum percipere poſſum ex Virgilio *Ecologa* 7. eaque tantum voluptatis cauſa in hortis:

*Fraxinus in ſylvis, pulcherrima pinus in hortis.*

Ingenioſa eſt luxuria, & ſemper novitatis appetens. quid ſuperbius laqueari bracteato? quid elegantius cælato, & ebore variegato? quid jam artificioſius verſatili? Tale lacunar in ædibus Romanis reperies. Seneca *Epiſt.* 90. *Verſatilia cœnationum laquearia ita coagmentant, ut ſubinde alia atque alia facies ſuccedat, & toties tecta, quoties fercula mutentur*. Suetonius de domo Neroniana: *Cœnationes laqueatæ, tabulis eburneis verſatilibus, ut flores fiſtulis & unguenta deſuper ſpargerentur. præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumagerentur*. Nequiſſimus Heliogabalus ejuſdem luxuriæ particeps (*Lampridius*) qui in tricliniis verſatilibus, oppreſſit paraſitos ſuos violis, & floribus, ſic ut animam efflaverint.

Sed ne ſuperiora tantum luſtremus inferiorum incurioſi, jam pavimentorum ſplendor oculos allicit. In iis ſumma elegantia a voluptuariis quæſita eſt: extitere illa teſſellata, ſculpturatave, lithoſtrata, aſarota, ſive picta, quæ vel ſegmentis pretioſi marmoris, vel laterculorum aut vitri lignive teſſellis compaginata, vel coloribus amœniſſimis tincta, intuentes morabantur. Quorum differentiam Plinius lib. 36. cap. 25. Vitruvius lib. 7. cap. 1. & lib. 5. cap. 10. explicarunt, *vide Feſt. lib.* 4. Seneca de Tranq. cap. 1. *Domus etiam calcatur pretioſa, divitiis per omnes angulos diſſipatis*. Vide & Senecam patrem Controv. 1. lib. 2. & Statium in Tiburtino Vopiſci. Apulejus lib. 5. *Pavimenta ipſa lapide pretioſo cæſim diminuto, in varia picturæ genera diſcriminantur*. Decantata ſunt hæc ab aliis, illud an advertetint neſcio, pavimentorum ſplendorem lacunaribus reſpondiſſe. Seneca docet Epiſt. 94. *Ut tecta varientur auro, ut lacunaribus pavimentorum reſpondeat nitor*. Quis igitur jam tam ferreus, qui non intelligat, pavimenta auro variegata, marmore in frondes ſecto varias in partes effigiata, dicam ebore & gemmis diſtincta. Apulejus lib. 5. *Vehementer iterum ac ſæpius beatos illos, qui ſuper gemmas & monilia calcant*. Unum mihi adhuc pavimentum in memoriam venit, non jam alicujus e Romanis illis divitibus, ſed cujuſdam Metochitæ Logothetæ, qui Andronici Imperatoris Byzantini tempore floruit; quod varietatis gratia e Gregora hiſtorico illi tunc perſamiliari, in medium producam. Capta per proditionem Conſtantinopoli ab Andronico juniore, qui avi ſui vitam in longiſſima extendi ſpatia cernens, nec cum eo diviſum imperium habere cupiens, quo facilius in ſe omnem poteſtatem transferret, bellum illi intulerat. ceperat jam urbem, ibi cum milites ad prædam diſcurrerent, ædes Logothetæ hujus, quæ tum Conſtantinopoli ſplendidiſſimæ, diripuerunt, poſt diruerunt. quorum magnificentiam vel e ſolo pavimento non difficile eſt percipere. Illud namque Occidentalium Scytharum Principi, ſplendidius pavimentum requirenti dono miſſum eſt. Elegans certe & ſuperbum fuiſſe neceſſum eſt.

Egredior jam e cubiculis & cœnationibus, vela ad fores obſtant & prothyra. Ea foribus appenſa. Suetonius in Claudio Cæſare: *Neque multo poſt rumore cædis exterritus, prorepſit ad ſolarium proximum, interque protenta foribus vela ſe abdidit*. Vela hæc Romani Græco verbo *protbyra* appellarunt. Res explicata ab Alciato ad l. CCXLV. tit. de verb. ſignif. illo loco, *Labeo ait: Prothyron, quod in ædibus interdum fieri ſolet, ædium eſt*. Ubi doctiſſimus Juriſconſultus erudite ſatis vim verbi hujus enucleat, & addit: *Arbitror hac voce poſterulam vel buxulam ipſam ſignificari. Interdum enim ea, ut hic dicitur, in ædibus fit: nam M. Vitruvius auctor eſt, quæ Græci diathyra, vel ut alii magis probant, dithyra dicunt, a Latinis prothyra appellari. Papinianus quoque, prothyron domus, inquit, ſi velamen eſt, inſtrum nto domus continetur. Quibus verbis aperte indicatur, non poſſe nos de veſtibulo intelligere, ſed potius de ſtraguli aliquibus pictis, quandoquidem Jul. Pollux libro decimo, inter janitoris inſtrumenta prothyra quoque connumerare videatur, πολύποικιλα, id eſt, multifariam variegata*. Huc uſque doctiſſimus Alciatus; tuum eſt jam videre, lector erudite, quid ſuper ea re cenſeat Jacobus Cujacius, vir, ut cum Lipſio dicam, & laude noſtra & ſæculo major. Duo ſunt adhuc in ædibus inſpicienda, altitudo & faſtigium. De altitudine, Plinii verbis utar: *Quod ſi quis altitudinem tectorum addat, dignam profecto æſtimationem concipiat, fateaturque nullius urbis magnitudinem in toto orbe potuiſſe ei comparari*. Claudianus de Roma:

*Qua nihil in terris complectitur altius æther.*

Eumolpus in facundo ſpecimine belli civilis apud Petronium:

*—— ſedeſque ad ſidera mittunt.*

Salvianus ad Eccles. Cathol. libro 1. a Meursio citatus: *Non superbas ac praeeminentes excelsis urbibus domos, non supra humanos visus elata culmina, nec inserta nubibus aerio habitatore fastigia.* Nulla hic hyperbole, idem gravissimus temporum suorum Censor Seneca affirmat, *Consolat. ad Hel. capite* 9. *Quo majori mole fastigia cœnationum subvexerint, hoc plus erit, quod illis cælum abscondat.* Seneca Pater Controvers. 9. lib. 2. *Ædes ipsæ quas in tantum extruxere, ut domus ad usum & munimentum paratæ, sint nunc periculo, non præsidio. tanta altitudo ædificiorum est, tantæque viarum angustiæ, ut neque adversus ignem præsidium, neque ex ruinis ullum in ullam partem effugium sit.* Quapropter bene Aristides Orator dixit, Romanos maximis domibus magnas domos imponere. Ratio cur tanta ædium altitudo Romæ, exponitur a Vitruvio lib. 2. *In ea autem majestate, urbs, & civium frequentia infinita, innumerabiles habitationes opus fuit explicare. ergo cum recipere non posset area plana tantam multitudinem ad habitandum in urbe, ad auxilium altitudinis ædificiorum res ipsa coegit devenire.*

Varia extant Imperatorum edicta, quibus modum ædium præscripserunt, (*Vide Meursium, & Lipsium* 1. *Admir.*) Augustus ad 70. pedes altitudinem domuum destinavit, Nero iterum ad eandem formam cohibuit, ultimo Trajanus ad 50. pedes reduxit.

Superest fastigium & culmen ædificii: illud marmoreum. Juvenalis de Cetronio ædificatore Satyr. 14.

*Nunc Prænestinis in montibus alta parabat*
*Culmina villarum, Græcis longeque petitis*
*Marmoribus.* ——

In templis varie exornata fastigia, signis, clypeis, cælatura. & inauratione. qua de re erudite scripsit Rycquius cap. 13. libro de Capitolio. Existimarem nec privatarum ædium trunca fuisse fastigia: video enim & nostro ævo pleraque domorum culmina, aut statuis impositis magnifica, aut floribus plastico opere effictis decora. verum fas sit dicere & verbo absit invidia, in ædificiis extruendis pauci Romanorum civium luxuriam adæquarunt, superarunt nulli. Quare ut semel finiam, egregie luxuriæ huic obviam ivit sapientissimus Lycurgus, qui legem tulit, ut quælibet domus, culmen quidem securi, januas vero serra duntaxat, & nullo alio instrumento laboratas haberet. quis enim adeo rudis & incultus, qui in facilem & plebejam domum, importet fulcra argenteis pedibus instructa, strata purpurea, & reliquum luxus apparatum.

## CAP. VIII.

*Porticus publicæ, ad exemplum Græcarum constructæ, signis, picturis, manubiis, exornatæ. Eædem in privatorum ædibus erectæ, columnis marmoreis effultæ, pavimentatæ, arboribus cinctæ. Fontes in peristyliis. De Viridariis & Nemoribus potentiorum, ac Topiariis operibus, pretiisque Arborum. Lotus & Platanus maxime in deliciis. Sylvæ fastigiis ædium impositæ, & piscinæ suspensæ. Porticuum capacitas, denique ædium ipsarum amplitudo. De cellis servorum obiter dictum.*

HAs superbas atque magnificas Romanorum domos cum intueor, subit mihi in memoriam illud Diogenis dictum: *Megarenses obsonant, quasi crastina die morituri, ædificant vero quasi nunquam morituri.* Idem usurpavit Hieronymus in Epist. ad Gaudentium: *Vivimus quasi altera die morituri, & ædificamus quasi semper in hoc sæculo victuri.* Si quis enim stupendas illas moles, & cum orbis totius miraculis de principatu certantes penitius consideret, reperiet Romanos tanto ædificandi studio flagrasse, quasi illis æternam habitationem, non vero diversorium tantum, in hoc mundo natura concessisset. Verum non omnia adhuc diximus, sunt nonnulla quæ in ædificiis illis stuporem merentur. Porticus primum in considerationem veniant. Nihil hic de publicis referam, quæ quam magnificæ, quam splendidæ, videatur Alexan. ab Alexandro lib. 3. cap. 23. & ibi in suis annotationibus doctissimus Tiraquellus. Luxus hic porticus struendi, Romam commigravit e Græcia. Athenis illæ frequentissimæ, & magnificis picturis excultæ. ibi celebrata tot auctorum scriptis porticus nominata Poecile, (*Vide Pausaniam libro* 1. *& Apulejum libro* 1. *in initio.*) in qua erat Mercurius æneus, & altaria celebratissimæ picturæ varietate, ac pugna Marathonia ad vivum delineata, attestante probo Æmilio in Miltiade, & Persio, cujus versus mox affero. In hac porticu docebat Stoicorum Princeps Zeno, de qua capiendus & Persius Sat. 3.

*Quæque docet sapiens braccatis illita Medis*
*Porticus, insomnis quibus indetonsa juventus*
*Invigilat, siliquis & grandi pasta polenta.*

Fuerunt complures aliæ Athenis, ut Jovis Eleutherii, & cæteræ: fuit & alia in Elide, quam Echum nominabant, quod vocis emissæ imaginem, septies & sæpius reciprocaret, teste Pausania lib. 5. Verum non est hic locus ea omnia referendi, declarasse sufficiat formam ædificii hujus Græcos Romam transtulisse. Neque vero eodem modo tantum Romanæ porticus compactæ, quo Græcæ, sed iisdem signis, & inde petitis tabulis exornatæ. Omitto porticum Pompeii, Octaviæ, & cæteras innumeras, nonne in Philippi porticu, Herculis imago & Helena Zeuxidis manu celebrata extitit? nonne Augusti in palatio cum Bibliotheca Græca Latinaque, Numidico marmore per symmetriam extructa, in qua Belidum imagines quinquaginta, quæ maritos necaverant, sitæ erant? De hac porticu intellige Nasonem 3. Trist. Eleg. 1.

*Signa peregrinis ubi sunt alterna columnis,*
*Belides, & stricto stat ferus ense pater.*

Et libro 2. Amorum, Elegia 1.

*Hesterna vidi spatiantem luce puellam,*
*Illa quæ Danai porticus agmen habet.*

Quid dicam de Vipsana septorum marmore, tum imaginibus & lauretis magnifice exculta? Martialis, *lib.* 1. *Epigram.* 153.

*At mea Vipsanas spectant cœnacula laurus.*

Prætereo de industria multas alias, in quibus nec marmoris transmarini splendorem, nec tabularum aut signorum pretium, nec variarum arborum amœne opacantium umbram, desideres. Non me latet, multa in illis hostium spolia, & exuvias, & tropæa defixa, idque ex more Græco. quis enim ignorat Lacedæmone celebrem illam porticum ex manubiis Persarum, de qua Pausan. lib. 5. & Victruvius lib. Architect. 1. cap. 1. Atque id ædificii genus, hominibus mollicie & luxu enervatis perquam gratissimum fuit; per porticus enim vel sella a servis, vel essedo a jumentis ferebantur, quod exercitium Latini gestationem dixere. Ritus

a viro doctissimo nuper explicatus, *Lips. Cent.* 3. *M*[illegible] 11.

Tales porticus tamque superbas, homines quibus res ampla, in privatis domibus extruebant, tantæque magnificentiæ, ut nihil a publicis prorsus differre viderentur. Testis Satyricus *Satyra* 7. qui gravissime accusat Romanos divites, quod maluerint balnea, porticus, & alia ædificia summis impensis erigere, circa liberorum vero educationem essent tenacissimi:

*Balnea sexcentis, & pluris porticus, in qua*
*Gestetur dominus quoties pluit, anne serenum*
*Expectet, spargatque luto jumenta recenti?*

Idem Poeta porticus Crispini vellicat Saty. 4.

*Quid refert igitur, quantis jumenta fatiget*
*Porticibus.* ——

Forma ædificii hujus rotunda. Plinius junior ad Apollinarem: *Ambit hunc ambulatio, pressis varieque tonsis viridibus; inclusa ab iis gestatio in modum Circi, quæ buxum multiformem & recentes manu arbusculas circuit.* Adde: Porticus marmoreis columnis effultæ. Seneca Epist. 115. *Nos ingentium maculæ columnarum, sive ex Ægyptiis arenis, sive ex Africæ solitudinibus advectæ, porticum aliquam, vel capacem populi cœnationem ferunt.* Augustus a Suetonio *cap.* 72. encomium suum retulit ea propter, quod habitaret in ædibus modicis Hortensianis, in quibus porticus breves essent, Albanarum columnarum, & sine marmore ullo, aut insigni pavimento conclavia. Columnæ vero in una porticu centenæ, & plures. Martialis lib. 12.

*Et tua centenis stat porticus alta columnis.*

In Gordianorum villa, unum piristylon ducentas columnas habuit, varii & pretiosi marmoris, ut videre est apud Capitolinum. Suetonius refert, Domitianum Cæsarem metu insidiarum, porticuum in quibus spatiari consueverat parietes, phengite lapide distinxisse: ut ejus splendore, per imagines quidquid a tergo fieret, prævideret. Jam igitur nemini mirum videri debet, tali artificio annulos confici posse ut ea quæ a tergo accidunt, conspiciantur, cum olim integri parietes eodem modo constructi fuerint. Ejusmodi annuli beneficio furtum deprehendit Maximilianus primus Imperator, unius ex purpuratis suis, verum quia prolixior historia est, ab ea referenda supersedeo: legi poterit apud Camerarium in subcis. Cent. 1. cap. 65.

Insuper porticus pavimentatæ. Cicero ad Q. Fratrem Ep. 1. lib. 14. *Propterea quod summam dignitatem pavimentata porticus habebat.* Idem in oratione pro domo sua: *Porticus cum conclavibus pavimentata.* Signa ibidem & præstantium artificum statuæ collocatæ. Quapropter Cicero Attico Athenis commoranti mandat, ut ad se signa quamplurima mittat, & ea quæ xysti gymnasiique esse videbuntur. Fontes in ambulacris istis etiam emanasse, monet Suetonius, qui de Augusto *cap.* 82. *Æstate apertis cubiculi foribus, ac sæpe in peristylio saliente aqua, atque etiam ventilante aliquo cubabat.* Quod mirum in peristyliis salientes aquæ, & lymphæ artificiosis fontibus evocatæ, cum & in cubiculis easdem habuerint attestante Statio:

*Mirer an emissas per cuncta cubilia lymphas.*

Seneca Epist. 101. *Desit sane varietas marmorum, & concisura aquarum a cuniculis interfluentium.* Lego cum Lipsio *cubiculis* pro *cuniculis*, sed quod pro *aquarum* scribat *laquearium*, hoc vero mihi non adeo arridet. vestrum hic viri docti appello

A judicium: timeo enim Satyram Mænippeam, quæ ætatem justam correctoribus præscribit. eam vero nondum attigi. Imo fontes ubique in ædibus. Martialis:

*Et pereuntis aquæ fluxus ubique sonat.*

Venio jam dictum de arboribus, quæ amœna opacitate lascivæ, umbrosas illas deambulationes reddebant. Horatius epist. 10. lib. 1.

*Nempe inter varias nutritur sylva columnas.*

B Plinius supra loco citato: *Ambit hunc ambulatio pressis varieque tonsis viridibus.* Idem ad Gallum: *Adjacet interiore in circuitu, via tenera & umbrosa.* Non immerito igitur Juvenalis inquit, *Satyra* 4. *in initio. quanta nemorum vectetur in umbra.* Multæ ibi arbores topiario opere modice inflexæ, annexæque, cancellatim pangebantur. Fuit enim moris prisci, myrto aut alio virgulto, varias hominum effigies naviumque formas, aut turrium, vel cubiculorum species, in hortis per topiarios effingi & concinnari. De his Vitruvium vide lib. 5. c. 8. idem hujus topiarii operis meminit lib. 7. c. 5. C *Ambulationes vero propter spatia longitudinis, varietatibus topiorum ornarunt, a certis locorum proprietatibus imagines exprimentes.* Ideo Plinius acanthum topiariam herbam esse ait, & alio loco vocat adianton fruticem topiariam. Huc facit ille Tullii locus libro 3. Epistolar. ad Q. Fratrem, Epistola 1. *Topiarium laudavi, ita omnia convestivit hedera, qua basim villæ, qua intercolumnia ambulationis, ut denique illi palliati* (marmorea ibi hominum simulachra intelligit) *topiariam facere videantur, & hederam vendere.* Allusit Horatius ad opus topiarium Carm. 2. Ode. 15 *platanusque cælebs evincat ulmos.* Et ibidem inferius: *Tum spissa ramis laurea, fervidos Ex-* D *cludat ictus.* Et Martialis libro 12. Epigr. 31. *Hæc textilis umbra supremi Palmitis.*

Opus Topiarium a Græcis Romam delatum quis ignorat? Neque id nostris temporibus incognitum. Profecto nonnullorum horti in Italia & Belgio, in arte topiaria facile cum Romanis de principatu contenderent. Vidi nuper in urbe Bredana, in pulcherrimo arcis horto quinque tilias, quæ inter se spissis ramalibus connexæ, superius deambulationes & porticus amœnissimas habent, & ibidem rami egregie in cubiculorum speciem effigiati, videntes non sine voluptate & stupore dimittunt. Neque illa tilia mihi prætereunda est, quam se vi- E disse scribit Goropius Becanus, in suburbano Didaci Ajalii hominis sibi affinis: *Vidi*, inquit, *Tiliam, quæ tabulatum habet, in cujus medio rotundum fornicatumque est cœnaculum, circa quod porticus ad deambulandum & speculandum desuper camporum hilarem multiplicemque ornatum aperitur. E medio, arbos ipsa rectissimo altissimoque caudice citra ramos velut abies assurgit, cujus cacumen, coma ad formam metæ depressioris, gratissimo virore vestit & exornat. Hanc si superbus ille Persarum Rex vidisset, non unum modo diem, sed complures, iter myriadum suarum commoratus fuisset.* Hæc Becan. in Orig. F Antverp. lib. 5. ubi plura in laudem Tiliæ. O ubi illa superba Antverpiensium Suburbana! in quibus natura flexibilium fruticum, in varias species efformata, artem non invite secuta, oculos dulcissimo spectaculo detinebat. Sed quod adhuc attinet ad arbores & nemora domestica, ibi Romana triumphat luxuria. Martialis lib. 2. ad Sparsum quendam:

*Et rus in urbe est, vinitorque Romanus,*
*Intraque limen clausus essedo cursus.*

Idem lib. eodem, in habentem amœnas ædes:

*Daphnonas, platanonas & aerias cyparissos,*
*Et non unius balnea solus habes.*

Cornelius Nepos, in vita Attici memoriæ prodidit: *Domum habuit in colle Quirinali Pamphilianam, ab avunculo hereditate relictam, cujus amœnitas non ædificito, sed sylva constabat.* De Augusto Suetonius scripsit: *Et neptis quidem suæ Juliæ, profuse ab ea extructa* (prætoria scilicet) *etiam diruit ad solum, sua quamvis modica, non tam statuarum tabularumque pictarum ornatu, quam xystis & nemoribus excolunt.*

Bene igitur & apposite Horatius, ad sui ævi luxum Carm. 3. ode 10.

*Audis, quo strepitu janua, quo nemus*
*Inter pulchra situm tecta remugiat*
*Ventis.* ——

Vulgarium vero & facile obviarum arborum nulla habita ratio, major aliarum, quas longe petitas, summo cum pretio ad delectationem habebant & ostentationem. Cn. Domitius decem e domo sua arbusculas, (*Valer. Maximus lib. 9. cap. 9.*) æstimavit tricies sestertio, ut computat Meursius, centies & quinquagies mille florenis. Hæ vero tam caræ arbores fuerunt, ut ait Plinius lib. 17. cap. 1. *Loti patula ramorum opacitate lasciva.* Inter pretiosas arbores fuit quoque Platanus, quæ umbræ gratia ex alieno petebatur orbe: tam late enim rami vagabantur, ut etiam in scamnis patulæ arboris, epularentur quindecim convivæ, assistentibus ministris. Tantumque honoris post datum platano, ut vino infuso enutriretur, compertum id maxime prodesse radicibus, quod primus excogitavit Hortensius. *Is enim*, teste Macrobio, *Saturnal. lib. 3. cap. 13. platanos suas vino irrigare consuevit: adeo, ut in quadam actione, quam habuit cum Cicerone susceptam, precario a Tullio postulasset, ut locum dicendi permutaret secum. Abire enim in villam necessario se velle, ut vinum platano quam in Tusculano posuerat, ipse suffunderet.* Hujus arboris meminit & Juvenalis Satyra 1. cum Poetas acerbe exagitat, qui in ædibus potentiorum recitabant:

*Frontonis platani, convulsaque marmora clamant*
*Semper & assiduo ruptæ lectore columnæ.*

Nota obiter, Recitatores illos in porticu magnarum ædium divitis alicujus, scripta sua committere solitos. Platanus quæ tantis olim apud Romanos in deliciis, nunc ab Italis ignoratur. Fatetur id Franciscus Patricius in libro de instit. Reipub. 7. tit. 5. *Nam platanum quæ in deliciis apud priscos erat, ignoramus: cujus commendatio tanta fuit umbræ gratia, non ex fructu, quoniam nullum gignit, ut ex Ionio in Diomedis insulam, & in Siciliam atque in Italiam transvecta, gratissimam umbram civibus Romanis præbuerit.*

Arbores in solido plantatæ, nec dum nobis stuporem incutiunt, at vero in fastigiis & culminibus domorum hortos suspensos, quis sine admiratione intueri poterit? Seneca in Thyeste: *Nulla culminibus meis imposita nutat sylva.* Seneca Epist. 122. *Non vivunt contra naturam, qui pomaria in summis turribus serunt? quorum sylvæ in tectis domorum ac fastigiis nutant, inde ortis radicibus, quo improbe cacumina egissent?* Seneca pater cont. 5. *Alunt in summis culminibus nemora, & navigabilium piscinarum freta.* O luxuria, etiamne cum natura ipsa tibi certamen! & reluctantes lymphas fastigiis ædium imponis! Cajus Sergius Orata vir in ædifi-

A cando profusæ luxuriæ, supra tectum domus piscinas suspendit. *Val. Max. lib. 9. cap. 1. Is quo recentiore usu conchyliorum frueretur, dum se publicæ aquæ cupidius immergit, Considii publicani judicium nactus est, in quo L. Crassus adversus illum causam agens, errare amicum suum Considium dixit, quod putaret Oratam remotum a lacu cariturum ostreis: namque ea si inde petere non licuisset, in tegulis reperturum.*

E viridariis & nemoribus iterum porticus ingrediamur, & magnitudinem consideremus. Amplæ illæ & capaces. monet Horatius lib. 2. Carm. Ode

B 13. in sæculi sui luxuriam;

*Privatus illis census erat brevis,*
*Commune magnum: nulla decempedis*
*Metata privatis opacam,*
*Porticus excipiebat Arcton.*

Vetus Scholiastes hic audiendus: id est, *nulla privatis domus erat, quæ porticum haberet tantæ latitudinis, ut posset sufficere umbram sole vicino septemtrionali plagæ. tunc enim parvissimæ sunt umbræ.* Fuerunt nonnullæ porticus, quas miliarenses & centenarias appellabant. Plerique viri docti tam

C superioris quam nostri sæculi, dictas existimarunt a passuum longitudine, inter quos est Alex. ab Alexandro lib. Genial. dierum 3. cap. 22. & cum eo Tiraquellus, Beroaldus, Egnatius, Cruquius. At non passus ibi sumi debere, sed pedes, docuit eruditissimus Belgarum Antistes Lævinus Torrentius in Sueton. Et Cicero ipse pedibus metitur in oratione pro domo sua; *Porticus pavimentata cum conclavibus trecentorum pedum.* Amplæ porticus, quid jam de integris ædibus dicendum erit? quam laxæ, quam patentes. Valer. Max. lib. 4. cap. 4. ubi scribens Cininnato IV. soli jugera aranti dictaturam delatam esse, addit: *Anguste se nunc habitare*

D *putat, cujus domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt.* Imo servorum cellæ laxiores & angustiores, quam Cincinnati rus erat. Plinius lib. 36. cap. 2. *Nimirum sic habitarunt, qui imperium hoc fecere, quorum agri quoque minorem modum obtinuere, quam cellaria istorum.* De servorum cellis jam pridem doctissimus vir annotavit, *Lips. Serm. Saturn. libro 1. cap. 14.* addo ego pauca, quæ ibi non reperi, ne extra lineam, ut ajunt, egrediar. Singulis servorum cellas suas fuisse, præter auctoritates quæ ibi annotatæ, nec istæ prætereundæ. Suetonius in Nerone, ubi recenset futuræ mortis Neronianæ præsagia, refert: *Capitolium Capuæ Idibus*

E *Martiis de cœlo tactum est, item Romæ cella Palatini atriensis.* Petronius: *Cæterum ego dum omnia stupeo, pæne resupinatus crura mea fregi. ad sinistram enim intrantibus non longe ab ostiarii cella, canis ingens catena vinctus in pariete erat pictus.* Hæc de cellis servorum, quæ in tam magnificis ædibus superbæ, & dicam, non serviles. Audi Plinium libro 18. cap. 2. *Bina tunc jugera populo Romano satis erant, nullique majorem modum attribuit: quo servos paullo ante Principis Neronis, contemptis hujus spatii viridariis, piscinas juvit habere majores, gratumque si non aliquem & culinas.* Tangit hunc lu-

F xum Petronius:

*Vilis servus habet regni bona, cellaque capti,*
*Deridet vestram Romuleamque casam.*

Illud accedit, quot servi, tot cellæ, & aliquando servi bis mille sub uno tecto: ex his conficio, si tanta cellarum copia, ædificium in latitudinem magnam excurrisse necessum est. Jure igitur conqueritur Seneca Epistol. 114. *in ipsas domos impenditur cura, ut in laxitatem ruris excurrant.* & alibi:

*Ædificia privata laxitatem urbium magnarum vincentia*. Non absimilis Sallustiana phrasis: *Domos atque villas cognoveris in urbium modum exædificatas*. Adi Apulejum in libro de Deo Socratis: *Aulas æmulas urbium conditas, vice templorum exornatas*. Alludit Juvenalis, ubi de Maculonis ædibus, inquit, quas Poetis recitantibus commodabat, *Satyra* 7.

*In qua sollicitas imitatur janua portas*.

Amplam domum acute perstrinxit: porta enim proprie urbium est, janua ædium privatarum, ut veteres Grammatici attestantur. Sisto hic & vel ipsa admiratio ultra progredi vetat.

## CAP. IX.

*Pretia ædium. Pro hyeme & æstate ædificia. Villarum magnificentia, Denique Romani nimio ædificandi studio laborarunt.*

URbanam domum hactenus descripsi. ubi aquæ ductus inquies? ubi balnea, circi, & basilicæ ibidem inclusæ? profecto omnia ad unguem expedire res difficillima: ut uno verbo absolvam, dicam id, quod olim protulit Olympiodorus in Bibliotheca Photii: *Quæque magnarum domuum omnia in se ipsa habet, quæcunque mediocris urbs possit continere, nempe Circum, Fora, Templa, Fontes, Balnea diversa. Ideo & Poeta dixit*, (*Verba sunt, Græca, sed a Lipsio sic versa in Admirandis.*)

*Una domus urbs est, urbs oppida plurima claudit*.

Quis igitur admirabitur, si tanto tamque incredibili pretio Romana illa palatia æstimata? Clodius omnium bonorum hostis, quem Milo occidit, sestertium centies & quadragies octies domo empta habitavit, *Plinius libro* 39. *cap.* 15. Calculus Meursii refert summam, undecies centum & quatuor mille florenos. Domitii domus, qui cum Crasso certavit apud Valer. Maxim. lib. 9. cap. 1. sine arbusculis illis quæ tam immani pretio constiterant, sexcenties sestertio veniit, id est, tricies centum millibus florenorum, ut docte ibidem Meursius Valerii verba depravata correxit. Quid noster Tullius? is non minus quinquaginta millibus aureis habitavit. ipse fatetur lib. 4. ad Attic. Epist. 1. *Nobis superficiem Consules ædium, consilii sententia æstimarunt HS. vicies*. Et hæc quidem pretia ædium fuere, incolumi Republica. Imperatorum temporibus luxus magis effrenis. Audi, quid alibi scribit Plinius, libro 17. cap. 1. *M. Lepido, Q. Catullo Coss.* (id est, annis XXIX. ante Julii imperium, prout computat Meursius) *ut constat inter diligentissimos auctores, domus pulchrior non fuit Romæ, quam Lepidi ipsius. At hercle intra annos* XXXV. *eadem centesimum locum non obtinuit. Computet in hac æstimatione qui volet marmorum molem, opera pictorum, impendia regalia, & cum pulcherrima laudatissimaque certantes centum domos, postea que eas ab innumerabilibus aliis in hunc diem victas*. Quo pretio æstimandæ erunt domus Principum Caii & Neronis, (*Vide Suetonium in Nerone cap.* 31.) & istius aurea, quam splendida & quam ampla, ut non immerito versus ille vulgatus fuerit:

*Roma domus fiet, Vejos migrate, Quirites*.

Plinius: *Bis vidimus totam urbem cingi domibus Principum, Caii & Neronis, & hujus quidem ne deesset aurea*. Istud nihilominus portentosum Neronis ædificium contempsit Vitellius Imperator, (*Xiphilinus.*) cumque nomen & vitam moresque ejus laudaret, hac in re tantum reprehendebat, quod diceret eum habitavisse perperam, usumque fuisse parvo & humili apparatu. Martialis libro 12. ad Amœnum:

*Bis quinquagenis domus est tibi millibus empta*.

Intoleranda immensaque sunt hæc domorum pretia, sed illud etiam minime negligendum puto, unas ædes Romanos tam dextre accommodare solitos fuisse, ut in æstate grato frigore intensos Syrii ardores [illegible] & in hyeme sævientis tunc Boreæ furores retunderent. Docent id Vitruvius, Varro de lingua Latina libro 4. docet & Columella in descriptione Villæ: *Urbana rursus in hibernula & æstiva sic digeretur, ut spectent hyemalis temporis* [illegible]*ntem, cœnationes æquinoctialem Occidentem. Rursus æstiva cubicula spectent Meridiem æquinoctialem, sed cœnationes ejusdem temporis prospectent hibernum Orientem*. Plinius junior de domo sua Novocomensi ita scriptum reliquit: *Incipit porticus ante medium diem hiberna, inclinata, die æstiva. hac adeuntur diætæ duæ, quarum in altera cubicula quatuor, altera tria. ut circuit sol, aut sole utuntur, aut umbra*. In hunc locum Plinii, vide Mariam Cataneum, doctissimum interpretem. De Triclinio hiberno Juven. Sat. 7.

*—— & algentem rapiat cœnatio solem*.

Vetus Scholiastes explicat: *Solaria in superioribus hyemalia, marmoribus & columnis ornata*. Ulpianus in L. *si arborem*. ff. de servit. urban. præd. dixit: *Quod si arbor a te compacta Heliocamino meo solem adimeret, eo quod umbram facit in loco Heliocamini, id contra servitutem tibi facere non licere*. Legem hanc doctissime explicuit Alexand. ab Alexan. genial. dierum lib. 5. cap. 5. ubi dicit: Heliocaminum esse vaporarium quoddam solare, & apricum locum, ad quem sol hibernus accedens, ipsum evaporat & calefacit. Fuitque moris prisci, ut juxta zetam Heliocaminus construeretur: zeta enim erat locus unius cubiculi capax, solem hibernum prospectans, ita constitutus, ut per Heliocaminum vaporem acciperet. Erat enim cubiculum hiberno frigori accomodatum, quodque nunc sole, nunc igne æstuaret. Quare Heliogabalum Indicos odores sine carbonibus accendere solitum, ad vaporanda zetas, memoriæ prodidit Lampridius. De his quoque cubiculis hibernis, memini me legisse apud Tullium lib. 1. Epistolar. ad Q. Fratrem, Epistola 1. *Nunc hoc vel hyeme testudinis, vel æstate valde boni æstivi locum obtinebit*. Et ibidem inferius: *Subgrande cubiculum autem, & hibernum altum valde probavi*.

Aliqui ex urbe secedebant, ad hyemem transigendam in locis mitioris auræ & clementioris. Colligo ex Persii Sat. 6.

*Admovit te bruma foco jam, Basse, Sabino*.

Cornutus sic hunc versum commentatur: *Hic ergo* (Bassus videlicet) *dum viveret, de Roma ad Sabinos necessario transibat, ubi hyemali tempore in calido loco carmina scribebat*. Idem Persius significat se hibernare in Liguria, in portu Lunæ:

*—— mihi nunc Ligus ora*
*Intepet, hibernatque meum mare, qua latus ingens*
*Dant scopuli, & multa littus se valle receptat*.

Appositum brumali tempori oppidum. cælum enim ibi temperatissimum, siquidem, ut auctor Strabo, (*libro* 5. *vide & Silium lib.* 9.) portus ille montibus undique

undique cinctus, qui ventorum grassantium asperitatem facile morabantur. Horatius quoque scribit ad Valam, & quærit, *Epistol.* 15.

*Quæ sit hyems Veliæ quod cælum, Vala, Salerni.*

Et Ode 6. lib. 2. de Tarento:

*Ver ubi longum, tepidasque præbet.*
*Jupiter umbras.*

Idem Epist. 7
*Quod si bruma nives Albanis illinet agris,*
*Ad mare descendet vates tuus.* ——

Plerique tamen hyemale tempus in urbe ipsa fallebant, & pro æstate tantum umbras & frigora captabant, ac in villas secedebant, quas proprie secessus dixere. Exibant vero Roma mense Julio. præit mihi Statius Sylva 4. ad Marcellum:

*Jam terras volucremque polum fuga veris aquosi*
*Laxat, & Icariis cælum latratibus urit.*
*Ardua jam densæ rarescunt mœnia Romæ.*
*Hos Præneste sacrum, nemus hos glaciale Dianæ,*
*Algidus aut torrens, aut Tuscula protegit umbra.*
*Tiburis hi lucos, Anienaque frigora captant.*
*Te quoque clamosæ quænam plaga mitior urbi*
*Subtrahit? æstivos quo decipis aere soles?*

Judicia quoque tunc in urbe & negotia forensia cessabant: disco ex eodem Poeta, *Ibidem*.

*Te quoque flammabit tacite repetita parumper*
*Desidia, & solitos novus exultabis in actus.*
*Certe jam Latiæ non miscent jurgia leges,*
*Et pacem piger annus habet, messesque reversæ*
*Dimisere forum*, &c.

Verum ædificia hæc æstiva videamus. Tales ædes Luculli in Tusculano spatiosis thalamis deambulacrisque perornatæ, e quibus ceu e speculis undique circumspici poterat. in eas Pompejus veniens accusavit Lucullum (*Plutarch. in Lucullo.*) quod æstate optime accommodatas, inhabitabiles hyeme fecisset. cui ridens Lucullus: Num tibi, inquit, Pompei, minus quam grues aut ciconiæ mentis habere videor, ut non pariter cum tempore habitationem permutem.

Mos hic olim Regibus Persarum & Parthorum perfamiliaris, qui pro anni temporibus ædificia commutarunt. Xenophon libro 8. de Cyro: *At Cyrus in earum medio quum sibi sedem statuisset, tempore hyemali degebat Babylone septem menses, hæc enim regio tepida est. per veris autem tempus tres menses degebat Susis, æstate autem urgente menses duos agebat Ecbatanis.* Vide etiam Athenæum lib. 12. cap. 3. Quare existimo morem hunc Romam ex Asia allatum, cujus tamen minime observans Augustus, qui, teste Suetonio, *in eodem cubiculo & hyeme & æstate mansit.*

Certe in villis illis ac secessibus æstivis, summa luxuria ac magnificentia. Vide apud Statium, *Sylvar.* 1. Tiburtinum Manlii Vopisci, Surrentinum Pollii, Sylvarum 2. quid commemorem arbores patulis ramis undique diffusas? imo & in mediis prætoriis consitas, adeo ut per ipsa tecta erumperent. *Statius*:

*Quid te quæ mediis servata penatibus arbos,*
*Tecta per & postes liquidas emergis in auras.*

Vidisses ibi xystos amœnas, statuas, porticus, marmora, sylvas, fontes, aquarum ductus, Euripos, amnes, colles, specus, quæ singula complecti, hoc vero est velle imponere Pelion Offæ. Atque quo magis Romanorum in ędificando industria

A dicam an luxuria elucesceret, villas maxime ad mare sitas coemebant, & extruebant. Suetonius de Augusto cap. 72. *Ex secessibus frequentavit præcipue maritima, insulasque Campaniæ, ac proxima urbi oppida, Lanuvium, Præneste, Tibur.* Addit nihilominus paulo post: *Ampla & operosa prætoria gravabatur.* Idem Imperator Capreas a Neapolitanis emit. Insula hæc est, ut ait Dio *libro* 52. haud procul a Surrentana continente, ad nullam quidem rem utilis. Eam magnopere Tiberius adamavit non aliam ob causam, quam quod uno parvoque littore adiretur, septa undique præruptis immensæ altitudinis rupibus, & profundo mari. Ibi nequissimus

B hic Princeps omnisque simulationis artifex, cubicula tabellis ac sigillis lascivissimarum picturarum adornavit, ibi in sylvis ac nemoribus Venereos locos commentus est, palamque jam populus eum Caprineum vocitabat. *Sueton. cap. 43. libro 3.*

Villa quoque cujusdam Vatiæ satis celebris ad mare sita, quam describit Seneca Epistol. 55. Famosa & illa Gordianorum in via Prænestina, de qua Capitolinus. Villa Adriani Imperatoris Tiburtina celebris, ita ut in ea, & provinciarum, & locorum celeberrima nomina inscriberet, velut Lycæum, Academiam, &c. Vide Spartianum. Iterum Seneca de villa quadam epistola 86. *Vidi vil-*

C *lam structam lapide quadrato, murum circumdatum sylva, turres quoque in propugnaculum villæ utrinque suberectas, cisternam ædificiis viridibus subditam, quæ sufficere vel in usum exercitus possit.* Denique ut Plutarchi verbis utar: *Quid de his operibus, quæ juxta mare circa Neapolim magnifice splendideque constructa sunt a Lucullo, judicandum arbitramur? ubi maritimas ædes easque pulcherrimas atque amplissimas ædificaverat, ubi discursus maris, piscososque rivos ædibus circumduxerat: quæ singula cum Stoicus Tubero haud satis mirari potuisset, Xerxem eum togatum appellavit.* Vereor ne ad illum respexerit Sallustius, cum hæc scriberet: *A privatis compluribus subversos montes, constrata maria esse.* Tullius (*in Catilinar.*)

D quoque acerrime invehitur in Lucullum, suppresso nomine, Paradoxo 5. ubi & tecta ipsius magnifica, & nimium in signa externa & tabulas affectum perstringit. Sed nec Tullium hic prætermittam, qui licet Luculli villas taxavit, ipse nihilominus eas duodeviginti habuit, quod Blondus lib. 9. Romæ triumphantis se observasse tradit. Tusculanum Ciceronis magno sumptu ab eo ædificatum, objicit illi Sallustius. In his referendis timeo, ne lectori sim fastidio: ipse enim scribendo fatigor. Proinde concludo cum Strabone, qui de Romanis: *In*

E *villis velut Persarum more Regias quasdam struunt.*

Ædificandi nimio studio laboraverunt Romani magnopere, qui ut naturam ipsam exquisitis artibus vincerent, ad extruendas aulas, & superba prætoria, omnes prorsus divitias congesserunt. Insurgit in sæculi sui luxum Horatius Ode 15. lib. 2.

*Jam pauca aratro jugera regiæ*
*Moles relinquent, undique latius*
*Extenta visentur Lucrino*
*Stagna lacu.* ——

F Idem Ode 18.

*Tu secanda marmora*
*Locas sub ipsum funus, & sepulchri*
*Immemor struis domos:*
*Marisque Bajis obstrepentis urges*
*Summovere littora,*
*Parum locuples continente ripa.*

Illud maxime accedit incommodum, quod damno-

sa nimium fuerit tenuioribus potentiorum vicina, A eodem Lyrico teste:

*Quid quod usque proximos*
*Revellis agri terminos, & ultra*
*Limites clientium*
*Salis avarus? Pellitur paternos*
*In sinu ferens Deos,*
*Et uxor & vir, sordidosque natos.*

Similis apud Juvenalem querela Satyra 14. plures sunt versus, quos afferam integros, tu quisquis es qui ditiorum nunc vicinia gaudes, artem illorum agnosce: B

*—— ergo paratur*
*Altera villa tibi, cum rus non sufficit unum,*
*Et proferre libet fines, majorque videtur*
*Et melior vicina seges. mercaris & hanc, &*
*Arbusta, & densa montem qui canet oliva:*
*Quorum si pretio dominus non vincitur ullo,*
*Nocte boves macri, lassoque famelica collo*
*Armenta ad virides hujus mittentur aristas:*
*Nec prius inde domum, quam tota novalia sævos*
*In ventres abeant, ut credas falcibus actum.* C
*Dicere vix possis, quam multi talia plorent,*
*Et quot venales injuria fecerit agros.*

Sed en iterum ædificandi studium perstringit Horatius: (*Carmin. 3. Ode 1. & alibi: Cœmentis licet occupes Tyrrhenum omne tuis, &c.*)

*Contracta pisces æquora sentiunt*
*Jactis in altum molibus. huc frequens*
*Cæmenta dimittit redemtor,*
*Cum famulis dominusque terræ*
*Fastidiosus.*

Strabo ubi de Pisis & Liguria scrbit: *Esse ibi lapicidinas & materiem ad ædificia uberem, sed quam Romani ad ædificia fere sua in urbe, aut villis consumunt*. Seneca de benef. *Neminem ad excitandas domus ruina deterruit, & cum penates ignis absumpsit, fundamenta tepente adhuc area ponimus*. Seneca Pater Controv. 9. lib. 2. *Ad delicias dementis luxuriæ lapis omnis eruitur, cæduntur que gentium silvæ*. Sed quam diserte etiam luxum hunc perstringit Petronius: D

*En etiam mea regna petunt, perfossa dehiscit*
*Molibus insanis tellus, jam montibus haustis*
*Antra gemunt, & dum varios lapis invenit usus,* E
*Inferni manes cœlum sperare jubentur.*

Auctorum querelas audivimus, jam nunc ædificatores ipsos videamus. Vitio hoc laboravit præter cæteros maxime Lucullus, summus alioquin vir, verum in ædificiis convictibusque profusæ luxuriæ primus auctor. Is moles mari injecit, ac suffossis montibus Oceanum plano alveo currere jussit. Sequitur illum discinctissimus nepotum Caligula, qui ut scribit Suetonius, *In extructionibus prætoriorum atque villarum omni ratione posthabita, nihil tam efficere concupiscebat, quam quod effici posse negaretur. Et jactæ itaque moles infesto ac profundo mari, excisæ rupes durissimi silicis, & campi montibus aggere æquati, & complanata fossuris montium juga*, &c. F

Nero orbis terrarum Phaeton, Romanique Imperii sempiternum dedecus, *Non alia in re damnosior quam in ædificando*. Videatur fidus duodecim Cæsarum scriptor Suetonius cap. 31.

Juvenalis duos quoque suggerit ejusdem insaniæ homines, Posidem & Cetronium. de priore:

*Ut spado vincebat Capitolia nostra Posides.*

De altero:

*Ædificator erat Cetronius*, &c. ——

Verum quod plerumque accidit,

*Dum sic ergo habitat Cetronius, imminuit rem,*
*Fregit opes.* ——

Bene & eleganter nos commonefacit proverbium illud Græcum:

*Ρώματα πολλὰ τρέφειν, καὶ δώματα πολλὰ ἐγείρειν,*
*Ἀτραπὸς εἰς πενίην ἐστὶν ἑτοιμοτάτη.*

*Ædificare domos, multorum & pascere ventres,*
*Pauperiem in miseram prompta frequensque via est.*

Notandum & illud Sapientis, Proverb. 4. *Præpara foris opus tuum, exerce diligenter agrum tuum, & postea ædifices domum tuam.* O mellea illa Bernardi verba! *Si vis*, inquit, *ædificare domum tuam, inducat te necessitas, non voluptas. Cupiditas ædificando non tollitur, sed augetur. Nimia & inordinata ædificandi aviditas parit & expectat ædificiorum venditionem. Turris enim completa, & arca evacuata, faciunt hominem tarde sapientem.*

Verum tamen ut sordes & male compacta ædificia vituperio digna censentur, sic illud sedulo curandum, ut privata domus descripta sit ad usum & commoditatem familiæ, neque in ea pars ulla sit vacua & inutilis, sicque ejus aspectus ad decorum accedere debet (*vide Patricium de Instit. Reipublicæ, lib. 8. Tit. 11.*) Nam ut ait Cicero 1. Off. *Dignitatem viri auget ædium pulchritudo.* Idemque addit: *Cn. Octavio qui primus in illa familia Consul factus est, honori fuisse accepimus, quod præclaram ædificasset in Palatio, & plenam dignitatis domum: quæ cum vulgo viseretur, suffragata domino, homini novo, ad Consulatum putabatur.* Illud quoque in considerationem veniat, naturam diversorium nobis tantum concessisse, non vero domum sempiternam: *Cedes coemptis saltibus & domo*, canit alibi Lyricus (*Hæc Cassanæus 12. parte Catalogi Gloriæ mundi, 72 Consid. unde acceperit, nescio.*) Longævus ille Mathusalem quingentos annos habens domino dicenti: *Ædifica domum si vis, quoniam adhuc trecentis annis vives*, respondisse fertur: *Propter tantillum temporis non ædificabo domum*; & sub arboribus & supra vepres dormivit, ut prius consueverat. Fuerunt pleræque gentes quæ virgulteis casulis, aut montium latebris contentæ, felicem vitam & curarum expertem transigebant. Omitto veteres Gallos, Britannos, Suevos, Germanos, qui licet in humilibus tuguriis alti educatique, summis Imperiis magnisque Principibus horrori terrorique erant.

Temperare mihi non possum, quin referam paucula verba Didymi Bragmanarum didascali, Philosophorum Indiæ Præceptoris sive Regis, de moribus eorum ad Alexandrum scribentis (*vide Cassanæum 12. parte Catalogi 72. Consid.*) *In construendis domibus igne saxa non coquimus, nec admixtione pulveris cæmenta componimus, sed in telluris speluncis, montiumque latebris habitamus: nullus ibi ventorum fremitus, nullius turbinis tempestatem formidamus. Nam tutius nos defendit ab imbre spelunca, quam tegula. Cujus speluncæ geminus nobis est usus, mansionis dum vivimus, & sepulturæ dum morimur.*

Habeat sibi has delicias, vetus illud sæculum, dum somnos dabat altissima pinus: omnes nunc Eremum fugiunt, & illarum gentium rudes animos, rident albis dentibus.

Observantissimi adhuc veterum morum Scythæ, quorum (ut ait Horatius) *plaustra vagas rite trahunt domus.*

A

## CAP. X.

*De Luxu Conviviorum, ac primum veterum in victu parcimonia cursim demonstratur. De Lectis ad mensam, qui aurei, argentei, gemmei: purpureis, auratis, imo aureis toralibus tecti. Mensæ citreæ e Mauritania advectæ, ingentis pretii, pedibus eburneis sustentabantur. Argenteæ etiam factæ, & gemmis distinctæ. Mantilia & mappæ cocco clavatæ, auro etiam, denique aureæ. Abacus cum supellectili aurea & argentea, &c. Pueri & servi ministrantes ad mensam, & quæ illorum officia. De Structoribus, Unguentis, Coronis, & Odoribus.*

B

CONviviorum ritus, adeo ab antiquariis eventilatus est, ut ne palea quidem supersit, quæ lateat. Nemo illorum reperitur, qui ubi vel minimam occasionem de conviviis dicendi nactus fuerit, declamatorum more in hunc velut communem locum non excurrat. Ad quorum commentaria addere quidpiam, res magnæ difficultatis: ego nihilominus convivantes nunc Romanos dabo, non prisco illo ac vetere ritu, dum in atriis sedentes cœnabant, quod notavit Servius ad 1. Æneid. illo loco: *vocemque per ampla volutant atria: Tangit morem Romanum. nam ut ait Cato: & in atrio, & duobus ferculis epulabantur antiqui, unde ait Juvenalis (Satyra 1.) quis fercula septem secreto cœnavit avus?*

C

Non apponam hic mensas, quas antiqui vel e temerario cespite erexerant, vel e vili asserculo compegerant. Vasa exulabunt fictilia, *Juvenalis Satyra 3.*

*Fictilibus cœnare pudet, quod turpe negarit*
*Translatus subito ad Marsos mensamque Sabellam.*

Abscedant hinc rapæ Curionis delicium, & quas Romulus ipse in cœlo ferventes comedit, pultes locum non habebunt. Veterum ista fuerunt obsonia, testaturque Plautus una cum Plinio, Romanos ducentis annis, non nisi farre & pulte usos Juvenalis Satyra 14.

D

*—— sed magnis fratribus horum,*
*A scrobe vel sulco redeuntibus altera cœna*
*Amplior, & grandes fumabant pultibus ollæ.*

Commemorat & Horatius veterum continentiam, Satyra 1. libro 2. ubi de Lucilio Poeta:

*Virtus Scipiadæ, & mitis sapientia Læli*
*Nugari cum illo, & discincti ludere, donec*
*Decoqueretur olus, soliti. ——*

E

Habeat sibi cœnas ejusmodi Pythagoras, convivium hic non sine sanguine, & quod facile proditionem recipiat. Cibi coquorum artes & ministeria expostulant, non ipsorum dominorum opera instruentur. Veteribus id posterius usitatum. Seneca Consolat. ad Helv. cap. x. *Scilicet majores nostri, quorum virtus etiam nunc vita nostra sustentat, infelices erant, qui sibi manu sua parabant cibum.* Juvenalis Sat. xi.

F

*—— Curius parvo quæ legerat horto,*
*Ipse focis brevibus ponebat oluscula, quæ nunc*
*Squallidus in magna fastidit compede fossor.*

Priscæ continentiæ exempla hæc sunt, quæ cum tempore exoleverat, luxus, non paupertas convivio meo præsidebit, assidebunt voluptates, & quidquid est amœniorum deliciarum: cœna ampla, oppipara, adjicialis, apparatur. Illud te monitum volo, quæ aliis dicta toties, non repetam. Jam vero quo rem facilius expediam, convivium illud mihi proposui, a Tullio Tuscul. 5. ad morem Romanum descriptum, in quo beatitudinis suæ ac felicitatis imaginem, Dionysius Tyrannus Damocli cuidam assentatori ad vivum expressit. Verba magni Oratoris sunt: *Visne igitur, inquit, o Damocles, quoniam hæc te vita delectat, ipse eandem degustare, & fortunam experiri meam? Cum se ille cupere dixisset, collocari jussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo, magnificis operibus picto; abacosque complures ornavit argento, auroque cælato: tum ad mensam eximia forma pueros delectos jussit consistere, eosque ad nutum illius intuentes, diligenter ministrare: aderant unguenta, coronæ, incendebantur odores, mensæ conquisitissimis epulis extruebantur,* &c. Huc usque Tullius, singula jam examinaturus venio, & quidem eo quo posita ordine. Primum est,

*Collocari jussit hominem in aureo lecto.* Ad fidem hæc Cicero, & plane e more luxurioso. Narrat Suetonius Jul. Cæsarem, *in aureo lecto, veste purpurea decubuisse.* Seneca Epist. 9. *Non est autem quod te nimis laudes, si contempseris aureos lectos.* Statius Thebaid. 1.

*—— auroque sonantes*
*Emuniere toros. ——*

Virgilius:

*—— lucent genialibus altis,*
*Aurea fulcra toris. ——*

Origo luxuriæ a Carvilio Pollione, qui primus aureos lectos fecit, teste Plinio.

Verum Lecti primum erant argentei quam aurei, & per gradus ivit luxuria. Plinius lib. 33. cap. XI. *Lectos vero mulierum jam pridem totos operiri argento, & triclinia quædam.* Monet quoque lex 3. Dig. 33. quæ sic habet: *Supellectili legata hæc continentur, mensæ, trapezophora, delficæ, subsellia, scamna, lecti etiam inargentati.* Post ex solido argento conflati. Ulpianus in l. *cum aurum.* Dig. 34. *Lectum plane argenteum, vel si qua alia supellex argentea sit.*

Heliogabalum ferunt (*Lampridius.*) lectos habuisse solido argento factos, tam tricliniares quam cubiculares. Insuper lectos fuisse etiam gemmatos, didici ex l. proxime citata: *Lectos inargentatos, vel inauratos, atque gemmatos, in supellectili esse, non dubitatur.* Lucanus libro x.

*Fulget gemma toris. ——*

His adde putamina testudinum artificiose secta, & disposita. Philo: *Tricliniares lecti, & stibadia testudine aut ebore adornata, & meliore etiam materia, atque ea pleraque gemmata.* Apulejus Met. x. *Lectum indica testudine pellucidum,* dixit. Martialis lib. 12.

*Gemmantes prima fulgent testudine lecti.*

Juvenalis Sat. XI. ubi de veterum continentia ait:

*Nemo inter curas & seria duxit habendum,*
*Qualis in Oceani fluctu testudo nataret,*
*Clarum Trojugenis factura, & nobile fulcrum.*
*Sed nudo latere, & parvis frons ærea lectis.*

Plinius lib. 16. cap. 43. portentosa ingenia appellat, quæ materiam in mari quæsivere ad lectos, testudinemque in hoc secuere. Vide per quos gradus supremum culmen petiit luxuria. Romanis primo erant lecti Archaici, humiles & breves. Horatius Epist. 5.

*Si potes Archaicis conviva recumbere lectis.*

Ubi per lectos Archaicos, intelligendi imperite & ineleganter facti, cujus sententiæ est doctissimus

Nanius Miscel. lib. 4. Turnebus in suis Adversariis lib. 1. cap. 11. Archiacos vocari vult ab Archia artifice. id num appositum, doctissimi viri dispiciant. Venerant deinde ex Asia Romam lecti ærati (*Livius lib. 9. Dec. 4.*) Non contenta iis luxuria & æs aspernata est, lamellasque argenteas induxit, e solido argento fabricavit, ab argento ad aurum, ab auro ad gemmas & testudines desultorio cursu transcendit.

Revertor jam ad Tullii verba: *Strato pulcherrimo, textili stragulo, magnificis operibus picto.*

Lectos vidimus (*de pedibus Lectorum, adi Meursium capite 10.*) toralia consideranda, qui si tanti pretii & tam magnifici, veste profecto non minoris æstimanda tecti. Stragula purpurea fuerunt. Virg. 1. Æneid.

*—— Stratoque super discumbitur ostro.*

Martialis:

*Cubitisque trudit hinc & inde convivas*
*Effultus ostro, sericisque pulvillis.*

Statius Theb. 1.

*—— pars ostro tenues auroque sonantes*
*Emunire toros, altosque inferre tapetas.*

Horatius Sat. 6.

*Ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit.*

Idem paulo superius:

*In locuplete domo vestigia, rubro ubi cocco*
*Tincta super lectos canderet vestis eburnos.*

Toralia quoque e conchylio & dibapha. Cicero in 2. Philip. *Conchyliatis Cn. Pompeii peristromatis, servorum lectos in cellis stratos videres.* Lucanus lib. x.

*Strata micant Tyrio, quorum pars maxima succo*
*Cocta diu, virus non uno duxit aheno.*

Quod si jam serica tegumenta desideres, satisfaciet tibi Apulejus libro x. *Lectus Indica testudine pellucidus, plumea congerie tumidus, veste serica floridus.* Si opere Babylonio in varias effigiata imagines velis, reperies apud Lucanum lib. 10.

*—— pars ignea cocco,*
*Ut mos est Pharii miscendi licia telis.*

Summus Poeta *Virgil. 1. Æneid.*

*—— mediisque parant convivia tectis,*
*Arte laboratæ vestes, ostroque superbo.*

Idem toros pictos dixit ibidem:

*Nec non & Tyrii per limina læta frequentes*
*Convenere, toris jussi discumbere pictis.*

Imitatur Martialis in Apophoreto Cœnaturio:

*Nec fora sunt nobis, nec sunt vadimonia nota:*
*Hoc opus est pictis accubuisse toris.*

Visebatur quoque in lectis purpura auro intertexta. Philo in libro de vita contemplativa: *Triclinia lectos habent eburneos aut testudineos, aut pretiosioris materiæ gemmatos, plerosque stratos auro intexta purpura, vel aliis floridis coloribus variis oculos allicientibus.*

Denique Toralia aurata omnino. Primus id e privatis fecit Heliogabalus, ut testatur Lampridius in vita illius. En quo antiqua Romanorum paupertas humilius serpsit, eo luxuria superbius ad extremum culmen progressa est. Ignota hæc prisco & aureo Romani Imperii sæculo:

*Nec pudor in stipula placidam cœpisse quietem,*
*Et fœnum capiti supposuisse fuit.*

A Lecti olim strati frondibus & culmo, vicinarumque ferarum pellibus, & cespes Tyrio melior ostro, solebat impavidos ducere somnos. Tangit pristinam continentiam Maro, cum describit benevolentiam Evandri, qua Æneam hospitem accepit:

*Hæc ubi dicta, dapes jubet & sublata reponi*
*Pocula, gramineoque viros locat ipse sedili:*
*Præcipuumque toro, & villosi pelle leonis*
*Accipit Æneam. ——*

Duo hinc libet animadvertere, veteres non accumbentes, sed sedentes ad mensam, deinde pelles B ferarum in sellis substratas. Cato quoque hædinis stragulis usus. Valerius Max. lib. 4. cap. 3. (*de Catone ibi sermo.*) *Age, si quis hoc sæculo vir illustris pellibus hædinis pro stragulis utatur.* Quid si Cato redivivus, illud inquam Romanæ urbis oraculum, lasciviam ac delicias, non aliorum tantum Romanorum, sed Heliogabali spectasset (*Lampridius.*) qui non accubuit in accubitis, nisi quæ pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum, subalares sæpe culcitras mutans. Num æquis oculis ferre potuisset, lectum illum Q. Ælii Veri, quem eminentibus quatuor anacliteriis, fecerat minuto reti-C culo undique inclusum, eumque foliis rosæ, quibus demptum esset album, replebat. Addit Spartianus: *Jam illa frequentantur a nonnullis, quod & accubationes, ac mensas de rosis ac liliis fecerat.* Enimvero sic plerumque accidit, facile delicias ac voluptates imitamur, si illarum exempla in excelso posita sint. Verum in mente mihi adhuc Heliogabalus, qui ridicula profecto accubitoria convivis suis substernebat. Is etenim in folles pro lectis apponebat, eosque reflabat prandentibus illis, ita ut plerumque subito sub mensis invenirentur. Talia complura fecit hic Imperator, qui velut quodam fastidio divitiarum, pleraque luxuriæ specimina D commentus erat.

Lectos cum stragulis apposui, de mensa jam dicendum, cujus hic nulla mentio a Tullio facta, nec ego tam multa quæ proferam habeo. laborem lenivit summa clarissimi Meursii eruditio *libro de Luxu*, qui de Mensis cap. 9. præcipua attulit. Apud Romanos ubi rudem illum & agrestem cultum deposuerant, mensæ primum ex acere aut fraxino, maxime in usu fuere, labentibus deinde moribus, citreæ orbiculatæ summo cum pretio anquirebantur. De his Seneca de Benefic. lib. 7. cap. 9. Auxit pretium in hoc ligno, nodus arboris infelicitate tortus, ut ibi inquit Seneca, & hæ maculæ amatæ E æstimatæque. Plinius lib. 15. cap. 15. *Præcipua dos in venam crispis, vel in vortices variis. Illud oblongo evenit discursu, ideoque tigrinum appellatur: hoc intorto, & ideo tales pantherinæ. Sunt & undatim crispæ, majore gratia, si pavonum caudæ oculos imitentur.*

Inde igitur pete lumen Petronio, ubi de citrea mensa Afris terris eruta scribit:

*Ponitur ac maculis imitatur vilibus aurum,*
*Quæ sensim trabat hoc sterile ac male nobile lignum.*

F Male nobile lignum ideo, quia tortuosum & in nodos multiplices vitio naturæ flexum. Corruptus tamen hic Petronii locus bene a Lipsio emendatur, qui legit, *quod censum trabat.* Apposita censura: lignum enim illud æstimatum 25. millibus Philippeorum, qui Senatorum ab Augusto census. Testis Tertullianus cujus auctoritatem annotaveram, sed melius vide apud Meursium, & Lipsium in 7. de benef. apud Senecam. Quod si crispos citreos tantopere luxuria Romana æstimavit, citrum profecto aspernatura fuisset, si fibrarum macularumque discursus in lignis Septentrionalibus vidisset. Ac

quod sciam betulam frigidissimis in locis enatam, Romano citro opposuit, Belgicæ antiquitatis indagator felicissimus, Goropius Becanus, qui videndus in Origine Antverpiensium, lib. 3. ubi de Niloscopio. Hæ Mensæ citreæ aurum ipsum pretio superarunt. Martialis in Apophoret.

*Aurea qui dederit dona, minora dabit.*

Illas enim fœminæ viris contra margaritas ingerebant, ut ait Plinius libro 13. cap. 15. Pretium auxit itineris longinquitas: petebantur enim ex Atlante celebri Mauritaniæ monte. Plinius loco supra citato: *In Atlante monte Mauritaniæ sylva est, quæ citrum arborem, & cedrum producit.* Martialis:

*Non sum crispa quidem, nec sylvæ filia Mauræ.*
Et alibi:
*Accipe felices Atlantica munera sylvas.*

Poeta an orator verius dicam Lucanus, lib. 9. ubi describit Lybien:

*—— tantum Marusia genti*
*Robora divitiæ, quarum non noverat usum,*
*Sed citri contenta comis vivebat & umbra.*
*In nemus ignotum nostræ venere secures,*
*Extremoque epulas mensasque petivimus orbe.*

Trapezophora tam pretiosis orbibus non minori etiam censu conquirebantur, ad quæ conficienda India ebur submisit, vel Africa dentes, quos Nabathæo bellua saltu deposuit. Lucanus:

*Dentibus hic niveis sectos Atlantide sylva*
*Imposuere orbes, quales ad Cæsaris ora*
*Nec capto venere Juba: ——*
Vide Martialem lib. 2. Epig. XLIV. idem alibi:
*Et Maurisiacis sustentem dentibus orbes.*

Adi Juvenalem Sat. XI. ex quo colliges pedes mensarum ex ebore formatos in speciem animalium. Et ibidem inquit, eo deliciarum & insolentiæ Romanos devenisse, ut non pluris faciant mensarum pedes argenteos, quam annulos ferreos in digitis:

*—— nam pes argenteus illis,*
*Annulus in digito quod ferreus. ——*

Eboris ibi nimium studium castigat Satyricus, quem lege. De eodem luxu queritur & Eumolpus Petronianus:

*Quæritur in sylvis Mauri fera, & ultimus Ammon*
*Afrorum excutitur, ne desit bellua dente*
*In mortes pretiosa suas.*

De Seneca refert Xiphilinus e Dione: *Quique aliorum luxum damnabat, quingentos tripodas habuit de ligno cedrino, pedibus eburneis similes & pares inter se.* Quid si etiam ex ebore mensæ integræ? Persuadet lex *Quæsitum est* §. 43. D. 33. quæ sic habet: *Idem respondit domo instructa legata, mensas eboreas & libros non contineri.* Nisi Jurisconsultus pedes mensarum intelligat, quod ut credam, non tam facile adducor.

Ab ebore ad argentum venio, ex quo mensæ etiam conflatæ. Expresse docet lex *Legata supellectili.* Dig. de supellectile leg. *Supellectilis mensas esse cujuscunque materiæ, scilicet vel argenteas, vel argento inclusas, placet.* Luxus hic auctorem suum respicit Heliogabalum, qui primus mensas & capsas argenteas habuit, ut ait Lampridius. Argento gemmæ & lapides pretiosi additi. Claudianus *de Prob. & Olyb. Consulat.*

A *—— ostroque infecta corusce,*
*Humida gemmiferis illuxit regia mensis.*

Et ne fabulas poeticas arbitrere, aut alicujus Aretalogi mendacia, adduco testem Ulpianum in l. *Cum aurum.* Dig. de auro argent. mund. *In coronis mensarum gemmæ coronis cedent, & hæ mensis.* Ite nunc antiqui Romani, & cespites vestros, & graminea sedilia comparate. Canite veterem querelam Satyrici, ad pristinam frugalitatem ingemiscentes, *Juvenalis Sat.* 11.

*Illa domi natas nostraque ex arbore mensas*
B *Tempora viderunt: hoc lignum stabat in usus,*
*Annosam si forte nucem dejecerat Eurus.*

Mensas mantilia ac mappæ sequantur, illæ vero purpura & auro clavatæ. Lampridius de Alexandro: *Convivium neque optimum, nec nimis parcum. sed nitoris summi fuit, ita tamen ut pura mantilia mitterentur, sæpius cocco clavata, aurata vero nunquam, quum hæc Heliogabalus jam recepisset, & ante (ut quidam prædicant) Hadrianus habuisset.* Denique Gallienus qui superiorum Imperatorum luxuriam æmulatus est, mantilibus aureis semper stravit. Magna hæc & incredibilis lascivia, verum aureis mantilibus Gallieni, libens opposuerim linum asbestinum, quod e desertis perpetuoque igni adustis Indiæ locis advectum, Romanæ serviit luxuriæ. Plinius de natura illius scribens, inquit; *Inventum jam est etiam, quod ignibus non absumeretur. vivum id vocant, ardentesque in focis, conviviorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendescentes igni magis, quam possent aquis. Regum inde funebres tunicæ, corporis favillam ab reliquo separant cinere. Nascitur in desertis adustisque sole Indiæ, ubi non cadunt imbres, inter diras serpentes, assuescitque vivere ardendo.*

Similem naturam observavi lini cujusdam, apud Strabonem lib. 10. qui scribit, in Caristo, lapidem nasci, quem tondere solent, & mox nere, ex quo fiunt mantilia, quæ sordida facta flammis emundari solent, non aliter quam aquis. Sed risum vix contineo, dum memoria repeto lascivi Heliogabali facinus, qui parasitis suis nonnunquam mantilia in mensam mittebat, his cibis picta, quæ apponerentur. Insuper (quis hic Heraclitus lachrymas in risum non commutet?) idem parasitis tabulas pictas pro veris obsoniis exhibuit, ut fame macerarentur. Egregie profecto muscas illas castigabat Heliogabalus, (*Lampridius.*) aliquando id faciendum foret iis, qui mensas aliorum importuni obeunt.

Non hæreo in his. Tulliana verba invitant ad paraphrasim: *Abacosque complures ornavit argento auroq;* In tricliniis mensæ quoddam genus erat, super quam vasa argentea aut aurea reponi solebant. Cicero hic vocat abacum. Plinius, Martialis, & alii, Delficam. Vetus Scholiastes Juvenalis in Satyr. 3. illo loco: *Ornamentum abaci, quod nos delficam dicimus.* Et Porphyrio in Horatium Satyr. 6. lib. 1. *Mensa marmorea, quam delficam vocant.* In hac mensa vasa collocata escaria & potoria, sed maxime potoria, (*Vide Cujacium Observ.* 10. *c.* 13. *Turnebus lib.* 9. *c.* 19.) Plinius: *Delfici abaci sunt, e quibus vina ministrantur.* Glossarium quoque vetus, delficam μινιςήριον appellat. De potoriis innuit etiam Juvenalis Sat. 3.

*—— urceoli sex*
*Ornamentum abaci, nec non & parvulus infra*
*Cantharus, & recubans sub eodem marmore Chiron.*

Suadet ingeniosissimus Lyricus, ubi tenuitatem suam describit Sat. 6. lib. 1.

*Gœna ministratur pueris tribus, & lapis albus*
*Pocula cum cyatho duo sustinet, adstat Echinus,*
*Vilis cum patera guttus, Campana supellex.*

Fictilis Delfica locum hic non habet: argenteis, aureis, gemmeis vasis referta, in triclinio Romani divitis exponetur, spectabis ingentem luxum & opes.

*Argentum atq; aurum non simplex Delfica portat.*
*Martialis.*

At quis omnia ab ovo usque ad mala citabit? Inter ornamenta abaci, primum est aquimanale cum pelvi, ad manus ante mensam abluendas pernecessarium, communi vocabulo guttum aut nasiternam dicimus. & hæc ex argento D. de supellectili legat. l. 3. *Nam & pelves argenteas, & aquimanalia argentea.* Quin imo & e crystallo. Poetarum facundissimus descripturus Cæsaris & Cleopatræ convivium canit, (*Lucanus lib.* 10.)

*—— manibusque ministrat*
*Niliacas crystallus aquas.* ——

Locum hunc citavit eruditissimus Froidmont, in suis amœnissimis Meteorologicorum libris, ex quo inter cætera colligit, Nili aquam, ubi arena & limus in sedimentum defluxit, limpidissimam & suavissimam esse. *Tam magnæ enim & delicatæ manus limpidissima aqua solent ablui.* Trimalcion vero ille lautus apud Petronium, manus aqua nivata fundentibus Alexandrinis pueris lavat.

Jam Salinum etiam in Delfica. illud argenteum fuisse, aut e meliori materia quis dubitet? Unde Horatius tenuitatem prædicans, inquit: *Splendet in mensa tenui salinum.* Vetus Scholiastes: *Salinum posuit pro fictili vase, mensæ pauperis.* Adde vasa unguentaria, quæ ampullas vocat Plinius in fine 4. Epist. & Martialis in 3. *Et Cosmianis ipse fusus ampullis.* Hæ non ex argento tantum, ut videre est in Digestis, sed etiam ex onyche. Martialis lib. 12.

*Profertur Cosmi nunc mihi siccus onyx.*

At quid ampullæ ad abacum? nonne Romanis unguentorum usus frequens in conviviis? res quam a furno redeuntes sciunt, & pueri & anus.

Clibanus argenteus, ut existimo, fuit quoque inter ornamenta abaci: ex eo enim panes convivis ministrabantur, ut videre est apud Petronium.

De Candelabris ac Lucernis ne dubito quidem, quæ argenteæ. Ulpianus in leg. *Cum aurum.* &c. *Nec candelabra, nec lucernæ argenteæ.* Ac quo majus pretium accederet, sigillis exornatæ l. 23. Dig. de rei vindicat. *Si quis statuæ suæ brachium, aut pedem alienum adjecerit, aut scypho ansam, vel fundum, vel candelabro sigillum.* De candelabris observandus Plinius lib. 34. cap. 3. *Privatim Ægina candelabrorum dumtaxat superficiem elaboravit, sicut Tarentum scapos. in his ergo juncta commendatio officinarum est, nec pudet Tribunorum militarium salariis emere, cum ipsum nomen a candelarum lumine impositum appareat.* Candelabra etiam Corinthia in pretio fuisse, colligere possumus e Martiali, qui in Apophoreto 11. sic habet:

*Nomina candelæ nobis antiqua dederunt,*
*Non norat parcos uncta lucerna patres.*

Ad vasa potoria accedo propius. Lex 21. Digestis de Auro, argent. inquit: *In argento potorio utrum id dumtaxat sit quo bibi possit, an etiam id quod ad præparationem bibendi comparatum est, veluti colum nivarium, & urceoli, dubitari potest.* Notandum hic colum nivarium, vas videlicet ad colandam nivem, qua Romani vinum diluebant. Deinde observa urceolos, e quibus aqua calida ministrabatur: urceus vero erat vas ad frigidam fundendam. Utriusque formam vidi depictam apud Lazarum Bayfium, virum certe præclaræ eruditionis, qui tempore Francisci primi Gallorum Regis, literarum patroni ac instauratoris, floruit. Eam probare non possum cum Forcatulo, qui picturam illam urceolis convenire minime, doctis rationibus evincit, *in penu Juris Civilis, cap.* 25. Ac vereor, ne magis effigies illa sit alicujus antiquæ Romanæ nasiternæ: quod ut longius disputem, locus non permittit.

Sed præcipua decora abaci, pocula sunt & scyphi, in quibus triumphat & victrix eminet luxuria. Descendam per gradus a summo ad infimum, ac ostendo jam pocula e gemmis cavata. Virg. 2. Georg.

*Hic petit excidiis urbem, miserosque penates,*
*Ut gemma bibat, & Sarrano dormiat ostro.*

Lucanus lib. 10.

*—— gemmæque capaces*
*Excepere merum.* ——

Seneca *lib.* 7. *de Benef.* 7. *cap.* 9. *Capacibus gemmis inter se propinant.* Et alibi: *quibus gemma ministratur.* Denique in l. *cum aurum.* Dig. de auro, argento, Jurisconsultus ait: *Gemmis legatis gemmea vasa contineri.* (*Adde his Latinum Paccatum, & Ciceronem 6. Verrina, quos vide apud Meursium.*)

Secundo gradu murrhina & onychina continentur. De murrhinis Plinius lib. 37. cap. 2. ubi ait, murrhinum 80. sestertiis emptum. Et ibidem scribit: *T. Petronius Consularis mortuus, invidia Neronis Principis, ut mensam ejus exhæredaret, trullam murrhinam trecentis sestertiis emptam fregit.* Frequens est Seneca in luxu hoc reprehendendo, quem vide de Benef. 7. cap. 9. & Epistola 123. & 109. Augustus capta Alexandria nihil sibi præter unum calicem murrhinum, ex instrumento Regio reliquit, *Sueton. cap.* 71. Oriens enim murrhina mittebat, quibus pretium statuebat varietas colorum, subinde se circumagentibus maculis in purpuram candoremque, & tertium ex utroque ignescentem. Aliqua etiam in odore commendatio fuit, ut auctor Plinius *lib. ult. c.* 11. qui affirmat primum Pompejum Magnum, Mithridate victo, sex pocula murrhina Jovi Capitolino dicasse, quæ tamen (conqueritur Plinius) a Deorum ministerio, *ad hominum usum abiisse protinus, abacis & vasis escariis inde expetitis.* Hoc tam ingentis pretii vas e tam longinquis terrarum oris expetitum, Heliogabalus spurcis naturæ necessitatibus destinavit, & ut Lampridii verbis utar, *in murrhinis & onychinis minxit.*

De onyche vide Plinium libro 37. c. 7. Quoniam vero plerique auctorum tam e Poetarum quam Oratorum classe, in luxus Romanos invehentes, murrhina pocula una cum crystallinis jungunt; ordinem hunc non invitus sequar, & jam de Crystallo breviter & succincte agam. Juvenalis Sat. 6.

*Grandia ponuntur crystallina, maxima rursus*
*Murrhina.* ——

Martialis in lib. 3.

*Optimum morionibus nectar,*
*Crystallinis, murrhinisque propinat.*

Seneca locis supra citatis utraque combinat.

Cryſtalla Niliacus cataplus Romam dexit, eleganter & concinne fabricata, quorum fragilitas pretium accendebat. Luxus in cryſtallinis modum exceſſit. Plinius teſtis eſt: *Alius hic furor. HS. centum quinquaginta millibus, trullam cryſtallinam unam, non ante multos annos mercatam a matrefamilias nec divite.* Huc facit & l. 3. D. de ſupelleſt. legat. *De Murrhinis & cryſtallinis dubitari poteſt an debeant adnumerari ſupellectili, propter eximium uſum & pretium.* Verus Imperator inter alium luxuriæ apparatum, habuit calicem cryſtallinum, nomine *volucrem*, humanæ potionis modum ſupergreſſum, *Capitolinus*. *Hoc argumentum opum*, inquit Plinius, *hæc vera luxuriæ gloria exiſtimata eſt, habere quod poſſit totum ſtatim perire.* Livia Auguſta, mulier ornandorum Deorum vehementer ſtudioſa, magnitudinem ampliſſimam cryſtalli, librarum circiter 40. Templo Capitolino donavit. auctor Plinius lib. ult. c. 11. Ac nihilominus crudele impatientiæ & iræ exemplum præbuiſſe memini Vedium Pollionem, qui cum aliquando Auguſtum Imperatorem convivio excepiſſet, & calicem cryſtallinum miniſter poculorum fregiſſet, murænis eum, ne convivæ quidem pudore motus, objici juſſit, (*Vide Dionem lib.* 54. *Senecam de Ira lib.* 3.) Evaſit e manibus puer, & confugit ad pedes Cæſaris, nihil aliud petiturus, quam ut aliter periret, ne eſca fieret. Motus eſt novitate crudelitatis Auguſtus, & illum quidem mitti, cryſtallina autem omnia coram ſe frangi juſſit. Neque hac ætate adeo cryſtallum eviluit, & magnorum Principum donum eſſe meruit. Scio Emanuelem Ducem Sabaudiæ, qui anno 1600. Pariſios venerat, in negotio Marchionatus Salutiarum, obtuliſſe Henrico IV. tunc Galliæ Regi duas pelves cryſtallinas ſummo artificio elaboratas: quas ille pluris feciſſe dicitur, quam olim Maximilianus Imperator Venetorum donum. Huic namque cum Veneti pleraque vaſa e cryſtallo per legatos miſiſſent, juſſit ea cuidam menſæ imponi, quam poſtea ſubornatus ad id aulicus, quaſi per inadvertentiam factum fieret, una cum fragili dono, in præſentia legatorum everti ac dejici curavit.

Ab his venio ad pocula aurea, gemmis & lapidibus pretioſis eleganti cum artificio diſtincta. Oſtendit hanc luxuriam doctiſſimus Meurſius, duabus auctoritatibus, Plinii & Juvenalis: præter has, paucas adhuc habeo. lex *Gemmæ autem*. D. de Auro & argen. *Secundum hæc ſive gemmæ ſint in aureis vaſis, ſive argenteis, auro argentove cedent*. Juven. *Satyra* 10.

> *—— tunc illa time, cum pocula ſumes*
> *Gemmata, & lato ſetinum ardebit in auro.*

Atque communem hunc ævi ſui luxum fuiſſe, idem teſtatur, Sat. 5.

> *Nam Virro ut multi, gemmas ad pocula transfert*
> *A digitis. ——*

Cui conſonat Martialis:

> *Gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum,*
> *Aſpice quot digitos exuit iſte calix.*

Reſpexit & Virgilius, in hoſpitali illo convivio Didonis & Æneæ:

> *Hic Regina gravem gemmis, auroque popoſcit*
> *Implevitque mero pateram. ——*

Cælaturas jam magnorum artificum in aureis argenteiſque vaſis intuebimur. Regum hoc & magnorum Principum opus eſt, (ſi noſtra hæc ſæcula ſpectes) auro Delphicas exornare, quas privatorum plerique apud Romanos, ex nobili hoc metallo ad inſaniam uſque & invidiam extruebant. Teſtes ſunt tot leges, in quibus exſcribendis, nec tempus nec operam collocare volo. videantur Digeſta lib. 34. tit. 2. & liber 33. tit. 10. Teſtis Martialis lib. 10. Epigr. 49.

> *Propinas modo conditum Sabinum,*
> *Et dicis mihi Cotta, Vis in auro?*
> *Quiſquam plumbea vina vult in auro.*

Statius:

> *—— vacuatque profundo*
> *Aurum immane mero. ——*

Ad Imperatorum menſas aureis ſcyphis ut plurimum miniſtrabatur. Claudius convivæ cuidam qui pridie ſcyphum aureum ſurripuiſſe exiſtimabatur, revocato in diem poſterum, calicem fictilem appoſuit. Suetonius famæ & honori nominis parcit, nec quiſnam ille fuerit, ediſſerit. aliter Tacitus 1. *Hiſtor.* qui veritatis amans, T. Vinium fuiſſe ſcribit: *Servili deinceps probro reſperſus eſt, tanquam ſcyphum aureum in convivio Claudii furatus. Et Claudius poſtera die ſoli omnium Vinio fictilibus miniſtrari juſſit.* Dementis luxuriæ ac inſanæ laſciviæ homo Caligula, equum habuit *Incitatum* nomine, quem ad cœnam quoque adhibebat, & ei in auro hordeum apponebat, & in poculis aureis vinum propinabat. *Dio lib.* 59. Gallienus vero ſemper aureis ſcyphis bibit, aſpernatus vitrum, dicens illo nihil communius.

Auro argentoque cælatura accedit: nonnunquam etiam materiam ſuperabat opus. hinc Juvenalis dictum: *Raræ ſine Mentore menſæ.* Mentor enim celeberrimus fuit poculorum cælator, ut ſcribit Plinius lib. 33. Martialis:

> *Accipe Mentorea pocula facta manu.*

Et alibi:

> *Solus Mentoreos habes labores.*

Propertius:

> *Lesbia Mentoreo vina bibas opere.*

Lucius Craſſus Orator, (*Plinius lib.* 33. *c.* 11.) duos ſcyphos Mentoris artificis manu cælatos habuit, emptos ſeſtertiis centum, confeſſus tamen eſt, nunquam ſe iis uti propter verecundiam auſum. Scyphum cælatum egregie deſcribit Statius lib. 1. Theb.

> *—— ſignis perfectam, auroque nitentem* (*In his verſibus primis imitatur Virgil. cujus verſus ſupra citavi.*)
> *Jaſides pateram famulos ex more popoſcit:*
> *Qua Daneus libare Deis, ſeniorque Phoroneus*
> *Aſſueti: tenet hæc operum cælata figuras,*
> *Aureus anguicomam præſecto Gorgona collo*
> *Ales habet. jam jamque vagas ita viſus in auras*
> *Exilit: illa graves oculos languentiaque ora*
> *Pæne movet, vivoque etiam palleſcit in auro:*
> *Hinc Phrygius fulvis venator tollitur alis,*
> *Gargara deſidunt ſurgenti, & Troja recedit:*
> *Stant mœſti comites, fruſtraque ſonantia laxant*
> *Ora canes, umbramque petunt & nubila latrant.*
> *Hanc undante mero fundens. ——* (*Hæc quoque extrema, a Virgilio deſumpta ex* 5. *Æneid.*)

Crateris cælati elegans exemplum, & dum hic animoſus Poeta externa convivia deſcribit, non tamen multum a Romanis moribus diſcedit. Ejuſmodi vero vaſa ſignis impreſſa, *ſigillata* appellarunt a ſigillis vel ſimulachris Deorum aut Heroum. Tul-

lius in 6. Verrin. *Cum federem, inquit, domi tristis, accurrit Venerius: jubet me scyphos sigillatos ad prætorem statim afferre.*

Sigilla vero avelli etiam poterant. Cicero in Verrem: *Sed tamen quod de istius abstinentia dixeram, sigillis avulsis reliquum argentum sine ulla avaritia reddidit.* Et de his puto intellexit ingeniosissimus Naso:

*Altius extantem signis, multæque in pondere massæ,*
*Ingentem manibus tollit cratera duobus.*

Animalia quoque varia sculpta, & præcipue caper, qui Baccho infestissimus. Juvenalis Sat. 1.

—— *stantem extra pocula caprum,*

Et Martialis:

*Stat caper in phiala Thebani vellere Phryxi.*

Neque emblemata minus decoris attulere scyphis, de quibus copiose Budæus. Verbum hoc *emblema* in edicto suo poni noluit Tiberius, adeo ille Latinæ linguæ curiosus. Cum enim edixisset, nec quis aurea vasa nisi ad rem sacram haberet, dubitantibus nonnullis, an argenteis etiam quæ aureis emblematis cælata essent, interdixisset, facturus & ea de re decretum, vocabulum emblema, quia græcum erat, poni non jussit.

Postea ut Plinius scribit, *subito ars cælandi argenti exolevit, sola jam vetustate censetur, usque attritis cælaturis, ut ne figura quidem discerni possit.* Tale est illud Juvenalis Sat. 1. *Argentum vetus.* Seneca ad Helv. *Antiquis nominibus artificum argentum nobile.* Martialis:

*Nec thuris veniant leves selibræ,*
*Sed lances ferat aut scyphos avorum.*

Pocula e tam veteri argento conflata, idem Poeta archetypa vocat:

*Archetypum Myos argentum te dicis habere,*
*Quod sine te factum est, hoc magis archetypum est.*

Argentum vero non cælatum, *purum* dixere Latini. Juvenalis *argenti vascula puri.* Plinius lib. 3. Epist. 1. *Apponitur cœna non minus nitida quam frugi, in argento puro & antiquo.* & l. *si rem.* D. de rei vindicat. Jurisconsultus dixit vasa pura, non cælata.

Ad extremum Scyphi argentei, aureis crustis illigabantur. lege *Pediculum.* Digest. de auro argent. mund. *Cymbia argentea, crustis aureis illigata.* Tullius Verrin. 6. *Cybiratæ fratres vocantur pauca improbant: quæ probarant, iis crustæ aut emblemata detrahebantur: sic Haluntini excussis deliciis cum argento puro domum revertuntur.* Ab his crustis dicti crustuarii, qui artificiose vasa crustis vestiebant. vide Plinium lib. 33. Hinc lux affulget Horatio Satyr. 3. lib. 1.

*At nos virtutes ipsas invertimus, atque*
*Sincerum cupimus vas incrustare.* ——

De his crustis & Juvenalis Sat. 5. *Ipse capaces Heliadum crustas,* videlicet ex electro. Vasa incrustata Martialis dixit *Chrysendeta* lib. 2. Epig. 44.

*Immodici tibi flava tegunt chrysendeta muli*

Formam scyphi aureis crustis obtecti, vidi apud doctissimum Bayfium, quem adi si libet, libro de vasculis (*Observa lances argenteas auro illigatas.*) Exornasse me satis abacum existimaveram, & ecce vasa Corinthia & Deliaca in mentem venerunt. Ære illo, cui urbis a L. Mummio eversæ flamma summum pretium & æstimationem comparavit, ad insaniam usque delectabantur Romani. Ridet furorem hunc quorundam Orator, *Cicero in Paradox. Quid enim censes, si L. Mummius aliquem istorum videret matellionem Corinthium cupidissime tractantem, cum ipse totam Corinthum contempsisset, utrum illum civem excellentem, an atriensem servum diligentem putaret?* Seneca Corinthium æs vocat *paucorum insania pretiosum, Consol. ad Helv. c. 11.*

Idem non absimili phrasi usus de Brevit. vitæ c. 12. *Illum tu otiosum vocas, qui Corinthia paucorum furore pretiosa, anxia subtilitate concinnat, & majorem [illegible] in æruginosis lamellis consumit.* Vasa ex illo ære, quod casus & infelicitas urbis miscuit contra aurum vel supra cara: una libra permutata fuit aliquando quingentis. Modum vero dignoscendi taxavit Plinius lib. 34. c. 2. *At mihi pars major elegantiorum, simulare eam scientiam videtur* (dignoscendi Corinthia) *ad segregandos se a cæteris magis, quam intelligere aliquid subtilius.* Acute Martialis ridet quendam: *Consuluit nares, an olerent æra Corinthum.* Memoriæ proditum est, Verrem quem Cicero damnaverat, non aliam ob causam ab Antonio proscriptum, quam quod Corinthiis se ei cessurum negavisset. Copiosius hæc alii, ego remorari cursum meum nolim. At en Deliaca vasa. Antiquissima olim fuit æris Deliaci gloria, mercatus in Delo concelebrante toto orbe, ex quo fiebant vasa Deliaca dicta. Cicero pro Roscio Amerin. *Domus referta vasis Corinthiis, & Deliacis, in quibus est authepsa illa, quam tanto pretio nuper mercatus est, ut qui prætereuntes pretium numerare audiebant, fundum venire arbitrarentur.* Inde Deliaca supellex apud eundem Tullium dicitur, in qua erant Tricliniorum lecti, cum pedibus & fulcris ex ære Deliaco factis. Item 4. in Verrem. *Dico te maximum pondus auri, argenti, eboris, purpuræ, plurimam vestem Melitensem, plurimam stragulam, multam Deliacam supellectilem, plurima vasa Corinthia, &c. Syracusis exportasse.*

Sed tam pretiosa Delfica, vitrea quoque vasa non excluit, quæ ex transmarinis oris advecta, non difficile emptores suos reperiebant. Alexandriæ vitra multas in formas concinne effigiata, Romano luxui deserviebant. Notum e Martiali Apophoreto 113.

*Aspicis ingenium Nili, quibus addere plura*
*Dum cupit, ah quoties perdidit auctor opus.*

Atque hæc vitra, si me memoria non fallit, lascivam & libidinosam nonnunquam imaginem exprimebant. Juvenalis Sat. 2. *Vitreo bibet ille Priapo.* Imo (pro flagitium!) panes a pistoribus in pudendorum formam libidinose concinnati. Martialis:

*Si vis esse satur, nostrum potes esse Priapum,*
*Ipsa licet rodas inguina, purus eris.*

Sed non in vitris tantum, verum & in poculis ipsis libidines cælare juvit, ac per obscænitatem bibere. Vide Plinium libro 14. *Jam vero quæ vasa adulteriis cælata: tanquam per se parum doceat libidines tumulentia, ita vina ex libidine hauriuntur.* Neque vero fictiles amphoras a luxu Romanorum arcebimus, quas ob tenuissimam subtilitatem ingentia pretia excessisse, colligo e Plinii lib. 35. c. 12. *Hodieque in templo* (Capitolino videlicet) *ostenduntur duæ Amphoræ propter tenuitatem consecratæ, discipuli magistrique certamine, uter tenuiorem humum duceret.*

Transeant hæc, nec te, erudite lector, morabor, verum primum perpendere volo, qua ex materia conflatum fuerit poculum illud, quod Cæcilius

Agricola cum capite damnatus domum venisset, plenusque vini refrigerati, ducentis millibus nummum emptum, terræ allisit. Literis id prodidit Xiphilinus Dionis abbreviator, in Severi vita. Ego existimo crystallinum fuisse, ad aliorum nihilominus appello sententiam.

Abacum auro argentoque cælato ad ostentationem Romanam & pompam instruximus. De vasis escariis dicam tunc, cum de epulis agam. Intuere supellectilem, cujus hæc quidem pars non exigua, Delfica argento, auro, & gemmis gravis. Quod si jam veteris sæculi Romanos spectes, paupertatem & continentiam nomen ipsum supellectilis clamitat. Di. de supellect. legat. lege 7. Labeo ait originem fuisse suppellectili, quod olim his qui in legationem proficiscerentur, legari solerent, quæ *sub pellibus* usui forent. Addit ibidem Jurisconsultus: *Nec mirum est moribus civitatis, & usu rerum appellationem ejus esse mutatam, nam fictili aut lignea, aut vitrea, aut ærea denique supellectili utebantur: nunc in ebore atque testudine, & argento, jam & auro etiam atque gemmis, supellectili utuntur.* Post longiorem excursum, ad Tulliana verba revertor: *Tum ad mensam eximia forma pueros jussit consistere eosque ad nutum illius intuentes diligenter ministrare.*

Quarto hujus libri capite, pueros delicatos & pædagogia in medium produxeram, illudque pro virili declarare nisus sum, Alexandrinos in præcipua cura & singulari amore Romanis fuisse. Hic jam mei officii est explicare, quemadmodum cœnanti domino servi ad nutum illius ministeria sua obiverint. Seneca de Brevit. vitæ cap. 12. *Quam diligenter exoletorum suorum tunicam succingant, quam suspensi sint, quomodo aper a coco exeat, quanta celeritate signo dato glabri ad ministeria discurrant.* Trimalcio ille Petronianus signum hoc symphonia dari curabat, ut infra videre erit.

Sed puerorum ac ministrorum officia curiosius investigemus. Primum, Argentum in Delfica disponere, & ordinare. Seneca loco citato: *Convivia mehercule horum non posuerim inter vacantia tempora, cum videam, quam sollicite argentum ordinent.* Idem de vita Beata cap. 27. *Quare ars est apud te ministrare, nec temere ut libet collocatur argentum sed pariter servitur.* Lego cum Lipsio *struitur*, quanquam nec prior lectio adeo vituperanda, si ad ministeria referas. Non oblitus Romani moris Maro illud cecinit, *Æneid.* 1.

*Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longam*
*Cura penum struere:* ——

Secundum munus, Aquam manibus præbere. Petronius: *Tandem ergo discubuimus, pueris Alexandrinis aquam in manus nivatam infundentibus.* Virgil. *dant famuli manibus lymphas.* Sequitur in Petronio: *Aliisque sequentibus ad pedes ac paronychia cum ingenti subtilitate tollentibus.* Soleas enim accumbentium pueri deponebant, unde Martialis:

*Defuerit si forte puer, soleasque libebit*
*Sumere, pro puero proderit ipse sibi.*

Tertium, Panem convivis distribuere. Petronius: *Circumferebat Ægyptius puer clibano argenteo panem.* Virgilius:

—— *Cereremque canistris Expediunt.*

Quartum, Cœnam & obsonia inferre. Senec Ep. 95. *Transeo ministratorum turbam, per quos signo dato ad inferendam cœnam discurritur. Dii boni quantum hominum unius venter exercet!* Virgilius in convivio Didonis & Æneæ:

—— *totidemque pares ætate ministri,*
*Qui dapibus mensas onerent, & pocula ponant.*

Quintum ministrorum munus, tangit iterum Sapiens Stoicus, de Brevitate Vitæ, cap. 17. *Est aliquis scindendi obsonii magister.* Et in Epistola 47. *Alius pretiosas aves scindit, & clunes certis ductibus eruditam manum circumferens in frusta excutit. Infelix qui huic uni rei vivit, ut altilia decenter secet.* Eos homines scindendi obsonii magistros, variis nominibus appellarunt, Carpos, Carptores, Scissores, Chironomontas, Diribitores, Structores, quæ nomina explicat doctissimus Lipsius in Saturnalibus libro 2. cap. 2. Vocemus nunc una cum Juvenali, Structorem: is summa cum dexteritate obsonia incidebat, & gestu quodam agili decore temperato, *Juvenalis Satyra* 5.

*Structorem interea, ne qua indignatio desit,*
*Saltantem spectes, & chironomonta volanti*
*Cultello, donec peragat dictata magistri.*
*Omnia nec minimo sane discrimine refert,*
*Quo gestu lepores, & quo gallina secetur.*

Quo vero concinnius Structores ministeria obirent, doctores eam in rem Romæ fuisse constat, qui ludum structorium aperirent. Talis ille Trypherus doctor, qui discipulos, in ulmea cœna artis suæ specimina edere consuefaciebat. vide Juvenalem Sat. XI. versu 136. Innuit aliquid Plinius l. X. *Postea culinarum artes, ut clunes spectentur, ut dividantur in tergora, ut a pede uno dilatata repositoria occupent.*

Sextum officium, Vina sitientibus ministrare. Hic vero elegantissimi pueri pocillatores. Petronius: *Ego experiri volui, an tota familia cantaret. itaque potionem poposci, paratissimus puer me acido cantico excepit.* Juvenalis Sat. 5.

*Flos Asiæ ante ipsum pretio majore paratus.* &c.
*Quod cum ita sit, tu Getulum Ganymedem*
*Respice, cum sities: nescit tot millibus emptus*
*Pauperibus miscere puer.* ——

Aliis vero minoris notæ convivis & frequentioribus Parasitis, Getulus cursor pocula dabat, aut nigri manus ossea Mauri. Pueros vero formosissimos a poculis eligebant. de quibus capiendus Martialis:

*Stant pueri, dominos quos precer esse meos.*

Et alibi, verum non sine pudendæ lasciviæ nota, vocat uniones, Alienus a luxu hoc & libidine Juvenalis, & Persico quem ad frugalem cœnam & invitat, scribit:

*Plebeios calices & paucis assibus emptos,*
*Porriget incultus puer.* ——

Ultimo epulis sublatis famuli mensam extergebant, & ne quid convivantium oculos offenderet, reliquias ciborum sublegebant. Horatius Sat 8. l. 2.

*His ubi sublatis, puer alte cinctus acernam*
*Gausape purpureo mensam pertersit, & alte*
*Sublegit, quodcumque jaceret inutile, quodque*
*Cœnantes posset offendere.* ——

Hæc fuere præcipua puerorum ac servorum officia, nimis minuta non exquiro addo tantum, quæ notavi ex Seneca Epist. 47. (*Sermo ibi de servis.*) *Quod cum ad cœnandum discubuimus, alius sputa detergit, alius reliquias temulentorum subditus colligit.* Animadverte, si placet, elegantiam Romanam, qui in pavimentis illis asarotis nitide habendis tantopere curiosi. Sic iterum Seneca de Brevit. vitæ cap. 12. *Quam curiose infelices pueruli ebriorum sputa detergant.* Redeo iterum ad Ep. proxime dictam: *Alius*

*vini minister in muliebrem modum ornatus cum ætate luctatur, non potest effugere pueritiam, sed retrabitur, jamque militari habitu glaber, destrictis pilis aut penitus evulsis, tota nocte pervigilat, quam inter ebrietatem domini ac libidinem dividit, & in cubiculo vir & in convivio puer est.* Retraho, pro impietas! calamum. o scelus! o portentum! Quod si hujus famulitii convivalis numerum inspicere velis, adi Lucanum libro x. ubi Cæsarem cum Ægyptia illa muliere toris accumbentem describit. Sed his posthabitis, Tullius redit in scenam: *Aderant unguenta, coronæ.*

Romanos in conviviis ungi solitos, nemo est qui ignoret, & quisquis (ut cæteros omittam) inspexerit primo intuitu amœnissimas Plauti Comœdias vel jucundissimas Lyrici vatis Odas, aut ingeniosissimi Martialis Epigrammata, aut denique facetas & acres Juvenalis Satyras, ritus hic ultro sese nolentibus etiam offeret.

Sciunt hæc jam non ii tantum, qui in Repub. literaria primas sunt consecuti, verum & ii qui mediocris ac trivialis doctrinæ farragine semipleni, tollunt cornua ut limaces, cum proletarii sint & capite censi. Quapropter stylum meum quin istis impendam, adduci nullo modo possum, ne tamen mihi aliquis Sigalion imperasse silentium videatur, perstringam breviter, nec de industria, & quos hactenus Poetas citavi, singulorum singulas adferam auctoritates. Plautus in Mostellaria, ubi cum Philomatium meretrix discumbere vellet, primo inquisivit:

*Vide, tali ubi sint, ubi unguenta.*

Tali, ad regna vini sortienda; unguenta capitis ungendi gratia. Horatius paulo clarius & apertius Carminum 2. Ode 7.

*Oblivioso levia Massico*
*Ciboria exple, funde capacibus*
*Unguenta de conchis.*

Et idem superius:

*Cum quo morantem sæpe diem mero*
*Fregi, coronatus nitentes*
*Malobatro Syrio capillos.*

Martialis lepide Fabullum ludit, qui convivas suos plus odore, quam ciborum deliciis oppletos dimittere consueverat:

*Unguentum fateor bonum dedisti*
*Convivis hercle, sed nihil scidisti:*
*Res salsa est bene olere, & esurire,*
*Qui non cœnat & ungitur, Fabulle,*
*Hic vero mihi mortuus videtur.*

Quid jam Juvenalis:

*Dum bibimus, dum serta, unguenta, puellas*
*Poscimus.* ———

Addamus pauculos Lucani versus:

——— *multumque madenti*
*Infudere comæ, quod nondum evanuit aura*
*Cinnamon, externa nec perdidit aera terra:*
*Advectumque recens vicinæ messis Amomum.*

Frequentes ideo Romæ unguentariorum tabernæ *vide Suetonium, & Senecam.* Antiocho Rege victo P. Licinius Crassus, & Julius Cæsar Censores, ne quis unguenta exotica venderet, pœnis inhibuerant exemplo videlicet patientissimæ Lacedæmonis, quæ unguentarios urbe exegerat. Nihil juvant edicta Censorum, ubi virtute dejecta vitia principatus solium occupant. In odoribus & unguentis profusæ luxuriæ fuit Caligula, nec inferior Otho, qui cum Neronem convivio exciperet, argenteos aureosque tubos multis locis repente emisisse fertur, unguentum instar aquæ fundentes, omniaque rigantes. Idem a Nerone factum, teste Suetonio cap. 31.

Unguenta sequuntur Coronæ. Textilibus sertis crines & tempora redimire moris erat, mensis præcipue secundis, cum jam convivæ hilarius se invitantes numen Bacchi persentiscere inciperent. De hoc ritu Lipsius abunde Antiq. Lect. lib. 3. & Tiraquellus in Alexandrum l. 5. c. 21. (*vide & Plinium l. 21. c. 9. & Athen. l. 14.*) Nectebantur corollæ e myrtho, apio, & cæteris floribus, præcipue vero rosa, quæ hyeme etiam a coronariis ex Ægypto petebatur. Martial. Epig. 10. l. 6.

*Ut nova dona tibi, Cæsar, Nilotica tellus*
*Miserat hibernas ambitiosa rosas.*

Ac homines luxuriosi florem hunc hiberno tempore maxime appetebant. Seneca Ep. 122. *Non vivunt contra naturam, qui byeme concupiscunt rosam, fomentoque aquarum calentium, & calorum apta mutatione, bruma lilium florem vernum exprimunt.* Eam ob causam Horatius rosam seram dixit Ode 38. lib. 1. qua instruit ministrum suum adornaturum convivium, præter myrthum nihil aliud pro sua fragilitate sibi esse curæ:

*Displicent nexæ philyra coronæ,*
*Mitte sectari sera quo locorum*
*Rosa moretur.*

Elegantissime quoque Lucanus in convivio Ægyptiaco lib. x.

*Accipiunt sertas nardi florente coronas,*
*Et nunquam fugiente rosa.*

Coronæ quoque ex auro. Capitolinus in Ælio Vero: *Coronas quin etiam datas, lemniscis aureis interpositis, & alieni temporis floribus.*

Sed si plura pernoscere cupis, vide Carolum Paschalium in doctissimo & jucundissimo opere, quod de Coronis scripsit, multa ibi tum scitu dignissima tum ad legendum amœnissima. Unguenta & coronæ a Græcis Romam transierunt: Primi namque Iones unguenti (*Valer. libro 2. cap. 1.*) coronarumque in convivio dandarum, & secundæ mensæ ponendæ consuetudinem, haud parva luxuriæ irritamenta repererunt.

Cicero: *Incendebantur odores.* Plautus in Menæchmis Actu 2. Scen. 3.

*Vide, quod opus est fiat. Sternite lectos, incendite odores.*

Seneca de vita Beata, cap. xi. *Et ne nares interim cessent, odoribus variis inficitur locus ipse, in quo luxuriæ parentatur.* Apud Athenæum pueri ad mensam στεφάνες, ϗ θυμιάματα, coronas, unguenta, odores apportant. Isti vero pretiosissimi Indici aut Persici. Heliogabalus Indicos odores ad vaporandas zetas accendebat. Verum permulta odores gratissimos in conviviis excitabant, thus & alii frutices odoriferi ex Sabæa vel India, deinde unguenta, tum crocus, res gratissimi odoris. Heliogabalus de croco sigma stravit (*Lampridius.*) quum summos viros rogasset ad prandium, pro eorum dignitate dicens se fænum exhibere. Denique croco cum vino trito, præcipue dulci, theatrorum gradus in spectaculis replebant, ut patet ex Senecæ Epistola 90. quid non existimem id quoque in conviviis factitatum? publicam enim magnificentiam privata luxuria sequebatur. E floribus qui tam frequentes in conviviis, nonne etiam odor gratissimus?

CAP. XI.

*Coquorum pretia, & numerus. Ignes luculenti ad apparanda convivia extructi. Cacabi, Sartagines, & cætera Vasa culinaria ex argento. Cibi a ministris in ferculis illati, & quidem ferventissimi. Lances argenteæ, aureæ. In epulis ubique terrarum anquirendis Luxuria. Caro suilla in deliciis, Porcus Trojanus, Aprugna. Galli gallinacei lacte madidis cibis saginati. Jecur Anseris. De Ficedulis, Turdis, Phœnicopteris, Phasianis, Struthione, Lusciniis, Ciconia. De Piscibus obiter. Fungorum esus delicatissimus. Denique cœnarum pretia, fortes convivales. Vinum vetustum, Musica ad mensam, Saltatrices, Ludi, Spectacula.*

ULtimum est, quod ait Tullius: *Mensæ conquisitissimis epulis extruebantur*. Antequam fercula mensis imponamus, atratum coquinæ ministerium inspiciendum primo est. Asia debellata, coquus, ut ait Livius *Decade* 4. *lib*. 9. vilissimum antiquis mancipium & æstimatione & usu, in pretio esse cœpit, & quod ministerium fuerat, ars haberi cœpta. Quisquis condiendi obsonii pertior, tanto majori pretio veniit. Taxat Satyricus:

*Quanticumque domus, veniet qui fercula docte*
*Componat, veniet pui pulmentaria condit.*

Summam argenti expressit Plinius lib. 11. cap. 17. qua mancipia ista dominorum palatis servientia comparabantur, cujus auctoritas exposita est a doctissimo Meursio, simul & correcta. Musonius apud Stobæum: *Coqui majore studio quam agricolæ parantur, & convivia quidem apparant, in quibus agrorum pretia consumunt*. Jam vero numerum coquorum, & apparantium cibos, non sine admiratione video. Deus bone, quam multorum corpora unus venter excrevit! Seneca de Tranq. cap. 1. *Placet cibus, quem nec parent familiæ, nec spectent, non ante multos paratus dies, nec multorum manibus ministratus*. Idem ad Lucil. *Tumultus coquorum, ipsos cum obsoniis focos transferentium*.

Quanti denique ignes excitati ad apparanda convivia! Juven. Sat. 3.

*Nonne vides quanto celebretur sportula fumo.*

Vetus Scholiastes, *fumo, apparitione*, legendum puto *apparatione*. voluit enim Poetam dixisse fumum pro magno apparatu culinæ. Prudentissimus Monarchiæ Romanæ fundator Augustus, Præfectum Vigilum ex Equitibus constituerat, simulque aliquot libertorum cohortes addiderat, quas vulgo sparteos vocabant: ii urbem circuibant, ut si aliqua in parte incendium exarsisset, ædificiis igni correptis auxilio forent. Aliquando ii plerumque ad culinas potentiorum agebant excubias, ne luculentus ignis proximas ædes corriperet. docuit me Tertullianus in Apologet. cum scribit: *Ad fumum cœnæ serapicæ Sparteoli excitabantur*. Ignis vero tam liberaliter structus, cacabos argenteos nonnunquam lambebat, & ibi cibos pretiosos excoquebat. quis crederet unquam? at Lex monet, *Cum aurum. §. Si cui escarium. D.* De auro & argento mund. quam vide. adi & Plinium libro 33. cap. 3. & Lampridium in Heliogabalo.

A culina ad mensam venio, videoque primum Indicem e more seriem ciborum pronuntiantem. Cibi jam inferuntur. Homines lautissimi cibos machinulis quibusdam venusto artificio elaboratis imponebant, idque Ferculum dixere. Seu mensam ferculis onustam adferebant, & accumbentibus convivis apponebant, ut probat ex Luciano Bayfius,



A lib. de vasculis, & addit: Quare non abs re conqueritur Martialis de Annio, qui ut lautior videretur, ministrantes servos habebat, qui singula gestarent fercula:

*Cum mensas habeat fere ducentas,*
*Pro mensis habet Annius ministros:*
*Transcurrunt gabatæ; volantque lances.*
*Has vobis epulas habete lauti,*
*Nos offendimur ambulante cœna.*

Alius hic aculeus fortasse a Bayfio non visus, quem jam viri eruditissimi in lucem protraxerunt.

B Quocirca epulæ per ministros inferebantur. Seneca Epist. 25. *Transeo pistorum turbam, per quos signo dato ad inferendam cœnam discurritur*. Cibi vero a catillonibus ferventissimi, & pæne igniti expetebantur. Seneca Epist. eadem: *Quid illa purulenta, & quæ tantum non ab igne ipso in os transferuntur*. Idem alibi: *Quia non circa cœnationem ejus tumultus coquorum est, ipsos cum obsoniis focos transferentium*. Lancium fulgorem perstrinxit Horat. cum inquit:

*Discite non inter mensas, lancesque nitentes,*
*Cum stupet insanis acies fulgoribus.* ——

C Verum quid hic jam referam non dictum Clarissimo Meursio? adi cap. 7. videbis ibi lances argenteas, aureis crustis illigatas, sigillis, & cœlatura exornatas, ipsas demum aureas (*Ad Legem* Cum aurum.) quod extremum præter Dionis & Taciti auctoritatem, qui scribunt Tiberium inhibuisse ne vasa solido auro ministrandi cibis fierent, videre erit apud Lucanum libro x. qui scribit. *Infudere epulas auro*. & Statium Theb. 1. *Atque aurum violare cibis*. Argentum enim illo ævo vile satis & commune, unde Trimalcio Petronianus, cum inter tumultum paropsis excidisset, & puer jacentem sustulisset, D colaphis objurgavit puerum, & iterum paropsidem projicere jussit, insecutusque est lecticarius, & argentum inter reliqua purgamenta scopis cœpit verrere. O censura legum pacisque custos ac magistra, quid in tanto civitatis luxu delitescis! quæ olim Cornel. Rufinum duobus Consulatibus & Dictatura speciosissime functum, quod decem pondo vasa argentea comparasset, perinde ac malo exemplo luxuriosum, ordine Senatorio movisti. O veneranda sæcula! in quibus Censorium crimen erat, paucæ argenti lamellæ. At jam non argentum tantum, sed aurum etiam cibis violatur. quid dico cibis? pudet dicere, ad spurca instrumenta, auri & argenti demens copia deservit. (*vide Martialem de Basso* E *auro onus ventris excipiente, adi & Lampridium in Heliogab.*) Non sic antiquis temporibus, argenti si quid erat, solis fulgebat in armis, & levis argenti lamina crimen erat:

*Ponebant igitur Thusco farrata catino.*
*Omnia tunc, quibus invideas, si lividus sis.*

Sed quænam illæ Tullio epulæ conquisitissimæ? nulla orbis regio tam dissita & remota, nulla tam aditu perdifficilis, quæ culinæ Romanæ aliqua ex parte non fuerit famulata:

F *Interea gustus elementa per omnia quærunt,*
*Nunquam animo pretiis objstantibus: interea si*
*Attendas, magis illa juvant quæ pluris emuntur.*

Disertissimus Poetarum in convivio Cleopatræ, *Lucanus libro* 10

*Infudere epulas auro, quod terra, quod aer,*
*Quod pelagus, Nilusque dedit, quod luxus inani*
*Ambitione furens toto quæsivit in orbe,*
*Non mandante fame, multas volucresque, ferasque*
*Ægypti posuere Deos.* ——

Si tibi poetica hæc nimis & furentis vatis enthusiasmata videntur, attende quid dicat Seneca gravis & exploratæ veritatis Censor *de Provid. cap.3. Quid ergo felicior esset, si in ventrem suum longinqui littoris pisces, & peregrina aucupia congereret, si conchyliis superi atque inferi maris pigritiam stomachi nauseantis erigeret?*

En graviora adhuc & quæ Poetam melius a mendaci nota vindicent: *Undique convehunt omnia nota fastidienti gulæ, quod dissolutus deliciis stomachus vix admittat, ab ultimo portatur Oceano. Vomunt ut edant, edunt ut vomant, & epulas quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur.* Latinus Pacatus in Panegyrico: *Illis demum cibis acquiscebant, quos extremus Oriens, aut positus extra Romanum Colchus Imperium, aut famosa naufragiis maria misissent.*

Delibemus aliquid e cibis illis tam delicatis, ac primo e promulside. at quæ delicatior? quæ magis ad palatum, quam illa Trimalcionis? verba sunt diserti Petronii: *Cæterum in promulsidari asellus erat Corinthius cum bisaccio positus, qui habebat olivas in altera parte albas, in altera nigras. Tegebant asellum duæ lances, in quarum marginibus nomen Trimalcionis inscriptum erat, & argenti pondus. Ponticuli etiam ferruminati, sustinebant glires melle & papavere sparsos: fuere & tomacula supra craticulam ferventia argenteam posita, infra craticulam Syriaca pruna, cum granis mali Punici.*

Remotis gustatoriis appetitum irritantibus, cœnæ pompa succedit, quæ incipit a carne, & certe principatum hic tenebit Suilla. Nam ut ait Plinius lib.8. cap.51. *non ex alio animali numerosior materia ganeæ, quinquaginta prope sapores, cum cæteris singuli.* De qua ne ego addiderim quidpiam post Clarissimum, & omni eruditione præclarissimum Petrum Castellanum, cujus singularem doctrinam & politiorem illam literaturam magnopere admiror, suavitatem atque amœnitatem ingenii amplector, virum denique inter primos Almæ hujus Universitatis suspicio: videatur liber illius de Esu carnium, multa eaque rara de Suilla disces. Et quandoquidem pleraque mihi repetenda forent, quæ ab illo disertius, quam a me possint, dicta sint, libens te lector ad librum illum remitto. Quod ecce jam statim facio. Porcus Trojanus singulare luxuriæ inventum, nomen inde accepit, quod ita diversas species animalium tegeret, quemadmodum equus ille fatalis machina, heroas ad excidium Trojanum inclusos tenuit. vide Castellanum lib. 1. c.3. Transeo aprum, animal propter convivia natum, ut ait Juvenalis Sat.1. hunc primus Romanorum Rullus solidum convivis appofuit. adi Lipsium in Poliorcet. Omitto leporem, de quo Martialis.

*Inter quadrupedes mattya prima lepus.*

Majores in avibus deliciæ, a quibus nec gallinam exclusere, quam archimagirus ille Horatianus Catius, ne responset nimium dura palato, vivam jubet musto mersare Falerno (*vide Castellanum lib. 4. cap.3.*) Lurconibus hic summa voluptas, si gallina bene saginata, unde Martialis lib.13. Epig.59.

*Pascitur & dulci facilis gallina farina,*
*Pascitur & tenebris: ingeniosa gula est.*

Pasti quoque gallinacei lacte madidis cibis, ac in iis præcipue cristas lurcabantur, cujus rei initium fluxit a Messalino Cotta, Messalæ Oratoris filio.

Veniat & anser ad nostras lances. O ingratos & immemores beneficii Romanos, qui servatoris ac defensoris Capitolini sanguinem profundebant. Ipsius jecur summis in deliciis, quod fartilibus tumebat. Juvenalis Sat.5.

*Anseris ante ipsum magni jecur, anseribus par*
*Altilis.* ——

Vide Plinium libro x. cap.22. deinde Anseres ficubus pasti, Horatius libro 2. Sat.8.

*Pinguibus & ficis pastum jecur Anseris albi.*

Sed ne aves domesticæ fastidium pariant, exoticæ meliores sunt, & magis ad gustum. Gellius recenset nonnullas e Varrone (*libro 7. cap.16.*) *Pavum e Samo, Phrygiam attagenem, grues Melicas.* De Pavo, vide Meursium capite 15. de Luxu, Castellanum libro 4. cap.9. Quid jam videtur de ficedulis? quæ certe non plebejum sapuere. Gellius lib.15. cap. 8. *Præfecti popinæ atque luxuriæ, negabant ullam avem præter ficedulam, totam comesse oportere.* Conditaram illius exhibet Trimalcio apud Petronium, in suo oppiparo convivio. Affertur ibi gallina patentibus in orbem alis, ovis pavoninis incubans, quæ dum servi divisere convivis, & ii ex pingui farina figurata pertundunt, ac putamen manu persequuntur, pinguissimas ficedulas inveniunt piperato vitellio piperatas. (Juvenalis Sat.14. —— *& eodem jure natantes Mergere ficedulas didicit.* —— *Castellan. libro 4. capite 15.*)

Turdis quoque debetur sua gloria, ex quibus frequentia munera amicis mittebantur, & quidem in figuram coronæ conserti. Martialis libro 13. Epigram. 51.

*Texta rosis fortasse tibi, vel divite nardo;*
*At mihi de turdis texta corona placet.*

Quis ignorat phœnicopteros? quorum linguam præcipui saporis esse dixit, & adinvenit nepotum altissimus gurges Apicius, addidit Heliogabalus, ne inventis minor foret Apicio, & cerebella phœnicopterorum convivis apposuit.

Nec te præteribo *Ales Phasiacis petita Colchis.* Phasianum intelligo, quem inde luxuria conquisivit, unde summi Heroes furtivam pelliculam devexerunt. Manilius libro 5. Astron.

—— *accersitur inde macellum,*
*Unde aurata novo convecta est æquore pellis.*

Quis vero administer hujus luxuriæ, qui Heroes æmulatus, ad petendas e Phaside aviculas Colchos accessit? Græculi. *Martialis lib.13. Epig.72.*

*Argiva primum sum transportata carina,*
*Ante mihi notum nil nisi Phasis erat.*

Invalescente vero Luxu.

—— *Phasidos unda*
*Orbata est avibus, mutoque in littore tantum*
*Solæ desertis adspirant frondibus auræ.*

Hæ sunt aves, quas extremus Oriens ad delicias mensarum in Hesperiam transmisit. *Ultra Phasim capi volunt quod ambitiosam popinam instruat.* D. Hieronymus Salvinam monet: *Procul sint*, inquit, *a conviviis tuis Phasidos aves, quibus amplissima patrimonia avolant.*

Amens ille Caligula, cum refragante tam superorum, quam mortalium calculo, per vim & audaciam temerariam, se in Deorum collegium ultro ingereret, Numini suo aves has pretiosas immolari voluit, teste Suetonio, qui scribit: *Hostiæ erant Phœnicopteri, Pavones, Tetraones, Numidicæ, Meleagrides, Phasianæ, quæ generatim per singulos dies immolarentur.*

At quæ illæ Numidicæ? quæ Meleagrides? Plerique hæc confundunt, & ajunt esse has aves, quas nunc Indicas gallinas vocitamus, sed certe distin-

gui debere suadet Columella lib. 8. cap. 2. *Africana est, quam plerique Numidicam dicunt, Melagridi similis, nisi quod rutilam galeam, & cristam capite gerat, quæ utraque sunt in Meleagride cærulea*. Plura eam in rem doctissimus Castellanus *de Esu Carnium. lib. 4. cap.* 6. Neque perdices Romanis adeo plebejæ. raro mensis apponi solitas, testatur Martialis lib. 13.

*Ponitur Ausoniis avis hæc rarissima mensis,*
*Hanc in lautorum mandere sæpe soles.*

Inter aves obrepsit mihi etiam Struthio, cujus capita & cerebella Heliogabalus (*Lampridius*) edenda proponebat, & quo lautior videretur, 600. Struthionum capita una cœna exhibuit. O hominem luxuriæ perditæ! quid is non tentavit ad explendam libidinem? & dum de opibus imperii ludit, Phœnicem etiam convivis suis promisisse fertur.

Quis jam non miretur Luscinias, luxuriosi abdominis causa mortem sæpius oppetiisse? quid cibi in illa avicula, ad quam ea verba Laconem quempiam dixisse memoriæ proditum est: *Vox es, præterea nihil.* Quis non doleat ultima fata psittaci, seduli humanæ linguæ imitatoris? caput ipsius Heliogabali convivia viderunt. Luxus istius artifex Æsopus ille Histrio, *cujus patina sexcentis sestertiis taxata, in qua posuit aves cantu aliquo, aut humano sermone vocales, millibus sexcentis singulas coemptas*. Ciconiam comesse docuit auctor Prætorius. tantæne ibi deliciæ? mactata nihilominus avis hæc longis invisa colubris. Pulchre luxuriam hanc perstringit Petronius, jucundissimo versu:

*Luxuriæ ritu Martis marcent mœnia,*
*Tuo palato clausus pavo pascitur,*
*Plumato amictus aureo Babylonico:*
*Gallina tibi Numidica, tibi gallus spado,*
*Ciconia etiam grata, peregrina, hospita,*
*Pietaticultrix, gracilipes, crotalistria,*
*Avis exul hyemis, titulus tepidi temporis,*
*Nequitiæ nidum in cacabo fecit meo.*

Piscibus suus jam debetur locus. hic vero culmen & fastigium insana luxuria occupavit. Docent tot maria naufragiis periculosa peragrata, docent tot piscatorum molestiæ, qui ut gulæ deservirent, cum tempestatibus luctabantur. (*De piscibus plura capite sequenti vide.*) Quid commemorem nullorum delicias, pondera, pretia, quum unum HS. quinque millibus, a P. Octavio emptum esse non ignorem. Summam ad calculum revocare horreo, timeo enim ne luxus fidem inveniat.

Conquestus est olim Cato, non posse salvam esse urbem, in qua piscis pluris quam bos veneat: at hic unus piscis quot boum pretia superavit? (*Heliogabalus pisces e vivariis bobus traxit. Idem ad mare nunquam pisces comedit, in remotissimis a mari locis omnia marina exhibebat.*)

Accipenser tantum olim honoris meruit, ut a coronatis cum cantu tibiæ ad mensam inferretur. Lupus inter duos pontes jactatus, palato arridebat. Scarus e littore Siculo ad mensam vivus perducebatur. Inde & Muræna petita. Ostrea si non e Lucrino stagno, plebejum sapuere. Adi Meursium in libro de luxu capite 14. fuse ibi ista & accurate dicuntur.

Habeat sibi Ælius Verus suum tetrapharmacum, delicias e fungorum esu petitas tacitus non omittam. Juvenalis Satyr. 14. versu 7. *qui radere tubera terræ, Boletum condire*. Ii vero præstantissimi censebantur, qui tum nati, cum ætheris fragor, cælique tonitrua omnia permiscerent. Juvenalis Satyr. 5.

*—— Post hunc radentur tubera, si ver*
*Tunc erit, & facient optata tonitrua cœnas.*

Atque ejusmodi tubera a ganeonibus maxime ex Africa petebantur. Idem Poeta:

*—— tibi habe frumentum, Alledius inquit,*
*O Lybie, disjunge boves, dum tubera mittas.*

Boletorum esu delectatum maxime ferunt Claudium Imperatorem, qui etiam fatalis ei postmodum extitit. Teterrima illa ac impia Britannici noverca Agrippina, Locustæ ministerio usa, ut refert Tacitus 12. Annal. boletorum cibo venenum infundi mandavit, & sic Claudium e vivis sustulit. Taxat etiam Martialis lib. 1. Epig. 20. Cæcilianum quendam, qui, turba spectante vocata, boletos solus vorabat, & acutissime concludit:

*Quid dignum tanto ventri gulæque precabor,*
*Boletum, qualem Claudius edit, edas.*

Non mihi si linguæ centum sint, omnes ciborum delicias proferre possem. una cœna *patrimonia comedebat*, (*Juvenalis Satyra* 1. Seneca: *Conviviorum furor & fœdissimum patrimoniorum exitium culina.*) Quis enim voracissimam Charybdim, Vitellium dico, & gulam ejus profundam enarrare explicareve queat? cui ex urbe atque Italia irritamenta gestabantur, strepentibus ab utroque mari itineribus. Is in cœnas novies millies sestertium consumpsit, quid mirum, si illi una patina viginti quinque millibus Philippeorum (ut computat Lipsius) constitit. Certe Manducum illum rectius dixeris, quam Vitellium. Erat enim hoc Romanis in more positum, ut ad voracitatem repræsentandam, Manducos pingerent, malis magnis & hiantibus, ad formidinem, & terrorem infantium. vide Festum, & Meursium in sua Mantissa ad librum de Luxu Rom. cap. 12. Apicius duos milliones in culinam congessit, quid Æsopus unionum liguritor? quid Xerxes togatus Lucullus? quid Heliogabalus, Verus, Commodus, Caligula, monstra verius non homines? adi doctissimum Lipsium libro 4. Admirand. cap. 8. & Meursium. (*De Neronis Conviviis, vide Tacit. 12. Annal. de Claudii Conviviis, vide Suetonium lib. 5. cap. 22.*) Portenta adhuc cœnarum nonnulla referam. Antoninus Geta, Spartiano teste, habebat istam consuetudinem, ut convivia & maxima prandia, per singulas literas juberet. Alio usus est commento Trimalcio, in cujus convivio repositorium rotundum duodecim signa habebat, in orbe disposita, superque proprium convenientemque materiæ structor imposuerat cibum, super arietem cicer arietinum, super taurum bubale frustum, &c. vide Petronium in Satyrico. Heliogabalus (*Lampridius*) nefariarum voluptatum repertor pessimus, fecit tale convivium, ut apud amicos singulos, singuli missus celebrarentur: & quum alter maneret in Capitolio, alter in Palatio, alter super Aggerem, alter in Cælio, alter Transtiberim, & ut quisque mansisset, tamen per ordinem in eorum domibus singula fercula ederentur, ireturque ad omnium domos: sic unum convivium vix toto die finitum est.

Cœna quoque Augusti duodecim Deorum secreta equidem primo, verum facile in vulgus emanavit (*Sueton. capite* 70. *in Augusto*) adeo Principum vitia & deliramenta nullis parietibus tegi possunt. Tiberius (*Sueton. capite 42. in Tiberio.*) Sestio Gallo libidinoso ac prodigo seni, cœnam ea lege condixit, ne quid ex consuetudine imminueret aut immutaret, utque ex nudis puellis ministrantibus cœnaretur. Caligula (*Idem in Caligula cap.* 37.)

convivis ex auro panes appoſuit, & obſonia: *Aut frugi eſſe oportere hominem dictitans, aut Cæſarem.*

Quid jam illæ fortes convivales Heliogabali? quid effuſæ donationes inter ipſas epulas Veri? de illis Lampridius, de his Capitolinus, copioſe annotarunt.

Fuit hactenus menſa ciborum, ſequitur poculorum. (*Inter delicatos potus fuit quoque aqua calida, de qua vide Lipſ. Elect. cap.* 4.) Id enim e more Romano, Servius in 1. Æneid. illo verſu: *Poſtquam prima quies epulis*, &c. ſcribit: *Licet ſub extranea perſona, Romanum tamen exequitur morem, apud quos duæ menſæ erant, una epularum, altera poculorum.*

B Vinum antiquiſſimum, & ignoti Conſulis bibere moris erat potentioribus Romanis. Propterea in lauto convivio Trimalcionis, pittacia amphoris vitreis affixa, tabulam præferebant, in qua ſcriptum: *Falernum Opimianum annorum centum.* Vinum hoc celeberrimum, quod L. Opimio Conſule diffuſum, & in ducenteſimum annum commode aſſervabatur, ut teſtis Plinius libro 14. cap. 4. De hoc intelligendus Juvenalis Satyr. 5.

*Ipſe capillato diffuſum Conſule potat,*
*Calcatamque tenet bellis ſocialibus uvam.*

C In ſumma, vinum illud delicatiſſimum & optimum,

*—— cujus patriam titulumque ſenectus*
*Delevit, multa veteris fuligine teſtæ.*

Antiquiſſimi Romanorum a vino matronas arcebant. *Vide Valer. Max. libro* 6. *cap.* 3. Tertullianus: *Cum mulieres uſque adeo vino abſtinerent, ut matronam ob reſignatæ cellæ vinariæ loculos ſui inedia necarint; ſub Romulo vero quæ vinum attigerat, impune a marito trucidata ſit. Idcirco & oſcula propinquis offerre etiam neceſſitas erat, ut ſpiritu indicarentur.* Non tanta ſeveritate poſteriora ſæcula matronas a Baccho arcebant, & ut ejuſdem Tertulliani verbis utar, *præ vino nullum oſculum liberum erat.* Bene Valer. Max. *Quæcumque fœmina vini uſum immoderate appetit, & virtutibus omnibus januam claudit, & delictis aperit.* Caſtrandus igitur Bacchus eſt, & lympha mitigatus, tenero ſexui præbeatur. Aliqui in conviviis varia genera vini exhibebant. Gallienus ſemper vina variavit, nec unquam ex uno vino duo pocula bibit, ut refert Trebellius Pollio. De Gordiano Juniore Capitolinus: *Fuit vini cupidus, ſemper tamen undecunque conditi, nunc roſa, nunc maſtiche, nunc abſinthio, cæteriſque rebus, quibus gula maxime delectatur.*

Fuere quidam tam lauti, ut vinum nive diluerent. Seneca Epiſtola 78. *O infelicem ægrum, quare? quia non vino nivem diluit, quia non rigorem potionis ſuæ renovat, fracta inſuper glacie.* Sed gravius in hunc luxum invehitur, Natural. Quæſtion. lib. 4. ad finem: *Unguentarios Lacedæmonii urbe expulerunt, & propere cedere finibus ſuis juſſerunt, quia oleum diſperderent. Quid illi feciſſent, ſi vidiſſent reponendæ nivis officinas, & tot jumenta portandæ aquæ deſervientia? cujus colorem ſaporemque paleis quibus cuſtodiunt, inquinant.* (*Ea de re pluribus in locis Senec.*)

Finiveram pæne de potu, at ecce ſubit mihi in memoriam ſeveriſſima illa vox, qua Auguſtus Imperator populum de inopia & caritate vini conquerentem, coercuit: *Satis proviſum a genero Agrippa, perductis pluribus aquis, ne homines ſitirent.* (*Suetonius.*) Non abſimili rigore milites ſuos excepit Peſcennius Niger, apud Ægyptum vinum petentes, inquiens: *Nilum habetis & vinum quæritis.*

A Idem tumultuantibus iis qui a Sarracenis victi fuerant, & dicentibus: *Vinum non accepimus, pugnare non poſſumus*: Reſpondit: *Erubeſcite*, inquit, *illi qui vos vincunt, aquam bibunt.*

Convivia Romana non lautus tantum obſoniorum apparatus, ſed & varii luſus jocique condivere. Aderat cithara, convivii quam Dii fecere miniſtram: nam apud Homerum Iliad. 1. in convivio Deorum, Apollo citharam pulſavit. Quod ad Romanos attinet, ſuadet Lyricus Ode 1. libro 3. Carmin.

*—— non Siculæ dapes*
*Dulcem elaborabunt ſoporem,*
*Non avium, citharæque cantus.*

Apud divinum Poetam Maronem, in convivio hoſpitali Didonis & Æneæ, *cithara crinitus Jopas, perſonat aurata.* Nero Terpnum cytharœdum vigentem tunc præter cæteros acceſſivit, diebuſque continuis poſt cœnam in multam noctem aſſidens audivit, paulatim & ipſe exerceri meditarique cœpit. *Suetonius capite* 20. Plinius lib. 1. Epiſt. 15. *Audiviſſes comœdum, vel lyriſten, vel quæ mea liberalitas, omnes.* Scribit ille ad Septitium, qui ad cœnam illius cum promiſiſſet, non venerat. Et antiquis Romanis ſua quoque ad menſam muſica, ſed non tam laſciva & mollis. Illi etenim ad tibias egregia majorum opera carmine comprenſa pangebant, quo ad ea imitanda juventutem alacriorem redderent. Non admittebant veterum cœnæ Gaditanas puellas, laſcivo ſaltu pruritum convivis excitantes, quas paſſim inferiora tempora non abſque libidinis nota ſpectaverunt. Juvenalis Satyra 10. invitans Perſicum ad modeſtam & frugi cœnulam, procul has lautiorum nugas a ſe abſuturas dicit, *Satyra* 11.

*Forſitan expectas, ut Gaditana canoro*
*Incipiat prurire choro, plauſuque probatæ,*
D *Ad terram tremulo deſcendant clune puellæ,*
*Irritamentum Veneris languentis, & acres*
*Divitis urticæ.* ——

Non ad tales jocos quondam mentem ſuam revocabant, æterna illa Imperii Romani decora, quæ ſanguine Punico maria terraſque infecerant. *Scipio* (ait Seneca *de Tranq. Animi capite* 15.) *triumphale illud & militare corpus, movit ad numeros, non molliter ſe infringens, ut nunc mos eſt etiam inceſſu ipſo ultra muliebrem mollitiem fluentibus, ſed ut illi antiqui viri ſolebant, inter luſum ac feſta tempora, virilem in modum tridudiare, non facturi detrimentum,*
E *etiamſi ab hoſtibus ſuis ſpectarentur.*

Tranſeo ludionum & hiſtrionum oblectamenta, quæ in conviis potentiorum frequentiſſima. Plinius de Spurina lib. 3. Epiſtolarum: *Comœdis cœna diſtinguitur.*

Seneca magis ad vivum luxum perſtringit: *Aſpice Nomentanum & Apicium, terrarum ac maris* (*ut iſti vocant*) *bona conquirentes, & ſuper menſam recognoſcentes omnium gentium animalia. Vide hos eoſdem e lectis ſuis ſpectantes popinam ſuam, aures vocum ſono, ſpectaculis oculos, ſaporibus palatum ſuum delectantes.* Hadrianus Imperator (ſi Spartiano fides) Tragœdias, Comœdias, Attellanas, Sam-
F bucas, Lectores, Poetas, in convivio pro re ſemper exhibuit.

Quamobrem ſummum hinc encomium tribuit Lampridius Alexandro Severo, qui voluptates ſcenicas in convivio nunquam habuit, ſed illi oblectatio fuit, ut catuli cum porcellis luderent, aut perdices inter ſe pugnarent. Et profecto magis expedivit beſtiarum concurrentium ſanguinem intueri, quam cruentas gladiatorum pugnas, & dira illa inter epulas certantium ſpectacula. *De his Lipſius Sa-*

*turnal. lib.* 1. *cap.* 6. Quid jam recenseam moriones, petulantes & improbos scurras, qui lasciva licentia, & impudentissimis jocis, derisui erant. Jucundius Abydeni, qui infantes admittebant garrulos & festivos, ut his obstrepentibus garrientibusque convivæ alacriores fierent.

Vespasianus Imperator, teste Suetonio in vita illius cap. 22. *Super cœnam autem semper alias comissimus, multa joco transigebat. Erat enim dicacitatis plurimæ, & sic scurrilis ac sordidæ, ut ne prætextatis quidem verbis abstineret.*

Heliogabalus Principis nomine indignus (*Lampridius.*) octo calvos rogabat ad cœnam, octo luscos, octo podagrosos, octo surdos, octo nigros, octo longos, & octo pingues; ut de his omnibus risus cieret. Idem convivis proponebat themata, ut jura novis dapibus condiendis invenirent; cujus placuisset commentum, ei dabat maximum præmium. Quanto hic Imperator sceleratior, tanto Græcorum magis approbanda consuetudo, qui inter epulas, gryphos & ænigmata sibi mutuo proponebant, cujus captiones solventi præmium carnis portio, non solventi pœna erat, ut salsum hauriret poculum. Et hæ vocabantur quæstiones convivales, quod genus veteres ita ludicrum non putarunt, ut & Aristoteles de ipsis aliqua conscripserit, & Plutarchus, & Apulejus, teste Macrobio. Vide morem quorundam Romanorum non improbandum apud Gellium lib. 18. cap. 2. Tiberius Imperator pessimus alioquin, ex lectione quotidianas quæstiones frequenti convivio proponebat. *Sueton. in Tiberio capite* 70.

Sed quis enarrare queat infelicis luxuriæ commenta? hæc sunt opprobria insequentium ætatum, adjiciales illæ cœnæ, struices patinariæ, mensæ Ciceronianæ, scitamenta Apiciana, lances Syllanæ. Luxus hæc portenta adinvenit. Luxus, inquam, improbus morum corruptor, & perpetuæ egestatis parens.

Libet libet iterum te animo cogitationeque complecti, o vetus frugalitas! Inconditi quidem prisci temporis erant cibi, sed læti, sed creduli, sed simplicibus fabulis, lusibus jucundis suaves. non vigebat tunc exquisitissimi vini lascivia, quæ ad barbarum Thracum morem, mitissima etiam ingenia concitare solet: non bibebat convivia, ut mero prolutus iterum revomeret tristis. Ibi erant Charites, ibi Musarum amœnitas, ibi lubentia, ibi verba exhilarantia, non tamen Palladi aut Vestæ extimescenda. Quid ni & nos priscis eam felicitatem invideamus?

## CAP. XII.

*Explicantur latius quædam in superiori Capite prolata. Lepores saginati delicatiores. Aprorum multitudo luxuriosa, in conviviis apposita. Venatorum & aucupum gulæ deservientium cohortes. Ciconiam quis primus mensis intulerit. Pisces e longinquo & periculoso mari expetiti. De Mullo pisce, Muræna, Scaro. Mos vino tenuiore vomitus provocandi, ad majorem ciborum appetentiam excitandam. Ciborum varietas morborum causa. Cœna feralis Domitiani. Musicæ plus æquo dediti Romani. De Saltationibus lascivis, & ludis saltatoriis. Conclusio Operis.*

IN conviviis, quam profusi & luxuriosi Romani fuerint, e superiori capite cuivis ad oculum patet.

Sed multa ibi prætermissa, minuta quidem, & ea quæ nobis minime sentientibus elabi possunt, A adeo, ut difficile sit omnia congerere, ob summam multitudinem, & incredibilem copiam. Dabis igitur veniam, Lector optime, nec a me hæc minuscula exiges, cum præcipua capita luxuriæ hujus habeas. Sunt adhuc pauca, quibus te fraudare nolo.

Ac primum, Promulsidem seu gustatoria, e Petronio præcedenti capite attuleram, adde si lubet Macrobium Saturnal. lib. 3. cap. 13. ibi certe non minorem luxum in cœna cujusdam Pontificis videbis: quia vero auctor hic ad manum esse facile potest, verba ipsius non exscribo. Lepores per transennam attigeram, jam illud de iis addendum est, B ex Varronis lib. 3. de Agricultura: *Hoc quoque nuper inventum, ut lepores saginarentur, cum exceptos e leporario, quidam in caveis & loco clauso faciant pingues.* Verum nescio quid tam delicatum senserit antiquorum palatus in altili lepore, cum omnis ferina longe melior sit e sylvis suisque latebris petita, quam domi mansuefacta. Hinc Princeps Medicus ferinam carnem cicurum animalium carnibus anteposuit; licet Arabes ferinam absolute malam pronuncient, & ex usu ciborum expungant. Sed ea de re vide eruditissimum Castellanum, libro 3. de Esu carnium cap. 1. adde cap. 5. ejusdem libri, unde præclara de leporina disces.

C Apros attigeram, quamvis nihil sit, quod jam non dictum eruditissimo Lipsio in Polior. & clarissimo Castellano lib. 3. de Esu carnium cap. 2. duo tamen inde adferam, quæ ut de novo repetantur, merentur: magnæ enim luxuriæ exempla sunt. M. Antonius Triumvir, teste Plutarcho, septem aut octo apros in cœnam unam paravit. Sed quod magis mirere: singulis convivis singulos apros appositos legimus, quod in nuptiali convivio Carani Macedonis factum, memorat Athenæus lib. 4. in quo ut numerus convivarum æquaretur, cxx. apros in triclinium illatos oportuit. Vide quoque Senecam Epistola 90. de milliariis apris.

D Dixeram aves ad explenda delicatorum convivia ab exteris petitas, & summo cum studio anquisitas, jam nunc profero Latini Pacati auctoritatem, qui scribit, totas aliquando aucupum & venatorum cohortes, ad explendam luxuriosorum libidinem militasse. inquit ille: *Ut taceam infami sæpe delectu scriptos in provinciis aucupes, ductasque sub signis venatorum cohortes militasse convivis.* Adi doctissimum Meursium libro de Luxu Roman. capite ultimo. *Ibi disces de Aviariis.*

Turcarum Imperatoribus duæ fere legiones erant venatorum, & una legio canum venaticorum. Ba-E jazetes (ut notat Laonicus Chalcocondylas de Rebus Turcicis lib. 3.) septem millia virorum habuit, qui accipitres curarent, & canes aluit sexies mille. Mechmetes XII. Turcarum Rex, Amuratis filius, qui anno M.CCCCXLIX. principatum obtinuit, omnes illos accipitrum curatores in militum ordinem redegit, *Sufficere sibi*, inquiens, *centum viros qui canes, & quingentos qui accipitres curent, nec se eo stultitiæ processurum, ut velit alere hominum tantam multitudinem, propter rem quandam vanam & novam.* Hæc Chalcocondylas lib. 7. fere ad finem. Ita illi otium suum condiebant, & a ferarum vena-F tione, ad regna & provincias capiendas, (heu per nostrorum hominum discordias!) progrediebantur. Sed ad Romana.

Ciconiam luxuriosorum mensis deserviisse annotaveram; quis vero illam primus convivis apposuerit, docebit vetus Scholiastes in Horatium illo loco:

*Tutus erat rhombus, tuto ciconia nido,*
*Donec vos auctor docuit Prætorius* ——

ubi inquit: *Sempronius Rufus Prætorius instituisse*

*fertur, ut ciconiarum pulli manducarentur: quare cum in prætura petenda repulsam tulisset, tale epigramma meruit*. quod quia apud veterem Scholiastem claudicat, sic a Crucquio, Horatii Interprete docto, restitutum suis numeris exscribo:

*Ciconiarum Rufus iste conditor,*
*Plancus, duobus est his elegantior:*
*Suffragiorum puncta septem non tulit,*
*Ciconiarum populus mortem ultus est.*

Jamque ut aves a longinquis terrarum oris, ab aucupum & venatorum cohortibus lascivienti dominorum gulæ submittebantur, sic & pisces, nisi periculosa naufragiis maria ministrassent, rusticum sapuere. Juvenalis luxum hunc acerbe exagitat, dicitque minime vereri piscatores quiescentibus ventis, in mari Siculo periculoso licet piscari, ut indomitam lascivorum hominum expleant gulam, *Satyra* 5.

—— *nam dum se continet Auster,*
*Dum sedet, & siccat madidas in carcere pennas,*
*Contemnunt mediam temeraria lina Charybdim.*

Petebantur vero pisces e longinquis regionibus, jam Tauromenitanæ rupes indagabantur, ut catillonum & lurconum explerent libidinem. Seneca: *Quod dissolutus deliciis stomachus vix admittat, ab ultimo petitur Oceano*. & alibi ad Lucilium scribens, luxuriam *terræ marisque vastatricem* dixit pereleganter. (Seneca Consol. ad Helv. *nec conchylia ultimi maris ex ignoto littore eruere, cap*. 9.) Cur vero pisces e tam remotis regionibus expetiti fuerint, causam adfert Satyricus, *Satyra* 5.

*Et jam defecit nostrum mare, dum gula sævit*
*Retibus assiduis, penitus scrutante macello,*
*Proxima nec patimur Tyrrhenum crescere piscem:*
*Instruit ergo focum Provincia*. ——

Pisces vero qui lautorum mensis serviebant, hi præcipui fuerunt. Mullus e Corsica petitus, qui aliquando *quinque millibus sestertium* emptus, sive 250. florenis, ut computat Meursius, nonnunquam sex millibus sestertium, sive 300. florenis. Verum rarissima quæque attulit de hoc pisce Meursius in suo luxu, quem vide.

Muræna quoque summis in deliciis. Hic piscis Liciniis cognomen Murænarum imposuit, eo quod illo effusissime delectati sint. Lucius quoque Crassus vir Censorius, murænam in piscina domus suæ mortuam, atratus luxit, piam affectuosamque rem se fecisse judicans. Hic vero piscis ad piscinas urbis Romanæ accersebatur ab usque freto Siculo, quod Rhegium a Messana dispescit. Vide cætera apud Macrobium libro 3. Saturnal. cap. 15. Scarus piscis etiam inter celebres, de quo Macrobius loco proxime citato scripsit: *Octavius Præfectus classis, sciens Scarum adeo Italicis regionibus ignotum, ut nec nomen ejus piscis Latinum habeamus, incredibilem Scarorum multitudinem, ex variis navibus huc advectam, inter Ostiam & Campaniæ littus in mare sparsit, miroque ac novo exemplo pisces in mari, tanquam in terra fruges aliquas seminavit*.

Reliquos pisces prætereo, qui ad luxuriosos catillonum palatos veniebant. Ea de causa plerique divitum piscinas extruebant, quæ villarum pretia augebant. Cicero L. Philippum & Hortensium *piscinarios* appellavit. De Hirrii vivariis & villa vide Macrob. Saturn. 3. cap. 15. & plura apud doctissimum Meursium, cap. 14. ad finem. Observa tamen hic, piscinas a divitibus lapide Thasio, cui nunc magnum pretium, circumdatas. Seneca Epist. 86. *Nisi Thasius lapis, quondam rarum in aliquo spectaculum templo, piscinas nostras circumdedit*.

Sed ut a commemoratione earum rerum abstineam, & ad alia stylum vertam, quis ille & quam fœdus mos Romanorum, qui vino tenuiore vomitus provocabant, ut majorem ciborum appetentiam excitarent. Seneca lib. Quare viris bonis, &c. c. 3. *quidquid biberint, vomitu remetientur tristes, & bilem suam regustantes*. Martialis:

*Non cœnat prius, aut recumbit,*
*Quam septem vomuit deunces.*

Juvenalis Satyra 6.

—— *de quo sextarius alter*
*Ducitur ante cibum, rabidam facturus orexim,*
*Dum redit, & loto terram ferit intestino.*
*Marmoribus rivi properant, aurata Falernum*
*Pelvis olet: nam sic tanquam alta in dolia longus*
*Deciderit serpens, bibit & vomit*. ——

Non obstupescis ad hanc mulierum lasciviam, de quibus ibi apud Satyricum sermo est. Bene igitur mores earum carpit alibi:

*Paucæ adeo Cereris vittas contingere dignæ,*
*Quarum non timeat pater oscula*. ——

Seneca quoque de intemperantia mulierum loquens, ad Lucilium, *Non minus*, inquit, *potant, & oleo & mero viros provocant, æque invitis ingesta visceribus per os reddunt, & vinum omne vomitu remittunt*.

Hactenus de luxuriosa Romanorum gula, quorum projecta hæc helluandi cupiditas, velut Pandoræ pixis erat, ex qua tot genera morborum velut agmine facto proruperunt, multasque hominibus his, abdomini suo deditis, avarus venter ærumnas creavit. Quapropter Juvenalis, acerbe ævi sui mores, lautorumque ingeniosam gulam castigans, dicit ex nimia ventris repletione, plerosque exitiales morbos contraxisse, & celerius fatum sibi appropeRasse, *Satyra* 1.

*Pœna tamen præsens, cum tu deponis amictus*
*Turgidus, & crudum pavonem in balnea portas.*
*Hinc subitæ mortes, atque intestata senectus,*
*It nova nec tristis per cunctas fabula cœnas,*
*Ducitur iratis plaudendum funus amicis.*

Imitatus est, existimo, Persium, qui Satyra 3. idem dicit, videlicet ex nimia repletione stomachi, in conviviis obrepere tremores, & mortes subitas sequi:

*Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur,*
*Gutture sulphureas lente exhalante Mephites.*
*Sed tremor inter vina subit, calidumque trientem*
*Excutit e manibus, dentes crepuere retecti,*
*Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.*
*Hinc tuba, candelæ, tandemque beatulus alto*
*Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,*
*In portam rigidos calces extendit*. ——

Seneca ad Lucilium: *Multos morbos multa fercula fecerunt*.

Sed quis est, qui ignorat, mortales fragilitatis suæ immemores, ob nimiam ciborum varietatem & abundantiam tot tamque gravia salutis suæ discrimina adiisse. Quapropter non inconcinnus ille Romanorum mos fuisse perhibetur, qui inter luxuriæ apparatum, lascivientiumque delicias conviviorum, omnes genio liberius indulgentes, mortis commonefacere voluerunt. In cœna illa lauta & oppipara Trimalcionis apud Petronium: *Larvam argenteam attulit servus, sic aptam, ut articuli ejus vertebræque locatæ, in omnem partem flecterentur. Hanc cum super*

A *super mensam semel iterumque abjecisset, & catenatio mobilis, aliquot figuras exprimeret, Trimalcio adjecit:*

*Heu heu nos miseros, quam totus homuncio nil est.*
*Sic erimus cuncti postquam nos auferet Orcus,*
*Ergo vivamus dum licet esse bene.*

Mos his, puto, manavit ab Ægyptiis, de quibus Herodotus lib. 2. sic habet: *Apud locupletes eorum, quum multi convenerunt, & a cœna discessum est, circumfert aliquis in loculo mortuum e ligno factum, sed pictura & opere verum maxime imitantem, longitudine cubitali omnino aut bicubitali, ostendensque*
B *singulis convivarum ait: In hunc intuere, pota & oblectare, talis post mortem futurus.* Certe ritus hic, nostro ævo hominibus lautis non adeo acceptus jucundusque foret, remanet tamen in quibusdam religiosorum virorum Cœnobiis, qui ad excitandam humanæ fragilitatis memoriam, inter viles, & abjectos olusculorum apparatus, cranium humani cadaveris computrefactum, apponere consueverunt. Ferunt etiam, Domitianum Imperatorem cœnam sepulcralem, & convivium quoddam larvale exhibere solitum. Ejus hypotyposim excerpsit e Dione Xiphilinus, apud quem sic me legisse memini:
C *Apparavit ædes nigerrimas ex omnibus partibus: erant enim atra laquearia, parietes, ac pavimenta, in eoque sedes nudæ eodem modo collocatæ erant. quibus paratis rebus, convivas de nocte introduci jubet, absque comitibus: ac primum omnium, juxta unamquamque columnam collocat, factam instar sepulchri, in qua nomen ejus scriptum erat, pendebatque de ea lychnuchus parvus, ut assolet in monumentis: tum nudi pueri, atramentoque obliti, tanquam spectra quædam ingrediuntur, ipsosque horribili saltatione circumeunt, eoque facto ante pedes ipsorum consistunt, ad extremum, omnia quæ in exequiis mortuorum adhiberi solent, in vasis eodem modo ipsis apposita fue-*
D *runt.* Hæc Xiphilinus. Miror Suetonium, qui nihil ea de re ad memoriam nostram transmiserit, diligens ille alias scriptor, & minutorum observator, hæc vero non difficulter nosse poterat. scribit enim se sub Domitiani Imperio adolescentulum fuisse, imo nonnulla etiam in ea ætate positum annotasse. Sed a tragico & in terrorem composito apparatu, ad alia veniamus.

Magnificos cœnarum apparatus, quæ unquam diserte oratio explicare poterit? hic Romana floret luxuria, & per tot Legum obstacula pertinaciter erumpens, victrix triumphat. Quid profuere Le-
E ges in luxum conviviorum latæ? Taceo legem Orchiam, quæ omnium antiquissima, Fanniam, Liciniam, Syllanam, Æmiliam, Antiam, Juliam. (*Vide Gellium lib. 2. cap. 17.*) Prætereo frequentia Imperatorum edicta, quæ omnia obstinata luxuria, & vitiorum concordia irrita fecit. Atque vel hinc corruptæ Reipublicæ judicia agnoscas, vetus enim verbum est: Leges bonæ ex malis moribus procreantur: & recte etiam divinus Plato alibi dicit: Ubi plurimæ leges, ibi plurimæ lites, & mores improbi.

De Musica ad mensas illas tam oppiparas, præcedenti capite dictum est, superest, ut demonstrem
F Romanos plus æquo Musicæ studiosos fuisse. Neque id meis verbis declaraturus jam venio, sed Ammiani Marcellini libro 14. qui de suo ævo sic inquit alibi: *Paucæ domus studiorum seriis cultibus antea celebratæ, nunc ludibriis ignaviæ torrentes exundant, perflabili sono, vocali tinnitu fidium resultantes. Denique pro Philosopho cantor, & in locum Oratoris doctor artium ludicrarum accitur, & Bibliothecis sepulchrorum ritu, in perpetuum clausis, organa fabricantur hydraulica, & lyræ ad speciem carpentorum ingentes, tibiæque & histrionici gestus instrumenta non levia.*

Inspice etiam cruentum illud Neronis Imperium, quam multi fæda ac servili adulatione incitati, Principis illius cytharœdi & cantoris, ignavissimos mores secuti sunt. Vide etiam distinctissimum Mæcenatem (*Seneca*) cui amoribus anxio, & morosæ uxoris quotidiana repudia deflenti, somnus per symphoniarum cantum, ex longinquo longe resonantium, quærebatur. Nimium quoque canendi studium, perstrinxisse videtur Horatius, in Epistola ad Augustum illo loco libro 1.

*Venimus ad summum fortunæ: pingimus atque*
*Psallimus, & luctamur Achivis doctius unctis.*

Catoni apud Macrobium Saturnal. 3. cap. 14. Cantare, res non serii hominis videtur. Sed id severe nimis & censorie, quod apud alios certe non inter turpia numeratum est, si suo tempore & modo fiat. A Cantu & Musica ad Saltum transeo.

Gaditanæ puellæ lascivis illis saltatiunculis convivas recreabant. sed quanta postmodum copia fuerit harum mimarum saltatricum, edisserat Ammianus, qui libro supra citato sic inquit: *Quum peregrini, ob formidatam haud ita dudum alimentorum inopiam, pellerentur ab urbe præcipites, sectatoribus disciplinarum liberalium impendio paucis, sine ulla ratione extrusis, tenerentur mimarum asseclæ veri, quive id simularunt ad tempus, & tria millia saltatricum ne interpellata quidem.* Nec vero existimes hæc tantum fuisse Ammiani ævo luxu & vitiis corruptissimo, ecce & jucundissimus Horatius hanc ætatis etiam suæ labem magnopere insectatur:

*Motus doceri gaudet Ionicos*
*Matura virgo, & fingitur artibus*
*Jam nunc & incertos amores,*
*De tenero meditatur ungui.*

Quid vero jam inquies, si dixero & illo tempore saltatorios ludos Romæ, apertos fuisse, quo probitas nondum ab urbe exulavit? Et profecto tempore illo quod inter duo bella Punica intercessit, ad scholas has tam infames, ingenuæ puellæ, & ingenui Senatorum filii ultro commeabant. Macrobius libro citato, profert fragmentum quoddam eam in rem, ex Oratione Scipionis Africani Æmiliani, contra legem judiciariam Tiberii Gracchi, ubi sic scriptum habetur: *Docentur præstigias inhonestas, cum cinædulis & sambuca psalterioque eunt in ludum histrionum, discunt cantare: quæ majores nostri ingenuis probro esse voluerunt. Eunt, inquam, in ludum saltatorium, inter cinædos, virgines puerique ingenui. Hæc cum mihi quisquam narrabat, non poteram animum inducere, ea liberos suos nobiles homines docere, sed cum ductus sum in ludum saltatorium, plus medius fidius in eo ludo vidi pueris virginibusque quingentis. In his unum (quo me Reipub. maxime misertum est) puerum bullatum petitoris filium, non minorem annis duodecim, cum crotalis saltare: quam saltationem impudicus servulus honeste saltare non posset.* Matronæ etiam ipsæ saltationem non inhonestam putabant, & inter probas earum erat quoque saltandi cura, dummodo non curiosa usque ad artis perfectionem. Sic Sallustius Semproniam reprehendit, non quod saltare, sed quod optime sciret, cum inquit: *Psallere, saltare elegantius quam necesse sit probæ.*

Non tamen antiquis illis temporibus tanta puellis virisque saltandi lascivia fuit, quemadmodum postea jam corruptæ urbis mores in deterius vergentes, adolescentum lacertos effeminarunt. Non

viriliter illi corpus suum inflectebant, sed ipso incessu molliter se infringentes, ultra muliebrem etiam lasciviam fluctuabant: *Tenero & molli ingressu suspendimus gradum, non ambulamus*, inquit Seneca.

Sed ne te amplius, Lector erudite, in lascivientis Romæ deliciis detineam, tempus est, ut operi meo finem imponam. Vidisti fatalis luxuriæ ingeniosa ac sumptuosa inventa, & pro magnitudine Imperii, certe admiranda. Libuit Romanis Orbis universi opes temerario impetu profundere ac dissipare, sed dolendo profecto exitu. Cum enim illi omnibus pæne populis fræno injecto, veteris continentiæ immemores, voluptatibus ac lascivia emarcescunt, victos pristinæ fortitudinis recordatio tetigit, qui imbelle ac effœminatum Imperium aversati, jugum non difficulter excusserunt, & cæteras nationes ad ingentis ruinæ diripiendas reliquias, spoliaque repetenda convocarunt. Luxus est, qui tot tantaque scelera in Urbem dominam invexit, quæ (dicam audacter) egregio illi virtutum splendori, nebulam induxerunt. Fatetur id

A alibi Ammianus, (*lib. 15. ubi de potentia & magnitudine urbis Romæ ait.*) *Per omnes tamen quotquot sunt partes terrarum, ut domina suspicitur & regina, & ubique Patrum reverenda cum auctoritate canicies, populique Romani nomen circumspectum & verendum. Sed læditur hic cœtuum magnificus splendor, levitate paucorum incondita, ubi nati sint non reputantium, sed tanquam indulta licentia vitiis ad errores lapsorum & lasciviam.* Sic Paupertas virtutum mater Imperium fundaverat, Luxuria vitiorum genitrix evertit.

Tu quisquis jam Romanæ potentiæ umbram intueris, & curioso oculo rudera Urbis dominæ in-B vestigas, velim super quassatas Capitoliorum moles, & ingentes Amphitheatrorum ruinas, illud inscribas:

HOMINVM LVXVS. FASTVS.
DELICIÆ.
QVÆ IMPERIA IMMORTALIA ESSE
NON SINVNT;
HEM QVO REDEVNT.

# FINIS.



# JOACHIMI JOHANNIS MADERI

DE

# CORONIS, NUPTIARUM PRÆSERTIM, SACRIS ET PROFANIS LIBELLUS.

# JOACHIMI JOHANNIS MADERI
## DE
# CORONIS, NUPTIARUM PRÆSERTIM, SACRIS ET PROFANIS
## LIBELLUS.



A Veterum libros evolventi, non potest non exploratum esse, coronarum sive τῶν στεφάνων usum, prout eadem definiente *Heraclide Pontico* in Homericis Allegoriis pag. 149. edit. Basil. 1544. κυκλοτερὴς τῆς κεφαλῆς κόσμος, sive *circularis capitis ornatus* est, in omnibus ferme populis ac gentibus insignem atque B illustrem fuisse olim, longeque qua publice, qua privatim frequentiorem, quam hodie vel apud nos, vel apud alias existit nationes. Passim enim, ut de publicis iisque sacris gentilium ritibus exordium capiam, in illis memoratum deprehendas, quod Patrum doctissimus *Tertullianus* suo de *Corona militis cap.* 10. libello quondam breviter est complexus: *In Deorum antiquitatibus, solemnitatibus & officiis, ipsas fores, ipsas hostias & aras, ipsosque ministros & sacerdotes fuisse coronatos*. Quorum omnium rationem exhibere nobis C accurate potuisset ab eodem laudatus præstantissimus in hac materia commentator, *Claudius Saturnius*, qui & *origines & causas & species & solemnitates earum ita edisseruit, ut nullam gratiam floris, nullam lætitiam frondis, nullam cespitem aut palmitem, non alicujus capiti tradiderit consecratum*; nisi una cum quamplurimis aliis Doctorum monumentis, illum temporum injuria nobis invidisset. Hodie defectum istum suppleret fortassis *Caroli Paschalii* ab eruditione & elegantia nusquam non commendatus *de Coronis* liber, si modo & hoc, quam diligentissime a me D requisitum, at nuspiam inventum opus, Typographorum aliquando opera publicæ rursum luci donaretur, atque ab interitu vindicaretur. Quemadmodum & a *Jacobo Waræo* Equite Aur. in Disquisitionibus *de Hibernia & ejus antiquitatibus* cap. 21. citari video *Prosperi Stellartii* librum *de Coronis & Tonsuris* Paganorum, Judæorum, Christianorum; tum a *Johanne Gerhardo Vossio* in Etymologico LL. pag. 160. *Tylesii de Coronis* libellum, itidem inventu amplius difficilia & propterea mihi non visa. Permulta vero de memora- E to coronarum in sacris usu tractatibus suis inseruere, qui *de Sacrificiis veterum* singulari studio sibi sumsere scribendum *Clarissimi Viri*: & præter hos *Natalis Comes* Mytholog. lib. 1. cap. 01. *Paulus Aringhus* Romæ Subterraneæ lib. VI. cap. 49. *Jacobus Gutherius* lib. IV. de Vet. jure Pontif. cap. 2. *Petrus Taffinus* de Vet. Roman. anno seculari lib. 1. cap. 10. & 13. Certe coronæ nomen hinc ex eo credidit appellatum *Isidorus* Hispalensis Episcopus, lib. 19. Etymolog. cap. 30. *quod in initio circum aras currerent, atque ad imaginem vel circuitus vel chori & formatam & appellatam coronam.* A quo etymo non abludit ab *Apione* libro de *Lingua Romana* producta vox χορωνὸς, uti idem coronam olim, auctoritate *Simonidis* fretus, appellatum fuisse scripsit, ἀπὸ τοῦ τοὺς χορευτὰς ἐν τοῖς θεάτροις αὐτῷ χρῆσθαι, *quod Choreutæ*, sive saltatores scenici, *ea in theatris uterentur*; adducente utriusque verba illo Græcorum Varrone *Athenæo, lib.* XV. *cap.* 8. eademque in Animadversionibus suis emendante & illustrante incomparabili Viro *Isaaco Casaubono*.

Et sicuti aliis simul Diis Deabusve alias oblatas & consecratas videre est coronas, & peculiariter *Cereri* (quæ *Isidis* nomine *Herodoto, lib.* 2. *cap.* 156. *Apollodoro, lib.* 2. *pag.* 62. aliisque testibus, ab Ægyptiis colebatur, & ipsa juxta *Phornutum pag.* 85. *edit. Basil.* 1528. spicis inducebatur ornata) tanquam frugum inventrici spiceas, quas pro templorum foribus appendebant, (tametsi non Dii tantum diebus ipsis dicatis coronis honorati, sed etiam bruta animalia, propter illos: Quomodo apud Celtas *die natali Dianæ canes* coronatos refert *Arrianus* lib. de Venat. cap. 37. & illud νωθρὸν ὄνων γένος *Vestalibus sacris* panibus coronatum, scribit *Lactant.* lib. 1. cap. 21.) ut ex his *Tibulli* manifestum est, lib. 1. Eleg. 1.

*Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona*
*Spicea, quæ templi pendeat ante fores:*

Ita non absurde in mores nostrates instuctum opineris, ut singulis messibus etiam hodie apud nos patribus familias de omnis generis frugibus confectas ejusmodi coronas, *den Erndte Krang* offerant atque in domibus suspendant operæ. Quomodo in Gallia appropinquante messe *Johannis Baptistæ* imaginem spicea corona exornari notat *Carolus Hannibal Fabrottus* ad L. *Nullus omnino*. Cod. Theodos. de *Paganis, sacrificiis & templis*: qua cum simul Impp. *Arcadius* & *Honorius* omnem plane coronandi superstitiosum & idola-

tricum morem sustulerint, ejusdem pag. 36. edit. Paris. 1618. qui vult, & *Jacobi Gothofredi* ad eam pag. 16. edit. Genev. 1616. aureolas *notas* uberius potest consulere.

Quod vero *Apollo* cumprimis gestare inter Deos fingeretur coronam *duodecim lapidum pretiosorum*, ut *Albricus* pag. 314. edit. Commel. 598. retulit de Deorum imaginibus, sive duodecim magnorum radiorum,

*Quod totidem menses, totidem quod conficit horas*,

ut lib. 2. de Nuptiis Philolog. & Mercurii *Martianus* loquitur *Capella*; id quod *Hieronymus Aleander* in Explicatione *Tab. Heliacæ*, pag. 5. & seqq. edit. Paris. 1617. pluribus persequitur: Hinc & *Latinus* Rex apud *Virgilium*, utpote etiam ex *Hygini* mente, Fab. 127. *Apollinis ex Circe nepos*,

*Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum*
*Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,*
*Solis avi specimen.* lib. 12. Æn.

Et a Principibus Romanis pro Diis haberi volentibus, affectatus nonnunquam, seu delatus ab aliis, idem honos est; ut de *Julio Cæsare* ex *L. Flori* lib. 4. cap. 2. & *Dionis* 44. de *Gallieno* vero ex *Trebellio Pollione* pag. 316. edit. Lugd. Bat. 1621. cognoscere datur, & *Thomas Demsterus* testimoniis hinc inde congestis *Paraleipomenis ad Rosinum* pag 41. edit. Genev. 1641. firmat. Quamvis non putem accedendum *Johannis Pierii* opinioni lib. 41. cap. 25. in *Hieroglyphicis* propter *similitudinem*, *quam* CORNU RADIUSQUE *inter se habere videntur*, ab illo coronam derivanti; uti nec Græcum hoc etymon a *Cœlio Rhodigino* lib. 6. Antiq. Lect. cap. 19. adductum, quispiam facile probaverit: *In Græcia primum coronarum auctorem fuisse Stephanum; quo argumento etiam Græcorum lingua rei sit conciliatum nomen*. Siquidem στέφανος παρὰ τ[ὸ] στέφω, *cingo, circundo, est*, ὅθεν ἐστεμμένος ἀντὶ τοῦ κυκλούμενος, ἢ κύκλῳ περιειλημμένος, explicante interprete ejus *Eustathio*, ponit *Dionysius* in Descriptione orbis, vers. 408. *Peloponnesum* asserens, κόλποις ἐναλίοις ἐστεμμένην ἔνθα καὶ ἔνθα: perinde ut *Vetus Geographus* pag. 16. edit. Genev. 628. a *Gothofredo* editus, πᾶσαν Αἰγύπτου χώραν, dicit, ἐστεφανωμένην Νείλῳ; & *Jornandes* sub initium Historiæ Geticæ, pag. 79. edit. Hamb. 611. *Citeriorem pelagi ripam totius mundi circulum in modum coronæ ambire*. Qua notione etiam *circulus* pro *corona* in *sequioris ævi Scriptoribus* (vide *Helmoldum* lib. 6. cap 2. & ibid. not. *Henrici Bangerti*) quandoque legitur; ut in *Chronico* MS. *Montis Sereni* sub anno 1158. *Dux Bohemiæ concesso sibi ab Imp. Friderico circulo, Rex nominatur*; cujus loco *diadematis* vocem usurpant *Radevicus* & *Abbas Urspergensis*, eandem historiam enarrantes: idemque capitibus ipsorum Impp. visitur circumpositus in *numismatis Antonini & Constantii* apud *Laurentium Pignorium* in politissima *Mensæ Isiacæ expositione*; pag. 23. & seqq. ubi præterea hunc ornatum insequentium deinceps Impp. moderatione & tacito omnium consensu Deo & sanctis ejus in totum cessisse docet: de quo & *Tractatus de Pileo cæterisque capitis tegminibus tam sacris quam profanis* ab *Anselmo Solerio* editus, Lugdun. 1655. sub finem contra *Lazium* & *Scaligerum* verbose disputat.

Sane si quis coronæ originem in universum cum gentilibus a Diis ipsorum, sive *Jano*, sive *Saturno*, vel *Baccho*, vel etiam *Prometheo*, deducere contendat, næ ille frustra hunc laborem suscipiat, nisi cum πολυμαθεστάτῳ *Johan. Gerhardo Vossio* lib. 1. de *Orig. & progressu Idololatriæ*, cap. 18. & 19. de *Noacho, secundo*, ut *Nazianzeno* appellatur, *hujus mundi parente*, ista nomina explicare & intelligere velit: præsertim cum jam ante omnes illos apud *Josephum*, φιλαληθέστερον rerum tam externarum quam Judaicarum Scriptorem, lib. 2. Antiquit. cap. 5. *Pharaoni Ægyptiorum Regi* diadema videas attributum. Quod cum ab eo Moisi adhuc puerulo, sed a filia ejus adoptato, imponeretur, hic idem malo præsagio pedibus scribitur calcasse; Refert ex Josepho etiam *Michael Glycas* Annal. part. 11. pag. 206. & *Gothofrid. Viterb.* part. 5. pag. 114. Et *David*, qui ante *Homerum* aliosque gentilium extitit Theologos, devicta Ammonitarum gente 2. Sam. 12. *tulerit diadema* (τὸν στέφανον) *regis ipsorum de capite ejus, pondo auri talentum, habens gemmas pretiosissimas, quod impositum est super caput David.* Ipse Saulus primus populi Israelitici monarcha, gestavit diadema, quod itidem στέφανον exprimit *Josephus*, lib. 7. Antiq. c. 1. τὸ βασίλειον sive *regium insigne, Septuaginta*: idque occiso eo, *ab Amalekita illius percussore, allatum ad Davidem* legitur eodem secundo *Samuelis* libro cap. 1. Eamque regum Judaicorum coronam illud penu eruditionis & scientiæ *Clemens*, Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, libro 2. Pædagogi, magnifice extulit, in hanc sententiam, pag 176. edit. Paris. 641. Βασιλεῖς δὲ οἱ Ἰουδαίων χρυσῷ καὶ λίθοις τιμίοις συνθέτῳ καὶ ποικίλῳ χρώμενοι στεφάνῳ, οἱ χριστοὶ τὸν χριστὸν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς συμβολικῶς ἐπιφερόμενοι, λελήθεσαν κεφαλῇ κοσμούμενοι Κυρίου. Λίθος γέ τοι τίμιος, ἢ μαργαρίτης, ἢ σμάραγδος, αὐτὸν αἰνίττεται τὸν λόγον· χρυσὸς δὲ αὐτὸς πάλιν ὁ ἀδιάφθορος λόγος, ὁ τὸν ἰὸν τῆς φθορᾶς οὐκ ἐπιδεχόμενος. χρυσὸν γοῦν αὐτῷ γεννηθέντι βασιλείας σύμβολον προσεκόμισαν οἱ Μάγοι. μένει δὲ ἀθάνατος ὁ στέφανος οὗτος κατ' εἰκόνα τοῦ Κυρίου. οὐ γὰρ μαραίνεται ὡς ἄνθος. *Reges Judæorum ex auro & gemmis composita & varia corona utentes Christi vocati, Christum in capite symbolice gestantes, imprudentes capite Domini ornabantur. Lapis quidem certe pretiosus, vel margarita, vel smaragdus, ipsum Verbum significat. Aurum autem rursus est ipsum Verbum ab interitu alienum, quod corruptionis virus minime recipit. Atque ipsi quidem nato aurum obtulerunt Magi, quod regni symbolum. Manet autem hæc corona immortalis ad imaginem Domini. Non enim veluti flos flaccessit.*

Et de diademate quidem & coronis, ut regni symbolis, cum ad reliqua festinemus, adeat cui volupe est, *Julium Cæsarem Bulengerum* lib. 2. de Imperatore & Imperio Rom. cap. 3. *Alexandrum ab Alexandro* lib. 1. Genial. dierum cap. 72. pag. 32. *Barnabam Brissonium* lib. 1. de Regio Persarum principatu, *Josephum Stephanum* Episc. Ortolanum, cujus in hanc rem facientia relata etiam cernas in Itinerarium Italiæ *Francisci Schotti & Hieronymi ex Capugnano* Vicentiæ editum, anno. 1601. part. 2. pag. 176. Cæterum quibus modis ex mente Plinii Nat. Histor. l. 16. cap. 4. propagatus credatur illarum honos, ex his ipsius verbis palam fit: *Antiquitus*, inquit, *nulla quidem nisi Deo dabatur* (corona.) *Ob id Homerus cœlo tantum eas & prælio universo tribuit, viritim vero ne in certamine quidem ulli. Feruntque primum omnium Liberum patrem imposuisse capiti suo ex edera. Postea Deorum honori sacrificantes sumsere, victimis simul coronatis. Novissime & in sacris certaminibus usurpatæ, in quibus hodie non victori datur, sed patriam ab eo coronari pronunciatur. Inde natum, ut etiam triumphaturis darentur in templis dicandæ: mox ut & ludis darentur*. Nempe satis superque constat coronas vel in Deorum honorem diebus iisdem dicatis hilaritatis gratia impositas, vel hominibus e-

gregiis, atque optime de virtute meritis, honorarii quasi loco donatas. Unde *Paulus* ex *Festo*, p. 42. edit. Parif. 1576. eas inde nuncupatas censet, *quod coboнerent eos quibus imponuntur*: & τὸ ϛεφανῶν ἀντὶ τιμᾶν apud Græcos frequenter usurpatum fuisse, jamdudum testes laudans *Demosthenem, Lycurgum, Theopompum* atque *Menandrum*, in Lexico suo tradidit *Harpocration*. pag. 237. edit. Parif. 1614.

Hinc in sacris illis quatuor coronariis & lustralibus Græcorum certaminibus, victoribus athletis constituta præmia sunt

—— *κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.*

ut *Archiæ* Poetæ habet Epigramma; sive ut *Lucianus*, ille Deorum hominumque irrisor, *Dialogo περὶ γυμνασίων*, pag. 189. edit. Salmur. Tom. 2. Ὀλυμπίασι μὲν ϛέφανος ἐκ κοτίνου, Ἰσθμοῖ δὲ ἐκ πίτυος, ἐν Νεμέᾳ δὲ σελίνων πεπλεγμένος, Πυθοῖ δὲ μῆλα τῶν ἱερῶν Θεοῦ. *In Olympiis corona oleagina, in Isthmiis pinea, in Nemeis ex apio concinnata, in Pythiis poma Deo sacrat.* & *Pausan.* in Phocicis commemorante, pag. 622. edit. Hanov. 1613. *δάφνης ϛέφανος*, seu *laurea corona*. (De corona alia in Græciæ civitatibus de Republ. bene meritis, cum publico præconis elogio, attributa lege Casaub. ad Athen. lib. 12. cap. 3. Item de aureis coronis in commissionibus Romæ usurpatis, Lipf. Cent. 2. ad Belg. Epist. 100.) Præter quæ licet nihil secum domum reportarent, tamen gloria eos manebat tanta, ut *Venusinus ille vates* Ode 1. lib. 1. Carm. Olympionicas *ad Deos* usque *terrarum dominos* adeptione *palmæ* sive victoriæ dicat *evehi*; & *Cicero* in eo pro *Flacco* memoret: *Apud Græcos Olympionicen esse, prope majus & gloriosius habitum, quam Romæ triumphasse. Nobilibus Athletis*, inquit, *Vitruvius* in præfat. lib. 9. *qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea vicissent, Græcorum majores ita magnos honores constituerunt, ut non modo in conventu stantes cum palma & corona ferrent laudes, sed etiam revertentes in suas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in mœnia & in patrias inveherentur, e reque publica, perpetua vita constitutis vectigalibus fruerentur. Nutrire* enim non ignorabant (ut hic a Cassiodoro lib. 2. Var. 16. etiam nonnulla mutuer) *præmiorum exempla virtutes, nec quenquam esse, qui non ad morum summa nitatur adscendere, quando irremuneratum non relinquitur, quod conscientia teste laudatur.* Quo de ex professo eruditissimus *Faber* in Agonistico, *Erasmus Schmidius* prolegomenis in Olympionicas, Pythionicas, &c. *Pindari*, *Edvvardus Simsonius* in Chronico Cathol. ad A. M. 3229. & 3423. Junge his Jul. Cæf. Bulenger. lib. de Circo cap. 54. Joh. Argolum & Nicol. Pinellum ad Onuphr. de Circ. c. 3. Hinc etiam victoribus Poetis, (qui & ipsi poemata sua in laudem virorum præstantium composita, nonnunquam coronas nuncupabant, ut lib. 8. Var. *Muretus* cap. 1. ostendit. De Poetis coronatis multa etiam apud Vossium legas lib. de Art. Poet. Nat. cap. 10.) cum primis in Isthmiis & Pythiis, tributæ coronæ (quemadmodum & deinceps in Latio) a judicibus, adeoque ipsis nonnunquam Imperatoribus; in quo ritu explicando, præeunte tamen ipsi *Theodoro Marsilio*, pag. 3. edit. Parif. 613. suis in *Persium* notis, multus est *Michael Piccartus*, Altorfinæ quondam Academiæ singulare decus, Oratione singulari *de Commissionibus & coronatione Poetarum veterum*: pag. 199. edit. Lipf. 1614. deducitque inde una cum aliis hodiernum Poetas coronandi morem *Nicolaus Henelius* in Otio Uratislaviensi cap. 13. Athenis ἐν τῇ τῶν χοῶν ἑορτῇ, festo Baccho sacro, præmium erat *corona* ex foliis contexta ei, *qui primus mensuram certam ebibisset*. *De quo Meursius in Græcia*

A *Feriata* sub voce Ἀνθεϛήρια. Ne quid dicam de notissima illa coronarum militarium apud Romanos varietate, qua incredibili gloriæ cupiditate juventutem ad studia virtutis sua sponte currentem magis ac magis inflammabant: *Imperatorum* quidem e lauro primitus, mox auro; *Obsidionali* Ducum e gramine; *Civica* e fronde querna; *Murali, Castrensi* & *Navali* itidem aureis, & *Ovali* myrtea: quarum descriptio obvia est apud A. *Gellium* Noct. Attic. lib. 5. cap. 6. *Onuphrium Panvinium* libello de Triumpho; *Carolum Sigonium* de Antiquo jure provinciarum lib. 2. cap. 10. *Johannem Rosinum*, Antiq. Rom. lib. 10. cap. 27. *Guidonem Pancirol-* B *lum* Rerum deperd. tit. 55. & ad eum *Henrici Salmutbi* comment. *Johannem Schefferum* de Milit. navali lib. 4. cap. 4. Adde *Flav. Blondum* lib. 10. Rom. Triumph. *Job. Tortellium* in Comment. Gramm. sub voce *Stemma*. Ut nihil hoc magnopere attineat loco eadem reponere. Scilicet victoriæ signum coronam semper habitam etiam illa *Sozomeni* de Juliano Desertore indicant: lib. 5. cap. 2. *Fama est quodam tempore ei viscera animalis inspectanti, signum crucis in eisdem apparuisse corona circumdatum, & nonnullos, qui ejus divinationis erant participes, in metum conjectos esse; quippe qui inde con-* C *jicerent, religionem Christianam deinceps vires acquisituram, & doctrinam Christi perpetuo duraturam.* CORONAM *enim crucis signo circumjectam tum* VICTORIÆ INDICIUM *esse, tum* ÆTERNITATIS, *propterea quod in rotundum ambitum ducta, omni ex parte initium habet, & in se ipsa desinit.*

Quare, ut profanis sacra identidem, non indecore fortassis, misceamus, sanctissimi *Apostoli* & in illis potissimum illud Vas electionis *B. Paulus*, compellantes sui temporis Christianos, quorum & animis & oculis memorati agones & præmia quotidie observabantur, sæpiuscule ab iis similitudi- D nem desumere, & *certamen in hac vita præclarum decertantibus*; 2. Timoth. 4. verf. 8. *legitime certantibus*; Ibid. cap. 2. verf. 5. *tentationem tolerantibus*; Jacob. 1. verf. 12. *justitiæ coronam, vitæ coronam, immarcessibilem gloriæ coronam*, promittere consuevere. Eundemque morem sancta quoque Dei Ecclesia deinceps retinuit, dum beatissimos martyres,

*Quos nec catenæ, dira mos nec terruit,*
*Unicum Deum fateri sanguinis dispendio,*

E ut cum *Prudentio* loquar, & Psalm. 115. verf. 5. *quorum pretiosa mors in conspectu Domini fuit) martyrii certamen*, ait, *consummasse, post multos agones superatos martyrium complevisse; gloriosi certaminis cursum implevisse*; item, *martyrii palmam promeruisse; nobili martyrii corona decoratos, gloriosissime coronatos esse*: uti plena sunt ejusmodi locutionibus eorundem *Acta* & *Martyrologia*. Quin etiam ipsi SS. Quadraginta martyres Cappadoces, (Verba sunt Martyrolog. Rom. sub. IX Martii.) (*qui tempore Licinii Imp. apud Sebasten Armeniæ sub Præside Agricolao post vincula & carceres teterrimos, post cæsas lapidibus facies, frigidissimo hyemis tempore supra* F *stagnum rigens pernoctare nudi sub dio jussi sunt, ubi gelu constricta eorum corpora disrumpebantur, ac demum crurifragio martyrium consummarunt*) non aliis quam gymnasticis hujusmodi in humillima illa oratione sua ad Deum utuntur verbis: Basilius M. Encom. in illos Martyres p. 86. edit. Mogunt. 1604. *Τεσσαράκοντα ἐσήλθομεν εἰς τὸ ϛάδιον, οἱ τεσσαράκοντα ϛεφανωθείημεν, δέσποτα, μὴ λείψῃ τῷ ἀριθμῷ μηδὲ εἷς. Quadraginta in stadium ingressi sumus utinam & quadraginta simul, o Domine, coronemur nec deficiat ab hoc numero ne unus quidem.* Post

quæ *clavicularius* (ut alia habent eorundem *Acta*. Edidit hæc cum Basilii Orat. Gerhardus Vossius e pervetusto MS. passionario Biblioth. Vatic.) qui *Basilio*, ὁ τὴν φυλακὴν τῶν μαρτύρων πεπιστευμένος, cui martyrum custodia concredita, *apertis divinitus oculis super eos lucem adspiciens, curiose intentus, vidit per eandem lucem descendere triginta novem coronas super eos:* (nam unus ex ipsis, *martyrium nequaquam tolerans*, ad balneum stagno proximum interea confugerat) quo permotus, *& ipse repente abjectis indumentis in lacum se projecit, & alta voce Christianum se esse confessus est*. Ut ipsis eorum sepulchris hinc non immerito non appinxerint solum, vel insculpserint multiplici forma, (Vide ejusmodi sepulchrales martyrum coronas in Pauli Aringhi Roma subterranea Noviss. lib. 6. cap. 49. sed & appenderint multoties sutiles sive plectiles coronas: adque perennem præoptatamque beatissimæ lucis felicitatem adumbrandam, qua jugiter eorundem animæ in cœlis coruscant, incenderint iisdem *lampades*: quas etiam hodie apud nos, quanquam in paucis adhuc Ecclesiis ejusdem instar referentes, tamen nemo non *coronæ* vocabulo cohonestat.

Quod privatum illarum attinet usum, primum se nobis offerunt veterum CONVIVALES; dum non tantum pocula iisdem exornarent, (quod *Vina coronare*, & *Coronis inumbrare poculorum ora*, quam elegantissime vocant *Virgilius* atque *Lucretius*; Vide Oberti Gifanii Indicem ad Lucretium Dionys. Lambinum ad Oden 11. lib. 4. Carm. Horat. & alibi. στέφειν τὰν κελέβαν φοινικέῳ οἰὸς ἀώτῳ, sive, *cingere calicem purpurea ovis lana*, Theocritus Idyll. β) sed ipsi etiam convivæ, mensis præcipue secundis, jacerent, quemadmodum *Ovidius* canit, lib. 9. Metam. fab. 3.

*Inter plena meri redimiti pocula sertis.*

Quem morem impii quoque apud Judæos in idola & ritus gentilium declinantes, ut *Cornelius a Lapide* censet, usurparunt, libro *Sapientiæ* cap. 2. attestante, ubi ita sese mutuo alloquuntur: *Venite, & fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter. Vino pretioso & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Imo quod sint, qui ab hoc plane capite ac fonte coronarum inventionem arcessant, Apollodorus & Andreas. ap. Athen. lib. 15. cap. 5. quod veteres potui magnopere dediti, cum ad capitis dolores sedandos, nullum præsentius experirentur remedium, quam ut arctis vinculis tempora ligarent, primum ex lana linove ejusmodi ligamina confecerint; quorum utilitas deinde homines excitarit, ad decus & ornamentum tam salubri invento conciliandum, & fascias illas floribus perveстiendas, sive coronas ex hedera, myrto, rosis, aliisque fragrantibus herbis excogitandas, quæ & odore, colorumque varietate, sensus oblectarent, ac simul vi refrigeratoria incendium vini & ciborum levarent. Quam in sententiam Compendium illud eruditionis *Plutarchus* 2. Symposiacῶν, cap. 1. pag. 647. Tom. 2. *Bacchum*, ait, *non ea tantum ratione medicum esse habitum, quod vinum invenit, medicamentum validissimum & suavissimum; sed quod hederam quoque facultate sua vino maxime resistentem in honore habendam esse docuit, eaque bacchantes coronavit, ut minus a vino læderentur, hedera suo frigore ebrietatem restinguente.* Tum & deinceps, cum coronarii, qui στεφανηπλόκοι sunt Apollonio Dyscolo, Hist. Comment. cap. 45. nulla salutarium ratione habita, bellissimas tantummodo herbas innecterent; ne vulgus promiscue quibusvis uteretur floribus, *apud Græcos de Coronis scripserunt Mnestheus & Callimachus Medici quæ nocerent capiti*; teste iterum *Plinio* lib. 22. cap. 2. Eoque procul dubio fecerunt ab *Athenæo* citati *Philonidis*, *Apollodori*, *Ælii Asclepiadis* atque *Myronidis* de *Coronis & Unguentis* libri, quod crescente in dies luxu, non tantum corpus universum hisce perluerent; (ad quam perfusionem Salvius Otho imperator, *aureas atque argenteas fistulas* excogitavit, quibus superne impluentia unguenta accumbentes quasi de improviso irrigaret Plutarch. in Galba pag. 1061. Neroni etiam tribuit Sueton. 2.) sed etiam ex auro atque argento folia coronarum tegerent, easque unguinibus pretiosis perfunderent; *quasi parum esset odoribus florum a natura elargitis perfrui, nisi & illam vincere, aut saltem dehonestare tentassent*, ut gravissime commentatur *Hieron. Mercurialis* lib. 3. Var. Lect. cap. 9. Præter quem de universo hoc bibendi, coronandi, & ungendi instituto, etiam *Lipsium*, si vacat, adi, lib. 3. Antiq. Lect. *Polydorum Virgilium* lib. 2. de invent. rer. cap. 17. *Stanislaum Kobierzycki* de Luxu Rom. cap. 10. *Johan. Philippum Thomasinum* lib. de Tesseris hospitalitatis cap. 18. *Johannem Argolum* ad lib. 1. *Onuphrii* de Lud. Circens. cap. 16. *Barthium* Animadvers. ad *Claudiani* Gildon. bellum v. 184. Quandoque in solemnibus conviviis etiam fercula sunt coronata, & *a coronatis ministris cum tibicine* illata, *quasi quadam non deliciarum, sed numinis pompa*: quem peculiariter acipenseri obvenisse honorem, ut pisci pretiosissimo, *Archestratus*, apud Athen. lib. 7. cap. 12. Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 16. *& Sammonicus Serenus* prodidere. Circumdabant autem coronas non capiti tantum, sed & pectori applicabant convivæ, quas Poetæ, si *Athenæum* lib. 15. pag. 688. audimus, ὑποθυμιάδας appellavere, ἀπὸ τῆς τῶν ἀνθῶν ἀναθυμιάσεως, *a florum exhalatione*, non, ut quidam existimarunt, ἀπὸ τοῦ τὴν ψυχὴν θυμὸν καλεῖσθαι: narratque Scholiastes Apollonii Rhodii (quem *Sophoclem Grammaticum* esse autumat *Johan. Meursius ad Hesychii* opuscula, pag. 197. edit. Lugd. Bat. 1613.) ad lib. 2. Argonauticῶn, vers. 15. pag. 159. edit. Lugd. Bat. 1641. antiquos διὰ τὸ θυμηδὲς τοῦ τριμεροῦς ψυχῆς *tripliciter coronis fuisse usos*; cum alias *superius capiti* imponerent, alias *ad tempora & supercilia usque* deprimerent, alias *collo* circumligarent. Εχρῶντο, inquit, τῷ στέψει τριχῶς· ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, ἐπὶ τοῦ μετώπου, ἐπὶ τοῦ τραχήλου τιθέμενοι τοὺς στεφάνους. Coronas illas toties reponebant, quoties potaturi; vid. Martialem lib. 9. Epist. 94. Matenesium de ritu bibendi ad sanit. lib. 1. cap. 7. De qua consuetudine *Poeta* quispiam *vetus* satis festive interpretatus est FUNEREAS coronas, quibus apud gentiles defuncti condecorabantur; (quas hic alias, ut loco alieno, & a *Johanne Kirchmanno* lib. 1. cap. 2. & lib. 4. cap. 3. aliisque Excellentibus Viris Anton. Augustin. de leg. pag. 195. & Fulv. Ursin. ibid. p. 257. Adr. Turnebo ad 2. Cic. de LL. pag. 163. luculenter tractatas, omnino statueram prætermittere) quod nequaquam eas mortuis convenire arbitraretur, nisi eo modo comparati, recta statim ad convivia, quæ Græcis συμπόσια, h. e. *compotationes*, proficiscerentur. Versus ejus perelegantes conservavit nobis Vir admirandæ lectionis & judicii *Johannes Stobæus* in nunquam satis laudato *Eclogarum* opere, pag. 889. edit. Franc. 1581. Sermone cui titulum fecit, σύγκρισις ζωῆς καὶ θανάτου, ex quo eos in *Lectionibus sacris*, sic emendatos exhibere voluit *Cl. Rittershusius*, lib. 7. cap. 1.

Οὐ μὲν

Οἱ μὲν γὰρ ἄτως ἄν ποτ' ἐστεφανωμένοι
Προὐκείμεθ' ἄνθεσ', ὐδὲ κατακεχρισμένοι,
Εἰ μὴ καταβάντας εὐθέως πίνειν ἔδει.

*Nunquam sic coronati proponeremur in funeribus, nec unguentis delibuti, nisi statim ut descendimus, bibere oporteret*. Quanquam hac in parte mirabile sit illud *Pomponii Melæ* lib. 2. pag. 82. edit. Basil. 1595. de Hyperboreis asserentis, *Diutius eos, quam ullos mortalium, & beatius vivere, ubi eos vivendi satietas, magisque tædium cœpit, hilares redimitos sertis semetipsos in pelagus ex certa rupe præcipites dare: id eis funus eximium esse*. Uti non minus admiratione, si non & risu dignum est, quod *B. Hieronymus* Epist. ad *Ageruchiam* viduam tom. 1. pag. 105. edit. Paris. 1602. sua memoria, cum in chartis juvaret *Damasum* Romanæ urbis Episcopum, contigisse scribit, *Vidisse se duo inter se paria vilissimorum e plebe hominum comparata; unum qui viginti sepelisset uxores, alteram quæ vigesimum secundum habuisset maritum, extremo sibi, ut ipsi putabant, matrimonio copulatos. Summam omnium fuisse expectationem, virorum pariter ac feminarum, post tantas rudes, quis quem prius efferret. Vicisse maritum & totius urbis populo confluente coronatum & palmam tenentem per singulos sibi acclamantes, uxoris multinubæ feretrum præcessisse*.

Quod vero, vel victoriæ, vel lætitiæ, vel honoris, vel etiam perfectionis indices haberentur coronæ, hinc factum, ut & in NUPTIIS, de quibus hic agere cum primis instituimus, non postremum sibi locum vendicarent. Voce videlicet στέφειν πλήρωσιν quandam sive plenitudinem significari; τὸ δὲ πλῆρες τέλειον εἶναι libro de *Convivio* Athen. lib. 15. pag. 674. quondam Apex ille Philosophorum docuit *Aristoteles*. Unde & τέλος apud *Hesychium* dicitur ὁ γάμος, ἀπὸ τοῦ εἰς τελειότητα ἄγειν, *propterea quod humanæ vitæ perpetuatio nuptiarum merito perficeretur*; sicuti, huc fortassis respiciens, reddidit Eruditorum maximus, *Julius Cæsar Scaliger*, lib. 3. Poet. cap. 100. & προτέλεια apud eundem Lexicographum, ἡ πρὸ τῶν γάμων θυσία καὶ ἑορτή: tum Juno illa matrimoniorum præses, ex quo Γαμηλία Ἥρη, item *Juga* & *Jugatina*, vocabatur etiam Τελεία, quasi matrimonium absolvens; cui inter reliquas Deas, sicut traditum *Eusebio Pamphili* est, l. 3. de Præp. Evang. sponsi sponsæque cumprimis sacrificabant, *sed felle demto, ac juxta altaria infosso; quo omnem a matrimonio bilem atque iracundiam abesse debere* significarent. Vide Voss. lib. 2. de Idol. cap. 26. Alardum ad Valer. Flac. pag. 551. Meursium lib. 5. Græc. Fer. in προτέλεια. Quare licet & alias *a Julio Polluce* lib. 5. cap. 16. scriptore optimo, & Commodi Imp. æquali, inter muliebris mundi nomina στεφάνη reponatur, juxta illud *Homeri*, Il. Σ pag. 323. edit. Basil. 1551. καὶ δ' αἱ μὲν πλεκτὰς στεφάνας ἔχον: ubi & hujus *Scholiastes*, qui *Didymi* circumfertur nomine, explicat κόσμους γυναικείους χρυσοῦς, περὶ κεφαλὴν κειμένους: qua ratione *Lucianus* quoque, Dialogo *de Amoribus*, tom. 1. pag. 1058. de matronarum ornatu verba faciens, καὶ στεφάνη μὲν, ait, ἐν κύκλῳ τὴν κεφαλὴν περιθεῖ, λίθοις Ἰνδικαῖς διάστερος. *etiam corona caput in orbem ambit, gemmis Indicis stellata*: tamen idem ille lib. 3. *Onomast*. cap. 3. quo de nuptiis, & quæ eo pertinent, agit, Καλοῦνται, inquit, καὶ δᾶδες νυμφικαὶ, καὶ στέφανος, καὶ στολή. *dicuntur & faces quædam nuptiales, & corona, & stola*. Quod ipsum antequam pluribus demonstro, non prætereundus mihi videtur amatorum ritus antiquissimus, τὰς τῶν ἐρωμένων θύρας coronis exornantium. *Coronant valvas illorum, quos amant* (denuo sunt verba doctissimi veterum auctorum compilatoris lib. 15. pag. 670. e ver-

A sione *Dalechampii*) *honoris causa, perinde ac templi cujusdam Dei vestibulum, non quidem illis quos amant, sed Amori Deo coronas dicantes; aut quod illum, quem amant, imaginem putant Amoris Dei, ædesque hujus delubrum, eorum limini, quos amant, coronas appendunt*. Confer. Casaubon. ad Persium, pag. 452. Theodor. Marsil. ad eund. pag. 164. Figrelium de Statuis cap. 35. Petitum lib. 6. Miscell. cap. 1. Solebant nempe amicarum fores, quas in*udas* denominat *Persius*, Sat. 5. vers. 165. ut *Veteres glossæ* in eundem notant, *unguento perfundere & ante januam illarum noctem vigiliis & cantu transigere*, quod ᾄδειν τὸ παρακλαυσίθυρον vocant
B Græci, Plutarch. in Amator. pag. 753. *occentare ostium* vero Plautus; apud quem item in *Curculione*, Act. 1. Sc. 2. & *Horatium* od. 10. lib. 3. venustissimum ejus reperire est exemplum: ac tandem cum diu satis excubuissent ibi, corollas quas in capite gestabant, in limine dissipatas relinquere, aut januam iisdem decorare. quod & *Lucretius* lib. 4. pag. 144. suavissimis hisce versiculis aperit;

*At lacrymans exclusus amator limina sæpe*
*Floribus & sertis operit, postesque superbos*
*Ungit amaracino & foribus miser oscula figit*.

C At ipsis nuptiis singulariter dicatam fuisse coronam, vel ex eo patet, quod, uti in publica lætitia, sic & *ad illarum honorem*, ut *Vetus Juvenalis interpres* ad verba mox subsequentia Sat. 6. vers. 79. scribit, solerent

*Ornari postes & grandi janua lauro*.

Vide Tertull. lib. 2. ad Uxor cap. 6. ad quem vide Rigaltii observat. Lipsium lib. 1. Elect. cap. 3. Quod præter quam plurimos alios, quorum vel nomina longum recensere, simul *Statius Papinius* in
D Epithalamio pag. 20. edit. Antwerp. 613. *Stellæ & Violantillæ* confirmat, inquiens:

*——jam socialia præsto*
*Omnia: jam festa fervet domus utraque pompa:*
*Fronde virent postes, & fervent compita flammis*.

Et *Hierocles* Pythagoricus, pag. 219. ed. Londin. 655. asserens, *eos qui propter magnitudinem dotis, aut excellentiam formæ, aut aliis istiusmodi de causis ducti, ceu malis consiliariis usi, in perniciem suam nuptias celebrant*, θύραις κατεστεμμέναις, *coronatis foribus, sibi ipsis tyrannum introducere*.

E Introducebatur & Hymenæus, ille *Catullo*, pag. 31. edit. Commel. 1600. celebratus *dux bonæ Veneris, boni conjugator amoris, præcinctus roseo tempora vinculo*, uti *Seneca* de eo in *Medea*, Act. 1. vers. 70. sive rosis, tanquam amoribus dicato flore, coronatus; quo pacto etiam *Bion* in Epitaphio *Adonidis* pag. 314. edit. Vignon. 1584. illi una cum face attribuit στέφος γαμήλιον. Itemque Lar familiaris Deus, quanquam & alias *ipsi pro copia supplicarent, singulisque Kalendis, Idibus, Nonis, festus cum dies esset, coronam in focum inderent*, ut *Catonem de Re rustica*, pag. 66. edit. Commel. 1620 etiam præ-
F cepisse videmus, nuptiali tamen die felicis ominis causa præcipue exornabatur. *Plautus* Aulularia Act. 2. sc. 8. (vise ibi Taubm. & Jac. Gutherium lib. 4. de Vet. jure Pontif. cap. 6.) sic propterea *Euclionem* suum inducit loquentem:

*Nunc thusculum emi & has coronas floreas*
*Hæc imponentur in foco nostro Lari*
*Ut fortunatas faciat gnatæ nuptias*.

Ipse jugalis thalamus. Auct. Etymol. pag. 441. ἐν ᾧ εἰσέρχεται ἥτε νύμφη καὶ ὁ νυμφίος, cum vestibus purpureis constratus, tum sertis ac coronis redimitus comparebat: qua ratione apud *Himerium* in Procemio τοῦ Επιθαλαμίου, pag. 51. edit. Steph. 1567. Ερωτες ῥόδων στεφάνους πλεξάμενοι, οὓς ἐξ Αφροδίτης κήπων, ὅταν θέλωσι, δρέπονται, τὴν παστάδα ἀνάπτουσι. *Amores e rosis coronas nectentes, quas e Veneris hortis, cum volunt, decerpunt, nuptiali thalamo circumponunt.* Tum etiam, quandoquidem *Varrone* apud Serv. ad Eclog. 8. Virgil. atque *Acrone* ad Horat. od. 2. lib. 3. magistris, *cum facibus nuptiæ fiebant vesperi*, quæ quinque numero præferebantur a pueris patrimis & matrimis, a sponsæ matre apud Græcos, ut in tanta *Notarum* copia ad *Veteres scriptores* latere haud facile quemquam potest; has ipsas nuptiales faces, sive *geniales* vel *jugales tædas*, ut *Silio* appellantur, moris erat corona circumdare, quemadmodum clarissimis verbis *Seneca Tragicus* in Thebaide, Act. 4. vers. 505. (vide ibi Farnabii notas: tum Johan. Livineium not. ad Chrysost. hom. de Virgin. tom. 6. pag. 446. Rosinum lib. 5. Antiq. cap. 37. & ibid. Dempsterum, Delrium ad Sen. Octav. vers. 142.) ubi Jocasta mater objicit Polynici:

*Non te duxit in thalamos parens*
*Comitata primos, nec sua festas manu*
*Ornavit ædes, nec sua lætas faces*
*Vitta revinxit.*

Atque adeo ipsis convivis ad nuptiale epulum Athenæus lib. 5. cap. 1. τῶν τε γαμηλίων θεῶν ἕνεκα, καὶ τῆς οἱονεὶ μαρτυρίας, *tum in honorem nuptialium Deorum, tum testimonii gratia*, convocatis, non vice simplici solum, sed sæpius quandoque distributæ coronæ; ut *in nuptiis Carani* non tenuis census Macedonis: sicut *Hippolochus Macedo*, idem sub init. lib. 4. Epistola ad *Lynceum Samium*, æqualem suum & studiorum in *Theophrasti* schola consortem, pluribus prosecutus est. Athenis insuper Atticis enarrante Zenobio vel Zenodoto Centur. 3. Proverb. 98. consuetudo hæc vigebat, ut in *nuptiis puerum aliquem puberem, cujus uterque parens viveret, circumferrent, spinis ac glandibus quernis coronatum, & vannum panibus repletam; qui diceret identidem*, Εφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον, *Effugi malum, inveni melius*: quo & argestem ac priscum victum missum factum denunciarent, reperta frugum esca mansuetiore; & *sponso sponsæque bene ominarentur, tanquam ad meliorem usque fortunam profecturis*, Confer. Diog. Cent. 4. Erasmum Rot. in Adag. Saniore dubio procul instituto, quam illud *Abydenorum* fuit, qui *in conviviis ac solemnibus epulis post unguentum & coronas pueros dissuaviandos circumgestabant, quibus plorantibus, & nutricibus tumultuantibus, molestia accumbentibus crearetur*, ut idem *Zenodotus* ex *Eudoxo*, & *Suidas* in Αβυδηνῶν ἐπιφόρημα.

De sponso vero coronato idem hic Grammaticus in Collectaneis suis & *Michael Apostolius* Cent. 13. num. 81. ad proverbium Νυμφίου βίον ὑμεῖς ζῆτε, *Sponsi vos vitam vivitis*. (quod ex Aristophanis ὄρνισι ab illo desumtum esse, monet magnæ eruditionis vir Andreas Schottus suis in Græcorum Adagia scholiis pag. 491. edit. Antw. 1612.) Οἱ γαμοῦντες, inquiunt, ἐστέφοντο σισύμβροις καὶ φυτοῖς τισι πρὸς τὴν γάμων ἡμέραις. *Qui uxorem ducebant sisymbrio & aliis quibusdam stirpibus inter nuptias coronabantur.* Et illa Latina Siren Casina, Act. 4. sc. 2. *Sed eccum progreditur cum corona & lampade.* Apud Zonaram tom. 1. annal. pag. 120. edit. Basil. 1557. *Cyaxares Medorum Rex filiam suam ad Cyrum Persarum regem mittit, cum aurea corona, armillis, torque, & veste Medica pulcherrima.* καὶ ἡ μὲν παῖς ἐστεφάνου τὸν Κῦρον, *Et puella quidem coronabat Cyrum. Cyaxares vero, Hanc*, inquit, *Cyre, filiam meam uxorem tibi do, & totam Mediam doti dico. Neque enim sunt mihi mares liberi germani.* Plutarch. Orat. 1. de fort. Alex. tom. 2. pag. 329. Alexander Magnus *centum Persidas sponsas, totidemque Macedones & Græcos sponsos communibus penatibus mensæque eidem adhibuit, primusque ipse* SERTO REDIMITUS *hymenæum orsus, tanquam cantilenam amoris mutui testem accinens, centum copulatis conjugio paribus, unius ipse sponsus, reliquis omnibus auspex simul & pater & moderator extitit.* Cujus etiam cum Roxane nuptias *Ætion* pictor *in Luciani Herodoto* pag. 623. tom. 1. edit. Salmur. 1619. repræsentans, *regem ipsum coronam puellæ* facit *porrigere*; *sponsæ vero assessorem & ducem Hephæstionem astare facem ardentem tenentem, & formoso valde juveni, qui Hymenæus forte, innixum.* Plutarchus tom. 2. p. 138. *in Bœotia sponsam asphara gonia coronatam* tradit; consueverantque ipsæ *matres filias suas* apud Græcos *in nuptiis coronare*, ut manifestum ex *Euripidis* Iphigenia pag. 674. edit. Heidelberg. 1597. est, ubi Clytemnestra ad Achillem, *Coronans*, ait, *filiam adduxi, tanquam nupturam tibi; nunc vero ad mactationem adduco.* Nec aliam causam adscribunt *Astronomici veteres* sideri, quod *coronam* appellavere, quam quod Deorum dono Ariadne Bacchi sponsa eadem primum in nuptiis visa sit coronata. *Hyginus in Poetico Astronom.* pag. 188. edit. Commel. 1589. *Hæc existimatur Ariadnes fuisse, a Libero patre inter sidera collocata. Dicitur enim in insula Dia, cum Ariadne Libero nuberet, hanc primum coronam muneri a Venere & Horis accepisse, cum omnes Dii in ejus nuptiis dona conferrent.* Festus Avienus in Arateis phænomenis, ibidem p. 27.

*Hæc quondam Bacchi monumentum fulget amoris,*
*Hæc Ariadnæi capitis testatur honorem.*

Et *Germanicus Cæsar*, seu quisquis ille, qui itidem *Aratum* carmine Latino transtulit, ibid. pag. 92.

*Clara Ariadnæ propius stant signa coronæ,*
*Hunc illi Bacchus, thalami memor, addit honorem.*

Ad quæ Scholiastes ejus: *Hæc corona dicitur esse Ariadnes, quam Liber astris intulisse dicitur, dum ejus nuptias Dii in insula Creta celebrarent, cogitans præclaram facere, pro qua primum nova nupta coronata est. Festus* in dictione *Corolla*, seu potius Epitomator ejus *Corollam novam nuptam de floribus, verbenis, herbisque a se lectis sub amiculo gestasse*, auctor est: simulque observant Interpretes ad *Valerii Flacci*, Argonaut 8. vers. 235.

*Ipsa suam duplicem Cytherea coronam*
*Induit;*

nuptialem coronam duplicem fuisse, virginales autem simpliciores, *tenues* propterea Poetæ ingeniosissimo I. *de Arte* Ovid. de art. Am. vers. 31. nuncupatas: quas etiam mox nupturas osculo prius dato valere jussisse, apud eundem illum. Argonauticῶν l. 8. vers. 6. scriptorem *Medea Jasonem* sequens docere nos possit: *Ultima virgineis quæ flens dedit oscula vittis.* Imo quod illorum instar, qui artis suæ quam exercere desierant, instrumenta ejusdem artis præsidi Deo sacrabant, etiam nuptæ solitæ sint coronas suas Veneri dedicare, ut in hoc Epigrammate, (vide Heinsium not. ad Horat. pag. 16. edit. Plantin. 1610.)

Τῇ Παφίῃ στεφάνους, τῇ Παλλάδι τὴν πλοκαμῖδα,
Αρτέμιδι ζώνην ἄνθετο Καλλιρόη.

Ευρετο ᾧ μνηςῆρα ὃ ἤθελε, καὶ λάχεν ἥβην
Σώφρονα, καὶ τέκνων ἄρσεν ἔτικτε γένος.

*Has Paphiæ sertas, crinem hunc tibi, maxima Pallas,*
*Dictynnæ hanc zonam Callirroe posuit;*
*Quod placito jam juncta viro est, casteque juventam*
*Transiit, & prolem masculeam peperit.*

Ut omittam, quod sponsa in ædes mariti introducta ἐρίῳ τὴν θύραν περιστέφει τοῦ ἀνδρός, Plutarch. in quæst. Rom. Tom. 2. pag. 271. sive ut Servius extulit ad 4. Æneid. Virgil. *quod nubentes puellæ simul cum venissent ad limen mariti, postes antequam ingrederentur, propter auspicium castitatis ornarent laneis vittis & oleo inungerent: unde uxores dictæ sunt quasi unxores.* Atque si masculam deinceps peperissent prolem, coronam oleaginam ponerent ante fores; pro femellis vero laneas ob lanificium. Hoc namque similiter obtinuisse, apud *Hesychium* ad verba στέφανον ἐκφέρειν discas, quando inquit: Ἔθος ἦν ὁπότε παιδίον ἄρρεν γένοιτο παρὰ Ἀττικοῖς, στέφανον ἐλαίας τιθέναι πρὸ τῶν θυρῶν, ἐπὶ δὲ τῶν θηλειῶν ἔρια, διὰ τὴν ταλασίαν. Quo & spectat illud Satyrici, Juvenal. Sat. 9. vers. 85.

—— *Foribus suspende coronam,*
*Jam pater es.*

Ad quæ *Johannes Britannicus*: *Orna in lætitiæ signum fores domus frondibus & coronamentis; jam enim filios habes.*

Ac ne quis forte hunc sponsorum coronandorum morem gentilium tantummodo proprium fuisse arbitretur, non vero simul in Dei populo sive Israelitica gente usitatum; is audiat *Regum sapientissimum* in *Cantico* suo (Sixtus Senensis lib. 1. pag. 15.) quo sub sponsi sponsæque metaphora, admiranda mysteria, & ineffabilem Dei erga animam hominis φιλανθρωπίαν complectitur; *Egredimini, filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate,* ἐν τῷ στεφάνῳ, ᾧ ἐστεφάνωσεν αὐτὸν ἡ μήτηρ αὐτοῦ ἐν ἡμέρᾳ νυμφεύσεως αὐτοῦ, *quo coronavit eum mater in die desponsationis illius, & die lætitiæ cordis ejus,* ut *Vulgata* exprimit *versio*: Et *Esajas*, apud quem cap. 61. Prophetiæ, vel si mavis, Evangelii sui, Ecclesia de beneficiis per Christum collatis exultans. *Et indumento justitiæ,* inquit, *circumdedit me quasi sponsum decoratum corona:* in quod *Aquila* citante *Cornelio a Lapide*, quasi sponsus ἱερατευόμενος στεφάνῳ & *Septuaginta*: ὡς νυμφίῳ περιέθηκέ μοι μίτραν. Mitram vero & coronam significare, quamvis generatim ligamen & fasciam ubiubi appositam denotet, (vid. 150. Dausquejum not. ad Q. Calabrum. p. 97.) denuo *Suidas* & *Hesychius* probant, qui διάδημα reddunt, quod hic est σῆμα βασιλέως, κεφαλῶν κόσμος, ἤγουν στέφανος. *Auctor Etymologici Magni*, Μίτραι κυρίως οἱ ἀπὸ φασκιῶν ἢ ὠαρίων γινόμενοι στέφανοι· ἐν καταχρήσει δὲ πᾶς στέφανος μίτρα λέγεται. Quare & *Hector Pintus* in Conimbricensi quondam Academia S. Th. Doctor, *commentario* in eundem pag. 410. edit. Colon. 1615. sic explicavit: *Ita me Christus virtutum ornamentis induit, ac si essem sponsus in nuptiarum splendidis vestibus coopertus & corona decoratus.* Et demum manifesto idipsum colligas ex 3. Machabæorum cap. 4 ubi de Judæis a rege Ptolemæo crudelissime habitis scribit Auctor: *Quæ autem nuper ad conjugalem vitæ societatem thalamum intraverant puellæ, luctus percipiebant pro jucunditate. Harum quoque conjuges cervicibus laqueis coronarum loco* (ἀντὶ στεφέων) *revinctis, in vigente ac juvenili ætate pro convivio ac otio juventutis, reliquos nuptiarum dies trahebant.*

A *Mose adhæc Barcepha* Syro in libro de *Paradiso* cap. 28. ad primas plane Adami Evæque nuptias, (quibus

*Pro thalamo paradisus erat, mundusque dabatur*
*In dotem, & lætis gaudebant sidera flammis,*

ut *Alcimus* lib. 1. de Orig. Mundi, pap. 589. tom. 8. Biblioth. PP. *Avitus* Viennensis Episcopus quondam de iis elegantissime cecinit) originem rei devolvente, dum *Adamum Evam gramine viridissimo coronasse*, ait, *quando eam Deus ad se adduxit.*

Quapropter licet hæc indubitato ita sese habeant, & jamdudum nulla fuerit, hodieque sit, Christiana natio, quæ posthabito ferme in aliis coronarum usu, in nuptiis eundem non retineat; ut etiam in Imperatricis coronatione, exinde sumta quasi similitudine, his Papa eam alloquatur verbis: lib. 1. Sacr. Cerem. Rom. Eccles. pag. 72. edit. Colon. 15. 57. *Accipe coronam Imperialis excellentiæ, quæ licet ab indignis, Episcopalibus tamen manibus capiti tuo imponitur. Unde sicut auro & gemmis redimita enites, ita & interius auro sapientiæ virtutumque gemmis decorari concedat, quatenus post occasum hujus seculi cum prudentibus Virginibus sponso perenni Domino Jesu Christo digne & laudabiliter occurrens cœlestis aulæ ingredi merearis januam* &c. Imo ipsemet Romanus Papa *Innocentius* III. qui *Ottone* IV. magni illius Saxoniæ & Brunsvigæ Ducis *Henrici Leonis* filio, imperante, circa initium sæculi XIII. præfuit, non erubuit *triplicem* illam *mitram* suam, qua etiamnum orbi sese ostentant ejus successores, insolenter inde derivare, quando Serm. III. *de coron. Pontificis* sic de semet loquitur: (vide Itiner. Scotti supra citato loco pag. 178.) *Ecclesia sponsa non nupsit vacua, sed dotem mihi tribuit absque precio preciosam, spiritualium plenitudinem & latitudinem temporalium: magnitudinem & latitudinem utrorumque. In signum temporalium, dedit mihi coronam. Mitram pro sacerdotio, coronam pro regno: illius me constituens in vicarium, qui habet in vestimento & femore suo scriptum: Rex Regum & Dominus Dominantium.* Tamen aliter animatos fuisse veteres Christianos ex *Tertulliano*, *Clemente Alexandrino*, *Minutio Felice*, seculi III. post natum Christum Scriptoribus comperias; utpote qui, quod Ethnici, cum quibus versari tum temporis cogebantur, εἰς τὴν τῶν δαιμονίων ἀχάριστον ὑπηρεσίαν, *in ingratum dæmonum ministerium*, illis & jam olim abusi essent, & adhuc abuterentur quotidie, a coronis plane abstinendum censuerunt.

Minutio namque in Octavio suo inter alia crimina cum Cæcilius paganus objecisset, pag. 12. *Non caput floribus, nec stitis, non corpus odoribus honestatis.* ille pereleganter, pag. 45. edit. Lugd. Bat. 1645. *Auram*, inquit, *boni floris naribus ducere, non occipitio capillisve solemus haurire.* Et Clemens in Pedago suo, cum egregie docuisset, quænam veræ Christianorum sint coronæ: Στέφανον μὲν γυναικὸς τὸν ἄνδρα ὑποληπτέον ἀνδρὸς δὲ τὸν γάμον ἄνθη δὲ τοῦ γάμου τὰ τέκνα ἀμφοῖν, ἃ δὲ τῶν σαρκικῶν λειμώνων ὁ θεῖος δρέπεται γεωργός. στέφανος δὲ γερόντων τέκνα τέκνων δόξα δὲ παισὶν οἱ πατέρες· ἡμῖν δὲ πατὴρ τῶν ὅλων, καὶ ὁ συμπάσης ἐκκλησίας στέφανος ὁ Χριστός p. 180. edit. Paris. 1641. *Mulieris quidem coronam virum esse existimandum, viri autem matrimonium, matrimonii autem flores amborum liberos, quos quidem carnalium pratorum divinus colligit agricola: senum autem coronas filiorū esse filios: filiorum autem gloriam esse patres: nobis autem patrem universorum, & universæ Ecclesiæ coronam Christum esse.* Inter alia etiam hoc argumento abstinentiam ab iisdem suasit, *quod a ratione alienum sit, ut qui audierimus Dominum spinis coronatum, ipsi venerabili Domini passioni per ludum insul-*

*tantes, habeamus capita redimita floribus*. Verba ejus, si quis ulterius forte requirat, hæc sunt: pag. 182. πρὸς γ' ἀλόγιστοι, ἀκηκοότες ἡμᾶς τὸν Κύριον ἀκάνθαις ἐστεμμένον, αὐτοὺς ἐκτρυφῶντας τῷ σεμνῷ τοῦ κυρίου πάθει ἀναδεῖσθαι τοῖς ἄνθεσιν. Unde & permotus fertur fortissimus ille Heros Godefridus Bullioni Comes, & primus post recuperatam A. C. 1100. a Sarracenis urbem Hierosolymitanus Rex, ut *pro humilitatis intuitu & pro reverentia ejus, qui spineam ibi coronam pro mundi salute portarat, Regis diademate insigniri noluerit:* Auctor Magni Chron. Belg. pag. 140. & *Ceolfridus* Abbas Angelicanus *Epistola ad Naitanum* (extat ea apud *Bedam* lib. 5. Hist. Ang. cap. 22. Consule vero de hac tonsura, si placet *Baronium* tom. 1 Annal. ad an. 58 num. 125. *Rittershusium* notis ad Salvianum pag. 592.) Pictorum regem, de tonsura Clericorum rogatus, respondit: *Eos qui vel monachi votum, vel gradum clericatus habent, necesse habere sese arctioribus continentiæ funibus constringere, & coronæ quoque formam, quam Christus in passione sua spineam portavit in capite, ut spinas ac tribulos peccatorum nostrorum portaret & auferret a nobis, suo quemque in capite perferre: ut se irrisiones & opprobria pro illo libenter ac prompto animo sufferre, ipso etiam frontispicio doceant, & coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se, semper expectare, proque hujus perceptione, & adversa mundi contemnere & prospera, designent.*

Cum *Clemente* vero, ut ad priora redeam, facit etiam *Tertullianus* lib. de *Corona* cap. 3. qui & propterea a gentilium connubiis dehortatur, ne illis ea in parte reddamur similes. *Coronant*, ait, *& nuptiæ sponsos, ideo non nubamus Ethnicis, ne nos ad idololatriam usque deducant, a qua apud illos nuptiæ incipiunt. Habes legem a Patriarchis; habes Apostolum in Domino nubere jubentem.*

Ex quo mirari subiit, quomodo *Jacobus Goarus*, Vir undequaque doctissimus, in elucubratissimis ad Græcorum εὐχολόγιον notis pag. 397. ex his ipsis B. Patris verbis potuerit eruere, *Sponsorum coronandorum morem jam ipsius ætate receptum fuisse in Ecclesia*; cum alia omnia potius evincant, & paulo ante eodem libro scripserit Auctor ille florentissimus, *Neminem fidelium coronam capite nosse, omnes ita observare a catechumenis usque ad martyres*. Et postea cap. 14. de mulieribus: *Si nudo capite videri non debet propter angelos, multo magis coronato fortassis tunc illos coronatos scandalizaverit. Quid enim est in capite feminæ corona, quam lena, quam summa lasciviæ nota, extrema negatio verecundiæ, conflatio illecebræ?* Ante Constantini namque ævum Christianos omnia prius vidisses exuere, quæ opinabantur cum fide, quam profitebantur, non congruere, tantum abest, ut *capiti suo munus inferrent*, ut putabant, *idololatriæ*: cum Christianum fieri tum aliud nihil esset, quam mundo renunciare, atque ut idem scriptor in *Exhortatione ad castitatem* loquitur, *semetipsum de seculo exhæredare*. Qua de causa & miles ille, qui citatum sæpius de *Corona* librum scribendi occasionem eidem præbuit, etiam donativum Imperatoris Seveii, militarem scilicet coronam, pio zelo aspernatus est; licet *actus ille coronam gestandi, nullatenus ipsi quiverit aliquam superstitionis labem aspergere*, ut non male censet *Baronius* Annal. Tom. 2. ad annum Christi CI. Pace vero Christianis reddita, cum & in aliis *quantum copiæ accedebat Ecclesiæ, tantum disciplinæ recederet*, ut verissime quondam dixit gravissimus Massiliensium præsul, Salvianus 1. de Avar. pag. 14. edit Norimb. 623. *multaque opus esset Christianis indulgere, qui plerumque jam senes de paganismo ad nostram religionem convertebantur, difficulter ea relinquentes, quibus per omnem vitam adsueverant*, ut recte observat *B. Rhenanus* ad toties laudatum scriptorem, pag. 861. edit. Paris. 1635. quid mirum, si hunc quoque ritum per se innoxium in eandem tum intulerint, præsertim cum ipsos Imperatores ab eis non conspicias abhorruisse. *Hujusmodi* enim *principatus est natura, ut semper subditi ad eos, qui rerum potiuntur sese componant, eaque amare ac consectari soleant, quibus Principem delectari sentiunt*; sicut non ficte scripsit Johannes Damascenus, seu quisquis auctor libri de S. Barlaam. cap. 33. Similia quam plurima congessit Janus Gruterus in Discurs. ad Tacitum part. 1. pag. 47.

Et vero ipsos statim Christianos Imperatores absque ullo conscientiæ angore coronis usos, aperte in Imperialibus *Constantii*, Constantini M. filii, imo ipsius *Constantini*, quæ adhuc extant, *numismatibus* licet cernere: quamvis hunc, *si quando lauras ut exercitus victor in corona gestaret, ad omnem superstitionis memoriam abolendam, eandem Christi nomine insignivisse* velit, & ex ærea corona, apud *Lælium Pasqualinum* reperta, cujus imaginem sub annum CCCLI. num. VII. repræsentat, probare nitatur *Illustris Annalium conditor*. Sane de nuptialibus Imperatoris coronis *Claudianus* Carmine de nuptiis *Honorii* & *Mariæ* pag. 61. edit. Lugd. Bat. 1650. Cythercam fingit hæc mandata dare:

*Tu festas, Hymenæe, faces; tu, Gratia, flores*
*Elige; tu geminas, Concordia, necte coronas.*

Et ex *Zonara* pag. 115. Tom. 3. edit. Basil. 1557. constat, Imperatores nonnumquam eadem die & nuptiali & regia corona uxores cinxisse, nuptiasque celebrasse. Ο βασιλεὺς Θεόφιλος, inquit, τὴν Θεοδώραν ἑαυτῷ συνοικίζει, καὶ ὁμοῦ ταύτην καὶ τῷ γαμηλίῳ στεφάνῳ, καὶ τῷ βασιλικῷ ταινιοῖ διαδήματι. *Theophilus Imp. Theodoram simul & nuptiali corona, & regio diademate ornat, nuptiasque celebrat*. Solemne nimirum apud Græcos erat, ut *si Imperator prius coronatus esset, coronaretur Imperatrix a proprio conjuge suo & Imperatore, quando ducta illa in uxorem, nuptialem solemnitatem peragebat*, sicuti nobis suggerit Georgius Codinus Curopalata, libro de Officiis & Officialibus Magnæ Ecclesiæ & Aulæ Constantinopolitanæ cap. 17. num. 30. De Heraclio vero sic scribit *Paulus Diaconus* in Historia Miscella: lib. 532. edit. Ingolst. 1603. *Ingressus regalia, coronatus est a Sergio Patriarcha in oratoria S. Stephani, in Palatio sita. Coronata vero est eodem die Eudocia sponsa ejus in Augustam, & accepit uterque a Sergio Patriarcha nuptiarum coronas, & uno eodemque die Imperator simul & sponsus ostenditur*. Eaque suis temporibus accommodat non indoctus seculi XV. scriptor *Petrus de Andlo* lib. 2. de *Imperio Rom.* cap. 7. quo de benedictione Reginæ & ejusdem in Imperatricem coronatione agit: & *gloriosissimum Imp. Fridericum III. cum desponsata sibi conjuge, Domina Leonora, serenissimi regis Portugalliæ filia per Nicolaum V. Papam nuptiarum pariter & imperii coronas accepisse; idque soli Friderico post Eraclium Augustum contigisse*, refert. Adi ibidem *Marq. Freberi* notas pag. 185. uti etiam ad *Codinum Jacobi Gretseri* comment pag. 271. edit. Paris. 1625. Et quin etiam in ejusmodi nuptiis regiis populum similiter coronatum choreas egisse apud *Zosimum* lib. 5. animadvertas; ubi Eutropius Eunuchus videns de nuptiis Imperatoris omnia sibi ex animi sententia successisse, χορεύειν τῷ δήμῳ, καὶ στεφανοφορεῖν, ὡς ἐπὶ βασιλικοῖς ἐκέλευε γάμοις *tripudiare populum & coronis uti, veluti in nuptiis Principis fieri consuesset, jussit*. Id quod de exercitu πολλὰ ἔτη, vel simile quippiam accinente, tum patrem Impe-

ratricis floribus & corollis conspergente, (quod honoris genus φυλλοβολεῖν & φυλλοβολίαν dixerunt Græci. Consuli de hoc ritu potest Buchnerus notis ad Venantii hymnum de Resur Domini pag. 29. Casaubon. ad Sueton. Neronem. pag. 493.) & una ad saltandum invitante, denuo paulo ante a nobis adducto carmine nos edocet *Poeta prægloriosissimus*:

*Candidus interea positis exercitus armis*
*Exsultat socerum circum; nec signifer ullus*
*Nec miles flores pluviæ dispergere ritu*
*Cessat, purpureoque ducem perfundere nimbo.*
*Hæc quoque velati lauro myrtoque canebant.*

Et paucis interjectis:

——*Vincire corona:*
*Insere te nostris, contemto jure, choreis,*

Fatetur Gregorius Nazianzenus Epistola ad Eusebium, pag. 131. edit. Ingolst. 1598. quæ in selectis occupat locum 39. lib. 2. instituisse se illis in locis, ubi nuptiis interfuerit, ut patri sponsæ deferretur eam coronandi honos. Στεφανούτω, inquit, πατὴρ, ὡς ηὔξατο. τοῦτο γὰρ καὶ εἴ πω γάμοις παραγεγόναμεν, ἐτυπώσαμεν, ἐκείνων μὲν εἶναι τοὺς στεφάνους, ἡμῶν δὲ τὰς εὐχάς *Pater filiam coronet, ut optavit. Hoc enim & sicubi nuptiis interfuimus, præscripsimus. Nempe ipsorum coronas esse, nostras autem preces.* Scilicet non novellæ, sed antiquæ prorsus institutionis est benedictio matrimonii in Ecclesia. De quo *Frid. Lindenbrog.* in Glossar. ad Cod. ll. Antiqq. p. 1447. *Rittershusius* in lect. sacris lib. 2. cap. 10. *Jac. Pamelius* ad Tertull. notis pag. 258. videndi. Quæ ipsa & consimilia sanctissimorum ejusdem ævi Patrum verba jam tum quidem passim coronarum in nuptiis usum in Ecclesia receptum fuisse arguunt, præsertim, cum & eodem illo seculo IV. virgines devotas sive Deo consecratas amarent *mitra seu mitella ex auro, lana purpuraque context* ad sponsarum imitationem solemni ritu exornare *ut*, veluti explanat Isidorus lib. 2. de Eccles. offic. cap. 17. *honorem sanctificati corporis in libertate capitis ostenderent, atque mitram, quasi coronam virginalis gloriæ, præferrent in vertice*: indicium ejus faciente *Optato Milevitano* lib. 6. adversus Parmenianum, pag. 171. & seqq. edit. Commel. 1599. & ex recentioribus *Hugone Menardo* pag. 212. edit. Paris. 1642. in Notis & observationibus ad B. Gregorii Sacramentorum librum. Epist. 19. Veruntamen pie introductum fuisse, ut tam annulus quam corona nuptialis prius consecrarentur olim oratione sacerdotis, hæc ex Veteribus Liturgiis a Laurentio Pignorio in symbolis Epistolicis producta significat formula: *Benedic, Domine, annulum istum, & coronam istam, ut sicut annulus circumdat digitum hominis, & corona caput: ita gratia Spiritus S. circumdet sponsum & sponsam, ut videant filios ac filias usque ad tertiam & quartam generationem, qui collaudent nomen viventis & regnantis in secula seculorum. Amen.* Et quæ in Ecclesia Græca a Diacono recitari solita ex quodam Rituali MS. (quod *Barberinum secundum* nuncupat) laudatus exhibet *Goarus*: pag. 394. ὑπὲρ τοῦ εὐλογηθῆναι τὰ στέφανα ταῦτα τῇ δυνάμει, τῇ ἐπιφοιτήσει, καὶ τῇ ἐνεργείᾳ τοῦ ἁγίου πνεύματος, τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. *ut benedicantur coronæ istæ virtute, adventu, & operatione S. Spiritus, Dominum precemur.*

Tantum vero increbuit pedetentim illarum in nuptiis usus, ut apud hos eosdem Græcos ipsa quoque nuptiarum solemnia coronarum voce, tanquam a potiore voluerint denominare, quemadmodum ex eodem patet Euchologio, in quo ἀκολουθία τοῦ γάμου, *officium nuptiarum*, & ἀκολουθία τοῦ στεφανώματος, *officium coronationis*, unum idemque sunt: cujus etiam potiora, quandoquidem liber iste paucorum teritur manibus, & tam Germaniæ nostræ, quam Galliæ vicinarumque regionum consuetudines ob peregrinantium hodie frequentiam notiores sunt, quam ut hic pluribus poni mereantur & indicari hoc loco, sed pleraque Latine tantum, haud pigebit adscribere. Εἰ μὲν βούλονται ἐν τ' αὐτῷ στεφανωθῆναι, pag. 385 edit. Paris. 1647. *Siquidem eodem temporis spacio* (quo nempe sponsalia sunt peracta) *voluerint coronari, ingrediuntur in templum sponsi*, cum cereis accensis, præcedente sacerdote cum thuribulo, & canente Psalmum *Beati omnes, qui timent Dominum*. Populus autem in unoquoque versu dicit *Gloria tibi, Deus noster, gloria tibi*. Hæc in Codice Bessarionis Cryptoferrat. hic subjunguntur. Καὶ ἐλθόντες πρὸ τοῦ θυσιαστηρίου ἀπολύουσιν ἀλλήλων τὰς χεῖρας, καὶ ἵστανται πρὸ τῶν ἁγίων θυρῶν· ἀπόκειται δὲ ἐν τῇ θείᾳ τραπέζῃ ποτήριον ἔχον προηγιασμένα, καὶ στέφανα δύο, καὶ ποτήριον ὑέλου πλῆρες οἴνου. *Cumque ad altare pervenerint, manus sibi mutuo dimittunt, & præ sacris foribus stant. In sancta vero mensa poculum præsanctificata continens, repositum est, & duæ coronæ, nec non & aliud vitreum poculum vino plenum.* Post collectam vero a Diacono recitatam, sacerdos aliquot orationes subnectit, alta voce, & in iis hanc denum: *Deus sancte, qui ex pulvere hominem formasti, & ex ejus costa mulierem ædificasti, copulans eam illi in adjutorium simile ipsi, quia sic magnitudini tuæ placuit, non esse hominem solum super terram; Ipse nunc, Domine, emitte manum tuam de sancto habitaculo tuo, & consocia servum tuum N. & ancillam tuam N. quia a te viro coaptatur mulier. Copula eos unanimi consensu*, στεφάνωσον αὐτοὺς εἰς σάρκα μίαν, *corona illos in carnem unam, tribue illis fructum ventris prolis fruitionem. Quia tua est potentia* &c. Et post responsum *Amen*, sacerdos acceptis coronis primo coronat sponsum, dicens: Στέφεται ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ ὁ δεῖνα τὴν δούλην τοῦ θεοῦ, τήνδε, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. *Coronatur servus Dei N. propter ancillam Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: sive ut MS. *Barberinum* ibidem habet: Στέφεται ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ ὁ δεῖνα, στέφανον ἀφθαρσίας, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, *Coronatur servus Dei N. corona incorruptionis in nomine Patris.* &c. Eodem pacto coronatur & femina: & tunc dextram sponsæ manum sponsi dextra conjungit, juxta idem MS. Dein benedicit eis ter, tribus nempe vicibus dicens, *Domine Deus noster, gloria & honore corona illos.* Et postquam prælecta nonnulla sunt, ex Epist. *Pauli* ad Ephes. 5. & cap. 2. *Evangelii* secundum *Johannem de nuptiis in Cana Galileæ*, & aliquot his superadditæ precationes, in medium profertur commune poculum, quod sacerdos distribuit sponsis usque tertio; Viro primum & deinde uxori; & mox alicui reddit, & juxta nonnullorum morem frangit. Et confestim deducens eos, pronubo retro sustinente coronas, (Metrophanes in Confess. Eccles. Orient: *Adest quoque ibidem in propinquo alicubi* ὁ νυμφαγωγὸς, *sponsæ dux, apprehendens coronas verticibus novorum sponsorum impositas.* διδάσκαλος τῆς ὁμοφροσύνης καὶ ἀγαθῆς συζυγίας γενόμενος, ut Simeon Thessalonicensis.) vertitur in circuli sive choreæ formam, cantante simul populo præsentes modulos: *Age chorum Esaja, Virgo gessit uterum, & peperit filium Emmanuel Deum & hominem; Oriens nomen ejus; quem magnificantes, ipsam etiam Virginem beatam dicimus.* Atque tum tollit sacerdos coronas, & sponsi coronam auferens ait: *Magnificare, Sponse, sicut Abraham, & sicut Isaac benedicaris, multipli-*

*ceris sicut Jacob, progressus in pace, & faciens in justitia præcepta Dei.*

Et cum sponsæ coronam detrahit: *Et tu, Sponsa, magnificare sicut Sara, & lætare sicut Rebecca, velut Rachel multiplicare, proprio viro condilecta, legis terminos observans: ita enim Deo complacuit.* Demum subjungitur oratio a sacerdote, qua peracta, ingreditur inde sacerdos, & ipsis bene precantur adstantes, & postquam se osculis mutuo exceperint, fit a sacerdote perfecta dimissio. Licet non ubivis eandem obtinuisse formulam eosdemque ritus, *Codex Bessarionis* pag. 394. in *Variis Lectionibus* ibidem adductus, aperte indicet, quando de actu coronationis in hunc modum: *Coronat utrumque dicens, in viro quidem: Domine Deus noster, gloria & honore coronasti eum. In muliere vero: Domine Deus, gloria & honore coronasti eam. Et dextras eorum mutuo jungens, dicit: Pax omnibus.* Pari vero ratione apud Russos sive Muscovitas coronari sponsos ex *Adami Olearii* Itinerario Muscovio-Persico lib. 3. cap. 8. palam fit, ut & ex *Pauli Oderbornii*, Pastoris quondam in Lituania Evangelici, ad *Davidem Chytræum* Epistola. Excusa hæc anno 1582. ex qua, quod inventu amplius rara est, non possum, quin itidem totam illorum matrimonii rationem adscribam: *Matrimonii contrahendi ratio talis est: Juvenis, si cui favet puellæ, propinquos tres quatuorve ablegat, qui parentes de elocanda virgine interpellent. Hi vero ut vehementius animum proci irritent, nihil illo de negotio confieri posse affirmant: sponsus tali spe frustratus alia rem via aggreditur, tempusque & occasionem venandæ virginis diligentissime observat. Illa vero si forte domo paterna egreditur, ministri in insidiis collocati, incautam & nihil tale timentem in casses sponsi venatoris conjiciunt: quæ simul atque deflorata fuerit, mittuntur alii ad parentes legati, qui partim culpam deprecentur, partim amoris vehementiam accusent. Tum demum parentum impetrato consensu nuptiis dies dicitur. Neque enim illis cohabitare licet, nisi solemnitate publica copulentur. Igitur circa horam noctis undecimam sponsi cum fidibus, facibus & fistulis ad delubrum deducuntur. Ante illorum adventum aliquot vascula sincera, melicrato & cerevisia plena huc advecta sunt. Convivæ itaque utriusque sexus, saltando, ludendo, clamando & ridendo bonam noctis obscuræ partem consumunt. Interea mittuntur certi homines, qui flaminem accersant. Hi plerumque re infecta semel atque iterum, discedunt, idque fit propter temulentiam deplorati sacrificuli, qui vino & somno sepultus jacet. Vulgus interim ducendis choreis occupatur. Postea moræ & absentiæ impatientes illi, qui sponsam affinitate attingunt, flaminis poti domum effringunt, & vi abreptum ad peragenda sacra eundem pertrahunt. Ille dum solito vult fungi officio, nec tamen rectis pedibus consistere potest, sæpe concidit in medio templo. Exoritur inde damnabilis risus & barbaries, ut vix topiner Ethnicos Veneris sacra scurrilius peregisse. Accurrunt illico, qui lurconem teneant, ne collabatur. Tum primum panes sibi debitos adferri jubet. Deinde libro aperto stentorea voce aliquem hymnum Davidicum cantat. Postea intortam sponsi cæsariem manu comprehendens, in hanc sententiam eundem affatur.* Dic mihi o sponse, o frater, o amice numquid hanc teneram fustibus aliquando mulctabis? numquid ægrotam, scabiosam & decrepitam derelinques? *Hic sancte jurat sponsus, se facturum viri boni officium. Ad sponsam igitur sermonem convertens, eam quoque interrogat:* An rei familiaris curam agere? an cœco, curvo & decrepito marito fida velit esse comes? *Adfirmat illa. Mox flamen* SERTO LIGNEO VIRIDI *utriusque caput* CORONAT. *In circumferentia* CORONARUM *de-*

A *scripta sunt Rutenice hæc verba:* Crescite & multiplicamini. *Ille dum hæc agit, inflammantur ab omnibus cereæ candelæ & patera medone spumans sacrifico traditur. Eam novis sponsis uno propinat haustu. Illi simili alacritate evacuant & viro religioso reddunt. Abjecto jam ligneo casiculo ac pedibus contrito novas instituunt choreas. Hic flamen choragus est, cæteri longo ordine eundem insequuntur. Feminæ etiam lupulum in templo spargunt & linum cum tali acclamatione:* Dii nostri tutelares faciant, ne novi conjuges ullo unquam destituantur bono. *Sic tandem tumultuum finis est. Sacrificulus domum reducitur. Convivæ sponsos comitantur, & in tali conventione egregie potant & mœchantur.* B Nec ipsos veteres Borussos coronas in nuptiis ignoravisse ex *Johannis Meletii* ad *Georgium Sabinum* literis (editæ sunt hæ ipsæ una cum superioribus Oderbornii literis sub titulo: De Russorum, Muscovitarum, & Tartarorum religione, sacrificiis, nuptiarum ac funerum ritu &c.) cognoscas, utpote apud quos, *cum nuptiæ celebrabantur, sponsa ter circa focum ducebatur. Deinde in sellam ibi collocabatur. Sedenti super sellam pedes lavabantur. Ea vero aqua, qua sponsæ lavabantur pedes, conspergebatur lectus nuptialis ac tota supellex domestica. Conspergebantur item hospites, qui ad nuptias invitati erant.* C *Postea sponsæ os oblinebatur melle, & oculi tegebantur velamine. Velatis oculis ipsa ducebatur ad omnes ædium fores, quas cogebatur contingere ac pulsare dextro pede. Ad singulas autem fores circumspergebatur tritico, siligine, hordeo, pisis, fabis, & papavere. Qui enim sequebatur sponsam, gestabat saccum plenum omni genere frugum, cumque illam circumspergeret, dicebat:* Nihil horum defuturum sponsæ, si religionem pie coluerit, remque domesticam ea curaverit diligentia, qua debet. *His actis auferebatur sponsæ velamen ab oculis & convivium celebrabatur. Vesperi autem, cum sponsa ad lectum* D *deducenda esset, inter saltandum ei abscindebantur crines: quibus abscissis, mulieres imponebant ei* SERTUM NIVEO LINTEOLO ADORNATUM; *quod uxoribus gestare licebat, donec filium peperissent. Tamdiu enim pro virginibus se gerebant.*

Ut vero ad Græcorum coronas regrediar, non lucrerit operam, qui ipsemet nominatum sæpius Rituale, & doctissimas editoris notationes inspexerit; cum primis, cum idem ille *octo annis in oriente versatus sit, & ita in eorum Ecclesiis fieri oculis perceperit, mente intellexerit, Græcorum quoque ipsorum voce docente didicerit;* ut ipse de se in proœ- E mio libri. Plura enim quæ huc pertinent, hic congerere, supersedeo, posteaquam & in vernalium nundinarum Lipsiensi Catalogo jam *Barnabam Brissonium*, Antonium item & Franciscum Hotomannos, de *Veteri nuptiarum ritu*, & connubiorum jure, titulo tenus hactenus mihi tantum cognitos, evulgari de novo video: & in vicina Julia Excellentissimi Viri D. *Joachimus Hildebrandus* & *M. Johannes Hornejus*, amici mei singulariter colendi, ille quidem in opusculo *de Nuptiis veterum Christianorum*, Helmstad. 1661. multa hujus generis notare; hic vero *Metrophanis Critopuli*, Hie- F romonachi quondam, & Patriachalis primum Protosyngeli, post Patriarchæ Alexandrini, *Confessionem Orientalis Ecclesiæ*, toto capite 12. *de conjugio* ipsorum differentem, edere & Latine vertere, summa cum laude voluere. Id tantum non prætermittendum videtur, quod illi ipsi Græci octavo a nuptiis die, rursus templum adeuntes, coronas sibi e capite solvi tanquam familiæ cura deinceps distrahendi, cum precibus & Eccesiæ benedictione a sacerdote contendant. Cui rei inservire voluerunt peculiarem precatiunculam, pag. 390.

& ſeq. quæ exinde εὐχὴ ἐπὶ λύσιν στεφάνων τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ, ſive ut MS. *Barberinum ſecundum* legit: εὐχὴ εἰς τὸ ἐπᾶραι τὰ στέφανα. *Oratio, cum ſolvuntur coronæ die octava*, vel, *Oratio tollendis coronis*: hæc ſcilicet: *Domine Deus noſter, qui anni coronæ benedixiſti, & has coronas connubii lege ad invicem junctis imponi tradidiſti, velut continentiæ mercedem eis redens, quia puri ad nuptias a te ſancitas convolarunt; Ipſe & in præſentium coronarum depoſitione, copulatis ad ſe invicem benedic; conjunctionem eorum indiviſam conſerva; ut in omnibus ſanctiſſimo nomini tuo grates exhibeant, Patris & Filii & S. Spiritus, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum.* AMEN. Neque, nuptialia convivia etiam diebus ſeptem in Veteri Teſt. continuari conſueviſſe, difficilis conjectura eſt ex illis, quæ de *Jacobi cum Lia* connubio, Geneſ. 25. 27. & *Samſonis* afferuntur *nuptiis*, ſicut & *Auguſtino Torniello* in Annalibus ſacris ad A. M. 2283. num. 1 & 2. & *Oliverio Bonartio* Commentario in Eſther ad cap. 2. num. 170. & ſeqq. operæ pretium monere viſum. Ut non opus ſit cuiquam, quomodo *Goaro* ibidem videtur, hunc morem a gentilibus in Eccleſiam traductum ſuſpicari, apud quos vel Donati ad Terentii Phorm. Act. 1. Sc. 1. teſtificatione, *in nuptiis ſeptimum diem inſtaurationem voti habuiſſe, ut in funere nonum diem, quo parentalia concludebantur*, alias notiſſimum eſt. Sane quod addit, pag. 400. *Græcos cujuslibet ſacramenti vel inſignis beneficii acceptionem per ſeptem alios dies etiam hac ætate memoriæ commendare; eoque ritu Neophytos ſervatis per octo dies candidis veſtibus, octavo die ſolemniter eas in Eccleſia deponere: & Euchariſtiæ in Paſchate perceptæ in celebritatis prorogationem ſeptem alios adſcribi dies*; de eo, uti & hujus nuptialis ſolemnitatis in ſeptem dies continuatione illuſtrem *B. Chryſoſtomi* locum, Sermone de Ebrietate & Reſurrect. Domini; pag. 126. ut ſeorſim hæc excuſa Ingolſtadii eſt. 1595. Ubi cum dixiſſet: Διὰ τοῦτο συνεχοῦς ἀπολαύετε διδασκαλίας καθ' ἡμέραν, διὰ τοῦτο ἑπτὰ ἡμέρας ἐφεξῆς σύναξιν ἐπιτελοῦμεν τὴν πνευματικὴν ὑμῖν παρατιθέμενοι τράπεζαν, ποιοῦντες ὑμᾶς ἀπολαύειν θείων λογίων, ἀλείφοντες ὑμᾶς καθ' ἑκάστην ἡμέραν, καθοπλίζοντες ὑμᾶς κατὰ τοῦ διαβόλου. *Idcirco quotidie continua doctrina perfruimini; idcirco ſeptem dierum ſpatio conſequenter collectam agimus, ac ſpiritualem menſam vobis apponimus; ut noſtra opera divinis eloquiis perfruamini, ut vos ſingulis diebus inſtruamus, atque adverſus diabolum armemus*; ſicut Latinum fecit doctiſſimus *Fronto Ducæus*. Sic paulo poſt pergit Orator pag. 128. ſanctiſſimus: Ἐπὶ δὲ γάμων ἕως ἑπτὰ ἡμερῶν αἱ παστάδες ἑστήκασι, διὰ τοῦτο καὶ ἡμεῖς ἑπτὰ ἡμέρας ὑμῖν ἐνομοθετήσαμεν ἐνταῦθα πρὸς τὰς ἱερὰς ἑστάναι παστάδας. ἀλλ' ἐκεῖ μὲν μετὰ τὰς ἑπτὰ ἡμέρας λύονται· ἐνταῦθα δὲ ἂν θέλῃς διὰ παντὸς ἐπὶ τῆς ἱερᾶς ἵστασαι παστάδος, καὶ ἐπὶ μὲν τῶν ἔξωθεν γάμων ἡ νύμφη μετὰ πρότερον μῆνα, ἢ καὶ δεύτερον οὐκ ἔστιν οὕτως ἐπέραστος τῷ νυμφίῳ. ἐνταῦθα δὲ οὐχ οὕτως· ἀλλ' ὅσῳ ὁ χρόνος πρόεισι, τοσούτῳ θερμότεροι οἱ ἔρωτες τοῦ νυμφίου, τοσούτῳ γνησιώτεραι αἱ περιπλοκαὶ, τοσούτῳ πνευματικωτέρα ἡ συνουσία, ἐὰν νήφωμεν. *In nuptiis vero ad ſeptem dies thalami proſtant. Propterea nos quoque lege ſanximus vobis, ut hic ſeptem dierum ſpatio ad ſacros thalamos ſtatis. Verum illic quidem poſt ſeptem dies ſolvuntur: hic autem, ſi velis, in ſacro thalamo perpetuo ſtare potes. Atque in ſecularibus quidem nuptiis poſt unum vel alterum menſem ſponſa non adeo eſt amabilis: hic vero non ita, ſed quanto temporis fit major progreſſus, tanto ardentiores ſponſi ſunt amores, tanto ſuaviores complexus, tanto ſpiritualior congreſſus; ſi diligentes ac vigilantes ſimus.*

Materiæ, ex qua ejuſmodi plectantur nectanturve hodie coronæ *apud Græcos*, meminit ibidem rurſum Goarus, pag. 397. eas *ex olivæ ramo, candida purpureaque ſeta circumdato (in caſtitatis ſymbolum, & poſteritatis ſanguine propagandæ ſpem) componi; ut exinde filii quaſi novellæ olivarum exſurrecturi promittantur*. *Salomon* vero *Schweigerus* Concionator quondam Evangelicus Domini *Joachimi a Sinzendorffi* Cæſareæ Majeſtatis Legati ad Turcorum Imp. in *Itinerario ſuo Conſtantinopoli-Hieroſolymitano*, ſi *Compendio* hujus nuper *Onoltzbachi* anno 1660. pag. 63. edito, habenda fides, aurea corona, & quidem ſartoris filiam ſuo tempore redimitam fuiſſe, his verbis ſcripſit: *Der Griechen Eheſtand, Welcher fur das funffte Sacrament bey ihnen gerechnet Wird, fanget ſich an auf den Abend. Da Kommendes Brautigams freunde in ſeine Behauſung, alda ſie im eingang mit nardevvaſſer ins Angeſicht geſpruzet, und Wirde confect auffgetragen. Darauff beleiten ſie ihn in der Braut behauſung, deren Vater zeiget den gaſten ihre Koſtlige Kleidung, Geſchmeide und Kleinod. Gibt dem Brautigam das Heyrathgut. Die Braut iſt neben einem Koſtlichen Schmuck mit einer Krone von lotigem Golde gezieret, eines Schneiders Tochter*. Niſi hæc diverſa forte corona eſt ab iſta, quæ a Sacerdote ipſi in Eccleſia confertur. Nam & apud *Moſcovitas* duplicem obtinere coronationem, unam, quæ a ſponſæ procuratrice domi, & alteram quæ a ſacerdote in templo ſuſcipitur, in laudatiſſimo illo Itinerario ſuo, capite & libro deſignatis, indicat *Adamus Olearius*. De priore quidem his: *Darauff Komt der Braut Schvvache (oder Schafferinne) Kammet der Braut Haar, ſo zu Felde geſchlagen, und flechtet ſie in zvveen zopfe, ſezet ihr eine Krone neben anderem zierabt auff, und laſt ſie alſo am Geſichte blos ſitzen.* De poſteriore vero: *Der Pope nimt des Brautigams rechte, und der Braut lincke Aand in Seine beyde Hande, fragt ſie dreymahl, ob ſie ein ander haben und ſich vvohl mit einander begeben vvollen? Wenn ſie das Ja Wort gegeben, fuhrt er ſie alſo in einem Creis rumb, und ſinget den 128. Pſalm, vvelchen ſie als hetanzend ihm Stuckvveis nachſingen. Nach dem Tanz, ſezet er ihnen ſchone Kranz auffs Haupt. Seynd Sie aber Wittwer oder Wittvve, vverden di Kranze auff die Schulter geſezt. Den ſpricht der Pope: Wachſet und mehret euch, und gibt ſie zuſammen mit dieſen Worten: Was Gott zuſammen fuget, ſoll Kein Menche ſcheiden.* A quo tamen ea; quæ paulo ante adducta eſt, *Oderborni* ad *Chytræum epiſtola*, etiam in eo diſcrepat, quod ille *corona lignea viridi utriuſque caput coronari* adſtruat, *in cujus circumferentia deſcripta ſint Rutenice hæc verba*: CRESCITE ET MULTIPLICAMINI. *In Anglia*, juxta Polydorum Virgilium, lib. 1. de Invent. rer. c. 4. *ſpicea corona ſponſa redimita caput; præſertim ruri ducitur, vel manu gerit ipſa coronam, ſeu dum ingreditur domum, boni ominis cauſa ſuper caput jacitur triticum, quod inde conſecutura ſit fœcunditas.*

Cujus vero gratia primario quidem ſumantur & imponantur hæ ipſæ a Chriſtianis coronæ, licet quodammodo adumbret *Anonymus* apud *Novarinum Auctor* Nuptialium aquarum c. 45. *Corona*, inquiens, *principum ac regum geſtamen fuit; quare cum in conjugio vir fiat princeps ac dominus uxoris, & totius familiæ, recte coronatur*: tamen cum hoc ad virum tantummodo, non vero ſimul ad ſponſam referri queat, nos longe rectius inſiſtimus verbis precum ſupra recenſitarum, in Rituali pag. 399. quibus inter alia coronę μισθὸς σωφροσύνης, *continentiæ merces* nuncupantur, ὅτι ἁγνοὶ πρὸς τὸν ὑπὸ θεοῦ νομοθετηθέντα γάμον συνήφθησαν, *quia puri ad nuptias a Deo ſancitas convolarunt*. Atque hæc etiam mens fuit *B. Metrophanis*, qui in dicta *Confeſſione Eccleſiæ Orientalis* pag. 116. propterea in hunc modum ſcribit: Ἡ τῶν στεφάνων ἀνάδοσις βραβεῖον, ὥσπερ τῆς ἐκκλησίας τούτοις βραβευούσης, ὅτι καταπτύσαντες

τὴν κλεψογαμίαν, ἤγουν τὴν πορνείαν, καὶ τὰς μετὰ πολλῶν συνάψεις, τὰς ἀλόγοις ζώοις μᾶλλον πρεπούσας, ἢ λογικοῖς ἀνθρώποις, ηὐδόκησαν εἰς μιᾶ συναφθῆναι κατὰ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ. *Sertorum distributio tanquam præmium victoriæ est, quod ipsa Ecclesia suppeditat, eo quod detestati furtivas nuptias, videlicet scortationem & promiscuos concubitus, irrationabilibus potius animalibus quam hominibus, qui ratione præditi sunt, convenientes, optimum duxerint, ut unus uni secundum voluntatem Dei copularetur.* In quibus B. Chrysostomum videtur secutus Homilia 8. in 1. ad Timot. de juvenibus dicentem:
B Διὰ τοῦτο στέφανοι ταῖς κεφαλαῖς ἐπιτίθενται σύμβολον τῆς νίκης, ὅτι ἀήττητοι γενόμενοι οὕτω προσέρχονται τῷ λιμένι, ὅτι μὴ κατηγωνίσθησαν ὑπὸ τῆς ἡδονῆς. *Idcirco coronæ imponuntur capiti, ut victoriæ signa sint; quod scilicet ante libidini impenetrabiles, ita demum cubile ingrediantur, quia a voluptate superati non sunt.* Et postea de Virginibus: Οὕτω δεῖ ἐκ πατρικῆς οἰκίας ἐξιέναι πρὸς γάμον, καθάπερ ἐκ παλαίστρας, πᾶσαν δὲ ἀκρίβειαν εἰδυῖαν. *Ita decet paterna domo progredi virginem ac matrimonio jungi, quemadmodum ex palæstra luctatorem, ut omnem diligentissime rei familiaris peritiam habeat.* *In agone* scilicet *terreno*, (coronariis illis certaminibus, de quibus sub initium hujus libelli) *qui vincere volebant, abstinebant se a cibis quibusdam, a potu nimio, abstinebant ab omni immunditia, sub tanta castitate, ut etiam propria conjugia non requirerent: nec aliter se vincere posse sperarent, nisi corpus suum castum pudicumque servassent: & post tantum laborem quid aliud quam parvam & corruptibilem, & vilem quidem coronam accipiebant*: Verba sunt *Petri Chrysologi*, Serm. 119. (vixit circa A. C. 440.) Ravennatensium olim Episcopi disertissimi. Hinc non injuria SS. *Patres* ex mente summi illius gentium magistri, 1. Corinth. 9. vers. 25. ita argumentantur: *Si ab illis, qui pro temporali & fragili corona decernunt, adeo castitas excolitur: quanto impensiore studio servanda est pro immarcessibili corona luctantibus*, ut cum aliis *Theologis antiquis*, quos hic mitto, non paucis, quam optime colligit *B. Paulinus*, Epist. 2. ad Severum. Certe non aliam ob causam & *bigamos* quandoque in nuptiis *non coronatos* fuisse indicat κεφάλαιον *Nicephori Confessoris* Patriarchæ Constantinopolitani, circa an. 806. quæque ex *Nicetæ Heracleensis* Responsis in dicto *Rituum libro* referuntur: ἡ ἀκρίβεια τὰς διγάμους οὐκ ἐῶσα στεφανοῦν. *Exacta legum observatio bigamos coronare non est adsueta*: quam quod cum *Athenagora* Philosopho Christiano, Legat. pro Christian. pag. 37. ὁ δεύτερος γάμος εὐπρεπὴς ipsis videretur μοιχεία. Quo pacto Ecclesiæ Doctores de secundis nuptiis judicasse, nemini mirum videri queat, qui secum perpenderit, quam duriter non tantum aliæ gentes, sed ipsi etiam Romani adhuc extra Ecclesiam constituti, de iisdem sentire non dubitaverint: & quam e contrario apud ipsos in honore fuerit monogamia. *Quæ uno contentæ matrimonio fuerant*, ait Valerius Max. lib. 2. cap. 1. *corona pudicitiæ coronabantur. Existimabant enim eum præcipue matronæ sincera fide incorruptum esse animum, qui depositæ virginitatis cubile pudicum egredi nesciret, multorum matrimoniorum experientiam, quasi legitimæ cujusdam intemperantiæ signum esse credentes.* Unde & virginibus legitime nubentibus in auspicium & votum singularis matrimonii pronuba adhibebatur univira. Vid. Scaligerum Not. ad Festum, pag. 146. Isaac. Pontanum in Attic. Bellar. pag. 176. nec in ipsis denique titulis sepulchralibus intactum relinquebatur, si quæ unis sese nuptiis consecrasset,

A id quod in *Veteri inscriptione* apud *Georgium Fabricium* lib. 3. Antiq. pag. 108. invenio; ubi filius superstes matrem defunctam hoc mactat elogio:

RENATUS
VOLVSIAE JVSTAE
MATRI CARISSIMAE
OMNIVM FEMINARVM
SANCTIORI
VNIVIRAE.

Accedebat, quod *plerumque mutato concubitu*, ut D. Ambrosius loquitur Hexaem. 6. *parentes depraventur, prælatis filiis posterioris copulæ, neglectis autem his qui ex priore progeniti sunt.* Quæ & causa fuit Impp. Christianis, cur tot suis Constitutionibus secundas nuptias sibi coercendas existimarint: de quo late scribunt *Marcellus Donatus*, & *Conradus Rittershusius*, ille quidem in ad *Trebellium Pollionem* Dilucidationibus; pag. 713. edit. Venet. 1604. hic vero in *Sacris Lectionibus* & *Expositione Novellarum*, lib. 3. cap. 25. Part. cap. 3. & 4. Atque hinc denuo *Os illud aureum*, Orat. 2. ad Viduam Jun. de non iterando conjug. tom. 5. pag. 607. edit. Lat. cum enumerasset molestias & dolores
C e secundis nuptiis suborientes, interprete *Flaminio Nobilio*, sic tandem de coronis, secundis nuptiis in Ecclesia denegatis, infert: *Quæ quidem omnia cum legislatores animadverterent, & eos qui propterea anguntur* (liberos & propinquos scilicet) *consolari vellent, & simul sui facti rationem reddere, quod non ex principali proposito, neque si utrumvis liceret, hujusmodi matrimonium instituerent, sed tantum metu adducti, ne gravius aliquod malum existeret, SECUNDAS NUPTIAS omni illa splendida pompa spoliarunt. Neque enim tibia, neque hymenæus, neque choreæ, NEQUE CORONAE NUPTIALES, neque aliud quidquam ejusmodi,*
D *vesperam illam ornant. Sed hæc omnia auferentes, sic NON CORONATUM virum ad viduam mulierem adducunt; tantum non per hoc clamantes, quæ fiunt omnia, quidem esse ejusmodi, quibus venia detur, sed LAUDIBUS, CORONIS, PLAUSIBUS, minime digna.* Multo minus convenire putabat Doctor eloquentissimus. Homil 9. in 1. ad Timoth. ut coronam gestaret qui castitate semel prodita libidinosis voluptatibus succubuisset: Εἰ δὲ ἄλως, inquit, ὑπὸ τῆς ἡδονῆς ἑαυτὸν πορνείαις ἐκδῷ, τίνος ἕνεκεν λοιπὸν στέφανον ἔχει, τῆς κεφαλῆς ἡττημένος; *Quod si libidine superatus seipsum meretricibus dederit, cur de reliquo coronatus incedat, ipso capite superatus*, sive, *qui tam fœdæ libidini colla subdiderit?*
E
Finem vero hac vice huic libello imponam, si prius omnium, qui juxta Apostolum in Domino nubunt, gratia, sanctissimo numini supplicavero, & cum Ecclesia Græca, attamen Latina lingua oravero Euchalog. pag. 396. *Corona illos tua gratia, conjunge illos in temperantia & honestate: benedic illis in senectute bona & inconcussa fide: longitudinem dierum illis concede: commoda cuncta illis largire, timorem & cogitationem tui: fructum ventris illis tribue; in filiorum, filiarumque visione illos exhilara;*
F *da illis, in te gloriantibus, Apostolicam vocem iterare*: Honorabile connubium & thorus immaculatus. *Ipse Domine Deus noster, exaudi nos, qui in Cana Galilææ advenisti, & nuptiis ibi celebratis, patratis tua præsentia miraculis, & aqua in vinum mutata benedixisti. Quia benedictum est nomen tuum, & glorificatum est regnum tuum Patris & Filii & Spiritus Sancti, nunc & semper & in secula seculorum.*

F I N I S.

# INDEX

## RERUM ET VERBORUM.

A


Abaci in tricliniis cum vaſis aureis, & argenteis gemmeis. 1376. E
Ablaqueare ap. Varronem ubique ſcriptum, non oblaqueare. 26. B
Ablaqueatio arborum. 26. A. B
Abſolutionis nota quæ. 775. B
Accipiter ſimulacrum victoriæ. 806. F
Acclamationes a theatro & ludis originem habentes, deinde in forum & ſenatum penetrarunt. 517. C
—— tempore ludorum ſecularium. 617. B
Acipenſer in deliciis. 1244. E. 1391. E
—— in menſam inferebatur a coronatis cum cantu tibiæ. 1244. E
Actiaca victoria Auguſti Ægyptiis biennio antiquior eſt, quam ſit triumphus Auguſtalis Romanorum. 298. E
Actio ex ſponſu. 1158. F
Αιδειν τὸ παρακλαυσίθυρον quid. 1416. A
Adorea bellaria. 512. A
Adfinitatis nomina abuſive etiam in adoptione tribuuntur. 1178. D
—— nomina eorumque inter ſe relatio & explicatio. 1198. A. &c.
de Adoptione quæ nuptias vel impedit vel non impedit. 1178. D
per Adoptionem quæſita dignitas emancipatione extinguitur. 1056. A
poſt Adoptionem diſſolutam in directa linea probibitio nuptiarum durat, in tranſverſa remittitur. 1180. D
A lare incipe proverbium. 804. C
Ædes Virtutis & Honoris ubi Romæ & quali ſtructura. 71. B
—— potentiorum quam laxæ quamque patentes ap. Ro. 1364. C
—— privatæ deſcribendæ ad uſum & commoditatem familiæ. 1370. B
—— totæ æſtimatæ ex arbuſculis in faſtigio poſitis. 1240. C
Ædibus an limina ænea appoſuerint Romani. 1352. B
Ædificandi nimio ſtudio laborarunt Romani & quinam præcipue inter eos. 1368. E. &c.
Ædificare caput quid. 1320.
Ædificia eadem tam dextre accommodata, ut tam æſtati quam hyemi convenirent. 1366. A. &c.
—— maxime magnifica quando Romani primum extruere cœperint. 1350. F. &c.
—— Romanorum æſtiva qualia fuerint. 1367. C. &c.
Ædificiorum pretia immenſa ap. Ro. 1365. B. &c.
Ædiles curules frumentum publicum curabant. 967. B
—— pl. quo anno primum creati. 939. A
Ædilis præfectus nundinarum illiuſque officium & munus harum tempore. 688. C
Ædilitas Cæſaris. 942. F
Ædilitia edicta. 688. D
Ædium altitudo. 1239. C. 1358. E
—— altitudo coercita ab Auguſto, modo illi præſcripto. 1240. A
—— altitudo variis Imperatorum edictis præſcripta. 1359. B
—— amplitudo. 1238. E. &c.
—— faſtigium & culmen ejuſque ornatus. 1359. C
—— limina admiranda & quis ea primum marmorea habuerit. 1237. B
—— poſtes, pavimenta, parietes, columnæ, laquearia, trabes. 1237. C. &c.
—— pretum. 1240. B
in Ædium faſtigiis pomaria ac nemora. 1239. E
Ægyptii agri paſſim fundunt cum centeſimo. 973. E
Ægyptii non periti tantum temporis, ſed religioſi. 236. A
Ægyptus quantam frumenti vim quotannis tulerit. 973. E
—— quintam fructuum partem populo Ro. perſolvit. 973. F
—— triplo major Sicilia & eadem multis partibus fertilior. 973. E
Ælius Sejanus & Agrippina quo menſe quoque die e vivis ſublati. 254. B
Æmilius unde dictus & quomodo id nominis ſcribendum. 815. C
Æolus ſymbolum anni. 206. B
—— ταμίας ἀνέμων dictus & quare. 206. C
Æquinoctium in quem diem cujus menſis Cæſare annum emendante inciderit, & in quem nunc temporis incidat. 179. C
de Ærarii Romani opibus. 911. A. &c.
Æs alienum ingens Julii Cæſaris. 1224. D
Æſtatem Attici vocant, quod Latini Ver. 939. B
Ætas Apuleii Philoſophi. 957. A
—— Pauli JCti. 957. B
de Ætate contrahentium. 117. C
Africa una ex tribus frumentariis Provinciis. 971. A
Afros quoſdam & Numidas equites alebant lautiores viri, qui, ſi aliquo extra Urbem eundum foret, iter præcurrerent & agmen ſequentis heri ducerent. 1332. D
Agamemnon quo cujus menſis die ab uxore & Ægyſtho ſit occiſus. 230. C
Ager ſcripturarius, ager publicus. 853. E
Agonalia. 8. D. 12. B. 15. D. 3. C
—— antiquitus Agonia dicta. 795. E
—— etiam Septimontium dicta. 78. B
—— inter ferias ſtativas. 795. E
—— quæ fuerint, & in cujus honorem, tum quo menſe, quoque die celebrarentur. 795. E. &c.
—— quo die celebrata. 78. B. 115. C
Agonium quis dies & ejus etymon. 796. A
Αγορανόμος quis. 788. C
Agri aſſignati qui dicerentur. 840. D
—— quæſtorii qui dicti. 840. B
—— vectigales qui. 837. F. &c.
Aides in Galliæ regno qualia tributa. 917. B
Αἰὼν & γενεὰ, ævum & ætas, trifariam acceptæ voces. 209. A
Alabarchæ qui. 870. A
Alemnnicum quale vectigal. 904. F
Aleæ luſu ingentes opes ap. Ro. perditæ. 1276. A. &c.
Alexandrini pueri maximis in deliciis apud potentiores & quare. 1314. A
Alimentariæ leges. 943. C
Allelengyon e vectigalibus eſt & quale fuerit. 903. C
Alytarchæ qui. 896. C
Ambarvalia quæ ſacra. 51. D
Ampliationis a Comperendinatione quatuor diſcrimina. 775. A
Ampliatorum exemplum ap. Ciceronem. 775. C

Ancilia a quo facta. 23. A
—— dum circumferebant religio erat aliquid agere. 23. B
—— Martis quo die circumlata. 233. F
Ancillæ capillitii diſponendi peritiſſimæ in matronarum gynæceo. 1298. C. &c.
Ancyrani lapidis fragmentum emendatum. 951. E. 963. B
Ανδραποδώδης θρίξ. 1125. D
Ἀνίμυτος quis. 948. A. &c.
Ἀνεψιοὶ & ἀνεψιαὶ de fratrum ſororumque filiis, filiabus. 1096. D
Angeronalia. 12. B. 18. C. 8. E
Anna perenna qualis dea. 170. E
Annæ Perennæ geniales dies quando & quo modo celebrati. 234. D
—— Perennæ ſacrum. 107. E
Annona media Plinio quæ. 953. C
Annonariæ ſive Annonianæ leges. 943. B
Annales Maximi qui fuerint. 37. F
ex Annalibus Maximi origo Faſtorum. 37. F
Annales primum ſcripſere Pontifices Maximi. 138. D
Annulus pronubus. 1014. A. 1118. B
Annus ab annulo derivatus. 785. A
—— Ægyptiorum diverſis temporibus diverſus. 786. B
—— Ægyptiorum ejuſque ratio. 431. E. &c.
—— Ægyptiorum magnus & de triplici ejuſdem calculo. 433. E. F
—— Albanus juxta ſpecies Lunæ ordinatus. 399. D. &c.
—— Arcadum. 786. B
—— Auguſtanus. 179. C
—— civilis quis & quam varia ejus conſtitutio apud varios. 206. F. 207. A. &c. 141 D
—— confuſionis quis fuerit. 154. E. 292. A. 441. A
—— confuſionis quot diebus quotque menſibus & quo ordine & modo fuerit tranſactus. 154. E. &c. 178. D. &c. 267. F. &c. 291. F. &c. 378. C. &c. 379. A. &c. 390. D. &c. 412. E. &c. 441. B. &c.
—— duplex, Lunæ & Solis. 424. D. E
—— emblematibus variis & hieroglyphicis notis expreſſus ac declaratus. 171. D. 204. F. 205. A
—— Ennianus quot dierum. 428. A
—— Græcus & Romanus Pompilii in quo differant. 450. B
—— Jovi, menſes Junoni dicati. 206. D
—— Julianus in quibus a Pompiliano differat. 84. F 178. E
—— Julianus ob non bene intercalatum a Pontificibus diem ſingulis quadrienniis abundantem luxatus & emendatus ab Aug. 40. C
—— Julianus ob non bene intercalatum a Pontificibus diem ſingulis quadrienniis abundantem luxatus & emendatus ab Aug. 40. C
—— Julianus primus in quem annum ab Urbe condita, ab initio Olympiadum, & a regno Nabonaſari inciderit. 291. E
—— Julianus primus fuit quartus conſulatus Cæſaris. 292. D
—— Julianus primus non fuit intercalaris. 292. B
—— Julianus quadrageſimus ſextus initium annorum Chriſti hodie uſitatorum. 299. C
—— Julianus quinquageſimus ſecundus accepit biſextum ab Auguſto emendatum. 294. A
—— Julianus qua ratione modoque conſtitutus. 266 &c. 289. E. &c.
—— Julianus quis dictus. 178. D. 267. C
—— Julianus quo anno & qua de cauſa inſtitutus primum. 40. B
—— Julianus tertius debuit eſſe ſimplex, ſed ſacerdotes biſextum in eum intruſerunt, & ſic deinceps uſque ad annum trigeſimum ſeptimum. 293. D
—— legitimus e curſu Solis ſumma accuratione, additis etiam minimis minutiis deſcriptus quantus. 207. E. 268. D. 269. A. &c.
—— magnus & mundanus. 171. A. 172. A
—— magnus & ejus periphraſis. 786. A
—— magnus quis & quam varie deſcriptus. 208. A. &c.
—— magnus quis Virgilio. 206. F.
—— Metonicus. 208. F
—— milleſimus ſexcenteſimus trigeſimus ſextus a Chriſto nato peculiari ratione ſextus, imo biſſextilis. 464. A. &c.
—— nativitatis Chriſti in quem annum Julianum incidat. 296. B. &c.
—— naturalis ſeu vertens quis. 141. C. 171. A. B. 206. E
—— parvus quis. 172. A
—— perpes. 683. A
—— Perſarum. 431. D. 785. D
—— Platonicus ſive mundanus diverſus ab anno magno Ægyptiorum. 434. D
—— Platonicus ſive mundanus habet & ſuam quandam hyemem & æſtatem. 435. A
—— Pompilianus ad Lunam compoſitus & duodecim menſium. 148. E. 289. B. 337. E
—— Pompilianus luxatus & loco motus intercalatione prava Pontificum. 39. E. 40. A. 178. B. &c. 321. A &c. 346. F. 347. A. 411. C. &c.
—— Pompilianus quo modo diſpoſitus & in quibus a Romuleo differat. 84. C. 336. D. 287. F. 262. E. &c. 312. C. 401. D. &c.
—— potius nullam quam aliquam rationem habuit regnantibus Jano, Saturno, Pico. 261. B
—— quid & quotuplex, tam variæ ejus vocabuli acceptiones & etymen. 170. D. &c. 203. D
—— quo Reges Roma exacti. 579. B
—— Romanorum fuit Lunaris, quamdiu libertatem tenuerunt, & quot dierum 424. E
—— Romanorum triplex, nec non menſium ac dierum in unoquoque ratio ac ordo. 739. B. &c.
—— Romanus antiquus. 399. D. &c.
—— Romanus diſtinguendus in Romuleum, Pompilianum & Julianum & quot in unoquoque nundinæ ſive ogdoades fuerint. 653. D
—— Romanus intercalari menſe Mercedonio admiſſo Lunaris eſſe deſiit. 338. B
—— Romanus vetus quomodo factus dierum 355. licet eſſet Lunaris. 311. D. 331. C
—— Romuleus an dierum CCCIV. & decem menſium ſit inſtitutus. 83. B. &c.
—— Romuleus antiquus. 399. E. &c.
—— Romulus decem menſium & dierum CCCIV. cum eſſet, longe aberat ab anno Lunari & Solari, ideoque aliquot dies ad æquandos Solis Lunæque motus erant aſſumendi. 147. E. F
—— Romuleus fuit non duodecim menſium, ſed decem menſium tantum. 143. C. D. 289. B. 330. B. &c.
—— Romuleus mere Lunaris fuit & CCCLIV. dierum. 83. E. 311. D
—— Romuleus non fuit decem menſium, ſed duodecim. 309. C. &c. 83. E
—— Romuleus quot dierum & menſium fuerit conſtitutus. 165. A. &c. 261. D. &c. 287. C. 309. C. &c. 335. E. &c.
—— Saturni. 786. B
—— Secularis quid. 480. B
Anni appellationes variæ. 203. B. &c. 738. D
—— conſtituendi ad curſum Solis qualis ratio Julio Cæſari a Soſigene fuerit propoſita. 154. C
—— emblema draco pictus ap. Ægypt. 739. A
—— emblema ſerpens caudam vorans. 747. A
—— & diei non ſemper idem initium. 462. A
—— etymon. 738. B
—— etymon & variæ apud Græcos appellationes. 203. D. 170. E

—— *in urbe Roma duplex ratio sub Romulo.* 400. D. *&c.*
—— *initium Cæsari placuit, ut semper a bruma duceretur.* 154. D
—— *insigne palma & cur.* 785. B
—— *insigne vultur.* 785. C
—— *Juliani cardines cur non mensium initiis, sed octo diebus ante attributi.* 413. E. *&c.*
—— *Juliani decimi sexti character hebdomadicus.* 294. C
—— *Juliani elogium.* 440. D
—— *Juliani forma propter ejus commoditatem προληπτικῶς ad anteriora tempora porrigitur.* 366. D
—— *Juliani initium.* 269. E
—— *Juliani initium cur non a bruma.* 443. B
—— *Juliani labes & reformatio.* 268. D. *&c.*
—— *Juliani ordinatio ad nostra usque tempora tota Europa observata.* 270. C. 416. D. 744. A
—— *Juliani usum non Romanis proprium fuisse, sed una cum imperio ad longe dissitas gentes, & ipsum orientem pervenisse.* 416. D
—— *nomine quod tempus intelligatur.* 141. C
—— *magni seu mundani initium, duratio & finis.* 172. E
—— *partes.* 209. C
—— *partes quatuor fabulose sub urnarum nomine descriptæ a Martiano Felice Afro.* 209. E
—— *Pompiliani emendatio a Cæsare dictatore instituta qualis.* 421. E. *&c.*
—— *Pompiliani menses in quibus differrent a mensibus anni Romulei.* 148. E. F. *&c.*
—— *principium a Numa fixum proxime ad brumam.* 266. B. 320. E
—— *principium ap. Romanos a media nocte.* 461. A
—— *principium cur Romulus statuerit a mense Martio.* 262. C. 425. B
—— *principium naturale.* 747. D
—— *principium varie apud varias gentes observatum* 172. C. *&c.* 210. C.
—— *qui modus ante Urbem conditam fuerit apud antiquissimos Italiæ populos, divinare non est facile.* 261. B
—— *rationem quod attinet, tres sectæ factæ fuerunt, quibus quartam addidit Julius Cæsar.* 267. A
—— *reformatio facta ab Augusto & quo modo.* 40. C. 179. B. 268. B
—— *reformatio facta a Julio Cæsare.* 153. F. 178. B C. 40. A. B. 266. D. *&c.* 289. E. *&c.* E. *&c.* 441. B. *&c.* 743. E
—— *reformatio facta a Numa Pompilio.* 148. E. *&c.* 445. C
—— *reformatio Gregoriana ratione bissextilis.* 457. D *&c.* 458. B
—— *Romani antiqui tam simplicis mensium* XII. *quam intercalaris mensium* XIII. *tabula exhibita.* 451. B
—— *Romani Pompiliani confusi & Juliani calculus pariatus.* 442. C
—— *Romulei emendatio a Numa instituta, prior & posterior, & utriusque ratio accurate exposita.* 402. C. *&c.* 403. B
—— *secularis celebritatem si Romani servarent, illis promissa imperii incolumitas.* 491. B
—— *secularis celebritas qualis fuerit.* 485. E. *&c.*
de Anni *secularis celebritate qui auctores tractarint.* 485. C
Anni *solaris constitutionem Noæ humanum genus acceptam referre debet.* 173. B
—— *solaris quadrans ab Ægyptiis neglectus, ut manus ille annus κυνικὸς & ἡλιακὸς conderetur.* 432. F
—— *spatium vario dierum ac mensium numero ab aliis atque aliis gentibus circumscriptum.* 172. B
Anno *ara apud Gades posita, & Mensi altera.* 206. D
—— *Romuli cur Numa duos novos menses addiderit.* 740. E
Annum *Lunarem ad Solarem revocare conati sunt tam Romani quam Græci, & utrique qua ratione.* 428. B. *&c.*
—— *Romuleum in quibus mutaverit Numa.* 84. C. 312. C. 402. D
—— *suum cur Romani a Januario inceperint, cum antea a Martio.* 747. A. B
Anno *ludorum secularium crescente superstitioso deorum cultu pluribus diis quam carmine Sibyllino enumerati erant, sacrificatum.* 524. A
—— *seculari fruges populo non distributæ, ut Parcis offerrentur.* 501. A
—— *seculari omnis generis ludi & spectacula exhibita* 508. A
—— *seculari Romani bona sibi tribui & mala a se depelli postulabant.* 491. C
—— *solari quamvis multæ nationes veteres non uterentur, tamen annum illum in arcanis observabant & 365. ¼ diebus constare faciebant.* 314. C. *&c.* 333.
de Anno *ænigma Cleobuli Lyndii.* 204. F
in Anno *Ægyptiaco, qui quatuor computatur annis, tot dies sunt, quot in anno magno anni.* 434. C
in Anno *Juliano duplex est observandum principium, totius anni unum, alterum intercalationis.* 291. C
in Anno *Juliano singulorum mensium ordinatio.* 289. E. *&c.*
in Anno *Pompiliano dies in honorem imparis numeri a Numa adjectus an certum in Januario locum habuerit, & ubi insitio ejusdem facta & quomodo.* 339. D. C. *&c.*
in Anno *Pompiliano dies unus in honorem imparis numeri a Numa adjectus quam labem invexerit, & quomodo eadem fuerit emendata.* 204. B. 176. E. *&c.* 152. F. *&c.* 316. F. 317. A. *&c.* 335. B
in Anno *Pompiliano quot numero dies.* 148. F
in Anno *Pompiliano ut cum solaris congrueret cursu, intercalatum more Græcorum & qua ratione.* 176. E. *&c.* 151. *&c.* 263. E. 288. D. *&c.* 312. E. 335. B. 402. B. *&c.* 411. D
in Anno *Romuleo an etiam intercalatum & qua ratione.* 85. C. *&c.* 312. E
de Anno *Romuli diversæ antiquorum sententiæ explicatæ & conciliatæ.* 400. E. *&c.* 401. A. *&c.*
Anni *duodecim Juliani sine intercalatione.* 556. A
—— —— *Christi quomodo connectendi cum annis Julianis.* 296. A
—— *Juliani qui dicti.* 163. B
—— *multiplices præter solarem.* 785. E
—— *Romulei lunares quamdiu observati fuerint.* 84. D. E
Annorum *ab O. C. caput.* 336. D. *&c.*
—— *Christi vera collatio institui nequit cum annis Julianis ignorato initio imperii Augusti.* 296. E
—— *Julianorum* 52. *priorum integra dispositio adjecta feriarum hebdomadicarum dispositione.* 294. B. *&c.*
—— *omnium plena spatia ap. Livium quæ.* 373. D
Annos *mensesque populares licet multæ nationes non ad Lunam conformarent, nihilominus dierum in mensibus appellationes ex lunaribus ratiociniis petebant.* 330. D
cum Annis *Julianis quomodo connectendi anni Christi.* 296. A
Annulorum *luxus viris communis cum matronis eorumque ingens pretium.* 1229. A. 1326. B.
Antevorta *& Postvorta divinitatis comites.* 746. E
Antinaulum *quale tributum.* 905. E
Ἀντιςράτηγοι καὶ πρεσβευταί. 828. A

Αντιφέρνη quid. 1115. B
Απὸ νεκρῦ φορολογεῖν proverb. 885. E
Απογραφή. 965. D
Αποτίμημα, 1115. A
Apolle apparens educto telo iratus ac noxius credebatur. 493. D
—— unde ita appellatus. 493. E
—— unde Paean dictus. 493. E
Apostole quale tributum. 886. B
Apostolus de exactore tributi Apostoles dicti. 886. C
Apparitorum in exigendis vectigalibus ministerium. 872. F
Aprilis mensis cui deo sacer. 216. A. 749. C
—— mensis quibus aliarum gentium mensibus respondeat. 215 D
—— mensis unde nomen habeat. 191. B. 215. C. 277. C. 749. C
—— mensis imago in vet. Kal. occurrens explicata. 106. B
in Aprili mense quis numerus, quaeque distributio dierum in anno tam Numae quam in illo Caesaris. 191. C. D
Aprorum multitudo luxuriosa in conviviis apposita. 1396. B
Aprugna in deliciis. 1389. D
Aqua pura se primum abluebant ad sacra accessuri. 49. F
Aquimanale cum pelvi inter vasa abacorum. 1377. B
Aquitur ἀρχαΐγῶς pro acuitur. 21. C
Ara Ditis Patris & Proserpinae a Valerio Poplicola dicata & ejus inscriptio. 489. A. &c.
Arae Opis & Cereris in vico Jugario quo mense ac die constitutae. 29. C
Arbores porticus cingentes topiario opere modice inflexae annexaeque cancellatim pangebantur. 1363. B
—— quae maxime in pretio habitae ap. Ro. 1363. B
Arborum ablaqueatio quo mense facienda. 26. A. B
—— in aedium fastigiis positarum pretium, 1239. E
—— scrobatio quo mense quaque ratione facienda. 26. D
Arcus Severi triumphalis an erectus eo anno, quo is Imperator ludos seculares edidit. 612. A
Argei qualia simulacra. 70. D
Arma inaurata. 1328. B
—— margaritis gemmisque distincta. 1328. A
Armilustrum. 7. F. 12. A. 18. B
Armilustrium quale festum. 77. E.
Argentum non caelatum purum Latini dixere. 1381. D
Arrhae a sponso sponsae dari solitae. 1118. A
—— nomine quaenam dari solita 1118. 9. &c.
—— proxeneticae, arrhae sponsalitiae. 1118. A
Arrugia quid. 872. B
Artem ludicram qui facere dicantur, qui vero non item 1060. F
Ἄρχοντες κληρωτοὶ, ἄρχοντες ἀρετοὶ qui. 828. C
Asia plurimis gentibus deliciis suis & mollitie exitio fuit. 1285. C. &c.
ex Asia luxus primum in Urbem Romam illatus. 1284. D. &c.
Asseeurs des Tailles in Gallia qui. 918. D
Atellanae quales fabulae & unde earum nomen & origo 1061. B
Atellanarum actores artem ludicram facere non existimabantur. 1061. A
Atlantes per jocum dicti pumili. 1344. C
Atri dies qui & unde appellati. 55. E
—— & albi calculi usus ap. Scythas in distinguendis diebus faustis ab infaustis. 56. E.
Atria potentiorum innumeris & exquisiti marmoris columnis sustentata. 1354. A. &c.
in Atriis potentiorum, imagines majorum, hostium spolia, tabulae ac signa transmarina. 1354. F
Atrium sutorium. 9. D
Avaritia magistratuum publica ap. Ro. 1276. E. &c.
—— privatorum ap. Ro. in opibus per fas & nefas conquirendis. 1280. A. &c.
ad Avaritiam & pecuniae studium quaenam res potissimum civium Ro. animos impulerit. 1281. B. &c.
Aves Numidicae & Meleagrides quae. 1390. F. &c.
Aviariorum magnitudo. 1247. A
Avium quaedam partes selectae a delicatulis & quales. 1247. C
Aucupum & venatorum in provinciis totae cohortes. 1247. B. 1396.
Augustalia. 7. E. 12. A. 18. B
—— quo die & celebrata & quando primum instituta. 77. A.
Augustus edicto triginta amplius dies qui ludis honorariis occupabantur, actui rerum & judiciis accommodavit. 41. B
—— quo modo & quando emendaverit annum Ro. inscitia Pontificum luxatum. 40. C. 164. B
Augusti imperii initium in quem annum Urbis & Julianum inciderit. 296. E. &c.
—— Natalis. 7. D. 11. B. 18. A. 8. B
Augustus mensis cui deo sacer. 217. C
—— mensis quare & quando appellatus, qui ante Sextilis. 163. B. 194. D. 217. B. 278. E
—— mensis quibus aliarum gentium mensibus respondeat. 217. B
Augusti mensis imago in Vet. Kal. occurrens explicata 109. A
in Augusto mense quis numerus quaeque distributio dierum in anno tam Numae quam in illo Caesaris. 194. E
Auraria functio. 897. D
Aureus numerus in Kalendario Juliano quis & ejus usus & auctor. 300. D
Aurei numeri Juliani Kalendario adscripti in quatuor prioribus mensibus exemplum inventum Romae in marmore incisum 301. D
Augurium Salutis inter publica sacra. 5. C
Aurum coronarium ejusque appellatio unde nata 874. C. &c.
—— coronarium propter quid impositum. 875. A
—— lustrale. 883. C
—— negotiatorium quid. 897. C
—— vicesimarium. 879. E
Auri argentique summa in aerario populi Ro. ante primum bellum Punicum quanta. 1263. D
de Auri massa & Augmento. 873. E

## B

Bacchanalia ap. Christianos sunt veterum ἐπαγόμεναι, sed vaga, quia Lunae ratione computata. 439. B
Βαῖς quid. 205. B
Bathyllica in honorem Apollinis & Dianae a viris mulieribusque simul mixtis saltabatur. 564. E
Bellonae deae festum & aedes. 72. A
—— Sacerdotes fanatici dicti & unde. 62. B
Βενδίδεια Athenis quo die celebrata. 237. F
in Beneficiis ad aerarium deferre. 913. D. 916. A
Beneficiarius consulis, praetoris, tribuni. 915. D. E
Beneficiarii milites. 915. F
—— qui, & Beneficia Principum quae. 915. B. 916. A
Bigla quid. 905. D
Bigliaticum quale vectigal. 905. D
Bos symbolum anni. 205. 2
Βόστρυχος, & πλόκαμος quid. 1125. C
Bissexta octo cyclus nundinalis, bissexta septem cyclus Solis includit. 452. F

Bissexti *biduum pro uno die habetur*. 448. D
sine Bissexti *intercalatione duodecim anni Juliani*. 446. A
Bissextiles *anni in quovis seculo*. 454. C
Bissextili *anno natus Christus*. 453. D.
in Bissextili *anno ordinando error Cæsaris*. 423. E
in Bissextili *anno alia mira, alia ominosa*. 460. E. 461. C
in Bissextili *Juliano sex ἐπαγόμεναι*. 439. C
Bissextilis *annus Plinio* intercalaris. 423. D
Bissextilium *cyclus aliis in veteri Kalendario literis, aliis in novo distingui*. 459. D
—— *& simplicium annorum literas hebdomadicas pollice indiceque exhibens manus literata*. 455. A. &c 459. B. &c.
Bissextis *cycli computantur*. 453. C
Bissexto *directæ nundinæ Romanæ*. 452.
Bissextorum *computatio regulis & tabulis tradita*. 453. C. &c.
—— *in annis millenis series in tabella exhibita*. 453. E
—— *initium duplex sacrum & profanum*. 453. C
—— *series vitiosa ab anno Confusionis ad primam correctamque ab Augusto intercalationem exhibita*. 446. C
Bissextum *ab Augusto primum, secundum fuerit bissextum Epochæ Christianæ*. 447. B
Bissextus *dies an unquam ap. Ro. ante Juliani anni editionem intercalatus sit*. 314. D. 333. C
—— *dies auspicatus & quare*. 461. D
—— *dies quis*. 179. A. 207. D
—— *dies prior, an posterior fuerit intercalatus*. 179. A. 447. E
Bona *receptitia mulieris quæ*. 1116. E
de Bonorum *communione inter virum & uxorem*. 1137. A. &c.
Βύφονια, *quo die Athenis celebrata*. 239. F
Bos *forda quæ*. 10. C
Breviarium *officiorum*. 916. B
—— *rationarium imperii*. 911. A. 912. E
Bruma *Latinis, quæ Græcis τροπαὶ χειμεριναί*. 27. A
Bruma *quo mense quoque die*. 256. B
Βύσιος *mensis quis Delphis & unde ita dictus*. 215. E

C

CAci *latrocinia & cædes*. 751. F
Caduca *bona quæ*. 899. E
Caducum *legatum*. 899. E
Κάδωλοι *qui*. 1034. E
Cæsar *dictus Julius non a mense Julio, sed ab Julo seu Asianio*. 753. A
Cæsaries *unde dicta*. 1125. C
Cæsariem *liber homo habere dicebatur*. 1125. D
Caliendrum *quid*. 1102. D
Calliculæ *qualia ornamenta in vestibus*. 113. A
Camella *quid*. 802. E
Camillus, *& Camilla qui*. 1039. A. &c.
Campannisticum *quale tributum*. 905. C
Candelabra *inter vasa abaci & qualia*. 1377.
Canis *immolabatur Marti ap. Lacedæmonios*. 251. D
Canon *anni Romuli, Numæ & Cæsaris*. 85. A
—— *aurarius*. 895. C
—— *largitionum*. 893. F
—— *quid sit, & Canonica illatio*. 864. A. 893. E
Canonis *nomen quando in usu*. 894. D
Canonem *suum pendebat qualibet Provincia*. 893. F
Canonicarii. 894. B
in Canonicarios *jus erat Præpositi cubiculi*. 894. D
Capeliaticum *quale tributum*. 904. E. 906. D
Capillus *deponebatur in tempestatibus & ab iis quibus aliquid acciderat, quo tristiores fierent*, 1125. E. &c.
Capillum *abjiciebant servi, cum manumittebantur, imo etiam radebantur, & quare*. 1125. E
Capitatio *prædiorum*. 262. D. &c.
—— *quid sit*. 860. F
Capitulum *& temo quid dicantur*. 189. F
Capitis *diminutio etiam fiebat in manum viri conventione*. 1020. E
Capitolium *quo mense ac die conflagraverit tempore Syllæ*. 244. A
Capitularii *qui dicti*. 861. C
Capnicum *quale vectigal*. 900. F
Καπρᾶν *proprie de porca*. 1141. F
Caprotinæ *quare dictæ nonæ Quintiles*. 73. F
Cardines *in anno Juliano quibus mensibus & diebus attributi*. 414. E. &c.
Carmen *Catulli quod est in ordine* XXXV. *non est verum carmen seculare*. 555. B. &c.
—— *seculare canebatur a pueris puellisque patrimis & matrimis*. 562. E
—— *seculare de memoria cum instrumentis musicis, gestibus & saltu concinebatur*. 563. D
—— *seculare erat de genere hymnorum & pæanum*. 559. E
—— *seculare maxime scribendum numeris lyricis, & quo genere carminis lyrici*. 560. C
—— *seculare quid*. 554. E
—— *seculare triplex compositum ab Horatio*. 556. A. &c.
Carminis *secularis devotio duplex*. 554. E
—— *secularis eadem materia atque pæanum & hymnorum, hoc est, laudes deorum, nominatim Dianæ atque Apollinis*. 560. E
—— *secularis natura & artificium*. 559. D. &c.
de Carminis *secularis Horatii post librum Epodon artificio*. 501. D. &c.
in Carmine *seculari cur Latonæ mentio* 557. A
in Carmine *seculari saltus & gestus jocosi quam serii potius adhibiti, & quare*. 564. C
Carmina *secularia canebantur tribus diebus ludorum secularium*. 565. A
—— *Græca secularia*. 558. E
de Carminum *secularium variorum ab Horatio compositorum artificio*. 565. D. &c.
Carmentæ *ædem cur matres ædificarint*. 797. F
Carmentalia. 3. c. 9. B. 25. D. 3. C. 796. F. 115 D
—— *quo cujus mensis die celebrata*. 798. A
Carmentalis *porta unde sic dicta*. 697. B
Carmentis *eadem cum Themide*. 797. C
—— *mater Evandri, & cur ita dicta*. 796. F
Carna *dea quæ, & ejus templum ac festum*. 71. E
Caro *suilla in deliciis*. 1389. C
Carpi, *carptores ferculorum*. 1384. A
Casa *Romuli diu in Capitolio asservata fuit & suam Romanis luxuriam sequentibus temporibus exprobavit*. 1350. B
—— *Romuli quo loco sita*. 1350. C
in Casa *Romulus ipse conditor & auctor Imperii habitavit*. 1350. A
Casæ *quales antiquissimis Romanorum temporibus extructæ, in quibus tum habitabant*. 1349. D. &c.
Καστροκτισία *quid*. 906. D
Castorum *festum ad Ostiam quando & quo ritu celebratum*. 69. B
Cœna *Pontificum in honorem Cybeles*. 256. A
Cella inscripta *de lupanari*. 1068. B
Censitores. 853. B. 157. B
—— *diversi ab iis qui census agebant*. 1159. C
Censores *an recensum fecerint*.
Censuales *professiones, censuales libri*. 852. E

Census quomodo quicumque in finem per provincias actus. 257. F. &c.
—— interdum quotannis actus in provinciis, interdum singulis lustris. 858. E
—— pro tributo. 857. E. 859. D
—— quid & unde dictus. 852. C. &c.
Census agendi mos servatur re exigente Constantinopoli. 857. A
—— magister perfectissimus & clarissimus. 857. C
Censui censendo qualia prædia dicta. 1152. E
Censum Servius Tullius primus instituit & quem in modum. 853. A
ex Censu & æstimatione bonorum tributa indixit Servius Tullius & qua ratione. 854. C
Census appellati descriptiones capitum & jugerum. 853. B
—— in tabulis seu paginis censualibus descripti. 1158. D
de Centenario numero qui scripserint. 485. B
de Centesima rerum venalium. 811. D. &c.
Centum linguæ, centum voces a Poetis petitæ, 484. F
Centumviri ob centesimi numeri dignitatem vocati, cum essent quinque supra centum. 484. E
Centuriæ quæ in agrorum assignatione. 841. B
Κεφάλαιον σιταρίυ quale tributi genus. 906. D
Κέρατα quid. 887. A
Κεράτιον quid. 887. A
Κερατισμὸς quid. 887. A
Cerealia 5. B. 10. D. ib. E
—— mense Aprili celebrata. 106. D
Ceres Isidis nomine ab Ægyptiis culta. 1408. D
Cereri εὐχλόῳ quo die sacra ap. Athenienses celebrata. 236. E
Charatzium quale tributi genus. 905. A
Charistia qualia festa. 22. C. 105. C
Chartiaticum quale tributi genus. 903. D
Chironomontes qui, 1384. A
Χρεωκοπία. 985. D
: Χρεοκοπίας τὸ εὔκαιρον. 999. A
Χρεῶν ἀπαλλαγὴ. 985. D
—— vel δανείων ἄφεσις. 985. D
—— ἄφεσις septimo quoque anno ap. Judæos. 987. D
Χρηματισμὸς quid. 1005. A
Christiani fiebant οἰκέται τῦ ταμείυ. 899. C.
Christus quo mense ac die cruci affixus ac mortuus. 235. D
Chrysargyrum. 882. C. 883. D
Chrysotelea quid. 891. A.
Ciceronis exilium & reditus ab exilio in quem diem inciderint. 247. A
Ciborum varietas morborum causa. 1398. C. &c.
Ciconiam quis primus mensis intulerit. 1396. F
Cincinnatorum familia unde id nominis adepta. 1304. A
Cingulo nova nupta cingebatur, quod vir in lecto sol-[illegible]. 1028. B
Ciniflones .. comitatu mulierum luxuriosarum. 1298. B
Circe allegorice de anno exponitur. 206. A
Circulus pro corona. 1409. E
Civitas sine plebe consistere non potest. 998. F
Claves ædium novæ nuptæ tradi solitæ, in divortiis iterum adimi. 1118. E. 1042. C
Cleobuli ænigma de anno. 431. C
Clercs des Finances qui in regno Galliæ dicantur. 918. F
Clibanus argenteus inter vasa & ornamenta abaci. 1377. D
Clientæ quæ Romana lingua. 1335. C
Clientes alii patronorum latera tegebant, alii præibant. 1334. C
—— primum a Romulo instituti. 1332. F
—— semper togati. 1333. F
Clientum officia quæ fuerint. 1333. B. &c.
—— phalanges in comitatu potentiorum præcedebant, servorum agmina sequebantur. 1332. F.
—— uxores patronos quoque in lecticis comitabantur, & ad sportulas pari ordine cum cæteris veniebant. 1335. B
Clientibus ditiores & liberaliores convivium apponebant. 1334. E
—— sportulæ pro officio exhibito a patronis distribuebantur. 1334. D
Clodius quo mense ac die a Milone occisus. 231. C
CN. nota in Kal. vet. quid significet. 104. E
Coactio argentaria. 831. A
Coactor argentarius. 831. A.
Coactores. 831. A.
Codicem instituere qui dicuntur. 832. B
de Collatione Syriarchiæ. 896. B. &c.
Coemtio in matrimoniis contrahendis quibus ritibus peracta. 1019. E
Coemptio vel σιτωνία specierum annonariarum in provinciis. 888. C
Coemtione an filia e patris potestate fit emancipata. 1134. C. &c.
Cognationis nomina eorumque expositio. 1191. F. &c.
de Cognationis jure quoad nuptias, ex jure Romano. 1180. F. &c.
Columbæ in deliciis earumque pretium. 1246. E
Colum nivarium quale vas. 1378. A
Columnarum in ædibus capita, longitudo, materia, numerus, pretium. 1238. A. &c.
—— in atriis positarum numerus, altitudo, pretium & ex quo marmore. 1354. A. &c.
Coma fracta & unguento delibuta. 1225. D. E
Comites portus Romæ & Ravennæ. 845. A. &c.
—— quatuor Commerciorum sub Comite largitionum eorum munus. 902. B
Comitia triplicia erant, Centuriata, Curiata & Tributa, & singulorum descriptio. 45. D
Comitiales cur inter fastos connumerentur. 16. C
—— dies fastis diebus insunt. 773. E
—— dies non proprie fasti. 773. E
—— dies qui. 773. F
—— dies qui & qua litera in Kal. notati. 16. C
Comitium quale ædificium & quo loco Romæ, & unde dictum. 35. C. D
Commercia qualia tributa. 903. A
Commigrationes ex ædibus in alienas quo mense ac die Romæ factæ. 246. E. 243. F
Communio bonorum inter virum & uxorem qualis. 1137. A. &c.
—— bonorum cum uxore usu ducta. 1139. A. &c.
—— sacrorum inter virum & uxorem qualis. 1135. D. &c.
Comperendinatio fluxit primum a Glaucia. 774. E
—— qui differat a perfecta actione. 774. F
—— quid. 974. B
Comperendinationis quatuor discrimina ab Ampliatione. 775. A
Comperendini dies qui. 774. B
Compita etiam pro templis, in quibus pro compitis sacra fiebant. 69. F
Compitalia seu dies compitales, stati erant, verni, æstivi & hyemales. 69. E
—— & ludi Laribus instituti. 258.
—— quæ & a quo instituta, & quid iis ageretur. 51. D. 52. B. 230. C. 803. C
—— quibus ritibus celebrata. 69. E
—— seu dies compitales non stati vel conceptivi qui. 69. D
Compitaliorum concipiendorum solennia verba. 69. E
Compitalibus sacris servi ministrabant. 803. E
Comprivigni qui. 1198. E
inter Conjuges factæ donationes non valebant & quare. 1023. A
Conchyliatarum vestium pretium. 1227. A. 1311. B

de Conchyliatis *vestibus lex Julia*. 1227. C. 1311. B
Concubina *nunquam usucapiebatur*. 1130 D
—— *qualis mulier*. 1201. D
—— *solo delectu ab uxore separabatur*. 1130. C
ex Concubina *nati, an spurii & vulgo quæsiti dici jure antiquo possint*. 1202. A
Concubinæ, *sive illæ honestæ sint sive probrosæ, hereditatum capaces sunt*. 1202. C
Concubinarum *genera duo*. 1201. E
—— *novum genus, solum a Justiniano probatum, quale*. 1203. B
an Concubinas *Christianis habere liceat*. 1212. C *&c.*
inter Concubinas *veteres, & recentes a Justiniano probatas differentia*. 1203. D
Concubium *vel nox Concubia quid*. 766. B F
Condemnationis, *ampliationis & suspensionis notæ*. 775. B
de Conditione *nuptias contrahentium, quæ partim in dignitatis gradu, partim in familia consistebat*. 1172. E
Conditiones *de sponsalibus*. 1152. D
Confarreatus. 1128. F
Congiarium *Septimii Severi*. 966. C
Consanguinitas *Jureconsultis quo sensu usurpetur*. 1193. E
Consobrini *unde sic dicti*. 1195. D
Consoceri *qui*. 1198. D
Constantinopolis *quo mense ac die a Turcis capta*. 240. E
Consualia. 7. A. 11. A. 17. C. 75. E. E. 248. C
Consus *quis Deus*. 75. E
Consuetudines *aliquando idem quod tributa significant*. 873. C
in Consulum *nominibus varietas apud auctores diversos*. 596. B
Continentia *L. Scipionis summa devicto Antiocho Asiaticorum regum opulentissimo*. 1289. C
Conticinium *quæ pars diei & appellationis ratio*. 763. F.
Controlleurs generaux *in Gallia*. 918.
Convivium *larvale a Domitiano Imp. exhibitum*. 1399. B
Convivia *in honorem Genii natali die celebrata*. 540. C
—— *inter ludos seculares*. 516. C. *&c.*
Conviviorum *apparatus & in eo ostentatio*. 1241. C
—— *& cœnarum pretia*. 1392. B. *&c.*
—— *impensæ ingentes*. 1241. D
inter Conviviorum *delicias genio liberius indulgentes, Romani veteres mortis commonefacere voluerunt & quomodo*. 1398. F
in Conviviis *ferculorum numerus*. 1241. F. *&c.*
in Conviviis *ministrantium multitudo & ordo*. 1241. C
Coquorum *convivia apparantium pretia*. 1241. E
—— *pretia & numerus*. 1387. B. *&c.*
a Coquis *quanti ignes excitati ad apparanda convivia*. 1387. D
Cordax *genus saltationis comicæ*. 564. B
Corona *Apollinis qualis*. 1409. A
—— *Cereri consecrata qualis*. 1408. E
—— *& annulus nuptialis prius olim consecratus oratione sacerdotis ap. Christianos*. 1423. D
—— *Imperatorum primitus e lauro mox auro*. 1412. A
—— *in festo Bacchi tributa Athenis mensuram certam ebibentibus*. 1411. F
—— *in focum Larium indita & quibus diebus*. 1416. E
—— *justitiæ, corona vitæ, corona gloriæ immarcessibilis*. 1412. D
—— *martyrii*. 1412. E
—— *obsidionalis, civica, muralis, castrensis, navalis, ovalis, quales*. 1412. A
—— *oleaginea posita ante fores, cum mulier masculum peperisset; lanea vero, cum femellam*. 1419. B
—— *quid sit*. 1407. C
—— *semper victoriæ signum habita*. 1412. B
—— *sydus cur ita appellatum*. 1418. C
Coronæ *etymon*. 1409. C
Coronam *ex verbenis a se lectis compositam nova nupta sub amiculo ferebat*. 1031. C
Corona *& nuptiali & regia, eadem die nonnunquam Imperatores uxores suas auxerunt, nuptiasque celebrarunt*. 1422. C
—— *pudicitiæ coronatæ ap. vett. Ro. matronæ, quæ uno contentæ matrimonio fuerant*. 1429. D
—— *redimitæ novæ nuptæ*. 1027. F
de Corona *& diademate, ut regni symbolis, qui scripserunt*. 1410. D
Coronæ *aureæ in commissionibus Romæ usurpatæ*. 1411. B
—— *convivales*. 1413. C
—— *funereæ*. 1414. E
—— *in quatuor sacris Græcorum certaminibus quales victoribus datæ*. 1411. A. *&c.*
—— *martyrum sepulcrales*. 1413. A
—— *militares ap. Ro.* 1412. A
—— *nuptiales duplices erant*. 1418. E
—— *nuptiales hodie ap. Græcos ex qua materia plectantur*. 1427. a
—— *nuptiales qua de causa imponantur Christianis matrimonium celebrantibus*. 1428. D
—— *nuptiales secundis nuptiis in veteri Ecclesia negatæ*. 1429. C
—— *quare in nuptiis adhibitæ*. 1414. C
—— *quibus antiquitus solitæ dari*. 1410. E. *&c.*
—— *quibus ex herbis floribusque necterentur*. 1386. B
—— *sæpius distributæ convivis ad nuptiale epulum*. 1417. C
—— *tributæ victoribus poetis*. 1411.
Coronarum *folia tecta auro atque argento, & unguentis perfusa*. 1313. B
—— *origo*. 1409. F. *&c.*
—— *voce ipsa nuptiarum solemnia apud Græcos Christianos denominata*. 1423. F
—— *usus frequentior apud vett. qua publice, qua privatim, quam hodie ap. nos*. 1407.
—— *usus privatus*. 1413. B
—— *usus qualis & olim & nunc adhuc ap. Christianos* 1420. A. *&c.*
Coronas *non capiti tantum, sed & pectori applicabant convivæ*. 1414. C
—— *sibi e capite solvi, tanquam familiæ cura deinceps distrahendi, cum precibus Ecclesiæ contendebant olim a sacerdote Christiani Græci post nuptias*. 1426. F
—— *suas Veneri dicabant virgines nupturæ*. 1418. F
—— *toties convivæ deponebant, quoties potaturi*. 1414. D
Coronis *exornabant amatores amicarum fores easque unguento perfundebant*. 1415. F. *&c.*
—— *redimire caput in conviviis, mensis præcipue secundis*. 1386. A
—— *redimitæ jugales tædæ*. 1417. B
—— *redimitus jugalis thalamus*. 1417. A
—— *statim usi Imperatores Christiani*. 1422. B
de Coronis *ex floribus capiti nocentibus qui scripserint*. 1414. A
de Coronis *quinam commentarios scripserint*. 1407. D *&c.*
Coronabatur *sponsus & sponsa & qualibus herbis*. 1417. E
Coronandi *sponsum & sponsam, cum matrimonii solennia peragit sacerdos, ritus in veteri Ecclesia*. 1424. A. *&c.*
—— *sponsos ritus apud Russos sive Muscovitas*. 1425. B

ad Coronandi sponsi sponsæque morem allusum haud uno loco in sacris literis. 1419. C
de Coronandi universo instituto qui scripserint. 1414. B
Coronata in solennibus conviviis etiam fercula. 1414. C
—— pocula. 1413. B
Coronati canes die natali Dianæ ap. Celtas. 1409. E
—— in conviviis & unguentis delibuti quod accumberent Romani, eum morem hauserunt e Græcia. 1293. C
—— postes sponsi lana a sponsa. 1419. A
—— quare veteres in conviviis. 1413. D
Coronatio nuptialis duplex ap. Muscovitas. 1428. B
Coronatum spinis ac glandibus quernis puerum circumferre in nuptiis mos Athenis. 1417. D
Coronatus Hymenæus introducebatur. 1416. E
Corporis quæ partes quibus numinibus consecratæ 1120.
in Corpore captata lævitas, facies fucata, gressus mollis & suspensus & quidem a Viris. 1225. C. 1305. E. &c.
Cosmiaticum quale tributum. 906. D
Covus & covum pro cælestis. 311. B
Cour des Aides qualis curia in Gallia. 918. B
Crepidarum atque socculorum vincula aurea. 1229. D
Creues, Superindicta, genus tributi ap. Gallos. 617. C
Crepusculum quæ pars diei civilis ap. Ro. 765. E
Creta cur Homero ἑκατόμπολις dicta. 481. F.
Crinis flavus magnopere æstimatus. 1299. E
Crinem in turrim extruendi mos. 1302. A. &c.
—— nativum adscititio colore fuscabant ac pingebant mulieres Ro. 1299. C
Crine alieno & adscititio caput exornare matronis Ro. usitatum. 1301. D
Crines flavi an ornatus meretricius. 1300. C
—— ut magis flavescerent, capiti ramenta auri adspergebat Commodus Imp. 1304. E
Crinium & barbæ nostro seculo variæ formæ. 1305. B
—— ornandorum instrumenta. 1299. B
—— ornandorum variæ formæ. 1304, B
Crines albos nigro colore inficere quinam soliti. 1300. F. &c. 1304. B
ad Crines rutilandos medicamenta. 1300. D
Crustæ Heliadum de electro. 1381. E
Crustuarii qui. 1381. E
Crystalla Niliacus cataplus Romam devexit eleganter & concinne fabricata. 1379. A
Cumera quale vas. 1124. A
Custodes appositi conviviis & qua de causa. 1233. B
Cyclas tenuis quæ vestis Juvenali. 1316. F

D

Deana ἀρχαϊκῶς Diana. 26. C
Δαίμων quid significet. 532 D
—— apud Græcos in bonam partem sumitur, cujus contrarium accidit in sacra Scriptura. 533. E
Damnata publico judicio quæ intelligatur. 1064. B
Debita ex publico soluta inter remedia contra novas tabulas. 1001. D
Debitores a creditore ad prætorem adducti, quam primum se non solvendo esse jurarant, infames reddebantur. 989. D. 99. B
—— ap. Ro. antiquis temporibus compedibus vinciebantur. 779. E
—— obærati non statim creditoribus addicebantur, sed habebant triginta dies, intra quos pecuniam conquirerent. 990. A
Δεκάπρωτοι in Municipiis qui. 908. C
December aliquando Amazonius dictus. 756. A
—— mensis quibus mensibus ap. alias gentes respondeat. 218. C
—— mensis unde sic appellatu. 197. C
Decembris mensis imago in vet. Kal. occurrens explicata. 112. C
in Decembri mense quis dierum numerus quæque illorum distributio tam in anno Numæ, quam in illo Cæsaris. 197. C
Decemviri quid curarent ludis secularibus. 494. B
ad Decemviros sacrorum a quo deinde quinque fuerint additi & facti Quindecimviri. 495. E
inter Decemviros decem ex patribus, decem ex plebe creati. 475. E
Decennia a Gallieno nova pomparum specie celebrata 624. C
Decima pars redituum Ecclesiæ exhibetur a Clericis in Gallia. 918. B
de Decima hereditatum. 878. A
Decima Herculi pollucta. 846. D
—— quid significent. 846. F
—— variæ fuerunt. 846. B
—— vini & olei. 846. E
—— votæ diis. 846. B
Decimarum non eadem semper ratio modusque servabatur in omnibus Provinciis. 847. A. &c.
Delfica qualis mensa. 1376. E
Δελφάκιον & δέλφαξ quid. 1141. D
Deliciæ de Pædagogiis. 1341. F
Deiicuerit ἀρχαϊκῶς ap. Plautum pro deliquerit. 21. D
Δυμοκόλαξ appellatus Valerius suasor novarum tabularum. 906. D
Deniers communs quale tributum in Gallia. 917. F
Deorum Ægyptiorum natales. 432. E
Deportati ἀπόλιδες quidem fiunt, libertatem tamen & omnia quæ sunt meri juris gentium, retinent. 1019. D
Deum esse omnibus quasi insculptum. 769. D
Διαβατικὸν vectigal. 905. D
Diana non solum venationi præerat, sed etiam ludo gladiatorio. 506.
—— sanguine humano placabatur, hinc gladiatores in ejus ludis exhibiti. 505. E
Dianæ Ephesiæ templum quo mense ac die conflagrarit. 241. D
—— sacra Elaphebolia dicta. 116. B
Diane pro Diana, æ 108. F
Dibapha pro magistratu seu consulatu. 1311. F
—— unde sic dicta. 1311. E
Διχεράτιον. 888. B
Dies ac mensis, a quo Olympiadum anni initium sumebant. 251. F.
—— apud Ro. in plures partes divisus, & harum appellationes. 180. D
—— bissextus intercalatus in anno Juliano post Terminalia. 155. B. C
—— bissextus quare sic appellatus & quis fuerit. 155. C. 179. A
—— civilis quale spatium & cur ita appelletur. 761. D
—— extremus mensis Februarii quis intelligendus in l. 98. §. 1. de V. S. 449. C
—— intermestris quis dictus. 180. A
—— lustricus quis. 54. F. 55. A
—— Mardochæus quis. 232. B
—— natalis Agrippæ diebus funestis annumeratus. 58. B
—— natalis ap. Romanos, diem civilem a media nocte incohantes, quemadmodum definiatur. 762. E
—— natalis Augusti. 7. D
—— natalis quibus cerimoniis ditiores peragerent. 811. D
—— naturalis quis. 142. C. 180. E
—— nefastus posteriore, & nefastus priore parte qui & quibus literis notati in Fastis. 47. D. 773. C
—— πολύφθογγος quis & unde dictus ap. Ath. 237. A

Quan-

— Quando Rex Comitiavit Fas, *vel* Quando Rex Comitio Fugit. 9. D. *&c.* 16. D. 43. A
Quando stercus defertur. 10. F. 6. A. 17. A
— *Q. S. D. F. qualis fuerit & quæ illæ literæ significent.* 48. C. *&c.* 242. B
— *quo ad Alliam Cremeramque Rom. exercitus fusus, infamis habitus est.* 58. A
— *quo ara Victoriæ in Curia dedicata est.* 7. A. 11 B. 17. C. 76. A
— *quo Augustus primum consulatum iniit.* 251. E
— *quo C. Cæsar. Alexandriam recepit.* 4. E
— *quo C. Cæsar Hispalim vicit.* 6. F. 17. C
— *quo C. Cæsar Hispaniam vicit.* 6. E. 11. A. 17. B. 75. A
— *quo Cæsar Hispaniam citeriorem vicit.* 29. B
— *quo C. Cæsar Pontifex max. factus est.* 4. D. 15. F
— *quo equus ad nixas fit.* 110. A. B. 77. E
— *quo interfectus J. Cæsar, inter infaustos relatus.* 58. B
— *quo magistratus sacramento adigebantur.* 258. C
— *quo mulieres viris munera mittebant.* 257. B
— *quo pauperiores cereos muneri donabant ditioribus.* 257. C
— *quo Penus Vestæ patebat, inominalis habebatur.* 57. E. 107. D
— *quo prætor maximus clavum pangebat annorum indicem.* 250. F
— *quo puellæ innuptæ & viduæ Junoni ζογίᾳ offerebant donaria.* 256. F
— *quo Romam a Gothis recuperavit Belisarius* 256. F
— *quo Saturno ac Maniæ humanis victimis sacrificatum.* 252. A
— *vitiosus ex SCto.* 3. C. 15. E
Diei *civilis partes & varia divisio.* 763. B
— *civilis principium & distributio varia.* 142. D. 180. C. 226. B
— *& anni principium non semper idem.* 461. A
Diei *etymon.* 180. B
— *in duodecim partes distinctio cui debeatur.* 226. C 182. A
Die *natali quæ numina culta.* 811. E
Diem *Babylonii quomodo circumscriberent.* 787. B
— *cur a media nocte auspicarentur Romani.* 310. E. 330. E. 761. F
— *mero frangere quid Horatio.* 185. E
— *natalem fere omnes populi celebrabant Thracibus exceptis.* 810. C
— *natalem veteres Christiani etiam coluerunt.* 812. A
— *Romani a media nocte auspicabantur.* 180. D
*ante* Diem *quartum Idus, & ex ante diem quartum Idus similesque locutiones quomodo intelligendæ.* 310. E. 331. A
*ante* Diem IV. *Kal. Non. vel Iduum erant dies atri.* 57. C
Dies *atri etiam religiosi dicti & quare.* 56. F
— *atri festique per fibros significati.* 788. B
— *atri qui & unde ita dicti.* 55. E. 212. D. 782. E
— *comitiales inter profestos.* 45. A
— *comitiales litera C. in Fastis notati.* 45. D
— *comitiales qui & unde ita dicti.* 45. C. D
— *comitiales, si illis comitia non habebantur, fasti quoque erant.* 45. D. 46. E
— *comperendini.* 58. D
— *decem qui deerant in anno lunari Pompiliano ad constituendum annum Solarem, in quos menses & quo modo distributi a Cæsare.* 155. A. *&c.* 289. E. 745. D
— *endotercisi qui & quibus literis notati.* 15. C
— *ἐξαιρέσιμοι ap. Siculos qui.* 223. B
— *fasti & nefasti qui & qua nota designati.* 15. B
— *fasti priores & fasti posteriores qui fuerint, & quibus literis notati.* 47. D. E
— *fasti qua litera in fastis Kalendaribus notati.* 45. B
— *fasti qui dicti.* 45. A
— *festi, qui, in quem finem & a quo instituti.* 49. A
— *festi, quibus ceremoniis ritibusque celebrati.* 49. B
— *fasti toti & proprie qui fuerint.* 45. B
— *fatales inter ferias.* 56. A
— *Halcyonei medio mense Decembri & unde sic appellati.* 112. B
— *inominales qui.* 783. C
— *intercisi in se, non in alia dividuntur.* 778. C
— *intercisi inter profestos.* 45. A. 771. E
— *intercisi qui fuerint, unde sic dicti, & quotuplices.* 47. D. E. 777. E. 547. F
— *intercisos an Christiana Ecclesia constituere possit.* 778. C
— *justi qui.* 58. D. 779. D. 990. A
— *nefasti inter profestos.* 45. A. 771. E
— *nefasti litera N. notati in Fastis Kalendaribus.* 47. B
— *nefasti qui & unde dicti.* 47. B
— *nefasti qui sint & qui dies insint nefastis.* 777. C
— *non præliares, eorumque divisio.* 779. C
— *nuptiales inter ferias.* 56. A
— *Poplifugium.* 10. F
— *postriduani omnes, hoc est, postridie Kalendas, Nonas, Idus, erant atri.* 57. A
— *præliares qui.* 58. D. 779. A
— *profesti aucti a variis Principibus multorum festorum abrogatione.* 41. B. *&c.* 42. A. *&c.*
— *profesti divisi ab Ovidio in fastos, comitiales & intercisos.* 45. A
— *profesti qui.* 44. E
— *quibus mundus patebat, infausti erant.* 57. D. 252. E
— *quibus mundus patebat, quid ita dicantur.* 57. D
— *religiosi & atri quare ἀποφράδες Græcis dicti.* 222. D
— *religiosi etiam infames vel infausti appellati a Nigidio.* 56. F
— *religiosi quare sic nominati.* 56. F. 57. A
— *religiosi seu atri contrarii erant diebus festis.* 56. B
— *rustici, & dies urbani in nundinis qui appellari queant.* 651.
— *senatorii qui fuerint.* 45. E. *&c.*
— *stati qui.* 58. D. 776. A
Dies *tres celebres singuli menses in anno Romano habebant, kalendas, nonas atque idus.* 180. A. 271. A
— *valetudini adversi & lethales.* 222. D
— *ὑπερβαίνοντες in anno Græcorum.* 151. E
Dierum *atrorum excogitata institutio, quod iis damna & clades insignes evenerant.* 222. E
— *civilium divisio ap. Rom. in festos profestosque laxissima.* 44. E
— *civilium varia apud varios populos initia.* 761. E
— *& mensium numerus in anno Romuleo.* 175. A
— *festorum multiplex divisio & differentia.* 51. B. *&c.* 56. B
— *in anno Lunari numerus uno die auctus, in honorem imparis numeri.* 424. E
— *in hebdomada ordo & nomina, qualia hodieque observamus, unde inventa & imposita.* 223. C. *&c.*

— in hebdomadas distinctio nulla initio ap. Ro. sed quidem Babylonios & Ægyptios. 294. C
— in singulis mensibus anni Juliani ordinatio. 289. F
— numerus in anno Græcorum. 148. F
— numerus in anno lunari & solari. 147. E. 311. E
— numerus in anno Romuleo. 146. B. 147. E. 175. B
— numerus in anno Pompiliano. 148. F
— numerus in singulis mensibus anni Romulei. 175. E. &c. 312. A
— numerus in mensibus singulis anni Pompiliani. 149. A
— profestorum divisio in tabulas. 48. E
— quot fuerit annus Confusionis. 154. E. 178. D. 267. F
— CCCLX. annus gentium & Romanus a Martiis ad Terminalia exclusis ἐπαγομέναις, in plures & æquales partes dividi potest. 429. A. B. &c.
— totius anni divisio primarias. 767. D
Diebus fastis contrarii dies atri seu religiosi. 56. B
in Dies Profestos Festosque divisi ap. Ro. dies civiles. 44. E
inter Dies religiosos, atros & infaustos qui dies numerentur. 57. A. &c.
Diebus atris nullum sacrificium recte fiebat. 782. F
— comitialibus Senatum habere jus quoque erat, si populus ad comitia vocatus non esset. 46. E
— fastis omnibus ad populum agi, id est, conciones haberi licuit. 45. E
— fastis omnibus legem fieri ut liceret, & cum populo agi, est contra consuetudinem rogatum lege P. Clodii. 45. B. E
— fastis Prætor pro tribunali sui copiam faciebat. 45. B
— fastis qui mere fasti erant, senatus quoque haberi solebat. 46. A
— festis quid facere vel non facere licuerit tam in Urbe, quam in agro. 50. A
— nefastis neque lege neque cum populo agere, conciones tamen habere licuit. 47. C. D
— nefastis senatum haberi nullis legibus vetitum fuit. 47. B
— religiosis nihil publice privatimque auspicari aut agere fas erat. 58. D
de Diebus justis lex ap. Gellium & eadem correcta & explicata. 779. E
in Diebus festis prænunciandis quæ formulæ adhibitæ. 49. C
in Diebus statis cujusque mensis superstitiosa vetustas plurimum religionis posuit & in quibus nominatim. 221. D. &c.
Diespiter Jupiter quare dictus. 187. E
Dii jugales. 1142. F
Diluculum quid. 764. A
Diluvii initium in quem mensem ac diem inciderit. 237. E
Dimensum quid. 956. E
Diribitores qui & unde appellati. 1319. A
Discingi militaris pœna. 1319. C
Discordiæ civiles ex uno quasi fonte oriri solent, ex inæqualitate sc. in bonis ac divitiis inter cives, & exemplum ejus rei in rep. Romana. 983. A. &c.
Diti patri in sacrificio nocturno boves nigri oblati, Proserpinæ vaccæ nigræ. 518. B
Divalia quæ. 12. B. 8. E. 18. C. 79. A
Divitiæ a Ro. Impp. prodige sparsæ, per cædes & rapinas iterum collectæ. 1271. C. &c.
— Romanorum immensæ, ejusque rei exempla. 1221. D. &c. 1263. E. &c.
Divitiarum modus ap. Ro. antiquis temporibus. 1222. F. &c.
Divortia Romæ aliquo tempore libera, & quo tempore non permissa fuerint. 1172. A
Divitibus ac opulentis solis ad dignitates patebat in Urbe aditus exclusis pauperioribus. 1281. C.
Dolea ἀρχαϊκῶς pro dolia. 25. F
Dolia quo mense picanda. 25. F
Δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις. 1125. D
Domus aurea Neronis. 1240. F
Donare quis dicatur. 936. D
Donativo ingenti militum plebisque animos sibi conciliabant Imperatores principatum auspicaturi, sed ævo labentis jam Imperii Ro. 1270. E
Dotem dicere aut promittere quid. 1114. D
Dotis datio, dictio & promissio separatæ in lege Julia. 1074. C
Duo jugera divitiæ erant sub Romulo. 1222. F
Duumviri sacris faciundis a quo instituti. 494. F. &c.
— sacrorum Servii tempore usque ad sexaginta excreverant. 496. D
Duumvirorum numerus a quo usque ad decem auctus. 495. E

E

Eboris usus primum in templis, deinde ad privatum luxum descendit. 1352. C
Ειρεσιώνη quid. 253.
Ελλιμενιστῶν ἀπογραφὴ quid Demostheni. 832. A
Elogium de titulo meretricis. 1068. E
Εμβάλλειν, & ἐμβόλιμα ἔτη, & ἐμβόλιμοι dies quæ Græcis. 224. D
Embolicæ species & Embola quid. 875. D
Εμπεδοῦν quid. 1094. A
Εμπόριον quid. 701. D
Emprunt, mutuatio, tributi genus in Gallia. 917. C
Encænia Judæorum. 256. B
Ενιαυτός, annus unde Græcis dicatur. 203. E
Εννεαδεκαετηρὶς Græcorum quæ & a quo instituta. 152. E
Εννεατηρὶς Græcorum quæ fuerit. 152. D
Επαγόμεναι Christianorum. 438. F
Επαγομένων quinque μυθολογία ap. Ægyptios. 432. D. E
Ephemeris quale Kalendarium. 142. A
Επικόμβια quæ. 511. B
Epocha anni & cycli Pompiliani demonstrata & ad annum Julianæ periodi applicata. 407. C. &c.
Epulæ adjiciales. 53. D
— Albanæ. 53. E
— Augurales. 53.
— Capitolinæ. 53. E
— Cereales. 53. E
— Diales. 53. C
— nundinariæ. 686. E
— Pontificiæ. 53. C
— pertinent ad dies festos. 51. C. 769. B
— quæ fuerint. 53. B
— Saliares. 53. D
Epulas diis indicendi qui potestatem habuerint. 53. B
— & convivia deorum Triumviri epulonum curabant. 528. E
— & convivia deorum primum parabilia, deinde in luxuriam abiere. 528. B
— & convivia diis adhibita & dapes iis appositæ. 527. C. &c.
Epulares qui. 53. C
Epulones qui dicti. 53. B. 770. C
Epulum inductum. 8. B. 12. A. 18. B
— Jovis quo mense, modo, loco & a quibus celebratum. 26. B
— Minervæ. 76. E

—— solenne quid ap. Ro. 770. A
Equiria. 4. C. 9. D. 15. F. 115. F. 116 F
Equitum ordinaria probatio seu transvectio quo die facta. 116. A
—— transvectio idibus Quintilibus. 245. C. D
Equorum cursus & immolatio equi victoris dexterioris bigæ Marti facienda quo die. 257. A
Equorum vehiculis junctorum pretium. 1237. A
Equivalens, æquipollens, tributi genus in Gallia. 917. D
Equus October dictus quo tempore immolatus Marti. 253. E
Ergasteriacum quale tributum. 904. D
Esseda qualia vehicula. 553. C
Essedis vecta etiam deorum vehicula. 553. D
Estappes, Annonæ, tributum in Gallia. 917. F
Exactionis sævissimum genus Julianus Augustus Clericis Christianis imposuit & quale illud fuerit. 860. C
Exactores sub Imperatoribus appellati milites. 834. F
Exactorum cura. 133. C
—— numerus. 833. E
Exagion ponderis genus. 901. B
Ἐξέτασις. 960. C
Exoprasia quale tributum. 906. D
Exulum apud Ro. opes immensæ, sed eæ restrictæ ab Augusto. 1222. E. 1268. B. &c.
Evictio Tyranni quid significet in Kal. vet. 110. C. D
Eunuchi unde dicti. 1337. B

F

Faba pro fabam ἀρχαϊκῶς. 27. A
Fabæ quando serendæ. 27. A
Fabariæ Kalendæ de Kalendis Juniis. 71. F
Fabii ad Cremeram quo die cæsi. 245. E. 115. D. 232. A
Facies fuco & medicamentis decolorata a mulieribus & a viris. 1306. F. &c. 1307. D
Faciem mulieres lacte asinino macerabant. 1306. C
—— pædagogiorum suorum Romani medicamentis oblinebant. 1306. C
—— in publico feminæ Ro. aliquo tectorio abscondebant. 1306. A
—— non mulieres tantum, sed & viri expoliebant. 1306. B
—— totam monstrosæ cuidam larvæ inclusam continebant mulieres Ro. quam in publicum proditura in ipso domus limine detrahebant. 1305. F
Familia Æmilia Romæ illustris virique in eadem nobiliores. 814. F
—— Claudia, ejus etymon, & qui in illa nobiliores viri. 813. D. &c. 814. A. &c.
—— etymon & significatio. 813. A
Fanatici quare Bellonæ Sacerdotes dicti. 72. B
Far aliquando triticum significat. 941. A
—— genus frumenti optimi. 1018. A
Farre plurimo utebantur Etrusci. 941. A
—— tantum usi Romani annis amplius. CCC. ibid.
Fasti a C. Flavio scriba Appii Pontificis Max. circa forum in albo propositi & vulgati. 39. D
—— annales marmoreis tabulis incisi & in comitio proponi quo tempore cœperint. 38. E
—— annales primum a Pontificibus compositi, sed non publicati. 38. D
—— Barbarorum in novo Orbe. 437. D
—— Consulares etiam florentis Reip. temporibus parum inter se consentanei. 362. C
—— contaminati adscriptis inter Deorum festa etiam diebus quibus Principum natalis, victoriæ partæ, mors, aliaque contigerant. 40. D
—— kalendares erant duplices, Urbani & Rustici. 42. C. D
—— dierum discrimina continentes initio penes solos Pontifices. 39. C
—— dies qui, quique illis contrarii. 773. A
—— erant duplices majores & minores. 37. D
—— in foro editiori loco affixi & minio aliisque pigmentis ornati. 38. E
—— majores erant vel consulares vel triumphales. 37 D
—— minores seu Kalendares qui. 39. A
—— quales ordinati ab M. Antonino ratione festorum & profestorum dierum, observati ad ultima Imperii tempora. 42. B
—— rustici qui & qualia continuerint. 44. B
—— triumphales consularibus fastis additi. 37. E
—— unde dicti. 39. A
—— urbani qui. 42. D
—— & nefasti qui & qua nota designati. 15. B
—— & nefasti toti, & qui prima, postrema & media parte tales erant quibus literis fuerint notati. 15. C
Fastorum duo genera. 773. C
—— origo ex annalibus Maximi sc. Pontificis. 37. F
—— rusticorum exemplar in quadrato marmore descriptum extat in Palatio Farnesiano. 44. C
Fastis diebus insunt Comitiales. 773. E
Fastos dierum æreæ tabulæ in foro incidendos curavit Augustus. 40. C
Fastos dierum emendavit Cæsar, itemque Augustus. 40. B. C
—— qui ap. veteres interpretati sint. 44. C
Fastis præmia virtutum, honores sc. & triumphi, æternitati a Romanis consecrata. 37. D
—— sacra deorum anniversaria consignata. 37. D
—— diebus non solum prætori tria verba solennia fari licebat. 773. C
—— diebus quæ verba prætori profari fas esset sine piaculo. 773. A. &c.
ex Fastis multa festa ac feriæ variorum Principum edictis abrogatæ. 41. B. C. &c.
Fastigium templorum ejusque ornatus. 1359. C
—— ædium ejusque ornatus. 1359. C
in Fastigiis ædium horti suspensi. 1363. E
Fatui inter ministeria potentiorum. 1344. E
Faunalia. 256. E
Fax prælata novæ nuptæ ex qua arbore fieret. 1034 B. &c.
Februa pro defunctorum manibus quo die & mense inciperent. 231. C
—— quid. 105. E. 748. A
Februarius Apollinari dictus ninguidus Numæ mensis. 214. E
—— cur ita nominatus. 149. B. 189. C. 214. C
—— Græcis sonat mensis καθάρσιος. 214. D
—— inter Terminalia & Regifugium sive post XXIII. diem findi solebat, mensemque alterna annorum vice recipiebat. 450. D
—— in tutela Neptuni. 747. F
—— initio ultimus anni mensis a quo secundo loco sit constitutus incertum. 338. C
—— intercalarius seu intercalaris quis mensis. 153. E 177. D. 214. E
—— mensis postremus Festo Pompejo. 214. C. 275. B
—— mensis quibus nominibus apud alias gentes appellatus. 214. E
—— nunquam dicuntur illi XXIII. dies, inter quos & quinque ultimos demtos Mercedonius infinditur, 332. A. 313. D
—— nunquam intercalabatur. 332. A. 314. F
—— quibus diis sacer. 215. A
—— semper XXVIII. dierum etiam tum, cum in eum Merkedonius inserebatur mensis. 332. A
Februarii in anno intercalari dies diagrammate exhibiti. 451. D.

—— *quinque ἐπαγόμεναι Mercedonio aggregati*. 450. D
—— *mensis imago in vet. Kalend. occurrens explicata*. 105. D
—— *vicesimus tertius dies erat ultimus totius anni Romani*. 275. B
Februario *cur a Numa par dierum numerus assignatus* 84. D. 176. E. 215. A
—— *mense civitas Ro. lustrari solita*. 189. C. 275. A
in Februario *quis numerus & quæ distitutio dierum tam in anno Numæ quam in illo Cæsaris*. 189. E. *&c.*
Februus *quis Deus*. 149. B. 189. C. 214. C. 275. A. B
Feliciter *vox solennis in acclamationibus*. 517. B
Feminæ *in familiam & sacra mariti transibant*. 52. E
—— *Junonem Natalem venerabantur die natali*. 54. F
—— *prægnante Opigenæ cereas imagines quo die offerrent*. 246. B
—— *prodigis comparandæ & ideo Græcorum more erant semper sub tutela & curatela*. 1339. D
—— *semper rei familiari graves existere solent*. 1339. B
Feralia *quis dies & unde appellatus*. 137. B. 9. C. 4. C. 15. E
Ferculum *quid*. 1387. F. 552. D
Fercula *illata & apposita lancibus argenteis, aureis*. 1388. C
Ferculorum *in conviviis numerus & pretium*. 1241. E *&c.*
in Ferculis *cibi a ministris illati & quidem ferventissimi*. 1388. A
Feriata *erat Flaminica, quoties tonitrua audiisset*. 64. E
Feriæ *conceptivæ*. 55. A
—— *conceptivæ quæ & quando fierent*. 800. C
—— *cum festo & sine festo*. 795. B
—— *denicales*. 54. D. E
—— *dictæ Juvenalia, & quales illæ*. 55. B
—— *die tyrocinii*. 55. A
—— *equorum probandorum*. 7. C. 11. B. 18. A
—— *equorum probandorum eædem ferme cum equiriis*. 76. C
—— *etiam dies nuptiales & fatales, itemque parentalia*. 56. A
—— *festis diebus annumerandæ*. 15. B
—— *gentilitiæ*. 54. D
—— *illo die, quo Cæsar Hispaniam citeriorem vicit*. 29. B
—— *imperativæ*. 54. B
—— *in susceptionibus fulgurum observatæ*. 816. C
—— *Juventæ & Summani*. 251. B
—— *Latinæ*. 54. B. 236. E. 238. E
—— *Latinæ in monte sacro in quem mensem diemque inciderent*. 238.
—— *Latinæ inter ferias conceptivas annales*. 800. D
—— *Latinæ quæ & unde dictæ*. 800. F. 801. A. *&c.* 784. A
—— *Latinæ quorum curæ commissæ*. 801. F
—— *magis idoneæ ad nubendum, quam viduis & quare*. 983. A
—— *mercatorum*. 239. F
—— *Neptuno*. 7. B. 11. B. 76. B
—— *non annales quæ*. 804. D. E
—— *novendiales*. 54. B
—— *paganicæ*. 54. B
—— *privatæ earumque divisio in sua genera*. 812. D. *&c.*
—— *privatæ quæ & quotuplices*. 54. D
—— *publicæ & privatæ*. 795. C
—— *publicæ quæ & quotuplices*. 54. A
—— *quæ non præliaribus diebus inerant*. 783. E
—— *quo die Augustus a S.P.Q.R. Pater Patriæ appellatus est*. 43. D
—— *quotuplices*. 525. C. 656. E
—— *regiæ*. 54. C
—— *Saturno*. 8. E. 18. C
—— *sementinæ*. 54. B. 115. E. 803. A
—— *Vestæ*. 17. A
—— *quid & unde dictæ sint*. 771. A. 45. A. 656. E. 795. A
—— *stativæ*. 54. A. 795. D
Feriarum *conceptivarum partitio*. 800. D
—— *cura penes Sacerdotes*. 658. C
—— *genera & divisio exhibita*. 772. A. *&c.* 793. A *&c.*
—— *Latinarum diebus non licebat accusare*. 801. E
—— *licentia multis abrogatis coercita variorum Principum edictis*. 41. B. C. *&c.*
—— *publicarum tria genera*. 795. C
Feriis *Latinis Romani sacrificio præerant*. 801. C
—— *quid facere vel non facere licuerit tam in Urbe quam in agro*. 45. D. 658. C
Fescennini *versus qui*. 1047. D. 1124. F
Festa *ap. Ægyptios ob bissexti neglectum circumducta per totum annum*. 433. B
Festi *dies diis dicabantur sacrificiorum, ludorum aut feriarum causa*.
Festum *Æsculapii Athenis*. 257. C
—— *Ancillarum*. 244. C
—— Χάλκεια *Athenis quale fuerit*. 254. E
Festa Χύτροι & Χοὲς *uno die celebrata, tum quo die, quoque modo*. 255. E
Festum *clangoris seu buccinæ & Scenopegium ap. Hebræos quibus diebus celebratum*. 249. F. 250. A. 251. A
—— *Dianæ ad Ariciæ & illius causa*. 75. B
—— ἐπαχθῆ *apud Bœotios*. 254. A
—— *Fortunæ fortis*. 73. B
—— *Fortunæ hujusque diei*. 74. D
—— *Fortunæ muliebris*. 256. D
—— *Lunæ in Græcostasi*. 75. F
—— *Minervæ in Aventino*. 73. A
—— *Oschophoria Athenis*. 253. B
—— *Palmarum apud Judæos*. 251. D
—— *Panathenæa magna Athenis*. 243. D
—— Πιθοιγία *Athenis*. 255. C
—— *Pyanepsia Apollini celebratum*. 253. B
—— *quale Lucaria*. 74. B
—— Σακέας *Babylone celebratum*. 242. C
—— *Salutis in Quirinali*. 75. A
—— *Servorum*. 247. F
—— *Servorum Idibus Augusti & quare*. 75. C
—— *Summani ad Circum Max*. 73. B
—— Θεσμοφόρια *Athenis*. 254. A
—— *Virtutis & Honoris quo die cultum*. 70. F
Festorum *dierum divisio*. 769. A
—— *dierum instituendorum duæ causæ*. 768. D
—— *licentia nimia coercita variorum Principum edictis multis abrogatis*. 41. B. C
Festis *diebus ornabant deorum templa suosque postes Romani additis etiam lucernis*. 768. C. *&c.*
Ficedulæ *in deliciis illarumque conditura*. 1390. B
Fictiles *amphoræ ob tenuissimam subtilitatem ingentia excedebant precia*. 1382. E
Fidius, *Sancus, Semo, tres dii Sabinorum eorumque templum ac festum, tum nominum ratio*. 72. B. C
Fieri *pro sacrificari*. 110. B
Fiscales *res aliæ, alia privata substantia & diversi administratores*. 898. F
Fiscus *ab ærario in quo differat*. 898. F
—— *quid*. 898. C
Fisci *procurator dicitur Rationalis*. 898. E
an Filiæ *nothæ dos a patre debeatur jure novo*. 1205. C

Flamen *Dialis vindemiam auspicabatur & quo die*. 248. F
Flaminica *quoties tonitrua audiisset, feriata erat*. 54. E
Flaminis *Dialis uxor non pectebat crines, dum ancilia circumferebantur*. 23. D
Flammeum *quid*. 1031. E
Floralia. 238. E. 69. A
—— *agebantur in circo Floræ*. 69. B
—— *quando instituta & de cujus nomine appellata*. 69. A
—— *quo mense & die celebrata*. 24. F
Focus *crepax quis*. 538. D
Fœdus *inter Romanos & Latinos*. 801. A
Fœnificium *quo mense fiat*. 25. A
Folis *unde dicatur & quid sit*. 8888. A. *&c*.
Folium *æstimatio*. 888. E
Fontes *& fluminum capita sacra erant*. 77. B
—— *in peristyliis, in cubiculis potentiorum, imo ubique in ædibus*. 1361. F
—— *in singulis cubiculis*. 1238. D
Fontium *sacras aquas turbare lavando religiosum erat*. 77. B
Fontibus *genii & numina tribuebantur*. 77. C
Fontinalia. 7. E. 12. 18. B. 77. B
Fordicidia. 137. C. 237. E. 10. C. 16. E.
Fores *ædium magnificarum cælatæ, æratæ, aliisque modis ornatæ*. 1352. D. *&c*.
Fornicis *favilla & fuligo*. 1068. A
Foricæ & forire *quid*. 882. C
Foricarii *qui*. 882. D
Formula *kalandi qualis a Pontifice adhibita*. 58. F
in Formulis *dicendi* decimo septimo Kalendas, decimo sexto Kalendas *& similibus defectuose loquimur, & quid in iis subintelligatur*. 271. C. D
Fornacalia *qualia sacra*. 51. D
Fornicaria *de meretrice*. 1067. A
Fornicatrix *quæ*. 1066. E
Forum *quid, unde dictum & quot modis intelligatur*. 650. C
Fora *olim* Romæ XVII. 650. C
Franciæ *Rex duo genera bonorum possidet*. 916. C
de Franciæ *regni tributis*. 916. C. *&c*.
Franciscus *Galliarum Rex quo mense ac die ad Ticinum captus*. 231. A
Fratres *patrueles qui*. 1194. A
Fratria *quæ*. 1198. E
Fritilli *imago & ejus usus in alea*. 113. A
Fritillum *& Pyrgus quod & in quibus differant*. 113. B
Frumentaria *largitio Adriani*. 955. D
—— *largitio Alexandri Imp*. 957. B
—— *largitio Antonini Philosophi*. 956. F
—— *largitio Antonini Pii*. 956. E
—— *largitio Cæsaris extra ordinem facta*. 951. B. 958. F
—— *largitio Caracallæ*. 959. A
—— *largitio Domitiani*. 955. E
—— *largitio Minucii Augurini*. 940. D
—— *largitio Neronis*, 952. F
—— *largitio Nervæ*. 956. A
—— *largitio M. Seii*. 942. C
—— *largitio Septimii Severi*. 957. A
—— *largitio Terentii & Cassii*. 945. E
—— *largitio Tiberii*. 952. E
—— *largitio Titi*. 955. C
Frumentariæ *largitionis initium*. 930. F
—— *largitionis auctor Senatus videtur fuisse*. 938. E
—— *largitiones Augusti*. 951. E
—— *lex Apuleii*. 944. E
Frumentaria *lex Drusi*. 945. B
—— *lex C. Gracchi*. 943. C
—— *lex C. Gracchi abrogata*. 944. E
—— *lex incerti auctoris*. ibid.
—— *lex Saturnini*. 944. F
Frumentariæ *legi Marius intercessit*. 944. F
Frumentaria *procuratio sordida quibusdam visa*. 968. A
Frumentariæ *leges duæ Clodii*. 950. B
—— *naves immunitate a Nerone donatæ*. 960. B
—— *provinciæ quæ dicantur*. 970. F
—— *tesseræ*. 957. C
—— *tesseræ vili vendebantur*. 960. E
Frumentarius *canon*. 848. E. *&c*.
ex Frumentariis *tribus provinciis Africa una erat*. 971. A
Frumentatio *gratuita a Nerone sublata*. 953. A
Frumentationis *nomen quando usurpari cœptum*. 930 E
de Frumentatione *abolenda Augusti consilium*. 951. C
Frumentum *apparitoribus magistratuum gratis datum*. 938. E
—— *egenis datum Catonis sensu, non tamen gratis*. 950. C. 948. F
—— *in annonæ caritate ab Impp. levissimo pretio venditum*. 951. D
—— *honorarium*. 848. D
—— *imperatum*. 848. B
—— *nunquam omnibus civibus gratis datum*. 966. E
—— *Populo Rom. a privatis testamento datum*. 942. D
—— *Populo Rom. vicatim distributum*. ibid. E
—— *quid significet*. 940. E
—— *vectigale triplex, decimarum, emptum & æstimatum*. 847. F
Frumenti *Ægyptii modus*. 962. B. *&c*.
—— *Africani modus*. 971. C
—— *curatio inter Imperii firmamenta*. 973. D
—— *invectio in Urbem Romam ex quibus provinciis facienda*. 972. A
—— *modus auctus a Severo & Caracalla*. 959. A
—— *modus a Gracco definitus*. 958. B
—— *modus initio incertus*. 958. A
—— *pretium nullum fuit, quod lege Clodia dabatur*. 952. F
—— *pretium varium Romæ* 878. B
—— *quantam vim Ægyptus quotannis tulerit*. 971. F
—— *Romam invecti pondera*. 971. A. *&c*.
—— *Siculi modus*. 971. B
Frumentum *acceperunt liberti*. 959. D.
—— *aratoribus & negotiatoribus an Augustus distribuerit*. 959.
—— *gratuitum Nero primus dedit cohortibus prætoriis*. 959. C. 966. B
—— *publicum accipientium quis numerus variis temporibus & legibus fuerit*. 960. F. *&c*.
—— *publicum qui curarint*. 697. A. *&c*.
—— *quam multis Augustus dederit*. 963. B. *&c*.
—— *Senatores acceperunt*. 959. E
Frundem *ἀρχαϊκῶς pro* frondem & fruntem *pro* frontem. 24. C
in Funeribus *Imperatorum quantæ impensæ*. 1250. A
Fuga *Licinii in vet. Kal. notata*. 108. A
Fulgora *Dea culta & cur*. 816. C
Fulgur *quid & ut differat a fulmine*. 816. A
Funebris *sumptus in funere suo faciendus definitus testamento ab quodam Isidoro, tum ab Anterote liberto ad epulum annuum, permagna summa*. 1240. D. E. *&c*.
Funebres *sumtus crescente imperio Urbis etiam crevere* & *ejus rei exempla*. 1147. E. *&c*.
Funeris *sumtus primis Romæ temporibus modum non excessit*. 1247. C
Funerum *sumtus Sylla lege coercuit, sed ea ab ipso mox est violata in Metellæ uxoris funere*. 1250. D
in Funeribus *munera gladiatoria & servi manumissi*. 1248. C

—— *quanti sumptus facti in aromata sola.* 1248. B
Fungorum *usus in deliciis.* 1391. F. *&c.*
Furina *dea & ejus festum.* 74. D
Furinalia *sive* Furrinalia. 6. *D.* 11. A. 17. B

G

Gabellæ *quale vectigal in Gallia.* 918. A
Gallicinium *quæ pars diei & unde dictum.* 763. E
Gallus *victoriæ hieroglyphicum.* 807. C
Galli *gallinacei lacte madidis cibis saginati.* 1389. F
Gastæ *quales amphoræ ap. Petronium.* 882. C
Gemmæ *in balteis & vaginis.* 1328. C
Γενεὰ *quot annos contineat.* 610. E
Generaux des Finances *qui in Gallia.* 918. B
Genialis *mensis quis dictus.* 218. C
Geniis *anno secularium ludorum sacra facta.* 532. C
Genius *deus tutelaris virorum, ut Juno natalis mulierum.* 534. C. *&c.*
—— *voce* Δαίμων *significatur.* 532. D
ad Genii *cultum varia die natali fieri solita, & qualia illa.* 537. E. *&c.*
in Genii *honorem covivia die natali celebrata.* 540. C
Genio Fausto *quando libari solitum a Græcis.* 255. B
—— *qualis ara die natali extrueretur.* 537. D. *&c.*
—— *liba offerebantur.* 538. E
—— *platanus sacra.* 535. F
—— *quo in loco sacrum anno ludorum secularium fuerit factum.* 535. A
—— *vacare, indulgere quid.* 540. E
Genium *colentes prosternebant se, ut fronte terram tangerent.* 540. F
—— *curare quid.* 539. E
—— *defraudare quid.* 540. E
—— *veteres cum primum locum aliquem ingrederentur, religiose salutare; & cum abirent, valedicere soliti.* 535. D
per Genium *eorum, a quibus aliquid volebant impetrare, rogabant & jurabant Romani.* 541. A
*an* Genio *ullum animal mactaretur, ambigitur.* 539. D
Genii *etiam civitatum & locorum.* 535. B
—— *placabantur imprimis mola salsa seu farre tosto.* 538 C
—— *qua forma exprimerentur.* 535. F. *&c.*
Geniis *in aliquo templo a Romanis sacrificatum.* 535. E
Genios *cur Romani die natali colerent.* 541. C. *&c.*
—— *malos etiam Græci gentiles agnovere* 543. A
Gignendi *finem quis annus, quæque ætas tam viris quam mulieribus adferat.* 1071. C
Gladiatoria *munera exhibita in funere aliquando argenteo arenæ apparatu & argenteis hastis.* 1249. B
de Gleba *Senatorum.* 894. F
Glebatio *Senatoria, Glebalis collatio, Glebalis functio.* 865. C
Glos *quæ & origo vocis.* 1199. B
Gomeriaticum *quale vectigal.* 905. D
Græca *lingua tantopere Romæ in usu, ut Romanæ mulieres passim eo idiomate loquerentur.* 1294. A. *&c.*
a Græcis *omnis luxus in urbem Romanam influxit.* 1290. E. *& Græcari quid.* 1293. B
Græcia *a Romanis capta victores vicissim suis luxuriæ instrumentis cepit effeminavitque.* 1294. B. C
Græcorum *fallacibus ingeniis magnopere se oblectarunt potentiores inter Ro.* 1293. E
Gressus *suspensus & mollis, ejusque rei scholæ.* 1226. A

H

Halcyon *avis &* Halcyonia *dies.* 112. B. 257. A
Harmamaxæ *qualia vehicula.* 552. E
Harundines *quo mense incendendæ.* 23. C
Hebdomas *quando & quomodo cœperit.* 680. D. *&c.*
Hebdomadis *diem principem Christiani exorsi a meditullio septem siderum, sole sc.* 681. A
in Hebdomade *septem dierum labyrinthus cœlestis ex planetis constitutus.* 681. D. E. F.
Heliocaminus *juxta zetam struebatur.* 1366. D
Heliocaminus *quid.* 1366. D
Hemerologium *vetus Ro. anni Juliani literas nundinales exhibens.* 669. F. 670. A. *&c.*
in Hemerologio *Ro. dies festorum ludorumque explicati.* 989. D. *&c.*
—— *Ro. quæ sacra & solennia desiderentur.* 692. C. *&c.*
Hercules *quodammodo pupillus.* 448. D
Heres *testamenti per æs & libram quis esset.* 1136. A
Hermaphroditi *in deliciis potentiorum.* 1345. A
Heuresis *in Kalendario rustico Farnesiano quid.* 26. E
Hierosolyma *a Pompejo quo mense ac die capta.* 243. C
—— *quo mense ac die a Nabuchodonosoro capta.* 241. F
Hierosolymitanum *templum a Vespasianis exustum, & quodie.* 247. D
Hilaria. 255. A
Histriones *& pantomimi Ægypto patriam suum debebant.* 1341. F
Holosericæ *& subsericæ usus.* 1227. D
Homines *inter pectinem & speculum occupati.* 1305. B
Hora *quæque quid apud Romanos gereretur.* 185. B. *&c.* 227. A
—— *Quirini de Hersilia.* 181. D
Horæ *æquinoctiales.* 226. D
—— *æstivæ.* 226. E
—— *brumales seu hybernæ.* 226. E
—— *civiles.* 181. E
—— *civiles nunquam pares nisi æquinoctio verno & autumnali.* 181. E
—— *civiles qua ratione per totum annum crescant & decrescant.* 182.
—— *cœli custodes cum Jano.* 181. B
—— *de quatuor anni tempestatibus.* 181. B
—— *inæquales ob dierum noctiumque inæqualitatem* 132. 181. E. *una* A
—— καιρικαὶ *sive in æquales ap. Ægyptios earumque ratio.* 682. A
—— *naturales.* 181. D
—— *nocturnæ.* 186. C
—— *præsides deæ quatuor anni temporum.* 209. D
—— *Solis & Croni filiæ.* 181. A
—— *temporariæ.* 226. D
Horæ *vox unde sic dicta.* 181. A. B
Horarum *rationem variis solaribus & umbra sua ostendentes obelisci.* 183. D. E
Horas *Hermes Trismegistus invenit & quo modo.* 182. A. 226. C
Horologium *aquæ, quam* clepsydram *vocant, quando primum Romæ dicatum.* 183. D
—— *umbrarum, seu sciothericon primus Anaximenes Milesius invenit.* 182. E. 226. E
Herologii *seu sciotherici usus quando primum Romæ institutus.* 182. F
Horus *quis fuerit.* 650. D
—— *rationem nundinarum ap. Ro. ignorabat.* 650. E
Hostis *ap. antiquos quis.* 776. B
Hostis *discrimen ab inimico.* 776. B

I

I *&* E ἀρχαϊκῶς *in vicem mutabantur.* 25. B
Jana Novella, *an* Iuno Novella *legendum in formula calationis.* 59. A
Jana *pro Luna.* 311. B. C.
Janitor *ad ostium catenis alligatus.* 1453. D
Janual *quid.* 174. C

Januarius & Februarius a Numa quot dierum facti & unde ita appellati. 741. A
—— & Februarius menses additi a Numa & Martio præpositi. 194. A. 288. F
—— prævia intercalatione pedetentim sede sua luxatus in anno Pompiliano tandem in Autumnum & Octobris finem pervenit. 346. F. &c.
—— primus anni mensis quibus nominibus apud alias gentes appellatus. 214. B. &c.
—— quibus diis sacer. 214. B
—— unde dictus. 212. A. 1274. A. 149. B
Januarii mensis imago in vet. Kal. occurrens explicata. 104. F
Januario cur princeps inter menses locus datus. 214. C 274. B
—— dies a Numa additus in imparis numeri honorem. 741. A
—— prudentiam regum indicanti nomen imposuit Numa. 745. F. &c.
in Januario quis numerus quæque distributio dierum tam in anno Numæ quam in illo Cæsaris. 188. D
ad Januas & limina domorum festis diebus lucernæ appendebantur & postea lauro ornabantur. 49. E
Janus bifrons. 746. E
—— cur bifrons existimatus. 274. E
—— mensem ad lunæ cursum, annum ad solis revolutionem constituit. 174. D
—— pro sole. 311. C
—— quare geminus & claviger dictus. 173. F
—— quare modo patulcius, modo clusius diceretur. 174. A
—— quid Aramæis. 173. E
—— symbolum anni. 206. A
Jani historia apud Græcos qualis. 174. C
—— simulacrum digitos ita habens figuratos, ut dierum totius anni numerum designent. 171. D. 206. A
sub Jani nomine Noa cultus. 173. E
Iduare quid Hetrusca lingua. 60. C. 145. B. 188. A. 230. E. 273. A
Idus Jovis feriæ quare apud Thuscos. 188.
—— Martiæ inter infaustos dies relatæ. 58. B
—— Martiæ quare parricidium dictæ. 41. A. 234. D
—— unde dictæ. 60. B. 145. A. 187. E. F. 220. E. 273. A
Idibus nomina tantum exigebant. 760. B
—— omnibus ovis immolabatur. 758. E
—— præcipue feriæ apud Græcos ferme dicatæ. 221. D
Idus Jovi sacros habuere Romani. 221. B
Idulis ovis Thuscis. 220. E 60. C
Jecur anseris. 1389. F
Ἱερεῖς ἐπ' οἰωνοῖς. 1026. A
Jejunia inter sacra publica non stata. 52. C
Ilithya Parcarum πάρεδρος. 521. E
—— una. 521. A
Ilithyæ plures & quare. 520. E
—— quales deæ. 520. F
Ilithyarum sacrificia cur tempore ludorum secularium subjuncta sacrificiis Parcarum. 521. C
Ilithyis sacrificium oblatum tempore ludorum secularium. 520. D
Illationes novas Provinciales non ferebant. 860. B
Imagines collocatæ in variis ædium partibus. 1356. C
—— majorum in atriis aut erga parietem affixæ aut opere tectorio insertæ. 1355. C
Imperatoris nomen appellatio militaris, & quinam hoc nomen consequerentur. 805. F. &c.
—— vox prænomen & tres usus habuit. 805. C
Incendit pro incenduntur & inceditur. 22. C
Incendunt ἀρχαϊκῶς pro incenduntur. 25. E
Incrementum auri. 874. A
Indicere templis divum honorem de supplicatione. 844. D
Indictio appellata collecta, collatio, symbola, ἔρανον. 864. D
—— idem quod annua pensitatio. 864. A
—— quindecim annorum revolutio. 864. F
Indictiones unde dicantur. 763. E
de Indictionibus. 863. E. &c.
Indictionale augmentum. 868. F
Indulgentiæ criminum & solutio vinctorum. 868. A
—— cur singulis centenis annis darentur. 629. F
—— horum seculorum in Ecclesia Ro. eædem cum indulgentiis primorum seculorum. 634. E
—— tributorum quare concessæ. 867. E
Indulgentiarum in Ecclesia Rom. prima origo. 632. D
—— quæ centenis quibusque annis dabantur a Pontificibus Ro. origo referenda ad Philipum Imp. eæque in locum secularium ludorum paulatim subrogatæ. 637. A
—— singulis centum annis dari solitarum in Ecclesia Ro. origo non fuit ab Hebræorum jubilæo. 637. B
de Indulgentiis & immunitatibus tributorum. 866. E. &c.
Infamia prætoris edicto notabantur, qui artis ludicræ pronunciandive causa in scenam prodiissent. 1062. C
Infimæ plebis homines tam divites, ut ludos ederent & qui id facere ausi fuerint. 1267. B. &c.
Intempesta nox quid & appellationis origo. 766. E
Inter cæsa & porrecta quid ap. Ciceronem. 778. B
Intercalandi cura Pontificibus commissa. 153. F. 225. C
—— mensis unius qui alternis dierum esset XXII. & XXIII. rationem unde Romani acceperint. 312. E. 331. E
—— ratio apud Hebræos. 225. B
—— ratio apud Thebanos in Ægypto. 225. A
—— ratio apud varios Græciæ populos. 225. B. &c.
—— ratio in anno lunari Romuleo qualis observata. 85. C. D. &c. 287. E
—— rationem variam diversæ gentes secutæ fuerunt, nunquam tamen ad liquidum respondentes temporum adæquatione. 225. A
Intercalare bissextum diem piaculum ap. Ægyptios. 433. A
Intercalarium mensem Cæsar sustulit. 291. A. 430. B
in Intercalario mense Kalendæ Martiæ numeratæ. 541. A
Intercalaris dies an etiam fuerit in anno Pompiliano. 177. F. 314. D
—— dies bissexti quando lucro. 448. E. &c.
—— dies proficiet tempori. 449. A
—— mensis in anno Græcorum ἐμβόλιμος dictus. 151. E
—— mensis interdum appellatus is mensis, qui proprie intrudebatur cum quinque appendicibus. 332. C
—— mensis non tantum ille dicebatur, qui intercalabatur, sed etiam ille, in quo intercalabatur. 177. D. 276. C. &c. 313. F. 449. D. &c.
—— mensis unde mercedonius dictus. 87. A. 313. A. 374. E. 425. D. E
—— mercedonii decimo quarto Kalendæ Martiæ incipiunt & post XXIII. assumunt quinque ἐπαγομένας. 451. A
Intercalares dies qui Græce vocentur. 744. B
—— Kalendæ initium suum capiunt decimo quarto die Februarii. 451. A
—— Kalendæ quæ dictæ. 177. E. 276. A
—— Kalendæ undenæ post idus Februarias numeratæ. 450. E
—— versus. 744. C
Intercalarium Kalendarum, & intercalarium Eiduum mentio in fastis triumphalibus. 453. E
Intercalarunt diem Romani extra Mercedonios suos. 314. D

Intercalati *in anno veteri Ro. imitatione Græcorum dies quidem nonaginta, non autem in tres menses, sed in quatuor distributi.* 331. E
Intercalatio *a Numa primum instituta & quidem sacrorum potissimum causa* 153. B
——*bissexti in anno Juliano instituta post non omnibus numeris absoluta deprehensa.* 179. C. 268. D
—— *diei bissextilis ante Cæsaris editionem ap. Rom. inaudita.* 333. C
—— *diei singulis quadrienniis abundantis Pontificum inscitia perperam instituta emendata ab Augusto.* 40. C. 164. B. 179. B
—— *Græcorum.* 741. B
—— *Græcorum qualis & quatenus ab ea Romani abierint.* 428. D
—— *in anno Græcorum quo mense facta, & quo item mense in anno Pompiliano Romanorum.* 153. C. 177. A
—— *in anno Pompiliano.* 152. D. *&c.* 152. F. 153. A. *&c.* 176. E. *&c.* 263. E. 290. F. 312. E. *&c.* 316. F. *&c.* 331. E. 402. B
—— *in anno Pompiliano more Græcorum excogitata & quare.* 151. D
—— *interdum omissa, & ob quas causas.* 743. C
—— *Pontificum annum Pompilianum tempus plane loco movit.* 40. A. 178. B. 346. F. *&c.* 521. A. 346. F. 347. A. 411. C. *&c.* 427. A
—— *Pontificum prava quomodo & quando a C. Cæsare emendata.* 39. E. F. 40. A. 178. C. *&c.*
Intercalationis *dies omnis religiosus & infaustus.* 315. E
—— *etymon.* 224. D
—— *Romanæ discrimen ab illa Græcorum.* 743. A
—— *veterem locum in novo anno Cæsar retinuit, rem ipsam bissextum appellavit.* 430. C
—— *usus quando primum sit institutus in anno Rom. variæ sunt opiniones.* 178. A. 225. E. 314. B. 338. C
Intercalationem *Græcorum secuti Romani, sed frustra.* 742. A
post Intercalationem *dies quinque quasi extra annum & quasi non essent.* 426. C. D
Intercalandi *origo.* 426. E
Intercalatione *prava anni Romulei lunares vitiati.* 84. D
Intercalationes *variæ in anno Græcorum institutæ, ut is æquare posset cursum Solis.* 151. E. *&c.*
Intercalationibus *a Romanis quis mensis deputatus.* 742. F
Intercalatum *an etiam in Olympiadibus.* 314. D. E. 333. A
—— *non semper a Romanis post* XXIII. *diem Februarii.* 743. B
Intercalatus *dies bissextus in anno Juliano post Terminalia.* 155. B. C. 291. D.
——*mensis intercalaris post Terminalia in anno Pompiliano.* 153. D. 177. A. 275. C. *&c.* 313. C. 426. A
Intercidens *dies, Græcis* ἐντερδιχῖνος *quis.* 224. E. 425. D
Intercisi *dies qui & quibus literis notati.* 15. C
Invito patrono *liberta, quam uxorem patronus duxerat, nubens quo modo intelligendum in capite legis Juliæ de marit. ord.* 1077. A
Jovis pluvii *imago insculpta Columnæ Antoninianæ.* 112. D
Jovi *cur Homerus tribuerit vestitum circumdatum* ἑκατὸν θυσάνοις, *i. e. centum fimbriis.* 482. C
Jovem *apud se natum Cretenses gloriati sunt.* 107. A
Iris dædala *cur dicta.* 105. D
Isis *character & symbolum anni ap. Ægyptios.* 205. C
—— multimammia. 111. D
Isidis ἄφιξις. 115.
——*navigium quo die celebretur.* 22. F
——*proprium erat sistrum.* 111. B
——*sacerdotes dicti* sistrata turba. 111. C
—— *sacerdotes quare* linigeri *dicti.* 111. B. C
Isidi *anser sacer erat & in victimam destinatus & quare.* 111. D
Isidis *sacerdotum calvities expressa in imagine mensis Nov. in vet. kal.* 111. C
—— *sacra quo tempore quoque ritu Romæ celebrata.* 24. A
—— *simulacrum fert sistrum dextra manu.* 111. B
Itis *vel* Idis *quid ap. Tuscos.* 60. B. 187. E
Jugatio *aliud est & diversum quid a jugatione cum capitatione conjuncta* 853. F. *&c.*
—— *& jugeratio.* 862. E
Juga *& Jugatio quid.* 853. E. 859. F. *&c.*
Jugorum *quantitas in tabulas relata.* 859. F
Julius *mensis cui deo sacer.* 217. A
—— *mensis quare appellatus qui ante Quintilis.* 163. A. 193. F. 217. A. 278. D. 752. E
——*quibus aliarum gentium mensibus respondeat.* 217. A
Julii *mensis imago in vet. Kal. occurrens explicata.* 108. C
in Julio *mense quis numerus quæque distributio dierum tam in anno Numæ quam in illo Cæsaris.* 194. A
Junius *mensis cui Deo sacer.* 216. F
——*mensis quibus aliorum populorum mensibus respondeat.* 216. D. E
—— *mensis unde sic appellatus.* 192. E. 216. C. 278. C. 751. A
Junii *mensis imago in vet. Kal. occurrens explicata.* 127. E
in Junio *mense quis numerus quæque distributio dierum tam in anno Numæ quam in illo Cæsaris.* 143. B
Juno Covella *unde sic dicta.* 21. C
—— *Curis quæ.* 1027. B
—— Γαμηλία. 530. C
—— *Juga, seu* Ζυγία. 1030. E. 530. B. C
—— *Kalendaris unde dicta.* 59. F
—— *natalis dea tutelaris mulierum, ut genius Deus tutelaris virorum.* 534. C. *&c.*
—— *quibus in locis Romæ a matronis coleretur.* 530. C *&c.*
Junonis Jugæ *ara.* 530. B
Junoni *a matronis cur preces ludis secularibus factæ.* 529. D
—— *honores multi in nuptiis habiti & quare.* 1028. E
—— *multa secundum munerum, potestatum ac in re uxoria officiorum varietatem cognomina indita.* 1030. E
—— *natali qua veste & quo cultu a mulieribus sacra facta.* 527. B
—— *quibus corporis gestibus ex Sibyllini carminis præcepto matronæ Romanæ supplicarent.* 531. B. *&c.*
Jupiter *Herceus quis.* 53. A
Jus *cognationis quoad nuptias an lege aliqua certa populi Ro. definitum fuerit, an moribus tantum & veteri consuetudine, difficile dictu est.* 1181. A
—— *cognationis quoad nuptias tribus regulis comprehendi potest.* 1181. C
—— *Italicum de immunitate tributorum.* 867. C
—— *nexi ap. Ciceronem.* 991. D
Juvenalia *qui dies.* 55. A
Juvenci *quo mense domandi & quomodo.* 24. D

K

Kalendæ *fabariæ quæ.* 193. B. 240. F. 71. F
—— *femineæ quæ Juvenali.* 233. C
—— *Januariæ cur Jano dicatæ.* 149. B

— in

—— *in tutela Junonis.* 757. B
—— *intercalares priores & posteriores quæ.* 276. A. 332. E. 313. F
—— *intercalares quæ.* 276. E
—— *Juniæ quare* fabariæ *dictæ.* 71. F
—— *Martiæ quare a matronis celebratæ.* 133. D
—— *nonæ & idus cur in singulis mensibus quasi legibus præstitutæ, a Rom. observatæ.* 187. B. 273. B.
—— *nonæ & idus religiosi dies habiti contrahendo matrimonio.* 221. A
—— *nonæ & idus suis sedibus a Numa relictæ, cum annum mutaret.* 150. A. 338. F
—— *omnes in Junonis tutela erant.* 58. F. 221. B
—— *quis dies mensis & unde vox derivata.* 58. F. 144. C. 186. E. 220. D. 272. B
Kalendarum *diem debitores execrabantur & quare.* 759. D
—— *nonarum & iduum postriduani dies omninosi.* 221. A
—— *nonarum & iduum vocabula ex Græcorum imitatione Romani transtulisse videntur.* 330. C
*in* Kalendarum, *nonarum & iduum enumeratione cavebant Romani, ne ante Nonas & Idus Kalendas nominarent.* 272. C
Kalendæ *non erant apud Græcos, sed* Νεμηνίας. 760 F
—— *Nonas & Idus quot quot quilibet mensis habeat.* 271. E
ad Kalendas Græcas *proverbium quid significet.* 760. D
*in* Kalendas, *nonas & idus singulorum mensium dies Romani distribuebant.* 271. A
Kalendis *cujuslibet mensis deos venerabantur Athenienses, postridie Semideos, Indigetes & Heroas.* 221. C
—— *Juliis ædibus migrabatur Romæ.* 73. C
—— *nomina persolvebant debitores usurariis.* 221. D
—— *qualia apud Græcos agi solita.* 221. C
*a* Kalendis *ad nonas dierum numerus in quem finem proderetur.* 757. C
*a* Kalendis *ad nonas quot dies superessent, ad populum calatum in Capitolio juxta curiam Calabram pronunciabat Pontifex.* 59. C. 186. E. 187. A. 311. A
*de* Kalendis, *nonis & eidibus, deque feriarum variis observationibus innumeros auctores cura quæstionis exercuit.* 650. E
Kalendares *ritus ac sacrificii morem ab Etruscis Romani habuerunt aut verius a populo Israel.* 54. C
Kalendarium *anni Pompiliani & Juliani junctim descriptum, ut differentia uniusque eo sit notabilior.* 188. D. &c.
—— *apud varias gentes varium.* 143. A
—— *fœneratoribus proprium quale.* 143. A
—— *Julii Cæsaris.* 156. B. C. &c.
—— *Numæ Pompilii.* 150. C. &c.
—— *quale a Romulo constitutum fuerit.* 143. C
—— *quid & nominis etymon.* 141. B. C
—— *Romanum Lalamantii.* 280. B
—— *Romuli.* 146. C
—— *Rusticum Farnesianum.* 21. &c.
—— *Thomæ Dempsteri.* 115. &c.
—— *vetus Dionysii Petavii cum ortu occasuque stellarum.* 125. &c.
—— *vetus ex codice MSto Cæsareo descriptum.* 103. &c.
—— *vetus marmoreum in ædibus Maffæanis.* 3. 4. &c.
—— *vetus quod præfigitur in libris antiquis Fastis Ovidii.* 89. &c.
Kalendarii *fragmentum, quod visitur in ædibus Capranicorum.* 29. &c.
—— *frustum apud Fulv. Ursinum.* 31. &c.
—— *Urbani tria fragmenta.* 42. D. &c.
Kalendario *præter dierum & festorum ordinationem, qua potissimum constat, multa adhuc alia adjunguntur, & quæ illa.* 142. E. F

L

Lacernarum *& tricliniarium pretium immensum.* 1226. E
Lævir *quis & unde sic dictus.* 1199. A
Lana *quo mense lavanda.* 24. C
Lancium *ingentia pondera & argenteæ istæ primum, dein aurum illigatum, tandem ex solido auro.* 1231. E. &c.
Laquearia *ex quibus arboribus structa in potentiorum ædibus.* 1357. C
—— *solido auro tecta.* 1357. C
—— *versatilia.* 1357. E
Laquearium *luxuriosus ornatus.* 1356. E. &c.
Lavalia *quale festum.* 79. B
Larentinalia. 8. E 12. B. 18. C
Lares *compitales Kal. Aug. æstivis floribus ornati.* 74. E
Lares *dii agrorum putati.* 804. B
—— *qui* 804. A
Laribus *focus sacer.* 804. A
—— *præstitibus Kal. Maj. sacrificatum.* 69. D
Largitiones *omnes populo factæ sunt blandimenta.* 937. B
Laterculus *quis liber.* 914. B
Latinæ *feriæ cum exirent, confectum Latiar dicebatur, & quo mense quoque die id fieret.* 236. E
Larona *de numero earum dearum quæ colebantur carmine seculari.* 557. D
Laureatæ *literæ.* 808. C
Lavatio *Matris Deum in flumine Almone quo mense facta.* 23. C
Laureæ *aridæ quo die viridibus mutatæ.* 233. E
Laurus *victoriam aliquando præmonstravit.* 808. B
Lauro *coronati victores.* 808. D
Lectus *genialis.* 1048. C
Lecti *ad mensam argentei, aurei, gemmei.* 1372. D
—— *ad mensam testudine & ebore adornati.* 1372. D
—— *Archaici qui.* 1372. F
—— *magni eorumque pedes ex onyche.* 1235. D
—— *olim strati frondibus & culmo. vicinarumque ferarum pellibus.* 1374. A
—— *primum argento inducti, mox ex eo solido, & quis auctor.* 1235. D. &c.
—— *tandem ex auro.* 1236. A
—— *tricliniares, cubiculares.* 1235. E
Lectorum *ad mensam toralia purpurea, aurata.* 1373. A. &c.
Lectica *Asiaticæ luxuriæ instrumentum quando inde Romam migraverit.* 1346. A
—— *duplex Romanis.* 1346. D
—— *lucubratoria.* 1346. E
—— *octophoros & qui ea usi.* 1346. E
*inter* Lecticam *& sellam quale discrimen.* 1348. C
Lecticarum *luxuria castigata a Seneca & aliis.* 1348. C
—— *usus initio ad mortuos efferendos.* 1348. F
—— *usus primum in itineribus conficiendis, deinde etiam per Urbem.* 1346. A
—— *usum moderatus edicto Cæsar.* 1346. C
*in* Lecticis *opertis resupini ferebantur homines luxu & ignavia torpentes.* 1348. A
*in* Lecticis *pulvilli ad cubandum mollius & quales.* 1348. B
Lecticarii *e quibus oris accersiti.* 1346. A. 1347. B
—— *formosi quæsiti & quem in finem.* 1346. F
—— *longi & erecti electi.* 1347. D
Lecticariorum *numerus.* 1346. E
Lecticariola *quæ Martiali.* 1347. A

Lectisternium indicebatur variis diis pro causardm varietate. 526. A
Lectisternia ante primos ludos seculares in usu. 525. A
— inter publica sacra non stata. 52. C
— privata. 527. C
— quibus de causis & quibus diis sternerentur. 526. A. &c.
— quid. 524. C
— usitata ap. Græcos. 525. A
Lectisterniorum origo. 524. E
Lectisternia primum usurpandi occasio unde primum nata. 527. C
— quinam sternerent. 527. B
de Lectisterniis deorum in anno seculari. 524. B. &c.
Lectorum toralia purpurea, odorata, aurea. 1235. F
Legio quot militibus constiterit ap. Ro. 1329. B
Legitimatio quid. 1208. D. E
— spuriis contingit tribus modis, per decurionatum, per concubinæ matrimonium, & per Principis rescriptum. 1208. F
Legitimationis veteris & novæ comparatio instituta. 1212. A
an per Legitimationem integrum filiifam. jus, id est, suitas acquiratur. 1209. B
de Legitimatione spuriorum. 1208. C. &c.
Lemuria. 239. D. 5. D. 16. F. 10. E
— qualia sacra, unde dicta, quo ritu celebrata. 70. B
Lenæ quæ. 1065. D
Lenones vectivales. 884. D
Lepores saginati delicatiores olim habiti. 1306. B
Levées de Chevaux & Chariots quale onus in Gallia. 918. A
Lex de modo agrorum & pecuniæ eaque a Julio revocata. 1223. C
— Julia proprium de maritandis ordinibus nomen invenit, 1054. D
— Livia frumentaria. 945. A
— Miscella & vera ejus sententia de muliere cui maritus viduitatem moriens indixerat, nihilominus nubente. 1130 F
— Papia Poppæa de præmiis parentum. 1054. B
— prima de frumentaria largitione. 945. E
— viaria Curionis. 1054. C
Legis Juliæ potissimum caput. 1054. F. 1055. A
Leges agrariæ. 969. C
— alimentariæ. ibid.
— annonariæ. 970. B
— frumentariæ. ibid. C
Libellum repudii mittere in formula repudii ap. Hebræos. 1165. D
Liber Pater in Eleusina ex urbe Athenarum quo mense ac die transmitteretur. 254. B
Liberalia. 4. E. 9. D. 15. F
— Athenis celebrata. 255. D
— quale festum. 234. F
an Liberi qui contra parentum voluntatem matrimonium contraxerunt, exheredari possint. 1176. C
Liberta patrono nubens, uxor ejus esse debet, quamdiu volet patronus eam uxorem esse, & id quomodo accipiendum. 1078. B
Libertæ quæ patrono nupsit, potestas invito patrono divortii faciendi ne esto, caput legis Juliæ de marit. ord. 1074. D
Libertorum & servorum ap. Ro. opes incredibiles. 1265. E. &c.
Libra Romana Patavinæ majori ut respondeat.
Libri patrimoniorum qui. 1222. D
— simpliciter, & libri Fatales & libri Sibyllini. 545. B
Limina marmorea, an & ænea in Romanorum ædibus. 1352. A
Linigeri de Isidis sacerdotibus. 111. B. C.
Literæ Kalendares singulorum mensium quo modo inveniantur, bisque datis qua ratione reliquorum dierum ipsarumque nundinarum literæ sive numeris sive digitis investigandæ. 677. E. &c.
— nundinales. vide in Nundinales literæ.
Lucar quale æs. 73. B
Lunaria quale festum. 74. B. 6. D. 17. B
Luctus tempus uxoribus lege regia definitum. 1103. E. &c.
Ludi agones ve Olympici qua de causa instituti. 152. D. 172. B. C
— Alamannici. 252. F
— Apollinares. 6. C. 11. A. 17. A. 244. A. 146. A
— Apollinares anno seculari, an alii a ludis Dianæ. 505. A
— Apollinares cum aliis ludis successu temporis acti anno seculari. 504. A. &c.
— Apollinares quando primum & quo ritu celebrati. 73. E
— Augustales. 110. A. 253. D
— Cereri. 5. A. B
— Circenses in Augusti die natali. 7. D. 11. B
— Circenses in natalem Antonini Pii. 251.
— Equestres Neptuno. 248. C
— Fabrici. 240. E
— Fatales. 252. B
— Florales. 5. C. 16. E
— Francici in Kal. vet. qui intelligendi. 108. B
— Gotthici. 105. B
— Honorarii qui ap. Suetonium. 41. B
— in Circo qui. 5. A. 19. E
— in honorem dedicationis templi Martis Ultoris quo die celebrati. 718. E
— inter dies festos. 769. B
— Jovi Liberatori. 110. 153. D
— Lancionici. 112. A. 257. A
— Liberalici, 356. A
— Marti Ultori. 239. E
— Martis Ultoris quando instituti & quo die celebrati. 70. C
— Martiales in Circo. 5. D. 16. F. 10. E
— Matri Magnæ. 5. A. 16. D
— Palatini. 230. E
— Persici. 239. E
— Piscatorii qui & Tyberini, quo die celebrati. 72. C
— Plebeii. 78. A. 255. D
— Plebeii in Circo. 8. B. 12. A. 18. B
— quotuplices. 53. F
— Romani bis celebrati mense Septembri. 76. B
— Romani, qui & Magni. 251. B
— Romani quo tempore primum voti eorumque magnificus apparatus. 76. C
— Romani. 109. C
— seculares a Philippo & Salea consulibus prætermissi. 617. B
— seculares an etiam appellati Herculei. 501. D
— seculares Antonini ab eodem decennales dicti & quare. 607. E
— seculares Antonini vix noti. 607. C
— seculares ineunte anno centesimo undecimo celebrati. 318. C. 343. E
— seculares pluribus annis neglecti, tandem quinti ab Augusto celebrati. 595. D
— seculares primi quo anno Urbis editi. 319. A. 343. C
— seculares priscis temporibus certa nulla lege nec definito intervallo fuere redditi. 343. F
— seculares qua anni tempestate editi. 502. D
— seculares quare dicati Apollini & Dianæ. 560. E. &c.

—— seculares quibus ritibus celebrati. 502. A. &c.
—— seculares quo apparatu a Philippis Imperatoribus edicti. 508. B
—— seculares subinde suo tempore non fuere facti, sed ex libidine Imperatorum. 597. C
—— seculares tertii omissi tempore legitimo & serius editi. 591. E
—— seculares tribus diebus & totidem noctibus fiebant 502. E
LUDI si diebus Fastorum adscriptum, sine dei, deæ, hominisve, in cujus honorem fierent, mentione, quales tum ludi intelligendi. 41. C. D
—— Soli per quatriduum quando. 254. C
—— Taurii quinam. 581. C
—— Terentini de secularibus. 501. C
—— Trimphales Augusto. 251. D
—— Triumphales in honorem Constantini Magni. 109. C
—— Tyberini, qui & Piscatorii, quo die celebrati. 72. C
—— Veneris Genitricis. 76. D
—— Victoriæ Cæsaris. 6. D. 11. A. 17. B. 74. C
—— Victoriæ Cæsaris in Maphæano marmore qui intelligendi. 718. A
—— Victoriæ quando & a quibus instituti. 77. F
—— unde dicantur, & vocis variæ significationes. 770. D
—— Votivi. 247. C
—— Vulcanalici. 109. A. 249. B
Ludorum circensium pompa descripta. 549. A. &c.
—— secularium anno supplicationis indictæ. 544. A
—— secularium auctor Valerius Poplicola, imitatus exemplum Valesii cujusdam. 488. E
—— secularium occasio & initium. 487. F. &c.
—— secularium pervigilia laudabilia & caste pudiceque agitata, cetera plerumque infamia & turpitudine plena. 543. B
—— secularium tempore quæ lustralia, quo tempore, & quo loco a XV. viris populo distributa. 496. D. &c.
de Ludorum secularium origine Varronis opinio expensa. 484. E
Ludis secularibus spatium CX. annorum Quindecimviri pro arbitrio constituisse videntur. 344. B
ad Ludos seculares quomodo quaque expiatione Quindecimviri populum Ro. præpararent. 496. D
Ludis secularibus fruges populo non distribuebantur, ut Parcis offerrentur. 501. A
—— secularibus juvenes utriusque sexus ab Augusto prohibiti ullum spectaculum nocturnum frequentare, nisi cum aliquo majore propinquorum. 506. D
—— secularibus lucernæ & ignes festivi noctu exhibiti. 503. B
—— secularibus quæ bona sibi peterent & quæ mala a se averti postularent. 492. D. &c. 493. D
—— secularibus secula discerni, non satis certum. 343. E
de Ludis secularibus aliquoties omissis. 625. B
de Ludis secularibus Claudii varia ab auctoribus notata. 602. C
de Ludis secularibus Domitiani auctorum recentiorum sententiæ examinatæ & rejectæ. 606. A. &c.
de Ludis secularibus Domitiani conciliationes variæ auctorum inter se pugnantium. 604. A. &c.
de Ludis secularibus Domitiani qui auctores meminerint. 601. F
de Ludis secularibus Gallieni Imperatoris, qui numero undecimi sunt. 623. A. &c.
de Ludis secularibus Philipporum Impp. agentes scriptores integritati suæ restituti, cum vitiati essent, & inter se conciliari. 614. B
de Ludis secularibus Philipporum Impp. qui auctores agant. 611. D
in Ludis secularibus edendis Romani respexerunt ad primum lustrum a Tullio conditum, non vero a primos ludos seculares aut ad annum secundum ab Urbe condita secularem. 589. A
in Ludis secularibus missilia. 509. E. &c.
in Ludis secularibus quid curarent Quindecimviri. 494. B
Luna, Diana, & Jana eædem erant. 59. A
a Lunæ primo aspectu Romulus menses auspicabatur. 59. B
Lupanaris vocabulum unde ductum. 1067. A
Lupariæ in eadem cum Suburra regione. 1067. E
Lupercalia. 116. D. 3. F. 9. B. 15. F. 231. C
—— a quo Romæ instituta. 798. E
—— inter ferias stativas. 794. B
—— qua fine instituta. 799. B
—— unde appellationis originem sortita. 798. C
Lupercalium princeps in Arcadia Lycaon. 798. F
in Lupercalibus cur gladius cruentatus adhibitus fronti adolescentium. 799. F
in Lupercalibus cur Luperci canem immolent & transcurrant nudi. 799. D.
in Lupercalibus quis sacrificii mos. 799. C
Lupus Marti sacer erat. 109. B
—— Tiberinus in deliciis. 1245. A
Luporum consuetudo in flumine rapidiore transmittendo. 204. D
Luscinia in deliciis. 1391. B
Lustralia a Quindecimviris populo Rom. tempore ludorum secularium distributa & quæ illa. 496. E
Lustratio hominis triplex. 497. C
—— per aquam, maxime fontium & fluviorum. 498. D. E
—— per tædas, sulphur, ova, bitumen. 497. C. D. &c.
—— segetum quo mense quoque modo fieret. 24. E
Lustrationes veterum superstitiosæ & damnandæ. 499. B
in Lustrationibus seu expiationibus qui ritus usitati. 498. B
Lustria Marti quo die fierent. 238. D
Lustrum primum a quo & quo tempore conditum. 330. A. &c. 344. C
—— Romanum a quo & quando primum institutum. 585. D
—— Romanorum quot annorum. 172. C
—— Romanum erat minor periodus. 318. B
—— unde dictum. 847. E
Lustrorum XXII. erat seculum. 318. B
Luxuria etiam castra perrupit. 1327. F. &c.
Luxuriosus ornatus Lolliæ Paulinæ. 1227. E. &c 1315. B
Luxus aurium. 1228. C. 1325. D
—— corporum. 1225. C
—— & mollicies crudelis fati causa sæpe extitere luxuriosis & delicatis. 1309. B
—— & ornatus laquearium in ædibus. 1356. E
—— & prodigalitas Romanorum variis exemplis ostensa. 1223. F. &c.
—— feminarum in capite ornando. 1228. B
—— feminarum in monilibus, lineis, armillis, annulis, calceis, umbraculis & flabellis. 1228. F. &c. 1326. A. &c.
—— feminarum in speculis. 1230. A. 1307. F. 1308. A
—— feminarum in vestibus. 1227. D. E. 1228. A. &c 1314. A
—— frequenter importatur ab exteris & devictis nationibus. 1282. C. &c.
—— in ædificiis. 1349. C. &c. 1351. D. &c. 1237. B &c.
—— in arboribus porticus potentiorum cingentibus. 1362.
—— in avibus tam domesticis quam exoticis. 1389. E. &c. 1246.

—— *in candelabris & lucernis.* 1233. F
—— *in conviviis.* 1241. B. *&c.* 1370. A. *&c.*
—— *in coquorum precio & numero.* 1387. B. *&c.*
—— *in crinibus tam virorum quam feminarum.* 1225. D. E. 1297. E. F
—— *in crystallinis vasis.* 1379.
—— *in curanda facie.* 1305. E
—— *in epulis undique terrarum conquirendis.* 1388. E
—— *in funebri pompa.* 1247. B. *&c.*
—— *in gemmis.* 1323. F. *&c.*
—— *in lecticis.* 1345. D. *&c.*
—— *in lectis.* 1235. C. *&c.*
—— *in lectis ad mensam.* 1372. D
—— *in mensis & mappis ac mantilibus.* 1347. D. *&c.* 1234. B. *&c.*
—— *in odoribus & unguentis.* 1308. C
—— *in pædagogiis.* 1339. E. *&c.*
—— *in parietibus ædium magnificarum.* 1355. E. *&c.*
—— *in pavimentis.* 1357. F *&c.*
—— *in piscibus, & quales maxime in deliciis.* 1243. A. *&c.* 1391. D
—— *in poculis.* 1378. B. 1242. F. *&c*
—— *in porticibus exstruendis.* 1359. E. *&c.*
—— *in servorum & comitum ingenti numero.* 1328. E. *&c.* 1234. C
—— *in supellectile* 1231. C. *&c.*
—— *in vasis coquinariis & mensalibus.* 1231. D
—— *in vehiculis.* 1236. B. *&c.*
—— *in vestibus.* 1226. B. 1302. F. *&c.*
—— *in villis & secessibus æstivis.* 1367. E. *&c.*
—— *in unguentis, odoribus & coronis.* 1385. B. *&c.*
—— *maxima imperia evertit.* 1259. C
—— *quando maxime Romæ inceperit, & unde in eam Urbem illatus primum.* 1283. C. *&c.* 1284. D. *&c.*
—— *quantus sub Imperatoribus Ro.* 1262. D. *&c.*
—— *Romanam Remp. sæpius labefactavit, demum ad civile bellum, id est, extremam ruinam perduxit.* 1261. A. *&c.*
—— *virorum & matronarum in comitum multitudine, ornatu & ordine.* 1230. C. *&c.* 1328. E. *&c.*
Luxus *auctores Græci fuere, & tabulis, signis & simulacbris suis cepere Romanorum animos.* 1290. E
Luxum *Africa & Alexandrina Classis ad depravandos Romanorum mores subministravit.* 1294. D. *&c.*
—— *Græcorum in conviviis imitati Romani.* 1292. F. *&c.*
—— *maxime fovent feminæ.* 1296. D. 1297. B. D.
—— *pariunt divitiæ.* 1264. B. *&c.*
—— *Romani attulerunt ab omnibus gentibus, ubicunque sua tropæa posuerunt.* 1295. B
*ad* Luxum *accenderunt Romanos signa & tabulæ ab exteris nationibus reportatæ.* 1289. F. *&c.*
Luxu *diffluere sinebant Ro. Imperatores & alii Principes populum & potentiores, ut eo tanto facilius in obsequio continerent.* 1295. D. *&c.*
Λυκάβας *unde annus Græce dictus.* 204. C
Lyciarchæ *qui.* 896. C
Lycopolis *Thebaidos in Ægypto civitas & ratio nominis.* 204. E
Λύκος, *id est, Lupus symbolice pro Sole acceptus.* 204. D
Lychnapsiæ *quale festum.* 108. E

M

Macellus *masc. gen. pro macellum.* 107.
—— *rosa sumat, quid significit in vet. Kal.* 107. B
Magistrati *jurant, pro magistratus.* 112. C
Magna mater *quo mense ac die Romam translata.* 237. C
Majus *Jupiter Deus ap. Tusculanos.* 192. B
—— *mensis cui Deo sacer.* 216. C. 24. F
—— *mensis quibus mensibus apud alias gentes respondeat.* 216. B
—— *mensis unde nomen acceperit.* 192. A. 215. C. 216. A. 277. E. 750. C
Maii *mensis imago in vet. Kal. occurrens explicata.* 106. C
Majo *mense cur uxores non ducant Romani.* 278. A
in Majo *mense quis numerus quæque distributio dierum tam in anno Numæ quam in illo Cæsaris.* 192. B. *&c.*
Majuma *quale festum.* 69. C
Malorum, *quorum vi novæ tabulæ exiguntur, origini quo modo a prudenti legislatore obviam iri debeat.* 1004. B. *&c.*
Mamurius *quis fuerit.* 23. A
Mamurii *nomen Salii canebant.* 23. A
Mamurio *sacrum quo mense.* 23. A
Mancipatio *si nulla facta fuisset, mulier in usu tantum esse dicebatur.* 1130. B
Mancipes *qui.* 830. E
Mancipum & *publicanorum cupiditas & immodestia.* 834. A. *&c.*
Mane *quæ pars diei & vocis etymon.* 764. B
Maphæanum *marmor de ludis victoriæ Cæsaris explicatum.* 718. A
—— *marmor & sententia Goltzii de Pharsalici prælii mense & die refutatur.* 717.
Maphæani *marmoris* XX. *Julii prælio Pharsalico assignatum est* XXI. *Maii ex sententia Petavii.* 715. C. *&c.*
in Maphæano *marmore quæ res gestæ notantur, ad Julianos, an ad Pompilianos annos & dies pertineant.* 716. D
Mappæ *ex lino asbestino.* 1376. C
—— *ex purpura & auro clavatæ.* 1376. B
Margaritæ *aut uniones non tantum in crepidis, sed etiam sub iis.* 1229. E. 1326. F. *&c.*
Margaritarum *abusum moderatus Cæsar edicto.* 1228. B. 1327. C
—— *& unionum ornatus luxuriosus in mulieribus, & simul pretium ingens.* 1228. D. 1323. F. 1325. B. *&c.*
Margaritis *gemmisque arma distincta.* 1328. A
Maria *quo tempore & quamdiu clausa.* 255. D
Mars *non solum præerat ludo gladiatorio, sed etiam venationi.* 506. A
—— *subinde* Sylvanus *vocatur & quare.* 506. B
Marti *Carnæ Monetæ.* 5. F. 10. E
—— *quotannis in Campo Martio idibus Octobr. bigarum victricium dexterior equus immolabatur.* 77. E
Martius *anni principium antiquis.* 747. A
—— *mensis cui Deo sacer.* 215. B. 748. F
—— *non fuit primus mensis omnibus populis Italiæ.* 748. D
—— *mensis primus in anno Romuleo.* 144. E. 190. B. 277. B. 748. C. *&c.*
Martii *mensis imago in vet. Kal. occurrens explicata.* 106. A
*a* Martio *mense cur anni initium fecerit Romulus.* 262. C
Martius *mensis quibus mensibus ap. alias gentes respondeat.* 215. B
*in* Martio *mense quis numerus quæque constitutio dierum tum in anno Numæ quam in illo Cæsaris.* 190. C. *&c.*
Materfam. *fiebat quæ usu in manum viri convenerat.* 1131. D
Matrumfam. *nomine exaudiebantur uxores, quæ coemtione in manum convenerant.* 1020. B

Mater matuta, *Græcis* Leucothea *dicta*. 72. F
— *Deum quo mense in flumine Almone lavaretur*. 23. C
Matri *Deorum quo die anniversariæ pompæ celebratæ*. 235.
Matertera *unde sic dicta*. 1195. B
Materiæ *seu arbores quo mense dejiciendæ*. 27. A
Matralia *qualia festa*. 72. F
Matrimonium *contractum coemtione quale*. 1018. F. 1129. B. *&c.*
— *intra quem cognationis gradum pie contrahi possint*. 1185. B. *&c.*
— *patribus cum plebe ne esset*, XII. *tabulis sancitum*. 1053. D
— *senatores inter, senatorumve filios & inter libertinas probibitum*. 1053. E
Matrimonii *definitio proposita*. 1170. F
Matrimonium *contrahentes profitebantur se liberorum quærendorum causa convenire*. 1113. D
Matrimonium *inter & nuptias differentia*. 1196. F. *&c.*
Matrimonia *justa non inter liberas quascunque personas contrahebantur, sed inter solos cives Ro.* 1052. E
Matrimoniorum *contrahendorum quæ forma ab antiquis adhibitæ*. 1016. D. 1129. B
*ad* Matrimoniorum *conjunctionem, status ac conditionis ratio eorum qui jungerentur, post ætatis inspectionem habebatur*. 1052. C
*in* Matrimoniis *contrahendis ætas contrahentium definita*. 1051. A
Matrix *de laterculo*. 914. D
Matronalia *quis dies*. 233. C
Matronarum *comitatus luxuriosus ap. Ro.* 1336. A
Medimnus *modios sex Ro. capit*. 962. B
Meditrina *Dea*. 76. F
Meditrinalia *quis dies*. 76. F. 7. E. 12. A. 18. A
Μυιαγὸν. 885. C
Mensæ *apparatus universus æstimatus*. 1232. E
— *aureæ, dein ærgenteæ & harum origo, & ambitus gemmis ornati*. 1235. A. *&c.*
— *citreæ illarumque precium & unde petitæ*. 1374. D. *&c.*
— *citreæ primum, e ligno nodoso, earumque pretium*. 1234. E. *&c.*
— *erant rotundæ ac latæ, etiam antiquæ & magno numero*. 1234. B
— *ex ebore, ex argento*. 1375. E
Mensarum *mantilia & mappæ ex purpura & auro clavatæ*. 1376. B
— *pedes ex ebore formati in animalium speciem*. 1375. D. 1234. D
Mensis ἐμβόλιμος *in anno Græcorum*. 151. E
— *intercalaris duplex, nunc viginti duorum, nunc viginti trium dierum, & utriusque causa, modus & usus*. 427. C
— *magnus ultimus vitæ humanæ terminus a Deo præfinitus*. 336. B
— *primus in anno Romuleo Martius*. 144. E. 175. C. 425. B
— *quid, quotuplex, quamque varium ejus principium*. 142. B
— *solaris est aut lunaris, & utriusque descriptio*. 210. F
Mensis *cujusque dies octavus Neptuno sacer erat apud Athenienses*. 115. C
— *cujusque in statis diebus superstitiosa vetustas plurimum religionis posuit & in quibus nominatim*. 221. D.
— *cujusque simulacra recensita*. 218. D. E
— *etymon*. 179. F. 210. F
— ἱερὰ εἰκὰς *ap. Græcos & quare*. 222. B
Mensem *a primo lunæ aspectu auspicatus Rom.* 59. B
*in* Mense *ter Athenis conciones & conventus haberi consueverant de Rep.* 222. D
Menses *Ægyptiorum Græcis versibus descripti*. 219 A
— *anni Pompiliani quot diebus constarent*. 149. A
— *civiles*. 179. E
— *& dies magni*. 435. E
— *integri feriati & solennes ap. Græcos*. 222. C
— *lunares a quibus gentibus recepti*. 211. D
— *lunares quindecim dierum apud Indos*. 211. A
— *magni qui Virgilio*. 211. A
— *naturales*. 179. E
— *Romanorum Græco carmine expressi*. 219. C. & 220. B
— *sex post Junium ab ordine vocati*. 752. C
— *singuli dies singulis dicati*. 786. B
— *singuli divisi in tres partes & singularum nomina & etyma*. 756. E. *&c.*
— *singuli quot nonas habeant*. 757. D
— *tardi qui Virgilio*. 182. B. 271. A
— *tres dies celebres habebant ap. Ro. kalendas, nonas & idus*. 180. A
— *in anno Romuleo lunares fuisse arguit appellatio iduum, nonarum & kalendarum*. 310. D
Mensium *Ægyptiacorum nomina a diis aut regibus sumpta*. 432. A
— *decem tantum, non vero duodecim factus fuit annus Romuleus*. 143. C. D. 289. B
— *duodecim, non vero decem fuit annus Romuleus* 83. E. 309. C. *&c.*
— *Græcorum vera ratio difficulter cum Romanis componi potest, & quæ ejus rei causa*. 212. B. *&c.*
— *in anno Romuleo nomina, ordo, & ratio nominum*. 143. D. E. 287. C. 175. C. *&c.*
— *initium Romulus sumsit ab aspectu novæ lunæ*. 179. E
— *Macedonicorum & Chaldaicorum in anno Juliano dispositio & laterculus*. 417. A
— *nomina a quibus Romulus acceperit*. 144. D
— *nomina & ordo in anno Pompiliano*. 149. B. 288. B
— *nomina mutata & nova indita ab Imperatorum nominibus desumpta*. 164. A. 198. B. *&c.* 211. B. *&c.*
— *quare tria principia apud Ro.* 273. B
— *singulorum dies Romani in tres ordines distribuebant*. 971. A
— *singulorum dies suam nanciscuntur denominationem vel a nonis, vel ab idibus, vel a Kalendis*. 758. F
— *sub Numa Pompilio laterculus*. 409. B
— *sub Romulo laterculus*. 401. B
— *suorum initia Græci festis solennibus celebrabant* 59. E
Menses *singulos in tres partes partiti sunt Romani, significatas per* τριχέφαλον Γηρυονῆα. 786. F
Mensibus *antiquis Romulei anni Numa reliquit sua nomina, quamvis Martio duos novos menses præmitteret*. 150. B
— *bis potius quam illis quare dies quinta aut septima nonarum assignata sit*. 145. C. 146. A
— *singulis qualia numina adscripta*. 280. A
Mensibus *vel Macedonicis vel Chaldaicis sive Syriacis utebantur gentes, quæ Juliani anni rationem receperant*. 416. E
*in* Mensibus *anni Pompiliani alius dierum numerus ac in anno Romuleo fuerat*. 148. F. *&c.* 289. D. 312. C
— *singulis quo die idus sint, quot sint, unde dictæ & in cujus tutela*. 758. B
Menti *in Capitolio sacrificium fit*. 5. F. 16. F. 72. D
MERK. & MERKED. *quod in fastis nonnullis diebus adscriptum, quomodo interpretandum*. 74. A. 425. E. F

Mercatores *idibus Maiis Mercurio eorum præsidi sacrificabant*. 70. D
— *omnes mense Majo Majæ & Mercurio peculiariter sacrificabant*. 688.
Mercatorum *Imperialium collegium*. 704. C
Mercatus *ne ullo loco habeatur quam ubi antiquitus fuerit, lex Caroli Magni & ratio ejus*. 704. D
— *& mercatorum utilitas*. 701. E
— *alii majores, alii minores*. 685. E
— *& nundinæ quomodo diff.* 685. D. 702. D
Mercatuum *institutor primus Iphitus Elius*. 702. C
— *jura ac solennia ac privilegia*. 686. B. &c. 702. E
MerKedinus *vel* MerKedonius *tertius decimus mensis in anno Pompiliano, magis vulgari tamen nomine* Intercalarius *vel* Februarius intercalaris. 153. E 290. E. 313. A. &c.
MerKedini *dies*. 313. B. 374. D. 425. E. 450. D
MerKedonius *intercalaris mensis unde dictus*. 87. A. 313. A. B. 274. E. 415. E. &c.
MerKedonius *mensis nunquam erat mensis* XII. *seu Februarius sed semper* XIII. 322. A. 314. A
— *mensis nullus in Periodo Romana omissus*. 373. C
MerKedonii *diagramma exhibitum*. 451. A
— *primus dies seu kalendæ intercalares in Fastis Triumphalibus reperiuntur*. 450. E
*post* MerKedonii *idus intercalares seu post* XIII. *numerari cœptæ kalendæ Martiæ*. 450. E
MerKedonio *quinque Februarii ἐπαγόμεναι aggregabantur*. 450. D
Meretrici *cuique propria cella, propriusque titulus*. 1068. A
Meretricem *inter & prostibulum quæ differentia*. 1068. F
Meretrices, *apud ædiles flagitium profiteri suumque nomen edere cogebantur*. 1069. B
Meretrices *extramuranæ*. 1067. E
— *nudæ prostabant*. 1069. A
— *ut plurimum servilis, aut certe libertinæ conditionis erant*. 1067. E
Meretricum *cellæ sub mœnianis & projectis abditæ*. 1067. C
— *mansio in Suburra*. 1067. D
— *quæstus vectigali obnoxius*. 1069. D
— *vestimenta ab honestarum matronarum cultu distincta*. 1069. C
Meridies *quæ pars diei*. 764. D
Mesarnum *in tributis, & quid*. 904. A
Mese *quid*. 905. C
Mesis *pro mensis sine N. antiqua scribendi ratio*. 21. B
Mesiticum *quale tributum*. 905. C
Messis *proprio nomine de quibus dicatur*. 25. E
Messes *frumentariæ & triticariæ quando fieri debeant* 25. D
Metallorum *comes*. 872. A
— *procuratores*. 871. D
*de* Metallis *& fodinis variis*. 871. A. &c.
Metaxarius. 904. E
Metaxiaticum *tributum*. 904. E
Μετοίκια *festum quando Athenis celebratum*. 242. C
Metœcium & *Enœcium sunt e vectigalium genere*. 893. B
Metreticon *quale vectigal*. 904. C. 905. C
Mexicanorum *annus quot mensium, mensesque quot dierum*. 437. E
— *cyclus Solis*. 438. B
— *seculum & quo ritu hoc finiri creditum ab ipsis*. 438. C
Mexicanis *quadrans sive dies intercalaris religiose observatus*. 438. B
— *quoque in usu quinque ἐπαγόμεναι*. 438. B
*ap.* Mexicanos ἡ τρισκαιδεκαήμερος, *ut ap. nos* ἡ ἑπταήμερος. 438. B
Mille *appellantur quæcunque ad infinitum accedunt*. 464. B
Milliaria *cur singulis lapidibus notari solita*. 464. B
Minervæ *Capitali in Cœlio monte quo die sacra fierent* 235. B
Minerval *quo mense ac die Athenis mitti solitum præceptoribus*. 155. E
Minerve, es, *pro Minerva, æ*. 105. F
Missilia *duplicis generis & duplex ea jaciendi ratio*. 510. E
— *ex eminenti loco jactari solita*. 514. C
— *in ludis secularibus*. 599. E
inter Missilia *nummi*. 509. F
in Missilibus *luxus paulatim irrepsit & tandem cohibita*. 513. C
in Missilibus *rapiendis multi impediti, quandoque læsi vel obtriti*. 515. B
Mitra *quid sit*. 1419. D. E
Modius *Romanus cum Patavino collatus*. 974. C
Modii *qui in frumentariis legibus dati, non seni, non deni*. 958. C. &c.
Modus *annonæ Tacito quis*. 953. C
Μοῖραι *unde dicantur*. 519. B
Mola *salsa a quibus & quo tempore conficeretur*. 70. A
— *salsa quid*. 1017. C
Monetæ *deæ templum & festum*. 71. E
Monetarii. 871. D
*de* Monopolio. 886. D
Moriones *in familiis Romanorum & comitatu, iique sæpe emti ingentibus pretiis*. 1231. A
Mos *Porsenæ bona Romæ vendendi*. 938. C
Μόσχος *Orpheo annus dictus & quare*. 205. E
Μȣθ *unum ex Isidis nominibus apud Ægyptios*. 395. A
Muliebris *licentia & luxuria & quare severissimis legibus coercenda*. 1335. D
Mulier *in manum conveniendo cum capite fortunas quoque in familiam mariti transferebat*. 1022. A
Mulieri *virgini, quam ex lege Julia nubere oportebat, tutor a Prætore urbano dabatur ad dotem dandam, dicendam, promittendamve &c.* 1073. E
Mulieres *antiquo jure in perpetua tutela erant*. 1020. E
— *in adulterio deprehensas ingenui uxores ducere prohibebantur*. 1070. C. &c.
— *in tutorum auctoritate in manum viri convenire non poterant*. 1021. E
— *quæ ex legis Papiæ sententia palam quæstum facere intelligantur*. 1066. A
— *quas ne inferioris quidem conditionis hominibus, dummodo ingenui essent, uxores ducere lex Papia permittebat*. 1065. A
Mulierum *Constantinopolitanarum libidinem quomodo perstrinxerit Andronicus Imp.* 1347. C
— *Insubrarum libido tempore Galeatii Sfortiæ*. 1347. B
— *tutela* legitima *a Cicerone dicta*. 1021. F
*inter* Mulierum *& pupillorum tutores quæ differentia*. 1021. B
Mullus *in maximis deliciis quamque variis modis exhibitus in convivio, ibique occisus*. 1243. D
Mullus *petitus e longinquis regionibus*. 1244. B. 1397. D
*in* Mullis *occidendis ludus convivarum*. 1243. D. &c.
Mullorum *pretium ingens*. 1244. C
Mulorum *pretia*. 1236. E
Multa *quæ ab origine effectum non habuere, postea sublatis obstaculi causis, confirmantur ac corroborantur*. 1051. C
Mundus *Cereris quo die pateret*. 249. E

—— patere quibus diebus & quoties in anno, tum qua de causa id ita dicatur. 57. D
—— quo die conditus. 235. C
Munerarius quis. 896. E
Munifici. 826. E
Munificum jus quid. 826. D
Munus pro onere & tributo. 826. C. 828. E
—— Arcadicum. 112. A. 256. E. 275. C. 258. A
Munuscularii qui ap. Augustinum, 832. B
Muræna piscis Liciniis Murænarum cognomen imposuit & causa ejus rei. 1397 D
—— summis in deliciis & unde petita. 1397. D
Murænam in piscina domus suæ mortuam atratus luxit L. Crassus vir censorius. 1244. E
Murænarum sex millia in triumphali Cæsaris cœna. 1243. B
Musica in conviviis & ad mensam adhibita. 1394. A. &c.
Musicæ Romani plus æquo dediti. 1399. F
Mutas & semivocales antiqui non geminabant. 22. B
Myrrhina longe excedunt argentum aurumve. 1233. D
—— trulla a T. Petronio fracta illiusque pretium. 1233. D
Mysteria Athenis quo die acta. 248. F
—— κατ' ἐξοχὴν de sacris Eleusiniis. 542. C
—— Olympiadum quæ Ciceroni. 414. E. F. 377. F
—— Romana quæ dicta. 334.
Mysteriorum magnorum dies solennes Athenis. 254. B

N

sine N. litera Antiqui multa nomina scribebant. 21. B
Nani & nanæ inter ministeria magnatum, 1344. A. &c.
—— in spectaculis committebantur aliquando. 1344. D
Ναοὶ ἑκατόμποδοι ap. Græcos. 481. B
Natalia erant feriæ privatæ. 54. E
Natalis Alexandri Magni. 241. C
—— Alexandri, nempe Severi. 110. A. 252. D
—— Apollinis qui ἑβδομαγενής dicebatur. 236. F
—— Asclepii pro Æsculapii. 109. B
—— Augusti. 76. C. 251. E
—— C. Cæsaris Germanici. 30. C
—— Jul. Cæsaris. 73. D
—— Charitum. 104. F
—— T. Claudii Germanici. 29. B
—— Constantii. 108. D
—— Constantii de initio dignitatis Cæsareæ ejus. 111. A
—— Constantini. 247. C
—— Constantini de initio imperii ejus. 108. C
—— Dianæ. 247. F
—— τῶν Διοσκούρων, 237. A
—— Domitiani. 254. D
—— Epicuri. 357. C
—— bonorum de Kalendis Januariis. 105. B
—— Horatii. 256. E
—— Invicti quis dies. 112. B
—— Julii festus ex SCto. 245. A
—— Mœcenatis. 13. D
—— Mammeæ. 102. B
—— Mercurii. 106. F
—— Minervæ. 105. F
—— Musarum. 242. A
—— Neronis. 257. B
—— Pompeii idem & funebris dies. 252. C
—— & cædis Pompeii dies inquiritur. 723. B
—— Romuli. 251. D
—— Nervæ Trajani. 255. C
—— Titi Vespasiani. 258. C
—— Vespasiani patris Titi. 255. F
—— Virgilii. 253.
Urbis Romæ in quem diem inciderit. 237. F
de Natali Augusti nova suspicio. 176. E
Natalitium lardum quid. 539. E
Naves coronatæ quo die convivia per Tiberim agitaverint. 243. B
Nectendi debitores jus sublatum per rogationem Pœtilii. 989. C
Νεῖλος vox pro anni dimenso mystice ap. Ægyptios. 206. C
Νεκροκορίνθια qualia spolia. 885. E
Neophytus quis olim dictus in Ecclesia Christiana. 630. D
Neptunalia. 6. D. 11. A. 17. B
—— quo ritu celebrata. 74. C
Nexorum calamitates & status miserrimus. 990. C
Nigrum & mortiferum Θῆτα. 775. D
Noæ memoriæ culta apud posteritatem sub variis appellationibus. 173. E
Noæ prima anni solaris constitutio accepta referenda. 173. B. &c.
Noctem diemque per pavonis emblema Ægyptii significabant. 787. B
Noctuæ simulacrum victoriæ. 807. D
Nomenclatores potentioribus Romanorum erant & quodnam eorum munus. 1331. E
Nomina non fortuito rebus imposita. 745. E
—— rebus imponere quorum sit. 745. D
Nominalia quis dies. 54. F
Non liquere ampliandi facultatem significabat, pro quo nostri hodie differre judicium in aliud tempus dicere consueverunt. 775. D
Nonæ Caprotinæ quæ. 244. B
—— cur his mensibus potius quam illis quinta aut septima assignata sit. 145. C. 146. A
—— nullum deum tutelarem habebant. 60. B. 187. D
—— unde dictæ. 60. A. 145. A. 187. C. 220. E. 310. D. 338. E. 757. D
—— quædam quare quinctanæ sint, quædam septimanæ. 154. B. 310. D. 339. A
—— Quintiles Caprotinæ dictæ & qua de causa. 73. F
Nonarum ordinem mutare noluit Cæsar, cum certis mensibus dies adjiceret. 338. F
—— eiduum & Kalendarum religio. 657. F
Nonas omnes & postridie nundinas tanquam rei gerendæ ominosas Augustus vitabat & ratio. 58. C
Nonis populus Ro. mercatus sacrorumque causa in Urbem sub hujus initia confluebat, in quarum locum dein successere nundinæ. 60. C. 145. A
Nonalia sacra. 655. B
Nonaria meretrix quæ. 654. B
Nono die a rustico opere ad Urbem & nundinas Romani ventitabant. 651. C
—— quoque die Thusci regem suum salutabant & de propriis negotiis consulebant. 187. D. 655. B
Νουμηνία ap. Græcos, non Kalendæ. 760.
Νουμηνιῶν alia in mensibus Atticis initia alii atque alii statuerunt. 212. A. &c.
si Nothæ filiæ dos constituta sit, ad quem ea soluto matrimonio revertatur. 1205. D
Nothi etsi novo jure certum patrem habeant, non tamen jus filii adipiscuntur. 1207. D
—— quod ad jus novum attinet, sine patre dici non possunt. 1207. A
Νόθοι ap. Græcos opponuntur γνησίοις. 1200. F
an Nothis aliqua legitima debeatur jure novo. 1205. B
an Nothi ex nobilibus nati retineant nobilitatem. 1206. F. &c.
de Nothorum paternis & maternis hereditatibus. 1205. E. &c.
in Nothorum numero an habendus is, qui ex viro marito & muliere soluta est natus. 1209. E

Notitia *Imperii quid.* 916. B
Nova *nupta curru sublimis vehi solita, sed non apud Romanos.* 1035. F. &c.
—— *nupta in pelle lanata statuebatur & quare.* 42. D
—— *nupta limen januæ cum ad mariti ædes accessisset, transiliebat, eoque modo in ædes inducebatur, & quare.* 1041. C
—— *nupta postridie nuptiarum libertatem auspicans uxoriam, rem divinam in domo mariti faciebat.* 1050. D
—— *nupta pro foribus mariti interrogata, quænam esse, quid responderet.* 1040. D. 1124. C
—— *nupta quo ritu in domum mariti traducta.* 1033. A. &c.
—— *nupta rapi e gremio matris, aut si ea deesset, ex proxima necessitudine, solebat, & quæ ejus moris origo.* 1032. F
—— *nupta super Priapi fascinum considere jussa.* 1048. D
—— *nupta velo obnubi solita.* 1031. C
Novæ *nuptæ quis cultus, vestitus, ornatusque fuerit.* 1027. A. &c.
—— *nuptæ utensilia per puerum impuberem in vase operto gestari solita.* 1037. F
*de* Novæ *nuptæ deductione in mariti domum & collocatione in lecto.* 1143. B. &c.
Novæ *nuptæ ingredienti domum mariti claves tradebantur, quidque id significaret.* 1047. C. 1118. E
—— *nuptæ postridie nuptiarum munera a cognatis & propinquis mittebantur.* 1050. C
Novam *nuptam colus comta cum fuso & stamine comitabatur.* 1036. E
—— *nuptam pronubæ in lecto collocabant.* 1049. B
*a* Nova *nupta postes januæ mariti lana tangi adipeque ungi & oblini consueverant.* 1040. E. &c.
Novæ *nuptæ asses tres ad maritum deferebant.* 1039. E
November *cum Decembri cur priscum nomen servaverit, cum aliorum mensium nomina Imperatores suis nominibus invaderent.* 196. E
—— Exuperatorius *appellatus.* 755. A
—— *mensis in cujus dei tutela.* 218. B
—— *mensis quibus nominibus ab aliis gentibus nuncupatus.* 218. B
—— *mensis unde sic appellatus.* 280. A. 754. E
Novembris *mensis imago in vet. Kal. occurrens explicata.* 111. A
*in* Novembri *mense quis numerus dierum, quæque eorundem distributio in anno tam Numæ quam Cæsaris.* 196. E. &c.
Novenarius *numerus Musis sacer.* 654. E
Novendiale *sacrum dupliciter actum.* 804. E
Novendiales *cineres.* 652. F
Novendialia *quid.* 652. F
*in* Noviluniis *Græci usuras solvebant.* 761. A
Nubebant *veteres non quolibet die, sed mensium, temporum ac dierum delectum habebant, quodque tempus nuptiis contrahendis aptissimum habitum fuerit.* 1015. C. &d. 1121. C
Nubentibus, *prætextis depositis, a pueris qui ad eam celebritatem convenerant, obscœna acclamabantur.* 1047. C
Nubere & obnubere *quid.* 1031. D. 1123. B.
Nuces *a novis maritis jaci & pueris spargi consuetæ.* 1046. F
Numa *Pompilius dierum discrimina invexit & Pontificibus fastos tradidit, ut indicarent populo.* 39. C.
*ad* Numam *Pompilium antiqua, obscura & religiosa omnia referri solent.* 49. A. 324. C
Numerus *centesimus in precio apud Græcos.* 841. A. &c.
—— *centesimus in precio apud Romanos.* 483. A. &c.
Nummus *centimonalis.* 902. A
Numerus *dierum* CCCLX. *in anno Græcorum.* 430. E
—— *dierum* CCCLX. *in anno Romano extra ἐπαγομένας in varias partes & æquales dividi potest & in quas.* 429. A. B. &c.
—— *humanus.* 464. F
—— *impar Pythagoræ mas erat; pars, femina; qui ex utroque compositus, ἀρρενόθηλυς.* 425. A
—— *millenarius plenus est, quia denarii cubus.* 464. A
—— *omnis vel perfectus, vel major perfecto, vel imperfectus.* 462. A
—— *par & impar, deque eo varia superstitio antiquorum.* 425. A
—— *pellicum Darii & postea Alexandri ap. Persas.* 431. D
—— *sextus ipso suo numero æstimandus, quia perfectus.* 461. E
—— *statuarum Demetrii Phalerei.* 430. E
—— *ternarius quomodo Mercurio sacer.* 432. C
Numeri *perfecti rari, pretiosi, admirandi, sed inventu quoque difficiles.* 463. B
—— *perfecti septem exhibit.* 463. A
*ad* Numerorum *perfectionem quoque facit, quod sint triangulares.* 463. D
Nummum commovere *de quibus dictum.* 832. B
Νυμφαγωγὸς *qui.* 1123. E
Nundina *Dea.* 685. E
—— *Romanorum Dea.* 777. A
Nundinæ *a Kalendis Januariis remotæ, & quare.* 661. D
—— *aliæ, alii mercatus, & quid discriminis inter hos & illas.* 685. D
—— *an aliquando ipsis nonis.* 655. B. 661. B
—— *an etiam menstruæ.* 655. B
—— *an feriæ.* 656. C. &c.
*anni* ƆƆCC. & ƆƆCCI. *ab Urbe condita.* 662. E. &c.
—— *cum nonis affinitatem habent, ideoque in nundinis lunæ ratio potior quam solis.* 654. E
—— *dictæ quasi* novemdinæ. 352. D
—— *diebus Solis e veteri inscriptione.* 682. E
—— *erant ap. Ro. feriæ paganorum.* 701. C
—— *& mercatus ne fiant diebus & locis sacris.* 704. A
—— *feriæ erant sine die festo.* 54. D
—— *feriæ sint, an fastæ* 776. D
—— *feriatæ quæ.* 60. E
—— *hebdomadicæ.* 680. C
—— *in principem anni diem aut in nonas ne inciderent, quomodo caverint Romani.* 339. C. 384. D
—— *Jovis feriæ, Saturno quoque sacræ.* 658. A
—— *lege Hortensia fastæ factæ & quare.* 657. D
—— *ne in nonas vel Kalendas Januarii inciderent. summa regione cavebatur a Pontificibus.* 60. F
—— *nostri ævi sunt solares: mercatus vero, partim solares, partim lunares.* 685. E
—— *nullæ sine argento.* 687. A
—— *nundinari, nundinatio quid.* 649. F
—— *omnes erant fastæ lege Hortensia.* 16. C
—— *per annos aliquot, partim Pompilianos, partim Julianos, extensæ, quarum aliquot Kalendas occupavere.* 663. A. &c.
—— *primo feriæ, deinde nefastæ fuere* 779. E
—— *primum nefastæ, dein lege Hortensia sunt fastæ factæ.* 60. E
—— *quando institutæ & quis earum auctor.* 70. C. D
—— *quibus literis in Kal. notati.* 16. B
—— *quot in anno Romuli.* 652. D
—— *Romanæ directæ bissexto.* 452. D

—— *Sola-*

—— Solares & Lunares. 684. B. &c.
—— ita Luna profluxerint, aliquid tamen cum Sole commercii habent. 654. D
Nundinarum diem Romani majore cultu prosecuti. 657. A
—— dies quare in Kalendarium relati. 16. B
—— distinctio in fixas, vagas, vitiosas, biulcas, & legitimas. 664. F. & 665. A. &c.
—— & mercatus forma. 702. E
—— & mercatus jus quis constituere possit. 702. C
—— introducendarum finis & utilitas. 704. A
—— jura ac solennia. 686. B. &c.
—— locus. 650. B
—— numen Mercurius. 686. F
—— origo. 652. B
—— Lugdunensium immunitates quatuor. 703. A
—— Lugdunensium privilegia a Lud. XI. negata Anglis & quare. 703. B
—— necessitas. 651. &c.
—— privilegia decennio vel triginta annis extinguuntur. 704. B
—— privilegia quas res afficiant. 703. C
—— rationem ap. Ro. Horus ignorabat. 605. E
—— tutella, sacra & civilis. 687. E. 688. C
Nundinas seu nonum diem numerandi unde sit initium ducendum. 381. A. &c. 386. A
ad Nundinas investigandas maxime conducit scire singulorum mensium literas Kalendares. 676. A
ad Nundinas Romanorum extranei venire probibiti & causa. 703. C
Nundinis comitia non habebantur & quare. 651. F
—— Flaminica Jovi in regia arietem immolabat. 60. E
—— manumittere & judicia exercere magistratibus fas fuit. 60. F
—— utpote feriis quid agi liceret. 658. C
a Nundinis ad nundinas alteras septem intermedii dies. 651. D
a Nundinis annus incipiens Romanis infaustus. 662. B
de Nundinarum origine diversæ opiniones. 776. F
in Nundinis computandis ogdoadis ratio. 655. C
in Nundinis cur noni diei potissimum reditus placuerit. 653. B
in Nundinis & mercatibus duo genera personarum ex sententia Platonis. 701. D
in Nundinis pollice ac digitis computandis anni vel singuli, vel decimi, vel centesimi numerandi sunt. 676. D. &c.
in Nundinis Servio Tullio post exactos reges parentatum. 661. B
Nundinalis cyclus biulcus descriptus, literarumque in eodem ordo ac ratio. 668. B
—— cyclus legitimus annis suis literisque ordinatus. 669. A. &c.
—— cyclus Romanorum cum nostro Solis comparatus. 452. D. &c.
—— cyclus sua confecta periodo per octo bissexta nundinas in ordinem revolvit. 452. F
—— cyclus vagus annis literisque suis notatus. 665. E. &c.
—— cyclus vitiosus, triennio definitus, ejusque causæ & constitutio. 667. A. &c.
—— tabulæ fragmentum. 683. B
Nundinales cœnæ & nundinales coqui. 657. B
Nundinales literæ in Hemerologio Romano. 649. D. 669. F. 670. A. &c.
Nundinalium literarum chironomia. 676. B
Nundinalium literarum tota varietas quomodo in Kalendario Juliano, itemque tota solarium literarum varietas in Christiano tollatur. 679. B. &c.
Nundinaria superstitio varia. 687. A. &c.
Nundinariæ epulæ. 686. E
Nundinum quoque vetustiores dixere. 651. C
Nuntium mittere in formula repudii & divortii. 1165. D
Nuptæ apud viros manentes, omnium operum vacationem, præterquam lanificii habebant. 1046. E
Nuptiæ an cum ea quæ ex alio prægnans esset, contrahi jure potuerint. 1105. B. &c.
—— antiquitus non nisi captatis ante auguriis fiebant. 1026. A. &c.
—— cum amita & matertera probibitæ. 1098. C
—— cum uxoris sorore soluto quoquo modo conjugio vetitæ ab Impp. Valentiniano, Theodosio & Arcadio. 1095. B
—— illæ injustæ quæ ab uxoribus intra luctus tempus contrahuntur. 1103. E
—— illæ injustæ, quæ legitimo consensu carent & qualis quorumve consensus hic requiratur. 1098. D
—— illicitæ cum fratrum sororumve filiabus. 1090. F. &c.
—— in infinitum interdictæ in linea recta, non modo inter eas personas quæ agnatorum jure, sed etiam quæ cognatorum & adfinium nomen obtinent. 1178. E
—— incestæ sunt quæ inter eas personas, quæ parentum liberorumve locum inter se obtinent etiam quæ tales ratione affinitatis contrahuntur. 1087. C. &c.
—— inter duorum fratrum eorumve liberos permissæ. 1095. D. &c.
—— inter duorum fratrum sororumve liberos probibitæ recentiorum Imperatorum constitutionibus. 1098. B
—— inter mortuorum fratrum conjuges fratresque superstites an licitæ. 1092. B. &c.
—— justæ a filiis emancipatis citra parentum consensum contrahuntur. 1100. A. &c.
—— non nisi incestæ ac nefariæ cum Vestalibus virginibus contrahi poterant. 1106. E
—— probibitæ inter eos qui per adoptionem parentum liberorumque loco sibi esse cœperunt. 1089. B
—— probibitæ inter fratrem sororemque. 1089. C. &c.
—— quænam ex transverso cognationis gradu illicitæ. lege Julia & qua de causa. 1071. A.
—— sexagenarii cum uxore quinquagenaria improbatæ lege Julia & qua de causa. 1071. A
—— speratæ. 1111. E.
an Nuptiæ injussu patris factæ ipso jure non consistant quidem, sed vel a patre vel vel a magistratu rescindi possint, aut qui contraxerunt aliqua pœna multari queant. 1175. C
Nuptiarum auspices. 1112. E
—— epulis aliquid indultum legibus sumtuariis. 1044. B
—— proxenetæ. 1112. E
apud Nuptiarum auspices etiam de dote conventiones fiebant. 1114. B
de Nuptiarum die, qualis hic esse debuerit. 1121. C
in Nuptiarum solennibus & aqua & ignis adhibebantur & qua de causa. 1126. C. &c. 1042. E
Nuptias contrahentium qualis ætas, status, patria, conditio, potestas, cognatio, affinitas & adoptio esse debuerit. 1171. C. &c.
—— cum alio marito contrahere intra annum post missum ex justa causa repudium mulieri jus non erat & ratio. 1105. B
—— filiæ emancipatæ an perinde ut filii emancipati sine patris aut necessariorum voluntate recte contrahant. 1101. B
—— inter & matrimonium differentia. 1169. F. &c.
ad Nuptias adfinium pertinentia legis divinæ decreta explicata. 1189. D
—— cognatorum cognatarumque, vel permissas vel probibitas pertinentia legis divinæ capita explicata. 1187. B. &c.
propter Nuptias donatio. 1115. B

*de* Nuptiis, *connubio & matrimonio, & ut hæc diff.* 1122. E. &c.
—— *earumque solennibus qui auctores commentati sint.* 1426. D. &c.
—— *farre contrahi solitis.* 1128. C. &c.
*in* Nuptiis *Christianorum tres quasi gradus sunt constituti.* 1163.
—— *nepotis aut neptis ex filio in potestate retento, utrum & avi & filii consensus requiratur, an avi solius sufficiat.* 1173. F. &c.
—— *Talassio acclamatum & illius moris causa.* 1045. B
—— *peragendis non unus tantum, sed tres dies rituales erant, & quid unoquoque eorum actum.* 1121. E
Nuptialis *cœna.* 1043. F
*de* Nuptiali *pompa.* 1123. C. &c.
Nuptiales *tabulæ.* 1117. E
Nuptialia *convivia continuabantur diebus septem in veteri Testamento.* 1427. A
—— *sacrificia qualia fuerint.* 1141. B
Nuptialibus *festivitatibus tibia adhibita.* 1044. E

O

Obærati *qui.* 989. D
*in* Obæratos *debitores jus creditorum non solum ap. Romanos, sed etiam ap. Græcos aliosque populos.* 991. C. &c.
Oblatio *genus pensitationis & quæ ad eam pertineant.* 864. B
—— *novi consulis.* 896. B
*de* Oblationibus *senatorum.* 895. E. 896. A
Oblativæ *functiones.* 895. F
Oblativum *aurum.* 896. A
Ὀβολος χαλκοῦς. 888. B
Occasus solis *quæ pars diei ap. Ro.* 764. E
Occatio *vinearum quæ & quando facienda.* 25. B
Octaeteris *lunaris Romana & Judaica.* 385. F
Octaeteris *lunaris Romanorum.* 385. D
—— *lunaris Siculorum.* 385. A
*de* Octava *libertorum.* 883. F
*de* Octava *mercium.* 778. F. &c.
Octo *Planetarum globi.* 655. C
October *equus ita appellatus quo mense quoque die immolatur.* 253. E
—— *mensis appellatus* Domitianus, *item* Faustinus. 574.
—— *mensis dictus* Domitianus *a Domitiano, sed hoc interfecto pristinum nomen recuperavit.* 196. B
—— *mensis in cujus Dei tutela.* 218. A
—— *mensis unde sit appellatus.* 196. A. 217. E. 754. C
Octobris *mensis imago in vet. Kalendario occurrens explicata.* 110. E
*in* Octobri *mense quis numerus quæque distributio dierum fuerit tam in anno Numæ quam in illo Cæsaris.* 196. B. &c.
Ogdoadis *ratio in nundinis computandis.* 655. C
Ogdoadem *an ordinaverit Romulus anni a se instituti causa, an ogdoadis causa annum.* 656. A
Officinæ *odorariorum, & quem in finem.* 1225. F
Οἴκημα *de lupanari.* 1067. B
Olea *& palma hieroglyphica victoriæ.* 808. D. E
Olearia *Seii largitio.* 942. C
Olei *vis ingens a Leptitanis exacta.* 971. D
*de* Olei, *aquæ & ignis usu in nuptiis.* 1126. C. &c. 1042. E
Olitorum *dies feriatus.* 249. A
Oliva *quo mense legenda.* 28. A
Olympiadum *mysteria & Olympia, quæ Ciceroni.* 314. E. F. 333. D. 334. D
*in* Olympiadibus *an quoque dies intercalari debuerit.* 314. D. 333. C
Onera *variarum gentium.* 875. E
Opalia *quale festum.* 79. A. 8. E. 12. B. 18. C. 254. C
Opiconsiva *qualis dea.* 75. F
—— *qualis dies.* 7. A. 11. B. 17. C. 75. F
Oraculum *Sibyllinum expressum Græce & Latine.* 486. D. &c.
Orbium *cœlestium series versiculis expressa.* 224. A
Ὧρος *annus Græcis dictus & quare.* 204. E
—— *sol erat Ægyptiis.* 209. D
Osculari *feminam, jus erat præter cognatos cognatasque ap. Ro. nulli.* 1119. B
Osculum *adhibitum in adorando & salutando.* 1119. E
Osculi *ritus in sponsaliis contrahendis.* 1158. A
*de* Osculo *a nubentibus adhiberi solito.* 1119. A. 1120. E
Oscula, *basia, suavia ut diff.* 1119. A
Ostrea *operiebantur in ipsa mensa.* 1245. A
—— *Lucrina saporis optimi.* 1245. A
Ostrearia *primus in Bajano locavit Serg. Orata.* 1245. A
Oves *quo mense tondendæ.* 24. C
Ovium *lustratio quo mense facta & quomodo.* 23. E

P

Pacta, *destinata, sponsa, sperata mulier quæ dicta.* 1157. B
—— *qualia tributa.* 902. F
Pactæ *puellæ unde & quæ dictæ.* 1151. E
Pæan *erat duplicis generis.* 560. 6
Pæanes *& hymni deorum particulares non unam habent nomenclaturam.* 560. A
—— *& hymni quomodo differant.* 559. F. &c. 560. B
Pædagogia *quales pueri ap. Ro.* 1339. E
—— *quo corporis cultu, multitudine, ordine, natione, jocis, pretio ap. Ro.* 1340. A. &c.
Pædagogiorum *plerique e domesticis vernulis, multi ex mancipiis venalitiis.* 1343. B
Paganalia *cujus rei gratia suscepta.* 802. B
—— *Paganica qualia sacra.* 51. D
*in* Paganalibus *portio hurrbanica proposita Cereri in camella.* 802. D
Palatini *Jovis templum quo die exustum.* 235. A
Palilia *qualia sacra.* 51. D
Palilia *Urbis.* 349. B. 391. E. &c.
Palis *parandis quod tempus idoneum.* 25. D
Palma *cum ingenio fortium virorum comparata.* 808. F
—— *olea, & laurus hieroglyphica victoriæ.* 808. B. &c.
Pan *totius naturæ symbolum.* 205. D
Pandicularis & communicarius *quid.* 51. C
Panis *ab annonæ præfecto distributus.* 970. E
—— *pro frumento primum ab Aureliano datus.* 957. C
Pane *a propola plerique Romæ vivebant.* 956. D
*e* Panibus *coronæ ab Aureliano Populo Rom. datæ.*
Panniculus *bombycinus quid Juvenali.* 1316. F
Paragaudæ *quales vestes Jureconsultis.* 1313. F
Παράφερνα *qualia bona mulieris.* 1116. D
Parcæ *cur a Sibylla dicantur παντογόνοι.* 519. B
—— *Ditis & Erebi filiæ.* 519. D
—— *tempora moderantur iisque præsident.* 519. D
—— *tres Plutoni a poetis attributæ.* 519. C
—— *unde dictæ.* 519. B
Parcarum *nomina horumque etyma.* 519. C. D
—— *numerus ternarius unde.* 519. E
—— *sacra qua de causa sacris Plutonis jungenda.* 519. D
Parcimonia *veterum in victu.* 13710. C

Parentalia *inter ferias.* 56.
—— *pro Græcis qui ap. Platæas occubuerant.* 251. A.
Parentationes *Inferorum quo menſe ac die fierent.* 255. C
*an* Parentes *natis ex damnato concubitu alimenta debeant.* 1210. E
*de* Parentum *poreſtate circa nuptias.* 1173. D
Παρθενιών ἑκατόνποδος, 481. B
Parietes *& laquearia marmore inducta, etiam inaurata.* 1237. D. E. 1355. E.
Parilia, *aliis* Palilia. 10. D. 12. E
—— *feriæ privatæ unde dicta.* 54. E
—— *quis dies & unde ita dictus.* 10. D
Parricidium *Idus Martiæ dictæ & unde.* 41. A
Paſtores *ſaltuarii.* 851. D
*an* Pater *filiam quæ ſine ipſius conſenſu nupſerat, abducere a marito poſſit.* 1175. F
Patina *condita a Vitellio, illiuſque pretium, & quæ in illa exhibita.* 1242. C
—— *una Æſopi hiſtrionis & ejus pretium ingens.* 1242. A
*de* Patria *eorum qui nuptias contrahebant jure Romano.* 1172. D
Patrueles, matrueles *de germanis & uterinis.* 1193. E
*inter* Patrueles, *amitinos, conſobrinos, nuptiæ noviſſimo civili jure permiſſæ.* 1183. E
Patruus *non minus, quam avunculus parentum loco numerati jure antiquo & moribus, taleſque nuptiæ pro inceſtis habitæ, uſque ad Claudii Imp. tempora.* 1182. C. &c.
Pavimentum *ædium, Logothetæ Metochitæ tam elegans & ſuperbum, ut Scytharum Principi dono m ſ ſum ſit.* 1358. B
Pavones *in deliciis eorumque pretium.* 1246. D. 1390. A
Paupertas *& continentia virorum principum Reip. Ro. temporibus.* 1268. E
Payeurs des Compagnies *in Gallia qui.* 919. B
Pechyaticum *quale vectigal.* 905. D
Pecuniæ *quantam ſummam Auguſtus ex amicorum teſtamentis perceperit.* 965. D
—— *vis quotannis effuſa frumentariis largitionibus* 948. C
Pecuniam *publicam Auguſtus largitus pro ſua.* 952. D
Pecuniæ *Reip. nervi.* 829. A
Pedamina *ſeu Pedamenta vinearum quæ.* 22. D
Pelagus *dedicatum in æde Caſtorum maris ſedandi cauſa.* 79. C
Penetrale *in æde Veſtæ quis locus.* 57. F
Penetralis *Deus quis.* 53. A.
Penſitationum *tria genera.* 864. A
Πενταετηρὶς *Græcorum quæ fuerit.* 152. D
Penus *Veſtæ quibus diebus patere dicatur & quare.* 57. E
—— *Veſtæ quis locus in æde Veſtæ.* 57. E
Peræquatores *& Inſpectores.* 853. B
Peregrini *ante civitate quam frumento donati.* 959 C
Perendie *quid ſit.* 774. C
Perendinus *dies quis hodie dici poſſit.* 774. D
Pergræcari, congræcari *quid.* 1293.
Periodus *Calippica.* 152. E
—— *Metonica.* 152. E. 208. E. F
—— *Romana decem annorum cum annis diebuſque anni ſolaris collata & in diagrammate exhibita.* 375. B
—— *Romana minor & major, & quæ in hac intercalandi ratio* 373. E
—— *Romana minor erat luſtrum.* 318. B
—— *Romana quot annorum.* 318. A. 335. D. 341. A. 401. B. &c. 407. A
*in* Periodo *Romana nullus menſis Mercedonius omiſſus.* 373. C
—— *Romana quomodo plenis annorum omnium ſpatiis dies congruere dicantur ap. Livium.* 373. D
Periodi *variæ excogitatæ, ut annum ſuum Lunarem æquarent anno ſolari, & quale illæ.* 151. E. &c.
Perſæ *quo menſe ac die ad Artemiſium ſuperati.* 237. A
Perſonæ *ſcenicæ ſeu larvæ effigies.* 112. E
Perſonarum *quæ nuptias contrahere poſſint, ætas, ſtatus, patria, conditio, poteſtas, cognatio, affinitas & adoptio.* 1171. C. &c.
*inter* Perſonas *eas quæ a latere ſunt, fratris & ſororis nuptiæ jure gentium inceſtæ ſunt: patrui vero & amitæ, avunculi & materteræ jure civili tantum.* 1181. C
Pervigilationes *ſacræ in Eccleſia.* 143. D
Pervigilia *anni Secularis laudabilia, & caſte pudiceque agitata: alia vero infamia & turpitudine plerumque plena.* 543. B
—— *facta intra limites honeſtatis & ſanctitatis, quamvis riſus honeſti miſcerentur.* 542. D
—— *in quem finem primitus inſtituta.* 543. D
—— *in ſecularibus ſacris celebrata.* 542. C
—— *Junonis, Fortunæ.* 542. F. &c.
—— *quæ.* 542. E
—— *nocturna in honorem Deorum honeſta.* 542. A
—— *Veneri voveri ſolita & qualia* 542. E
Peſcenium *quale tributum.* 904. B
Peſſinuntia *dea quo menſe ac die Romam translata.* 237. C
Petorita *quale genus vehiculi.* 554. B
Φαλλανώγια *quis dies.* 249. C. D
Pharſalici *prælii dies ex Chronico Alexandrino.* 716. B.
—— *prælii dies ex ſententia Petavii.* 715. C
—— *prælii dies fuit ſolſtitium ex Plutarchi ſententia & Lucella.* 722. C
—— *prælii menſis.* 714. E
—— *prælii tempore æſtas & meſſis cui menſi tribuenda.* 717. B
—— *prælii tempus anni ex Goltzii ſententia ſtatuitur fuiſſe æſtivum.* 713. F
*de* Pharſalici *prælii die expenditur Chronicon Alexandrinum.* 726. B
—— *prælii die Petavii ſententia expenditur.* 719. C
Pharſalico *prælio menſis Junius tributus.* 721. E
Pharſalicum *prælium qui* XII. *Maii commiſſum volunt, pugnantia loqui videntur.* 725. D
*ante* Pharſalicum *prælium jam dudum matureſcere cœperant meſſes.* 722. B
*poſt* Pharſalicum *prælium quot diebus in Ægyptum appulſus ſit Cæſar.* 725. A
Phaſiani *in deliciis.* 1390 D
Philippus *Imp. cum familia tota fuit Chriſti fidem amplexus.* 617 D
—— *Imp. indulgentiam ſcelerum poſt brevem pœnitentiam publicam obtinuit.* 632. A
Philippi *Imperatoris præclara facta Gentilibus ingrata.* 618. C
Philippi *Impp. Chriſti martyres.* 617. F
—— *Impp. cur a Gentilibus in divos relati.* 618. E. &c.
Philipporum *Imperii annorum comparatorum cum annis Urbis Romæ tabula.* 621. &c.
*a* Philippis *Impp Ludi ſeculares decimi editi. Vide in* Ludi ſeculares.
Phœbo *mel novum, vinum & farina offerebantur & quo die.* 246. B
Φυλλοβολεῖν *&* φυλλοβολία *quid.* 1423. A
*cum* Phœnicis *avis vita anni magni converſio fieri nonnullis credita.* 208. B
Phœnicopteri *in deliciis.* 1246. C. 1390. C

Φορολόγοι καὶ φόρων ἐκλογεῖς qui. 829. D
Pica aut psittacus, aut corvus caveis pretiosis inclusi, supra limina potentiorum. 1353. E
Pilenta qualia vehicula & eorum usus.
—— quare mollia Servio. 554. A
Pisces a pondere æstimati & pensati in ipsi conviviis adstantibus excipientibusque notariis. 1243.
—— in longinquo & periculoso mari expetiti. 1397. B
—— præcipui qui lautiorum mensis serviebant, recensiti. 1397. D
Piscium fugitivorum inquisitores constituti. 1246. F
Piscibus nonnulli nomina imponebant. 1245. F
ex Piscibus & piscinis reditus annui dominis permagni, & qua ratione putandi. 1245. B
Πισκινικὴ quale tributum. 898. A
Piscinæ plures conjunctæ. 1245. E
—— Thasio lapide circumdatæ. 1397. F
—— villarum pretia augebant. 1397. E
in Piscinas impensæ permagnæ factæ. 1245. E
propter Piscinas villæ erant caræ, & ratio. 1245. C
Pistorum collegium a Trajano institutum & quo consilio.
Platanus maximo in precio ac deliciis ap. Ro. 1363 C
Platanus nunc ab Italis ignoratur. 1363. D
Platanus unde Genialis dicta. 537. F
Platanorum rami quantam umbram spargerent. 1363. C
Planetarum ordo & appellationes tam Latinæ quam Græcæ. 171. A
Plebis secessio Septembri extremo, reditus Decembri. 393. A
Πλειὼν unde Græcis annus dicatur. 204. B
Πλεονέκται qui. 1005. A
Πλεονεκτικοὶ dicti tyranni ap. Pollucem. 1005. A
Πλεονεξία, & Πλεονεξία στρατιωτικὴ quid. 1004. F
Πλίνθος quid Græcis. 914. C
Plutoni & Proserpinæ vivo homine sacrificabatur & quo die. 256. A
Πλυντήρια festum Atheniensium. 237. E
Pocula aurea gemmis & lapidibus preciosis distincta. 1379. D
—— crystallina. 1379. A
—— e gemmis cavata. 1378. B
—— ex auro argentoque cælata. 1380. C
—— & scyphi præcipua ornamenta abaci. 1378. B
—— murrhina & onychina. 1378 C
Poculorum pretium & materia varia. 1232. F. &c.
Poculis sigilla avelli poterant. 1391. A
in Poculis libidines cælatæ. 1382. E
Polliceri & promittere ut diff. 1114. E
Polyphagi in aulis Principum. 1344. F
Poma quo mense legenda. 26. A
Pompa in supplicationibus ludorum Secularium. 548. F
—— ludorum Circensium descripta. 549. A. &c.
—— puellarum quo mense ac die ab Atheniensibus celebrata, 234. A
in Pompis ludorum varia vehiculorum genera. 551. C
Pompeii fuga ab Urbe quo anno acciderit. 388. B
Pontifex ad curiam calabram plebi convocatæ pronunciabat, quot dies a Kalendis ad nonas superessent. 187. A. 311. A
—— annales se in albo conscriptos & in atrio domus suæ dispositos populo legendi potestatem faciebat. 38. D
—— minor novæ lunæ primum adspectum observabat visamque regi sacrificulo nunciabat. 49. C
Pontificis Maximi annales qui. 37. F. &c.
—— Ro. hodierni profanas Ethnicorum ceremonias in sacras affines pedetentim mutare soliti. 631. A. &c.
Pontificum error in intercalando die bissexto anni Juliani. 164. B. 179. B. 268. A. 291. D. 444. A. &c.
apud Pontifices fastis jam publicatis mansit tamen potestas intercalandi. 39. E
a Pontificum prava intercalatione ortæ Pompiliano anno mensibusque Ro. quæ confusiones. 39 E. 164. B. 178. B. 225. D. 266. D. 290. F. 321. A. &c. 346. F. &c. 412. C. D. E. &c.
ex Pontificum occultis tabulis memoria excepit fastos & dierum discrimina C. Flavius Pontificis scriba & paulatim edscens populo publicavit. 39. D
Pontificibus incumbebat munus intercalandi. 225. C. D. 427. A
—— dierum differentias & festorum sacrorumque rationes in tabulas relatas Numa primus tradidit, ut populo indicarent. 39. C
Popularia sacra quæ. 51. C
Populifugium quis dies. 73. D. 10. F. 17. A. 144. B
Populonia Dea cul a & quare. 816. C
Porcus Trajanus quid. 1389. D
Porniticum vectigal. 905. D
Πορνικὸν τέλος Athenis. 884. E
Portæ binæ commeatus Solis, Cancer & Capricornus. 210. C
in Porticu magnarum ædium divitis alicujus recitatores scripta sua committere soliti. 1363. D
Porticus frequentissimæ & magnificis picturis excultæ Athenis. 1360. B
—— milliarenses & centenariæ. 1364. B
—— privatorum in ædibus earumque superbia, forma, columnæ, pavimenta, fontes. 1361. A. &c.
—— præcipuæ quæ in urbe Roma, enumeratæ. 1360. D
—— publicæ ad exemplum Græcarum constructæ, signis, picturis, manubiis exornatæ. 1360. A. &c.
Porticuum magnitudo ac longitudo. 1364. A
Portorium quale vectigal fuerit. 1043. C. &c.
—— vini. 878. E
Portoria a Regibus Ro. indicta & exacta. 855. C
—— omnia ex sua Rep. Plato sustulit. 844. C
—— quæ tollebat lex, omnibus grata Romanis, præterquam senatoribus. 844. A
—— sublata eo pæne tempore, quo Clodius a patriciis ad plebem transiit. 844. A
a Portoriis Provinciæ quædam immunes. 844. D
a Portoriis quædam res liberæ. 844. C
Portumnalia quæ. 7. A. 11. A. 17. C. 75. D
Portumni ædes. 75. D
Portus Comites Romæ & Ravennæ ejusque munus. 845. A. &c.
Postes ædium marmorei & deaurati. 1353. C
de Potestate triplici Personarum quæ nuptias contrahunt, prima parentum, secunda rectorum provincialium, tertia tutorum & curatorum. 1173. B. &c.
Præcones quibus verbis ad ludos seculares populum invitarent. 502. A
Præfectus annonæ panem distribuit. 970 B
—— annonæ Principis vicarius. 968. C
—— familiæ insignia virgarum dextra gestabat, quodque munus ejus fuerit. 1230. F
Præfecti frumento dando duo tantum initio, dein plures. 970 C
Præsides provinciarum, procuratores Cæsaris, præfecti cohortis aut equitum tribuni & omnes omnino qui aliquod in provincia officium gerunt, mulierem inde oriundam vel ibi domicilium habentem uxorem ducere prohibentur, & quibus de causis. 1085. B. &c.
Prætextatus sermo. 1124. F
Prætor fastis diebus pro tribunali sui copiam faciebat

*& nunquam non, nisi quid interveniret, jus dicebat*. 45. B
Prætoris *solennia verba*, do, dico, addico, *horumque vis & significatio*. 45. B
Prætorum *jus tribus verbis solennibus continebatur*. 45. B
Pretium *nuptiale quid*. 1020. B
Prima *fax quæ pars diei ap. Ro.* 766. A
—— *lumina ap. Horat. quæ*. 766. A
Primæ *tenebræ ap. Livium quæ dictæ*. 766. A
Principales *civitatum & curialium qui eorumque munus*. 853. C
Privignum & privigna *qui*. 1198. C. D
Προαύλια, ἀπαύλια, ἐπαύλια *de tribus nuptiarum diebus solennibus*. 1121. F. &c.
Proceres *purpurei qui intelligendi*. 105. B
Prodigalitas *ingens & opes Apicii*. 1224. B. 1264. B
—— *profusa Imperatorum Rom. exemplis exbibita*. 1269. D. &c.
Prodigorum, *qui conditionis privatæ erant, exempla aliquot*. 1273. C. &c.
Profectio *Divi quæ intelligenda in vet. Kal.* 109. C
Profesti *dies sive negotiosi qui, cur hominibus concessi, eorumque divisio*. 771. E. &c.
Profestum *facere quid sit*. 44. F. 772. E
Pronuba *univira cur virginibus nubentibus adhibita*. 1429. D. 1113. C
*ad* Pronubarum *officium quales mulieres lectæ*. 1049. C
Pronubi *in nuptiis*. 1113. A
Pronubus *annulus*. 1118. B. 1157. E
Propior *Sobrino, Propius Sobrino, & Propior Sobrinus quis*. 1197.
Prosecutores *auri publici*. 872. E
Πρόσοδοι 828. D
Πρόσοδοι τ̃ ἀλείας. 897 E
Πρόσοδος τ̃ ἁλιευτικῆς. 898. A
Προτέλεια *qualia dona*. 1029. C
Προτέλεια. 1415. D
Προτευεια, & Πρωτόλειον *qusd*. 1093.
Protostasia *vel Prototypia quid*. 891. F. 892. A
*in* Provinciis *& Diœcesibus alii plerumque fuere qui rei militaris, alii qui vectigalibus præessent*. 910. D
Publica *bona quæ sint*. 835. D
—— *quæ proprie dicantur*. 835. B
Publicani *& tributorum exactores odio semper sunt plebi*. 829. D
—— *generatim qui dicantur*. 830. E
—— *qui dicti*. 835. C
—— *unde sic appellati & qui præterea in eorum societate*. 836. B
Publicanorum *descriptio ex Juvenal. & aliis*. 836. D. &c.
Pueri *& puellæ patrimi & matrimi qui*. 562. F. &c.
—— *ex Asia evocati ad edendas in scena operas*. 1342. D
—— *ingenui quo die ac mense togam virilem induerent*. 235. A
—— *inter se pugnandi causa committebantur*. 1342. C
—— *magno semper venditi*. 1343. D
—— *ministrantes ad mensam & quæ illorum officia*. 1383. C. &c.
Puerorum *formam artificio adulterabant mangones*. 1343. C
—— *qui potentioribus in deliciis, præcipua commendatio erant sales*. 1342. C
Puls fritilla *quæ Plinio*. 538. D. E
Pulvinaria *deorum quid*. 546. E
Purgatio *hominis triplex*. 497. C
Purpura *dibapha magni pretii*. 1311. D
—— *Laconica*. 1312. C
—— *priscis Romanorum temporibus delicatiorum tantum hominum indumentum erat*. 1312. B
—— *pro magistratu*. 1312. A
—— *variis distincta coloribus*. 1313. A
Purpuræ *usum quis primus Romanis monstraverit*. 1312. D
—— *usus a solis Impp. retentus inferioribus seculis*. 1312. A
Purpurea *veste quando primum matronæ Ro. uti cœperint*. 1314. C
Pyrgus *& Fritillum quid & in quibus differant*. 113. B

## Q

Quadriennii *religio, solennitas, superstitio, error*. 460. E. &c.
Quæstuaria *quæ*. 1005. A
Quæstuariam *Lycurgus inter opera & ministeria servilia retulit*. 1003. F
*de* Quadragesima. 881. A
Quindecimviri *quid curarent ludis secularibus*. 494. B
—— *quo modo, quaque expiatione populum Ro. ad ludos seculares præpararent*. 496. D. &c.
—— *sacrorum a quo facti pro Decemviris*. 495. E
*ad* Quindecimviros *sacrorum unus a Cæsare Julio, dein ab aliis Imperatoribus plures additi*. 496. B
*de* Quinquagesima. 881. C
*de* Quinquagesima *pro feriis & mercibus*. 889. A
Quinquatrus. 4. E. 9. D. 16. D
—— *Minervæ unde sic dictæ & quis dies*. 233. E. 235. B 242. A
—— *minusculæ quo die celebratæ*. 73. A
Quinquennium, *quo exspectari absentis conjugis reditus debet, antequam ad secunda vota transeatur, an a Justiniano præstitutum*. 1079. D. &c.
*de* Quinta, *Quadragesima, & Octava*. 877. E
Quirinalia. 9. C. 15. E. 4. B
Quirinalia *stultorum feriæ*. 116. D. 232. D
Quot servi, tot hostes, *parœmia*. 1330. C

## R

Recensio *& Recensus quid*. 690. C
Receptitia *bona, receptitius servus, receptitia dos*. 1116. E
Receveurs generaux *qui in Gallia dicantur*. 818. E
Receveurs particuliers *in Galliæ regno qui*. 918. D
*de* Rectoribus *provinciarum quatenus nuptias in provinciis non contrahere potuerint*. 1173. B &c.
Referri *in tabulas sc. dicebantur debita*. 985. A
Refrivæ *fabæ*. 71. F
Rheæ *puerperium apud Ægyptios extra annum & mensem*. 432. D. E
Repositoria *& lecti testudinum lamellis vestiti*. 1353. A
Repotia *quid*. 1050. B
Repudium *quid, ejusque formula*. 1159. C. 1121. A
*de* Repudii *mulcta*. 1121. A
Rex *Nemoralis Aricini sine cæde & duello non creabatur & quare*. 505. E
Rex *sacrorum cujus rei faciundæ causa in comitium veniret*. 48. A
Regi *sacrorum in comitium ire non licebat & nisi uno die, tum quæ illius rei causa, quique ille dies fuerit, quidque in comitio egerit*. 9. E. &c.
—— *sacrorum neque magistratum gerere neque verba ad populum facere fas* 9. E
—— *sacrorum non nisi una die in comitium ire licuit, & ratio*. A
Regifugium *alterum*. 240. C

—— *an unquam fuerint ipsæ Kalendæ mensis.* XIII. 332. E
—— *& ejus dies.* 9. C. 15. F. 4. C. 116. E. 232. F
Regifugii *dies* XXIII, *an* XXIV. *Februarii.* 137. B
Robigalia *Numa instituit.* 69. A
—— *quis dies & unde dictus.* 10. D. 16. E
Rolandus *quo mense ac die in Pyrenæis mortuus.* 240. E
Roma *ab Alarico quo mense ac die capta.* 236. D
—— *quo anno a Gallis Senonibus capta.* 376. B. &c. 309. E
—— *quo mense ac die a Carolo Borbonio capta.* 239. D
—— *vi capta ab Henrico* IV. *Imp. & quo die.* 241. C
Romæ *conditæ duplex epocha, quarum altera Capitolinorum fastorum Catoni falso & a Scaligero & a plerisque tributa, altera est Varronis.* 349. F. &c. 363. B
—— *conditæ epocha characteribus chronologicis suffulta.* 367. E
—— *conditæ epocha Varroniana adstructa.* 370. A
—— *conditæ Palilia in quem diem Juliani anni inciderint.* 366. D
—— *fundamenta quo die jacta sunt, eodem defecisse solem falso proditum est a Plutarcho.* 360. C
—— *natalis quot annis posterior Trojana clade.* 350. E
—— *primi Consules quo anno Iphiteo creati.* 351. E
*de* Romæ *conditæ anno sententia Fabii Pictoris.* 367. E
*de* Romæ *conditæ epocha Halicarnassensis, Diod. Siculi, aliorumque opiniones expensæ.* 363. C. &c.
*de* Romæ *conditu sive primis Palilibus Urbis.* 349. B. 391. E. &c.
*in* Romæ *conditæ primo anno tradendo Scaligeri, Onuphri, Calvisii, & aliorum errores.* 353. B. &c.
*in* Romæ *urbis initiis tradendis duplex hallucinatio commissa a Dionysio Halicarnassensi.* 352. A. &c.
Romam *captam Galli Senones inflammant.* 245. F
Romanorum *dies civilis a media nocte, nox a meridie inchoabatur.* 761. F. &c.
*in* Romanorum *familiis & comitatu exercitus spadonum.* 1231. A
Romulus *Albani anni rationem a majoribus acceptam suis proposuit, sed nonnihil emendatam.* 400 E
—— *an annum dierum* CCCIV. *& decem mensium instituerit.* 83. B. &c. 147. E
—— *quo tempore e vivis excesserit.* 395. B. &c.
Romuli & Romæ *natalibus quæ eclipses attribuantur.* 357. D
*de* Romuli *conceptu & natali die.* 357. A. &c.
Rumentum *quid in auguralibus.* 23. B
Runcare *segetes quid.* 24. C

S

Sacerdotes *præsides ludorum.* 897. A
Sacrificare *quid sit* & *quid sacrificium.* 769. E
Sacrificium *Apollini peragendum tempore ludorum secularium.* 523. E
—— *Flamini.* 30. B
—— *Ilithyis oblatum tempore ludorum secularium.* 520. D
—— *Jovi & aliis diis superis faciendum tempore ludorum secularium & quale.* 522. B. &c.
—— *in Parcarum honorem tempore ludorum secularium* 519. A
—— *Junoni faciendum tempore ludorum secularium.* 523. D
—— *Plutoni & Proserpinæ fiebat noctu in seculari anno.* 517. E
—— *publicum.* 29. C
—— *Telluri factum tempore ludorum secularium & quale.* 521. D
Sacrificia *inter festa.* 769. B
Sacrificia *omni seculo fuerunt & quare.* 769. E
Sacrum *Angeronæ ara.* 257. C
—— *Annæ Perennæ.* 107. E
—— *Conso in Aventino.* 29 E
—— *Dianæ in Aventino.* 29. D. 43. B
—— *Fortis Fortunæ* 25. C. 43. C
—— Fortunæ Publicæ pr. in Coll. 73. A
—— *Jano ad theatrum Marcelli.* 29. D
—— *Mamurio quale.* 23. A
—— *Mercurio.* 24. F
—— *Mercurio quando mercatores Romæ fecerint.* 253. E
—— *Mercurii, qui Thoth, apud Ægyptios.* 251. C
—— *Opi in Capitolio.* 30. B
—— *Portuno ad pontem Æmilium.* 29. D
—— *Saluti in Colle Quirinali.* 29. C
—— *Spei ad forum holitorium.* 29. B
—— *Summano ad Circ. Max.* 43. B
Sacra *Theseo Athenis.* 258. B
Sacrum *Veneri ad Circum Max.* 29. D
—— *Volcano in Circo Flaminio.* 29. E
—— *Vortumno in Loreto majore.* 29. D
Sacra *communia seu Pandicularia quæ.* 51. C
—— *Curialia quæ.* 51. E
—— *familiæ stricte observata.* 52. F
—— *Græca quo die Romam translata.* 236. A
—— *Græca sub obscura luce fiebant & quo die.* 234. C
Sacrum *Herculi Custodi in Circo Flaminio.* 29. D
Sacra *Isiaca.* 254. D
—— *Libero patri.* 254. C
—— *mere publica quæ & quotuplicia.* 51. C. F. 52. A. &c.
—— *montana quæ.* 51. E
—— *municipalia.* 51. C. F
—— *non stata quæ & quotuplicia.* 52. B
—— *nyctelia in nuptiis adhibita qualia.* 1142. D. &c.
—— *Palladis Pambœotia dicta.* 254. C
—— *pertinent ad dies festos.* 51. B
—— *Phœbo, quando dies incrementum capiunt.* 258. C
—— *popularia quæ & quotuplicia.* 51. C
—— *privata perpetuo apud familiam manebant.* 52. E
—— *privata quæ eorumque exempla.* 52. C. &c.
—— *publica quotuplicia.* 51 C
—— *singulis diis pecularia quæ & quotuplicia.* 51. C
—— *stata quæ & quotuplicia.* 52. A
*ad* Sacris *accessuri primum aqua se pura abluebant.* 49. F
*de* Sacrorum *communione inter virum & uxorem.* 1135 D. &c.
Sacris *privatis seu familiæ interdici maximæ aliquando ignominiæ nota fuit.* 52.
Σαικελάζεια *Dioni quæ.* 474. D
Salinæ *privatæ etiam fuere.* 369. E
Salinarum *vectigal ubi & quando institutum.* 869. B. &c.
Salinum *inter abaci vasa & e qua materia.* 1377. C
Salix *harundo quando cædenda.* 21. E
Saltatrices *in conviviis.* 1394 C
Saltatricum *quanta copia Romæ & quanta lascivia ludorum saltatoriorum.* 1400. B. &c.
Saltus *cur in religionibus veterum adhibitus.* 564. F
Salutatrix turba *quæ Juvenali.* 1333. C
Sanctæ fœdera tædæ *de nuptiis.* 1035. E
Sangus *Deus.* 1037. A. &c.
Sapa *quid.* 802. E
Sarire *segetes unico* r *ἀρχαϊκῶς pro* sarrire. 21. F
Saturnalia. 8. E. 12. B. 18. C. 257. B

—— *quale festum quo die celebratum & quando institutum.* 78. C
—— *virorum & mulierum quibus mensibus.* 309. E
Saturnalibus *Romani munera quæ* apophoreta *vocabantur, invicem mittebant.* 78. F
—— *servi usurariam quandam libertatem assumebant.* 78. F
Saturnalitiis *conviviis qui præesset Rex creari solebat.* 79. A
Saturni *sacrificium in Latio vetustissimum fuit.* 78. C
Scaliaticum *portorium quale.* 905. D
Scarus *in deliciis.* 1397. E
Scarorum *multitudinem inter Ostiam & Campaniæ littus Octavius præfectus classis sparsit & tanquam in terra fruges aliquas seminavit.* 1397. E
Scirpeas *effigies Vestales idibus Maii in Tiberim jaciebant.* 70. C
Scribi *in tabulis dicebantur credita.* 985. A
Scrinium *laterculi sacri.* 914. B
Scrinia *sacrarum largitionum eorumque varia genera.* 877. A
Scriptura *quale vectigal.* 850. E. 851. E
Scripturæ *lex quæ & qua pœna sancita.* 851. E
—— *magistri qui fuerint inter publicanos.* 857. A
Scripturarius *ager quis & appellationis ratio.* 850. E
Scripturarii *qui inter publicanos.* 851. A
Scrobatio *arborum.* 26. D
Scyphi *argentei aureis crustis illigabantur.* 1381 D
Secretaires des Finances *in Gallia qui.* 919. B
Seculari *anno ludi Apollinares cum aliis ludis acti successu temporis.* 504. A. &c.
*in* Secularibus *ludis pervigilia celebrata.* 542. C
Seculum *cur Romani centum annis definierint.* 480. C
—— *Romanum quot annorum.* 318. B. 342. A. & E. &c. 476. C. &c. & 478. C. &c.
Seculi *dispositio & series melior, & in lustra sua divisio, si seculo centum, quam si eidem ex* XV. *virorum sententia centum & decem anni tribuantur.* 574. F
—— *divisio.* 475. C
—— *etymologia & eam vocem scribendi ratio.* 473. D. &c.
—— *Romani series in annis & lustris.* 577. B
—— *variæ significationes & definitio.* 475. A. B. &c.
*ad* Seculum *centum & decem annos exigi neque centum sufficere a quindecimviris falso confictum & quare.* 573. A. &c.
Seculis *singulis quid Romani a diis expectarent.* 491. E
Segetes *quo mense & qua ratione lustrandæ.* 24. E
—— *quo mense runcandæ.* 24. B
—— *quo mense sarriendæ.* 21. F
Σεισάχθεια *Solonis, quid fuerit, & vocabuli origo.* 985. E
Sementes *triticariæ & hordiariæ quo mense faciendæ.* 26. D
Sementinæ *feriæ.* 115. E
Semisse *& triente cur frumentum plebi datum dicatur.* 943. D
Semisses *aureorum.* 901. E
—— *& Trientes frumenti Clodius tribunus pl. Populo remisit.* 878. B
*de* Semissibus *& trientibus frumenti.* 878. B
Senati *victoria pro senatus victoria.* 108. D
Senatori *si indulgentia principali fuerit permissum, libertinam justam uxorem habere potest.* 1058. D
—— *ut neque damnatam publico ducere uxorem jus esset, Senatus legi Juliæ addidit.* 1064. B
Senatores *dimidiam bonorum partem Imperatoribus relinquere tenebantur.* 899. B. &c.
—— *Senatorumve filii eas ducere probibentur, quæ ipsæ, quarumve pater, mater, artem ludicram fecerit & quare.* 1060. A. 1061. E
*in* Senatoria *dignitate constitutus an quis susceperit filium, an ante dignitatem senatoriam, nihil quicquam interest.* 1055. C
Senatoriis *nuptiis libertini indigni, licet se patrono homini ingenuo adrogandos dederint.* 1059. A
*a* Senatoriis *nuptiis an libertus submoveatur nihilominus, si aureos annulos ab Imperatore acceperit.* 1059. D
Senatus *a* XVI. *Kal. ad ipsas Kal. Febr. haberi vetabatur lege Pupia, & quæ ejus rei ratio.* 46. F
—— *indictus quis appellatus.* 104. D
—— *legitimus qui dictus.* 104. D
Senatusconsultum *in Catonis sententiam de frumentaria largitione factum, & an illud ratum fuerit usque ad legem Clodiam.* 647. F
Senatum *haberi nefastis diebus nulla lege vetitum.* 47. B
—— *quibus diebus haberi licuerit.* 45. E. &c.
Senes *coemtionales.* 1136. D
Septem *dies septem notati literis in Kalendarium Ro. quoque recepti.* 680. C
—— *pro pluribus & pro re sæpius repetita positum.* 753. F
September *mensis in Germanici honorem* Germanicus *dictus.* 195. C
—— *mensis in tutela Vulcani.* 217. E
—— *mensis quibus nominibus ab aliis populis nominatus.* 217. D
—— *mensis unde id nominis habeat.* 195. C. 217. C
—— Tiberius, Germanicus, Antoninus, Tacitus & Herculeus *dictus.* 754. A. &c.
Septembris *mensis, quo periit Pompejus, fuit Pompilianus.* 724. D
*in* Septembri *mense quis numerus quæque distributio dierum tam in anno Numæ quam in illo Cæsaris.* 195. D
Septemviri *Epulones qui.* 53. B
Septimestre *spatium quæritur ab Cæsaris Dyrrhachium trajectione ad pugnam usque Pharsalicam.* 720. E. 721. A. &c.
Septimontium *quale festum.* 78. B. 51. E
Sepulcrorum *jura in heredibus perpetua.* 1136. C
Serapia *seu sacra Isidis quo mense quoque ritu Romæ celebrata.* 24. A
Serapis *&* Sarapis *indiscriminatim scribebatur.* 24. B
Sericæ *vestis usus viris interdictus ab aliquibus Impp.* 1317. B
—— *vestes quales.* 1316. A
—— *vestes subtili auri integmine discriminatæ.* 1316. E
—— *vestes viris ac feminis promiscuæ.* 1317. A
Sericarum *vestium usus & pretium.* 1227. C. 1315. F. 1316. E
Sericeis *& auratis vestibus corpora divitum mortuorum involvebantur.* 1317. F
Servus servo præstat, *parœmia.* 1332. D
—— *vicarius majorum servorum.* 1332. C
Servi *majores alios subservos & vicarios habebant.* 1332. C
Servorum *agmina in comitatu heri sequebantur, clientum phalanges præcessere.* 1332. F
—— *cellæ superbæ & amplæ.* 1364. C. E
—— *custodiæ nocturnæ ad ædes & quæ in iis ad opes servandas.* 1223. D
—— *officia varia.* 1332. C. &c.
—— *pretium quale.* 1248. E
—— *singulis cellæ ap. Ro.* 1364. D

—— *vestis qualis.* 1333. F
Servos *quo plures alebant Romani, eo potentiores habebantur.* 1332. F
*de* Servis *vectigalibus.* 906. F
*in Servis manumittendis excedere centenarium numerum prohibebat lex Fusia Caninia, sed a Justiniano dein sublata.* 1248. D
Sexto *nonas, idus, vel Kalendas quid sit.* 759. B
Sicilia *duas decimas persolvit.* 946. A. 973. F
—— *grani pondere & feracitate cum Ægypto certavit.* 973. F
—— *multo minor Ægypto.* 973. D
—— *quam frumenti vim quotannis miserit.* ibid. E
Siculi *frumenti pretium in Sicilia & Romæ.* 962. C
Sigillaria *quale festum.* 78. D. 258. A
Siliqua *quid.* 887. A
*de* Siliqua *& Canonicis solidis conductorum.* 887. D. &c.
Siliquaticum *vectigal quale.* 887. A. &c.
Simulacra *scirpea in Tiberim quo mense ac die jacta.* 240. A
Sinus lactis *quid.* 106. B
Sistrata turba *de Isidis sacerdotibus.* 111. C
Sistrum *Isidis proprium.* 111. B
Σιτηρέσιον. 943. B
Σιτικοὶ νόμοι ibid.
Sitonia *vel* Sitonium *quid.* 848. D
Σῖτος *quid.* 941. C
Sobrini *quid & unde appellati.* 1196. C
Socer *magnus & socrus magna qui.* 898. B
Sororius *quis.* 1199. A
Spadones *in aulis Principum ad magnam potentiam evecti atque ejus rei exempla.* 1338. E
—— *in comitatu matronarum.* 1336. D
—— *in familiis Romanorum ingenti numero.* 1231. A
—— *luxus causa evirati reddebantur.* 1339. A &c.
—— *quæ officia matronis præstiterint.* 1337. A.
Spadonum *& exoletorum agminibus non tantum matronæ, sed & viri stipati incedebant.* 1338. D
*de* Speciebus *adærandis.* 876. B
Spectacula *ludionum & histrionum in conviviis exhibita.* 1394. E
*de* Spectaculis *librum cur Tertullianus composuerit.* 611. C
Speculum *omni occasione consulere de quibus dictum.* 1305. A
Speculorum *magnitudo & precium ingens.* 1308. A
Sperata, *pacta & sponsa virgo quæ diceretur.* 1111. C
*de* Sponsæ *ingressu in domum mariti.* 1127. C. &c.
Sponsalia *a quibus personis contrahi possint & a quibus non possint.* 1152. E. F. &c.
—— *an contrahenda sint verbis in futurum, an in præsens tempus conceptis.* 1165. F. &c.
—— *an pure, an vero sub conditione & in diem contrahi possint.* 1169. B
—— *an recte contrahi possint inter absentes jure Christiano.* 1165. B
—— *an recte inter impuberes contrahi possint jure civili.* 1164. D. &c.
—— *dicta* Conditiones. 1152. D
—— *multis casibus nuptiarum vim obtinent.* 1160. A
—— *qua ætate contrahi potuerint.* 1014. C
—— *quid.* 1011. A. 1111. C
Sponsaliorum *etymon & definitio explicata.* 1151. C
—— *forma, ritus & solennitas.* 1155. A. &c.
—— *jus multiplex.* 1158. E. &c.
—— *quale jus ex lege Mosaica itemque ex institutis Christianorum tam Græcorum, quam Latinorum.* 1161. E. &c.
—— *ritus quales.* 1117. A. &c.
*ex* Sponsaliorum *pacto an naturalis contrahatur obligatio.* 1159. D
*in* Sponsaliorum *contractorum argumentum a sponso sponsæ arrhæ dabantur.* 1013. E
Sponsalia *bina eodem tempore qui constituta habebat, infamia notabatur.* 1101. E
*ad* Sponsalia *constituenda nudus consensus sufficiebat.* 1013. D
*inter* Sponsalia *& nuptia differentia.* 1160. F
Sponsalibus *an semper interpositæ stipulationes.* 1151. E
—— *factis consequens erat nuptiis diem dici.* 1015. C
*in* Sponsaliis *osculi ritus.* 1158. A
—— *scriptura adhibita.* 1155. C
Sponsalitia *munera eorumque jus.* 1158. A. &c.
Sponsalitiæ *arrhæ.* 1158. C
—— *conventiones in tabulas referebantur.* 1013. E
—— *largitates quæ.* 1118. B
*inter* Sponsalitias *donationes & arrhas triplex differentia.* 858. D
Sponsus & Sponsa *unde dicerentur.* 1117. D. 1012. A. 1151. C
Sponsi *ornatus præcipue in eo, quod tonderetur.* 1125. A
Sponsarum *quis ornatus fuerit.* 1123. C
Sportula *quid.* 1334. D
Sportulæ *clientibus pro officio exhibito a patronis distribuebantur.* 1334. D
Sportulæ *in limine domus distribuebantur.* 1334. F
Sportulas *viri nobiles, quibus opes attritæ, ambiebant.* 1335. A
*ad* Sportulas *clientum uxores, patronos in lecticis comitatæ, pari ordine cum cæteris veniebant.* 1335. B
Spurius *prænomen Romanum.* 1199. E
—— *quis dicatur & origo nominis.* 1199. E. 2000. E
Spurii *oppositi justis liberis.* 1200. E
*an* Spurii *sive Bastardi nomen convitiandi animo in quempiam conjectum, injuriarum actionem ei pariat.* 1211 C. &c.
Spuriorum *divisio multiplex est & qualis.* 1201. B. &c.
—— *jus in maternis hereditatibus sextuplex.* 1206. B. &c.
*de* Spuriorum *conditione veteris & novi juris comparatio breviter strictimque instituta.* 1211. D. &c.
—— *& nothorum jure veteri & novo.* 1204. A. &c.
*e* Spuriorum *quinque generibus antiquo jure probatis, quatuor a Justiniano sublata, unum comprobatum.* 1203. E
Stata *Mater quæ & ubi culta.* 53. B
*de* Statu *nuptias contrahentium.* 1172. B
Statuæ *Demetrii Phalerei numero* CCCLX. 430. E
—— *in atriis affixæ basibus structilibus in columnarum interstitio.* 1355. C
Στεφανοπλόκοι *qui.* 1413. F
Stercoratio *vinearum quando facienda.* 27. A
Stipendiarium *vectigal. stipendiarii agri, stipendiarium oppidum.* 826. E
Stipendium *unde dicatur & quid sit.* 826. B
Stipendium *quando miles de publico primum acceperit.* 855. E. &c.
Stipendiis *suis Populus Ro. militare tenebatur jam inde, ex quo a Servio classium descriptio facta erat.* 855. E
Stipulæ *quo mense incendendæ & in quem finem.* 25. E

Στρατιωτικὸν χρυσίον. 891.
Structores *in conviviis*. 1384. A
Struthio *in deliciis*. 1391. A
Summarium *de breviario seu rationario vectigalium*. 913. E
Superindictum *& superindictio quid*. 866. B
Superindicta *& augmenta*. 868. E
Supplicatio *quid*. 544. D
Supplicationis *pompa quæ fiebat nomine Imperatoris*. 806. B
Supplicationes *unde* supplicia *a Sallustio & aliis dicantur*. 544. B
Supplicationes *decretæ victoribus in bello, & togatis quandoque*. 546. A
—— *indictæ ludorum secularium anno*. 544. A
—— *inter sacra publica non stata*. 52. C
—— *quanto tempore durarent*. 547. C
—— *quibus diis decernerentur*. 546. C
—— *quinam & quibus de causis decernerent*. 545. A. &c.
—— *sine feriis quandoque & vice versa*. 547. E
*in* Supplicationibus *aliquando ex publica largitate diis sacrificatum*. 447. A
—— *qualis pompa adhibita & quo ordine processum ad sacrificium*. 548. F
—— *qui & quo cultu incederent*. 548. A. &c.
Susceptores *qui sub Imperatoribus*. 830. E A
Susceptorum *in exigendis vectigalibus munus*. 873.
Sylvæ *callesque provinciæ minimi negotii*. 815. A
—— *in publicos usus thermarum deputatæ*. 815. C
—— *interdum a censoribus locatæ, ut ex arboribus vectigal exigeretur*. 851. C
Συνοικεῖν *de nuptiali conjunctione*. 1094. C
Syriarchæ *qui*. 896. C
Σῶθις *Ægyptiorum est Græcis* κυνὸς ἀστήρ, 205. C

T

Tabulæ *a quo primum ab exteris nationibus in Urbem illatæ*. 1290. C. &c.
—— *accepti & expensi* 984 D
—— *& signa ab exteris gentibus reportata Romanos ad luxum incenderunt*. 1289. F. &c.
—— *novæ a quo & ubi primum institutæ*. 986. B. &c.
—— *novæ in quorum gratiam proponerentur & quam ob causam*. 989. C. &c.
—— *novæ quid & quando dari solitæ*. 985. C
—— *novæ res perniciosissima*. 996. E
—— *novæ tria præstant*. 992. B. &c.
Tabularum *magna auctoritas in judiciis*. 985. B
—— *abolitionem exigebant, qui solvendo non erant, atque ita expectabant novas*. 985. C
—— *novarum exempla insignia apud varios populos*. 987. E. &c.
—— *novarum institutum an Solon sumserit ab Ægyptiis*. 986. E
—— *novarum mentio in Rep. magnas difficultates peperit*. 995. B. &c.
—— *novarum metus unde oriatur*. 996. E
—— *novarum verba solenni formula comprehendi, inscribique tabulis & suspendi publice solebant, quia lex erat*. 994. D
—— *novarum vis unde oriatur*. 994. A. &c.
—— *novarum voce tanquam solenni utuntur Latini, sed plerumque malo sensu*. 986. A
*ex* Tabularum *novarum lege perturbationes Reip. non tam ex ipsis Tabulis quam ex pertinacia partim, ex singulorum quorundam seditiositate ortæ fuerunt*. 1000. B
Tabulas *confecisse scripto & relato debito dicebantur veteres*. 985. B
—— *novas qui admittendas certis temporibus censuerunt, quales viri fuerint*. 1000. C
—— *novas quinam non admittendas censuerint, & ob quas causas*. 995. C. &c.
—— *novas quinam institutum in rep. salutare arbitrentur, & quando quibusque de causis*. 996. F
—— *novas Solon appellavit* σεισάχθειαν. 985. E
—— *novas ut permitterent, cum nullis rationibus induci possent opulentiores Patrum, Plebs paupercula tandem facta secessione expressit*. 988. D
*contra* Tabulas *novas quibus remediis veteres fuerint usi*. 1001. B. &c.
*de* Tabulis *novis legi lex similis ap. Judæos, cujus umbra ab his migravit ad Ægyptios, & inde ad Græcos & Romanos*. 987. C. &c.
*de* Tabulis *novis lex licet sæpe multumque a plebe sit flagitata, non tamen nisi semel tantum communi consensu lata est*. 987. F. &c.
Tabulæ *nuptiales*. 1117. E
Tabularii *qui & quot in singulis provinciis*. 854. B
Tabularium *Cæsaris*. 914. D
—— *castrense*. 915. A
—— *civitatis*. 914. F
—— *Dominicum, Tabularium Dominæ Augustæ*. E
Tædæ *jugales, faces jugales*, 1035. D
*le* Taillon, *stipendium superindictum, genus tributi in Gallia*. 917. E
Τάλαρος, ταλασία, ταλάσιος. 1046. B
Talea *quale tributi genus ap. Gallos & unde dictum*. A
Tamiaca *prædia, Tamiaci servi*. 898. C
Tectorium *& opus tectorium quid*. 1355. D
Τεμεία *Juno*. 1029. E
Τελεία *Junoni sacra facientes fel cum reliquis victimarum extis non porrigebant*. 1029. E
Τέλειος *Jupiter*. 1029. E
Τέλειοι *qui*. 1029. D
Τελειωθῆναι *quid* 1029. D
Τελεσφόρος *quare annus Græcis dicatur*. 204. E
Telluri *qualis victima immolata*. 521. D
Telonium *vel* teloneum, *&* telonarii. 832. B. C
Τέλος *antiquitus nuptias significabat*. 1029. B
Temonarii *qui*. 891. F. 892. B
Tempestatis *templum & festum*. 71. E
Templum *Apollinis Daphnæi ap. Antiochiam exustum* 254. C
—— *Hierosolymitanum quo die ac mense absolutum*. 233. A
—— *Martis Gradivi ad portam Capenam & ejus festum*. 71. D
Templi *secundi fundamenta quo die Hierosolymis cœpta*. 236. C
Templa *ingredi per loca dextera oportebat, egredi per sinistra, & quare*. 425. E
Tempus *quid, tam in genere quam pro parte aliqua*. 160. E
Terentia *lex frumentaria*. 945. E. F
Terentia *lex frumentaria perlata & quamdiu rata*. 946. C. &c.
Terentus *pars Campi Martii ad Tiberim*. 501. C. F. 517. F
Terminalia *an nonnunquam inciderent in* XXII. *Februarii*. 314. B. 332. A
—— *quis dies*. 275. C. 232. F. 9. C. 15. E. 4. C. 426. B. 116 E
Terminalia *inter & Regifugium intercalatum*. 426. A.
*post* Terminalia *intercalatum*. 275. C
*post* Terminalia *intercalatus dies bissextus in anno Juliano*. 155. B, C
*post* Terminalia *intercalatus mensis* ἐμβόλιμος *in anno Pompiliano*. 153. D. 177. A
Terminus *ut rerum omnium, ita & anni Romani finis erat*. 426. B
Terra *mobilis ex sententia Pythagoræ & Numæ*. 655. C

Testamento *per æs & libram quis heres esset*. 1135. F
Testator, *qui nolebat eum ad quem ejus pecunia perveniebat, sacris alligari, qua cautione uteretur*. 1136.
Tetrachordon *Varroni dictæ quatuor anni tempestates*. 209. C
Τετρακτὺς *Pythagorica fons æternæ naturæ & mundus* 464. D
*de* Τετραμοιρίᾳ *& Xylargyro*. 906. A
Thargelia *ap. Athenienses quo die celebrata*. 236. F
Theatrum *ingeniosum C. Curionis in funebris patris munere*. 1249. B. &c.
Theatra *gladiatoriis muneribus in funere exhibendis temporaria nonnulli exstruebant non contenti publicis* 1249. B
Themidis *oraculum*. 797. E
*de* Themide *proverbium*. 797. F
Thensæ *ab Imperatoribus &c. deducebantur, & trahi videbantur, cum revera ferrentur humeris bajulorum*. 552. A. &c.
—— *cum in pompa ludorum deducebantur, ornari solebat forum urbis Romæ*. 554. D
—— *qualia vehicula*. 551. E
Thensarum *pars erat ferculum*. 552.
Θεώρητρα, ἀνακαλυπτήρια, ἐπαυλια, ὀπτήρια, *munera novæ nuptæ dari solita & qualia*. 1116. F. 1029. D
Thesaurarii des Parties casuelles *qui in Gallia*. 919.
Theseia *quo die celebrata Athenis*. 241. E
Threforiers de l'Espargne *qui dicti in Gallia*. 918. E
Θωὺθ *Ægyptiorum idem qui Mercurius*. 432. A
Tiberinalia. 248. C
Tiberis *cur dictus* Romo & Serra. 501. F
Tiberis *in aliqua Urbis parte* Terentus *dictus & qua de causa*. 501. F
Titanes *qui & unde ita appellati*. 174. D
Titea *Jani uxor*. 174. D. E
Titulare *quid in veteri Kalendario*. 104. C
Toga rara *quæ Martiali*. 1334. A
Τόκων μετρίωσις *inter remedia contra novas tabulas*. 1003. C
Tondent ἀρχαϊκῶς *pro tondentur*. 24. C
Tonsura *lugubris*. 1126. A
Toplarium *opus a Græcis Romam delatum, etiam nostris temporibus non incognitum*. 1362. D
Topiarium *opus quid*. 1363. F
Trabes *auratæ in ædibus*. 1238. D
Traite & impofition foraine, *portoria in Gallia*. 918. A
Trecenta *hominum millia a Porsena in Urbe obsessa*. 938. C
Tribuni *& Ædiles plebis quo anno primum creati*. 939. A
Tribunitia *potestas a Pompejo & Crasso restituta*. 945 E
Tribunitiam *potestatem Sylla minuit*. 945. C. &c.
Tributum *aliud ordinarium, aliud extraordinarium*. 852. B
—— *& stipendium proprie ex censu*. 826. E
—— *ex vicis*. 905. F
—— *in capita ante Servii censum ex æquo a pauperibus & divitibus pendi solitum, relatum a Superbo*. 854. C. D. &c.
—— *in capita exactum Romæ ante Servium*. 854. C
—— *temerarium*. 852. A
—— *unde sic dictum*. 825. F. &c.
Tributi *collatio alia in capite, alia in censu*. 852. A
—— *& stipendii discrimen*. 827. A
—— *onere se non ante Populus Ro. liberavit, quam Perseum Paulus vicerat*. 856. D
—— *pendendi ratio a Servio prius instituta, & sublata a Superbo, relata a Poblicola*. 854. &c.
*de* Tributo *artificum*. 884. A
—— *in mensem*. 885. B
—— *Isaurico*. 907. B
—— *pro mortuis*. 885. D
—— *sextarii*. 889. B
—— *tertiarum*. 889. C. &c.
Tributa *divitum necant pauperes*. 831. D
Tributa *indicebat Imperator solus*. 833. A
—— *Servius Tullius indixit ex censu & æstimatione bonorum & qua ratione*. 854. C
Tributis *onerata Gallia supra omnes regiones*. 859. B
*de* Tributis *Illyrici, Achajæ, Italiæ*. 892. C. &c.
Τριετηρὶς *Græcorum quæ fuerit*. 151. E
Trimestris *satio quæ & quo mense facienda*. 22. E
Trinundinum & Trinum nundinum *quid*. 651. C. 652. D
—— *nisi intercessisset, jure lata lex non erat*. 652. E
Trinundini *observatio in rogatione legum, petitione magistratuum, in judiciis, pœnis, negotiis*. 659. C. &c.
Trinundino *Plebiscita & SCta referri & promulgari consueverunt*. 652. E
Trifeclifenex *Nestor ap. Hom*. 611. B
Triumviri *Epulonum qui*. 628. E
Τροχάδες *de ornamentis quibusdam vestium & qualia illa*. 113. A
Troja *quo die & mense capta*. 238. C
Σροπαὶ χειμεριναὶ *Græcis, quæ Latinis* Bruma. 27. A
Trulla *crystallina*. 1233. D
—— *myrrhina*. 1234. E
Tubicinum *festum*. 230 D
Tubilustrium *quis dies*. 9. D. 16. D. 4. E. 43. A. 240. B
—— *unde dictum*. 137. C
Tundunt ἀρχαϊκῶς *pro* tondent. 24. C
Tunica *recta novæ nuptæ induebantur*. 1028. A
Tunicata *quies quæ Martiali*. 1334. B
Turba *salutatrix quæ Juvenali*. 1333. C
—— *togata quæ Juvenali*. 1333. F
Turdi *in deliciis*. 1390. B
—— *magno numero alti & venditi, eorumque pretium*. 1246. D
—— *primas tenebant inter aves delicatas*. 1246. C
Turmarii *qui*. 891. E. 892. B
Tutores *pupillas suas uxores ducere & filiis suis nuptum dare probibebantur & qua de causa*. 1081. A
*de* Tutorum *& Curatorum potestate in contrahendis nuptiis*. 1177. A
Tutulati *qui dicti*. 1302. A
Typi *qui intelligantur ap. Cic*. 1355. A
Tyrannus *per excellentiam de Licinio*. 110. D
Tyrocinium *de onere præstandi tyronis*. 890. E
Tyrocinii *dies inter ferias*. 55. A

V

Vasa *Corinthia & Deliaca*. 381. F
—— *culinaria ex argento*. 1387. E
—— *potoria qualia in abacis*. 1377. F. &c.
—— *vitrea ex transmarinis oris Romam advecta*. 1382. D
Vasis *aureis ne quis uteretur nisi ad rem sacram, statuit Tiberius*. 1232. D
Vestales *idibus Maii scirpeas effigies in Tiberim jaciebant*. 70. C
Vectigal *ansarium quid*. 906. E
—— *duplex certum, & incertum*. 839. B
—— *lupanarium & matrimonii*. 878. F. 884. D
—— *pro tributo*. 826. D
—— *quale sit scriptura*. 850. E

—— *salinarum ubi & quando institutum.* 869. B. &c.
—— *Siliquaticum quale.* 887. A. &c.
—— *Tirocinii & Chrysotelea.* 890. B. &c.
—— *Tironum necessarium.* 891. D
—— *olim* pascua *dictum.* 837. E. 851.
*de* Vectigalis *exigendi forma.* 872. C. &c.
*de* Vectigali *aedilitio*, 885. A
—— *ex lacubus.* 897. E
—— *fumi, umbrae, & aeris.* 900. B. &c.
—— *macelli.* 877. B. &c.
—— *solario.* 885. F. &c.
—— *urinae & stercoris.* 882. A. &c.
*in* Vectigali *pendendo ne Reip. fraus fieret, ideo merces institores profitebantur, alioquin cadebant in commissum.* 837. A
Vectigalia *ad quid instituta.* 823. D
—— *Africae & Hispaniae.* 874. B
—— *& tributa praecessere Regum originem.* 823. B
—— *Populi Ro. tribus maxime rebus definita, portorio, decumis & scriptura.* 843. C
Vectigalium *descriptio & conditio continetur lege Censoria in eorundem locatione.* 847. C
—— *& tributorum quae in Populi Ro. aerarium redigebantur, summa qualis fuerit diversis temporibus.* 912. B. &c.
—— *genera sex maxime.* 877. C
—— *licitatores.* 873. C
—— *origo & necessitas.* 123. A
*de* Vectigalium *constitutione & locatione.* 907. C. &c.
*e* Vectigalium *genere fuit Metoecium & Enoecium.* 893. B
*a* Vectigalibus *immunes esse pauperes voluit Senatus Ro.* 855 B
*de* Vectigalibus *Graeciae.* 825. C
—— *Regis Turcorum.* 919. C. &c.
*in* Vectigalibus *exigendis diligentia vel potius quam saevitia adhibita.* 876. C. &c.
*in* Vectigalibus *quoque metalla fuere.* 871. A
—— *solvendis quae retardationis poena fuerit.* 832. D
Vectigale *frumentum triplex.* 847. F
Vectigales *agri qui.* 837. F. &c.
Vehicula *argentata Severus coercuit & senatoribus tantum permisit.* 1236. C
—— *varia, aerata, eborata, argentata, argentea.* 1236. B. &c.
—— *aurata, gemmata & altiora.* 1236. D
Vehiculorum *juncturae pretiosissimae.* 1236. D
—— *pretia.* 1236. E
Vela *& prothyra foribus appensa.* 1358. C
Venalitium. 887. C
Veneris *Genitricis ludi & aedes.* 76. D
Venetiarum *urbis fundamenta quo die jacta.* 235. E
Vespera *quae diei pars ap. Rom. & vocis origo.* 764. F
Vesperugo, *Vesper, Vesperus, Phosphorus, Hesperus.* 765. A. &c.
Vesta *aperitur, quid significet.* 107. D
—— *quae & quod etymon vocis.* 174. E
Vestae *templum quare rotundum.* 72. E
Vestales *quo tempore & quomodo molam salsam confecerint.* 70. A
—— *virgines quot & quales esse debuerint, earumque munus.* 72. E
Vestalia. 17. A. 6. A
—— *quo die celebrata.* 72. E
Vestis Coa *quae.* 1316. C
—— galbana & homines galbanati. 1318. C
—— ianthina. 1318. C
Veste *alba Romani semper usi sunt.* 1333. E
*a* Veste *discincta & laxa homines* discincti *appellati qui luxu perditi erant.* 1319. A
Vestes *amethystinae in summo usu.* 1310.
—— *Attalicae.* 1314. F
—— *auratae matronarum.* 1315. A
—— *auratae quae, quisque primus iisdem usus fuerit.* 1313. A
—— *conchyliatae preciosissimae.* 1227. A. 1311. B
—— *Imperatorum & luxuria quam enormis in illis.* 1320. B. &c.
—— *pressae, ut niterent.* 1226. B. 1321. C
—— *scutulatae quae.* B
Vestium *luxuriosarum genera proposita.* 1318. A
—— *magnus olim numerus isque ostensus, cum in convivio, tum in balneo.* 1226. C. 1321. B. &c.
—— *plurimis a coloribus nomen.* 1310. D
—— *pretia ingentia.* 1322. D
—— *splendore nimio ac reliquo corporis ornatu quinam modum ap. Ro. excesserint.* 1318. E. &c.
*in* Vestium *colore luxuria affectata.* 1310. C
Vestes *albas populus induebat diebus festis.* 49. D
*in* Vestibus *matronarum luxus magnus.* 1314. A
Vestibulum *quid.* 1351. F. &c.
*in* Vestitu *antiquiores Romanorum minime luxuriosi.* 1310. A. &c.
Vesuvii *incendium atrox sub Leone Imp* 255. B
Veteres *antequam hymnos in Deorum laudem canerent, lumina accendebant.* 503. C
Viaria *Curionis lex.* 969. E
Vicea ἀρχαϊκῶς *pro vicia.* 24. E
Vicia *in pabulum quo tempore secanda.* 24. D
*de* Vicesima *eorum qui manumitterentur.* 879. C. &c.
—— *hereditatum & legatorum.* 879. F
—— *quinta venalium mancipiorum.* 880. E. &c.
Vigesimus *Julii qua ratione dici possit Pharsalicus.* 719. E
Victoria *Sarmatica.* 108. C
—— *Senati.* 108. D
Victoriae *aedicula.* 809. E
—— *maritimae insigne.* 809. A
—— *simulacrum non semper alatum & cur.* 808. A
—— *simulacra diversa apud diversos.* 806. E
—— *templum.* 809. E
Villae *maxime emebantur ad mare sitae.* 1368. A
—— *nonnullorum magnificae exhibitae.* 1368. A. &c.
Villarum *& aestivorum secessuum summa luxuria.* 1367. E
*in* Villas *quo anni tempore Romani secederent.* 1367 B
Vina *qualia maxime in deliciis.* 1393. B
Vinalia *prima.* 232. E. 238. C. 248. D. & E. 249. A
—— *quae.* 7. A. 10. D. 11. A. 16. E. 17. C. 75. D
Vindemia *ultima.* 253. C
Vindemiae *quo mense & modo administrandae.* 26. B
Vinearia *Curionis lex.* 969. D
Vineae *quo mense occandae.* 25. B
—— *quo mense stercorandae.* 27 A
Vinearum *pedamina quo mense putanda.* 22. D
—— *pedamina seu pedamenta.* 22. D
—— *superficium quo mense colendum.* 22. B
Vinia ἀρχαϊκῶς *pro vinea.* 25. B
Vino *tenuiore vomitus provocabant Romani, ut majorem ciborum appetentiam excitarent.* 1398. A
*a* Vino *matronas arcebant antiquissimi Romanorum.* 1393. C
Virgilius *Maro quo mense ac die vitam finierit.* 251. E
Viri *Genium deum natalem venerabantur die natali.* 54. E
Virtutis *& Honoris aedes.* 71. B
—— *& Honoris festum.* 70. F
—— *& Honoris numinibus sacerdotum & magistrorum collegium institutum.* 71. B. C

Virtutum *prœmia, honores & triumphi sc. ap. Romanos Fastis æternitati consecrata.* 37. D
Vitulatio *quando fieret Romæ.* 244. E
Vivaria *Curionis lex an dicenda.* 969. C. &c.
Ungebantur *in conviviis Romani.* 1358. B
Unguento *coma delibuta.* 1225. D. E
Unguenta *crudelis fati causa enervatis & mollibus sæpe extitere.* 1309. B
—— *& coronæ a Græcis Romam transierunt.* 1386. D
—— *exotica ne quis venderet, edictum Censorum.* 1385. F
—— *varia eorumque cognomina.* 1308. F
Unguentariorum *tabernæ frequentes Romæ.* 1385. F
Volcanalia. 7. A. 11. A. 17. C. 75. E
Volturnalia *quale festum.* 76. A. 249. D
Volturnus *quis fuerit.* 76. A
Votorum *nuncupatio pro salute Principis quo mense & die facta.* 229. D
*in* Urbe *hyemale tempus plerique fallebant, alii ex Urbe secedebant in loca clementioris auræ.* 1366. E. &c.
Urceus *quale vas.* 1378. A
Vulgi *fuga quis dies.* 244. B
Vulgo *quæsiti opponuntur jure quæsitis liberis.* 1201. A
Uxor *a viro mancipari poterat.* 1023. D
—— *an sit in potestate mariti.* 1131. F. &c.
—— *eorundem bonorum & sacrorum cum viro socia ac particeps fiebat.* 1022. E
—— *& Maritus dicebantur, quum sponsa domum mariti ingressa esset.* 1128. A
—— *non dicta, nisi sacrificiis prius peractis.* 1918. C. 1128. D
—— *quæ usu tantum habebatur in quo differret ab ea quæ materfam. erat.* 1130. E
Uxoris *usurariæ quis tutor.* 1139. F. &c.
Uxori *legitimæ an jure Quiritium concubina adjungi possit.* 1103. D
Uxori *quæ jura ex conventionis in manum viri beneficio competant.* 1023. E
*in* Uxorem *maritus non habebat jus vitæ & necis.* 1133. C
Uxores *quæsitæ tribus generibus, usu, farre, coemtione.* 1016. D. &c.
Uxorum *usu quærendarum quæ forma fuerit.* 1023. E &c. 1129. E
Uxores *duas Romæ eodem tempore habere non licuit.* 1101. E. &c.
—— *ducere vel nubere parentes qui liberos quos in potestate habebant, prohibebant, per magistratum cogebantur.* 2074. D
—— *suas Romani aliis viris elocare solebant, cum ex iis duos tresve filios suscepissent.* 1131.
*de* Uxoribus *duabus simul ductis orta aliquando Romæ controversia.* 1102

Y

Ὑπόβολον *quid quodque ejus jus.* 1115. E

Z

Zeta *qui locus in ædibus.* 1366. D
Zygasticum *quale tributum.* 905. C

# FINIS.

